


NAZIONALE
12
19 R
22
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
11 G
17

[redacted]

Die 10 februarij 1656 die Lune. [redacted]

12.3.d.14



D. N.

LVD. MERCATI,

MEDICI A CVBICVLO

Philippi II. & III. Hispan. atque Indiarum Regum

POTENTISSIMORVM,

eorundemque Protomedici:

ET IN VALLESOLETANA ACADEMIA PRIMARIÆ CATHEDRAE PROFESSORIS EMERITI,

PRAXIS MEDICA

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

Nunc primum hic in lucem edita:

IN QVATVOR PARTES DIVISA,

In quibus præter alia, quæ ad Praxin exercendam plurimum conferunt, & præter variam, exquisitamque doctrinam, arduæ etiam quæstiones enodantur, & difficiles Auctorum grauissimorum loci illustrantur.

Omnia diligenter à mendis quibuscunq; ac erroribus, quorum plurimi Lectorem potuissent impedire, sensumque Auctoris celare, vindicata.

Indicibus quoque vberrimis, & commodissimis aucta, & exornata.

Conventus S. Mariæ CVM PRIVILEGIIS. de Scala Cœli





VENETIIS, MDCIX.

Apud Bernardum Iuntam, Ioan. Bapt. Ciottum, & Socios.



AD ILLVSTRISSIMVM FRANCISCVM PRIOLVM MICHAELIS FILIVM EQVITEM PRAESTANTISSIMVM.



Bernardus Iunta, & Ioannes Baptista Ciottus.



Va benignitate factum est, Eques Illustrissime, vt Ludouici Mercati praclarissimi viri, & de re medica optimè meriti, quos diu vehementer expetiuimus, ac persapè frustra conquisiuimus Commentarios, ad nostras tandem manus peruenerint. Etenim in postrema tua diuturna peregrinatione, in qua Reipub. *caussa totum septennium consumpsisti, & duarum legationum, nullo interiecto interuallo; prioris apud Sabaudia Ducem, posterioris verò apud Hispaniarum Regem, duris, ac difficillimis temporibus, munere functus es: quanquam de publicis commodis, atque ornamentis, & de grauissimis ipsius* Reipub. *negotijs administrandis, conficiendisque toto pectore cogitabas, atque in eam curam tota mente, omnique studio incumbebas: tamen nec in priuatos homines tua beneficentia, & liberalitas vnquam clausa fuit. Ex quo gratiam, & magnam, ac singularem laudem tum publice, tum priuatim ab omnibus consecutus es. Nos certè tui nominis celebritate impulsi, & tuis benefitijs ornati non potuimus, non gratulari tibi de tanta gloria. Quare cum recudendam curauerimus eam partem scriptorum Mercati, qua Practicem attingit; non debuimus ipsam, nisi tui nominis inscriptione decoratam proferre in hanc lucem, quam tuo beneficio primum aspexit. reliqua propediem expecta. Interim munu-*

sculum hoc accipias libenter: grati animi, & nostra erga te voluntatis, atque obseruantiæ argumentum: haud quidem exiguum, si nostrum animum spectes, et Mercatum Auctorem, & nos pro tua humanitate in tuam fidem, & clientelam recipias. et quos antea tibi ferè ignotos beneficijs affecisti, nunc tibi obtrictos, et deditos, nec amare, nec tueri, nec fouere desinas. Vale.



PHI-

PHILIPPO SECVNDO HISPANIARVM INDIARVMQVE REGI POTENTISSIMO, LVDOVICVS MERCATVS MEDICVS A CVBICVLO FELICITATEM.



NOscit quidem ſcrutator cordium Deus, noſcunt etiam qui mecum quotidie verſantur, Rex potentiſſime, poſtquam domum mihi charam, & bona quæ ad ſenectutis ſolatium, & filiorum educationem acquiſieram, dimiſi, nil amplius animum mentemque meam occupaſſe, quam ſalutis tuæ impenſam curam ſummamque diligentiam, nec non & Reipublicæ vtilitatem, mei & meorum aliquando oblitus. Semper enim inhumanum auaritiæ genus, aut ruſtico timore plenum iudicaui, labores, ſtudia, & lucubrationes ſubticere; & celare, quæ multis exiſtimaſſem profutura: maximè cum ſingulari tua clementia, & liberalitate, mihi, inter ſeruos conſtituto futurus ſis patronus, & protector. Nam quæ alia potentia, quæ inſuper magnitudo, quale ſubſidium, noſtris fortunis haberi poteſt ſublimius, quam Maieſtatem tuam noſtrum eſſe præſidium? Licet enim antiquitas Alexandrum ob res mirabiliter geſtas, magnum appellauerit, & Mercurium Ægyptiorum regem, ob ſacerdotium, ſapientiam, & regni gubernationem ter magnum; in te vno ſimul omnia excellentiori modo adeo effulgent, vt diuina quadam prouidentia regnorum gubernacula tibi commiſſa fuiſſe, iure optimo arbitremur. Quippe ſacerdotium, quis vnquam maiori condecorauit honore? quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ religionem tutandam, ac propagandam, maiori diligentia vſquam ſtuduit? Quo iuſtiſſimo, ac pio animo Concilium Tridentinum, diu inceptum, ſanctè, ac religioſè terminari curaſti? atque non ſolum regna tibi ſubdita, eius & ſanctorum Patrum ſanctiones, humiliter cuſtodire ſtudes, verum & apud exteras nationes pace, & armis incredibili diligentia, ac ſumptibus præcaues, ne hæretica prauitate fœdentur. Teſtes coactæ ſunt Gallia, Anglia, & Flandorum non paucæ prouinciæ quarum, & aliarum regionum, qui catholicæ, & orthodoxæ fidei cultores eſſe cupiunt, ad te vnicum ſubſidium, tanquam exules confugiunt, habitaturi in collegijs quæ per vniuerſam Hiſpaniam, huic miniſterio, & hoſpitio, maximis ſumptibus, & magno catholicæ religionis prouentu conſtruere iuſſiſti. A quibus & vbique terrarum diſperſas ſanctorum reliquias colligens, honore, cuſtodia, & cultu (vt valet humana potentia) veneraris, & venerari curas, tanquam totius Chriſtianæ Reipublicæ ſingularis protector. Supereſt adhuc tanquam fidiſſimum tuæ pietatis teſtimonium, magnificum illud ſumptuoſumque & multis rationibus admirandum ſancti Laurentij opus, in quo veluti ſumma quadam complexus es poteſtatem, ſapientiam, maieſtatem, liberalitatem, ornamentum, artem, religionem, & ardentiſſimum in Deum amorem, quibus regum, regnorumque omnium ædificia, ac ſumptus, longiſſimis interuallis ſuperaſti. Quod ſi te regem conſidero excellentia quadam in te vno eminere conſtat in regendis hominibus auctoritatem, in audiendis populorum querimonijs facilitatem, attentionem, & ſummam æquitatem, iuſtitiæ item, ac pacis cuſtodiam, in bello fortitudinem, conſtantiam, & magnanimitatem. Sed quis non admiretur ſapientiam tuam, & in rebus deliberandis prudentiam? quippe in diſciplina militari, conſilium, quaſi architectonicus, & bellorum magiſter adæquatiſſimum præſtas: in pacis, & Reipublicæ publica adminiſtratione ſic omnia pijs iuſtiſque legibus prudenter moderaris, vt te omnes mirificè colant, venerentur, & obſeruent. In priuatis vero negotijs, & de quauis rei deliberatione, ita conſilium iudiciumque in rebus dubijs, & arduis præſtas, vt ſumma ſpe, & certa expectatione, te præſente ſalutem nobis conſeruatam, ac reſtitutam, & auxilium præſens tanquam à numine aliquo diuinitus nobis oſtenſum, ſummumque

præsidium nostris fortunis constitutum esse arbitremur. Quibus omnibus fretus, quanquam magnum, & summè arduum prouinciæ munus esse videam, veterum medendi præceptiones pleniore doctrina pluribusque obseruationibus illustrare, atque locupletare, iudicorum tamen seueritate minimè deterritus, quidquid periculi est subire, honestum gloriosumque esse duxi, Medicinam etenim (Dei munere, & beneuolentia hominibus concessam ad eorum vtilitatem salutemque tutandam) adeo nostris temporibus mancam, & quasi nuper inchoatam conspiceremus, nisi ætas dierumque numerus multa nouiter produxisset, sine quibus artis absolutio non esset perfecta; quapropter ingenui animi esse iudicaui, si nō summam quæ desideratur perfectionem, adumbratione quadam maiorem exprimere, & ob id, hoc meorum laborum de morbis internis dignoscendis, & curandis volumine, quidquid diuturna meditatione longoque medendi vsu quotidie obseruatur, id in commune bonum ingenuo liberalique animo scribere. Quid etiam de quaque re in praxi controuersa sentiendum putarem libere pronuncio. Sic multorum lites diluo, dubia stabilire studeo, obscura illustrare, abdita patefacere, noua quam plurima, & hactenus non comprehensa passim adijcio. Ad hæc rationibus, & testimonijs frequenter vtor, rem omnem ita temperans, vt neque lectorem verborum profusione onerarem, neque breuitate nimium concisa suspenderem. Et cum mihi notissimum sit, Rex Potentissime, & Catholicissime, te adhuc grauissimis occupationibus detentum leuiora non aspernari, summa quippe natus humanitate suauissimisque moribus neminem vnquam acerba animaduersione, & seueritate videris prosequutus, sed tua clementia, & animi lenitate, sic omnium animos ad te allicis, vt mihi minimo seruuorum tuorum ansam præstiteris, hoc leue munus laborum meorum Maiestati tuæ tutandum offerre, & nomini tuo Potentissimo Catholicissimoque dicare. Oro vt qua soles humanitate, ac fauore prosequaris: quod mihi magnæ gloriæ apud posteritatem fore spero. Et omnipotentem regnorum conditorem, ac Regem Regum, qui tam multis, tamque illustribus argumentis te sibi carissimum declarauit, precor atque imploro, vt tua consilia, atque facta, præclaris cœpta auspicijs, ad sui nominis laudem, & Reipublicæ salutem dirigat, te insuper regno, & regnum tibi custodiat, & populis tibi subditis tutam tranquillitatem, & pacem tribuat, & nominis tui memoriam consecret immortalitati.

Gli Eccellentissimi Capi dell' Eccelso Conseglio di X. Infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per Relatione delli due à questo deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitor, il Circonspetto Secretario del Senato Gio. Merauiglia, con giuramento, che nel Libro intitolato Ludouici Mercati Medici de Internorum morborum curatione, non si contiene cosa alcuna contraria alle leggi, concedono licenza, che possa esser stampato in questa Città. Data adi 21. Augusti 1608.

D. Piero Moresini.
D. Nicolo Bon. } *Capi dell' Eccelso Consiglio di X.*
D. Maff.o Michel.

Illustriss. Consilij X. Secret.
Barth. Cominus.

1608. adi 2. Settemb.
Regist. in libro à carte 3.
Io. Baptista Breatius offic.
Cont. Blasph.

PETRI

PETRI IORDANIS IN MEDICA FACVLTATE LICENTIATI, ET SANCTAE INQVISITIONIS VALLESOLETANAE MEDICI, IN AVCTORIS OPVS.

PRAEFATIO.



Vm ob subiecti dignitatem (vt Philosophus insinuat) quæuis ars,seu scientia sit alia præstantior, eminentem inter omnes locum sibi vendicare Medicinam inficiabitur nemo. Subijcitur enim ei humanum corpus,à Deo animæ gratia peculiari quadam ratione generatum. Nam mens,eodem asserente Philosopho,formarum præstantissima cum esset,ita conformationem structissimam, & pulcherrimam erat illius organum adepturum. Sed cum humana conditio(ob primum illud contagium) tot ægritudinibus obnoxia,tot subiecta sit casibus,adeoque imbecillis euaserit,vt à quauis,vel leui aura labefactetur,sitq; corporis, & animi (vt sensit Plato) tantus cõsensus, vt inuicem suas affectiones secum communicent,Medicina,tanquam demissa cœlitus,tãtæ iacturæ tunc primum adfuit toti homini impensè proficua,& necessaria. Hæc hominis,si quid obstet,inquirit ortus,& iam in lucem editũ à lacessentibus tuetur,ac munit,imminentes auertit morbos,& contristantes arcet,& propulsat,temperies corporis qualitatesq; perpendit,structuram rimatur,partium connexionem intuetur,& callet: vt ad summi opificis cognitionẽ ducat veluti manu, & ad tanti auctoris præstantiam miris laudibus extollendam,deliria,& reliquos animi furores coercet,ac tollit,ne in quo illi præcipuè indulsit natura, deficiat, & in quo eum maximè voluit a reliquis animantibus separare. Quin & caligines, & halitus ipsam animæ sedem obscurantes dissipat,vt veram sapientiam,& rerum omnium integram cognitionem assequi rectius possit. Vnde Democritus vir, Hippocratis iudicio,sapiens ac beatus,& qui nunquã desipuisse Ciceroni visus est,cunctis hominibus,& ex his sapientibus maxime, Medicinam nimis ex vsu fore asseuerauit: quod oppressa mens morbo nihil agitare ratione, nihil cogitatione consequi possit: in noctibus Acticis (vt refert Cœlius) extat Carneadem scripsisse contra Zenonem elleboro corporis superiora purgasse, vt tractis ex animi domicilijs humorib. superuacuis,mens aptior & purior ad quælibet redderetur: multa sunt alia quæ corporibus præstat humanis, & ob quæ late vagatur & fuse, quibus supersedere rectius duxi: nõ est animus cũcta persequi,nec eximias ipsius dotes encomijs extollere. Res.n.per se notas vereq; præclaras,satis est vel nudas oculis ostendisse. Sed ad illud cuius grãtia hæc diximus,nostra conuertatur oratio: Si Medicina,tã est admirabilis,tã vtilis,tam necessaria (vt neminẽ latere arbitror) his,qui de ea sunt tantũ bene meriti,quippe tantã in eius studio operã curãq; posuetũt,quæ erit honoris amplitudo,quæ dignitas exhibenda? Priscis illis tẽporibus,quibus præmia pro meritis reddebãtur,ad Deorũ ritũ Medicos fuisse

cultos

cultos testatur historia, Isidē videlicet, Osirim, Appollinem, & Æsculapium, aliosq; permultos, quos recensere esset longū. Quod fecit antiquitas nō pro bo, affectū sane, ac iudiciū laudo, quippe quæ recte senserit, & declararit, doctos fidosq; Medicos permagnis fore honoribus excipiēdos. Illa. n. tēpestate, quo propius aberat ab ortu (vt ait Cicero) hoc melius homines quæ erant vera cernebant. Rex magnus Artaxerxes, his frui qui consilio præstāt, beatum iudicans, quid fecit reliqui, vt Hippocrate, viro artis Medicæ gloria satis celebri, ipse, regnumq; suū potiretur? auri quantū vellet, & reliquos sumptus abū de suggerebat Persarū purpuratis æqualē fore pollicitus, pluraq; si posceretur daturus, repulsam tulit. Græci aūt ob regem ab illo contemptū, & ab Illyrico in Greciam venientē fugatam pestē, Coorū posteris, vt Athenis pubescerent, quemadmodū liberis, concesserūt, & magnis ipsum publice mysterijs, vt Herculem Iouis filiū, initiarunt. Oculatissimus ex Græcis, & cæcus ille, qui satis superq; perpendit, quæ esset cuiusq; natura, qui status, & quæ deberet esse conditio, & si alias perspicue, iam hæc, vt credo, depinxerat, dū Machaonem, Peonē, Chironē, & Podaliriū, non hominibus solū, sed Dijs etiam ipsis sub uenientes facit: cupiens tantus Philosophus, sub tali integumento, atque inuolucro præstantiæ Medici veram picturam ostēdere. Hic erat honos, hæc laus, quam priscos illos accepimus Medicis, vt vitę tutoribus præstitisse. Si ætas ergo nostra aliquot eminentiū Medicorū ingenijs efflorescit, qui laudari satis digne non possunt, per quos res inęstimabilis vita, ac bona valetudo seruatur, quibus par rei pretium (vt ait Seneca) referri non potest, per quos Medicina tantū asse quuta est incremētum, cur non eos humeris extollemus? cur non magnis acclamationibus prosequemur? An, vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia in fastidio erunt? honorq; viuentiū, & gloria quasi satietate languescet? an eorum iudicijs statur, qui omnia asserunt antiquos illos scriptores perfecisse, nihil intactum reliquisse, eaq; posteros cura, & solicitudine liberasse? neq; enim Aristotelem ab scribēdo deterruit amplitudo Platonis, neq; ipse Aristoteles, admirabili quadam scientia, & copia, cęterorum studia perstrinxit, nec Hippocrates, & Galenus, eorum qui postea scripserunt, ingenia hebetarunt. Permultos nostra hęc sortita est ætas, qui eam artē, aut scientiam, quam sunt professi, summopere illustrarunt. Talis est nostro hoc seculo Ludouicus Mercatus vir acri ingenio, doctrina eximia, incredibili perspicacia, & coniectura, ad quē tanquam ad mercaturam bonarum artium, sibi qui bene consulunt, proficiscantur. Nihil est quod discere quisquam velit, quod ille docere non possit, aliquid abditum quęrentibus ille thesaurus est: de communi & peculiari pręsidiorum artis Medicę indicatione primum scripsit, reliquis omnibus iaciens fundamenta, vbi omnes indicationes ab origine, caussisq; primis sic repetit, discernit, expendit, vt ad veram curandi methodū, non sit quod quisquam optare velit, aut possit: tradidit etiam de fœminarum affectibus, opus plane perdoctum, perutile, & summe desideratum, in quo ingenium, atq; laborē eo vsq; produxit, vt si quoduis eorum non perpetuo intēderet, sed parumper remitteret, re, proculdubio, carere in vsu tam omni ex parte perfecta: de febrium essentia, differentijs, caussis, dignotione, & curatione sex edidit libros, quos non solum ad vnguē est persequutus, sed multa quę inuenta, & excogitata fuere nunquam, cum maximo laborantium commodo, in lu

cem

cem protulit: de pulsus arte, & harmonia quid attinet dicere? quid de febri epydemica,& maligna, quæ antea cum tot millium hominum interitu, effrænata grassabatur? Præterea hoc tertio suorum operum volumine iterum typo mandauit quatuor libros de fœminarum morbis, mille additionibus locupletatos. Et iam de curandis quibuslibet internis morbis, hunc librum in manus dedit, quem multis ab hinc annis, non vigilijs, non laboribus parcens, excolebat: vbi multa nunquam animaduersa conspicies, multa antea non satis enucleata: remediorum patebit selectorum campus,& totum sic ritè concinneq; dispositum, vt facile morborum essentiam inuenias, facile medelam pares. An animum his rebus fortassis solum appulit? quis legendis lectionibus accuratior, aut crebrior? quod prouentus discipulorum satis ostendit: quis vt ille visendis ægrotis, aut deseruit, aut sufficit? quis nostrum idem curæ, idem laboris insumet? in quo tam est assiduus, vt illo refici repararíq; videatur. Cuncti salutem habent in eo repositam, & ille, non sine suæ dispendio, laborat vt prosit cunctis. Ad illum præsentes, tanquam ad asylum, cõfugere, absentes accersere, reliqui autem in morbis inueteratis ad illius conspectum, quasi ad salutẽ, sanitatemque, prorepere. Iam quanta sermonibus eius fides? quãta modestia? quam minima mentis elatio? ad hæc, quam parcus in victu? quam modicus in cultu? vt imaginem quandam priscæ frugalitatis præ oculis habeamus. Sed quid singula consector, ac colligo, quasi aut oratione complecti, aut memoria consequi possim? cum satius fuerit integra illibataque legentium animis reseruari, quam carptim breuiterque perstringi, quia fere sequitur, vt illa de quibus taceas, intra se quis formet, animoque disponens, tanta quanta sint mente percipiat? Sed hanc ideo ausus sum subire prouinciam, quod ad moderationem, & modestiam auctoris submittenda erat Oratio, & magis perpendendũ, quid aures eius pati possent, quam quid virtutibus deberetur: & quãdo is est animus, nec libet vltra progredi, vno illo ero contentus, quod satis nouerim, illum magis me in sui laudibus parcum, quam vel moderatum velle. Si arbor ex fructu cognoscitur (vt generis humani Seruator exemplo nos docuit) quæ tua sit probitas, alijs quæ inseras animi dotes, contemplari cuilibet erit facile, referre nemini. Sex vtriusq; sexus liberos suscepisti ex pari adeo virtute coniuge, vt dubitare quis cogatur, à quo virtus in alterum deriuetur: sed consultius fuerit tibi adscribere, qui ita imbueris, institueris: nam vxori sufficit obsequij gloria. Ex filijs natu maior Iesu societate lætatur, huic secundus Carmeli domo cœli idea, in qua nudis pedibus inceditur. Totidem filiæ, à teneris annis solitudinem sunt amplexæ. Sed quid mirum? non est enim arduum, neque difficile ex vna religionis domo, qualis est tua, in aliam transmigrare. In reliquis autem idem tenor vitæ, cunctis idem propositum, eadem religio, pietas eadẽ: te imitari student, te subsequi: omnes habent mores eosdem, quia tuos habent. Sis ergo felix, vitaque fruaris quam longæua, vt nouos (si qui restãt) Medicinæ partus edas, tot crees illius alumnos, ægroti in te habeant lethalibus morbis tutelam, sani tantum virtutis exemplum. Ad hæc autem sępius euoluenda volumnia, Lectorem hortari superuacaneum duxi, & quæ antea diuulgata sunt, & quę nunc recenter excusa, satis erunt per se, vel vtilitate, vel necessitate commendata mortalibus.

SVMMA CAPITVM LIBRORVM DE CVRATIONE MORBORVM INTERNORVM.



Libri Primi.

Libri Secundi.

Libri Tertij.

Libri Quarti.

C A-



CAPITA COMPREHENSA DVOBVS LIBRIS DE MORBO GALLICO.

Libri Primi.

Libri Secundi.

SVMMA EORVM QVAE CONTINENTVR LIBRIS SEPTEM DE FEBRIBVS.


7 De

Finis Indicum, qui locos Capitum, & Tractationum huius voluminis monstrant.

N O T A.

Vbicunque præscribitur in hoc Volumine Aqua Naphthæ, accipienda est Aqua florum Arantiorum, quam vulgus Naffe appellat. Sic & vnguentum de Naphtha ex iisdem floribus est concinnatum.





DE INTERNORVM MORBORVM CVRATIONE.

LIBER PRIMVS.



CAPVT PRIMVM.

De capitis dolore, & eius differentijs.



Nihil profectò in humanis affectionibus frequentius medicis accidere ſcimus, quàm capitis dolores, & affectiones, tanta varietate, & immanitate inſiguitas, vt vix comprehendi, nedum curari poſſint. Eſt tamen caput ex ſitus, & peculiaris naturæ conditione ijs doloribus, non ſolùm obnoxium, ſed & ſummopere tentatum: qua ratione fit, vt præ frequentia pauci ad medicum confugiant; eo maximè, quod experiantur, medicos nullam aut leuiſſimam in eo malo adinueniſſe medicinam, quæ euidenter proficua ſit. Quod profectò ob id accidiſſe arbitror, quia cauſas & differentias, varietatemque patientium particularium non exactè expenderint, vt Auicenna & ipſo antiquiores ſcrutati fuerunt. Quare diligenter ſtudebo, partes quæ in capite afficiuntur, apertiùs diſtinguere, dolorisq; differentias mõſtrare, & cuiuſque peculiares cauſas, vt facilè cuiq; debitam curandi rationem ſcribere poſſis.

Conſtat itaque, capitis dolorem nil aliud eſſe, quàm deprauationem tactus in partibus capitis propter vnitatis ſolutionem: quem quoque conſtat multis nominibus ab authoribus inſigniri: Auicenna enim ſodam: Raſius cephaleam vocat, Alexander cephalalgiam. Cæterùm in Galeni, & Pauli, ac Aetij doctrina, cephaleam eum capitis dolorem eſſe ſcriptum reperimus, qui diuturnus, & ægrè curabilis exiſtit; cephalalgiam verò, eum qui nuper incepit, & facilè ſoluitur, & aliquando omnem capitis dolorem. Ex differentia quoque partium capitis, non minores priſci authores adinuenerunt doloris differentias: nam cum altera tantùm eius pars afficitur, hemicranea nuncupatur; quæ ſi inueterata fuerit, ad cephaleam; ſi verò recens ad cephalalgiam referenda eſt. Appellant etiã monopagiam vnius partis capitis dolorem, quem alij clauum appellarunt. Item alius dolor dicitur caribaria, quæ eſt capitis grauitas cum ſomno, vt ebrijs frequenter contingit. Quibus doloribus galea accedit, quæ eſt vniuerſi capitis compreſſiuus dolor: adeſt & crotaphos dolor, qui aliquod temporum vehementer cruciat, vt placet Aureliano 1. chroni. paſſio. Neque credendum eſt, has omnes doloris differentias ſorte, & inutiliter artem noſtram inueniſſe, ſi quidem iuxta cuiuſque naturam, & conditionem, prudentia artificis auxilia medica variare tenetur.

CAPVT II.

De partibus quæ in capite dolere poſſunt.

Cvm inter theoremata, & methodos curationis primum ſortiatur locum partis affectæ notitia, (cum debitam cuiuſque auxilij materiam, & locum per quem adhiberi poſſit, præſcribat: quid enim profuerit humectandum, refrigerandumve eſſe, noſſe, ni exactè quis ſciat, qua peculiari ratione id teneatur ſeligere; cum quæuis pars pro ſui conditione & natura, id ſibi iure optimo adſcribat.) Ob id ſanè primum, quarum partium ratione caput dolere poſſit, expendendum eſt, diſtinguendũque ſignis euidentibus. Licet enim caput omne, omneſque eius partes lædi poſſint; dolere tamen non omnibus, ſed quibuſdam contingit: ſic enim carnoſa cutis, quæ capillis veſtita eſt, dolorem quendam perſentiſcit, grauiorem tamen, quæ ſubiacet membrana, cranium ambiens, ob id pericraneum appellata: ab his etiam duplex membrana, cerebrum ambiens non leuibus doloribus cruciatur. Item certo quodam modo cerebrum ipſum dolorem etiam deguſtat, licet ex Raſſio, & Gale. lib. 1. de cauſ. ſympth. conſtet, cerebrum animalibus tributum eſſe, non vt ſenſus ſit inſtrumentum, ſed vt ſenſuum inſtrumentis vim ſentiendi impertiatur: cum hoc tamen, ſenſu non omnino carere mõſtrant vulnera capitis, in quibus cerebrum diſcoo-

pertum frigiditatem ambientis persentit, & ab eadem molestatur, licet doloris conditio leuissima sit. Vltimò tamen nerueа quæuis substantia ab eo exorta dolorem infert, eo quidem maiorem, aut minorem, quo purior, aut alijs permixta fuerit, siue vasa sanguinis, aut spiritus sint, (quæ certo quodammodo dolorem inferunt) siue membrana. Atqui licet hæ partes sint, quarum ratione caput dolet, cum hoc tamen statuendum est, non semper vno, & eodem modo ipsum dolere, sed aliquando causa doloris in ipso capite existente (quam doloris sortem medici appellant per essentiam, aut per primogeneam capitis affectionem) aliquando verò causa aliundè vigente caput consentire, & dolere: quem dolorem per consensum appellarunt Antiqui, vt latius paulò inferiùs sum monstraturus.

CAPVT III.

De causis quibus caput dolere potest.

Licet partes, quas in capite dolere posse, varias esse statuerimus, cum hoc tamen ab eisdem, & nonnullis causis affici est euidentissimum. Quippe fit dolor, vel ab intemperie intensa, vel à continui solutione, siue pars carnea sit, siue membranacea, aut neruea. Proficiscitur quidem ab intemperie, vel simplici, vel composita, sine materia, aut cum ipsa: illa quidem vel in toto cerebro, vel in arterijs, membranis, neruosisque corporibus. Absoluta vnitas fit ab acri humore erodente, putri, bilioso, salso, & ab his, quæ similares partes, vtcunque erodunt, incidunt, distendunt, vehementerque calefaciunt, aut refrigerant, vel humectant cum repletione, aut siccant cum corrugatione. Tandem continuum soluitur à vulnere, casu, contusione, punctura, maligna qualitate, vt in lue venerea, carie, distensione. Distensio verò ferè fit à copia humorum, vel flatuum: humorum quidem, vel omnium, aut plurium, vel cuiusuis. Fit etiam obstructione, cum videlicet angustias meatuum capitis intercipit humor crassus, & viscidus, aut spiritus vehementer vaporosus in vasis, in suturis ossium, aut inter membranas capitis turgens existit. Occasiones autem dolendi non leues existunt, neque paucæ, nam adest & æstus, perfrictio capitis, & lotio, quæ plerunque fœminis hoc malum accersunt, refrigeratio, ebrietas, casus, ictus, victus, immodica venus, vapor aliquis ab intermissa ascensus, vel ab alia re in caput, fumus, aut grauis odor, & vltimo adstricta iuxta iugulum vestis, quæ sanguinem ad caput regurgitare cogat. Sunt & aliæ causæ, quæ non doloris, sed differentiarum eius effectrices existunt, vt grauatiui, plenitudo, maximè humorum crassorum; pungentis, humoris acrimonia, membranam dilacerans; pulsatilis, spiritus turgens; tensiui, flatuosa substantia, aut plenitudo, quæ partem cauam replet: antiqui doloris, causa frigida, aut impotentia partis; continui, perstantia causæ; periodici, consensus ab alia parte demandatus, aut noua causæ congestio; vnius, vel plurium partium capitis, extensio materiæ ad plures, vel congregatio eiusdem in vna; vehementis, aut debilis, natura partis affectæ, si neruea sit; vel causa impensè calida, aut frigida, quæ omnino partem corrumpere sit nata, vt contingit in cephalea Gallica. Quas sanè causas diligenter considerare oportet, nam longè plures in se complectuntur, quæ huic affectioni proficuæ futuræ existunt.

CAPVT IIII.

De signis partis affectæ, & causæ lædentis.

Non sat est, causas doloris, & dolentes partes nameraße, ni quis diligenti animo eas nitatur dignoscere, ac distinguere: quapropter cordatus medicus tenetur, si rectè curaturus est, omnium cognitionem exequi. Dignoscere quidem potest, & causas, & affectus sedes ex quatuor potissimum: nimirum ex relatione eorum quæ præcesserunt, ex cognitione laborantium particularum, ac ex accidentibus, quæ cuique propria sunt: ex loco dolente, & ex doloris qualitate. Exteriùs itaq; occasiones venaberis, facta diligenti interrogatione, an laborans insolatum, ebrietatem, perfrictionem, ictú, vel quamuis aliam passus fuerit: verum si nihil horú præcesserit, coniectandum erit, vel intemperiem esse naturalem, aut morbo contractam, nudamq;, vel cum materia. Circa quám considerabis iterum quántitatem humorum, vel vaporum, ac rursus qualitatem, & peculiarem conditionem: præterea malá formationem, aut obstructionem. Sic enim dolores à sanguine ortos móstrat, venarum turgor, rubor faciei, & oculorum, & vita præhabita, gignendo sanguini apta, vt latius inferiùs leges: verum ex hac causa dolor, plerunq; in fronte viget: & cum pulsu, si arterijs sanguis communicetur: à pituita, in occipite cum grauitate, & frigoris sensu, remissus, & perseuerans cum sensuum hebetudine, mentis pigritia, ac lógiori somno, & faciei albo colore: à bile, in dextro latere, dolor est erodens, ac perforans plerunq;, & mébranas feriens, monstrans ortum à tenui bilioso que sanguine, vel ab spiritu redundante, qui turgentes, ac distentas reddit arterias, factus vehementissimus, ac pulsans: cuius ferè generis est dolor omnis, qui statis horis, quotidie siue in febre, siue secus, recurrit: est etiá acutus, mordicatiuus, prurigmosus, & vlcerosus, sine grauitate: adest & punctio narium, vigilia intensa cú insomniorú rixa: color faciei citrinus cú siti intensa. A melancholia verò dolores plerunq; in sinistro latere elucent, nisi dú corpus vniuersum melancholia scatet; dolor est remissus, sed pertinax, cú liuido faciei colore. Flatus etiá partium tensioné efficit, quá quoq; mollitur humorú mixtorú copia, qui inter caluariá, & pericraneú, aut inter caluariá, crassamq; meningé sese insinuant: hoc quidé fit, vel ab omnibus humoribus, vel à quibusdá, vel ab eorú quouis: quorú omniú, & etiá intéperaturarú simpliciú inferius specialiora, & peculiaria signa reperies. Prætereа dignosces extimá cutem dolere, vel tactu solo, ad cuius cópressioné dolor exacerbatur, aut ex pilorú cómotione, vel excisione; idq; maximè, si circa temporú musculos, dolores, & pulsationes compareant, & arteriæ, aut venæ retro aures intumuerint, aut rubræ sint: in quibus ét tota capitis cutis adeo riget, vt vel leuiter tangi minimè admittat. Quod etiá disces ex causarú notitia, prodit enim externus is dolor ab externis causis, vt ab insolatu, exercitio, igne, sordibusve, aut calidioribus tegumentis: dimitto ictum, & percussionem. Si tamen cú prædicto dolore palpebrarum quoq; dolor adiungatur, credibile est, pericraneum etiam affici: palpebræ enim intus prædicta tunica vestiuntur, sicut & oculi adnata appellata tunica, ab eodem pericraneo suscepta: quos etiam dolere, ipso dolente, consentaneum est: præterquam quòd si ita accidat, púctorius necessario succrescet dolor: nam talis est membranarú conditio. Cæterùm si cú hoc, quod exterius caput dolere constet, pulsus quoque in ipso cópareat, certú est, arterias vt plurimú affici, sicut venas, cú dolor apparet grauatiuus, & ipsæ tument,

ac

æ rubore, & tensione turgent, aut saltem (si nolis concedere, ipsas sensu esse præditas) intra se doloris causam continere. Verùm si ex his signis nullũ præ fuerit, sed caput dolore crucietur, isque ad oculorũ radices peruenerit, existimandum est, internas mẽbranas cerebrum vestientes affici: quippe hæ, oculorum neruos appellatos opticos ambiunt, & ob id dolitare quoque earum radices necessum est; maximè si punctorius, & profundus adfuerit dolor. At si pulsatorius, aut grauis sit, prædictarum membranarum venas, aut arterias affici magis existimabis. Sed quia neruea aliqua substantia, ex his quæ à cerebro oriuntur, non raro doloribus cruciari assolet, exquirendum etiam est qua via id dignoscas: quod profecto disces, quia aliqua ex his partibus, quæ sensum, aut motum ab eo neruo excipiunt, simul dolore coafficitur. Sic profectò quibusdam aures dolent, alijs lingua, plerisq; vsque ad humeros, & thoracem dolor extenditur, consortio neruosę substantiæ, quæ à cerebro dolente oritur. Cerebrum enim ipsum dum dolet, grauitatis sensum præ se fert: sed id promptè disces ex somno, si frigida fuerit causa, aut ex immodica vigilia, si calida. Sed hæc omnia clarius disces si expenderis partium naturam, quod secundo loco proposuimus, & situm, ac doloris modum. Sic etenim neruosorum corporum magis aderit punctorius dolor, arteriarum pulsatorius, stupidior in venis, & cerebri substantia, in periostio superficialis, altus in meningibus, intra caluariam ad radices oculorum extensus, in plenitudine autem grauis: in acri humore, & vapore rodens: sed vapor distendit magis, humor verò magis mordicat. Vbi distensio adest, citra rosionem, spiritus flatuosi, vel humoris non rodentis copiam indicat. Distensio cum pulsu membranarum inflammationem sequitur: cum grauitate copiam membranis conceptã, & inhærentem; sine grauitate, & pulsatione, copiã crudi flatus. Qualiter verò nosse oporteat dolores per consensum, mox leges.

CAPVT V.

De capitis dolore per consensum.

PRædictis sanè partibus vni, vel pluribus, aut omnibus dolores succrescere possunt, vno è duobus modis: per primogeneam nimirum affectionem, causa in ipso cerebro existente, vel per cõsensum à membro alio affecto. Quod sanè fit transmisso in cerebrum humore, vel vapore, aut ex cognatione partium, quam cum multis caput obtinere certum est, aut propter similitudinem (similia enim facillimè inter se compatiuntur) aut vltimò propter continuitatem, velut cum nerui aliqua pars dolet, mirum non est, si cerebrum à quo oritur, quoque doleat: quam sanè doloris rationem condolentiam medici appellant.

Conducit proculdubio non parum ad curationem hæc consideratio, nam dolores qui per primogeneam capitis affectionem oriuntur, plerunque vt morbi considerantur: quo fit, vt rarò eorum mitigationi innitendum sit, nisi plurimum vrgeant, quod ad se curationem omnino vertant, nam semper primogenei affectus ablationem studẽdum est moliri: at affectus qui per consensum fiunt, solã præ requirunt in capite mitigandi prouidentiam; curationem verò, si ea non profuerit, non capiti, sed mãdanti membro administrare oportet.

Signa doloris per cõsensum

Pati verò caput per consensum, eo facilè disces, quòd nulla doloris euidẽs causa in capite appareat, vt æstus, frigus, fumus, odor, aut ictus, quæ solent caput primariò afficere. Item quia is qui per consen- A sum fit, plerunque intermittit, aut cedit, aut crescit, altero à quo prodit crescente, vel subsidente; licet aliquando post febrium accessiones, etiam per aliquod tempus præsit dolor, quantumuis per consensum sit. Præterea constabit per consensum esse, quod semper illi adiungatur alicuius alterius membri læsio, à quo consensus in caput proficiscatur, velut ex ventriculo, aut vtero affectis (quod frequentius accidit) oriri conspicimus, licet ex iecore, & alijs partibus etiam malum suboriatur. Quòd si prædictorum signorum aliquod non adsit, & in cæteris homo sanus appareat, credibile est, caput primario affectu laborare, idque maximè, si affectio vetustior facta sit, & capitis ipsius actiones oblædantur, B sentiamusque in ipso peculiare aliquod in temperamentum, aut in sensibus incommodum, vt latiùs suo loco dicturi sumus.

Patitur igitur caput per consensum à toto corpore, velut in febribus, & plenitudinibus, aut totius corporis vitijs conspicimus: idque vno è duobus modis, aut vtroque simul: minante nimirum natura crisim, vt accidit in fluxionibus sanguinis narium, & in vomitibus, vel ex venoso genere succo efferuescente, & capite susceptante calidos acresque vapores, vel humores eiusdem conditionis. Quare prouidendum est protinus huic malo, ne in maius commigret: sed prius expendisse oportet, dolores qui ex crisi prodeunt, nullam C admittere, nec exposcere curationem, nisi fortè ex commotione ventriculi ad vomitum proficiscantur.

Præsidiũ.

Eo enim tempore oxyrhodino capiti adhibito, præcauendum est, quo minus caput aliquid susceptet; quod, instante fluxu sanguinis per nares, adhibendum non est, neque alio diuersionis genere vtẽdum. Verùm si vomitus, aut quæuis alia corporis motio crisis ratione non fiat, toti corpori prouidendum est, vel curato eius affectu, iuxta propriam naturam, vel plenitudine deposita, aut cacochymia expurgata.

Si consensu ventriculi caput doleat.

Inter partes, quæ pluribus rationibus capiti annexa, & consentiens est, ventriculus proculdubio D existit: primò quia facilè ab eo elatos vapores ipsũ susceptare scimus, quibus mille modis pati certum est. Item propter nimiam continuitatem, quam habent hæc duo membra, ob neruos sextæ coniugationis, quorum ratione sola condolentia, & continuitate, citra materiæ accessum mouentur.

Signa.

Dignosces vẽtriculum dolori consentire, ex nausea, vomitu, cibi fastidio, dolore, anxietate, oris eius tremore, maximè si cibus præcesserit multus, isque crudus adhuc sit, vel praua qualitate affectus. Id etiam disces ex oris amarore, aut sapore deterrimo, qui cessant, sicut & dolor, ab assumpto cibo per aliquod tempus, maximè si per vomitum, eius quod ventriculum infestat, aliquid excernatur.

Causæ.

Cęterùm E flauam bilem esse disces, eamque reiectam à iecore in ventriculum, ex siti, oris amarore, anxietate, inflatione, calore, & appetentia deiecta: sicut pituitam ex nausea, ex somno cum dolore, & ad actiones pigritia, ventris fluctuatione, deterrima coctione, & acido, insipido, aut mucilaginoso oris sapore.

Modus subueniẽdi huic affectioni.

Huic affectioni protinus medeberis, ne in aliam grauiorem commigret, vno è duobus modis: primò per ea quæ dolorem lenire habent, si dolor vrgentior fuerit; sin aliter, minimè, sed per eam, quæ causam demunt, & consensum delidunt, cui vsui materiam à ventriculo protinus educere oportet; quæ si cum nauseatiua satietate coniuncta fuerit, ventriculumque adhuc infestauerit, nullo alio auxilio citiùs educitur, quàm vomitibus ex decocto seminis raphani, & fęniculi, cum modico

oxymelite. At si laborans difficulter vomuerit, nō erit abs re, modicum olei adijcere: quam curationem seruabis in his omnibus, quibus in cauitate ventriculi, pituita vel flaua bilis abundauerit: Hoc vno seruato, quod in satietate nauseatiua satest vomere, aut ventrem oleo absynthite, nardino, aut de napbta inungere: vel si cibus iam descenderit ad ventrem clystere ipsum educere, cui adijcere oportet *succi sicla* ℥. 4. *& hiera picra* ℥. 1. Verum in humoribus, qui ventrem infestant, & aliundè in ipsum profluunt, non licet prius vomitibus vti, quàm vel totum corpus, vel ipsum ventrem expurgante pharmaco euacues. Quo facto, ventriculi quoque regionem inunges, & bilem (si hanc redundare compertum sit) expurgabis *expressione* ʒ. 4. *rhabarbari in aqua cichorij, cum* ℥. 3. *syrupi solutiui ex rosis nostris.* Quod etiam facies ℥. 3. *mannæ, vel* ℥. 1. *cassia fistula cum modico rhabarbaro, vel infuso,* ʒ. 4. *rhabarbari, in sero lactis*: posteà verò si quid flauæ bilis adhuc fluctuauerit, vomitibus educes. Verùm si flauam bilem crassiorem compertum sit, infarctam esse tunicis ventriculi, vomitibus ne moueto, sed rem paulatim purgationibus agere oportet pilulis de hiera, simplici Galeni, de aloe, de rhabarbaro. Sed quod magis ex vsu futurum arbitror, est, singulis diebus, aut tertio quoque masticandam *rhabarbari electi* ʒ. ß. præberes quem vsum etiam præstat dilutum absynthij autem. Si tamen pituita abundauerit, ante vomitum purgabis ʒ. 1. *agarici, vel* ʒ. 3. *diapheniconis, aut* 4. *electarij indi maioris, aut minoris*: quem etiam vsum præstant pilulæ mastichinæ, de agarico, de sagapeno, & de terebinthina, cum modico puluere diarhodonis. Quod si pituita infarcta fuerit adhærensque ventriculi tunicis, vtendum est ante purgationem melle rosaceo, aut oxymelite, quæ ipsam incidant, & à ventriculo separent: post verò pilulis mastichinis, aut de terebinthina, & rhabarbaro frequenter vtendum est, vel alijs quæ conficiuntur *ex pari portione agarici, mastichis, aloes & rhabarbari*, quas esse magni momenti arbitror, si quis *pondere* ʒ. 1. septimo quoque die sumat. Verùm siue flaua & crassa bilis, siue pituita exusta (quæ diuturnum efficiant affectum) infarcta fuerit, vtor non mediocri euentu per aliqua interualla, bis nimirum, aut ter in mense pilulis, quæ hac lege fiant: ℞. *Sena* ʒ. 6. *passularum mundatarum* ʒ. 3. *liquiritia rasa* ʒ. 2. *& ß. foliorum fumi terra, borraginis, betonica & cichorij, & absynthij anà* ʒ. 1. *fiat decoctum in aqua borraginis, aut fumaria, vel absynthij, & facta colatura, adde vini albi modicum* (cuius ℥. 3. cum pari portione syrupi solutiui rosarum Persicarum non inutilem efficies purgationem.) *Huius autem decocti sumito* ℥. 8. *& in eis macerato, cum modico vino rhabarbari* ʒ. 1. *& ß. squinanti* ʒ. 1. *& facta colatura adde pulueris hiera Galen.* ℥. 1. *sæpè agitando, donec pulueres totum eum humorem absorpserint, & addito syrupo rosarum solutiuo, redigito in formam massæ pilularum*, quas multis capitis affectionibus ex his quæ consensu inferiorum viscerum succrescunt, ex vsu fuisse comperimus. In omnibus tamē causis clysteribus solicitanda est aluus, mitioribus in flaua bile, & acrioribus in pituita.

Ad hoc causarum doloris genus facilè reduces eum qui ab ebrietate prodit: quippè tunc ventriculo crapula, & vino grauato caput consentit. Quo fit, vt cum ex vita & victu ante habitis, constet ex ebrietate caput dolere, coniectandum sit, an præsit adhuc vinum in ipso ventriculo, aut secus, sed solùm crassi, & caliginosi halitus persistent adhuc in ipso capite: si primum, vomitu ventrem inanire oportet, idque ex tepida cum modico acetō.

A Quo facto, ebrietateque sedata, si adhuc dolor persistet, (nam tunc magis elucet) curandum est omni arte caput refrigerare his quæ modicè repellant, vt oleo rosarum cum aceto, aut omphacino, cum nenupharino, & aceto rosaceo. Quod si adhuc perstiterit dolor, caput ablues decocto brassicæ tepido, vel prædictis oleis addes modicum chamæmelini, ac vltimo superpones capiti brassicæ folia, quæ & ibidem posita, & decocta cum lenticula, & aceto, comestaque, mirum in modum medetur doloribus ex ebrietate concitatis. In reliquis verò somnum, & quietem, ac victus parsimoniam, & aquæ potum instituere oportebit.

B Quod si iecur malo causam præstiterit (quod dignosces ex eius caliditate, præsertim manuum, ac pedum ex dextri hypochondrij grauitate & squalore, ex rubra vrina, & ex oris amarore & siti) per se vel flauam bilem in ventriculum regerendo, maximè cum venter dolet per interualla, & in dextro hypochondrio murmur & dolor adsunt; tunc quidem initium curationis à sanguinis detractione auspicaberis, si plenitudo subsit à vena lateris dextri; sin aliter, ex iecorana. Quòd si hæc sufficere non videantur, sed adhuc caput doleret, necessum est conijcere aliquid sanguinis caput iam ascendisse, quem ex communi vel cephalica vena minuere, & deriuare necessum est. Quo facto curabis sangui-

Si iecoris consensu fiat.

C nem à feruore vindicare sero lactis, & frigidis apozematis, & inunctionibus: & tandem flaua bile expurgata modo nuper dicto, partem topicis disponere oportet. Iecur enim temperabis rosaceo, succo lactucæ, cucurbitæ, vel plantaginis sæpius loto, vel vnguento santalorum cum pulueribus rosarū, vel coralli, superposito filtro serico madido aqua rosarum, vel modico sero. Quòd si adhuc perstiterit malum, caput aqua tepida temperabis, vel decocto violarum, & rosarum.

Verùm si ab splene malum oriatur (quod cognosces ex sinistri lateris dolore, tumore, tensione, flatu: item quia in capite persentiuntur flatus, & dolor, cum tensione, mœrore & alijs etiam melancholi-

Si splenis consensu fiat.

D cis accidentibus) quod frequentiùs quam à iecore accidere scimus; certum est, vel humorum transmissione fieri, vel flatu, & vapore ab eo membro in caput irruentibus; rarò enim in ijs membris condolentia contingit, sed vitium ab vno in aliud membrum commigrat per venas, & arterias: in iecore quidem per venam cauam, in splene verò per arteriam magnam, quarum propagines, & trunci per iugulum bipartiuntur intus & extra, numerosa sobole à postica parte in anticam, facta ramorum diuisione, & productione. Quo fit vt maiori ex parte ij dolores sinistram, aut anticam capitis partem, potius affligant, quàm posticam (quod in vtero contrario modo accidit) nam præ-

E ter adductam à me superiùs rationem in parte antica capitis, panniculi suturis inseruntur, & vasa, arteriæ præsertim: ac materia omnis eo peruenit faciliùs suturarum ratione, quæ rariores ea parte sunt, craneum tenuissimum, & fistulosum, ac tenuium vasorum maior copia. Quo fit vt, cùm alio migrare humor, seu vapor non possit, quia illuc desinunt vasa, ea parte dolor frequentiùs concitetur, quàm in parte postica. Neque ob id existimandum est, si iecur affectum sit, dextram partem, & si splen, sinistram potissimum dolere: quippe prædicta ratione id fieri non potest, fit tamen ob consortium venarum eiusdem lateris, etiam si à diuersis tunicis originem ducant. Itaque si ab splene malum oriatur, purgandum copiosius est; sanguis tamen parciùs mittendus. Sat enim

ille

est ex saluatella sinistræ manus, vel ex basilica eiusdem lateris sanguinem fundere, ac si laborans hæmorrhoidas obtinuerit, ab ipsis per hirudines sāguinem demes. Purgabis enim sic affectos, vt cap. De melancholia abundè scriptum reperies: interim tamen scito ipsis prodesse cōfectionem Hamech simplicem, dissolutam sero lactis: vel purgabis *syrupo ex infusionibus rosarum pondere* ℥. 3. *cum infusione* ℥. 4. *foliorum senæ*. Porriges etiam *prunorum damascenorum numero quinque, si priùs saccharo, & infusione* ℥. 5. *senæ confeceris*. Verùm si affectionem noueris inveteratam esse, & alijs remedijs non cedere, modo morbi Gallici suspicio sit, modo secus, tutò vti licebit 2. *aut* 3. *gr. stibij, optimè præparati*, dummodo laborans febriens, aut imbecillus nō existat. B Quod si benè successisse comperies, iterato eodem præsidio vteris, adaucta, vel minuta quantitate, prout laborantem citra noxam tolerare visum sit. Spleni insuper prouidebis ijs, quæ capite De splene indurato scripta reperies.

Si vteri consensu fiat. Nullum profectò membrum sua vitia prōptiùs in caput regerit, quàm vterus; nam & per condolentiam ob continuitatem neruosæ substantiæ, & spinalis medullæ, ac per vaporum transmissionem, & per venas etiam & arterias, quibus maximè vterus capiti communicat, consensum fieri certum est. Disces tamen, dolorem ab ea parte proficisci, quòd maximè posterior capitis pars dolore prematur, ob peculiarem ipsius partis & vteri societatem, per ve- C nas & arterias, sed maximè ob spinalem medullam vtrisq; partibus communem. Sed causam potiùs referendam arbitramur in vapores illuc ab vtero ascendentes per vias corporis communes, & ob humores per venas in caput irruentes: quod potissimū accidit ijs, quibus menses, vel puerperiū defecerūt, sed maximè ex eorum & seminis corruptione. Cū hoc tamen scimus in plerisque fœminarum, & maximè in virginibus caput iuxta tempora cum pulsu dolere: quod proculdubio prodit ex meseræi, aut vteri obstructionibus. Quorum omnium prouidētiam latissimè scripsimus lib. nostro. de fœminarum affect. cap. de varietate doloris capitis ab vtero.

Mitigādi omnē dolorem ratio. Superest tamen nūc docere, si dolor vrgeat plus D quàm causa ipsa, siue per consensum, siue essentialiter operetur, eandem ferè mitigandi rationem cōmunem esse omnibus, etiam si dum per essentiam caput laborat, satius sit anodyna etiam adhibere, quæ aduersus causam pugnare possint. Verum habito solùm doloris respectu, mitigandi ratio triplex insurgit: vna per pharmaca, quæ verè anodyna dicuntur: alia per ea, quæ quodammodo aduersus causæ inclementiam pugnant: tertia verò & vltima per narcotica appellata auxilia. Primum enim anodynorum genus partem lenire, mollem, & æquabilem reddere habet, ac dulci sensu quem mouet, omnem molestiam compescit, & partes humiditate propria ne dissipentur, efficit. Huius generis sunt E oleum dulce, sed mediocris ætatis, chamæmelinū, de semine lini, amygdalarum dulcium, lumbricorum, sambucinum, butyrum, vitella ouorū, lac muliebre, axungia gallinæ, anseris, & cuniculi: decoctum, aut altheæ, maluarum, lilij, & seminis lini, cū rosaceo, aut violaceo, & lacte; Prodest & in forma solida, id q. ℞. *succi maluarum* ℥. 1. *ptisanæ hordeaceæ colatæ* ℥. 1. *& ß. olei rosacei* ℥. 2. *ceræ* ℨ. 2. *fiat vnguentum*. Quæ sanè omnia omnibus doloribus, & à quacunque causa ortis; & in quibusque corporibus, etiam plenis, proficua esse scimus: quorum maiorem rationem reperies lib. 2. nostro. de præsidi. indic. c. de anodynis. Secundi autem generis anodyna sunt, quæ præter id quod partem leniant, & mulcebrem reddant, aduersus causam nonnihil pu-

A gnare habent: cuius naturæ sunt calida omnia, in doloribus qui à frigida causa ortum ducunt, & frigida in ijs qui à calida, quorum loco nuper citato, & sequentibus capitibus vberem copiā scripsimus. Tertij generis anodyna, vt quæ stupefacientia sint, & sensu orbantia, administrare non oportet, nisi dum ex doloribus, aut vigiliæ vehementia, aliquod grauius malum pertimescimus. Quo tempore hæc duo consideranda sunt: primum, à leuioribus esse incipiendum, ijs scilicet quæ amica frigiditate somnum conciliant, veluti est lac omne, maximè aqua rosacea admixtum, vel vnguentum rosaceum naribus & temporibus adhibitum. Prodest aqua tepida, vel decocto lactucæ caput abluere, maximè si B addidens papaueris capita, aut violarum flores, vel maluarum folia, nymphææ, solani, aut mandragoræ, cum oleo nenupharino, vel papaueris, cum modico chamæmelino: prodest & inūctio nuper dictis partibus facta ex oleo papaueris, aut rosaceo, maximè vnguento populeone admixto: cui si necessitas vrget, addes *opij lacte mulieris liquati gr.* 3. quo frontem illinies, dummodo paulò post, saltem somno incepto, auferas: iuuat, & prædictum vnguentū olfacere, dummodo ab hoc præsidio caueas pueros, & frigidiores fœminas. Secundum præceptum est, quòd mox à narcoticorum adhibitione, pars vino, vel aqua calida abluatur, donec calorem vi narcoticorum extinctum, reduxisse cōperias. Intrinsecus C verò *Philonij* ℨ. ß. porrigere poteris: conciliat enim somnum, quod in vigilijs intensissimis, & grauioribus symptomatis maximi momenti esse solet.

CAPVT VI.

De dolore capitis per essentiam.

DOlet pari quoque ratione caput per essentiā, seu per primogeneam affectionem, multis modis: quippè vel à causis, quæ extrinsecus ipsi occursant molestatur, vel ab his, quæ intus latent, impensè afficitur: illæ sanè sunt velut insolatus, ignis, ebrietas, (quæ licet externa non sit, inter manife- D stas recenseri meretur) plaga, ictus, casus, & reliqua, quæ ipsum lædere nata sunt; quarum curationem paulò inferiùs referam, si priùs dixero, quales sint internæ causæ, & quam vnaquæque expostulet curandi rationem.

Læditur, doleréque cogit caput intemperamentum quoduis, siue frigidum, siue calidum, humidū, aut siccum, siue ex his compositum existat. Constat etiam, caput dolere ex affluxu alicuius humoris ad caput ipsum: quem sanè mouet, vel vniuersum corpus eo abundans, illucque tanquam ad imbecillum membrum transmittens, vel in ipso capite genito, vel excremento aliquo præter naturam aggregato, vel facto ex conspurcato alimento ab E ipso capite malè affecto. Læditur non minus per essentiam à flatuosa aliqua substantia, non quæ aliundè transmissa caput imbecille reddat, sed quæ ob impotentiam eiusdem, in eodem genita sit: quæ sanè acerbissimos, molestos, & diuturnos solet concitare dolores. Verùm cum constet apud Authores, quatuor esse intemperamenta, quibus caput dolere potest, quatuor etiam humorum affluxus, qui illis respondent, sanguinis nimirum, pituitæ, & vtriusque bilis; oportuit ob id cuiusque seorsum meminisse, ad duo tantùm capita omnia reducendo: quorum primum humorum, & intemperamentorum calidorum naturam, & curationem complectetur: alterum verò frigidorum.

Quibus sanè factis, & in biliosis doloribus, & in A his qui ex sanguine prodeunt, dum vacuationibus per venam scissam affectio non cedit, credibile est, plurimum sanguinis in bilem commigrasse, vel cum ipso redundare: tunc quidem (vtcunq; fiat) compescere, & præparare oportet, serapijs, apozematis, & frigidioribus poculis, quo facilius medicamento purganti postmodum cedant. Primò tamen clysteribus, quæ præter id quod aliquid expurgent, & ad inferiores partes euocent, ventrem quoque & viscera refrigerent, rem aggredieris. Huius naturæ est, quod conficitur *ex decocto hordei, maluarum, violarum, rosarum, & capitum papaueris, cui facta colatura, addes sacchari rubei, & olei rosarum, & violarum, anà vnc. 1. & med.* *benefacit etiam* B *pulpa cassiæ fistulæ vnc. semis* præstat quoque ex sero lactis, saccharo, & amygdalarum dulcium oleo parare aliud: sicut id quod efficitur ex lacte quatuor seminum frigidorum cum mucilagine psyllij, & aqua hordei: quod summopere arbitror profuturum in eo dolore, qui proficiscitur à sola bile. Serapia etiam porriges granatorum, agrestæ, acetosæ, portulacæ, cichorij, vel acetosum simpl. Item aquam hordei, borraginis, acetosæ, portulacæ, cichorij, violarum, & cucurbitæ, ex quibus & aqua pluuiali, aut fontana, niue refrigeratis, gustui gratum, & malo proficuum parabis potum: maximè si solis aquis admiscueris, syrupi rosarum, aut violarum modicum: quibus laborans C vtatur longè à pastu, & noctu post primum somnú. His factis, bile redundante, non semel purgandum est, sed facta purgatione vna moderata, deinceps paulatim, & per interualla, prout iecur ipsam produxerit, vel sanguis in eam commeauerit, expurgabis, & reuellere ad infernam aluum curabis. Quod facies primitus cassia cum rhabarbaro, syrupo solutiuo cum expressione rhabarbari: manna cum eodem rhabarbaro, aut aqua lactis, quod magis probo in biliosis. Præstant & *vnc. 3. syrupi violarum ex infusionibus cum expressione scrup. 4. rhabarbari*: quòd si adustum aliquid fuerit, porrigito laboranti. *onc. 1. confectionis Hamech, simplicis, aut catholici, ac superbibat onc. 4. aquæ lactis, aut* D *hordei, vel portulacæ.* Quo semel facto, quia vel iecur in dies flauam bilem gignit, vel ex sanguine feruido producitur, necessarium etiam erit, per vices, & interualla eius copiam minuere, exhibito prædictorum medicamentorum aliquo, ex iterum in minore quantitate, quantum sat sit, vt laborans bis, terve aluum exoneret. In quo sanè opere cauédum est ab his pilulis quæ bilem ex capite purgant, & maximè dum ex ascensa fit bile à iecore, aut alia parte: nam tolerabilius est, dum in capite gignitur, quia semper pariter fiunt crassi etiam succi; alioquin mirum non est, si laborans dolore non curato, in furorem, aut aliud malum procidat.

Topica. At si persenseris humorem satis esse purgatum, E vel mox à prima purgatione, vel facta sufficienti detractione sanguinis, ad topica, seu particularia auxilia te conferes, & capiti prouidebis auxilijs, quæ calorem compescant, & caput refrigerét: hoc vno animaduerso, quod eademmet proficua sunt capiti solùm per simplex intemperamentum laboranti, ac dum affluxu calidi humoris afficitur, dúmodo sufficiens vacuatio humoris fluentis præcesserit. Galenus enim consulit, vnamquamque causam prius esse abscindendam, deinde ad simplex intemperamentum deueniendum. Parum enim interest (quatenus ad topica auxilia attinet) intemperantia sola sit, an præcesserit humoris affluxus, nisi quod in nudo intemperamento, tantùm alterantia auxilia adhibenda sunt (nec nocebit aliquándo repellentia admiscere:) at in intemperamento, quod prodit ex affluxu, à repellentibus inchoandum est, ne quid amplius caput recipiat: itaque primò hæc auxilia adhibenda sunt, sed cum aliqua adstrictione, quantum videlicet sat sit, ad repellendum, quod mox a principio opus est, deinceps vim modicè digerendi, per ea tandem quæ moderatè calefaciant, aut forsan sat erit quòd attemperent: vltimò tamen quòd roborent. Sic enim primitus sanguine misso, & capite abraso, suturæ eius coronali, vt iubet Galen. 2. pharma. loca. actu frigida, & in biliosa causa & nuda distemperie, niue refrigerata adhibere oportet oxyrrhodina: cuius census est oleum rosaceum cum quarta aceti parte; B (non quòd dolorem leniat; nam potiùs irritat, sed quod penetrationem moliatur aliorum quæ sibi admixta sunt) cum modica aqua rosacea: nec minoris momenti est oleum citoniorum cum mucagine psyllij: præstat etiam oleum omphacinum, vel ex folijs oliuæ virentibus, & contusis paratum cum nenupharino, & prædictis aceto, & aqua hordei, maluarum, ac violarum: quibus primò caput irrigabis, & mox linteum eis madidum superpones. Prodest quoque ipsum caput madefacere decocto rosarum, violarum, florum salicis, & capitum papaueris, & foliorum lactucæ cum aceto. Conciliabis etiam somnum, si fronti adhibueris mucilaginem psyllij cum albumine oui, & modico puluere coriandri præparati. C Verùm si æstus adhuc creuerit, vel affectio bilis particeps extiterit, oleum violaceum, de nenuphare, & florum nymphææ, aut papaueris prædictis adde: item succum lactucæ, plantaginis, solatri cum mucilaginibus psyllij: item lac seminum frigidorum omnium. Quibus etiam addere oportet, aut per se adhibere succum plantaginis, centinodiæ, semperuiuæ, poligoni, granatorú acidorum, portulacæ, vmbilici veneris, rosarum, capreolorum vitis, omphacij, mespili, cucurbitæ, & cucumeris: quibus etiam adde vnguenti populeonis, quod visum fuerit, vt fiat linimentum, quibus tempora, & nasum inunges: emplastrum etiá ex folijs lactucæ, oleo rosaceo, & farina hordei mi- D rum in modum prodesse scimus, vbi reliqua non profuerunt, maximè addito oleo papaueris. Cerata quoque conficies, quale est illud Galen. ad fracturas, quod diu subigatur cum succo portulacæ. Proderit etiam linimentum quod *recipit mucaginis seminis psyllij, althææ, & citoniorum, extractæ aqua plantaginis vnc. 6. agitentur cum modico aceto*: & si his *modicum ceræ* addideris, aut *vnguenti refrigerantis Galen.* plurimum prodesse comperies. Prodest & vnguentum quod *recipit olei rosacei omphacini vnc. 3. coriandri, rubearum rosarum, myrtillorum, coralli anà drag. 1. ceræ albæ q. s. aceti parum; fiat vnguentum.* Aliud etiam parabis ex succis, quod *recipit, summitatum vitis, plantaginis,* E *& solatri anà vnc. 1. olei rosarum omphacini, vel nenupharini vnc. 3. coquantur ad succorum consumptionem, & adde ceræ albæ q. s. seminis berberis, seminis coriandri & intybi anà vnc. 1. myrtillorum drag. 2. aceti parum, misce, & fiat vnguentum.* Quibus factis, maximè si calori siccitas adiuncta sit, caput abluere oportet decocto foliorum lactucæ, capitum papaueris, rosarum, violarum, florum nenupharis, meliloti, & ramentorum cucurbitæ. Prodest & ablutio ex sola aqua hordei, & oleo violarum, aut ex lacte caprillo, vel si ingens fuerit necessitas, ex aqua lactis cum oleo amygdalarum dulcium, & violarum. Confert & decoctum seminis citoniorum, psyllij, lactucæ, & portulacæ, cum violis & oleo rosarum, & modico aceto. Quòd si somnum conciliare simul, & dolorem lenire volue-

ris, decoctum parabis, quod *recipit capitum papaueris, & seminis althea, anà unc. 2. seminis lactucæ, & cucurbitæ anà onc. med. seminis hyoscyami drag. 1. coquantur, & vtere*: ex vsu etiam est caput vngere oleo hyoscyami. His autem, quos veremur plurimum refrigerare, nimirum pueris, fœminis, & imbecillibus, ex vsu est id quod *recipit olei rosacei, & chamemelini, anà vnc. 1. aceti vnc. med. mucilaginis seminis citoniorum, psyllij, & althea, anà vnc. 1.* At si citra stuporem refrigerare placuerit, ex Cimolia terra, vel ex ea quæ in officinis, vbi acuuntur enses, residet, cum lacte muliebri, & albumine oui emplastrum conficies. Reficiunt item vires, & partem simul roborant odoraméta, quæ ex rosis, violis, nymphæa, salicis folijs, capitibus, & floribus papaueris, & huiusmodi odoramenta spirantrex quibus etiam pastillum conficere poteris cum seminibus cucurbitæ, portulacæ, acetosæ, papaueris albi, santalis, & camphora: super caput etiam insperges puluerem rosarum, nymphææ, violarum, papaueris, mandragoræ, seminis lactucæ, santalorum, caphuræ, & similium: vel sacculum ex eis conficies, qui *recipiat coriandrorum drag. 2. florum nymphææ drag. 3. violarum, rosarum, anà drag. 2. seminis lactucæ, & papaueris anà drag. 1. coralli rubei drag. 1. & modi santalorũ rubeorum scrup. 2. fiat puluis.* Præstat & caput inungere hoc linimento quod *recipit* (maximè vbi vrget vigilia) *olei rosarum, & myrthi, anà vnc. 2. aquæ plantaginis, & violarum, anà vnc. 4. aceti rosati vnc. med. vnguenti populeonis drag. 2. vnguenti refrigerantis Galen. vnc. 1. dissoluantur omnia, & partes linteis mollissimis adhibeantur.* Calorem & ebrietatem arcent sertula capiti admota, aut coronæ modo cum rosis, melilotis, & rosis intertexta. Prodest & coriandrum cum rosis linteo exceptum, & aceto incoctum. Iuuant brassicæ folia capiti admota, aut nymphææ folia.

Quòd si vigilia plurimum vrgeat, vt non rarò assolet, tunc ad ea quæ præter id quod refrigerent, somnum quoque concilient, confugiendum est, incipientes ab spongiæ fotu hoc modo parato: *excipe foliorum, & florum nymphææ, violarum, granorũ hordei viridis, foliorum salicis, lenticulæ, portulacæ,* D *lactucæ, solani, vmbilici veneris anà m. 1. foliorum hyoscyami m. med. coquantur secundum artem, & colaturæ lb. addatur succi lactucæ vnc. 2.* Ante tamen potum porrigere poteris, aquæ dulcis balneum vel lactis, vel olei amygdalarum dulcium, aut lactis quatuor semin. frig. mai. Quòd si hæc & prædictæ inunctiones non profuerint, porrige per os id quod *recipit decoctionis lactucæ, & portulacæ modicè expressæ vnc. 4. syrupi papaueris vnc. 1 detur per tres horas à cœna.* Poteris que etiam ad philonij vsum peruenire.

Verum si hæc omnia prodesse non videantur, arbitrari oportet, aliquid iam biliosi, vel sanguinei humoris in capite firmatum esse, quod nec retro- E cessu, nec repercussu separari à parte potuit: quare id per eandem partem contercre oportet, aut euacuare, vel per proxima deriuare: sic deriuamus ab ipsa parte, à quacunque proxima sanguine misso, vel pharmacis resoluentibus parti adhibitis, aut à alijs vacuationum generibus, cuius naturæ sunt cucurbitulæ brachijs, scapulis, vel occipitio (nisi laborans facilè paralysi capiatur, aut suspectus sit) adhibitæ, nec non & missio sanguinis ex cephalica: ac si propius accedere placuerit, ex venulis nasi, scalpendo, & folio arundinis, aut festuca, vel herbis quibusdam aculeatis, vel aspersis item frontis; vel quæ post aures est incidere, vel hirudines capiti, aut narium extremitati, post aures, & venis quæ in caluaria eminent, adhibebis. Præstat quoque id be-

A neficium vena ea quæ sub lingua est. Atque licet arterias secare post aures à plerisque scriptum sit, ob chirurgorum in secando imperitiam, & quia difficulter coalescunt, rarò mihi arrisit; consulo tamen eius auxilij loco, venas quæ sunt in temporibus, & fronte ferro candenti secare, dum per easdé affectio capiti communis efficitur; aut eodem ferro prædictas arterias vrere, quo fluxionis tumor minor fit: non tamen desunt, qui vt fluat sanguis spirituosus, scindunt, sed graue est sufficit enim decursum spirituosi sanguinis interdicere. Cui vstio eligéda est, vt ex Gal. colligimus 6. de sanitate tuenda, & 3. method., quæ magis emicat, calet ac rubet, & vbi dolor acerbior est. Sed videndum an per inter- B nos arteriarum ductus malum succrescat, tunc enim externas secare inutile est, vt Gal. aduertit 3. de locis affect. cap. 8. quo tempore fasciam repellentibus, & his quæ refrigerant & adstringunt, collo alligare oportebit, quo angustior fiat transitus ad superiora, quod vaporibus etiam calidis reprimendis, comprimendisq; proficuum existit.

Quibus factis, & antea, & interim dum fiunt, eas quæ supersunt in corpore & capite, reliquias, quæ non in vasis, sed in carne, aut tunicis inhærent, resoluentibus conterere opus erit. Quapropter ex vsu esse solet corpus balneis aquæ dulcis mandare, vel caput ipsum: quod si adhuc amplius discutere volueris, decoctum parabis chamæmeli, meliloti, C & coriandri præparati: quo facto, frigidis odoramentis, & aspersionibus super faciem, & lectum ateris, maximè ex aqua rosacea cum aceto, aut aqua frigidissima, vel inspersis floribus, & folijs frigidis, tandem ipsum omni ingenio roborabis, vtens prius conserua lactucæ, conserua symphyti, diacorallo, manus Christi, diatragacantho, diamargaritone frigido: prodest & diacodion simplex & compositum, phylonium, pilulæ de cynoglossa, trochisci de succino, hordei viridis succus, electarium trium santalorum, & conseruæ omnes cordiales.

CAPVT VIII.

D *De capitis dolore ex frigiditate, aut humoribus crassis, & frigidis.*

Dictum est, capitis dolores diuisos esse in recẽtes nouiterque factos, & in inueteratos, aut diuturnos; hos quidem appellatos cephalicos, illos verò cephalalgicos: in qua diuisione sciendum est, cephalæam, seu dolorem capitis antiquum, plerumque proficisci à frigido intemperamento, & causis eiusdem naturæ. Id enim est quod dixerat Hippocr. 6. vulgar. In Cranone morbi antiqui frigidi, noui verò calidi: quo fit vt iuxta optimam rationem complectamur cephalæam sub classe frigidorum dolorum. Sed habent antiqui, & frigidi dolores id E proprium, quod præter diuturnitatem, qua protrahuntur, acerbissimi admodum sunt, & per graues exacerbationes repetunt: quod fieri arbitror, quia sensim, & paulatim congregata causa frigida in prædictam magnitudinem prorumpant. Sed placet in hoc capite huius doloris meminisse, qui à frigida causa cum materia, vel citra ipsam, originem trahit, siue cephalæam, siue cephalalgiam constituat. Frigidi igitur intemperamenti occasione multus caput dolere assolet, adeò, vt tanta sit doloris varietas, quòd necnè discerni facilè, neque subinde curari, aut prodesse auxilia, quæ alioqui proficua esse possint. Nam licet caput in omnibus frigidis causis hoc habeat commune dum dolet, vt constrictione & alteratione subita doleat, habet tamen hoc peculiare, vt ad solum contingat, dum à nuda distem-

distemperie dolet. At dum ex humorum affluxu dolor concitatur, non leuem suscipiat in propria doloris ratione differentiam ex humoris substantia, quæ vel tenuis nimium est, ac fluida, vel viscida, & adhærens, aut crassa & terrestris, ac melancholica: in quo profectò non leuem in curatione reperies dissidium, aut vt rectius loquar, confusioné. Nascitur præterea eadem difficultas, & iudicio nostro grauior, ex loco generationis, & permansionis prædictorum humorum: quippè aliquando totum corpus pituita & melancholia ita abundat, vt malum ventris id caput ex se fordatur: namque à ventre crudos, caliginosósque vapores colligit, & in se quam vertit: item ab vniuerso corpore, aut aliqua eius parte, quæ alimentum sibi commissum in excrementum crassum, pituitosum, ad densum commutat. Ex quibus item causis prodit, flatuosam substantiam ex debilitate partis, ob dictam impotentiam, excitari. Quæ sanè omnia, si quis in frigidis doloribus curandis expenderit, mirum non est, si fœliciorem possit polliceri euentum, quàm qui ea ignorat.

Habetis pituitæ & frigidi intemperamenti doloris apparatus, causas communes & varias: nimirum victum frigidum & humidum, vitam ociosam, satietatem assiduam, ventris cruditatem, aut intempestiuum exercitium. Habet etiam tanquam causam, immodicam sanguinis, aut bilis euacuationé, largiorem potum, aut partis alicuius principis impotentiam: quod etiam solet efficere, nebulosum & pluuiosum tempus. Quo fit vt sic affecti his temporibus grauiùs se habeant: cuius census est frequens inanitio, & aquæ vsus, anni tempus, & regio frigida.

Cum affectus de se, cum dolor adest, monstratore non indigeat; causam solùm cognoscere opus est: quam dignosces ex dolore grauatiuo & tensiuo cum totius corporis grauitate, ex magna etiam in somnum propensione: quibus accedit pigritia in actionibus; facies alba, œdematosa, & nimis tactu frigida; sed maximè circa tempora: adsunt etiam sic affectis, os, nares, & oculi tumentes, sitis nulla; pulsus paruus, & mollis, vrina cruda, & crassa, temperamentum pituitosum, & eius naturæ; ætas, anni tempus, & cœli constitutio.

Curatio. Verùm cum frequentiùs ex frigida causa, siue melancholia sit, siue pituita, huiusmodi dolores prodeant, expendendum primò est, quale principium causæ obtinuerint, vt ab eo facto exordio, curatio ex voto succedat. Primò si ex victu, vitæ instituto, aut alia causa ex his quas retulimus, pituita in corpore copiosa generetur, ea consideratione facta, triplex erit medendi ratio: vna, quę causam præcauendo auferat: secunda, quæ pituitæ iam genitæ copiam demat: tertia, quæ capiti prouideat, siue in ipso causa sit, siue aliunde fluat. Circa primum causas pituitæ generatrices auferre oportet, vt si victus sit suapte natura pituitam generans, in sicciorem mutet & calidiorem: qualis est auium, præcipuè montanarum, aut cuiusque carnis assæ vsus: vel si elixatis vti placuerit, condimentis & aromatis calidis decoquendas esse censeo. Sic & vsus passulatũ, & amygdalatum, cum reliquis quæ vim habent calefaciendi, præstat; & potus ex vino modico, diluto aqua cinnamomi, anisi, radicis chinæ, aut sarsæ parillæ, vel sassafrassæ indicæ, qui sanè potus omnibus causis frigidis proficuus existit, maximè si hydromelitis aliquid admiscueris. Denique hanc occasionem demes mutatióne alimentorum in ea, quæ contraria sunt: ob id si vita ociosa causa fuerit, facta leui purgatione, exercitium imperabis, & quantitatem alimenti demes, quippè in pituitosis humoribus, maximè his corporibus quæ desidem vitam habent, nullum præstantius adinuenies præsidium, quàm ieiunum corpus exercitijs committere; quæ sanè paulò laboriosa esse oportet: leuia enim potius corpus impinguant. Verùm si immodicus somnus malum præstiterit, vigiliam solito largiorem imperabis, sic & potus parsimoniam: at si larga biliosorum & sanguinis excretio pituitæ causa fuerit, roborare ipsius corporis vires oportet, & calidis vti alimentis.

Postmodum pituitæ generatæ prudentia docet, à quauis causa oriatur, ipsam protinus esse purgandam, si regionis mutatio in hoc malo summoperè necessaria non proficit. Huic vsui, cum humor sit ex propria natura crassus, frigidus, aut tenax, qui difficulter medicamentis cedit, præparari anteà desiderat, his quæ extenuent, incidant, & extergant: cuius naturæ est mel rosaceum, & syrupus capillorum Veneris statim ab initio cum aquis maioranæ, & melissæ. At si maiores vires humorem exposcere constet, vteris syrupo glycyrrhizæ, de hyssopo, & oxymelite cum aqua fœniculi, aut verbenæ. Quòd si efficaciùs parare volueris, præbe syrupum stœchados, detracto croco, oxymel simplex, aut compositum, cum quinque, aut duabus radicibus, addito in grauioribus modico oxymelitis scyllitici: confert & syrupi de prassio, & de acuto cum aqua melissæ, maioranæ, graminis (maximè in fœminis quæ obstructionem patiuntur) vel hyssopi, cinnamomi, aut radicis chinæ, vel verbenæ; nam digerit pituitam, vtcunque sumatur. Quod si pituita fuerit salsa, addere oportebit aliquid syrupi borraginis, portulacæ, aut violarum. Quibus præparatam vtcunque materiam modicè purgare studebis hoc medicamento, quod *recipit foliorum senæ drag. 4. coquantur in vnc. 6. aquæ lupulorum, & graminis, & facta colatura, adde agarici trochiscati dr. 1. syrupi solutiui rosarum Persicarum vnc. 2.* Prosunt & boli ex *catholico, & confectione Hamech simplici, anà drag. 6.* valet & *electuarium diaphœnicon, pondere drag. 4. cum vnc. 3. syrupi solutiui rosarum*: prosunt & *pilulæ ex hiera Galen. & de assayeret: anà scrup. 2.*

Purgata iam vtcunque pituita, quam necessum est in toto, aut partibus capiti proximis abundare, coniectandum est, an aliquo modo liceat in his doloribus sanguinem mittere? In qua re sciendum est, eo tempore prædicto auxilio opus esse, quo suppressa vacuatio aliqua apparet, maximè ex sanguine pituitoso: quo tempore parcè mittendus est, sicut copiosè, dum sanguis copiosius abundat: verũ si melancholici sanguinis affectio particeps fuerit, ex vsu erit sanguinem ex hæmorrhoidibus fundere, sicut in fœminis plerunque ex venis tali: coniectabile enim est, ipsam pituitam obstructiones effecturam, adeò, vt improsperè menses fluant. Prætereà à quacunque causa dolor excitetur, si vehementia vrgeat, duabus de causis vena tundenda venit; vna, quòd vix dolor tantus esse queat, sine materiæ calidæ accessu: altera verò, quia verendum est ne cerebrum inflammetur, aut spiritus plus æquo, aut inflammentur aut resoluantur. At si causa frigida sit, prædictam doloris exacerbationem expostulans, amplum fieri venæ vulnus desiderat, quò expirare etiam aliquid ex crassa materia possit.

Deinceps verò crassos & frigidos humores iterum incidere & conterere, opus erit; nam humoris natura, & conditio non patitur. simul & affatim expurgari. Cui vsui *sumes vnc. 4. decocti, quod recipit quinque radicum aperientium, anà vnc. 1. verbenæ, maioranæ, radicis ireos, & acori, anà drag. 2. carthami drag. 6. foliorum hyssopi, maioranæ, calamenthi, buglossæ,*

glossæ, borraginis anà m. sem. semitris carui, anisi, foeni culi, anà drag. 2. glycyrrhizæ. drag. 1. sem. coquantur addito modico aceto, & facta colatura, adde alicuius ex prædictis syrupis vnc. 2. & vtere : ac si laborans fuerit calidioris naturæ, vel febre correptus, *adde syrupum borraginis, rosarum, vel cichoreæ.* Quo facto per interualla ad expurgantia pharmaca, quæ nuper retulimus, te conferes, inter quæ, maioris momenti sunt, pilulæ de agarico, de sarcocolla, sine quibus, cochiæ, aut fœndæ, sed primas tenent pilulæ Arabicæ. Prodesse enim mirum in modum scimus eas quæ *recipiunt rhabarbari electi, aloes optimi, agarici trochiscati, myrrhe, anà drag. 3. croci drag. 1. santalorum citrinorum, rosarum, rub. myrobalanorum, chebulorum, anà drag. med. caryophyllorũ scrup. 2. puluerizentur omnia subtilissimè, deinde aspergantur succo rosarum puro, & permittantur exiccari, & eodem modo fiat septies: postea cum melle rosaceo, fiant pilulæ; quarum sumet drag. med. aut vnam, bis, aut ter, in mense.*

Quod si hæc quidem prodesse adhuc non videátur, non est plurimum innitendum pharmacis quæ expurgandi vim habeant, sed semel, aut bis in hebdomada prius euomere, quod præsidium summoperè est laudandum, maximè cum ex ventriculi cruditatibus, aut præcedente crapula dolores proficiscuntur, vel cum venter ita est imbecillus, quòd ea occasione plurimum pituitæ congregat, corporiq́; & capiti præstat: quo tempore pilulis masticbinis purgabis frequenter, aut rhabarbaro masticato, tertiò quoq; die sumpto, pondere scrup. 1. aut dr. med.

Verùm si vniuersum corpus pituitosum sit natura, vel morbo, præmissis quæ hucusque diximus, corpus sudoribus committendum est: eo maximè si compertum fuerit, affectionem esse morbi Gallici participem, ex ligno guaiaco, & sarsæ parillæ; sin aliter, sulphureis balneis vtendum est, quæ discutiant materiam, & attenuatam facilè reddant.

Solent tamen huiusce mali incrementa eo peruenire, vt necessarium sit vsque ad experimentum procedere: dixerat enim Celsus. Vbi ratio non præstat, temeritas adiuuat. Sunt enim auxilia quędam, quæ temeraria primo accessu, & difficilia videntur, verum si quis prudens eis vtatur, salubria & tuta proculdubio faciet. Huius census est *stibium præparatum*, quo non sine miraculo multi passim vtuntur, licet aliquando vtentibus id accidat, quod refert Celsus, de empiricis præsidijs loquens: Non quòd non contingat, vt sanescant qui eis vtuntur, sed quòd sæpè fallat eorum salus: stibium enim vehementissimum est medicamentum, & lethale ex proprio genere, cuius ego libenter in antiquis & vehementissimis capitis doloribus, & qui alijs præsidijs cedere nequeunt, adhiberem *grana tria*, & in fœminis *grana duo*, & prout res ex voto successerit, vel adderem, vel demerem, à præscripta quantitate: exhiberemq́ue *cum quarta vna sacchari rosarum* prædictum puluerem, *vel cum vino, aut iure pulli*: Verum in fœminis & in corporibus, quæ robusta non sunt, si necessitas nos eo medicamento vti cogat, *quatuor, aut quinque grana, linteo inuoluta per noctem in vino macerari* permittendum est; manè verò vinum laboranti porrigere oportet, facta mediocri expressione.

At si caput doleat, quod in ipso causa sit, & causæ principium, longè aliter rem considerare oportebit, & viam curationis instituere. Nam primò compertum est, caput repleri posse vno è quatuor modis, nimirum, quod calidum & humidum existat præter naturam, & ob id susceptandis excrementis aut vaporibus idoneum, atque eadem ratione ineptum eis discutiendis, atque conterendis: quo fit, vt A repleri necessario contingat: secundò, quod affectũ sit aliquo intemperamento fixo, atque permanenti, ita vt ex alimento proprio excrementa, vel subcos generet intemperamento respondentes: sic enim frigidum & siccum caput pauca crassa, ac sicca gignit excrementa, sicut frigidum & humidum pituitosa, quibus caput & repleri & affici necessum est. Tertiò insuper contingit caput repleri, defectu proprij & innati caloris: quo necessum est crudum aut diminute confectum superesse succum ex alimento sibi præstito, ac ex consequenti crudis his succis repleri & abundare, atque affici. Quartò verò, & vltimò, id accidere non raro conspicimus, vitio facultatis secernentis, quæ propria & natiua excrementa B pellere nequit, vel propria & peculiari impotentia, vel defectu, ob coarctationem, vel obstructionem, viarum. Quibus suppositis, considerandum est, non esse vno & eodem modo cũ omnibus his casibus agendum. Nam calidum & humidum caput, præmissa eius quod susceptauit leui purgatione, refrigerari & exiccari diligenter desiderat, quo refrigerio minus susceptat, & magis discutit; & siccitate, si quid superest, ebibitur, exiccaturque simul: sed à quo caput suscepter, videndum est prius. At dum ex aliquo intemperamento abũdantia prodit, demenda primò est efficacioribus pharmacis, maximè si contraria intemperamento constent qualitate: postea verò temperandum caput C est, vt postulauerit intemperiei conditio. Verùm si proprij & innati caloris defectu caput repleri contigerit, leuius adhuc facta vacuatione ipsum roborabis, non calidis vtcunque, neque frigidis, aut temperatis, sed ijs tantum, quæ simillima sunt calori natiuo illius hominis, antequam in morbum incidisset. Vltimò quidem si defectu & impotentia excernentis facultatis malum oriatur, frequentius quod congregatur euacuare studebis, non solum ijs, quæ per ventrem purgant, sed alijs quæ caputpurgia appellata ipsum propius euacuant. Qualiter autem hæc omnia exequi tenearis, & quibus medicamentis, dicam, si prius in memoriam reuocauero, quòd si caput doleat in se habens dolendi principium, ni D mirum imbecillitatem, quæ parum exonerare ab excrementis valeat, expultrice languida existente, aut copiosa generet, vel flatus à diminuto calore: tunc curandum est in prima causa audacius vacuare, sicut in secunda liberalius roborare, & modicè vacuare. Quippè vbi impotentia ob intemperamẽtum mali causa est, facultas ea ratione facta languidior vacuationibus, plura congregat: quo fit, vt caput ob id ab excrementis immune reddere oporteat medicamentis, quæ pituitam & crassos humores à capite euacuent, ea lege quam adduximus libro nostro secundo de recto præsidiorum vsu. Verùm ne quid in hac parte desit, expendendum est hoc munus præstare inter alia medicamenta, pilu-E las Arabicas, & eas quæ conficiuntur ex *aloe, agarico, turpeto, & rhabarbaro partibus æqualibus.* Cuius efficaciæ conficiuntur aliæ ex *decocto ligni guaici, aut sarsæ parillæ, addita aloes vnc. 1. pro vnc. 10. decocti, quæ simul bulliant, donec spissitudinem nanciscantur aptam pilulis efformandis, quarum drag. 1. singulis noctibus porriges.* Conficiuntur & aliæ non minus vtiles, quæ *recipiunt pulueris hieræ Gal. rhabarbari optimi, & agarici trochiscati, & myrobalanorum cheb. & citrinorum, masticbis, anà drag. 1. florum stæchados drag. 3. pulueris foliorum senæ drag. 2. & med. epithymi drag. 1. formentur cum melle rosaceo, quarũ quantitas sit ad drag. 2.* Alias item conficere poteris, quæ *recipiunt agarici trochiscati drag. 2. turpeti drag. 1. & med. salis gemmæ, & zingiberis, anà scrup. 1. infundantur omnia in vino albo, & facta leui ebullitione,*

litione, & forti expressione, adde pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ. 2. pulueris hieræ picræ ʒ. 1. malaxentur cum vino prædictæ expressionis, & fiat massa, cuius ℈. 2. porrigere poteris. Prodest etiam syrupus purgatiuus ex ligno guaiaco, & radice chinæ confectus hac lege, decoctionis ligni, & radicis consummatæ, lib. 2. agarici trochiscati ℥. 2. rhabarbari optimi, ʒ. 6. foliorum senæ ℥. 1. & ß. florum stœchados, & maioranæ, ana ℥. ß. verbenæ m. 1. flores, & herbæ bulliant in decocto, & facta colatura, adde, quantum sit satis sacchari, aut mellis, & antea quam ex toto fiat syrupus, conijce agaricum, rhabarbarum, & folia senæ in ligatura; cuius medicamenti ℥. 2. vel 3. porriges.

Alter etiam conficitur ad putredinem inhibendam, delendasque obstructiones, q. ℞. radicis graminis, petroselini, asparagi, ana ℥. ß. seminis anisi, & fœniculi, ana ʒ. 1. betonicæ, stœchados, ana p. 2. florum cordialium p. 1. passularum mundatarum ℥. ß. liquiritiæ ʒ. 2. polypodij quercini ℥. ß. agarici trochiscati ℥. 1. & ß. foliorum senæ mundatorum, & in fine decoctionis positorum ℥. 2. fiat decoctio in aqua purissima, ad lib. 1. in colatura dissolue sacchari albissimi q. s. vt fiat syrupus mediocriter coctus, cuius bis in hebdomada, aut semel sumat laborans ℥. 1. & ß. cum ℥. 2. hydromelitis, aut decocti ligni sancti, vel radicis chinæ. Quod si vehementiorem efficere libuerit, addes ℥. 1. foliorum senæ, & turpeti ℥. ß.

Verùm si ne hæc quidem prodesse videantur, credibile est, caput contraxisse eam intemperiem, quæ nata sit quotidiana excrementorum generatione caput afficere: quare necesse erit, præsidia ea adhibere, quæ ipsum à spurcitia eorum excrementorum liberet, vt est omne caputpurgiorum genus, quo vti non datur nisi in his doloribus, aut capitis affectibus, qui ex crassis, & frigidis succis ortum habent: nam qui ex bile, tenuibusque succis fiunt, cum repellentibus & discussorijs auxilijs facillimè cedant, his maioribus opus non habent. Sic enim primò gargarismatis pituitam per os duces, quale est id quod ℞. salicis, thymi, maioranæ, & hyssopi, ana, m. ß. coquantur ad tertias & facta colatura, accipe lib. 1. cui adde oxymelitis simplicis ℥. 2. oxymelitis scyllitici ℥. 1. & vtere. Prodest decoctum ligni guaiaci cum cinnamomo, & cariophyllis, addito melle rosaceo, & modico aceto. Iuuat etiam idem decoctum cum vino ex maiorana, pulegio, aniso cum oxymelite, & syrupo de stœchade, quibus vteris non solum causa capitis curandi, sed præcauendi pituitæ fluxum ad thoracem, aut alias partes.

Eundem quoque vsum præstant errhina appellata medicamenta, quæ commoto sternutamento, vel citra id, caput purgant, quale est quod recipit nigellam torrefactam, cum succo maioranæ, in nares, cum penna dum laborans ieiunus est, immissum, quippe id tempus sternutationi idoneum existit. Prodest etiam immissus succus, sampsuchi, aut betonicæ, vel eorum decoctum, item succus maioranæ, vel decoctum eius, betæ, & anagallidis adiecto pipere, castorio, euphorbio, gallia muscata: ex quibus cum ligno aloe, ambra, & mosco trochisci fieri possunt. Sed aliud vtilius parabis, quod ℞. rorismarini, maioranæ, matricariæ, ana p. ß. glycyrrhizæ ʒ. 2. passularum sine acinis ℥. ß. mellis ℥. 1. zingiberis, & pyrethri, ana ℈. 1. in aqua sufficienti fiat decoctum ad dimidias. Præterea conficies aliud q. ℞. olei de spica ℥. 1. elaterij ʒ. 1. moschi, gr. 2. illiniantur nares interius: item ad id succo maioranæ vteris; conficies item aliud, q. ℞. decocti maioranæ, betæ, anagallidis, cucumeris agrestis ana cum modico melle, fiat decoctum, cui adde Galliæ muscatæ gr. 6. & ex medicamentis, quæ valentius mouent, sternutamentum, addere poteris momentum: sunt hæc, piper,

A euphorbium, elaterium, pyrethrum, & elleborus; sed hæc raro adhiberi consulo, nisi, dum affectio grande minatur periculum, aut laborans sensu careat, interim tamen doloribus capitis satis est succus maioranæ, betæ, aut anagallidis, vel hydromeli, cum pulueribus spicæ, aut galliæ muscatæ: quæ omnia in nares immissa, aut inspiratione attracta, facilè pituitam ex capite ducunt.

Reliquias quoque humoris in capite relictas incredibili efficacia euacuant auxilia masticatoria vocata, velut est q. ℞. mastiches ʒ. 2. piperis ʒ. ß. radicis capparorum ʒ. 1. cum aceto squillitico formentur pillulæ 3. quarum vnam ore teneat masticando laborans, expuatque quoad os defluxerit: Benè facit etiam

B q. ℞. staphisagriæ puluerizatæ ʒ. 2. condisi gr. 12. excipiantur melle & fiant trochisci: aliud etiam paratur, q. ℞. pyrethri, staphisagriæ, ana ℈. 2. liquiritiæ ℈. 1. mastiches ʒ. 1. fiant pilulæ. Præstat & pyrethri radix masticata: item mastiches gr. 2. quæ si quis ore frequenter agitet maximam molietur à capite purgationem. Idem beneficium præstat bolus ex cera, & mastice confectus, vel ex ficu arida, & mastiche: item agaricus instar ciceris ore masticatus: sed longè vtilius est ambarum ore ante cibum sæpius masticatum, idque maximè vbi caput imbecille fuerit. Præstat idem beneficium conditum ex acoro, aut pastillus ex aromatico rosaceo, & ladano, vel qui fit ex agarico, cinnamomo, ambaro, &

C maiorana.

Prosunt quoque dentifricia confecta ex sale, & aliquo ex nuper dictis medicamentis panno lineo exceptis, & vino, aut hydromelite madefactis. Sed in vsu horum medicamentorum, quæ per os & nares à capite purgant, expendendum est, dentifricia, & masticatoria, ex vsu non esse, his, qui in ore, faucibus, aut pulmone, vlcus, aut inflammationem obtinuerint, tunc enim errhina commodiora sunt: sed hæc nocent his, quibus oculi malè se habent, quo tempore gargarismata proficua sunt.

Quibus factis, ea medicamenta capiti sunt admouenda, quæ præter id quod pituitam discutiant, & per insensibilem halitum expurgent, caput etiā

D roborent, cuius naturæ varia reperiuntur apud Authores. Quippe caput suffumigare multis modis proficuum existit, maximè si fiat styrace, aut aliquo ex nuper dictis pastillis, quos ad masticandum vtiles esse diximus: interim tamen ex vsu est q. ℞. seminis melanthij, succini, ana ʒ. 1. styracis calamitæ, benzoini, ana ℈. 1. macis, cariophyllorum, nucis muscatæ ana gr. 8. terantur in puluerem crassum, & fiat suffitus. Prosunt & trochisci ex pari pondere myrrhæ, & masticis, si dissoluantur aqua rosacea & fiant pastilli: loco tamen suffumigiorum pomum odoratum conficere oportebit, q. ℞. cinnamomi, cariophyllorum, nucis muscatæ, ligni aloes, pulueris maioranæ, ana ʒ. 2. galliæ muscatæ ʒ. ß. seminis angelicæ

E ʒ. 1. moschi, ambræ, ana gr. 3. fiat puluis, & addito ladano cum modico oleo iasminorum, aut naphthæ, fiat pomum, quod etiam suffumigium vtilissimum fore arbitror. Præstant quoque eundem vsum (si suauissimè & sine multa frictione, ac semel aut bis in hebdomada id feceris) lauacra & inunctiones ex oleis nuper dictis, & decocto verbenæ, corticum capparum, maioranæ, & rasuræ guaiaci, & alijs quæ superiùs retulimus. Item alio vteris q. ℞. rosarum p. ß. saluiæ, foliorum myrti, maioranæ, chamæmeli, singulorum ʒ. 2. ß. agarici ʒ. 2. bulliant in lixiuio. Eiusdem sunt efficaciæ fotus qui fiunt ex decocto iuniperi, baccarum lauri, & cineris sarmentorum cum modico vino, aut aqua vitæ. Sed in his affectionibus plus præstat, caput frequentiùs roborare, quàm pertinaciter vacuationibus insistere; ob id recentiore

opor-

oportet, quæ capiti apposita ipsum euacuando roborant: cuius naturæ est q. ℞. *radicis cucumeris syluestris, foliorum absynthij, anà m. 1. bulliant in hydreleo ad tertias, quo caput inunges, & ex fæce pistata cataplasma conficies.* Prodest & inunctio ex oleo amygdalarum, in quo ferbuerint, serpillum, lauri folia, mastix, spica, mentha, maiorana, thymus, pulegium, nux muscata, cariophyllus, aut cinnamomū: quibus, dum fit ebullitio, adde vini rubei parum. Conficies etiam oleum arte chymica extractum, q. ℞. *terebinthinæ li. 1. mastichis, cinnamomi, nucis muscatæ anà ʒ 1. cariophyllorum, zedoariæ, galangæ, ladani, anà ℥. 1. ß. succi ebuli, succi cucumeris asinini, anà ℥. 1. olei chamæmeli, & liliorum anà lib. ß. vini rubei lib. 1. ß. serpilli viridis, m. 1. pulverizentur pulverizanda, & proiecta in alembicum igni apponantur, & oleo inde extracto abrasum caput illiniatur.* Præstat etiam eundem vsum id oleum, quod recipit radices cucumeris asinini concisas minutim; absynthij coma in hydreleo incoques, & hydreleo inunges, ac materiam emplastri modo parti appones. Præstat Fauentini vnguentum q. ℞. *succi anthemidis ℥. 4. succi rosarum ℥. 2. succi rutæ, & bryoniæ, anà ℥. 1. ß. succi radicum altheæ ℥. 2. alabastri purissimi in puluerem redacti ℥. 3. alabastrum per diem & noctem infundatur in oleo, & cum cera alba fiat vnguentum.* In graui autem dolore, mitigandi, & curandi gratia, ℞. *huius vnguenti ℥. ß. opij gr. 1. misce*, & illini tempora, & partem dolentem: quod etiam præstat *vnguentum aregon, agrippæ, vel martiaton, vel mithridatum vetus, adiecto modico vitriolo romano vsto; quantitas sit ℈. 1. pro vncijs 8. cuiuis vnguentorum.* Prodest ceratum de euphorbio, vel emplastrū de gratia Dei, vel de radice cucumeris agrestis. Prodest roborandi, & discutiendi gratia, puluis capillorum veneris sparsus supra caput: aut alter q. ℞. *salis minutim incisi, & milij torrefacti, duplam portionem, vtriusque quantum sit satis: vel sic confice, baccarum lauri ʒ. 4. pulueris ligni aloes ʒ. 2. foliorum betonicæ, verbenæ, florum stœchados, anà ʒ. 1. & ß. fiat sacculus*, qui aceto feruenti fumigatus in vsum dirigatur. Pileum quoque conficies ex puluere, q. ℞. *betonicæ, sambuci, melissæ, anà ℥. 1. coriandri præparati ℥. ß. florum anthos & stœchados chamæmeli, meliloti, rosmarini, maioranæ, corticum citri, granorum alchermes, cariophyllorum, & radicum cyperi, anà ʒ. 2.* Conficies alium, q. ℞. *pulueris betonicæ, roris marini, radicis capparis, & florum, ac seminis maioranæ, & stœchados, anà ʒ. 2. pulueris rosarum, cocci infectorum, anà ʒ. 1. & ß. diambræ, & diamusci, anà ℈. 1. misce.* Alium conficies, q. ℞. *pulueris nucis muscatæ, macis, seminis angelicæ, anà ʒ. 1. cinnamomi ℈. 2. cocci infectorum, & coriandri præparati, anà ʒ. 4. ligni guaiaci ℥. 2. santalorum, citrinorum ℥. 1. diamusci ʒ. ß.* Sin verò flatus abundent, tempora illinies, & desuper linteum aqua naphthæ madentem pones. Quod si minus olentem velis conficere puluerem, & resoluentem magis, sic facito. ℞. *cranei hominis, lib. 1. cornu cerui ℥. 3. corall. rubei, macis, cinnamomi, costi anà ʒ. 3. vrantur omnia simul, in vase fictili, crudo, hoc est, nouo, in furno, donec redigi possint in puluerem, & vtere.* In quorum præsidiorum vsu, probo magis, singulis diebus aliquem ex dictis pulueribus super caput pilis abrasis inspergere, quàm pileum conficere: nam præterquam quòd virtus medicamentorum non ita fit capiti communis, ex sordicie pilei non rarò caput dolere assolet. Coctionem etiam & discussionem iuuabis, si laboranti porrexeris theriacam mithridatis, auream alexandrinā, vel electarium diamoscum dulce, aut pliris cum mosco, aut diambram; *ex quibus pondere ʒ. 1. ß. cum boli, quorum mane sumat laborans ℈. 2. bis, aut ter in*

A *hebdomada.* Prodest & conserua acori, enulæ, aut stœchados, quibus admiscebis prædictos pulueres, vel aliquid diamusci, diarhodonis, aromatici rosati, diagalangæ, aut electarij de gemmis: ex quibus & conserua violarum, aut borraginis conditum cōficies maximè vtile. Quòd si humiditatem cum frigiditate præualere cognoueris, prædictis auxilijs addes aromata, & quæ vim habent exiccandi, vt moscus, ambra, lignum aloes, nux muscata, zedoaria, cinnamomum, castorium, cortex citri, zingiber, cyperus, & pionici, & pæonia, & pleraque alia, quæ cap. De catharro reperies.

Verum quia frequenti euentu comperimus, huiusmodi cephalicos dolores, & maximè hœmicranicos, B periodicos esse, ac reuersiuos, ob id studendū est, causam periodicationis nosse, & ipsam peculiari diligentia infirmare, & illidere. Dolor igitur, qui per vices & interualla repetit, siue ordinatè, siue secus subsequatur, triplicem sortitur causam: vnam quidem prodeuntem à consensu alicuius partis primariò affectæ, siue communio fiat per spiritum, siue flatum ab ea transmissum in caput, (quod ex doloris vehementia, repetito insultu, & cita solutione nosces) siue per humorem, qui diutiùs durat; siue per colligantiam (quod nosces ex condolentia partium, quæ in medio sunt) siue quouis alio modo. Secundam constituit externa causa, quæ capiti imbecillo, accedens acerbissimos dolores exagitat, ve C lut vociferatio, lucis splendor repentè perceptus, solis æstus, fumus, & alia id genus existunt. Tertiam verò & vltimam gignit humoris praui in capite cōgestio, ob deprauatum, & habituale totius capitis, aut alicuius partis eius intemperamentum natum talem succum gignere: à quo vel flatus ex leui occasione excitantur, vel copia aut vitio partem distendens, aut exulcerans, dolores vel ingentes, vel diutinos fabrefacit. Quapropter iuxta has occasiones cuique prouidendum erit: nam si dolor fuerit per consensum, prouidendum est primò mandanti mēbro, posteà capiti. Qui in re dum affectus iam in capite firmatus conspicitur, sciendum est, fontanellam aperiendam esse infra membrum mandans, D & alteram in brachio. Verùm si ex causa externa dolor prodierit, ipsam fugere oportebit, & omni arte caput (vt dictum est) roborare, ac firmare: nam in solo ipsius robore, ac reductione ad antiquum temperamentum, idque sensim & paulatim, sita est omnis eius causæ prouidentia. Cæterum si hæc prodesse non possunt, coniectabis, caput contraxisse iam in eo affectu habitum, & esse factum intemperamentum, præsertim frigidum, ac ipsum propagare noua quotidie excrementorum generatione. Quod sanè ita esse, multis rationibus est arbitrandum: tum quia non conficit, proprium alimentū: tum etiam quia excrementa, tam propria, quam aliundè transmissa, non facilè expellat, ac discutiat: E tum vltimò, quod facilè admittat vapores, & materiam quamuis aliundè transmissam. Nosces tamē, flatus esse calidos, aut spiritum arteriarum, signis nuper adductis: at frigidos esse, caliginosos & crassos, quod sæpè afferant capiti grauitatem, (non vt humores in vna parte, aut cum sensuum oblæsione) protensam tamen ad oculorum radices: præterquàm quòd dolor extenditur vsque ad aures cū quodam sibilo, qui incipit circa primas colli vertebras, qui à calido agitatus, & attenuatus nondum discutitur, sed extenditur. Flatibus igitur prætermissis, si aliundè prodeant, quia tunc ad curationem consensui debitam pertinent, considerare oportet occasionem incidendi in prædictam doloris exacerbationem: nam maioris sæpè solet esse momenti, siquidem aliquando prodit à sanguine vaporoso

&

& feruenti, hepatis, aut venarum vitio, nonnunquá ab spiritibus vitalibus, calidis & igneis superiùs raptum habentibus. Quas sanè occasiones sanguine misso infirmabis potius, quàm deceptus doloris natura, & capitis impotentia, alijs, quæ calore, aut adstrictione, prodesse scribuntur. Quare studendum est, si vitium firmatum fuerit, vel emunctorium efficere, per quod natura quotidie excernat, quod singulis diebus congregat; vel ipsam reddere robustiorem, reddito temperamento ad antiquum statum, & præpeditis occasionibus. In quo sanè opere nullum aliud auxilium præstantius, & efficacius reperies, quàm caput ferro candeno inurere, qua parte dolor viget magis, cauens tamen capitis suturas. Sat enim erit, si in ipsa sutura dolor fuerit, propè ipsam inurere: nam arbitramur, id auxilium ex vsu esse his, quibus dolor adest citra morbosum corporis apparatum, & in extima capitis parte. Verùm si cognitum fuerit, materiam protensam esse in toto capite, confugiendum est, tanquam ad præstantissimum præsidium ad setonem in occipitio affixum, idque maximè in pueris, vel in brachio in adultis: qua parte commodius est fontanellam altero, aut vtroque brachio aperire, siue intus, siue extra caput doluerit.

Verùm si his omnibus factis, adhuc iterum leui causa laborans in dolorem per assuetas periodos incidat, hoc linimento vteris, q. ℞. *terræ sigillatæ, boli armenicæ, anà* ʒ. 1. *hypocistidos, acaciæ, anà* ʒ. 1. *albuminum ouorum conquassatorum, n.* 3. *aceti* ℥. 2. *misce*, & vtere in calidiori capitis intemperie. Item conijce, an affectio per venas frontis, & temporum communis fiat capiti, & ei parti appone, quantum venam ipsam capiat emplastri confecti ex tacamaca (frigido existente intemperamento) aut caraña, vel eius quod conficitur hac lege: *excipe olei maioranæ, & ireos, q. s. pulueris ligni aloes, caryophyllorũ, spicæ, gallæ muscatæ, styracis, anà* ʒ. ß. *malaxentur cum ladano, masticha, & gummi, sed prius mastichẽ, ladanum, & styracem dissolue in prædictis oleis, ac postmodum pulueres adijce, vt fiat emplastrum, addens castorei* ℈. 2. *pulueris galangæ, ac seminis maioranæ, & angelicæ, anà q. s. vt fiat emplastrum.* Prodest ex mithridato cum prædictis pulueribus, & oleo belzoino, & styracis, factum emplastrum. Quibus factis, & interim dum fiunt, caput imbecillum diligenter roborare studebis, his nimirum quæ & facilis, ac optimi sint nutrimenti cibarijs: & alijs quæ intemperiem corrigant; tertiò ijs quæ modicè adstringant; ac vltimò ijs, quæ aromaticam habeant vim, & cerebro grata existant, nam plerunque prædicta impotentia originem ducit ex habituali humiditate, & frigiditate: qua propter necessum est, roborantibus calidis, & siccis vti: cuius efficaciæ est electarium q. ℞. *nucis muscatæ, macis, cubebarum, rosarum, calami aromatici, amomi, anà* ʒ. 1. *musci, ambræ, croci, caryophyllorum, anà* ℈. 2. *margaritarum, hyacinthorum, serici combusti, vel incisi, anà* ʒ. ß. *maioranæ, seminis basiliconis, corticum citri, anà* ʒ. 1. *& ß. santalorum omnium, spodij, anà* ʒ. 2. *camphoræ* ℈. 1. *sacchari albi lib.* 2. *aquæ rosarum, & maioranæ, anà* ℥. 3. *fiat electuarium*, cuius laborãs sumat *ante cibum* ʒ. 1. *aut* ʒ. 1. *& ß.* Prosunt & vinum aromatis conditum, & puluerum prædictorum sparsio supra caput: item odoramenta naribus grata, sed non vehementis odoris. Item ambarum masticare summoperè caput roborare scimus, nec non & ipsum vino his in mense abluere; maximè si in eo incoquantur lignum guaiacum, flores stœchados, lignum aloes, & reliqua id genus.

Sed animaduertisse oportet, hæc omnia præsidia hemicranicis doloribus quoque præstantia, si parti eius dolenti tantùm adhibeantur.

At si affectio morbi Gallici soboles fuerit, per sudationem, & alia auxilia, quæ morbo Gallico proficua sunt, rem agere oportebit: quorum maximã copiam adduximus libro eiusdem affectionis.

CAPVT IX.

De Vertigine.

Est vertigo (quæ nil aliud est, quàm primarum sensationum deprauatio, cum motus imbecillitate, propter inordinatum spirituum animalium motum: quo fit vt in hac affectione nobis caput, & ea quæ cernuntur, circumagi videantur) Græcis dynos appellata; cui sanè affectioni cum tenebricosa quædam visus offuscatio accesserit, schotoma, seu tenebricosa vertigo, ab omnibus nuncupatur, quam Paulus ingentem vertiginem appellat. Quo fit, vt iuxta optimam rationem Galen. 4. acut. discrimen posuerit inter dynos, & scotodynos, id est, inter vertiginem, & tenebricosam vertiginem, scotomiam à Barbaris appellatam. Quippè dynos, seu vertigo ea tantum affectio censenda est, in qua omnia quæ sese oculis offerunt, & caput ipsum, ac totũ subinde corpus videntur circumuolui: ea tamen, in qua præter id, quod omnia in gyrum videntur moueri, visus etiam ita obtenebratus, vt laborans tenebris se obduci referat, scotodynos, seu scotomia affectio vocatur: quibus etiam Authores non contemnendi, tertiam super addunt, eam scilicet, in qua laborantes concidunt, & prolabuntur, ni protinus ijs subueniatur. Denique vertigo vno tantùm constat symptomate, inspectorum, & capitis falsa circumuolutionis imagine: tenebricosa verò vertigo duobus, præcedenti nimirum, & visus offuscatione: tertium verò symptoma ex prædictis, & deprauato motu constituitur, quo laborantes concidunt.

Dissident eæ affectiones à plerisque earum, quibus assimilantur, multis numeris: nam vertiginem (licet multi arbitrentur esse epilepsiæ speciem) constat ab ea differre, quia in epilepsia sensus omnes oblæduntur; quod in vertigine longè aliter contingit. Alij censent, tenebricosam vertiginem idem symptoma esse, ac est suffusio à latinis dicta, cum plurimum inter se dissideant. Nam licet in vtraque spectra quædam ante oculos volitare videantur, suffusio tamen solum est oculorum, aut neruorum opticorum affectio: at verò in vertigine, cerebri, & spirituum eius oblæsio. Præterea neque credendum est, aliquid cum epilepsia commune obtinere, licet laborantes in ea aliquando concidant; siquidem in ea spirituum vitio laborantes procidunt, in epilepsia verò neruorum, & musculorum.

Has sanè tres vertiginis species ex neotericis maior pars arbitratur differre, solùm maioris, aut minoris ratione, cum in omnibus conspiciantur omnia in gyrum conuolui: nihilominus tamen longè magis & aliter inter se differunt (vt mox probabo) si prius dixero affectionem hanc nomen sumpsisse à symptomate in eadem vulgatissimo. Quapropter vt magis elucescat propositum dogma, expendisse oportet, ad quas partes magis propriè referenda sint hæc symptomata, item cuius potentiæ vitia existant, vnius ne an plurium? & à quo morbo, vel causa originem trahant, & quibus modis medelam suscipere possint.

Circa primum, iuxta optimam rationem constat, Galen. dixisse, distinctas esse vertiginem simpliciter dictam, & tenebricosam vertiginem: atqui vt

vt constet non solùm nomine, aut maioris, vel minoris ratione differre, expendendum est: primò dissidere ratione particulæ affectæ: censemus enim eam esse potissimam morborum, & symptomatũ differentiam, quæ ex partis affectæ diuersitate suboritur. Sic enim in vertigine anterior cerebri ventriculus, qua parte ferunt imaginandi potentiam præesse, primario afficitur: aliquando verò trahens in consensum oculos, vt in phrenitide probabit ex medico delirante: plerunque verò per consensum, vt euidenti ratione, aut, vt rectius loquar, demonstratione probari potest. Quippe vertigo duobus fit modis; vno oculis apertis, dum res externæ apparent circulariter motæ, falsò tamen, quia spiritus recta nequeunt oculos adire. Secundò, quia multi ex his qui vertiginem patiuntur, clausis etiam omninò oculis, idem symptoma perpetiuntur, haud secus, quàm apertis, ob falsam motionem quam spiritus interni potentijs repræsentant, ita vt verè constet, sat esse, prædictam cerebri partem in hoc affectu læsam existere. Quòd si velis necessariò visorios spiritus in neruis opticis existentes, variè etiam moueri, non renuam: cum hoc tamen in tenebricosa vertigine, licet necessum sit, cerebrum quoque oblædi, & ad oculos spiritus vanè moueri, nihilominus tamen tenebrositatis visus ratio non ad cerebrum, sed ad oculos ipsos (translata ad neruos opticos materia) referenda est: quos caliginoso spiritu obductos, vel eorum spiritus prædicta caligine offuscatos esse comperimus, ita vt euidenter constet, vertiginem principium sortiri à cerebro primitus: maximè in his quibus arteriosum genus intemperatum est, feruido, & spirituoso sanguine, aut flatu plenum: & tenebrositatem ab oculorum oblæsione, cum aliud sit & longè diuersum, spiritus variè, & inordinatè moueri, & longè aliud, caligine obscurari. Illud enim vertiginem, hoc verò tenebricosam vertiginem efficit.

Præterea ij qui ex vertigine concidunt, præterquam quòd partes nuper dictas læsas habent, necessum quoque est, læsam obtinere posticam cerebri partem, aut spiritus, qui in ea morantur, per consensum affici ab spiritibus motis in anterioribus cerebri ventriculis. Qui sanè dum mouentur, cogunt reliquos moueri, & inordinatè gradum, concentumque motus animalis efficere: quo fit, vt cõcidant sic affecti, cum non possint rectè, & ordinatè se mouere. In quo sanè affectu nemo dubitauit, aliam partem à prædictis (nimirum posticam) affectam esse, ac ex consequenti prædictos affectus locò dissidere.

Quod verò facultate quoque disiungantur, manifestum est: nam vertiginem fieri læsa imaginatiua potentia, dubitauit nullus; aliquando tamen cũ læsione oculorum, & sæpius citra ipsam, vt facilè probari diximus in his qui vertiginem patiuntur, & oculos habent clausos: cum hoc tamen credẽdum est imaginationem lædi per consensum ex falsa spirituum visoriorum repræsentatione, quæ in sensibilis communis perceptione aberrat; quantumuis in proprijs sensibilibus non decipiatur, quia res proprijs coloribus discernit: cæterùm situm, distantiam, & quantitatem nequit vt sunt percipere, sed falsò moueri repræsentant, vt ipsi spiritus mouentur. In qua re in memoriam reuocare oportet, quod cap. de phrenitide dictum est, nimirum imaginatiuam potentiam, licet in toto cerebro resideat, præesse tamen & operari in anteriori cerebri parte, non quidem in ventriculo eiusdem partis, sed in molli & laxa cerebri substantia spiritibus plena, quorum adminiculo sua exequitur munia, non quidem ope spirituum, qui in ventre sunt: natu præter

A id quòd sensorijs externis deseruiunt, vt visui, & auditui solùm externarum rerum speciebus admistẽtur, & velut primò suscipiant, vt spiritus animales in cerebro reconditi vbi viget imaginatrix vlterius eas recipiant, & iudicent: & cum spiritus illi in cauitate reconditi aliqua occasione, vel causa circumaguntur, & mouentur, necesse est quòd species rerum externarum sibi adiunctas imaginatiuæ referant se quoque mouentes, licet reuera quiescant: ob id oculis, & imaginatrici falsò imponunt se mouere, vel caput aut vniuersum corpus circumuolui: Secundò præmittendum est, longè aliud esse, imaginatiuam decipi spiritibus cauitatum cerebri prauè motis, & aliud vitiari, & corrumpi, ita vt eius iu-

B dicium, & actus proprius circa rerum species peruertatur, vt in phrenitide, mania, & melancholia contingit, eo quòd coniunctum ipsius potentiæ instrumentum, seu organum (nimirum anterior cerebri substantia cum spiritu ibidem immerso) vitietur, & quodammodo corrumpatur. Quippe hac ratione læsa imaginatiua, necessario læditur ratio, vt in melancholia, & phrenitide latius probatum est; & nequit aliter fieri, siquidem intellectus operatio efficitur per conuersionem ad phantasmata, quæ si praua, erronea, & vitiata, ac corrupta à phãtasia prodierint, ratiocinium quoque & discursum vitiari necessum erit. Atqui cum ratio in vertigine non lædatur, siquidem optimè discurrit ratiocina-

C turque homo, longè verius arbitrandum erit, imaginatricem potentiam non lædi per propriam, & essentialem corruptionem, & vitium, benè tamen concedendum est, lædi per consensum, hoc est, per deceptionem à vitiatis spiritibus intra cauitates cerebri existentibus, quibus circulariter motis, falsò videntur res externæ moueri; quia falsus imaginatrici motus à sensu visus (etiam ab eisdem spiritibus decepto) defertur: attamen eius iudicium nullo pacto peruertitur, quin iudicet sensus falsitatem, præsertim ratione integra manente, vt dictum est: & hac lege statuere oportet imaginatricem lędi, nimirum potentia hac decepta potiusquam corrupta. Quo fit, vt si vapores aliqui extranei, & ex-

D crementitij per hos spiritus ferantur, spiritibus ipsis sine agitatione remanentibus, vt in spurijs suffusionibus contingit, tunc profectò praua quædam obiecta (non vera, vt parietes, & ligna, aut terra) vt culices, & festucæ, per aerem, aut externa obiecta moueri cernimus. Ratio est, quia spiritus (qui species rerum susceptant) quieti manent, & sic res externæ quietæ quoque, vt re vera sunt, apparent: at repræsentantur extra imaguncula illa se mouentia vt vapores situs motum habent. Præterea visus obtenebrationem, omnibus est in confesso, nulli alteri potentiæ pertinere quam visiuæ: quo fit, vt dum ambo hæc symptomata iunguntur, complicatus fit affectus, non simplex, constans quidem ex læsione

E vtriusque potentiæ, imaginatiuæ nimirum, & visiuæ. Item, dum laborantes in hoc affectu procidũt, certum est, motiuam quoque potentiam pati, ac per consequens affectum esse adhuc magis compositum, ex visiua, imaginatiua, & motiua potentia lęsis. Quibus rationibus credendum est, hos affectus longè inter se differre, siquidem potentiæ ad quas pertinent, inter se distinctæ sunt, & seorsum vnumquemque fieri posse, licet ex omnibus aut plerisque symptoma vnum frequentius contexatur.

Constat etiam, dissidere ratione morbi à quo oriuntur, quod facilè probari potest, siquidem vniuersa morbi ratio, dum oculi obtenebratione obscurantur, pertinet ad obstructionem factam à vapore crasso in neruis opticis, & oculis immorante: at in vertigine prauum obseruant situm, & deprauatè

uatè insuper mouentur spiritus, præterquam, quòd A intemperamentum etiam anterioris cerebri ventriculi, necnon & obstructionem, quæ nata sit spiritus prauè ad motum disponere, præesse comperimus; posterior tamen cerebri pars per consensum afficitur: & sic eudenti ratione constat, morbo etiam inter se dissidere, & aliquando alterum morbum, & alterius partis, reliquorum esse causam.

Dubium. Dubitabit etiam aliquis iuxta huius symptomatis naturam, quanam ratione, si ob spirituum motum depravatum sensus visus oblæditur, & phantasia, cum spiritibus quoque alij sensus indigeant, cur etiam cæteri sensus in hoc affectu non oblædantur vt visus: siquidem necessum erat, læsionem quoque ad omnia sensoria peruenire, vt spiritus. B Cui dubitationi dicimus, id duabus rationibus euenire: prima, quia cum potissima occasio huius symptomatis sita sit in spirituum læsione, & nullus reliquorum sensuum indigeat spiritu ipso recta sese mouente ad sensoria, vt visus, (nam in reliquis, vtcunque moueantur spiritus, fiet sensatio) ob id læsa imaginatione ob spiritus improbè se mouentes, nullum sensorium præter visum oblædi erat necessum. Secunda, quia motus ille fictitius qui in rebus externis apparere videtur, nullum alium sensum poterat commodius decipere, quam visum, cuius foret obiectum, si re vera extitisset: & ob id solum hoc sensorium lædi erat necessum. Ac licet ab obiectis fictitijs aliorum sensuum decipiatur etiam ima C ginatiua potentia, eorum affectio vertigo censenda non est, nisi dum oculi oblæduntur. Quippe, qui hanc dubitationem mouent, decipiuntur quidem arbitrantes, vel imaginatiuam potentiam esse sensum communem, quo læso, omnes simul sensus oblædi oportet, vel saltem eam dum læsa est, vitiare posse omnes simul. Hi enim ignorant, imaginatiuam lædi ex quouis sensorio læso, reliquis manentibus superstitibus: & si ipsa primò lædatur, vni aut alteri posse suum vitium præstare, iuxta idolum cõceptum, non omnibus, licet plures etiam lędere possit, non tamen omnes vt sensus communis, qui reliquorum est origo.

Dubium. Dubitatione insuper dignum est, cum actio sen- D sus non fiat nisi species proprij obiecti ad potẽtiam deueniant, qui fieri possit, quòd aliquis erret asserẽs proprium caput circumuolui, si ipsum intueri est impossibile, sicut ab eo species recipere. Cui dicimus in hoc affectu non apparere caput moueri, sed vniuersum corpus, ad cuius motum imaginamur caput quoque circumuolui: præterquam quòd spiritus intro moti cogunt potentiam falso imaginari, quæ sensus non percipit, quinimo sensus ipse quoque decipitur.

Quis morbus in his affectib⁹ reperiatur. De morbo autem à quo hi affectus proficiscantur, non satis constat inter authores: nam Hipp. 3. apho. ex frigida causa plerunque prodire scribit, reducens ad similem ætatem, & hybernum tempus E huiusmodi mala. Galen. tamen ad calidum reducit morbum, vt 3. de locis affect. apertè colligitur. Paulus vero cum Hipp. ad frigidum. Rasius ad vtrunque. Verum si quis rem ex proprijs principijs venari studuerit, reperiet, vniuersam mali naturam ad frigidum aliquando, & aliàs ad calidum intemperamentum reducendam fore: sed non quouis modo ad quodcunque, sed ad id tantum intemperamentum, quod ita connaturale factum, & habituale sit, vt contracto semel morboso apparatu, adeo languidum reddat caput, vt ipsum facilè à quauis causa pati efficiat: quo fit, vt concurrente aliqua quæ spiritus commoueat, ipsosque prauè disponat, protinus prædicta symptomata succrescant. Præterea non satis est nosse, qualem affectum caput A obtineat, vt in hoc symptoma dilabatur homo, nisi exactè quis pensitet, & noscat immediatum symptomatis affectum. In qua re arbitramur immediatum affectum esse obstructionem, cuius ratione in vijs spirituum, cauitatibusque magnis, sinibus, & arterijs, flatus, vapores caliginosi, frigidique humores fabrefiunt, vt Hippoc. refert: vel calidi vt Gal. Qui sanè non efficiunt damnum in cerebro, vt in soporiferis affectionibus, & reliquis eius naturæ, eo quòd quieti sint, & permanentes, sed quia mouentur: ad quorum subinde motum, spiritus moueri contingit, prædictaque symptomata efficere. Quippe agitatio illa causa est formalis, & essentialis vertiginis, cum nihil aliud sit, quam prædictus inordi- B natusque spirituum motus, in anterioribus cerebri ventriculis. Quo fit vt ab eadem causa nunc mota, nunc quieta, varia succrescant symptomata: sic profecto symptomatis huius immediatior causa est spirituum circumuolutio, cui proxima est obstructio, quæ etiam prodit à prædictis spiritibus prauè motis: morbosum verò capitis intemperamentum, siue calidum sit, siue frigidum, dum imbecillitatem parit, hæc omnia antecedit, ita vt nulli prædictarum causarum resistere possit cerebrum præ imbecillitate. Sic etenim duplex consideratur affectus in ipso capite, vnus per essentiam, alter verò per consensum, causa mouens, & exagitans spiritus, vel in ipso capite genita, vel à ventre, vtero, iecore, vel a- C liundè demandata: quæ sanè prædictam obstructionem à peruersione spirituum factam, nata est mouere, siue flatus sit, siue caliginosus, & nebulosus spiritus, siue humor aliquis, cui capitis imbecillitas resistere nequeat.

Causas habet vertiginosum symptoma dupli- *Causæ.* ces: quædam enim intemperamentum, seu affectũ quem in capite præesse diximus, pariunt: quædam vero symptomata ipsa mouent, quarum per consensum prædictum symptoma plures mouent. Cæterùm vt prædictæ causæ aliquid agere possint, necessum est, caput imbecillum esse aliqua ex prædictis intemperantijs. Intemperant enim caput ad frigiditatem frequens crapula, frigidorum ciborum e- D sus, potus frigidi immoderantia, iter per frigida, & niuosa loca, præsertim si diu fiat, aut hybernum noctium frigus subdio perceptum, vel intempestiuè mox à discessu ab igne, vltimò frequens medicamentorum caput purgantium vsus, maximè corũ quæ bilem purgant: vel si copiosius sanguinem miseris, aut immoderatè venere vtatur laborans: præterea frequens ciborum in ventre cruditas. Caput tamen ad calorem intemperant contrariæ omnino causæ, quæ quidem non solùm id malum possint inferre, verùm & caput ipsum imbecille reddere, ita vt facilè vel materiam aliundè susceperit, vel ipsummet generet, quod grauius est, & frequentioris accessionis causa existit. Quam sanè imbecilli- E tatem, & eius efficientem causam, vel intemperamentum, auferre prius oportet, si quis velit radicitus huic malo mederi: frustra enim causas mouentes præcauebis, si morbosus apparatus in capite adhuc præsit. Verùm quæ hunc affectum (hoc est vertiginosum symptoma) mouent causæ, variæ sunt: nam quædam obstructionem, & spirituum depravatum motum efficiunt: quædam remotiores cum sint, prædictas causas mouent, vt in affectum prorumpant: quales sunt humores validè, & subito agitati, vapores crassi, & caliginosi, inordinatè se mouentes: etiam omnis calida feruidaque intemperies, siue arteriarum sit, siue cerebri, inflammati etiam spiritus ab æstu, & incalescente sanguine. Quo fit, vt à quauis interna, siue externa causa adeo exacerbentur, vt protinus cerebri actionem inter-

interturbent,& corrumpant. Quod profectò potissimè fit à causa calida humores extenuante, & in feruorem agente: aut à frigida, quæ neque externa sit, neque nimis intensa, si interna fuerit: quippe illa ventres, & humores coercet, & firmat potius quã commoueat: hæc verò, sicut illa, summam impotentiam parit, quæ flatus mouere nequit: media autem inter has intemperies vapores multos, & caliginosos gignit, qui diuturnam, & incessabilem vertiginem efficiunt. Causa etiam est meatuum densitas, qua vapores interclusi obstruunt, vt veluti in fornace per ventriculos cerebri vagantes spiritus dimoueant, velut in crisibus imperfectis contingere scimus. Item causa est vaporum ad caput transmissio è ventriculo per mediam, aut cruditatem, vel ciborum corruptionem, aut eorum, vel humorum aggregationem, vel feruorem, in iecore, aut in toto corporis ambitu, vel in quauis eius parte.

Cæterum causæ externæ quæ has omnes mouēt, & in accessionem deferunt laborantes, sunt animi subitus, & violentus motus, solis æstus, ignis approximatio, aspectus etiam rerum circulariter se mouentium, exercitium intempestiuum, & inconsuetus, ac subitus lucis aspectus, vt conualescentibus, & imbecillibus accidere solet. Dolor etiam atrox, vigilia, ictus, aut percussio capitis, tonitrua, vel sonitus excedens, crapula, & denique omnia, quæ vel spiritus, vel humores in capite contentos subito in feruorem moueant, vel flatus aliundè in ipsum transuehant. Verùm vt quis harum causarum harmoniam, & modum in hoc symptomate excitando exactè expendat, sciat natiuam imbecillitatem, & morbosum capitis intemperamentum causis, tam internis, quàm externis facilè cedere, & consentire, dum ipsi accedunt: adeo vt non possit spiritus continere, aut recta distribuere, vt par erat, & secundum naturam assuescit. At humores, & caliginosi halitus (siue in capite geniti sint, & morbum efficiant per essentiam, siue aliundè transmissi, morbum per consensum concitent) moti aliqua causa interna, aut externa ex prædictis, mouent spiritus, tam motiuos quàm sentientes (si diuersi sunt) sed hos maximè, eosque tenebris offuscant, & caligine obducunt, ac circulariter moueri cogunt vt ipsi mouentur. Quo fit, vt ex motu deprauato spirituum interius facto, quæ extra cernuntur, ita vertiginosè moueri videantur: & ex caligine quam vapor in ipsos imprimit, tenebrosus superfit visus. Ex quo enim motu prodit, si vltra pergat, spiritus motui seruientes perperam moueri, & laborantes amittere motus firmitudinem, & graduum concentum, ita vt plurimi eorum procidant, & statim dilabantur.

Dubium. Disputatione dignum iudicaui circa prædictas causas, qui fiat, quòd externa causa in gyrum sese mouens, hoc symptoma concitet, cum necessum sit, omne symptoma immediatè à morbo proficisci?

Enodatio. Cuius dubij occasione duo expendenda sese offerunt: primum sanè est, quod ex symptomatis, quædam potius causam quàm morbum insequuntur, vt in ictero, cuius color vitiosus humorem potius biliosum quàm obstructionem sequitur. Secundum est, quod causæ illæ externæ affectum primo in cerebro efficiunt, nimirum obstructionem ex inordinato spirituum motu, quam potissimam huius mali causam arbitramur.

Dubium. Præterea adhuc sciscitabitur aliquis, qui fieri possit, quòd motis intro spiritibus ad motum corporis, in his qui circulariter se mouent, corpore quiescente, adhuc vertigine homo corripiatur?

Dubium. Itẽ q̃ritur, cur spiritibus intro motis, ad motũ inordinatũ corporis res externæ se mouētes appareãt?

Dubium. Etiam quæritur, quare res externæ circulariter motæ, extra caput vertiginem moueant?

Enodatio primi. Primæ autem ex his dubitationibus dicimus, quòd cum humorum, & spirituum natura instabilis, & fluxa sit, concepto semel motu, quiescere protinus nequeunt, & sic motus durat sua sponte adhuc quiescente corpore. Quod probatur exemplo in his exterioribus habito, nam mota physula aqua plena, posteà verò quiescente, etiam aquam diu moueri comperimus.

Enodatio secundi. Et vt secundo dubio respondeamus, constat, motis spiritibus corpus veluti in gyrum, & res externas apparenter moueri; quia talem pariunt sensationem moti spiritus, ac res externa mota, quòd non recta (vt par est, vt obiectum in loco videatur) prodeant. Quippe certum est, quòd dum aliqua proportio (qualis inter res visas, & potentiam requiritur) dependet à duobus, quouis deficiente, aut euerso, proportio delitescit, & vitiatur. Sed requiritur ad visionem, certa obiectorum adiacentia, ex loco distantia, & reliqua: hæc tamen ex obiecto fit, & potentia, ergo quouis deficiente, aut euerso, necessum est, res ipsas apparere permutatas. Nam moto sensu, vel sensato, necessum est mutari proportionem, & operationes vnius ad alterum.

Enodatio tertij. Sic vt tertio dubio subsit solutio, dicimus, quòd eo fit, quia cum oculus vndique ad motum rei externæ circulariter se mouentis moueatur, fit vt etiã oculorum spiritus eo motu agitentur, & vertiginosè cernant: quod contingit in re externa, sed moto medio, siue aer sit, siue aqua, vt in nummo in cãprotecto conspicitur, qui sanè mutari ad varia loca videtur, ob variam vndarum aquæ mutationem. Sic etenim multi credunt, eos fieri vertiginosos, qui vehementer circulariter se mouent, quia dimouent variè aerem medium, per quem species visibiles à re demandatæ, variè quoque ad oculum perueniunt, & ob id vertiginem efficiunt.

Signa. Signa autem quibus affectus hic monstratur, facillima sunt: quippe laborantes omnia vident circumuolui, si sola vertigine corripiantur. Verum si affectio oculos etiam oblædat, accedet insuper tenebrositas: sicut dum motui spiritus etiam oblæduntur, titubatio, inconstantia, & graduum claudicatio, subitusque casus accedunt.

Esse autem hanc affectionem per primogeneam passionem in cerebro dignosces, vt Gal. scribit 3. de locis affec. ex aurium tinnitu, capitis dolore, & grauitate, sensus alicuius, vel plurium oblæsione, & etiam quia cum flatus in capite gignuntur, adest arteriarum pulsus manifestior, & in odoratu sensibilis læsio. Item quia affectus primarius raro, aut nunquam à symptomate absoluitur, vel saltem remanet in cerebro promptitudo quædam ad passionẽ susceptandam adeo apta, vt facilè à quauis causa in vertiginem laborans procidat.

Verum quia non sat est nouisse caput primario affectu laborare, ni exactè constet, quo humore abundet, aut quæ distemperies in eo vigeat, ob id hæc specialiùs distinxisse oportebit. Sanguinem igitur abundare docent faciei rubor, & dulcis oris sapor, venarum tensio, & exuberantia, capitis grauitas, somni longiores, frequens pulsatio circa tempora, splendores circa oculos, pandiculationes, & vrina crassa, ac rubra, & aliquando tenuis, & clara atque perspicua, quæ sanguinem illum in caput cõfugisse monstrat. Item insomnia, quæ sanguinem attestantur, spectra rubentia, dummodo nulla perturbationis criticæ excusatio possit adferri. Bilem autem flauam monstrant molestus capitis sensus, vigilia citra capitis grauitatem, color flauus, obiecta visa citrini coloris, præcedens plerunque nausea,

sea, oris amaritudo, vrina tenuis & subflaua, pulsus celeritas & durities; quæ omnia visuntur vbi hepar feruidum est, & in ventrem bilem reiecerit. At pituitam monstrant albus faciei color & tumor, capitis grauitas, sensuum stupor, somnus longior, in ore quandoque insipiditas, quandoque vero salsugo, sputio multa, vrina alba & cruda, ac vertigo diuturna cum pulsu tardo & raro. Melancholiam verò attestatur faciei color obscurus, timor, prauæ cogitationes, eructationes acidæ, & vrina tenuis ac pellucida.

Quòd si per consensum fiat, id facilè disces ex signis & peculiaribus symptomatis, eius partis à qua consensus demandatur. Vt si à toto corpore, quia cum à somno laborantes excitantur, vehementius corripiuntur: si tenuis sit vrina & pauca, aluus dura, color totius cutis humori redundanti similis, corpus torpet, & citra manifestam causam lassitudine premitur. Verùm si ventriculi vitio id fiat, deiecta appetentia, nausea, dolor & morsus ipsius, prauorum ciborum appetitus, aut canina appetentia, vel cibi fastidium, cruditates & flatus aderunt, & à cibo leuamen, ac post modum in cibi distributione, (maximè si laborans intempestiuè moueatur, aut ira conciterur vehementi) rerum vertigo redit. Si verò ex vtero prodeat, præcedit vteri præfocatio, dolor, inflatio, rigitus, mensium suppressio, diminutio, vel ordinis perturbatio, aut vitium. Quòd si affectio ex iecore vel splene prodeat, peculiaria cuiusque membri symptomata id facilè monstrabunt. Sic profectò si affectio sit per essentiam in capite, ceterum accessio succrescat ex occasione ab alio membro petita, difficilè quidem cognitu est; tamē id disces, quia sic affecti frequenter concidunt in vertiginem, & à varijs causis, tamen interualla habent omnino sanitatis statui simillima: quia capitis morbosa imbecillitas, nequit externis causis resistere; tamen sua spōte nihil gignit, quod accessionē natū sit mouere, sed patitur quauis externa occasione.

Præsagiũ

Quippè adeò graue malum est vertigo, vt vel epilepsiam, vel appoplexiam plerunque minetur; maximè si alicuius membri stupor præcedat; at si diu durer, capitis potentias perdit. Verùm si loco eius dolor capiti succrescat, signum est ipsam affectionem in eum dolorem commigrasse, quod leuius malum est; nonnunquam verò surditatis est præludium, aut ipsam accersit.

Curandi ratio.

Curandi autē ratio in huiusmodi affectu duplex est: altera quæ ipsi debetur dum per consensum fit; altera verò, dum per primogeneam affectionem in capite oritur. Nā qui hoc malo premitur, vel ex vehementia causæ læditur, vel eam dispositionem nactus est, quòd leui de causa in accessionē procidat; habet enim præsentem internā causam, seu morbosum apparatū, adeò vt nihil supersit, quàm quod ab extrinseco, aut ab intrinseco moueatur. Vtcunque tamen sit, duplex erit rursus medēdi ratio: vna quæ accessioni debetur, quæ communis est vtriq; morborum sorti, ei nimirum qui per essentiam dum in accessione est, & ei accessioni quæ fit per consensum: altera verò quæ morbo, ante quàm in accessionem degeneret, ex vsu est. Cum autē is affectus per consensum oritur, nosse prius oportet, à qua parte consensus demādetur, & tunc si necessitas non vrget, ab eo affectu curationis principium auspicari oportet, sin aliter, accessioni prouidendū est. Quòd si affectū curare velis, id quidem facies iuxta naturam partis affectæ, & affectionis, quam patitur: nā aliam præscribit sibi curationem affectū iecur, aliā ventriculus, aliā vniuersum corpus; et sic de reliquis eius particulis subaudies. Sed inter has, quæ peculiarem in artifice requirit diligentiam, vētriculus pro-

A culdubio est, vt potè à quo plerunq; vertiginosus affectus principium sortitur. Mox verò expendendū est, quòd siue vertiginosus affectus per consensum fiat, siue primariò, quatenus ad accessionis curationē attinet, præmissa totius corporis aut partis transmittentis prouidentia, vna communisq; est sedandi vertiginem ratio: quam in triplici esse differētia scimus: nam vna halitus caput irruētes longissimè distrahit: secunda impedit ne in caput ascendant: tertia verò, si quid in ipso receptum est, vel ibidem genitum, vt in ea vertigine quæ fit per essentiā, discutit per insensibilem halitum. Circa primam, dū laborans vertigine premitur, quo faciliùs halitus distrahantur, frictionibus vtendum est, cucurbitulis, B & vinculis, juxta brachia, & femora, nec non & pedum ablutionibus. At si affectus ex vteri consensu fiat, prius hæc omnia cruribus, & femoribus affigēda sunt, postea verò brachijs. Verum si cōsensus ex ventriculo ꝓdeat, quod sæpius accidit, impedies halituū ascensum triplici modo: primo, adhibito *clystere*, mox ab accessionis principio, quod *recipiat, hieræ picræ ʒ. 6. aut catholici ℥. 1.* Quòd si euacuatis cruditatibus per infernam aluum, affectio nō quieuerit, & accessio duodecim horarum spatiū transgrediatur, leui medicamento inferna aluus turbanda est, (cauere enim sic affectos à vomitu oportet, si caput per essentiam patiatur: nam Rasius, & Mesues, solum vomitu iuuari eos referunt, qui ob venC triculi vitium patiuntur) manna, cassia, aut serapio ex nouem infusionibus. Sed in ventriculi cruditatibus peculiare existit præsidium hieræ simplicis Galeni vsus, vel pilularū forma, vel cum modico cassiæ admixta. Cæterum si nec his affectio quieuerit, præcauendum est, ne halitus caput irruant, exhibito medicamento, cuius potentia sit, aut ascendentem halitum compescere, aut in ventriculo immorantem discutere. Prima vsus sunt syrupus rosarū, granatorū, de rosis siccis, de acetositate citri, myrtillorum, cum aqua plantaginis & capitum rosarū. Quòd si nidorosa cruditas, ac biliosi, & mordaces humores hujus affectus causæ fuerint, peculiari quadam efficacia halitus extinguit frigidæ potus, præD terquam quòd vias coarctat: pari lege ea adhibenda sunt medicamenta aut alimenta, quæ lenientia sint, & mulcebrem habeant substantiam, quale est amylū, farina hordei, lactuca, portulaca, & ferrata aqua. Prodest mirum in modum vsus decocti, q. ℞. *radicis cichorij ℥. 1. absynthij, agrimoniæ, betonicæ, ana m. 1. ß. aquæ lib. 2. bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura, accipe ℥. 3. ß. adde syrupi cichorij compositi ℥. 1. ß. oxymelitis simplicis ʒ. 2. aut squillitici ʒ. 1. syrupi fumariæ ℥. 1. porrige tertio quoque die.* Pari ratione prosunt in hac causa, & pituita etiam nimis infarcta, pilulæ quas scripsimus cap. de dolore capitis, per consensum à ventriculo, ex descriptione nostra.

E Verùm si ex crudis humoribus, aut acidis affectio suboriatur, à leui purgatione ex therebintina cum cassia, vel manna, cum succo rosarum, aut nuper dictis pilulis: sed maximè cum hiera, & diaphœnico: quod magis probo, quàm cum agarico, si venter nauseæ abundus sit; sin minùs cum eo, ventrem inungere oportet calidis & roborantibus medicamentis, & sumendum præbere electuarium diarrhodon, vel aromaticum rosaceum. Cęterū ad discutiendos flatus in ventriculo, sæpius porrigēda est feruentissima aqua, quæ præterquam quòd humorum malitiam retundit, coctioni etiam plurimum prodest, & ventriculum insuper abluit, ac ad vacuationem nō parum iuuat, & actuali calore quē secū fert, flatus, antequam caput irruant, mirum in modum discutit. Quòd si hæc satis non sit, vti oportet

aniso, dauco, cinnamomo, aut eorum decocto cum chamemelo, caryophyllis, cimino, & alijs calidioribus. Quem quoque vsum præstant, syrupus de mētha, de corticibus citri, mel rosaceum, diaciminum etiam, ac dianisum, diagalāga, cum pulueribus corticum citri, & alijs quæ consimilem vim sortiātur; item theriacæ, aut mithridatij moditum. Præstat insuper conditum, q. ℞. *conseruæ florum cordialium, myrobalanorum chebulorum, & emblicorum, zingiberis conditi, ana partes æquales: & omnibus contusis, cum syrupo de corticibus citri fiat conditum.* Quibus factis, si adhuc malum redierit, ad vlteriorem purgationem licet peruenire, ex hiera Galeni, aut pilulis masticinis. His sanè omnibus ex vsu etiam erit, potum instituere ex radicis chinæ decocto, aut ex indica sassafrasa, vel ad sulphurea balnea, aut ad sudationes confugere.

Quòd si ex sanguinis vbertate in capite, vel in toto corpore ob arteriarum, & venarum feruorem accessio suboriatur, diuq; durauerit, & frigidioribus non quieuerit auxilijs, tunc profecto verendum nō est sanguinem mittere (licet Paulus, & alij id vetuerint, forsan in frigida causa id intelligentes, aut in capitis imbecillitate) parcè tamen & quantum sat sit, vt quod plurimum est imminuatur, vel feruidū quodammodo refrigescat. Quippe grauius est epilepsiam, aut apoplexiam ex perstāte accessione succrescere, quam in eadem, dictis conditionibus, eo quòd authores id non commendauerint, aut metuerint, irrationali timore, præsidium (si prudenter fiat) proficuum differre. In quo etiam ancipiti, & graui casu, Mesues autes aperire, aut post ipsas scarificare iubet, vel hirudines naribus affigere, aut humeris cucurbitas, & collo, aut vltimo hæmorrhoides fluentes efficere. Verum sine hæc quidem omnia prodesse videantur, tunc profecto curandi methodus docet, pellere à capite, quod in ipso receptū est, & adhuc moratur. Primò itaque post prædictā vacuationem, oleo & aceto rosaceo admiscerē olei chamæmeli parum, & quo corpus purius ab excrementis fuerit, & affectio quodammodo inclinauerit, eo magis remitterem rosacei admixtionē, adderemque ex calidioribus aliquid. Cæterum frigidiore existente sanguine, vel copiosiori pituita, quæ vehementer calefaciunt, & digeruntq; sunt adhibēda, tum per inunctiones ex oleo anethino, rutaceo, & de castorio: tum per capitis ablutionem ex decocto chamemeli, anethi, rutæ, florum stœchados, & similium. Ex quibus etiam capiti tegumentum, aut cucufam (vt aiunt) parare poteris, quæ capiti athxa eandem gratiam prestet. Neque minoris est momēti, quòd aliquis astantium masticato fœniculi semine, vehementer inspiret in oculos laborantis: discutit enim flatus spiritum variè mouentes. Quibus si adhuc affectio non quieuerit, vehementioribus aluus inferior turbanda est, quæ sanè iuxta ideam, & naturam humoris peccantis eligenda sunt: tū per enemata acriora: tum verò per pilulas masticinas, alephanginas, & de agarico. Sed præstat sæpius ventrem purgare pilulis ex hiera simplici Galeni, cum agarico confectis, aut ex terebinthina, & rhabarbaro; & tandem omni arte laborantem ab accessione reuocabis, & diligenter studebis, quo vel nunquam, vel tardius redeat.

De vertigine per essentiam. At si vel accessio, his adhuc diligenter, & prudēter factis, diu durauerit, vel frequenter reuertatur; credendum est, morbosum apparatum, & essentialem capitis affectum, omne medici consiliū, & omnem diligentiam ad se vertere, & euocare. In qua sanè re omni arte curandum est, nosse illius morbosi apparatus causam, nec non & essentialem affectum; sed illam arbitramur reducendam fore ad capitis imbecillitatem, ortam quidem ex nudo intemperamento, aut ex eo & affluxu similis materię ibidem genitæ, vel aliundè transmissæ. Verū quia rarò intemperamentum à materia absoluitur, ob id distinguere oportet, quæ ab excessu, & intēperie, ad calidum, aut ad frigidum, prodeunt: nā hæc vel facultatem vitiant coctoriam, ita vt ex alimēto sibi commisso excrementum progignat, cuius excessu caput ocyssimè in vertiginem procidit: vel etiam expellentem cerebri potentiam lædit, ita vt excrementa quæ à coctione supersunt, pellere à capite nō queat: quibus redundantibus, facilè prædicta affectio suboritur. Cum hoc tamen frequentius nobis contingit videre caput affici, eo quod plus quā par sit, susceperit, quia versus caliditatem, & humiditatē intemperatum existit. Nam cūm hac intemperie afficitur, facilè ob contractam impotentiam, & ob sitûs etiam commoditatem cucurbitæ modo, quid quid vaporosum, & excrementitium est, cum vias, & foramina habeat prę caliditate patentiora, suscepit. Accedit autem his occasionibus alia ex eadē imbecillitate orta, nimirum flatuosa substantia in eodem capite genita, ac ex diminuto, & vitiato calore eleuata, & non discussa, quæ cum abundet, mirum non est, si spiritus animales, sicut & reliqua excrementa commoueat in gyrum ratione commoditatis loci. Quæ omnia si quis diligenter examinet, facilè reperiet, quantum difficultatis obtineat præsentis affectus curatio: quippe licet caput imbecille sit in omnibus his causis, non ob id vnam exposulat medendi rationem.

Curandi ratio. Dum enim concoctrix facultas languida existit, triplex insurgit medendi ratio: prima quæ docet vniuersum corpus ab excrementis, & humoribus redundantibus immune reddere, quo purgantibus liberalior subsit locus, vt caput à crudis excrementis faciliùs expurgetur: impossibile enim est robur capiti addere, neque intemperamentum corrigere, nisi priùs vagantia excrementa eduxeris: sed exequendum est huiusmodi opus lentè, paulatim, & leniter: Secunda docet intemperiem corrigerē, contrariorum prudenti vsu: & postrema partem roborare ijs auxilijs, quæ cap. de dolore capitis abundè diximus: vtrunque tamen cautè est agendum; nam imbecillum caput neque minimum citra dānum fert pati errorem. Contrario prorsus methodo vtendum est, dum facultas expellens improbè, aut diminutè proprio munere vtitur: tunc enim purgandum est frequentiùs, & roborandum minùs, ac tardius: nam quæ roborant, quodammodo comprimunt in ipso capite excrementa, ob idque caput laxare, & lauare tepida, ac emollire decoctis herbarum remollientium, ex vsu semper fuit. Denique tertio, vel quarto quoque die, aut per rarius interuallum, pilulam vnam, aut duas porriges, q. ℞. *terebinthinæ abietis* ℥. ß. *aloes* ℥. ȝ. *agarici* ℥. 1. *& ß*, vel alias quæ conficiuntur ex hiera, masticche, & agarico. Sed interim dum hæc fiunt, & reliqua quæ mox scripturus sum, viuendi ratio, & victus instituí debent, iuxta virium, & affectus indigentiam, ex paucis, simplicissimis, & facillimæ substantiæ edulijs, ac omninò flatu exsortibus: cuius naturæ sunt teneræ, & iuuenculæ aues; cum potu ex radicis chinæ decocto, vel sarsæ parillæ, aut aromate aliquo: cum veneris abstinentia; somno citra diurnum, quiete post cibum, habitatione sereno aeri exposita, & ab insolatu, & frigore præmunita; & vltimò vita ab animi perturbationibus immuni. Qua sanè viuendi ratione instituta, corpus alio modo purgabis, factis nimirū bolis ex catholico, & diaph. cum pulueribus hieræ simpl. & sacchato. Cui sanè pharmaco, & alijs quę seligē-

tius

tius purgant, exhibendis, corpus, & humorem A præparabis melle rosaceo, oxymelite, & syrupo stœchados, cum decocto q. ℞. *seminum pæoniæ scorticatorum, coriandrorum præparatorum ana ℥. ß. saluiæ, betonicæ, cichorij integri, epithymi, ana m. 1. liquiritiæ rasæ ʒ. 3. florum roris marini p. 1. coquantur secundum artem, & prædictis syrupis adde huius decocti* ℥. 3. A quo iterum pilulas porrigere oportebit, quæ ℞. *pilularum cochiarum* ʒ. 1. *fætidarum* ℈. 1. *trochiscorum alandahal gr. 3. fiant cum oxymelite pilulæ septem.* In quo casu non erit abs re, dum caput excrementis scatet, simul cum sanguine, & ob id graue pondus persentit, ipsum ex cephalica mittere: vel quod magis probo, ex hæmorrhoidibus. Postea verò munus expellentis facultatis languidæ ad B implere opus erit, vel ipsam excitando gargarismatis, apophlegmatismis, errhinis, & dentifricijs, ac omnium caputpurgiorum genere. Expurgari insuper caput potest insensibili euacuatione, & conspicua: hoc quidem per auxilia nuper dicta exequendum venit: illud verò per fomēta, lotiones, balnea, sudores, frictiones, pulueres, & alia id genus.

Ad primam igitur deueniendo, postquam absoluta fuerit corporis purgatio, vt dictum est, non videtur abs re cucurbitam cum scarificatione brachijs, aut scapulis affigere, aliquando verò vertici, maximè si flatus causam præstiterit: quo facto, mane prius quàm è cubiculo egrediatur laborans, expurgare caput oportet, narium emunctione, ex- C puitione frequenti ex palato extracta: postea tamen pectinis attritu, & linteo, vel spongia sicca caput ita fricetur, vt leuiter incalescat: tunc gargarizandum est decocto saluiæ, radicis capparorum, nucis muscatæ, rosarum, addito oxymelite, aliquando simplici, alias squillitico: per nares etiam saltem alternis diebus pituitam attrahere oportebit, eo q. ℞. *decocti radicis ireos, maioranæ, & saluiæ* ℥. 6. *mellis rosati* ℥. 1. *aquæ vitæ* ℥. ß. *trahatur tepidum naribus.* A quo altera, aut tertia die masticatorium porriges, q. ℞. *radicis pyrethri* ʒ. ß. *nucis muscatæ* ʒ. 2. *radicis capparorum* ʒ. 1. *mastichis* ℥. 1. *cum cera fiant trochisci masticandi.* Neque plurimum errhinis innitendum, sæpius enim D vehementiùs quam par est, cerebrum, & spiritus mouent: quibus factis, ad ea quæ insensibiliter caput purgant, veniendum est: cuius naturæ est lotio ex lixiuio sarmentorum cum thure, ligno aloes, & saluia: vel cum decocto q. ℞. *serpylli, florum chamæmeli, maioranæ, rosarum, & rosmarini, ana m. ß. agarici ligati* ʒ. 3. *baccarum lauri, radicis iridis, & asari ana* ℥. ß. *fiat secundum artem, & cum spongia vtere.* Possunt etiam fieri pilei ex prædictis, cum pulueribus thuris, stœchados, maioranæ, coriandrorum, nucis muscatæ, granorum iuniperi, caryophyllorum, ligni aloes, & rosarum, ac similium. In aurem quoque infundere prodest, aut guttulas aliquot olei laurini, a- E mygdalarum amararum, costini, iasminorum, caryophyllorum. Præstat & caput iniungere oleo, in quo ferbuerint squilla, ruta, serpyllum, & satureia. Vltimò tamen reliquias conteres, eo q. ℞. *succi absynthij, succi marrubij, succi stœchados, ana* ℥. 3. *mastichis, rhabarbari, chamædryos, & chamæpityos, ana* ʒ. 3. *hyssopi* ʒ. 1. *agarici ad pondus omnium, puluerizentur omnia subtilissimè, & excipiantur melle cocto: cuius porrige* ʒ. 2. *vel* 3. est enim mirabilis efficaciæ in conterendis, & expurgandis crassis humoribus. Cuius loco vti poteris theriaca, mithridato, & alijs similibus, quorum capite de epilepsia copiam reperies: prodest aliquando caput iuxta sinciput longè à suturis inurere.

Postea verò caput roborabis, causa existente frigida, eo, q. ℞. *saluiæ* ʒ. 2. *florum lauendulæ, hyssopi, menthæ, ana* ʒ. ß. *caryophyllorum, nucis muscatæ, cinnamomi, zingiberis, granorum paradisi, zedoariæ, & galangæ, ana* ℈. 1. *calami aromatici* ʒ. ß. *pæoniæ* ʒ. 1. *fiat puluis, cuius manè, aut nocte, porrige* ʒ. 1.

Calido autem existente capite, suscipienteq; per arteriosum, & venosum genus, copiosum, vel malignum humorem, sedata accessione, medendi ratio consulit tribus præsidiorum generibus vtendum esse. Primò quidem, cùm & materiam, & occasionem mali præstat calida intemperies: cui vsui sanguinem protinus mittere expediet, gratia quidē præ B seruationis (& curationis etiam si corporis præfuerit plenitudo) ex talo primo, vt consueuerat Gal. li. de sangui. mis. c. 1. mox ex communi vena, quæ totum corpus respiciat, ea sanguinis copia extracta, quæ sat sit plenitudini, & sanguinis feruori: posteà verò sequenti, aut altero die interposito, ex cephalica sanguinem detrahes, quorum neutrum facies, antequam ventrem solueris. Quòd si vlteriùs caput feruere, æstuareq; adhuc constiterit, non erit abs re cucurbitas brachijs, & scapulis, aut occipitio affigere, aut si nimis intumuerint, scarificare. Qua in re proficuum arbitror fore, ab hæmorrhoidibus per hirudines sanguinem fundere: quo facto, corpus, & caput refrigerare tentabis, ea lege quàm ad- C duximus, capite de dolore capitis ex causa calida. Verùm si coniectabile sit, ex feruore biliosum aliquid superesse, rhabarbari infuso, aut senæ, cum syrupo ex infusionibus violarum vteris: nec non & cassia fistula, aut manna cum sero lactis. A quibus progrediendum est ad ea auxilia, quæ vim habent caput roborandi: cuius naturæ est puluis, q. ℞. *coriandri præparati* ℥. ß. *rasuræ eboris* ʒ. 2. *ligni aloes* ℈. 3. *cum succo rosarum fiat massa, & cum modico saccharo pilularum forma, noctu dum laborans it dormitum, sumat* ʒ. 1. Miro etiam modo caput roborat puluis ex vermiculo faciente sericum exsiccato, & in puluerem redacto, qui posteà sparsus per vniuersum caput, mirabili quadam efficacia ipsum robo- D rat, & firmat. Cuius etiam census est alter, q. ℞. *chamæmeli, & florum stœchados, ana m. ß. rosarum p.* 2. *coralli* ʒ. 3. *pulueris coriandri præparati* ʒ. 4. *gallia muscatæ* ʒ. 1. *ex quibus factum pileum* plurimū prodesse constat. Alium item huic vsui conficies, si calor minor sit quàm flatus copia, q. ℞. *ligni aloes* ℥. 1. *macis* ʒ. 1. *& ß. origani, & spicæ, ana* ℈. 1. *rosarum rubearum, corallorum, santalorum rubeorum, ana* ʒ. 1. *puluerizentur omnia, & supra caput inspergantur:* ferunt etiam ex Rufi sententia, ʒ. 1. *& ß. radicis vitis albæ potui datam* summopere prodesse.

Quod si neque sanguinem mittere ex venis maioribus, aut ab ea quæ in carpo manus est, vel ex hęmorrhoidibus, aut cucurbitulis, quidquam prosit, E maximè si ea iterum, atq; iterum tentaueris, & purgationibus, tùm maioribus, tùm paulatinis vsus fueris, confugiendum sine dubio eo tempore est ad sudationem ex decocto guaiaci, sarsæ parillæ, vel radicis chinæ, maximè si morbi Gallici suspicio aliqua fuerit. Ac si ne hæc quidem prodesse videātur, veniendum esse consulit vrgentiæ ratio ad duo auxiliorum genera; quorum primum vias intercludit, per quas à toto corpore, aut ab aliqua eius parte ad cerebrum aliquid transmittitur: continet enim celebratam illam arteriarum retro aures sectionem, quam prisci illi authores tanti semper fecerunt. Quod præsidium, præterquam quòd suspectum est, sterilitatis (si Hipp. credendum sit) author existit: quippe arterias vtcunque soluere, periculo non vacat. Pręterquam quòd etiam si scindantur, aut tuto

vri possint, non ob id credendum est, vias omnes per quas caput suscepiat, protinus claudi, cum sæpius per interna vasa malum caput ascendat, quæ nec vstione, nec sectione, secanda sunt: quapropter temerarium est, dubium & suspectum præsidium tentare, dum periculosius existit malo præexistenti. Verùm in grauioribus malis, & quæ alijs auxilijs cessura non sunt, à perito chirurgo frontis & temporum venas potius auderem vrere. Cæterum si id tentare non audeas, ad secundum auxiliorum genus te conferes, quod docet si venæ in capite plurimum turgeant, capitis plenitudinem deponere, venis quę sub lingua sunt scissis, & sanguine ab eis profuso. Non desunt qui consulant, ferro candenti caput aliquibus locis vrere, quod sanè minus suspectũ videtur, maximè dum res in desperationem venerit: cuius sanè loco adinuenit ars nostra aliud non minoris momenti & tutioris conditionis, nimirũ in occipite fontanellam aperire, vel eidem parti setonem affigere. Quod præsidium licet proficuum huic malo existat, eis tantùm ex vsu est, quos vertigo deijcit, & in accessione prosternit: nam cũ certum sit, posterioribus cerebri ventriculis affectionẽ communicari, verendum est, ne laborans in epilepsiam, apoplexiam, aut saltem paralysim commigret: & ob id ea parte aperto setone, aut fontanella, longè magis prodesse creditur. At cùm affectio solùm in vertiginosa circumuolutione, aut visus tenebrosa offuscatione consistit, (signum profectò læsionis anteriorum cerebri partium) longè vtilius existimo, fontanellam in brachijs aperire, aut eisdem partibus setones affigere. Verùm si sors tulerit, quòd ex vteri consortio, vel iecoris, malum fiat aut quod suppressis hæmorrhoidibus, vel quauis alia vacuatione, vel vlcere, aut fistula manantibus, (quod non rarò contingit,) supprimantur excremẽta; item dum tumor aliquis inferiorum partium delitescit, proculdubio necessum fore arbitror, vel antiquam reuocare fluxionem, vel loco eius, fontanellam in cruribus aperire, per quam natura transmittat, quod per dictos affectus assueuerat expellere.

CAPVT X.

De incubo.

EST quidem incubus ea affectio, in qua laborantes inter dormiendum, graue aliquod sibi incumbere arbitrantur, vel ab aliquo ita opprimi & vexari, vt voce ac respiratione deperdita, veluti suffocari videantur, ac vires etiam adeò labefactari & torpore premi, vt licet aliquod graue periculũ (quod falsò imaginantur) fugere conentur, minimè posse existiment, etiam si ipsis appareat propè esse refugium. Quapropter à Græcis ephialtes appellatur, & à Latinis ab incumbendo, & premendo incubus; Arabicè verò amudalam dicitur, seu albeidalam, vel algiatum: quam etiam affectionẽ appellat Auic. strangulatorem: Auerroes autem halauũ; vulgares tamen nonnulli dæmonem, alij puerorum interfectorẽ, aut grauedinem nuncuparunt. Præterea constat nomine incubi, varia etiam posse intelligi apud authores: sic Themison. 2. Epist. lib. pnigaliona vocauit, quòd ægrotantes suffocet. Plinius autem noctis aut faunorum ludibria nominauit: excogitabat autem antiquitas syluanos esse dæmones hominum oppressores, de quibus vulgò profertur, desuper in aere super dormientem incumbere, & ob aeris immutationem quam efficiunt, suffocationem quodammodo & angorem inducere: sic latiùs scriptum reperies apud Soranum, lib. causarum. Præterea constat apud Beatum August. 15. de

A Ciuitate Dei, & Beatum Thomam. 1. parte, dæmones etiam reperiri, quos incubos & succubos vocant. Vltimò verò nomine incubi affectum quendam corporeum in cerebro existentem, subaudire oportet, qui præludium existit melancholiæ, insaniæ, aut apoplexiæ, qui nil aliud est quàm prauum insomnium cum noxa respirationis, propter vaporem crassum posterioris cerebri meatus obstruentem.

Quænam pars in ipso affectu afficiatur, & à quo morbo prodeat, quale etiam symptoma, & cuius facultatis existat vitium, non satis compertum est. Quippè multi censent, neruorum musculorumque passionem esse, decepti torpore quo frequenter sic
B affecti corripiuntur: sed credibile est, in hoc affectu primò caput laborare, idque quoad eius ventriculos: qua ratione constat affici velut pars instrumentalis: sic enim sequitur tantùm morbos organicarum partium, eos maximè qui ex obstructione fiũt, semiobturatis foraminibus, per quæ sensus & motus disseminantur. Quo fit, vt constet, non esse nudum ventriculorum cerebri intemperamentum, vt multi sunt arbitrati, siquidem subitò aufertur, sed humoris crassi, vel vaporis caliginosi aliquid adiunctum habens, quo obstructio efficitur. Sic enim prædictum morbum sequuntur tria symptomata grandioris momenti: nam primò imaginationem lædi constat, cum sic affecti arbitrentur (&
C quod grauius est, sæpe id credunt) se aliquo incumbente premi, aut in se irruente vexari; quod fugere cum nitantur, minimè valent. Quippè dum imagines e cerebro adseruatæ quietæ sunt & tranquillæ, nec fluctuant, nec immoderatè agitantur, somnia distincta digestaque, & verosimilia contingũt. Quòd si perturbatio aliqua vel corpori, vel spiritibus contigerit, insomnia fiunt præter naturam, in quibus rerum effigies vehementiùs agitatæ apparent: non quales verè sunt, sed intortæ, & monstruosæ: & licet falsa hæc oriatur imaginatio, non tamen credendum est, hoc vitium in deprauatam imaginatricem esse referendum: inter dormiendum enim, licet falsas imagines concipiat homo,
D non tamen imaginatiuam deprauatam esse coniectandum est, siquidem incubus nil aliud est, quàm prauum insomnium cum noxa respirationis. Item motus efficiunt sic affecti torpidos, quòd ipsi & sensus ferè omnes oblædantur, idque maximè in partibus à cerebro remotis, quia ad eas difficiliùs virtus demandatur, quo cerebrum certo modo obstrui constat. Item sequitur difficilis respiratio, quæ forsan symptomatum potissima existit causa partim quidem quòd vis motiua non integrè descendat ad musculos thoracis, & membra respirationi seruientia; partim quòd ipsa respirationis organa diminutè tempore somni moueantur: partim insuper, quòd thorax sit membrum primò affe-
E ctum, à quo caput per consensum afficitur: (nam arbitrari citra capitis vitium, sola thoracis læsione id posse fieri, alienum à ratione iudico, cum sic affecti sæpe in apoplexiam, aut epilepsiam procidant, malo per essentiam facto) quod indicat pondus thoracem opprimens, & difficilis eius motus inchoata actione, ex fumis nimirum & flatibus qui tunc excitantur, pulmonem & septum transuersum prementibus: haud secus, quàm si quis humorum crassorum copiam in vasis thoracis obtineat, noctu collecto intus calore agitantur humores & rariores fiunt, quo & respiratio difficilis redditur, & imaginandi quoque potentia vitium contrahit per consensum, haud secus quàm in hypochondriaca melancholia. Sed coniectabile est, ex quauis læsione, siue in neruis

quæ torpidum efficiat sensum, siue in musculis quæ motum impediat, siue in respiratione quæ suffocationem minetur, semper imaginationem lædi, & præ mali umore fingere mille monstra, quæ post somnum discusso obstruente vapore, & apertis meatibus, subitò euanescunt, ac forsan laborantem excitant: nec displicet eorum sententia, qui tenent, incubum, & terribilia insomnia etiam proficisci à ventriculi, & cordis læsionibus, illud quidem in his qui lumbricos habent, & hoc in melancholicis. Pari etiam ratione prodit capite sanguine pleno, minanteq; epilepsiam, aut alium grauiorem affectum, vt ex Gal. constat 4. apho. comm. 67. fieri in corporibus plenis, vbi aliquid humoris in caput irruit, effectuum prædictarum affectionum aliquam.


Sed dissidet hæc affectio ab insomnijs, quòd insomnia citra aliquod vitium corporis, quod morbum efficiat, aut minetur, monstris, & imaginibus plena sunt: at verò in incubo, nusquam hæc accidentia finguntur, neque in eo imaginatiua potentia læditur, quin aliquis affectus in corpore præexistat. Dissidet etiam læsio imaginatiuæ potentiæ in hoc malo à vertigine, quòd in ipsa à rebus externis frequenter laborantes in accessionem procidant, in incubo verò ab interno solùm affectu. Ob id enim constat, vertiginosos non pati inter dormiendum, sed solùm in vigilia; qui autem patiuntur incubum, è conuerso: quia necessum est calorem naturalem somno vegetiorem factum, in crassos, **C** viscidosque humores agere, & halitus caliginosos ab eis eleuare: quo fit, vt diu dissipatis aliquibus, ad pensum dispendij spirituum, huiusmodi vitia non accidant. Ex quibus constat morbum esse obstructionem, & symptoma esse noxam functionum animalium interiorum, & exteriorum ferè omnium, & in deprauata etiam imaginatricis potentiæ actione consistere, eo modo ac dictum est, cum diminutione sensus, & motus.

Causæ. Causa autem huius affectus triplex necessariò existit, iuxta tria grauissima accidentia, quæ oriri ex hoc malo comperimus. Prima sanè est, quando halitus quidam caliginosus, & densus irruit in cerebrum, ortus ex infimis corporis sedibus à crassis, **D** crudis, frigidisque humoribus, aut crassa bile, vel melancholico sanguine, qui sanè thoracem lædūt, & dum caput replent prædicto vapore, seu halitu, torporem inducunt, semiobstructis spirituum vijs, & imaginandi quoque potentiam lædunt: ex quibus prodeunt torpores in motu, & sensu, ac in imaginatiua potentia cogitationes deliræ. Prodit insuper ex hac causa non rarò epilepsia, quippe quæ plerumque ex flatu, aut humore in ipso attenuato originem trahit. Sunt verò qui non possint intelligere, qua ratione nebulosa substantia spirituum transitum interdicere possit. Qui, obsecro, animaduertant, haud secus rem se habere in cerebro à prædictis causis, ac se habet solis radius à nu**E**biloso, vel nebuloso aere, qui licet solis radios omnino interdicere non possit, potest tamen lucem, & splendorem turbare, ac impedire. Quod profectò si eodem modo in neruis accidat, mirum non est, si improbè quoque suum munus exequantur. Item dubitabit forsan aliquis, quanam ratione epilepsia non succrescit ex accessu prædictorum flatuum ad caput? Cui dicendum est, eos nec mordere cerebri substantiam, nec adeo ipsum obstruere, ac necessum est, vt epilepsia succrescat, nisi affectio admodum creuerit, aut diu durauerit. Fit autem hoc symptoma primo somni accessu, quia naturalis calor non plurimum valens, sufficiens est hos flatus eleuare, discutere autem minimè, nisi adueniente altera somni parte, **A** quæ caloris naturalis vlteriori actione inceptum opus perficiat, & prædictos halitus discutiat. Secunda autem causa est crassus etiam, & nebulosus vapor, non tamen aliundè transmissus, vt in præcedenti, sed ab eodem capite ex alimento improbè confecto, aut humoribus ibidem immorantibus exortus: quem sanè inter dormiendum, leuiter operante capitis calore eleuari scimus, & eandem turbationem inferre. Est quidem affectio ex hac causa prodiens, apoplexiæ, & paralysis præsaga: nam arguit humorem in capite redundantem iam iam casurum in foramen illud, quo obstructo, prædicta mala succrescunt. Tertia verò & vltima causa, paucis tamen nota, plenitudo est mul**B**torum, & crassorum humorum existentium intra venas, præcipuè thoracis, & partium vicinarum, earum maximè, quæ respirationi subseruiunt: aliquando verò fit à paucis, sed crassis easdem partes, & eas quæ propè cerebrum sunt, obsidentibus. Quos equidem, cum subagit mouetque calor inter dormiendum, maiorem infert duplici ratione in respiratione pressuram, prima propter nouum morbum in prædictis partibus, quo fit, vt cùm non possint instrumenta hæc respirationi liberè inseruire, suffocatio verè subsequatur. Secunda quia coniectabile est, non dilatari tantùm dicta instrumenta inter dormiendum, prædicto modo affecta, ac tempore vigiliæ: cuius dilatationis defectu, & **C** ob primam etiam causam, periculum suffocationis imminet, quod apprehendens imaginatiua potentia, errans, ob vapores etiam illuc ascendentes, imaginatur suffocationem illam esse ab incumbente aliquo grauante, atque premente extrinsecus, quo fit, vt prædictum symptoma suboriatur.

Signa. Distinguitur autem, an ab hac, aut ab illa causa prodeat affectus (nam symptoma seipsum ostēdit) certissimis quibusdam signis. Quippe si per primogeneam capitis affectionem fiat, expergefacti laborantes, licet respirare difficulter desinant, & velociùs se posse mouere cognoscant, nihilominus tamen per aliquod temporis interuallum, imaginandi potentia non redit ad pristinum statū, quia cau**D**sa mali in capite, aut eius venulis, & vicinis sedibus immoratur, & cum iusto sit crassior, difficulter dissoluitur. Præterea, si per consensum ab halitibus ascendentibus fiat affectio, expergefacti laborātes protinus resipiscunt, argumentum quidem, causam tenuissimæ esse substantiæ, vel nullam in cerebro obtinuisse fixionem. At à thorace affecto fieri monstratur, quia expergefacti laborantes, licet mente constent, diu tamen difficulter respirant, quasi à citatiori cursu excitari: argumentum profectò, mali principium esse in respirationis instrumentis.

Curandi ratio. Curandi verò ratio quadruplici consideratione contenta, magna diligentia exequenda venit, ante videlicet quàm in grauius malum commigret affe**E**ctio. Prima quidem victum instituit, & vitæ parsimoniam, cum affectio ex crassorum humorum redundantia plerunque oriatur. Cauere insuper oportet victum, qui flatibus efficiendis idoneus sit: à vino abstineant, aut quàm tenuissimo vtantur: interdiu non dormiant, & noctu longè à cœna, & manè leui, ac longiusculo vtantur exercitio, & somnus item non fit corpore supino, nam qui ex thorace laborat, ocyùs hac occasione suffocatur.

Secunda, vacuandi modos præscribit, habita prius consideratione, an sanguinem mittere liceat. Cui operi exequendo diligenter considerabis, an sanguis quodammodo abundet, vel humor abundans sanguini admixtus existat: tunc enim, & maximè si suppressa fuerit aliqua sanguinis consueta vacuatio, si neque ætas, neque vires,


BIBL... NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aut quidquam aliud vetuerit, prudenter oporte- A bit sanguinem mittere, parcè quidem, & per longissima interualla. Verùm si ex suppressa aliqua sanguinis vacuatione affectio suboriatur, tunc enim vel ipsam ad consuetum locum reuocabis, vel à parte proxima ei, per quam sanguis fluere assueuerat, liberaliùs sanguinem mittes: vt si ex vtero, aut ex hęmorrhoidibus, ex talo; vel si diu suppressus sanguis sit, ex iecoraria, vel splenetica vena. At si ex naribus fluxio præfuerit, tunc ex brachio, sicut dum plenitudo grandior ex suppressione apparuerit. Itē cucurbitis vteris, si per nares fluere assueuerat; ac si grandior fuerit affectio, ex eisdem naribus, aut vena frontis sanguinem mittes. Tertia verò docet corporis, & capitis crassos viscidosq; humores, aut me- B lancholicos præparare, & per commodam regionē educere: quod sanè facies iuxta idæam humoris, quem redundare cognoueris, adhibitis serapijs, apozematis, pilulis, & alijs purgantibus pharmacis, quę capite de melancholia adducemus. Sed prouidendum est parti consentienti, nam si venter mali causa fuerit, non erit abs re, à vomitu principium curationis auspicari; sin aliter, à peculiari purgatione. Purgant autem specialius in hoc affectu capitis pilulæ Arabicæ, cum pulueribus foliorum senæ, & oxymelite squillitico, præmissa purgatione ventriculi. Item, terebinthina abietis cum rhabarbaro, & pulueribus foliorum senæ, aut *syrupus de pomis sine croco, cum infusione* ʒ. 3. *foliorum senæ, aut* 2. *epithy-* C *mi.* Quam sanè curationem (modo in capite malū firmatum sit, modo ab aliquo inferiori mēbro, præstetur) potius per epicrasim, & repetitas vices institues, quam per confertas, & subitas vacuationes: vt paulatim præparatis peccantibus succis, citra viriū dispendium, ne ob id, & humorum magnam agitationem in grauius malum affectio degeneret. Quartum verò & vltimum curationis membrum docet, si quid in capite reliquum est, discutere, & ipsum roborare, exhilarareq; ipsius spiritus, ac apertiores reddere meatus. Quod profectò facies, præmissis acribus clysteribus, q. ℞. *succi mercurialis, & sicla* ℥. 4. *hieræ picræ, aut diaphæniconis* ʒ. 6. *vel hieræ logodij* ʒ. 3. *si affectio grauior sit.* A quibus vaporum ascen- D sus compescere oportebit, cui vsui *porriges* ℥. 2. *carnis citoniorum sacchαro conditorum, sine odoramētis:* quo facto & corpore purgato, sumat laborans *theriacæ veteris* ℈. 2. *conseruæ buglossæ* ʒ. 2. ac superbibat si materia pituitosa, aut melancholica fuerit, *syrupi stœchados, & borraginis anà* ℥. ß. *oxymellitis simpl.* ʒ. 2. *aquæ stillatitiæ betonicæ, absynthij, & bursæ pastoris anà* ℥. 1. *seminis, vel radicis pęoniæ, & nucis muscatæ anà gr.* 8. quod quidem facies ea lege *tertio vel quarto quoque die.* Item *semel in mense* purgabis aliquo ex prædictis pharmacis, vel prunis damascenis infusione foliorum senæ conditis.

Diebus tamen intermedijs sumat laborans *conseruæ anthos* ʒ. 1. *cum prædictis aquis.* Vsui quoque est E ʒ. 1. *electarij diamusci dulcis in tabellas confecti*, dū laborans it dormitum. Discutiet quoque flatus puluis q. ℞. *anisi* ʒ. 2. *aromatici rosati* ʒ. 1. *cinnamomi* ℈. 1. *sacchari* ℥. 1. sumat à pastu *cochleare vnum.* Caput quoque aspergatur puluere q. ℞. *corticis citri* ʒ. 3. *caryophyllorum* ʒ. 2. *cyperi* ʒ. 1. *cocci infectorum* ℈. 4. *coriandri præparati* ʒ. 2. & ß. *sampsuchi, betonicæ, anà* ℈. 1. *stœchados* ℈. 2. *rosarum rubearum* ʒ. 2. *fiat puluis, quo etiam vti potest cum ęquali pondere sacchari mox à cœna.* Sed præstat maximè eadem hora potus aquæ feruentissimæ. Verùm quia sic affecti, vel corde contremiscunt, vel timidiores sunt, prouidēdum etiam cordi est epithemate, aut sacculis q. ℞. *pulueris corticum citri, galangæ, cyperi, ocymi, & seminis angelicæ, anà* ʒ. 2. *florum anthos, stœchados, & buglossæ anà* ʒ. 3. *pulueris diamargaritonis frigidi* ʒ. 2. *fiat sacculus.* Dum verò affectus in capite viget, topicis prædictis frequentiùs vti oportebit, parciùs tamen, & per interualla purgare: at si ex consensu totius corporis vitium suboriatur, vberius purgandū est. Cæterum si affectio ex læso thorace prodeat, eandē curandi legem obseruabis, quam capite de difficili respiratione scriptam latius reperies: verum capiti prædicta auxilia adhibebis. Ferunt tamen non contemnendi authores, omnibus caussis huius mali proficuum esse corallum collo appensum, aut radicem pęoniæ, vel pyritem lapidem.

CAPVT XI.

De phrenitide, et eius speciebus, ac de cerebri sphacelo.

TRactaturo mihi phrenitidis naturam, & præsidia, tria sese offerunt discutienda, iuxta tres eiusdem mali differentias. Nimirum phrenitidem propriè vocatam, pseudophrenitidem, & paraphrenitidem, atque ob id multa quæ his omnibus sunt communia, primò scribam, postea verò, quæ cuiq; illarum propria existunt, docebo.

Phrenitis igitur nil aliud est, quam desipientia, seu delirium cum acuta febre, ex capite principaliter affecto, maximè per inflammationem membranarum eius. Itaque communi significato, ille affectus est, in quo mens, vtcunque sit, læsa videtur, vt constat ex Galeno lib. 1. prorrhe. comment. 4. nam cum phrenitis à phrenos, hoc est, mente dicatur, ob id communi vocis acceptione, quæuis mentis oblæsio phrenitis nuncupatur. Sic enim Galen. lib. de comate cap. 4. propè finem, ex Hipp. mente phrenitidem multis deliramenti nominibus insigniuit, dicens: Quandoque delirabat, quandoque amens fuit, intermisso spiritu loquutus est, desipuit, non fuit apud se, insaniuit, insania tenebatur, non intelligebat, & obloquebatur: quæ omnia in his quorū læsa mens est contingunt. Quæ sanè nomina licet omnia delirium significent, cum hoc tamen delirij quantitatem etiam per ea Hippoc. voluisse monstrare docuit Galen. 6. popul. part. 6. comment. 19. vbi hæc eadem nomina quantitatem desipientiæ declarare scribit. Verùm cum à multis corporis affectibus mentis actiones euerti contingat, ob id primò studuerunt prisci illi medicinæ parentes, iuxta corporis diuersum morbum, nomen quoque diuersum huic mentis alienationi imponere. Sic profectò tot læsionum mentis nomina scripta reperiūtur: melancholia nimirum, mania, lycanthropia, amentia, & phrenitis: quæ quidem licet certo quodam modo læsæ mentis actioni conueniant, dissident profectò non parum morbo à quo mentis ipsius actio perturbatur. Communi tamen diuisione, vniuersa actionis ipsius læsio (quippe mens ipsa, vt quæ incorruptibilis sit, & nulli adstricta organo, vitiari non potest, sed solùm eius actus iuxta phantasmatum, ad quæ conuertitur, vina) in duplicē differentia est affectum: quorum alter citra febrem est, sub se comprehendens melancholicos, & maniacos affectus: alter verò delirium, & mentis alienationem cum febre, quod sub se continet phrenitidis omnē speciem. Hanc sanè triplicem sortiri differentiam omnibus viris doctis compertum est: quippe phrenitis, quam delirium cum febre diximus Galenum appellare, vna est pseudophrenitis dicta, id est delirium perpetuum cum febre, cerebro tamen nequaquam primo affecto, sed solum lege consortij; idq; non à quauis parte, sed solùm dum ab ipso septo transuerso inflammato consensus suboritur: cuius cum cerebro tanta est per neruos communio, vt

ipso

ipſo affecto, protinus caput perpetua paſſione afficiatur, idque cum febre ob cordis viciniam, vt latiùs ſum ſecũda huius capitis parte monſtraturus. Altera phrenitis eſt delirium etiam cum febre, ſed non perpetuum, quam potius paraphrenitidem dixeris, laborantibus, vt aiunt, ad dilucida interualla deuenientibus, quòd per conſenſum etiã ſuboriatur. Tertia verò & vltima huius mali ſors eſt, perpetuum delirium cum febre, capite tamen primario affectu laborãte. Quare iuxta optimam rationem arbitror Auicen. feciſſe, qui huic affectioni duplex impoſuit nomen, alterum commune, quod Arabica lingua ſcribitur carahitus, id eſt, mentis alienatio, cuius ſignificato complexus eſt id quod Galen. nomine phrenitidis ſtricta ſignificatione accepto vocabulo: alterum verò ſirſem, quod apud Perſas, quorum nomen eſt, inflammationem ſignificat etiam in cerebro, vel in eius membranis: itaque primo nomine id quod nos paraphrenitidẽ nuncupamus, inſigniuit: ſecundo verò veram phrenitidem.

De paraphrenitide.

Verùm quia frequenter accidit ex negligentia in delirio per conſenſum habita, velut in pleriſque febribus contingit, veram phrenitidem, malum alioqui grauiſſimũ & ferè incurabile ſuboriri, placuit primo loco de paraphrenitide ſermonem inſtituere, vt non ſolùm hoc vno capite conſtet phrenitidis vera curatio, verùm & præcautio, cũ imminet. Frequenti etenim experimẽtum confirmatum eſt, plures eorum qui moriuntur ex acutis & malignis febribus, aut internis inflammationibus, potius ex phrenitide aut alio graui capitis affectu (in quẽ prædicta febris commigrar) mori, quam ex vi & efficacia primi mali. Sic enim qui febrientes cõmoriuntur, quo tempore delirantes apparent, tremuli fiſit, conuulſi, aut ſomno graui oppreſſi, mutata vaporoſa febris materia, & nonnunquam ipſa in aliquem ex prædictis affectibus. Eſt igitur paraphrenitis delirium non perpetuum cum febre. Ad cuius integram notitiam expendendum eſt, vtcumque in caput irruant halitus calidi & mordaces ex vi febris exorti, qui ob tenuitatem propriam neque obſtructionem, neque ſpirituum commotionem efficere poſſint, cerebro ſolùm calefacto, turbationẽ menti inducunt.

Cæterum dubitabit aliquis, & meritò, qui fieri poſſit, vt cum halitus caput aſcendunt, nonnunquã ſomnum, ſæpe capitis dolorem, aliquando vertiginem, quandoque incubum, & ſæpe delirium inferant, cũ halitus ſit idem, & pars affecta eadem? Cui dubitationi dicendum eſt, hoc diſcrimen naſci ex eo morbi genere quod halitus in caput inferunt, neque non & ex parte quæ læditur. Quippè halitus aſcendentes, aut capitis tunicas & velamina ſoluũt tenſione, aut exeſione, ex copia vel acrimonia caloris facta: quo tempore mirandum non eſt, ſi dolorem inferant; vel cerebri ſubſtantiæ, & medullæ foramina, per quæ ſpiritus viſorij in oculos permeãt, prędicti halitus inordinatè obſtruant: quo fit vt intra cerebrum ſpiritus interturbent, & vertigo neceſſario ſubſequatur: ſicut dum obſtructio ab eiſdẽ fit in parte poſtica cerebri, & imaginandi quoque potẽtia læditur, incubus prodit, torpidis ab obſtructione factis motus inſtrumentis: quo etiam modo ſomnus efficitur ferè. Verùm dum his halitibus cerebri ſubſtantia diſtemperatur, ſpirituſque aliquo etiam modo alterantur, vt facultatum principium actiones euertant, nulli dubium eſt, deliramenta & mentis alienationem prodire. Qua prorſus ratione arbitror dictum eſſe à Galen. 3. de locis affect. dupliciter poſſe lædi cerebrum: vno modo vt pars eſt inſtrumentalis, velut in prædictis

A affectionibus oblædi dictum eſt: alio verò vt ſimplex, ex intemperamento, quo tanquam immediato inſtrumento potentiæ illius partis læduntur: à quo læſionis modo deliramenta prodeunt. Quod ſanè alijs nominibus inſinuauerat, dicens, læſionem quæ accidit cerebro, vt inſtrumentum eſt, pertinere ad corpus; quia ob eam læduntur ſenſus externi, & motus primariò & euidentiùs: eam verò quæ ad ipſum pertinet, vt ſimplex pars eſt, pertinere ab animam, hoc eſt, iuxta mentẽ Galeni ad temperamentum, & vt alij interpretantur, ad interiores animæ potentias. Et ob id ab huiuſmodi cerebri intemperantia, ſaltem fiente, tanquam à morbo, licet totum ſuum eſſe habeat, in fieri in B cerebro, & in facto eſſe in partibus mandantibus, prædicta deliramenta prodire eſt credendum.

Habet autem naturam prædicta affectio ſitam in læſione eſſentiali aliarum corporis partium, aut totius, ſuſcepto earum vitio in cerebro. Quo fit vt in acceſſionum incrementis, & in augmento magnarum, ardentium, & malignarum febrium, putridis, & exuſtis fuliginibus in caput irruentibus, plerumque elucescat, cum à cauſa dependeat, quæ fixionem aut permanentiam non habeat in ipſo, ſed præludium ſit veræ phrenitidis. Nam exuſtæ & acres fuligines, cum hoc quòd tales ſint, calidæ quoque exiſtant, & vaporoſæ, caput calefaciendo dilatant, imbecillitantque, vel inducta C vigilia ſi præualeat calor, vel nimio ſomno, ſi vaporoſa conditio, & tandem diſponunt, vt facilè ſi quid humoris, vel redundauerit in toto corpore, vel contineatur in cerebri ſubſtantia ſimul cum vaporibus per vaſa tranſmiſſum, aut ibidem in præternaturalem ſortem mutatum, in prædictum, aut grauiorem affectum prorumpat. Cæterum dum ſolus halitus in caput irruit, cum tenuis ſit ſubſtantiæ, vt dictum eſt, facilè diſcutitur & euaneſcit, & ſic protinus delirium ſubſidet extincto febris & humorum feruore, donec iterum denuo ſufficiens halitus caput peruadat, & idem deliramentum conciter. Neque enim credendum eſt, quamuis halitus portionem id malum poſſe efficere, ſed requirit certam in copia & natura diſpo- D ſitione: qua ratione, licet ſemper aut frequenter aliquid eorum caput infeſtet, ſaltem in continuis febribus, non ob id ſemper ſed per interualla mentem turbat.

Cauſæ.

Cauſas habet hoc delirij genus flammeam in corde aut in quauis corporis parte caliditatem, quæ capitis potentias eo modo quem diximus turbet. Sic tanquam peculiarem habet (vt dictum eſt) febrium omnium præcipue biliosarum, ſummum acceſſionis vigorem, & continuarum augmentum. Pari ratione fit ab inflammationibus, quæ vel nimio dolore affligunt, aut incompeſcibilem vigiliam inducunt, vel calore ingenti excan- E deſcunt, aut ſuppurantur: denique in omni calorifico affectu in quo flammea ſit in corde & pulmone caliditas, dummodo augmentum & decrementum atque interualla ſuſceptet, proculdubio prædictus affectus reperitur: & in his inſuper qui adeo imbecille habent caput, vt quantumuis febricula ſit leuis, protinus in deliramentum procidunt, quos citius in maius malum caſuros certum eſt, ni diligentia præueniantur. Denique proficiſcitur à febre, ſicut phrenitis vera febrem producit.

Signa.

Ficta quadam ſimulatione plerique delirantium ſtudent, & medicos & aſſiſtentes decipere: nam plerunq; multa loquuntur & agunt, quæ in ſe conſiderata à ratione aliena non videntur. Verum ſi quis occaſionem, perſonam, modum, & reliqua id

genus consideret, proculdubio reperiet figmentum A esse: nam multa sunt quæ neque fœminarum honestati, aut virorum authoritati, vel cuius occasioni conuenire videntur: idque hac ratione iudicabis delirij esse præludium, maximè si præcesserit vigilia continua, & intensa, somnus turbulentus, in quo ægri exiliunt, & somniorum imaginibus interdum detinentur, & loquuntur, ac similiter obliuiscuntur eorum quæ dicunt, & cum respondent ferociores, ac iracundi apparent, vltra innatam, & genuinam modestiam. Sic enim dixerat Hippoc. oculi audacia delira. Occipitio præterea frequenter cōdolescunt, signum certè halitus ascendentis per vasa quæ in posticam cerebri partem inseruntur. Itē paraphrenitici subito delirant, & prima interdum B die, phrenitici vero quarta die, vt Aetius aduertit. Denique, si quis diligenter laborantes intueatur, facilè discet, dum aliquod ex prædictis signis præfuerit, longis interuallis distare à propria natura, consuetudine, & conditione, signum certè occultæ perturbationis potentiarum. Quibus cognitis vereri oportet, ne pristinum delirium subsequatur, quod si accesserit, & permanserit, citra intermissionem, phrenitis proculdubio iudicanda erit, maximè si vrina, & alui excrementa decoloratoria apparuerint, sicut paraphrenitis, si per interualla repetierit, nullo ex prædictis signis elucescente.

Curandi ratio.

Tribus omnino vijs præcauenda venit prædicta affectio: vna quæ halitus generationem, quo possibile fuerit, impediat: secunda quæ præcaueat eorum ascensum ad caput: tertia quæ prouideat, quo minus caput ipsos suscipiet, aut à susceptis lædatur. Primam sanè assequeris his præsidijs, quæ vim habent extinguendi feruorem, & excalefactionem humorum, qualia sunt frigida, acidaque medicamenta, aut alimenta: velut est frigidæ potus, qui crescente febre exhibitus cum saccharo rosaceo maximi est momenti. Huius census sunt serapia, & apozemata, quæ ℞. *aquam per mortarium lapideum percolatam, aut stillatitiam cichorij, borraginis, buglossi, scorcioneræ, acetosæ, & decoctionis hordei; quibus addere oportet* ℥. 1. *aut* 2. *pro duabus aquæ libris, syrupi rosarum, aut violarum, acetosæ, granatorum, vel de succo limonum.* Quos sanè potus, vel ex aqua fluuiali, aut fontana factos, niue aliter refrigeratos, maximè si æstiuum tempus poposcerit, porrigere liberaliter poteris.

Sic exteriùs quoque aerem temperabis, frigidis aspergitibus ex aqua, & aceto, vel ex aqua rosacea, puteali admixta. Item dum morbus non est malignus, sed solum intensione peccans, corpore satis euacuato, cordi epithemata affiges: ab eo enim & pulmone, in quibus feruor, & incendium magis vigent, huiusmodi halitus caput ascendunt; quapropter ipsi adhibere oportet epithemata, confecta ex prædictis aquis cordialibus, cum modico aceto rosaceo, & succo pomorum dulcium, ac pulueribus diamargaritonis frigidi, vel electarij degemmis, filtro serico exceptis, aut mollissimo linteo, & cordi adhibitis. Curandum tamen est, ne diu nitamur apozematum exhibitioni, vel epithematum vsui, ne cor plus iusto refrigeretur, aut retrocedant vstilagines febrium, sed per interualla, & vices eis vteris. Cauendum insuper in vtroque auxiliorum genere est ab his, quæ vehementer adstringunt, idq; maximè in internis inflammationibus, nisi dum ascensus ad caput maius facessit negotium: quo tempore admiscenda sunt quæ incidendi vim obtineant, tum vt pcotinus permeent frigida, tum verò ne inhibeatur omnino cutaneus effluxus.

In quo sanè opere non minoris est momenti vlteriùs sanguinem mittere: nempè non solum vbi A sufficienter missus non est, verum vbi vehementiæ febris satisfactum esse iam videtur. Nam si vires adhuc constiterint, gratia præcauendi imminens periculum, iterum mittendus sanguis est. Qua occasione, vel ex saluatella, si æstuosus videatur laborans, aut ex cephalica, si capite nimis grauatus, sanguinem mittes. Vlterius tamen ad inferas sedes quod in caput fertur distrahes, *clysmatis* quæ purgandi vim obtineant iniectis, *quibus adijcere, vel electarij succi rosarum* ʒ. 4. *vel catholici* ℥. 1. *liberè poteris*, vt si quid excrementosum in primis venis, & in intestinis abundat, leui negotio educas, quominus ab eo halitus cacoethici eleuari possint.

Verùm si speras ex cacochymiæ vbertate maius B futurum esse malum, & copiosiùs vapores caput ascendere, siue delirium per accessionum incrementa succrescat, cum morbus est interpolatus, siue cōtinuus extiterit, exacerbationes tamen habens, tūc quidem maximi momēti arbitror, leui aliquo pharmaco expurganti vti, cuius census est cassia fistula, manna, vel syrupus ex infusione rosarum. Quibus non renuo, vrgente maiori malo, dilutum rhabarbari, aut foliorum senæ adijcere, quo minori facta materia minus euaporet, & protinus febris compescatur. Verùm si delirium fuerit continuum, & nullo modo quieuerit, ego quidem non auderem expurganti vti pharmaco: quippe credibile est eo tēpore, ob ingens incendium materiam rariorem fie C ri, & citatius moueri, quo fit, vt pharmaco agitata ocyùs in cerebrum, quo tendit, irruat. Quod velim intelligi, ni tanta sit biliosi humoris copia, quòd maius mineatur malum hac ratione turgens facta, quam dum mouetur, si minor fiat. At si purgare formidaueris, sanguinis missione, vel frigidis, & cōpescentibus feruorem, rem ages tutiùs.

Secunda curandi ratio, si halituum generationem ex toto interdicere fuerit impossibile, aut perdifficile, his perficietur auxilijs, quæ motum materiæ ad caput impediant. Quod sanè opus dupliciter facies: nam vel id quod in caput irruit, iam iam propè ipsum est, aut à toto vel à parte aliqua affecta proficiscitur, vt illuc eat: hoc vero ad quàm distan D tissimas partes reuellere frictionibus frequentissimis, vinculis dolorificis, cucurbitulis femoribus adhibitis, aut suris affixis, & nonnunquam scarificatis, maximè dum plenitudo satis deposita non est, & vires non patiuntur vlteriorem sanguinis detractionem. Id quoque beneficium præstabis crurum lauactis, ni timueris macularum in morbis malignis retrocessum: quo tempore id præsidium parabis in conclaui calido, & temporibus æstiuis, aut maculis iam euanescentibus, licet lauacra aliquando plus ipsas maculas euocent; est enim hoc præstantissimum auxilium, tum quia calorem euocat ad infimas, & extimas partes, tum vero quia calore, & laxitate partium per easdem, quod attraxerat E discunt. At cum iam iam halitus caput aggredi cōstiterit, brachia ligabis, ablues, & fricabis, ac eisdē, & scapulis cucurbitas cum scarificatione affiges, & clysmatis etiam nuper adductis vteris. Verum inter ea quæ prædictos halitus magis distrahunt, proculdubio est cucurbitarum vsus per dorsum è regione cordis, & maximè dum scarificantur; quippe tunc & reuellunt, & ventilant, & mille alia beneficia præstant, quòd à parte primo affecta vstilagines ad cutim euocent.

Tertia autem curandi ratio ijs tantum auxilijs constat, quæ topica vocantur: quæ sanè tunc locū obtinent, cum duæ prædictæ indicationes præcesserint, & his constant medicamentis, quæ præter id quod à capite (si quid contentum in eius venis est) pellant, refrigerant quoque & ipsum temperatius

red-

reddunt, (ne amplius susceptet,) aut ocyssimè repulsu liberent. Primum sanè faciem, & collū mollibus linteis madefacies, ligabisque aqua rosacea madidis, vel addito modico aceto, aut ex aqua frigida cum eodem aceto rosaceo, vel lacte muliebri. Sed capiti mox adhibebis lac, potissimum muliebre, solum, aut cum aqua rosacea, vel aquam hordei cum succo limonum. Quod tamen communius est, oxyrrhodinum appellatur, ex oleo rosaceo & quarta aceti parte confectum, cui si addideris aquæ rosaceæ modicum, vtilius facies: Ad arcendam tamen vigiliam, addere oportet prædictis succi lactucæ modicum: quibus si affectio non quieuerit, scito breuiter in phrenitidem commigraturam fore.

De pseudophrenitide. Studui hanc paraphrenitidis speciem, quæ septo transuerso inflammato accidit, à prædicta paraphrenitide seiungere, quòd perpetuum obtineat delirium, & à vera phrenitide, quòd per consensum fiat, & quia diuersissimis longè signis ab vtraque dissideat, & diuersissimam curationem expostulet. Fit autem pseudophrenitis (sic eam placuit appellare) ex inflammatione septi transuersi, quam duplicem posse esse experimento, & ratione constat: vnam quidem ex fluxili, aut tenui pituita, vel sanguine aquoso; reliquam verò ex bilioso, & mordaci: Sic illa diuturna existit, citra febrem, & delirium, aut dolorem (nisi in suppurationem agatur humor) hæc vero acutissima, cum ardentissima febre, delirio, & difficillima respiratione. Illa enim quæ ex frigido fit succo, quia necessitatem plurimū non auget, respirationem, & pulsum non adeo mutat, vt 4. de præsagitione ex pul. Gal. insinuat; sequitur tamen hanc timor, & hypochondriorum tensio, ob musculorum tensionem. Cum autem pituita hæc tenuis temporis tractu crassescit, succrescit dolor, item & difficultas respirandi, ac pulsus durities cum maiore hypochondriorum tensione, sine tumore manifesto: quod si febris aliquando accedat, signum est suppurationis, & mox delirium succrescit: quod si febris non subsequatur, laborans tabe contabescit, & moritur. Verùm si ex bilioso fiat recremento, cum protinus ex parte conclusus putrescat, sequitur facilè febris intensissima, item delirium perpetuum. Idque non alia ratione, licet plures medici asserant diuersum, quam per consensum, & communionem, quam cerebrum per varias neruorum propagines habet cum ipso. Quo fit, vt septo inflammato, delirium fit perpetuum, potius quàm quouis alio membro principe inflammato, quia septo inflammato communicatur flogosis, & incendium per continuitatem nerui à septo in cerebrum: quo fit, vt tamdiu duret delirium, quam diu septi inflammatio. At in reliquorum viscerum inflammationibus non ita, quia fit consensus per euaporationem solùm, non per hanc simul, & colligantiam, vt in septo: item quia septo præstitit natura neruos perpetuo se mouentes inter dormiendum videlicet, vt & in vigilia, quia effecturum erat perpetuo naturalem respirationem: & qua ratione semper mouetur, eadem semper cerebrum, à quo perpetuò recipit, perpetuò patitur: quæ ratio me coegit pseudophrenitidem appellare, hoc est spuriam phrenitidem, quia cerebrum modo dicto ferè per essentiam: ex pleura verò, iecore & reliquis visceribus minimè: quia delirium in his fit per transmissionem, quæ adeo continua non est, sicut communio quæ fit per neruos.

Habet enim septum magnam cum præcipuis membris colligantiam, & communionem: cum corde quidem ob arteriam magnam, quo fit, vt febris ardentior fit: cum cerebro, per neruos, cum iecore per venam cauam. A Sequitur etiam in his antequam delirent, respiratio parua, & frequens, vt docuit Galen. 5. de locis cap. 3. Adest & hypochondriorum tensio citra euidentem tumorem, vt constat etiam 1. popu. part. 3. comment. 18. ex quo vt refert 4. de presa. ex pul. mox sequitur delirium cum inæquali respiratione, modo parua ob dolorem, ac tensionem, modo rara ob delirium. Adest & circa hypochondria pulsus, vt docuerat Hippoc. 1. prog. 31. & popu. 1. part. 3. commen. 18. dixit enim, si pulsus insit in hypochondrijs, maniam, aut perturbationem significat. Qua parte expendendum est, pulsum in hypochondrijs, vt duo dixit significare, ita prorsus à duabus causis proficisci: quippe aliquando B prodit à septi transuersi inflammatione, & tunc maniam, hoc est grande delirium (non veram maniam, quæ sine febre est) quale solet maniacis accidere, succrescit: nonnunquam verò perturbationē ostendit solùm, vt in melancholicis affectionibus comperimus, & tunc prodit ab arteriæ quæ iuxta dorsum est, pulsatione, vt in plerisque fœminarum, quæ hypochondriacis affectionibus premuntur, non rarò comperimus: nec non & in viris: nam ob id dixit Hippocr. si pulsus insit in hypochondrijs significat maniam (hoc est grande delirium,) aut perturbationem, hoc est, peruersionem imaginatricis in aliqua re: non quidem dixit maniam, & perturbationem, sed alterum, iuxta causæ diuersitatē, C & naturam, vt etiam lib. de fœm. morb. proprio. c. de arteriæ pulsatione exposuimus.

Fieri autem ex hac parte delirium, & huiusmodi accidentia, cognosces, quia nullum apparet in capite, aut facie signum caloris, neque stillat sanguis è naribus, vt in vera phrenitide. Item in hoc affectu febris primò exoritur, & postmodum delirium: at in vera phrenitide, & febris, & delirium pariter ferè hominem apprehendunt, licet Aetius quarto die delirium fieri referat, quod est, sensibiliter eo die apparere, etiam si ferè simul ingruant: & hoc est quod Galenus scripsit lib. de locis affectis, nimirum delirium ex septo inflammato parum à continuo distare, hoc est, quod alterum vna cum febre, D & reliquum paulò post incipiat. Præterea habet tanquam peculiare, & proprium hæc affectio tensa hypochondria, dura, ac si mens libera stetisset, dolentia, maximè iuxta medium thoracem. Sed potissimum cognoscitur ex respirationis differentijs: nam dictum est à Galen. mille in locis, sic affectos breuispiros esse, hoc est, habere frequentem respirationem, iuxta Hippoc. decretum primo prognosticorum dicentis: Spiritus frequens dolorem significat aut inflammationem in partibus quę supra septum transuersum sunt; cum ex propria natura qui delirant respirationem habeant raram, vt idem Hipp. eadem parte scripserat dicens: Magna vero & ex longis interuallis delirium indicat: nam sic respirare E eius est, qui neque quando desistere ab actione oporteat, nouit, neque rursus quando incipere: at vero paruam, & frequentem efficere respirationē eorum est, qui inflammata habent instrumenta respirationi seruientia, ita vt non audeant præ dolore distendere, & præ inflammatione cogantur frequenter respirare, signum quidem prædictæ inflammationis.

Dubium. Forsan dubitabit aliquis, & non citra rationem, qui fiat, quòd sic affecti delirantes paruam, & frequentem (eo quòd præ dolore non audeant plurimum distendere respirationis instrumenta, sed frequenter ob id cogantur ea mouere) efficiant respirationem, cum delirantes omnino dolorem non sentiant, quo possint se à maioribus motibus retrahere, aut paruam efficere respirationem. Itaque aut con-

concedendum est omnino non delirare, aut si delirant, breuispiros non esse. Cui dubitationi dicimus, sic affectos omnino delirare, & nullum sentire dolorem, licet dolendi causam obtineant; cum hoc tamen non posse magnam, & ex longis interuallis edere respirationem, qualem phrenitici habent, quòd instrumenta ob inflammationem, & maximum impedimentum (etiam si id natura essicere conetur) distendi nequeant: quo fit, vt necessario, licet delirent, parua fiat respiratio, & ea ratione, ac ob incendium, frequens. Habet tamen hoc specialiùs vt inæqualitatem maximam obseruet, ob varias delirantium apprehensiones, quæ tamen licet paruitatem mutare nequeant, quia inobedientia instrumentorum id renuit, cum hoc tamen in ea paruitate comperimus inæqualitatem non leuem, sed longè maiorem inter raritatem, & crebritatem: quippe aliquando creberrimam efficiunt respirationem, nonnunquam verò raram & magnam tamen nunquam. Huius autem affectionis curationem capit. de pleuritide latiùs scriptam reperies.

De exquisita phrenitide. Phrenitidem perpetuum esse delirium (quia causam in cerebro fixam sortitur) cum febre (quòd inflammatio sit) nemo dubitauit, licet aliquando in principijs inflammationis resipere laborantes videantur, vt refert Hippoc. lib. 3. popul. parte 3. comment. vltimo, in historia illius qui in Dealcis horto habitabat. Quæ sanè causa maximæ eruditionis viros coegit asserere, perpetuum delirium non esse de essentia phrenitidis. Verùm etiam si id aliquando accidat, arbitrandum est fieri, quòd nondum firmatum sit malum, & quod confluxit, dissipauerit natura maiori ex parte, & redeunte iterum fluxione, malum, & delirium pressiùs firmantur. Cui sanè intermissioni, quæ certè possibilis est, medicus non subinde plurimum fidere debet, credens inflammationem non esse: nam sæpè, si præsidia id non vetuerint, periculosiùs, & grauiùs reuertetur. Quam etenim inflammationem multa sibi ad notitiam, & curationem prærequirere certum est: nã primò scire oportet, quæ pars cerebri in ea afficiatur: secundò, quis affectus præter naturam sit: tertiò, à quo humore, & causis oriatur: quartò quibus signis innotescat, & vltimò qua ratione curari debeat: sed quia veræ, & maximæ propriæ differentiæ huius affectus, à loco affecto, à forma, & ab effectrice causa desumendæ sunt, ab affectæ partis cognitione incipiendum esse duxi, licet non desint qui à symptomate, à quo nomen sumit affectio, id etiam debere fieri statuant: quorum sententiam sequi mihi hac in parte non displicebit.

Pars affecta. Circa primum variè sensisse authores, & varium quoque fuisse Galenum, euidenter eorum scripta euoluenti constabit. Quippe Rasius primo continent. piam meningem solùm in hoc affectu pati, euidenter insinuauit. Item Serapionis decreto constat duræ tantum meningis esse affectionem: cuius etiam sententiæ fuit Zoar. Verùm Auicenna prima 3. tract. 3. cap. 1. inquit: Carabitus est apostema calidum, in velamine cerebri subtili, ac grosso absque corpore eius: cuius decreto constat vtriusque membranæ esse affectionem, quæ cerebri substantiam non pertingit. At Galen. lib. 4. de præsag. ex pul. cap. 8. & 9. cerebrum in phrenitide posse inflammari, & eius membranas fatetur: de cerebro autem quod maius infert dubium, sic refert. Cerebri quidem substantia omnes potest pati inflammationis species, excepto scirrho, quod dictum idẽ author interpretatur primo pror. dicens, phrenitidem esse irrigationem cerebri ex immodica bile. Quæ omnia si diligenter expendas, reperies procul dubio contraria, aut saltem diuersa existere. Ego autem arbitror cerebri substantiam irrigari posse biliosis, & tenuibus humoribus, qui postea inflammari, succensi, ac putrescentes, febrem excitant, & delirium, ob loci affecti conditionem. Cum hoc tamen contingit, vt Galen. ex Hippocr. refert, frequẽtiùs phrenitidem ex membranarum inflammatione fieri, & maximè tenuis, vt docet Galen. 4. de causis puls. qua in parte licet ex sola meninge fieri asserat, arbitrandum est id esse dictum, quia cerebrum nequit ex propria natura inflammari, quin tenuis membrana simul oblædatur, & ob id reijcit in eius membranæ vitium prædictum accidens. Asserimus tamen, cerebri substantiam aptiorem esse ad lethargum efficiendum: de dura verò membrana sentiendum est frequentiùs posse inflammari, vt Barbari asserunt, & delirium efficere, si non mox à principio vt si tenuis inflammetur, tamen à causis externis, vt in capitis vulneribus frequentissimè conspicimus, sicut tenuem membranam potissimum ex internis: & sic authorum decreta stabunt quodammodo vera. Nam cerebrum irrigari, & inflammari ea ratione, ac delirium efficere à flaua bile, nemo est qui ambigat: sed quia laxioris est substantiæ, & prædicti humores tenues, rariùs id continget, quantò frequentiùs pituita irrigari, quæ crassior est, & lethargum effecturã. Membranæ autem frequentiùs efficiunt phrenitidem, sed interior à causis internis, & exterior ab externis frequentiùs afficitur: vtcunque tamen sit, in phrenitide principem animæ sedem (puta cerebrum) læsum esse opus est.

Affectus natura. Affectus tamen natura, & conditio non ita constat, neque ex authorum mente, & decretis aliquid firmum, ac stabile colligi potest: nam licet apertum sit, & commune cerebri esse inflammationẽ; non tamen satis constat, qua via cerebrum inflammari possit. Verùm ne in dirimendis controuersijs, plus temporis quàm scribendi institutum postulat, conteramus, asserendum est, phrenitidem omnem, cerebri inflammationem (in qua tria morborum genera necessariò reperiuntur, nimirum præter naturam tumor, qui partis vitiet figuram, & calida intemperies ob humorum succensionem, aut putredinem, & vltimo soluta vnitas) reuera nõ esse. Nam si quis rem hanc diligentiùs pensitet, reperiet proculdubio non semper hæc omnia in phrenitide adesse. Quod sanè dogma vt exactè teneas, scito, si Galeni decretis Pauli, & Aetij standum sit, nomine inflammationis hac in parte (præter eam diuisionem, quæ dissecat inflammationem in siccam, hoc est, in incensionem, & in humidam, quæ tumorem durum, & dolentem designat, cuius hic meminimus) tria esse intelligenda, omnia quidem phrenitidem, & phreniticum etiam deliramẽtum inducentia.

Primum irrigationem cerebri à bilioso humore, vt ex Hippoc. adduximus primo prorr. & 1. popular. nam phrenitidis causas scribens, inquit: A flaua bile fit, cerebrum, & eius membranas occupante. Quo tempore efficitur quidam modus phrenitidis hecticæ, cuius meminerat Galen. 1. in 1. prorre. comment. 33. dicens: Phrenitide ex bilioso succo genita, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti cerebri corpori permista, tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente verò tempore, simile quidpiam contrahitur lanis, quæ ab his qui infectores vocantur tincturam accipiunt; talis igitur cerebri veluti tinctura, desipientiam facit hecticam, vt latius inferiùs probabo.

Secundum, esse calescentiam, & succensionem,

aut transitum humorum qui sunt in venulis mem-
branarum cerebri ante integram inflammationis
constitutionem, & sic constat quosdam fieri phre-
niticos, citra id quòd præcedat grauis dolor, qualẽ
inflammationis principium inferre solet, ante, in-
quam, quam laborans conspicuè delirare incipiat.
Quod sanè fit, quia sola adest humorum copia, &
transitus cum leui efferuescentia, citra id quòd hu-
mores afficiant morbum in soluta vnitate. Cuius
(dum adhuc humores in venis præsunt, ac in via e-
xistunt ad spatia non naturalia, & veram inflam-
mationem) meminerat Gale. 1. popu. part. 2. com-
ment. 73. sub nomine delirij vigoris febriũ. Quip-
pe statuens ex bile fieri ardentem febrem, dum in
venis putrescit interiorum viscerũ partim, aut phre-
nitidem si in spatia carnis cerebri, aut membrana-
rum decidat, inquit: Verùm priùs quam inhære-
cat profluens venas in his sitas, non phrenitides, cæ-
terum, quæ in vigoribus sunt febrium, deliria effi-
cit. Ex quo loco non licet colligere esse spuriã phre-
nitidem, quia non haberet perpetuum delirium, vt
ex humore transeunte per dictas venas fieri est ne-
cessum, neque veram phrenitidem, sed pseudophre-
nitidem (vt quæ à septo fit inflammato) licet nun-
cupare: quia tamen delirium non est ita vehemens,
& cum tremoribus ac in phrenitide vera, appellat
iure optimo simile delirium ei quod fit in febrium
vigoribus, & hac ratione cum phrenitide venit an-
numerandus huiusmodi affectus.

Tertiam verò & vltimum, veram arbitror esse
inflammationem, quæ in spatijs fit & porositati-
bus partium, vbi ad eas ex venis excurrit humor,
tumoremque efficit præter naturam atque abscesi-
sum, & prædictos morbos, ad quos iure optimo
hunc affectum reduces. Ex quibus omnibus licet
vera phrenitis fiat, quatenus continuum est deliriũ
cum febre, & affectio per essentiam in capite, eam
tamen ex tribus memoratis, exquisitiorem iudica-
mus phrenitidem, quę ex vera inflammatione mẽ-
branæ subortur: cui proculdubio & pathognomo-
nica signa, & verum in hoc affectu præsagium pro-
priùs conuenit. Quòd si hanc membranarum in-
flammationem solam velis veterem phreniodem (vt
vulgò fertur) appellare, non recusabo: quantumuis
authores non contemnendi, solam cerebri substã-
tiæ inflammationem, arbitrentur exquisitiorem:
dummodò intelligas cerebri substantiam posse
(vt dictum est) certo modo inflammari, & longè
grauiorem affectum gignere, quàm sit vera & ex-
quisita phrenitis. Quippe tanta est huius affectus ve-
hementia cùm hominem apprehendit, quòd intra
quartum diem sæpè mortem accersat. Hanc profe-
ctò cerebri inflammationem censeo esse, quam
Hipp. designauit. 7. apho. 50. dicens: Quibus cere-
brum sphacelatum est, in tribus diebus pereunt, si
verò hos euaserint, sani fiunt. Huius etiam morbi
meminerat idem Hipp. 3. de morbis sub nomine
siderationis, seu sphaceli cerebri, nec non & 2. eius-
dem operis lib. Item inflammationis cerebri me-
minit quoque Paul. & Aetius. Oriba. & Auicenn.
qui omnes diuersum constituunt à phrenitide ca-
put, quòd re vera multis modis inter se dissideant.
Nam licet consimiles videantur, affectionis & loci
affecti similitudine: dissident tamen, quòd phreni-
tis plerumque membranis accidat: hæc verò affe-
ctio, non nisi cerebri substantiæ, idque non in su-
perficie irrigationis instar, vt sæpè phrenitis etiam
efficitur, sed in penitioribus et abditis eius partibus
& ventriculis, quo fit, vt etiam symptomatis ratio-
ne, longissimis interuallis dissideant. Nam in phre-
nitide communi adest delirium; verum, licet sensus
lædantur, non tamen deperduntur: in hac verò ce-

A rebri inflammatione, ita sensus omnes deprehen-
duntur, quòd nullum appareat delirij genus, sed an-
te integram huius mali mutationem, laborantem
apprehendit ingens capitis dolor, vniuersæ spinæ
per dorsum communicatus, à quo statim omnes
sensus, tam interni quam externi deprehenduntur,
solo manente motu, qui adeo validus in plerisque
subest, vt vix vno loco se continere possint. Nam
sic affecti mox exiliunt, tentantes omnem inordi-
natum motum manibus, cruribus, ac vniuerso cor-
pore, quibus seipsos & astantes velut concutientes
perdunt: capillos & barbam euellunt, ac velati car-
nem dilacerant, quod Paulus per anxietatem expo-
suerat. Cum hoc tamen procedente morbo, ob par-
B tis principis corruptionem, corpus languescit adeo,
vt nullum videatur superesse sensus vestigium, etiã-
si vehementer lædas, febre tamen vigente validissi-
ma. Quæ sanè omnia, arbitrandum est, proficisci,
quòd inflammatio substantiam corpusque cerebri
intrinsecus occupet, cuius ratione omnibus cerebri
actionibus orbari videntur, præterquam in parte
neruosa, ad quam adeũt spiritus animales. Verum
cum hoc sentire nequeunt, quia mens ægrotat. Sed
quia internis supra modum affliguntur maximo
illo incendio, irritatur quam maximè natura, &
motus illos vehementissimos molitur, quòd nerui
spiritu non priuentur. Atque hæc est huius morbi
natura & conditio, orta quidem ex copioso & fer-
C uido ac biliosos sanguine in substantiã cerebri pro-
lapso, cum febre tamen, qua differt ab illo inflam-
matorio cerebri affectu, cuius meminit Galen. 2.
apho. 42. constituens secundam causam apoplexię,
vt proprio cap. reperies. Differt insuper à phreniti-
de, ea nimirum quæ fit per cerebri irrigationem,
quia in ea non penetrat ad intima humor, vt in
sphacelo. Ante tamen quàm differentias ex causa
subducta ratione sequar, eas quæ à symptomate su-
muntur, enodare fas erit, siquidem adeo principa-
les existunt, quod nomen huic affectioni imponere
visum sit. Cuius ratione, ni cito præueniatur, in ve-
ram corruptionem & sphacelum cerebrum com-
migrat, ac si euadat, vacuationibus conuenienti-
D bus, maximè à venis nasi sæpius factis, mirum non
est, si sui & aliorum immemor supersit laborans,
aut mente commotus vel tardus. Huius affectionis
meminisse hac in parte placuit, vt quæ rarò acci-
dat, & ob id longè minùs cognoscatur ac distin-
guatur à phrenitide, cùm aliquo modo similis vi-
deatur, sed re vera (vt dictum est) mille modis dis-
sident, nec omnino consimilem admittunt cura-
tionem.

Symptoma autem, à quo nomen sumpsit phre-
nitis, de genere est deprauatarum actionum, maxi-
mè rectricum cerebri & senoentrium interiorum.
Ex qua sanè læsionis sorte (ob Galen. quem perpe-
ram intellexerunt) multi arbitrantur tres esse phre-
E nitidis species, dissidentes penes trium animæ po-
tentiarum cerebri læsionem. Quippe vnam cen-
sent nasci ex phantasiæ vitio, aliam cogitatiua læ-
sa, tertiam verò ex vtriusque iactura, quum ex me-
moriæ vitio phrenitis non fiat, licet in eis etiam ob-
lædatur. Et nituntur suam positionem firmare, eò
quòd hæ potentiæ non solùm re vera inter se diffe-
rant, sed & loco etiam affecto: nam anteriorem ce-
rebri partem, phantasiæ, posteriorem memoriæ, &
mediam cogitatiuæ tribuunt. In qua sane re, cùm
difficile sit creditu, sed esse distinctas, licet mihi
compertum sit, non esse confusas, distinctionem
tamen localẽ assignare, perdifficile arbitror. Qua-
propter censendum est cum Beato Augustino lib.
de anima & spiritu, & Alexandro Aphrod. in in-
stitutione de anima, & cum Themistio lib. de me-
moria,

moria, vnicam tantùm sentientis, & cognoscentis animæ potestatem esse, quæ modo sensus communis, modo phantasiæ, modo memoriæ, facultatis nomen pro functionis varietate sortitur, quam sententis animæ essentiam, seu virtutem, vnicam esse, sed diuersis facultatibus præditam, primus omnium cognouit Hippocrat. lib. 1. de officio medici. Nam loquens de his animæ potentijs, quibus cognoscimus, generatim duarum solùm potentiarum meminit, sensus videlicet, & mentis. Attamen, quamuis anima sentiens vnicam generalem virtutem, & potentiam sortita sit, in speciales potentias, & facultates, penes proprias functiones dissecatur. Verum quoniam operationes non à solis facultatibus, sed simul cum suis organis fiant, efficitur, quòd licet vna generali facultate conueniant, cùm hoc tamen penes diuersas functiones, diuersis organis exequutas, distinguantur. Cùm enim phantasia sit vis discretiua, quæ rerum omnium imagines, à sensibus forinsecus allatas, ante se positas contempletur, & discernat, & memoria sit susceptiua discursuum, & imaginum, & earum sit etiam reseruatrix; necessum est diuersa sortiri organa, quibus operentur, ad quorum læsionem compatiantur. Quibus omnibus superior est intellectus, nullo pacto organicus existens, neque eo indigens, sed solùm per conuersionem ad phantasmata agens. Phantasiæ tamen & memoriæ muneribus duæ reperiuntur in cerebro aptæ organorum sortes, (præter eius ventres, spirituum contentores) nempe ipsius mollis substantia, seu parenchyma, & rursus spiritus per ipsam immersi, & disseminati, quippe venæ, & arteriæ nutritoriæ potius facultatis, quàm imaginatricis, aut memoriæ, ministerium implent. Sic profectò cum imaginatrix, rerum sensibilium species discernat, & varia spectra producat, videtur in actione potiùs consistere, sicut memoria magis in passione: quæ rerum, & imaginum susceptiua, & reseruatiua est. Quo fit, vt imaginatrix organum requirat actioni magis paratum, veluti spiritus est, & memoria corpus, & substantiam cerebri, quæ passioni, & receptioni, atque reseruationi aptior existit. Quippe spiritus, & calor, cuius est mouere, & agere, potissimum agendi vim habent, sicut cerebrum, in quo magis, & tutiùs recipiuntur rerum imagines, vt diu & tutiùs quietæ, & adseruatæ maneant, ad memoriam conducit. Quæ sanè organa non ita facultatibus separatim inseruiunt, quod à sibi ipsis proprios vsus etiam non mutuentur: siquidem neque cerebri substantia sine spiritibus, neque spiritus sine cerebri substantia, in qua, ceu in peculiari subiecto, adseruantur, vtilitatem aliquam facultatibus afferre possint, quamuis in vniuerso cerebri corpore, tum substantia, tum spiritus reperiantur. Quo fit, vt hæ duæ facultates per vniuersum cerebri corpus sint disseminatæ, nihilominus tamen, cerebri pars posterior, cum magis densa sit, & subinde minus spirituosa, licet spiritibus etiam opus habeat: anterior magis rara, laxior, porosaque, & subinde maiori spirituum copia affluens, fit vt quemadmodum medici tum Arabes, tum Græci statuerunt, memoria in posteriori cerebri parte euidentiùs operetur commoditate illius partis, licet in toto cerebro resideat: imaginatrix verò in anteriori, iuxta cerebri ventriculos, ob eandem commoditatem, & instrumenti aptitudinem: quia in ventriculis spiritus etiam vberior est copia; quamobrem statuendum est, omnes in toto cerebro esse, separati tamen, hoc est vigere earum actus, & operari certis quibusdam locis, vt dictum est. Quo fit, vt ea parte læsa, lædatur primò, & euidentiùs potentia, quæ ibidem operatur, vt constat ex distinctione

A læsionis prædictarum potentiarum. Nam licet cerebrum sit earum sedes, cum hoc tamen, quælibet peculiare habet in ipso temperamentum, & organi differentiam, qua velut instrumento proprio, perfectius operatur, licet ipsa toti cerebro innitatur. Quod sanè intelligendum est, de his potentijs quæ organo vtuntur corporeo: nam ratio, seu mens nullo indiget neque vtitur, quia incorruptibilis est, & separata substantia, agens per conuersionem ad phãtasmata. Sic dum cerebrum inflammatur, non omnes protinus læduntur, quia etiam si totum cerebrum incalescat, non omnes vna intemperantiæ sorte oblæduntur, quòd diuerso modo oporteat an certam partem intemperari, vt phantasia euertatur

B ab intemperantia apta ad æstimatiuæ actus læsionem: & rursus memoriam non quoduis intemperamentum lædit, sed certum, nimirum contrarium ei, quo quæuis harum potentiarum operatur: & cùm vna intemperies nequeat omnibus contrariari, neque omnes vno temperamento vti, sed determinata determinato vtantur, non posse omnes lædi ab vna cerebri intemperie, nisi vera sit inflammatio, quæ structuram etiam euertat. Præterea licet hoc certum sit, non ob id constat fieri diuersas vnius mali species, eo quod varia subsequantur deliramenta, alioqui vnius etiam febris, quòd diuersa suboriantur symptomata, variæ quoque adessent species. Est quidem verum in vno eodemque mor-

C bo, diuersarum potentiarum fieri symptomata, cæterum illa non constituunt diuersas illius morbi species, sed varias morbificæ causæ, aut morbi ipsius vires. Quo fit vt symptomata harum potentiarum potius constituant gradus vnius morbi, quam diuersas species: quippe phantasia, vel halitibus solum ascendentibus cerebrum perturbatur, quòd sensus falsò immutentur, & facilè phantasiam euertanti ratio est, quia in se lædi non potest, nisi ex cerebri aliquo intemperamento, quòd ipsa phantasmata viuet, quo falsum de rebus efficere assensum cogitur. Sed de memoria aliter est sentiẽdum, nimirum à grauioribus causis lædi, vt probat eius læsio, quæ semper in declinatione magnorum mor-

D borum succrescit, ob causas præter naturam diu operantes: quapropter, huiusmodi deliria non species, sed gradus phrenitidis constituere nata sunt.

Dubium. At si quis dixerit, à causa, quæ memoriam, aut rationis actum lædit, necessario phantasiam lædi, & ob id non posse distingui, vt Galen. 2. de cau. symptom. & 4. de locis affect. statuit, respondendum est, non omne intemperamentum, quamuis potentiam posse lædere, sed determinatum, determinatam, & certam, nisi in his laborantibus, in quibus vera sit inflammatio in sphacelum commigratura, aut multa bilis cerebrum irrigat, vt omnis cerebri temperies, & omnis eius structura euertatur, sicut in vera phrenitide comperimus, in qua omne

E delirij genus apparet, licet confusè. Quapropter (vt mea mens tenet) arbitror phrenitidis species ex modo inflammationis potissimum venandas fore: quas sanè tres esse diximus, vt quæ variam curandi rationem ex propria natura, & ex humoris peccantis conditione præscribant: non quidem ex diuersa delirij specie, quæ specificam curationis differentiam non præstat, nisi ad summum, quo ad magis, & minus: ni dicere velimus, quòd ea ratione qua Galen. sumit nomen symptomatis, pro morbo, eadem etiam neoterici (etsi licentiosius) decepti Galen. diuisione, secuerunt morbum ad diuisionem symptomatis. Sed falluntur profectò, siquidem vera morbi ratio in inflammatione sita est, quæ nullas per deliramenta patitur diuisiones. Et ob id iure optimo, phrenitidem potiùs per eius substãtiam disse-

dissecare possemus, quàm per accidens, cum hoc tamen, quia nomen sumit ab accidenti, per ipsum diffinire licet.

Sic phrenitis nil aliud est, quàm delirium perpetuum cum febre acuta, propter tumorem calidum cerebri, aut membranarum eius. Sed per verbum illud delirium, subaudire oportet principem cerebri functionem deprauatam, cuius nomine intelligimus phantasiam, & rationem solùm, non seorsum vnamquamque per se, vt Galen. statuit, sed vtrasque simul: quippe solam rationem vitiari posse non censeo, vt exemplis à Galen. positis, constat. Illud tamen in hac re statuendum est, quòd ratio sola, citra imaginatricis vitium oblædi non possit, neque phantasia citra rationis vitium. Nec probat cōtra hanc veritatem Galen. authoritas, qui delirium Theophili, ex læsa ratione fuisse explicuerit, quantumuis media cerebri pars inflammetur: quia non minus læditur phantasia, quam si anterior ventriculus inflammaretur, vt in illo qui proprijs nominibus vasa nuncupabat, & tandem per fenestras proijciebat. Quo tempore rationem per accidens deprauari est arbitrandum, vt in Theophilo qui discurrebat, quatenus circa praua phantasmata versabatur, & ea quæ falsa erant, tanquam vera iudicabat: quod in melancholia affectis pari ratione comperimus, si quidem arbitrantur, & credunt imaginationes, timore, & tristitia plenas, veras esse. Cuius doctrinæ gratia (licet Galen. aduersari videatur) expendendum est (vt Galen. sententia, perperam forsan intellecta, verior maneat) mentem humanā ad hoc, vt operetur, corporeo organo non indigere, quod noscens Arist. 2. de Ani. tex. 92. dixit: Quā partem mens, seu intellectus habeat, difficile est imaginari: hinc fit, vt læso corpore ipsam per se nullam noxam incurrere possit. Cæterùm quia ad hoc, vt operetur, eget aliquo existente in corpore, nempè imaginatiua subministrante sibi phantasmata: ob id ipsa, quoad propriam operationem cōsiderata, aliquam corporis partem (non sedem, quia sedes corporibus debetur) veluti locum, in quo proprias functiones edat, iure optimo exoptat. Quo fit, vt cum imaginatiuæ facultatis munus, cuius mens indiget, sit in capite, ideo Aristot. 30. par. problem. problemate 3. & 18. parte, problem. 1. & 7. polit. 15. statuit intellectum in capite locari quodāmodo: nimirum quia in capite, per mediam imaginatiuam propria munia exequitur. Quibus suppositis, constat, quod læsa imaginatiua ceu proprio rationis organo, necesse est, vt per viam causæ instrumentariæ intellectio quoque offendatur: & è contra ex læsione ratiocinatricis, per viam signi, imaginatiuam fuisse læsam statuendum est: dummodo intelligamus, imaginationem per se lædi, suo modo; ratiocinium verò per accidens, hoc est læsa imaginatione. Læditur etiam ratiocinandi ministeriū vitio memoriæ, quia cum discursus, & ratiocinatio per compositionem, & diuisionem fiat, & hi actus citra memoratricis facultatis ministerium fieri nequeant, hinc fit, vt læsa memoria ratiocinandi quoque munus oblædatur: eo magis, quo ipsius memoriæ lapsus fuerit maior: siquidem læsis his duabus potentijs, quibus intellectus opus habet, necessum est, eius actum, seu ratiocinium vitiari quoque. Quo fit, vt statuendum sit, vtcumque in ratione vitium appareat, ab imaginatrice, vel memoria læsa semper primò prouenire, non autem per se. Neque obstet Galen. authoritas, qui Theophilum medicum delirasse vitio imaginatricis, ratione illæsa, & lanificum ratione vitiata, cum integritate imaginatricis affirmat, nam si quis rem diligentiùs consideret, & Galen. ipsum attentiùs legat, reperiet, neque Theophilum phreniticum, sed melancholicū fuisse vitio imaginatricis. Primò, Theophilum phreniticum non fuisse constat ex Galen. libro de diff. sympt. qui solùm dixit simpliciter delirasse, cum specificasset phreniticum fuisse eum, qui vasa per fenestras proijciebat. Et confirmatur ex 4. de locis aff. vbi phreniticorum delitia recensens, Theophili non meminerit, quia non fuit phreniticus, sed melancholicus, vt apertè ex eodem Galen. 8. in 6. popul. 15. quo loco Theophili malum referens, apertè ait melancholicum fuisse. Neque est aduersus nostram sententiam Galen. dictum lib. de diff. sympt. de lanifico, in quo solam rationem fuisse læsam videtur testari, siquidem quarto de locis affect. de eodem verba faciens, dixit, non esse seruatam imaginatricem, sed sensitiuam notitiam, &, vt ego arbitror, memoriam: nam vasa suis nominibus nuncupare, memoriæ potius actus est; & ea proijcere, imaginatricis errantis, cum vitio rationis iudicantis bonum esse puerum proijcere. Quòd si in lanifico imaginatio læsa non erat, quòd vasa nominabat, ergo neque in Theophilo, quòd familiares cognosceret, & tibicines suis nominibus appellaret. Quibus videtur superesse probatum, rationem non lædi per se, neque imaginatricem sine vitio rationis.

Dubium. Superest etiam dubitandum in symptomatis phreniticorum, qua nam ratione vis sensitiua interior lędatur, & tactus aliquando penitus delitescat, adeo vt dolorem non sentiant, motiua verò permaneat, & ad tempus intendatur, quinimò quo sic affecti vehementiùs delirant, eo fortiores eduunt motus actiones. Cui dubio respondent multæ rationes: prima quòd cerebrum cum sit principium sensus, & motus, sensui præstat patiendo, & motui agēdo: in phrenitide verò calor qui augetur, præstat, & iuuat actus motus, ineptiusque reddit cerebrum ad sentiendum. Sed commodior videtur alia quæ mōstrat, motum exequi naturam in postica cerebri parte, & sensus omnes in reliquo cerebro, in quo constat phrenitidem residere, ac ex consequenti necessum esse sensus omnes primo oblædi, deinde motum. Prætereà caliditas reddit neruos omnes sicciores, & ex consequenti potentiores ad motum, ineptiores tamen ad sensum. Sed alia ratio mihi proprior videtur, nimirum, quòd causa validioris motus sit, sensuum, præcipuè tactus (nam alij plerunq; dolorem sentiunt, & cum vires motiuæ eo maiores sint, & ad laborandum promptiores, quo sensus minimè defatigantur, ob id, quo intensiùs delirant, minus fatigantur, quantumuis vehementiores edant motus.

Dubium. Sed de memoratrice potentia non leue succrescit dubium: an videlicet ea lęsione possit lædi, qua reliquæ potentiæ in phrenitide læduntur? Ansam præbuit huic dubitationi Galen. qui nullum protulit læsionis eius verbum in explicatione phrenitidis, cum euidentissimum sit, ipsam in quauis phrenitide læsam quoque apparere. Quod sanè euentu quotidiano conspicimus, siquidem postulata matula, meiere obliuiscuntur, aut linguam si semel medico monstrauerint, recondere: sed etiam respirare præ obliuione plerunque desinunt, adeo vt magnā, & ex longis interuallis respirationem efficiāt, quod est inseparabile delirij indicium. Censeo tamen in hac re consulto Galen. memoriæ læsionem à phreniticis delirijs ablegasse, & solùm meminisse phantasiæ, & rationis, aut vtriusque: primò, quia in phrenitide memoria non deprauatur, sed imminuitur, adeo vt necessum sit ad mictum, & respirationem eos monere. Prætereà, cum memoriam potius in passione quàm actione consistere rationabile sit, (siquidem eius munus solùm est phantasmata, &

ratio-

ratiocinia recipere & conseruare) imaginatricem & rationem prauè agere posse constat, hanc verò solùm diminui, aut nihil recipere vel conseruare: namsi prauas imagines vel ratiocinia seruauerit, id vitium in phantasiam & rationem, non in memoriam debet regeri, licet reminiscentiam nonnihil aberrare & corrumpi posse, non rarò visum sit, referens vnum pro alio, vt cap. de læsa memoria latiùs explicaturi sumus. Et ob id, statuendum est in phrenitide memoriam non vitiari, vt rationem vel phantasiam, sed imminui: idque non propria morbi ratione, qui in caliditate nimia situs est, & nequibit efficere symptomata, quæ propriè frigidos sequuntur affectus, vt de læsa memoria cóstabit: sed imminuitur in phrenitide memoria, quia ob varias, diuersas & multiplices imagines adeò distrahitur, quòd à proprijs muneribus auersa, omnino obliuisci videatur. Cùm hoc tamen læsione propria imminui etiam in phrenitide potest: cæterum non ratione frigiditatis humoris (vt dictum est, nisi misti sit materiæ frigidæ aliqua portio) sed dum postica cerebri pars inflammatur, ob viarum coarctationem & obstructionem, ac membranarum læsionem: quo fit, vt diminutè quoque agere cogatur, à copia humorum ea parte contentorum, vt sæpe in vulneribus capitis contigisse visum est, ob cranei fracturam, & compressionem ab osse fracto, quod in osse anteriorem cerebri partem comprimente, etiam conspicimus ab imaginatiua læsa, cuius ratiinne æteræ compatiuntur. Qua fit, vt licet memoria non lædatur nisi ex accidenti in phrenitide, non ita ratio depratietur, ac si per essentiam læderetur. Quod constat, quia ij, quibus per consensum imminuitur, recordantur posteà eorum quæ delirando egerint; secus res se habet de reliquis, quibus obliuio diù durat, & præteritorum nihil recordantur.

Causæ. Causas in hoc morbi genere licet varias conijcere, vt cognita quæ propriùs affectum gignit, faciliùs curationem instituamus: sic ab externis & eis, quas procatarcticas nuncupant, aliquando phrenitidem fieri conspicimus: cuius naturæ est valida capitis percussio, ictus & casus, dum membranas cerebrum ambientes oblædunt, siue id cum vulnere fit, siue secus: item ira, feruor, ebrietas, biliosorum excrementorum retentio, medicamentum exurens & calidum ingestum, maximè corpore pleno: sic & frictiones, exercitium, & insolatus, eadem plenitudine, aut cacochymia existentibus. Causæ verò intrinsecæ sunt omnes, quæ motum humorum & efferuescentiam efficere natæ sunt, siue febris, siue quiuis alius affectus sit. Solet enim phrenitis vel incipiens, nullo alio morbo neque febre præcedentibus, succrescere, quæ febrem habet vt accidens, vel febrem malignam, aut quamuis aliam exurentissimam sequi: cuius materia in cerebrum migrans, phrenitidem concitat. At materialis causa, vtcunque fiat (cuius maior prouidentia habenda est) non vnica existit, iuxta omnium decretum: nam multi bilem, alij sanguinem, nonnulli adustos humores causam huic malo præstare proferunt. In qua sanè re scimus, vtrunque posse accidere: nam sanguiné cum flaua bile ita misceri in eo affectu constat, vt Paulus ex solo sanguine fieri fateatur. Item aliquàdo ex bile pallida, vel ex tenniore sanguinis parte oriri cótingit: in quibus omnibus minora subsunt deliria, & cum risu, quòd prædicti humores, aut naturales sint, vel parum à natura dissideant, aut admixtam habeant serosam, pituitosam, ac humidá substantiam. Item prodit phrenitis à flaua bile, quę vel cerebrum irrigat, vel membranas inflammatione afficit, quod sanè malum, prædictis fit deterius

A & actius, ob vstionem, quæ omnium grauiorem efficit phrenitidem. In qua re non est credendum, ex ea assatione talem fieri, quæ ipsam in atram deducat: quippe hæc maniam potius quàm phrenitidem efficere nata est. Verùm si accidat in ardentissimis febribus, flauam bilem aduri in cerebro, ferina & atrocissima succrescunt deliria, quæ multi arbitrantur ex atra bile proficisci. Cæterum reuera, cum flaua bilis præ nimia adustione, iam in atram commigrauit, impossibile est phrenitidem efficere: quippe, hæc neque putrefieri potest, neque febrem succendere, vt constat ex cancri generatione, quem ferunt, ex atra bile fieri, & ob id rectè dictum est antiquis, ex atra bile maniam fieri: conce-
B ditur tamen dum bilis exuritur & generatur atra, posse phrenitidem fieri, minimè tamen dum in atram versa est. Ex quo euidens superest phrenitidis differentia ratione causæ, quandam nimirum esse legitimam ex flaua bile velamina cerebri inflammante, quandam verò spuriam, quæ vel ex alijs fit humoribus, calidis tamen, aut calidis admistis, vel per cerebri fit irrigationem.

Signa sunt ea omnia, quæ in paraphrenitide adesse retulimus: cæterum antequam ea, quæ ab authoribus tanquam peculiaria afferunmt, scribam, studui distinguere maximis & facillimis signis, quádo per irrigationem, quando verò per efferuescentiam, aut per verú abscessum phrenitis fiat. Quip- *Signa.*
C pè efferuescentiam monstrat stilla sanguinis narium, mox incipiente delirio apparens, sicut posteà iudicium, maximè si cum conferentia fiat, et copiosior sit profusio. Sic & feruoris causa quæ præcessit aut adest. At irrigationem monstrat præcedens vertigo, aut insomniorum varietas, & tandem delirium cum propensione ad somnum, ac peculiari imaginatiuæ læsione. Sic profectò veram phrenitidem monstrat præcedens & ingens dolor, qui distento cerebro, membranarum distensionem indicat, aut si in membranis sit malum, earum diruptionem, & dilacerationem, quòd solet esse abscessus præludium. Prætereà id monstratur, quòd plerunque in has phrenitidis specie omnium potentiarum ferè
D actus oblæduntur; nam cum sanitati homo restituitur, memoriam esse adhuc læsam facilè monstratur. Prætereà has species distingues propriùs ex pulsu, quàm ex quouis alio signo: nam quæ sola efferuescentia fit, pulsum habet magnum, celerem, & frequentem, vt quæ in vsu consistat adaucto, instrumentis non plurimum reluctantibus: quæ verò in irrigatione cerebri sita est, magnum etiam habet pulsum, neque mollem neque durum, non tamen æque celerem, neque crebrum, sed vndosum, cum dolore obtuso & oculorum prominentia & citrinitate. Item, mordicationem à tenui & mordaci succo, vel à consimili vapore, seu vstilagine monstrat pulsus paruus, durus, celer, & creberrimus, &
E conuulsus in fine, qui membranarum inflammatarum soboles fit, vt paulò inferius referam. Quòd si materia sparsa per cerebri substantiá sit, deliperatio à Galen. hectica appellata. 1. pro. 33. succrescit, quam dignosces, quia æger quietus iacet, nec solùm non tumultuosè exclamet exiliatque vt antea, sed neque prorsus loquatur, aut figurá decubitus permutet, adeò vt dormituri specimen præbeat si dimittatur: cum hoc tamen manus lentè dimouet, quasi quidquam contrectans, vel inuenire cupiens, quæ facit clausis palpebris, ac si quis alloquatur ipsum, mox aperit, & continuò claudit velut dormiturus. Habet insuper pulsum languidum, angustú, & exiguum: quidam horum summissa voce loquútur, & manus tremulas habent, quæ omnia virtutem summoperè languere, & phrenitidem hecticam fa-
ctam

A ctam iam esse, maximè si post oculorum prominẽtiam, quæ primo mali accessu succrescit, sic affectis oculi cauantur, & squalidi apparent. Verùm si sanguis malo causam dederit, præter signa adducta cap. de dolore capitis, delirium erit cum risu, imaginata, & visa referuntur rubra, febris vniformior, pulsus maior, & plenior, lingua primò rubra, & procedente morbo nigra, oculi tamen rubri, & lippa pleni apparent. Sic bile redundante, delirium cum rixa, & contentione, vigilia intensior, oculi, & facies citrino colore inficiuntur, mox nigredine, & asperitate: narium aderit tenuitas, tractio frontis ad superiora, cum febre ardentissima, & acri. Cæterum si magis exuratur bilis, deliria erunt ferina. B Ipsique delirantes percussores, & inquieti cum pulsibus durioribus, paruis, & celerioribus. Pari ratione, si materia mixta fit, deliria quoque, & prædicta signa mixta erunt. At phrenitis quæ ex membranarum fit abscessu, pulsum habet paruum, durissimum, celerem, & creberrimum, conuulsionem in fine, ob membranarum inflammationem, & trementem in principio, ob membranarum mordicationem ab acri succo, præludium quidem futuræ phrenitidis, vt paulò inferius referam.

His habitis, est in genere tanquam patognomonicum, & inseparabile signum, mentis aberratio, turbulentia, & facultatum interiorum erroneus actus: cæterùm non subitò & affatim, vt in paraphrenitide, sed sensim, & paulatim, quod solet esse C certum inflammationis præludium. Verùm si his signis compertum fuerit aliquid iam inflammationis esse in cerebro, deinceps inquirendum est, sitne id verum, & à quo humore, & in principio ne sit, an in augmento, & quid ex eo affectu prædicere liceat. In primis incipiente cerebri inflammatione per irrigationem, aut secus, necessum est primitus vigiliam adesse, eamque continuam, quod in paraphrenitide non accidit: nam perstans, & vigẽs causa, quæ iam in cerebro immoratur, animales potentias ad operandum perpetuò irritat, & sic conspicimus præ nimio calore mentem nutari, & nugari (quod Hippocr. refert) & laborantes præter consuetudinem loquaces esse.

D Vrina autem apparens, aut delitescens, id quoq; ostendere habet: quippe delitescit, & omnino supprimitur, signum alioqui ingentis læsionis facultatum interiorum, eo quòd laborantes neque pondus, neque acrimoniam vrinę persentiunt, quo fit, vt nõ cogantur excernere obliuiosi facti. Verùm si quando apparuerit, habet hoc inter alia signa, quòd & futuram, & instantem, & præsentem monstrare possit phrenitidem. Futuram quidem ex circulari spuma desuper natante, quæ flatus vbertatem commonstrat, quos subinde in caput ituros arbitrandũ est, ac aliquando secum humores delaturos phrenitidis authores: quod quidem ex propria natura licet E indicare non habeat, prædicta tamen conjectura venari possumus, & eo quòd simul, aut seorsum appareat turbulenta, & confusa, ac nonnunquam remissius colorata: ex quo iam conijcere oportet, non longè futuram phrenitidem. At vrina alba, & perspicua præsentem jam phrenitidem monstrat, quippe ea apparente, euidens fit argumentum, humores vrinam tingere solitos caput iam ascendisse, ac cerebrum, vel irrigare, vel inflammare.

Ex pulsu etiam phrenitis haud difficulter cognoscitur: quippe parui sunt omnes, duri & frequẽtes, tanquam membranarum inflammatarum, quos esse magnos est impossibile, nisi cerebri substantia affecta sit vt anteà dixeram.

Verùm cùm inflammatio iamiam in augmentum tendit, succrescit protinus ferocitas, audacia, & in omnibus rebus temeritas, ingentis læsionis potentiarum euidens signum. In quibus etiam respiratio crescente malo, magna & rara fit: rara quidem ex obliuione, vt ex Hippocrat. constat 1. prognost. 27. quippe hæc eius est, qui neque quando desistere ab actione oporteat nouit, neque rursus quãdo incipere: magna autem efficitur ob id, & ob vẽtilationis indigentiam. Sed iam humore ex toto commigrante in cerebrum, excrementa, vel omnino supprimuntur, quia facultas distracta varijs imaginibus est, vel quia flaua bilis confugit in cerebrũ, & non irritat potentias naturales ad nocui expulsionem: quòd si excrementum aliquod apparuerit albicans, est quia alio migrarunt humores. Sunt præterea sic affecti parum bibentes, vt ex Hippoc. constat 1. prorre. & 6. popul. non quidem quòd siti careant, & potu non indigeant, sed quòd non appetant, quia non sentiunt. Lucem etiam effugiunt, nequeunte natura propter imbecillitatem ferre splendorem: spontè autem (morbo existente in statu) oculi lacrymantur, & squalidi fiunt ob viciniã exurentis inflammationis: ipsorum venæ sanguine apparent turgentes, & rubent ob commotionem membranarum cerebri, & ob id lacrymæ inuoluntariè fluunt, tum etiam ob acrimoniam, ac ob facultatis languorem, quæ nequit continere humores sibi commissos. Multis verò succrescit toto morbi discursu pedum, & manuum tremor: qui sanè si laboranti qui non delirat accidat, futuræ phrenitidis signum existit: si verò deliranti eueniat, certum est inflammationem adeo insignem extensamque esse, quòd neruosam substantiam attingat, quod multi arbitrantur esse firmatæ phrenitidis (vt aiũt) signum: ego autem censeo nullam esse phrenitidẽ quæ firmata non sit: ni velimus distinctionem cõstituere inter inflammationem membranarum, quam firmatam censemus, & eam, quæ ex irrigato cerebro suboritur, quæ non firmata censeri potest. Tandem omnibus phreniticis accidit obliuio tam stupida, vt neque sui, neque suorum recordentur: inter quos multi postulata matula meiere obliuiscũtur: alij festucas carpunt, & euellunt pilos, ac mille alia monstra fingunt gestientes manibus, pedibus, & toto vultu. Multis stilla sanguinis è naribus prosilit, quæ si copiosior fuerit, præludium salutis existit, sin aliter, maioris mali. Inter quæ signa alia nõ pauca numerare potuissem, ni existimassem plus iusto tractationem protrahere, multa enim in ægris repetiuntur, quę potius consideratione singulorum corporum, quàm scriptura constabunt.

Præsagiũ

Adeo est prauæ, & lethalis conditionis phreniticus affectus ferè omnis, vt opus non sit prolixa oratione monstrare eius sæuitiam, & perniciem: solum mihi est in animo lectores monere, ne hecticã phrenitidem, ob fucatam mansuetudinem contẽnant: quippe solet longè grauius, & certius accersere periculum. Appellamus enim hecticam phrenitidem, more Galen. lib. 1. prorre. commen. 33. eam in qua desipientiæ sunt vrsiformes, blandæ, obscuræ, tremulę, & contrectabiles, ita vt ferè desipere laborantes non videantur. Talis enim phrenitidis conditio, causa, & natura fixa est, stabilis, ac radicata tincturæ modo bile flaua cerebrum tingente, & irrigante, & ob id maioris periculi. Obscuram quidẽ phrenitidem appellauit loco citato Gal. quòd paucis manifesta sit, & subinde non præuisa deterior efficiatur. Sic dum laborans inuoluntariè vrinam reddit, malum etiam haberi debet, sicut prolabi ad pedes, & continuò delirare, aut multum, vt 3. popu. 3. 73. sic deterior est phrenitis quæ cerebrum occupat, ea quæ velamina. Item cum vinum maxima iactura, aut cum comate adiuncta, cum excremen-

mentorum albo colore, cum oculi tortura, vel sudore circa caput, cum partium extremarum frigore, tumore, liuore, aut conuulsione, vel biliosis, & minutis vomitibus.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio in hoc affectu, siue incipiendo procedat, siue febribus malignis, aut exutentibus succrescat, quadruplex existit: prima sanè humorem paratum fluere ad partem affectam respicit: secunda, humorem fluentem: tertia, humorem iam fluxum in partem ipsam, aut in venis partis affectæ contentum: quarta verò & vltima accidentibus docet subuenire, quæ aliquando maius facessunt negotium quàm ipsa affectio.

Circa primam igitur curandi rationem, quæ duplici integratur vacuationum genere, sanguinis nimirum missione, & expurgatione, grande nobis se offert negotium, (si prius dixero victus institutionem paream, tenuis substantiæ, & refrigerantis conditionis debere esse, qualis pullorum caro, & ius est; item potus frigidæ aquæ nón tamen coriandro decoctæ, vt placuit Auicenn. & alijs, quippe mentem ex propria condirione commouere habet, vt placuit Dioscoridi lib. 1. cap. 66.) nam in vtroque auxilio exequendo, variæ reperiuntur difficultates, & varijs modis in cuiusque vsu medicus quantumuis prudens sit, & mente exercitatus, hæsitabundus existit.

De sanguinis igitur missione quæ primo sese offert, dubitatur an fieri debeat, & quando, & qua ex parte. Circa primum, multi sunt qui verentur in phrenitide sanguinem mittere, quòd affectus meræ sit biliosus, & statutum sit, biliosam, & quamuis aliam cacochymiam purgatione solùm demendã fore. Verùm si rem diligentiùs expendamus, constabit proculdubio, cunctandum non esse sanguinem mittere, etsi morbus à flaua bile suboriatur; quippe credendum est, hanc solam rarò cerebrum ascendere, nisi cum sanguine per venas commixto, licet aliquando ab ea mixtione secernatur vi naturæ potentis pellere, & separare ipsam à sanguinis consortio, tanquam id quod inutile existit. Quod aliquando efficit natura errans transmittens que in cerebrum, aut cùm sanguis in corruptelam commigrauit, & in febrium statu in phrenitidem fit cõmeatus: quo tempore alia via incedendum est. At in incipiente mox id auxilium tentare oportebit, nam cùm affectùs grauis sit, & citò laborantem interempturus, ea præsidia ex propria natura postulat, quæ pari celeritate auxilium præstent: huius profectò naturæ est sanguinis detractio, potius quã expurgans medicamentum. Quibus etiam accedit, quòd cum huiusmodi tumores præter naturã, aut defluxus ad caput, per vasa fiant, citiùs, quod influit, per incisionem vasorum, quàm expurgatione extrahetur: insuper quia sanguinis missio euacuatio est eius naturæ, quæ ex æquo omnes humores educit. Ex quibus iam constare arbitror, sanguinem esse mittendum, eoque copiosiùs, quo magis affectus sanguinis fuerit particeps, vel corpus plenius, & morbus incipiens, ac non ab alio affectu exortus: quippe phrenitidem fieri vno è duobus modis certum est, aliquando enim fit à seipsa incipiẽs, nonnunquam verò ex alio morbo prodiens. Sic dum incipiens est, audacter, copiosè, & bis eadem die sanguinem detrahes, tardare enim dixerat Hippocr. in talibus malum est. Quod intelliges, siue affectus fiat per irrigationem, siue per abscessum, siue per efferuescentiam: quippe hæc differentia nihil in sanguine mittendo euariat, licet in refrigerationis, aut repulsionis indicatione modum instituat, nam refrigerandum est audaciùs in efferuescẽtia, repellendum in abscessu cum aliqua resolutione,

A & ferè resoluendum in irrigatione cum modico attemperamento. Verùm quoad locum sanguinis detractionis, consensu vnanimi doctissimorum virorum constat, primam detractionem ex communi vena, quæ & plenitudinem deponat, & reuulsionem quodammodo moliatur, efficiendam esse, nisi affectus suboriatur ex menstruorum, puerperij, vel hæmorrhoidum suppressione: tunc enim ex talo semel, aut bis sanguinem detrahes; reuulsionem enim commodiùs ad originem fluxionum molieris, quàm ad aliam partem, vt consuluerat Gal. 3. artis medic. Quo tempore si hæc prodesse non videatur, maximè si femoribus cucurbitulas cum scarificatione affixeris, aut crura ablueris, dubitandum

B non est, ex cephalica sanguinem esse mittendum, quia rationi consonum videtur, aliquid iam in capite esse receptum, quod per proximas venas euacuari desiderat. Quod sanè preceptum subaudiendum est, cum etiam hæmorrhoides suppressæ fuerint, aut euanuerint varices: quas si sanguine misso ex talo non reuocaueris, teneris iterum eas excitare sãguine per hirudines extracto, aut quouis alio modo. Itaque scissa ea vena quæ & plenitudinem demat, & impetum reuellat, (maximè ad originem, alioqui periculum est ne citatiorem reddas ad affectam partem humoris impetum) aut suppressam euacuationem reuoces, eadem die si expedit cephalicam tundes, & pro viribus sanguinem extrahes,

C aut iterato sequenti die facies, donec alia indicatio ex quatuor adductis subsequatur. Idque maximè efficere studebis, si eam constiteris esse cerebri inflammationem, quam grauiorem esse diximus: nã vt periculosior est, & acutior, ita vehementer, & breuiter agentia expostulat auxilia. Quapropter, sicut in ea purgandum non est, mox à principio retrahes: in quo opere non plurimum laborabis, sed si expedit eadẽ die ab vniuersali euacuatione mox ad eam quæ ex cerebro sanguinem alliciat, deueniendum est, sic ex venis nasi, maximè internis, per hirudines, aut quouis alio instrumento, bis & ter sanguinem demes, fluereque longè copiosius sines, quàm in quauis alia phrenitidis specie. Quo facto,

D & interim dum per cucurbitas, aut quouis alio modo humorem diuertis, aut deriuare studes, hirudinibus post aures affixis, caput attemperabis, non oxyrrhodino, sed lotionibus ex decocto maluarũ, lactucæ, solatri, semperuiui, violarum, portulacæ, & acetosę, cum modico aceto rosaceo. Prosunt etiam emplastra ex eisdem herbis tepidis capiti apposita, quæ dum incaluerint mutanda sunt: à quibus aqua dulci, & temperata caput frequenter ablues: & postmodum decocto chamæmeli, althææ, & fœnugræci, ac meliloti. Posteà verò sternutatorijs vteris, caputque purgantia medicamenta, quòd nullius sunt vsus in re adeo celeris motus, & desperata, vt in qua cerebri substantia sphacelari creditur: atque hæc

E de peculiari hac phrenitidis specie sufficiant.

Verùm si phrenitis ex alio morbo prodeat, maturiori opus est consilio in extrahendo sanguine: nam considerare eo tempore oportet, an corpus ratione morbi præcedentis euacuatum sit satis, necne: quòd si primum sit, non videtur audaciùs sanguinem esse mittendum. Quippe credendum est, deiectas quodammodo fore ex morbo præcedenti vires, & ob id illis aliquid esse condonandum: verùm si vires constiterint, longè audaciùs sanguinẽ detrahes quàm incipiente phrenitide, idque duplici ratione, & phrenitidis nimirum incipientis, & præcedentis, aut forsan adhuc vigentis morbi. Verùm si sanguis quodammodo missus fuerit, & vires non admodum validæ, credendum est phrenitidem potius fieri ex mutatione morbi in ipsam, quàm ex ni-

mia

mia plenitudine: qua in re sanguinem extrahes, sed parciùs, quòd neque vires, neque plenitudo aliud expostulent. Cæterùm vt id opus minori sanguinis dispendio magis prosit, ex vena cui è directo caput respondeat fieri debet. Et ob id in his qui ex ardenti febre, aut maligna phrenitici fiunt, cephalicam in carpo manus, aut propè humerum tundimus, idque bis, aut semel, prout vires tolerare visum sit, aut postulauerit affectus vrgentia.

Scire tamen mox à sanguinis detractione oportet, qua lege purgandum sit in hoc affectu: namque graue est, & mille dubitationibus plenum, certam, & determinatam occasionem huic præsidio in eo inuenire. Est enim in hac re medicorum schola in duas classes dissecta: quarum altera tenet purgandum non esse nisi inclinante phrenitide, quorum ratio est, quia cùm potissima huius mali causa sit motus, agitatio, & efferuescentia humorum ad caput, exacerbantur, & mouentur ocyùs, & in caput citiùs irruunt medicamento purgante commoti. Nam hæc est medicamentorum purgantium conditio, saltem eorum quæ eligendo purgant: quæ enim his minora existūt, mouent quidem humores, euacuant tamen quam paucissimum, ita vt maius sequatur ex motu damnum, quàm ex vacuatione commoditas. Quibus rationibus multi decepti omnino se abstinent ab expurgantium medicamentorum vsu, non sine magno laborantium incommodo. Altera verò medicorum classis contrariam omnino tuetur sententiam, adeo vt nullum reperias laborantem hoc malo affectum, cui protinus expurgans non porrigant. Fulciunt huius sectæ authores suam opinionem validis rationibus: nam asserunt, potissimam huius mali causam stare in bilis, siue flauæ, siue cuiusuis naturæ sit, redundantia, & ob id vel nullo, vel pauco sanguine misso, tanquam in mera cacochymia medicamento vtuntur purganti. Quòd si arguas, inflammatæ partis humorem esse crudum, minimèque medicamento cessurum, respondent mentem eorum non esse ab inflammata parte quidquam detrahere, sed antecedentem materiam, vt aiunt, educere, & simul ad contrariam partem reuellere. Quorum profectò dogma vanum omnino nō est, maximè cum sibi persuasum habeant, plus commodi naturam suscepturam ex euacuatione nocui, quàm ex humorum turbatione damnum. Quibus addunt quartam, quæ meo iudicio efficacior existit: nimirum humorum phrenitidem efficientem, turgentis naturam, & conditionem sortiri: qua ratione cum in morbis quibuslibet incipientibus, si materia turgeat, nullo alterius rei habito respectu, necessum sit expurganti medicamento vti, eadem prorsus, & in phrenitide: si quidem, turgere, nihil aliud est, quàm naturam errabundis motibus hinc inde humorem agitare, quem ob id nitimur ante coctionem purganti medicamento educere, ne in caput membrum adeo princeps prolabatur. Mihi autem, & plerisque nostri temporis medicis neutra harum opinionum, vt iacet, placuit: quippe alienum videtur ab omni ratione, omnes aut nullum ex his qui hoc morbo afficiuntur purgare. Et ob in media incedendum esse via sum arbitratus, præhabita tamen hac distinctione: nimirum si affectus adeo in cerebro firmatus sit, vt maiorem humorum copiam confluxisse illuc constet, frustra, & erroneum iudico, expurganti medicamento, siue leui, siue eligenti vti. Verùm dum affectus in principio, aut in augmento est, considerare tunc oportet, an adhuc supersit copia, aut vitiosi alicuius succi exuberantia, quæ demenda necessariò sit: tunc quidem vtroque auxilio rem ages, eo nimirum quod distrahat, & eo quod etiam citra maximam turbationem aliquid educat, maximè si laborans leuiter deliranetit, nam si intensiùs, nequaquam. Cæterùm cum la-

A borans delirat, & tantum furit, aut imminētis phrenitidis signa adsunt, tunc profectò necessum est, siue cocta, siue cruda materia sit, protinus expurganti medicamento vti, maximè si cacochymiam dominari cognoueris. Verùm si eo tempore multum sanguinis cacochymiæ esse admistum cognitum fuerit, ipso extracto, sat erit blandioribus vti pharmacis, ita vt quo plus sanguinis extraxeris, eo mitiùs (licet seligenti medicamento) expurges, ne grandioribus euacuationibus, & paucis diebus factis, naturam plurimum subuertas. Sic enim vigente plurimum cacochymia, quo minus sanguinis extrahere datur, eo longè audaciùs purganti innitendum est pharmaco. At verò in delirio per consensum ab humorum efferB uescentia extra vasa, verendum est, si sanguinis missio id non interdicat, ne protinus vera fiat phrenitis: tempore tamen quietis, & longè dissito à febris vigore, non displicebit aliquod ex leuioribus porrigere pharmacum; quale est illud quod rhabarbari dilutum recipit. Si tamen phrenitidem incipere nobis cognitum sit, idque fieri ex motu, & efferuescentia humorum, verendum est ne expurgantibus intensiùs efferuescant, & maior fiat in caput eorum ascensus: præterquam quòd cum laborans medicamenti molestiam non sentiat, quia mente est captus, naturam non habebimus adminiculantem ad vacuationem, & irrita fiet medicamenti assumptio. Quapropter vel sanguinis detractionibus, vel alijs præsiC dijs, quæ inferiùs referam, impetum aliò transferes. Verùm si delirium fiat ob sanguinis feruorem in capitis venulis, vereri omnino oportet expurgantis vsum, sicut dum iam in capite abscessus factus est. Quòd si non ex efferuescentia (quod plerunque solet propè statum contingere, in quo tempore vereri, & vitare omnino purgationes oportet) sed ex flauæ bilis vbertate inflammatio principium sortiatur, minimè subuenies sanguine misso, neque distractionibus, sed eo tempore prorsus purgandum est rhabarbaro, aut eo medicamento quod bilem educat. Quippe his purgationibus præmissis, leuioribus refrigerantibus, & his quæ intensam humorum caliditatem compescant vti satis est. Quibus sufficere D assolet *manna succo, aut infuso rosarum liquata, cassia fistula, syrupus ex 9. infusionibus, addita rhabarbari infusi, & expressi* ℥. 1. & ß. quòd si corpus robustum fuerit, *ex electuario rosarum Mesue* ℥. 2. *aut* 3. *in aqua borraginis, vel sero lactis cum modico syrupo violarum dissolues*. Itaque propè statum, aut in nimia humorum efferuescentia, vel laborante plurimum mente capto, in hoc affectu purgandum non est; sed alijs auxilijs inflammationem cohibere curandum.

Secundum curationis præceptum versatur, non circa humorum quantitatem, sed potissimum circa eorum motum, & ascensum ad caput, quo vtendum esse consulit medendi ratio, mox à quantitate deposiE ta. Cui sanè præcepto referenda sunt omnia auxilia, quæ reuellendi, aut distrahendi humores ad distantes partes, & ad contrarias, vim & efficaciam obtineant. Cuius naturæ sunt frictiones partium inferiorum, & dolorificæ ligaturæ, quæ tantum doloris inferant, quantum sat sit, vt naturam ab incepto motu retrahere, & alium denuò aggredi cogant. Præstant & lotiones crurum, his quæ quodammodo attemperent feruentem calorem, & partim etiam ad distantia loca euocent humores: quales sunt quæ conficiuntur ex rosis, violis, & chamæmelo, ac folijs cannarum. Cucurbitulis etiam id munus exequeris, quòd earum efficacia sit ab alto, & à distantissimis corporis partibus attrahere: quòd si plenitudinis adhuc, & imbecillitatis subsint signa, eas scarificabis. Neque innitendum plurimùm distractioni est: quippe coniectandum erit, morbum firmatum iam es-

se in cerebro, vt deriuatione potius quàm distractione opus sit: & ob id scapulis, humeris, & supernis brachiorum partibus affigendas esse magis probo. At si affectio ex suppressa vacuatione fuerit orta, maximè si ex puerperio, aut sanguine menstruo sit, suras scarificare, & copiosum sanguinem fundere, profuisse non rarò fuit mihi compertum. Inhibebis etiam fluxionis impetum ligato collo fascia madida aqua frigida, aut aqua rosacea, & aceto. Sunt quoque quibus non displiceat dorsum inungere aqua, & aceto, aut vnguento rosaceo loto sæpius in aceto, restinguunt enim hac lege venarum feruorem, & arteriarum calorem compescunt, maximè earum quæ sunt propè dorsum, à quibus frequentiùs cerebrum damnum suscepit.

Tertium præceptum docet non sat esse, plenitudinem, & cacochymiam deposuisse, neque humoris impetum frænasse, sed præter hæc omnia necessum esse, si quid in capite receptum est, quod inflammationem, aut irrigationem moliatur, ipsum à cerebro pellere: nam hæc est vera huius affectus curandi ratio. Perficies tamen prædictum opus tribus modis: cui vsui expendendum primò est humoris cursus in caput aliquid adhuc immorari in venis per quas defertur iuxta caput, & aliquid etiam iam in ipsum confluxisse, vbi vel abscessum, vel irrigationem molitur. Quapropter duo exequenda sese offerunt: vnum quidem deriuare per proximas sedes quod adhuc in venis immoratur, quo aptior securiorque subsit repulsioni, aut discussioni locus. Quippe hac ratione censeo millies improsperè hæc auxilia adhiberi: nam dum vasa illa plenitudine premuntur, neque repulsui cedunt, neque resolutioni: quamobrem ex cephalica primò, aut cucurbitulis eadem parte affixis sanguinem fundes. Quod verò iam in capite contentum est, ab ipso euacuabis: primò transmissa materia quæ ibidem est ad aliam partem: secundò extracta sensibiliter, aut insensibiliter. Transmittitur quidem ad aliam partem duobus modis: nam vel trahitur, vt nuper dictum est, & deriuatur cucurbitis, vinculis, lauacris, aut omni alio dolorifico auxilio, brachijs, & scapulis præstitis, nec non propè ceruicem: vel rursus pellitur vi, & efficacia repellentium medicamentorum. Sunt autem ea in varia differentia, prout affectus grauior, aut mitior fuerit: sic primò mali accessu oxyrrhodinum adhibebis confectum *ex oleo rosaceo, & quarta aceti parte*; quòd si biliosissima sit materia, *violacei olei modicum addes, & succi acetositatis citri loco aceti* ℥. 1. *&* ß. & pari pensu sanguine redundante *excepto violaceo*. Cui si plurimum æstuauerit caput, adijcere oportet succi cucurbitæ, lactucæ, semperuiui, ad minus quintam, aut sextam partem. Verùm in hac re cauendum est ab his quæ impensè refrigerant, & repellunt, quippe quæ non rarò ex phrenitide lethargum accersant. Quapropter consultum est, huiusmodi auxilia actu calida adhibere: quod factum fuisse arbitror, ob id, & vt citiùs permeent ad intima, & ne cutis extima obturetur præpediaturque fuliginum expulsio: Galen. autem 2. de compo. phar. lo. hyeme calida, aut tepida, & æstate frigida scribit esse adhibenda. Expendendum quoque est, aliquando mitiora repellentia ex vsu fore, ea nimirum quæ attemperandi solùm vires habeant. Qua ratione authorum non pauci lacte vtuntur aqua rosacea, aut solùm frigida admixta: nam sæpè temperatum caput nocuum à se pellere potens efficitur. Aufertur autem à capite materia vno è duobus modis: primo sanguine misso ab eis partibus quæ materiam contentam in cerebro facilè educant (nam difficulter per dictã repercussionem commeatus fit ad venas) sic profectò post vniuersalem vacuationem, reuulsionem, & repulsum, sanguinem detrahes, primò affixa occipi-

A tio grandi cucurbita, & scarificata: quod si id prodesse non videatur, sæpè ex vsu fuit sanguinem mittere ex vena frontis, vel nasi, ac si probè non fluxerit hyrudinem parti scissæ adhibebis, quæ suctu è profundis partibus sanguinem alliciat. Item magni sæpiùs momenti fuit, ex venulis intra nasum: nam qua ratione iudicatoriè per easdem solet natura phrenitidem finire, eadem & ars poterit. Sunt etiam qui consulant, venas sub lingua tundere, quod fieri posse perdifficile arbitror in his qui mente non constãt. Verùm si hæc non prosint, non est plurimum innitendum deriuationi, aut repulsui à capite, sed transacto morbi impetu, curandum est vltimò, quæ in capite contenta sunt, resoluere, & per insensibilem halitũ
B vacuare. Quod sanè opus cautè, & prudenter facito, ne ex intempestiuo resoluentium vsu, maior subinde calor, & intensior efferuescentia concitetur.

Sic enim postquam mox à principio morbi, & interim dum sanguis mittitur, aut secus, vel purgatione vtimur, repellentia auxilia adhibita fuerint, citra alterius qualitatis admistionem (nisi pituitæ aliqua portio admista fuerit, quæ somnulentum concitet delirium, nam tunc chamæmeli modicum admiscebis) morbo tamen eunte in augmentum, resoluentium aliquid adijcies, velut est *decoctum chamæmeli, aut oleum eius, ita vt* ℥. 3. *olei rosacei, quartam chamæmelini, aut decocti eius addes*, tantumque deinceps augere teneris resoluentia, quantum morbus augeatur:
C quòd si necessitas repellendi iam non instet, quòd nihil denuo fluere constet, curandum est omni arte prorsus resoluere: quippe hoc malum, nullam admittit suppurationem. Erunt autem resoluentia huic vsui proficua, in duplici differentia: quædam enim nostro calori simillima existunt: quædam verò paulò efficaciora. Sed modestiùs resoluentibus primò occursu vteris, ne parte humoris tenuiori resoluta, crassa difficiliùs discutiatur, & amens supersit laborans. Quapropter sat erit spongia actu calida, madefacta oleo liliorum, chamæmelino, aut decocto maluarum, meliloti, fœnugræci, & chamæmeli. Præstat tamen, antequam merè resoluentibus vtaris, hoc præsidium capiti adhibere, q. ℞. *capitum papauerum numero 11,*
D *seminis lactucæ pugil.* ß. *corticis radicis mandragoræ* ℥. 1. *florum cordialium ana p.* ß. *chamæmeli p.* 1. *caryophillorum numero 6. commisceantur, & fiat puluis, quem mittes in arietis pulmonem, vel in corpus pulli gallinæ, vel columbæ, & capiti appones.* Quod facies, non vt simul reuellas, & digeras, (quippe rarò eodem pharmaco id consequeris, cùm omnino contraria sint opera,) sed vt somnum inducentia penitiùs, & commodiùs immittas, vt diaphoreticorum admixta. Quinimò arbitror, potiùs adinuicem se iuuare discutientia, & repellentia, non tamen immixto opere, sed eo quòd repellentium adminiculo, discutientia intrò pelluntur, & discutientium ope, repellentia magis permeant ad intima, quod solùm vi
E sua non possent: & ob id forsan a Galeno, & veteribus dictum est, in principio, vbi facilius est repellere, his esse vtendum, crescente verò affectu, vbi ad penitiora loca confluxerit humor, admiscenda esse discutientia: non quidem vt discutiant, sed vt repellentia deuehant ad intima. Præterea quæ nostro calori simillima sunt, securiùs resoluunt, velut arietis pulmones, qui ferventes capiti appositi donec refrigerentur, miro modo prodesse solent: præstat item vituli, suis arietis, vel capreoli omentum. Quòd si pulmones, aut omentum ad manum haberi non possint eo numero, & ea diligentia, quòd eis frequenter vtaris, incoquere ea oleis prædictis, vel aqua, & chamæmelo, ac reliquis herbis calidis oportet, & modicum aceti immiscere, & capiti calentia linteo molli inuoluta apponere. Verum si neque hæc omnia prodesse possint, ad ea quæ maiorẽ calorẽ obtinẽt cõfugiẽdũ est:

est: qui sanè calor non vtcunque exquiri debet, sed cum hoc quòd maior sit prædicto, naturali simillimus existat. Sic pulli columbarũ per dorsum scissis, abiectis interaneis, capiti appositi, hunc vsum præstant: cuius naturæ est pullus gallinaceus, & maioré insuper calorem præstat catulus nuper natus. Quòd si his omnibus adhuc, vno aut altero die tentatis, nil commodi consequaris, cósultissimum fore arbitror, summo capiti cucurbitas affigere, quibus per suturas aliquid expiret, euoceturq; ad cutem: ac si rubor cópareat & tumor, subtus cucurbitam ipsam scarificabis, quo auxilio mirum non est, si consequaris quod reliquis omnibus non valuisti: maximè si mox vtaris lauacris aquæ dulcis calidæ, vbi ferbuerit aliquid ex discutientibus memoratis. Hoc tamen diligenter & prudenter obseruabis, ne in ea phrenitide id fiat, quæ ex febre maligna, aut quauis alia ardenti degenerauerit, sed solùm vbi ipsa incipiendo processerit: ac si quando in febribus id tentaueris, (quod tutum non fore semper arbitror) id facito, multis euacuationibus corporis priùs factis, ita vt nulla sit plenitudinis, aut vitiosi succi redundantia in corpore & infimis corporis partibus: sed solùm vbi constiterit in capite vniuersam materiam collectam fuisse. Præterea caput abluere oportet decocto chamæmeli, florum stœchados, & capitum papaueris. Tandem, hæc omnia iterato facies, donec constet deliramenta mitiora esse, & pulsum molliorem: quo tempore coniectãdum est, affectum quodammodo iam declinare.

Verùm quia in hoc malo frequenter accidentia maius facessunt negotium, & morbum longè intensiorem reddunt, studendum quidem est ipsa mitigare & lenire: nam præter dicta mala quæ operantur, vires quoque prosternere nata sunt, adeò vt curato primo malo, sæpè ob defectum virtutis laborantes intereant. Sed inter omnia, maioris est efficaciæ vigilia: item vrinæ & alui suppressio non sunt parui momenti, quas mingare magna diligentia curandum est.

Vigilia verò, inter accidentia quæ huic morbo succrescunt, maximum facessit negotium, siue hunc affectum sequatur, siue ipsum antecedat: sæpè enim ipsa sufficiens est, humores ad caput accersere, ac phrenitidem concitare, præsertim in malignis & ardentissimis febribus. Vtcunque tamen sit, duobus modis succrescit: vno ex humore mordente & irritante potentias ad perpetuò operandum, quo fit, vt vigilent: alio verò à calore seu vapore cerebrum exiccante & mordente: quippe cum exiccet, liberas & expeditas reddit spirituum vias ad sensoriũ tendentes, quò fit, vt ea etiam ratione vigilent, quia non est vapor, neque humor qui easdem obturet impediatque spirituũ transitum ad sensoria, vt ociari possint. Cùm verò ex humore ante phrenitidem, aut in ipsa, vel post viget, vnum habet proprium & peculiare, in præsidijs quæ expostulat, quòd ea plerunque ex vsu etiam sint, quæ phrenitidi ipsi sunt proficua. Sic oxyrrhodinis quæ diximus, addere oportet oleum de papauere, aut nenupharis, vel oleum in quo incoxerit semperuiui, vel cicutæ aut mandragoræ modicum. Item cùm vigiliæ ratio in maximo calore & ingenti siccitate consistit, stillatitias aquas, aut decoctum ex prædictis, vel lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, papaueris & aliorum huius naturæ efficere oportet, & prædictis admiscere, aut ex eisdem & oleis cum modica cera vnguentum conficere: quibus si necessitas plurimum vrgeat, addes opij grana duo, & tempora et frontem illinies: quod sanè antea efficere tentabis oleo rosarum, de semine cucurbitæ, vnguento rosaceo, ex cucurbita, aut pupuleone. Præstat etiam mirum in modum nares & frontem illinire vnguento quod conficitur ex vnguento rosaceo, mucagine psyllij, & oleo violarum. Sed fidissimo experimento comperimus, multis ex hac causa vigilantibus profuisse inunctionem capitis

A ex frigido oleo violaceo, superposito oxyrrhodino. Quæ sanè omnia, conuulsiuis motibus ab eadem causa prodeuntibus, mirum in modum profuisse constat; sicut si ex plenitudine oriantur vel resoluentia, vel aliter euacuantia, vt in vera curatione morbi nuper retulimus.

Idem beneficium præstabit capitis ablutio prædictis aquis: sed potiùs enematis refrigerantibus, interim dum hæc fiunt, vtens vt mox referam. Somnum etiam conciliant syrupus violarum, portulacæ, & dé papauere cum multa aqua portulacæ vel hordei, lacte amygdalarum dulcium, aut decocto lactucæ vel cucurbitæ. Quòd si hæc non prosint, ad ℈. 1. *vel.* ʒ. ß. *philonij Persici aut Romani* confugiendum est, quem B dissolues *syrupo violaceo & aqua portulacæ*: sæpè etiã somnum conciliat modicum cassiæ fistulæ laboranti ante cœnam porrigere, ac desuper bibere, & posteà ipsum ad vigilandum cogere: quæ enim vetita sunt, frequentiùs appetuntur. Præstant iuscula in quibus capita papaueris sicca & cucurbita viridis incoxerint: sed miro modo somnum conciliant crurum lauacra ex decocto rosarum, violarum, lactucæ, & lenticulæ palustris. Maximi etiam est momenti, somni tempore porrigere id quod ℞. *emulsionem.* ʒ. 1. *aut.* ij. *seminis papaueris in aqua nenupharis extractam, syrupi papaueris.* ℥. 1. *confectionis de hyacintho.* ℈. 1. Iuuat etiam sonitus aquarum currentium & susurrus aut cantus lenis cum harmonia & modulatione. Præ-C stat & collum circundare fascia aqua frigidissima & aceto madida, parum ante horam somni apposita: & frigidam etiam aquam superbibere, aut apozema aliquod: cui adijcies syrupi rosarum aut violarum, vel de papauere modicum. Clysmata quoque non minùs somnum conciliãt, maximè si receperint decoctum cucurbitæ, lactucæ, capitum papaueris, hordei & maluarum, cum oleo violarum & rosarum & sacchara albo citra alterius rei admistionem: quæ sanè cum viscera attemperent, teporem etiam capiti communicant, aut saltem quod ipsum petit, minus acre & mordax efficiunt: quod etiam præstat lac quatuor seminum frigidorum maiorum, cum decocto florum & foliorum violarum viridium, & verruca-D riæ herbæ.

Inter alia accidentia quæ huic affectioni succrescunt, frequenter conspicimus vrinam & alui excrementa ex toto cohiberi, cùm omnino qui hoc affectu laborant, sensu orbentur. Ex quo prodit, vt præ distensione partes his muneribus dicatæ inflammentur, tendantur & in tumorem eleuentur, & quod morbus efficere non valuit, symptoma consequatur. Sic enim vrinam euocabis his quæ emolliendi vel calefaciendi ac modicè partes laxandi vires obtineant: cuius naturæ est vnctio ex oleo amygdalarum dulcium, sesamino, lumbricorum, & scorpionum. Prosunt & fomenta quæ parantur ex decocto seminis lini, fœnugræci, maluarum, althęæ & E meliloti: quod sanè vesica aut spongia exceptum, & è regione vesicæ appositum magni est momenti. Hos etiam frequenter ad meiendum excitabis: ac si nihil ex his profuerit, hastula petroselini, iunco viridi aut chatetere vrinam educere tentabis. Aluum deinde excitabis enematis & suppositorijs, quæ acriora sint, qualia sunt, quæ conficiuntur ex hiera logodij & sale gemmeo: quod si efficaciùs efficere velis, addes pulpæ colocynthidis modicum: cui vsui scripta reperies non pauca lib. nostro de fœmin. morbor. capit. de fœtu mortuo.

CAPVT XII.

De lethargo, & reliquis soporosis affectionibus.

VT vigilia, ita profectò & somnus duplex existit: naturalis nimirum quando natiuus calor labore fessus, exolutus, & exiccatus indiget, humido vtili, cuius ratione in viscera conuertitur: præter naturam verò, in quo ob immodicam humiditatem idem calor natiuus non potest foras progredi, vt in omni somnolenta affectione comperimus. Itaque cù somnus naturalis actio sit, & animali non parum vtilis, ac necessaria, ob id distinguendum mihi est primo, qualis somnus ex naturæ instituto prodeat, qualis verò secus, vt hunc tueri, & euocare studeamus, illum verò propellere.

Constat igitur ex dictis, somnum esse naturæ actionem, passionem verò cum non naturaliter succrescit. Qualis verò naturæ, & conditionis sit hæc actio, non satis constat, nec vnam de hac re authores proferunt sententiam: quod tamen verius arbitror, est somnum esse potentiarum cerebri vinculum, vt communi ferè omnium constat consensu. Cum hoc tamen intelligendum non est, omnium cerebri potentiarum vinculum esse. Quippe solum re vera constat, sensuũ externorum ocium, & quietem esse: nam reliquæ potẽtiæ interiores, & motus qui voluntatis imperio subditus est, dum somnus naturalis existit, ferè immunes à C vinculo manent. Hinc profectò fit in insomnijs homines moueri, loqui, respirare, & alios actus motiuæ potentiæ exequi, quantumuis orbari videantur sensibus reliquis: vt de se retulerat Galenus libro de motu musculorum, qui cum dormiens iter egisset, nondum recordatus fuit donec à lapide offensus excitaretur. Ratio quidem huius euentus est, quia tunc vniuersa cogitatiuæ vis ad motum conuersa est, & etiam in somno sola cerebri anterior pars obstruitur, non postica, & cum in hac vigeat motiua potentia, & in illa sentientes omnes, fit profectò, vt sensibus orbetur dormiens non motu, quia interiores facultates quodammodo sopitæ iacent, vt neque discernere, neque imaginari quidquam perfectè possint, leuemque D vim habet in has facultates phantasmatum repræsentatio: quo fit, vt nulla insomnia sequantur. Cæterùm, dum causæ somni, vel mediocres sint, vel leues, imaginatrix facultas libera manet ex parte, & ex rebus quas vigilans gessit, senserit, aut cogitauerit, spectra plurima sibi componit, quæ ceu vera sint dormiens intuetur, & vi discretrice offusa, & proinde non reluctante, eis fidem adhibet, nesciens se dormire: secus res se habet in leui somno, vbi etiam si phantasia amplius libera sit, & memoria, atque ratio operentur, eis rebus fidem non adhibet homo, quia cognoscit se non dormire: quo fit vt hæc insomnia non dicantur, neque is somnus, quia minimum à vigilia distat. Quamobrem, sicut in somno naturali non omnes potentiæ ociantur ex toto, ita non semper dormiens orbatur motu, aut alijs internis. At cùm causa naturalis terminata est, & vapor consumptus, expergiscitur, vi superiori conuersa validèque agente, eximit obstructionem, & soluuntur sensus, ac excitatur animal. Appellatur tamen naturalis somnus actio, non quòd fiat à potentia peculiari, sed quòd à causa fiat secundum naturam, & in vsum salubrem, ac necessarium: ex moderata nimirum vaporosaque substantia, qua coarctatis ad sensoria vijs, somnus conciliatur naturalis: item, ex retrocessu caloris, & spiritus ad viscera, tum propter alimentum, tum propter diurnũ ipsorum dispendium. Qui etiam subortur à modica frigiditate, qualis noctu succrescit. Verùm vbi vtraq; causa natiuæ modum excedit, siue impensè frigida, siue copiosius humida, somni prodeunt præter naturæ modum, & tunc pati animal dicimus. A Passio item naturæ efficitur eo tempore somnus, & præter naturam redditur, cum anteuertit tempus consuetum, & intempestiuè dormiunt laborantes, aut diutius quàm par sit, (præterquam in pueris, & crisibus) aut difficulter expergiscuntur, vel expergefacti iterum profundè dormiunt. Ex quibus varietatibus plures soporosæ affectiones accedunt, quæ licet vno accidentis modo conueniant, materia tamen ac vehementia, & loco affecto in ipso capite dissident. Quapropter mihi multa sese offerunt primo expendenda, vt clarior euadat difficilis hæc tractatio.

In primis quod Græci medici, coma, caros, & cataphoram vocant, Arabes subeth nomine cõprehendunt. B Est & catoche, siue catalepsis, quam Neoterici, & Latini detentionem, seu congelationem appellant. Est & lethargus, in quo somnus profundus existit, sed cum cerebri inflammatione, alioqui non differret à reliquis. Quas omnes hoc vno capite complecti placuit, vt quæ (licet inter se non leuè differentiam sortiantur) vnam eandemq; curandi methodũ expostulent, & medicam materiam parum diuersam.

Prius tamen monendus mihi lector est, soporosas affectiones in duplici esse differentia: nam quædam veluti præludium existunt maioris profundiorisque somni, & aliquando hæ eædem per se non parum periculi, & molestiæ laborantibus adferunt: hanc sanè affectionem, quæ verè maiorum est præludium, Ga- C len. lib. de comate cap. 2. & lib. 1. prorr. comment. 1. cataphoram vocabat, sed Hippocr. vocabulo vtens, coma inscripsit, nihil aliud volentes per hæc verba significare, quàm propensionem, seu delationem in somnum: ita vt qui sic affecti sunt, vt Galen. placuit 3. popu. parte prima comment. 7. nequeant vigilantium munia obire, sed si ea aggrediantur mox coacti sua sponte iterum dormiunt: caros etiam aliquando in lethargum commigrat. Sed cuiusque seorsum meminisse oportebit.

De Comate.

Est igitur coma in genere, dormiendi desiderium præter naturam, aut lenta delatio, siue inclinatio in somnum, vel vt alij definiunt, vigilans somnus, seu impotentia vigilandi, aut laboriosa vigilia. Huius af- D fectionis peculiaris conditio est, raro esse per se morbum, sed semper succrescere alijs cerebri, vel aliarum partium affectionibus: quod magni fore arbitror momenti ad veram, & genuinam curationem instituendam. Cuius profectò mali duplex est species: nam eorum qui in somnum propensi sunt, quidam licet clausas habeant palpebras, dormire tamen nequeunt, quod symptoma vigil coma alij vocant, & Paulus libro 3. cap. 6. cathocon nuncupauit. Quæ Pauli verba à quibusdam prauè intellecta, in hæsitationem plures duxerunt, nescientes distinguere hanc affectionem ab eo catocho, cuius meminerat cap. 10. eiusdem libri. Quidam verò ex his mox dormiunt, sed non profundè, licet diu, affectio quidem finitima lethargo, & E ob id dictum symptoma coma soporiferum nuncuparunt. In quo sanè affectu, vt ambiguitatem multorum Hippocrat. & Galeni locorum diluamus, statuendum est, vt verè coma fiat, laborantes non dormire profundè, sed delationem sortiri in profundum somnum, ad eum cerebri facultates incitatæ, non tamen profundo somno correptæ ob materiæ cõditionem, quæ acredinis, & caloris est particeps: quo fit, vt anxij, & inquieti existant, ac nonnunquam inter dormiendum delirent. Itaque cùm vna eademque causa sopire, & delirare semper efficiat, impossibile est, ingentem delipientiam, aut grauem soporem inducere; vt constet eorum error, qui coma profundum somnũ nuncuparunt, neque adhuc soporiferum, ni velis comatis nomine sopores omnes intelligere. Quo fit, vt meritò dubitauerit Hipp. 1. prorr. vtrũ comatosi, & per initia vigilãtes verè phrenitici sint: nã licet vigilijs

simul

simul læderentur, ac multarum partium dolore, vbi eos non apertè desipere, sed potiùs dormire meminit, merito propter vtrunque an phreniticos ipsos appellet, ignorat: vbi constat somni non esse proprium, quinimo alienum delirium, verè tale ex deprauatione facultatum existens: quod in multos retorqueri potest, qui lethargicis proprium esse hac lege delirare statuunt: cum re vera licet aliquo modo id accidat, non somni neque proprij symptomatis ratione, quinimò in diminutis memoria, & imaginatrice, nō deprauatis, consistit, vt latiùs mox constabit in lethargi signis. Quibus sanè omnibus comatis soporibus commune est, quòd laborantes nequeant oculos eleuare, sed mox grauati dormire cupiant: vtcunque tamen sit, vtrunque symptoma est debilis, seu infirmæ imaginatiuæ passio, vt Galen. placuit lib. de differen. sympt. cap. 3. & sic in vtroque laborantes loquuntur, & delirant, quod in alijs soporosis non reperies. Sed relictis signis, & caussis somnolenti comatis, quippe quæ finitima sunt his quæ in lethargo reperiuntur, præterquam quòd dormientes delirant, & expergefacti resipiunt, de vigili expendendum est, sic affectos comate grauari, vigiles esse, versutos, & phreniticis nonnunquam persimiles, quos si tetigeris magis delirant, ac mox oculos eleuant, & tangentem toruè aspiciunt, & in somnum iterum delabuntur, varijs imaginibus cogitationibusque somno intercepto, ita vt vigilare cogantur, vt sic affecti agrypnocomatosi, quasi vigiles dormientes dicantur, quia somni desiderio inani tenentur. Cum hoc tamen subito se mouēt, & desipienter loquuntur, exiliunt instar spasmi: quem quidem affectum medium inter phrenitidem, & lethargum, Gal. lib. de puls. ad Tyr. c. 11. & 3. popu. parte 3. comm. 39. arbitratus est. Existit etiam alia vigilis comatis species, quæ nomen generis obtinet, in qua laborantes delirant inter dormiendum, & si excitaueris, aut loquaris, aspiciunt incontinenter, & magis egrediuntur à se, & malum facere tentant.

Causæ. Itaque soporosi comatis natura ex vna trium caussarum prodit: prima ex multa pituita in cerebro collecta: secunda ex frigiditate sola: tertia verò ex resolutione spirituum. Sunt & aliæ tres caussæ vigilis comatis: vna quidem imbecillitas virtutis ab extinctione caloris natiui, vt iam inde perfrigeretur cerebrū, quæ impotentia vigilandi nuncupatur, & morti existit proxima: nam sic affecti præ infirmitate palpebras attollere nequeunt, resoluta animali potentia: quo fit vt morti proximi commissis palpebris, dormientium instar, iaceant cum pulsu paruo, & languido. Secunda verò ex varia humorum miscella, aut natura prodit: nimirum à sanguine copioso cum bile, vel ab excalefacta, & acri pituita, aut ex bile pituitæ admixta, vel ex vaporibus eiusdem naturæ. Sic profectò in ebrietate, accessionum incrementis, aut morborum augmento facilè laborantes dormire comperimus: cùm videlicet calor febrilis sursum, quę cruda sunt, in cerebrum rapit, aut vbicunque sint, agitans, & in feruorem ducens euaporat, quo calore vigilare cogat, & humiditate in somnum inclinet. Ex quibus humorum, aut vaporum miscellis constat procul dubio tertia caussa, in qua laborantes aliquando plus iusto dormiunt, & nonnunquam intensius vigilant; prout magis vna caussa cerebrum irruit vno tempore, & altera alio. Quæ omnia si quis exactè pensitauerit, reperiet vigil coma duobus modis fieri, licet ex contrariorum varia miscella statutum sit succrescere, vno quidem per consensum ab halitibus calidis, & humidis vtcunque sit: nam cum vapor sua sponte humidus existit, si aliqua occasione incalescat, aut etiam sua natura calidus sit, facilè caput occupans, qua parte imaginatiua potentia viget, in somnum laborantem ducit, atque calore vigiliam concitat: quod pari ratione contingere scimus, dum halitus diuersæ

A naturæ eundem locum conscendunt. Secundo idem constat fieri per essentiam, capite contrarijs humoribus irrigato, aut ex solo sanguine vt multi autumant. Verum quia misceri hos humores tribus modis contingit, sic prædictam affectionem tripliciter quoque fieri est arbitrandum: nam dum bilis in mixtione præualet, verè fit coma vigil, in quo laborantes longè magis delirant, & licet clausas habeant palpebras, minus dormiunt. Dum verò pituita prædominatur, dormiunt quidem pressius, sed delirant minus, ac expergefacti minus vociferantur, & desipiunt, sed citius quam primi in somnum dilabuntur. Verum dum vtraque caussa in æquilibrio est, exquisitius existit coma vigil: & hanc affectionem nonnulli ex medicis

B arbitrati sunt esse typhomaniam, nos autem censemus eius esse præludium, & primam speciem. Quippe tripliciter eam fieri, verius quam vulgariter creditur, arbitrandum est: nimirum dum cerebrum prædicta humorum miscella irrigatur: item dum cerebri tunicæ inflammantur flaua bile, & cerebrum pariter pituita irrigatur: vltimo verò, & quod propiùs typhomaniam gignit, est dum cerebri substantia, aut tunicæ ipsæ miscella prædictorum humorum inflammantur: nam Gal. diffiniens hunc affectum, medium statuit esse inter phrenitidem, & lethargum, qui inflammationes sunt, ex quibus simul iunctis typhomaniā sequi est arbitrandum, haud secus quàm statuitur esse œdema erysipelatodes, aut erysipelas œdematodes:

C Galen. enim 1. prorr. phrenitidem comatosam euenire refert, & affectus etiam comatosos phreniticos appellat. Quapropter cum dixit idem author, coma vigil ex miscella pari vtriusque humoris esse typhomaniam, arbitrandum est, locutum fuisse de typhomania quoad modum symptomatis ex delirio, & somno constituta: nam dum veram eius rationem exquirit, statuit medium esse affectum inter phrenitidem, & lethargum. Itaque ex his constabit differre vigil coma, & omnes eius species à typhomaniæ speciebus, quòd in comate sat est humores cerebrum irrigare, in typhomania quæ verè est affectio inter phrenitidem & lethargum, non id sufficit, necessum enim est cerebrum, aut membranas mixto hoc humore inflam-

D mari, vt verè constituatur typhomania. Atque hæ sunt caussæ, & differentiæ comatis, cuius non parua habenda est prouidentia, siue alijs succrescat morbis, siue incipiendo procedat: maiorum enim malorum solet esse præludium. Quippe à comate sine vigilijs, quod vel profundum est, vt carus, vel saltem somniculosum, licet phrenitis non prodeat, succrescit quidē lethargus: si verò initio vigilia sit, cui accedat ceruicis capitis, & lumborum, atque hypochondriorum dolor, ij in phrenitidem incurrunt, tanto quidem celeriùs, quanto plura fuerint reliquorum signorū phrenitidis. Verùm si cum comate vigilia adsit, ambigua res est: nam modo sic affecti phrenitici fiunt, modo sine ipsa morbum transigunt, modo ipsis lethargus

E succrescit, modo neutrum: quapropter alijs signis innitendum est magis, vt prædictio certior euadat.

Coma soporiferum, seu profundus somnus idem ferè est, quod carus, licet aliquo modo euarient: quia in hoc omnium sensuum videtur omnimoda ablatio, in illo verò secus. Erit igitur carus paralysis imaginatricis facultatis, sensum motumque omnem, excepta respiratione adimens, propter anterioris cerebri partis angustiam, vitium quidem ad cerebri corpus, & ventres simul attinens, vt in apoplexia, & epilepsia contingere scripserat Galen. 4. de locis aff. c. 2. in sopore tamen ventres magis quàm corpus, vt in epilepsia. Quo fit, vt somnus sequatur profundus, oculis perpetuo clausis, & omnis sensus, atq; motionis priuatio: nam licet aliquo modo puncti sentire videantur, id potiùs signum vitæ videtur cum nihil respondere possint. Quàm sanè affectionē tribus modis vsurpari

apud authores comperio: vno quidem pro somno dif
ficili qui sequitur diuturnas vigilias, qui criticus dici
solet,& vtilis vt causa & vt signum, qualis apparet in
pueris & ægris quibusdam post intensam vigiliam,
vt aduertit Galē. 2. prorr. comment. 29. Secundo mo
do dicitur profundus somnus, cerebro oppresso ex vi
lis humidi copia, vt in ebrietate contingit, qui neque
absolutè bonus neque malus dici potest, nisi sub di-
stinctione, vt refert Hippoc. 5. aphor. 5. dicens: Si e-
brius quis repentè obmutuerit, conuulsus moritur, ni
si febre corripiatur, aut qua hora crapula soluitur, vo-
cem recuperet. Tertius verò continet verum carum,
qui propriè talis dicitur, nimirū somnus profundus, è
quo ægri tametsi pungantur, excitari non possunt,
cùm sensus & motus priuatione, rationis & memo-
riæ læsione à copia materiæ frigidæ aut crassæ & len-
tæ sine putredine, quæ anteriorem cerebri partem oc
cupat, aut à compressione ventriculorum cerebri vel
musculorum temporalium ab ictu, vt in caluariæ fra-
ctura, in qua dura membrana cum medio ventricu-
lo opprimitur, item, à multo vapore prauo, aut in fsigni
refrigeratione ex narcoticorum vsu ortus, manente
sola respiratione libera.

Pars affecta.

Placuit in definitione cari causas etiam comple-
cti, vt magis constet eius natura & conditio. Verum
quæ pars cerebri in eo afficiatur, differendum nunc
superest. Io qua dubitatione omnes fatentur, vt re ve
ra euidentius est, anteriorem eius partem magis affi-
ci, deinde cùm plena humore sit, oculos reddit clau-
sos, ac nihil respondere permittit, quantumuis clamo
ribus excitetur homo, ob humoris copiam palpebras
& linguæ musculos occupantem. Quod autem poste
riores lędantur ventres ac reliquæ potentiæ infirmen
tur, licet Hippocra. verba lib. de coacis præ. parte 2.
commonstrent, non subinde constat quonam modo
id fiat. Affectiones inquit Hippocra. soporosæ fatuita
tem inducentes, stuporis detentionē inducentes, &c.
Quibus constat per soporem siue carum fatuos ipsos
ægros, atque stupore affectos reddi: ac è consequenti
æstimatiuam lęsam obtinere simul cum imaginatiua
& memoria, ac insuper ob stuporem, motiuā: ex quo
inferunt cum Galen. 2. de caus. sympto. medici om-
nes, cerebri partes simul lædi vniuersas, licet quæ an-
terior est longè magis. Verum si quis rem diligentiùs
pensitet, reperiet non opus esse causæ efficaciam &
præsentiam omnes cerebri ventres & partes attinge-
re, vt omnes potentias lædat: nam si id necessariò o-
portuisset, neq; respirationem sic affecti obtinuissent
immunem, quo ab apoplecticis dissident; neque le-
uiter ab hoc affectu excitarentur. Quo in dubio sta-
tuendum est, quod cùm lęsio in sic affectis immodica
est, aut vt rectiùs loquar ablata, tunc quidem vt om-
nes oblædantur, causam domicilium omnium attin-
gere opus non est, vt in lethargo comperimus, in quo
multi medicorum arbitrati sunt, esse inflammationē
in puppi cerebri, quæ vsque ad eius anteriorem partē
pertingit, vt constat ex somno, imaginatricis læsione,
& memoriæ iactura, quia læsio non fit à frigiditate
adeò intensa, quæ ex toto omnes potentias auferre sit
nata: sed omnes imminuit à longe minore intensione
& copia causæ, quàm reperiatur in caro, licet modus
affectionis deterior sit & periculosior quam in ipso
caro, quia constat ex inflammatione, aut humoris v-
bertate, quæ vniuersum cerebrum irrigat. At in caro
licet vigeat magis causa in anteriori cerebri parte (&
ob id etiā à lethargo differat, qui in postica viget ma-
gis) omnes tamen potentias oblædit, quia imaginati-
uam ex toto aufert: (sicut lethargus memoriam ma-
gis) quæ sanè adeò potens causa est, vt alteram ani-
mæ potentiam velut ex toto auferat, reliquas quoque
plurimum lædere euidentissimum est, vt Galen. re-
fert 4. de locis affect. ca. 2. dicens. Quòd si aliquando
tota anterior cerebri pars afficiatur, supremū ei ven-
A trem consentire necessum est, atque mentis quoque
actiones vitiari: proinde qui ita affectus est, neque sen
sus neque motus munere fungitur, spirandi tamen fa
cultas haud quaquam læditur, vocaturque hic affe-
ctus caros. Itaque reliquarum potentiarum actionem
arbitrandum est in hoc affectu potiùs coaffici, ratio-
ne defectus imaginatricis & totalis eius vinj, quam
quòd cerebri partes essentialiter lædantur. Nam eui-
dentissimum est, imaginatiua ex toto ablata, nullam
potentiam posse sua munia exequi, & ob id ociantes
videntur etiam auferri, licet certum sit potiùs defe-
ctu ministrantis imaginatiuæ lædi, quam re vera. Ex
quo etiam constat longè præstantior differentia inter
lethargum, in quo omnes & earum sedes læduntur, et
B carum, in quo solùm anterior pars, licet reliquę poten
tiæ videantur lædi. Item constat euidétior ratio, qua-
re respiratio in caro non læditur, in lethargo plurimū.
Quibus quoque euidentissimum est, periculosiorem
esse lethargum, in quo essentialiter omnes cerebri par
tes oblædantur, licet potentiæ non ex toto auferan-
tur, vt mox sum monstraturus, quàm in caro, in quo
potentiæ reliquę per consensum ab imaginatiua abla
ta oblæduntur. Et ob id credendum est fieri, quòd ca-
rotici aliquando breuissimo tempore excitati redeât
ad naturalem statum, lethargici verò rariùs. Quibus
etiam constare arbitror, qua lege intelligēdum sit il-
lud difficile Galeni verbum loco nuper citato, capite
nimirum. 2. lib. quarti de locis, in cari essentia eno-
C danda, vbi statuit, quòd quia anterior cerebri pars v-
niuersa læditur, ob id laborantes omnino sensu &
motu priuantur, salua manente respiratione: cùm dif
ficilè sit credere, non coincidere carum cum apople-
xia. In qua re statuendum est, Galen. esse intelligen-
dū de his sensibus, qui in anteriori cerebri parte ma-
gis vigent, siquidem ibidem causa mali vehementiùs
infixa est, non de tactu, quem leuem sortiri comperi-
mus, quia minor facultatis actio ei sufficiēs est quàm
motui, quo ob id omnino orbari videntur. Præterea
arbitrandum est, Galenum non dixisse illæsam esse
respirationem absolutè, sed respectu apoplexiæ: nam
ob id dictum est à medicis omnibus, respirationem
seruari secundum naturam, quia in apoplexia adeò
D difficilis est, vt suffocatione periclitentur laboran-
tes, quòd essentialis sit cerebri ea parte læsio, in caro
verò secus: & ob id caro affecti non moriuntur vi-
tio respirationis, quia alterius potentiæ consensu so-
lùm oblæditur, non primariò vt in apoplexia postica
cerebri parte affecta.

De catoche.

Catochi nomine multa subintelligunt autho-
res: nam per similitudinem à perstantia & firmitu-
dine cephalæam ægrè solubilem, & eodem modo se
habentem, catocham appellauit Hippocrat. libro 5.
de coacis prænot. text. 13. & 17. Præterea per cato-
chum ex veteribus Asclepiades catalepsim intelle-
xit (quod nos idem esse mox probaturi sumus) Dio-
cles verò & Hippocrat. aphoniam intellexerunt. Phi
E lippus & Archigenes exolutionem. Cæterùm com-
munior sententia est, catochum seu catalepsim nil
aliud esse, quàm detentionem seu congelationem,
in qua laborantes veluti congelati, rigidi, & tensi,
eadem figura qua deprehensi sunt, apparent & per-
manent: & ob id scriptum est libro finitionum: Ca-
tochus est cùm sensu priuatur animal, corpusque
omne velut gelu obrigescit. Est insuper in cato-
cho aspectus, qualis intuentium & aliquid volen-
tium, ad mansuetudinem potiùs quàm ad auda-
ciam pertinens: oculis enim sunt apertis & fixis ac
intuentibus. In quo sanè affectu, constat cerebrum
esse oblæsum, magis versus partes ipsius posteriores,
vt placuit Galeno, libro de differentijs sympto. ca-
pit. 3. & affectum esse symptoma noxæ functio-
num animalium principum omnium, sed ma-
ximè imaginatiuæ, seruata tamen respiratione.

In

In cuius affectus enodatione, primò cum Galen. 4. de causis pul. ca. 16. & lib. ad Tyro. c. 8. statuendum est, catochum idem esse cum catalepsi, vt anteà dixeram.

Causa. Præterea causam, & immediatum huius symptomatis vitium nunc sese offert explicandum: in quo iam quam occasionem eius humorũ motus arbitramur: nam aliquando ex delirio, in ipso fit commeatus, non nunquam ex febribus malignis, non raro ex cephalæa veternosa, sæpè ex ebrietate, ex insolatu, aut causis quæ crassum sanguinem ad cerebrum, aut ad ipsum agitare sunt aptæ. Ac causæ quæ morbosum præstant apparatum citra controuersiam sunt crassa, frigidissima, ac siccissima pituita: sic enim Galenus 2. aphorismorum comment. 3. frigidam, ac siccam cerebri intemperiem ex frigidiori sicciorĩq; materia ortam esse testatur: nam certum est plerunque fieri per obstructionem, & ob id subito, quia sic subito soluitur. Cui etiam consentit Aetius, qui ex atro humore fieri est arbitratus. Quod etiam confirmauerat Gal. 3. de locis aff. cap. 5. vbi demonstrat, epilepsiã non posse fieri à nudo intemperamento sicut neque apoplexiam, vt etiam probat ca. 7. eiusdem libri, quia subito fit & soluitur, quantumuis 2. apho. comment. 3. contrarium videatur posse probari. Quippe eo loco non intelligit Gal. per refrigerationem vna cũ siccitate iunctam, nudam intemperiem, sicuti neq; per frigiditatem humiditati admixtam, solam intemperiem, sed nititur per ea verba declarare, qualis naturæ sit materia quæ malum generat. Accedit insuper vltima causa, quæ à reliquis diuersissima est natura, & lædendi modo: nam ex multis authorum constat, catochi causam sanguinis concretionem esse in magnis venis posterioris cerebri partis, siue calor influens, vel propter copiam sanguinis, aut obstructionem vasorum interceptus sit, siue ad extinctionem agatur. Quæ sanè catochi natura, causa, & modo agendi à communi diuersissima est: nam in vero catocho, posterior cerebri pars ex omnium consensu, longè magis afficitur, idque ab humore frigido, & sicco: quo fit, vt rigidum subsit corpus prædicta causa affectum: quòd exorta à cerebro, eo humore rigeant etiam, & veluti dura, ac densa efficiantur. At in hac vltima catochi causa, non ventrem postremum à pituita crassa, & sicca, sed ex sanguine melancholico, & crassiori eas venas oppleri, quæ ab occipitio recta procedunt ad sinciput: maximè si sanguis ibidem concrescat, intercipiatque aditum.

Dubium. Sed in catalepsi dubitandum est, an à frigida, & sicca intemperie fieri citra humorum affluxum possit, cùm id ex Galen. videatur posse colligi. Multi quidem interpretantur, & ex Aetij dogmate eliciũt, per frigidum, & siccum intemperamentum, melancholicum succum cerebrum opplentem, intelligendum fore: & sic referunt Aetium voluisse, cùm dixit, ex sanguine fieri catochum, siue catalepsim, nimirum ex sanguine melancholico. Verùm id multis rationibus videtur veritati aduersum: nam & melancholicos frequentiùs in eum affectum casuros fore certum fuisset, & rariùs ex nudo intemperamento longè miniùs constat fieri posse, cùm (vt dictum est) subito soluatur, & fiat. In qua re statuendum est, potiùs ab oppletione venarum, & arteriarum, quæ per cerebri meninges disseminantur fieri, aut ab humore frigido, & sicco, subito affatimque replente prædicta vasa, potiùs quàm ab intemperie nuda. Cui generationis modo reducitur sanguinis vbertas in prædictis vasculis, vt Aetius statuit: & hanc catochi speciem illegitimam arbitramur, eo quòd obstructio potius fiat in vasis prædictis, quàm in cerebri carina postica, vt dictum est. Quod sanè distinxisse ad curationem oportebit: nam in his copiosiùs sanguinem fundes, in alijs verò quę lentè fiunt, & paula-

A tim, non ita. Denique ex hac sanguinis copia, aut siccitate ligni instar, rigidi supersunt ægri, & eodem statu quo deprehensi fuerunt sine sensu, ac motu. Est præter has alia non minoris momenti causa, nimirũ lumbricorum vbertas quorum dum viuunt, & moriũtur, efferuescentia, & deterrimus vapor in catochum inexpugnabilem laborantes ducit.

Præterea, catochus generaliter sumpta acceptione vocabuli, inter soporosos affectus numeratur, plurimosque gradus intensionis, ac remissionis sortitur: nam initio loquelam non adimit omnino, neq; principum facultatum actionem, posteà verò ingrauescẽte malo, omnia abolentur: sed ante quàm laborantes in hunc statum conscendant, contremiscunt, sicut alij ingemiscunt, & nonnulli iussi vt linguam exerant vtcunque intelligentes, id conantur efficere: alij memoria tenent quæ audiunt, audiunt tamen obtusè, præsentes agnoscunt, sed neque loqui possunt, neque corpus mouent. Alijs autem sic malum increuit, vt Gal. discipulo accidit, quòd immoti rigidique instar ligni iaceant. Quibus fit, vt causæ feritate, & potentiarum læsione constet lethargo esse periculosiorem, licet Paulo sub vigilis comatis specie, & natura catochum complectatur, sed non verùm catochum, quippe tantum certa quadam comatis species ea parte explicatur: nam de vero catocho cap. 10. iuxta communem omnium mentem abundè disseruit. Dimitto hac in parte, Aetium in natura, signis, & causis huius affectus, longè diuersum fuisse à Galeni mente: arbitror enim per catochum alium potiùs intellexisse affectum, diuersum à catocho Galen. quem febre carere statuit, cum contrarium posset colligi ex Aetio.

De lethargo. Lethargus igitur, vt refert Cælius Aurelianus, variè ab antiquioribus vsurpabatur: sed eis acceptionibus breuitatis causa prætermissis, duobus modis propriùs statuendum est accipi: (licet Hippoc. 6. popul. part. 5. text. 32. expressè lethargum nominet omnem soporosam affectionem) vno quidem communi nomine, pro symptomate, hoc est, pro somno profundo, quo tempore idem est quod carus, & citra essentiale vitium in capite aliquando fieri potest: sæpè quidem per consensum, & tunc definitur per inexpugnabilem dormiendi necessitatem: nam lethargus affectio cerebri est, à celeri, & repentina obliuione nomen habens, quia vt nonnulli referunt, est delirium intermissionis expers, sopori, & celebri obliuioni coniunctum. Quo fit vt multi existimauerint, omnem somnum lethargum dici debere, licet à frigido fiat succo & non putrescente, vt in causarum enodatione mox leges. Interdum verò lethargus pro morbo est vsurpatus (cuius symptoma est profundus somnus, & stupida obliuio) cum tumore frigido posterioris cerebri partis, vt ex Gal. refert Cardanus 7. apho. comment. 59. quippe inquit, apostema est in puppi cerebri vbi memoria læditur, à quo etiam symptomate Arabes E suam mutuarunt definitionem. Itaque lethargus sopor est præter naturam, continuus, cum febre lenta, à pituita putrescente, quæ locum in quo princeps animæ pars residet, humectat, & diluit, innuens non posticam solùm partem, sed omnes occupare. Ex quo etiam prodit esse segnitiem, seu ignauiam, & exolutionem totius corporis, cum infirmitate facultatis animalis, à perfrigerato, & madefacto, aut resoluto neruorum principio: qua finitione designatur symptoma, & particula patiens. Nomen habet hæc affectio ab obliuione, & captura, seu inertia, vel (vt Aurelianus statuit) ab ocio, quia in ea ægri stupidi iacent cum sopore, obliuione, & inertia, ob deficientem, vel infirmum imaginatricis motum: & sic lethargus multiplex colligitur apud Archigenem, & Posidonium: nam aliquando nascitur vitio hypochondriorum: nonnunquam primum inuadit: item non tatò mor-

bum alium sequitur, vt phrenitidem lethali mutatione, & sæpè in morbis habet incrementa cum febre, quia cerebrum madescit fusis, & liquatis frigidis, crassis, & motui ineptis humoribus: nonnunquam succrescit ante febris incrementum contracto ad interiora sanguine, vt in malignis viscerum inflammationibus. A

Causæ. Præter dictos modos quibus lethargum fieri scimus, statuendum est eius causam frigidam admodù existere, vt in caro, sed necessium est, eam esse putrescentem, licet non desint, qui teneant, non opus esse putrefieri, quia videbatur potiùs subsecuturum vigil coma, quam lethargum. In qua dubitatione expendisse oportet, quòd licet Galen. nullibi, præter quam 13. methodi, dixerit fieri ex putrida pituita: nam vbique refert ex frigidissima, cum hoc tamen statuendum est, quòd interim quòd pituita non putrescit, lethargus non est, sed carus, & tunc lethargum fieri, cù febris excitatur. B Nam cùm Galen. 4. de præsag. ex pul. & 3. popu. part. 3. comment. 45. statuerit, ex pituita dupliciter fieri lethargum, cum febre, aut citra ipsam, loquutus est de lethargo prout symptoma designat, hoc est, somnum profundum non prout morbum dum citra febrem posse fieri statuit: nam verù lethargum, per febrem definiri certum est, vt altera diuisionis pars ostendit. Et sic ob adductam rationem lethargus quatenus ad symptoma attinet, mediæ est naturæ inter coma vigil & carum: nam in lethargo laborantes profundiùs dormiunt quàm in comate vigili, leuiùs verò quàm in caro, quia loquuntur & delirant, tantùm inquam, quantùm lethargi materia calidior est materia cari, minus verò calida est, C quàm in comate, quia acrior est in hoc materia: at in lethargo tantùm somnus efficitur profundior, quantùm densior eleuatur ex putredine vapor, quia aptior est ad somnum conciliandum, quàm putredinis calor ad vigiliam inducendam: præterquam quòd febre, & ea ex ratione eiusdem affectus orta, ab vtrisq; dissidet, quia de genere est inflammationum, quæ in cerebro succrescere possunt. Quo significato, est affectio phrenitidi quodammodo contraria, humore ex quo fit, & loco, quia lethargus magis in cerebri substantia efficitur, quòd nequeant membranarum venæ crassum humorem, à quo lethargus concitatur, ita facilè suscipere. D Sit ne lethargus vera inflammatio, an solum cerebri irrigatio non leue dubium est, ex vtraque enim parte multæ extant rationes, & authorum contrariæ sententiæ. Quippe Auicen. apostema frigidum nuncupasse constat: & Galen. 7. aphor. abscessum in principe parte cerebri ex materia pituitosa ortum: item affectionem phrenitidi contrariam secundùm speciem, & multi etiam alij ex authoribus idem profitentur. Verùm extat sententia Galen. 7. apho. 73. & 4. de cau. pul. 13. 5. prædi. 1. compendio de pul. 3. apho. 30. & 3. de locis aff. quibus locis semper lethargum definit per irrigationem cerebri à pituita, & per læsionem cerebri, vt pars similaris est. E Sed his authoritatibus prætermissis, statuendum est, semper fieri in cerebri substantia ex humorum frigidorum irrigatione: quem sanè humorem, vno è duobus modis scimus lethargum excitare, nimirum, pituitæ collectionem, seu aliquo modo tumorem intra cerebri substantiam efficiente: non quidem tumoré durum, & verum abscessum, qui cauitates cerebri cóprimat. (læderentur quippe eo tempore sensus, & motus,) sed pituita in maioribus porositatibus collecta, vt totum cerebrum quodammodo tumefiat, haud secus quàm spongia aqua imbuta. Quo fit, vt solum hac lege, intelligendi veniant authores statuentes apostema esse, non quòd abscessus sit, & cerebrum lædatur vt pars instrumentalis triplici morborum genere, licet quodammodo crescere videatur cerebrum, sed vt simplex, cum humorum succensione, aut eadé pituita totum cerebrum irrigáre, dummodo ibidem putrescat, quod essentiale est in hac affectione. Qua etiam parte expendisse oportet, aliquando, quinimo nó raro, bilem esse potissimam lethargi causam, quatenus vehiculum ad cerebrum efficitur eius pituitæ, quæ effectura est lethargum, vt ex Galen. habetur 1. pror. comment. 1. dicente: Nonnunquam & in horum alterum, res ita deflexit, vt vel bilis, vel pituita superior sit, ægerque reddatur, aut phreniticus, aut lethargicus: arbitror tamen eo tempore non fieri legitimum lethargum, sed alterius affectionis participé. Fit itaque hic morbus læso cerebro, quatenus pars simplex est, & instrumentalis simul, vt superiùs dictú est. Extat præter id non mediocris momenti differentia in generatione huius affectus: quippe aliquando incipiendo procedit citra alterius morbi præexistentiam: nonnunquam verò febribus malignis succrescit, vel cuiusuis alteri morbo, in quo pituita, quæ densata præfuerat, vi causæ alicuius liquetur soluaturque, & materia huius mali efficiatur. Quo fit, vt ex caro fiat sæpè lethargus, & non è contra, quia crassa illa cari materia tenuata, & putrefieri incipiente, migrat in affectum periculosiorem, licet somni profunditas sit minor. Verùm, quia causarum materialium notitia nulla alia necessaria existit, hæc dixisse sit satis, cum de symptomatum huius affectus, & reliquorum, qui mentem turbant, varietate, & natura diligentiùs philosophari oporteat. Quippe, licet pituita in cerebro præter naturam contenta, causa somnolentarum affectionum in genere sit, nihilominus tamen, vt locú variatio ipso, ita & symptomata diuersa esse oportet. Nam si ipsum cerebrum lædat, quatenus pars simplex est, & cùm hoc ad anteriorem eius partem vitium attingat, somni proculdubio concitabit eas differentias, quas hucusque memorauimus in soporosis affectionibus: verùm si mediam eius partem, vel posteriorem, stoliditatem quidem, vel amentiam gignit, licet hæc in somnolentis etiam reperiantur, & dum memoria læditur. Cæterùm vt lethargus fiat, necessum est lædi potiùs cerebri substantiam, quàm meninges, idque iuxta eius porositates, ac temperiem, vt placuit Hippocrat. & Galen. qui repleri cerebrum frigidis succis, per lethargum statuunt: quod profectò nó licet de ventriculis intelligere, vt multi perperam intuentur monstrare, quantumuis dictum sit, posteriorem cerebri partem in eo affectu lædi magis, nam de porosa substantiæ parte subaudire oportet, non de ventre. Quippe ea est somni naturalis differentia à lethargo, inter alias quas à principio huius capitis adduximus, quòd ille maximè in anterioribus cerebri partibus viget, lethargus verò maximè in postica, licet ad anticam se se extendat: item ille solum fit collectis animalis viribus, lethargus autem prohibitis, coercitis, & infirmatis, & ob id ille à causis secundùm naturam, hic verò à morbo: item ille refrenat potentias, interim dum actus cohibet, hic autem minuit, & actus simul vitiat. Quale autem animalium actionum vitium ex somnolenta hac affectione succrescat, disces facilè si conieceris, potentias cerebri omnes simul vel singulas lædi posse, vt dictum est, idque vel diminutè, vel ex toto ablaté, aut corrupté, vt planius in enodatione signorum legés. Sed omnes simul diminutæ lethargum efficiunt, quod ad curationem distinxisse, non parum refert. Cæterùm ex memoratis rationis vitijs nuper adductis, prima illa defectu imaginatricis fit, secunda æstimatiuæ, & tertia memoriæ, quòd instrumenta desint ad ratiocinandum idonea. Quippe plures obliuiosi efficiuntur, postica cerebri parte læsa, stolidi ob nuper adductam rationem. Quæ sanè symptomata variari aliquando comperimus, ac dissidere ab his, quæ ex sanguine in eisdem locis existente, contingit suboriri. Quippe is in primo ventre abundans, leuein somnum (nisi præ nimia copia,

cere-

cerebri substantia comprimatur, aut ventres obturentur: nam tunc grauiorem cõcitat, vt colligitur ex Galen. lib. 1. prorrh.) solùm habet efficere: verùm si alias cerebri partes obsideat deliria cum risu & hilaritate concitat simul cum leui somno. At bilis vbicunque sit in cerebro, delirium cum feritate, & iracundia ac ingenti vigilia concitat: melancholia verò, in priori parte vigiliã, in media delirium cum timore & mœstitia, in postrema autem catochen, seu catalepsim, ob impensam siccitatem qua pollet, & interdum memoriæ iacturam, ob innatam frigiditatem. Verùm si prædicti humores cauitates potiùs cerebri obstruãt, quàm substantiam intemperent, tunc quidem affectiones fiunt à prædictis longè diuersæ: qualis naturæ est apoplexia, epilepsia, incubus, & vertigo, vt cap. sequenti latiùs sum monstraturus.

Comparatio soporosorum inter se affectuum. Quibus præmissis, antequàm lethargi signa aggrediar, conferentiam, differentiamque harum soporosarum affectionum adinuicem constituere oportebit, vt subsit clarior cuiusque harum conditio & natura: nam hæc etiam signorum munere prædictas affectiones ostendent. Sed in primis sciendum est, potentias cerebri interiores, quas rectrices medici appellant, vno è duobus modis affici posse: primo, dum singulæ per se seorsum læduntur: secundo, dum plures aut omnes simul: vtcunque tamen fit, siue omnes siue vna lædatur, id illis accidit vno è tribus modis, nimirum diminutè, aut corruptè, vel omnino ablatè. Ita profectò, cùm omnes simul vitiantur, mixtum quoddam delirij genus proficiscitur: dum verò ex toto auferuntur, apoplexiam sequi omnibus est compertum, vel carum, catochum aut catalepsim. At dũ omnes simul imminuuntur, sed memoria potissimũ, proculdubio lethargus, coma seu cataphora proficiscuntur. Sic cùm ratiocinatrix, (vt Galen. statuit lib. de sympto. diff. cap. 3.) omnino deperditur, anœa, siue amentia dicitur: cùm verò hæc eadem imminuitur, moria siue fatuitas nominatur, cùm autem vitiatur, propriè deliriũ vocatur: & ferè pari ratione cùm imaginatrix offenditur; easdem læsiones perpendimus: sed magis elucet eius omnimoda ablatio in caro & catalepsi, cùm verò imminuitur, in lethargo, & cùm vitiatur, in phrenitide. Et quamuis non desint, qui ad memoriæ vitia non pertinere delirium referant, experimẽto fidissimo comperimus, duobus modis ex huius potentiæ læsione delirium proficisci: vno dum diminuitur, & defectu specierum discurrere seu ratiocinari homo non potest: alio verò, cùm prauè ministrat verum adseruatas species, & sic ratio prauè etiam discurrit, & mansuetum quoddam delirij genus prodit, vt paulo inferiùs latiùs sum probaturus. Itaque, ex his læsionum sortibus, has soporosarum affectionum differentias facilè erit distinguere & nosse. Quas etiam affectiones, sicut & alias quas mox referam, longissimè ab apoplexia differre facilè constabit: nam parum aut nihil habent respirationem mutatam, apoplexia verò plurimum. Item innotescunt prædictæ affectiones & dissident ab epilepsia, quòd soporosi laborantes, citra motum, velut mortui iaceant, epileptici verò varijs, inordinatis & vehementissimis motibus, hinc inde agitantur, licet in omnibus potentiæ interiores diminutæ aut ablatæ videantur. Præterea differunt inter se soporosi affectus, & innotescit in cerebro affecta pars, quia in lethargo plerunque capitis posterior pars euidentiùs læditur, licet anteriores etiam collædantur, vt stupida admodum obliuio ostendit, & potentiarum anterioris partis diminutio: at in caro, pars anterior magis quoad ventris, licet substantia etiam intemperetur, atq; posterioris etiam ventris, vt monstrat immobilitas, nõ tamen cauitates ventriculorum solùm, sed etiam substantia; alioqui epilepsia fieret. Differunt insuper, quia licet vterque affectus à frigiditate fiat, carum nuda

A intemperies progignere potest, lethargum verò nequaquam: item carus fit aliquando per consensum, lethargus minimè, quia inflammatio cerebri est. Præterea, materia quoque differunt, cuius differẽtiam facilè cognoscere possumus: nam licet in vtroque affectu, frigidus, crassus, viscidusque humor causam præstet, tamen in caro neque humor putridus est, neque febris succedit affectionis ipsius ratione, ob id profundior est in eo somnus quàm in lethargo, in quo, ratione caloris, faciliùs excitatur laborans, quàm in caro: quo fit, vt caros faciliùs alijs affectionibus succrescat, quibus veluti symptoma existit, vt vehementibus febrium accessionibus, cerebri compressioni, fracto nimirum cranio, & lumbricis quoque atque medica-

B mentis calidis laxantibus assumptis: In lethargo verò, putrescit in cerebro humor, & ob id perpetuò febris accedit. Carus autem dissidet à catalepsi, quia in ea, si Galeno credendum est, laborantes nonnihil loquuntur, in reliquis autem omnibus silent, præterquã, quòd rigore & tensione ob humoris siccitatem, catalepsi à reliquis dissident: insuper ij aliquando oculos habent clausos, & frequentiùs apertos, reliqui verò semper habent clausos. Sic profectò, qui caro sunt correpti ab omnibus profunditate somni dissident, nam mortui effigiem æmulari videntur, & non sine magno labore excitantur, ita vt minimè vera sit expergefactio illa, sed solum veluti quoddam vitæ signum existit: At, qui catoche, seu catalepsi laborant,

C licet lethargicorum signa quoque habeant, præsertamen ferunt alia, quæ peculiariùs sui speciem referunt, vt est supinus decubitus, colli distentio, vt optimè Aurelianus aduertit, genarum rubor, febris & vocis defectus, palpebrarum adapertio, & infixa atque immobilis intentio luminum, tanquam quidquam intento intuitu aspicere cupientium. Sequitur etiam lacrymatio, tanquam sentientium atque dolentiũ, saltus quoque adest, & palpitatio latenter commouens musculos, maximè eos, qui buccas agunt, mouent aliquando supercilia, digitos, ac manus, adest & singultus creber, & sonans ventris inflatio, potissimùm circa stomachum, dentium stridor, oris apertio cum saliuarũ fluore, & si ante oculos quid moueas, immobiles ob-

D tinent Aetij decreto, licet aliquando, vt Auerroes refert, mouere & quasi loqui videantur ac suspirare, cũ motu labiorũ; item perpuncti sentiunt, & odoramentis videntur delectari. Pulsus habent lethargicis persimiles: non tamen adeò debiles & molles, neque inæquales. Verùm quum res morti proxima est, in his & alijs soporosis affectionibus, feruor plurimus efflorescit in cute, spiratus difficilis, mentum quoque pectori affigitur, musculorum qui buccas agunt motus tanquam ridentiũ; sudor igneus apparet, & in vultu varij colores; & maculæ rotundæ atque in gutture stridor. Signis autem (præter dicta) quibus prædictæ affectiones monstrentur opus nõ est, siquidem omnibus sic affectis somnus grauis perpetuò adest. Verùm si-

E gnis indigemus, quæ vel futurum præmonstrent, vel præsentem ab alijs sui census distinguant: Futuram somni profunditatem monstrant obliuio omnium rerum stupida, & ad respirationem et ad reliquos corporis motus tarditas; propensio item tenacissima in somnum, à quo nihil leuatur laborans, & cum hoc interrogatus si quid doleat, nihil respondet: adest & taciturnitas, insolita mœstitia, oscitatio iugis, & crurum extensio, tanquam mox expergiscentis, & plerunque adeò sic affecti redduntur stupidi, vt si quid petierint aut loquantur, mox præ obliuione in medio subsistant & taceant, aut submissa voce loquantur. Facies præterea tumida & splendida apparet, ob pituitæ copiam caput versùs ascendentem; sudor circa caput ipsum & ceruicem, ob eandem rationem emergit; lingua alba & multa saliua plena, & ea ratione ad loquelam tarda; vrina alba & veluti iumentorum cerni-

cernitur, vel cum salivosa spuma supernatante, quæ A humorum crassitiem, & turbationem ostendit: pulsus altus, mollis, debilis, intermittens magis quàm intercurrens, dictonis aliquando, si inflammatio cerebri membranas attingat, vndosus tamen semper, maximè si soporiam accedat cum lenta quadam febre. Pulsum tamen arbitramur magnum fore, quia facultas non æquè languet, ac in peripneumonia, magnũ etiam ob vsum adauctum, non æquè celerem, & crebrum, quia satis est magnitudo, mollem ob humorẽ peccantem, non quidem, vt multi censent, ob mollitiem partis affectæ, siquidem eam dum flaua bilis inflammat, fiunt pulsus duri: ex quo constat non nisi ex humore pituitoso mollitiem prodire, intercurrens efficitur minùs quàm intermittens, quia maior est fa B cultatis impotentia, quæ ob id intermittit, quamuis sit vsus adauctus adeo vt intercurrentes efficiat. Adest insuper sic affectis aluus soluta ob pituitæ copiam, nonnunquam verò adstricta, propter obstructionem pituitæ, & eius inundationem, quæ sensum hebetat.

Dubium. Prodit ex præfatis signis non leue dubium circa lethargi inconstantiam, & obliuionem, ac mentis turbationem, reperiatur ne in vero lethargo perpetuum delirium, aut secus? non omnino conuenit inter omnes authores: rei tamen veritas est, impossibile esse, laborantem vero lethargo, mente constare, si quis partis officium, & læsionis magnitudinem diligenter examinet, vt variæ authorum sententiæ insinuare videntur. Nam cùm verum sit, in lethargo C omnino ferè memoriam aboleri, & imminui ratiocinatricem, & imaginatiuam, hinc profecto fit, quòd mente constare non possint. Cuius dubij occasione statuendum est, primò cerebri substantiam in hoc affectu lædi, ac insuper eius cauitates, non ventres, sed quæ porositates vocantur. Secundò præmittendum est, ratiocinatricem per morbos vinari, ac delirium fieri duobus modis: vno quidem ratiocinandi aut imaginandi potentia corruptos edente actus, quod medici verum appellant delirium cui simile prodit aliud ex memorandi potentia, prauo ordine, & modo suppeditante ratiocinatrici reseruatas species, prodiens à composita intemperie, ex humore frigido, & putrido calore contracta: alio verò modo, D memoria abolita, vel plurimùm diminuta, maximè infirmis existentibus ratiocinandi, & imaginandi potentijs, quod magni est momenti ad ratiocinationis errorem: nam si vel omnino omnes defecissent, aut pariter imminuerentur, vel saluæ superfuissent, vtiq; nullum esset in ratione vitium, attineretque symptoma ad amentiam potius. At in lethargo, in quo ob defectum memoriæ, cum ratio parum infirma est, studens discursum efficere, ob defectum materiæ, specierum nimirum in memoria seruatarum, prauè discurrit laborans, ac mente vacillat, aut si placet, delirat vna ex his delirij sortibus: nam alia, & quæ vera est delirij natura nequit, quantumuis essentiam lethargi sitam esse multi medicorum statuant in pituitæ intra cerebrum incalescentia, aut putredine: siquidem maioris momenti, & efficaciæ est, pituitæ lentor, & innata frigiditas ad immobilitatem potentiarum, quàm sit calor ille lentus, ac paruus ad corruptionem, & erroneum actum, vt verum fiat delirium. Quippe, si admodum creuerit putredinosus feruor, iam tunc mixta fiet affectio, ac typhomaniæ finitima. Quibus suppositis, sic dirimenda controuersia est, nimirum, impossibile esse laborantem vero lethargo, mente constare, si quis partis affectæ propriũ officium, & læsionis magnitudinem (vt dictum est) diligenter examinet. Quod profecto varijs in locis Galen. insinuauerat: maximè vbi phrenitidem, & lethargum contrarias esse affectiones statuit, cæterùm eiusdem partis: maximè 3. de locis affect. cap. 5. & li. 13. metho. cap. 21. & Hippocrat. lib. 2. de morbis, & A alij etiam authores idem testantur. Constat igitur ex contrarietate diuersum symptoma oriri, ex eadem læsione eiusdem partis, earundem quoque facultatum læsio. Quo fit, vt necessario delirent, & errent ratio, & imaginandi potentia: non quidem ratione propriæ corruptionis (quia causa mali sufficienter calida non est, cui proprium existit has potentias euertere, & vitiare, non minuere, vt frigida quæ lethargum creat) quod necessum erat, ad veram delirij rationem (vt ex adducta diuisione delirij, facilè probatum superest) sed per consensum, & defectu specierum memoriæ, quibus reliquæ potentiæ opus habent, ad proferendum rectum de rebus discursum. In qua re, habeatur vt vera conclusio, lethargo affectos, ex neces- B sitate naturæ mali, non constare mente, cum hoc tamen non delirare vero delirij genere, in quo principes potentiæ ex propria læsione, & calida causa orta, corruptas edunt actiones, sed imminutæ memoriæ consensu. In quo statuendum est lethargum differre ab stultitia, vbi ratiocinandi potentia, aut oblæsa est, aut plurimum diminuta: & pari ratione ab amentia, vbi omnino memoria destituuntur laborantes. At vbi omnes prędicto ordine imminuuntur, vt in lethargo, hac ratione delirant homines. Sit ne sufficiẽs memoriæ amissio, ad huiusmodi delirium efficiendum, cùm memoria solum circa res præteritas versetur, siquidem de præsentibus, & futuris potest homo elicere iudicium, latiùs disputatum reperies, cap. de C deperdita memoria.

Dubium. Vlterius sciscitandum est, sit ne delirium hoc, pathognomonicum lethargi signum. Cuius doctrinæ gratia præmittendum est, in lethargo necessario adesse delirium, sicut in phrenitide, aliquando stupidam obliuionem, vtrumque tamen diuersa ratione, & modo, vt affectiones inter se etiam dissident. Nam in phrenitide obliuio succrescit, non tantum memoriæ vitio, quantum ob vehementem imaginum, & specierum euersionem, & distractionem adeo pressam, vt obliuiscantur laborantes meiere, postulata matula. In lethargo autem delirant homines non quidem primario ratiocinatricis vitio, sed quia illi diminutè referunt rerum simulacra, & species, & ob illum calo- D rem ex putredine contractum, qui licet insufficiens sit, ratiocinatricem primò euertere, euertit tamen species ratiocinatrici præstitas, quo adeo prauè discurrit homo, vt postulata matula, bibere aliquando conotur, ac si vas potui aptum fuisset. Atqui, cùm hæc omnia ex intemperie illius partis, tanquam ex primo morbo proficiscantur, si putridæ pituitæ calor verum delirium effecisset ratione læsa, vt phrenitidis æstus, vigiliam vtique, & potentiarum conturbationem efficeret in lethargo, non somnum: verùm cum id nõ possit, quia calor in eo affectu non est ita efficax, quòd humoris humiditatem, & lentorem superare possit, fit quòd vigilia non succrescat, nec rursus reliquarum potentiarum contentionem, & actum, ac ex conse- E quenti, nec delirium, quia insufficiens est, ad mentis perturbationem, impediente etiam specierum eius mobilitatem pituitæ crassitie, & lentore: euertit tamen eas quas memoria præstat. Consultò prætereo in hac disputatione varias, & expressissimas tum Hippocr. tum Galen. & reliquorum insignium virorum sententias, quibus apertissimè constat, vero lethargo affectos necessario delirare, tum quia in rebus quæ rationem habent in promptu, frustra semper sum arbitratus authorum sententijs plurimum inniti, cum eorum varietas potius opinionem, quàm scientiam generet, tum verò quia nullus eorum expressit delirij modum ad differentiam, qua delirium hoc efficitur pathognomonicum lethargi signum. Distingues tamen ipsum à phrenitide, & eius delirio, (non quidem solùm vt res se habet in pleuritide, quia nullum habet solum pathognomonicum signum, sed quinque

illa

illa simul iuncta, pathognomonica existunt, si quidē quodlibet eorum alicui alteri affectioni pathognomonicum efficitur) sed præter id, quòd febris, delirium, & sopor simul iuncta, lethargum commóstrāt, solùm per se delirium id valet ostendere : idque non tantùm ex rixa, & contentione, qua ca...c lethargo affecti, verùm ex modo euertendi ratiocinium, iuxta Galen. tradita exempla de lanifico, & de laborante qui iubebat tibicines expelli: quo delirij modo seiungit læsam rationem à læsione imaginatricis. Sic profectò in lethargo, præter delirij mansuetudinem, varia deliramenta cófundi, & omnem rationis, & imaginationis modum euerti comperimus, cum obliuione, & somno. Quo manifestum efficitur rationem, vitio potius memoriæ, quod est huius affectionis propriissimum, quàm ipsius, aut imaginatricis lædi: quo veluti digito signamus lethargum ipsum, ac à delirio phrenitidis seiungimus, nisi dum adeo crescit phreniticus affectus, quòd omnes potentiæ oblædantur, sed id delirium iam succrescit in statu, aut fine phrenitidis, hoc verò in principio lethargi. Quo fit, vt cùm authores hæc non scripserint, mihi non placeat deliriū à ratione lethargi seiungere, nec illi concedere delirium, quale in phrenitide reperitur, siquidem tantùm distat lethargi delirium à phrenitidis delirio, quātum humor huius, ab illius humore, & quantùm lethargi calor, à calore phrenitidis feruentissimo, & rursus quantum pars affecta, quæ in lethargo præcipuè est postica, sicut in phrenitide media, aut antica. Quibus rationibus persuasus censeo, delirare homines in vtroque affectu, cæterùm diuersa delirij sorte quæ sufficiens sit suum proprium, & peculiare designare affectum, tanquam pathognomonicum signum.

Curandi ratio lethargo, &c. sop. aff. prospicua.

Triplex profectò in lethargi curatione insurgit medendi ratio, & via : quarum vna solum est proficua præludijs lethargi, quo eius generatio inhibeatur : alia quidem ei lethargo, qui ex alio morbo procedit: tertia vero ei, qui incipiendo fit. Nam licet in soporiferis affectionibus vna subsit ferè medendi ratio, tamen nonnihil mutari ratione alicuius singularis intelligendum est. Sic profectò curandi ratio in comate, & præludio lethargi, præmissa victus ratione exiccante, & quæ in primis qualitatibus mediocritatem habeat, tam in potu, quàm in reliquis, duplicem præstat considerationem : alteram quæ huic malo prouidet, cum symptoma est pituitosa, vel continuæ alicuius febris, quæ maligna sit, vel misti humoris : alteram verò, quæ primariò caput apprehendens, post modum febrem toti corpori impartitur. Vtriusque enim seorsum meminisse oportet, si prius dixero curā maximā habendam esse prouidentiam in his febribus, quæ per accessiones repetunt, & longè magis in cótinuis, vt Hippocr. lib. de morbis, & alij etiam præstantissimi viri testantur, quod etiam intelligendum esse velim de comate, quantumuis primo accessu videatur parui momenti, dummodo id in continuis intelligatur, in quibus indies crescit, ad morbi vsque augmentum sopor : nam in comatosæ affectiones in intermittentis, non æquè sunt graues, & periculosæ, quòd ad remissionem, aut intermissionem deueniat laborans. Quippe sicut paraphrenitis in biliosis sanguineisque morbis phrenitidis solet esse præludium, ita prorsus carus in intermittentis, & continuis, atque coma in continuis ipsis lethargi. Cæterum materia in venis, nisi à natura valida discutiatur, aut coquatur, facta solùm à calore attenuatione, facilè succenditur, & somnus fit grauior, aut commigrat affectio in lethargum, qui longè est carus periculosior. Quapropter statuendum est, carum rarius in continuis succrescere, sed cum accidit, grauius malum portendere quam coma in verisque, licet frequentius accidat continuis, sicut interpolatis carus, quia in his forsan aliquid accessionis tempore excidit in cerebrum cum crassiori halitu, quòd

A difficilius discutitur: quòd in continuis non est verendum, quia intra vasa maiora, aut mediocria putrescunt humores. Itaque cum febri alicui malignæ, vel alterius conditionis, comatosus sopor accesserit, duplex insurgit consideratio : febris vna, quæ causæ vicem habet: & incipientis mali altera: illa quidem, vt quæ principium alterius existit, aliqua ex parte contraria alteri expostulans præsidia: hæc verò quatenus ad symptoma attinet, his quæ expergefaciunt opus habet : quatenus verò ad morbum, principij inflammationum, aut fluentium humorum more curatur. Sed habent ambo affectus vnam communem, & generalem indicationem, nimirum materiæ, seu humoris peccantis euacuationem, & omnino eisdem præsi-

B dijs factam. Quippe incipiente, aut imminente somno à febris humore, vel vapore concitato, sanguinem protinus demes, si sufficienter ratione febris præcedentis missus non fuerit: & febris residuo, ac symptomati prouidebis. Quòd si iam febris occasione ipsum sufficienter extraxeris, iterum venam tundere, nihil febri, & eius humoribus nocebit, si vires constiterint : incipientem enim fluxionem, aut tumorem præter naturam inhibebis. Verùm id facies ex vena quæ in carpo manus est, vt quæ è directo caput euacuare per sibi proximas venas habeat : si tamen vires id non permittere videantur, cucurbitulis scarificatis id facies. At si somnus profundior iam apparuerit, ex vena nasi, aut frontis sanguinem demes, & si suffi-

C ciens copia non fluat ex ea parte, aut fluxa non profuerit, vel ante huiusmodi scissionem, si visum fuerit, grandem cucurbitam occipitio affiges, & crebris scarificationibus factis, iterum affixa cucurbita sanguinem extrahes. Sed mox à principio, & interim dū hæc fiunt, capiti prouidendum est oxyrrhodino, cui adijcies plus aceti, nimirum tertiam partem, & admiscebis oleum chamæmelinum, cuius quantitatem ad augebis, imminuta quantitate olei rosacei, quo magis somnus profundior factus fuerit, & ad statum peruenerit affectio, vel aceto acerrimo feruefacies chamæmeli flores, & oleo rosaceo acetum admiscebis quod valentiùs discutit.

Verùm si vel id factum sit, vel non prosit, vtrique

D affectui prouidebis, diligenter exhibito purgāti pharmaco, quod pituitosos, & crudos, ac putridos humores protinus educat : nam dum firmatum in capite malum non est, purgare seligenti pharmaco tāquam in vrgentibus necessum existit. Quòd si id fieri non possit, aut factum non sufficerit, non erit abs re tertio quoque die aliquod expurgans medicamentum cum syrupis admiscere, quod prohibeat humorum ad caput maiorem ascensum; huius naturæ sunt senę folia, vel agarici modicum, aut expressio seminis carthami, aut aliud his simile. Interim tamen dum hæc fiunt, ad clysteria, suppositoria, topica auxilia, & reliqua confugiendum esse consulit rei vrgentia. Insuper tamen ligaturis, frictionibus, siccis cucurbitulis,

E & maximè in ipsa somni vehementia, & statu vti oportebit, quibus quod ad caput irruit pellatur distrahaturque. Ac si quid receptum iam in capite apparuerit, supra prædictam oleorum inúctionem, puluerem sparges resolutioni idoneum, q. ℞. *coriandri præparati* ℥. 1. *chamæmeli, stœchados, betonicæ, melissæ, anà* ℥. ß. *piperis longi gr. 6. caryophyllorum spicæ, macis anà* ʒ. 1. & si laborans robustus fuerit, *euphorbij* ℥. ß. quo vteris, dum pituita citra collectionem apostemosam cerebrum inundauerit, maximè cum constiterit oxyrrhodinum nihil profecisse. Cui, vt ex vsu fiat, admiscere opus erit, *vel olei, seu aceti squillitici, vel liliorum aut seminis rutæ* ℥. 2. in reliquis verò febri prouidebis, vel ex eisdem fomentum parabis sæpius philtro, aut spongia exceptum, & capiti adhibitum, ac si non profuerit ad maiora auxilia deueniendum erit, vt mox audies.

Verùm

Verùm si lethargus ex alio affectu inceperit, duplex insurgit consideratio, vna dum per viam iudicij seu decubitus humorum præexistentem morbum gignentium fit, febre quæ præfuerat remissiori facta: tunc quidem nulla est in curatione aut quam leuissima habenda totius corporis prouidentia, neque per sanguinis detractionem nec per expurgans medicamentum, sed solùm capiti prouidendum tanquam membro recipienti, cui ea auxilia adhibebis quę mox referam: si priùs dixero reliquam considerationem esse dum morbi præexistentis materiæ aliquam portionem mittit in cerebrum natura errans, parte in reliquis vasis manente, cui similis casus est dum lethargus incipiendo procedit, in quibus pars materiæ illuc transmittitur, pars verò remanet in toto. Quo tempore coniectandum est, in morboso hoc apparatu (siue morbum efficiat, siue secus) motum, qualitatem & quantitatem. Primò quidem motum, quem vno è tribus modis exequitur natura cùm in affectionibus errat: primò velut fit in principijs accessionum, eorum morborum qui commigraturi sunt in lethargum, in quibus materia pituitosa tenui sanguini admixta, à vasis maioribus ad minora mittitur, futuræ accessionis causa, in quibus forsan aliquid excurrit in cerebrum, quo vel somnus fit grauis, vel principium si succrescat sortiatur lethargus: secundo fit per febris incrementa capitis pituita liquata, quæ primò somnum allicit, ac postmodum putrefacta lethargum, vt non rarò contingere scimus in internis & malignis inflammationibus, & æstuantibus ac malè morigeratis febribus. Tertio verò mouetur pituita in cerebrum, in febribus & alijs biliosis affectionibus, à bile efferuescente ac deferente eandem in cerebrum ipsum. Quos sanè motus non vno modo compesces, sed quemq; pro natura & conditione propria: nam dum in principijs accessionum fit, purgare protinus studebis phlegmagogo medicamento, aut cholagogo si bilem illuc ducere pituitam compertum fuerit, ea lege quam mox statuam. Verùm si ex calore liquante malum oriri comperias, mox caput præmunire studebis, & ab eo quod densatum aderat, modo supradicto deriuare. Cæterùm si ex deferente bile fiat, bilem curandum est purgare non pituitam, quantumuis ab ea somnus prodeat: sic enim motum præpedies, & qualitati atque quantitati deinceps expeditiùs prouidebis. His habitis, simul quantitatem demes & aliò transferes humores, ac ipsorum qualitatem frænabis, nunc vno vtens, nunc alio auxilij genere.

Deinceps verò considerabis, sit ne quantitas humoris quæ peccat simplex in viscere aliquo, ibidemq; ad caput fluens, aut simul cum sanguine admixta: nã pro ratione huius aut illius, principium curationis à sanguinis detractione, aut ab expurganti medicamẽto auspicaberis. Sic profectò, si constiterit cum sanguine illuc migrare, aut suppressam fuisse aliquã sanguinis vacuationem, vel cerebrum iam inflammari ac febrem crescere, siue incipiendo fiat lethargus, siue secus, mox à sanguinis detractione ex media, si plenitudo subsit, sin aliter, aut secundo ex humerali, vt Gal. placuit li. de sanguinis miss. cap. 16. incipiendum est, protinusque purgatione vtendum (si affectio firmata non sit) quo morbosus apparatus in caput non migret. Præterea, omni diuersionis genere studendũ est, humorem à capite, quisquis is sit, repellere oxyrhodinis & omni distractionis genere, vt antea dictum est: præterquam quod oxyrhodino addes decoctum aut oleum calidarum herbarum cum maiori aceti portione. Cauendum tamen est, ne somnus sit impotentia vigilandi, nam his auxilijs longè deteriorem facies. Verùm si his factis somnus adhuc perstet, expergefacere omni arte laborantem oportet, per aceti acerrimi calidi olfactum cum spongia vel pulegio, nuce muscata, vel caryophyllis, pyrethro, aut euphor- A bio, cæpa vel allio feruefactis. Item euulsis è pectine digitis vehementer pilis, vt acri dolore excitato facultas vigeat; plantas etiam sale & aceto calidis perfricabis, & cucurbitas ceruici & suris, femoribus & scapulis cum multa flamma affiges. Neque licet plus aut plures earum scarificare, nisi redundantis sanguinis signum apparuerit: quippe tenuior & calidior minuetur sanguis, crassiori & frigidiori relicto.

Interim tamen dum hæc adhibentur, acribus clysmatis aluus citanda est, quæ virtutem habeant à capite trahendi, velut est quod ℞. *diaphœnicon, electuarij Indum, de succo rosarum, quantitate* ℥. 4. *aut quinque, adiectis* ℨ. 2. *salis cum oleo rutaceo, chamæmeli, vel anethi*, adiectis alijs quæ caput respiciunt, vt vapore potente B caput deuehatur facilè vi medicamentorũ trahentium ad eam partem. Irritanda insuper aluus est glandibus confectis, solito grandioribus & crassioribus, nimirum quæ semipalmi magnitudinem æquẽt: quæ sanè *conficiuntur ex hiera logodij quantitate trium drachmarum, addito aut superasperso sale, vel colocynthidis pulpa, & filo appensa prosunt*. Quibus perfricare anum oportet, vt lacessita & irritata obtusa potentia faciliùs excitetur, & rursus ratione doloris materia ad infimas sedes reuellatur: nam in lethargicis potiùs his & similibus materia aliò transferenda est, quàm sanguinolentis distractionibus.

Verùm si robustum fuerit corpus, & pituitosum humorem redundare compertum sit, expediet aliquando C vti expurganti medicamento, potiùs gratia eius quod in corpore redundat, quàm eius quod caput iam obsedit. Cæterùm, quia materiæ frigiditas adeò tenacem efficit affectum, sicut & copia periculosum, ob id omni arte curandum est materiæ inclementiam frænare, ipsamque syrupis & potionibus modicè calefacere & extenuare, vt melle rosaceo, syrupo stœchados, oxymelite simplici, vel de duabus radicibus aut quinque, cum decocto apij, fœniculi, capillorum veneris, anisi, cinnamomi, & alijs calidioribus, ni febris vehementia vetuerit. Cui vsui syrupum conficies q. ℞. *radicis graminis, petroselini, & asparagi ana* ℥. 2. *capil. ven. m.* 1. *hyssopi, melissæ, betonicæ ana. m. ß. anisi & fœniculi ana* ℨ. 1. *seminis apij & petroselini ana* D ℨ. 2. *florum chamæmeli & stœchados ana. p.* 1. *fiat decoctio, & in libris septem eius dissolue mellis rosacei* ℥. 4. *sacchari q. s. fiat syrupus*. *Cui tertio quoque die adijcies decoctum trium drachmarum foliorum senæ*, à cuius exhibitione suppositoriũ acrius porriges, quo excitata natura feliciùs expurget, quod medicamentum mouerit: nam hac lege non paucos restitutos vidimus. His enim præparatis materia & corpore, ad auxilia quæ quantitatem humoris respiciunt, deueniendum esse consulit ratio. Antè tamen quàm purgantia medicamenta instituas, considera, sit ne ascensus humorum ad caput potiùs bile deferente pituitam, quàm ex vbertate pituitæ ipsius: nam si primum, quantumuis affectio pituitosa videatur, chola- E gogis medicamentis purgabis, quo minùs bilis abundet, ac ea ratione minùs pituitam ad cerebrum ducat: quod plerumque nobis vsuuenit in febribus continuis & biliosis. Verùm si pituitam prædominari compertum sit, quemadmodum in plerisque febribus spurijs, & in lethargo incipiente, tunc quidem phlegmagogis rem ages. Sic si affectio apostemosa non sit, aut tam inclinans, sanguine misso vel pituita vberiùs in corpore vagante, medicamento vteris confecto *ex agarico & hiera*, si febris vehementia non vetuerit, *vel infusum porriges* ℨ. 1. *& ß. agarici: in quo dissolues diaphœnici* ℨ. 3. *vel pilularum aggregatiuarum & cochiarum ana.* ℨ. ß. & cum sic affecti deuorare pilulas non possint, *eas dissolues aqua fœniculi, petroselini, asparagi, hyssopi, vel melissæ*, & in his qui graui somno premuntur, *addere poteris syrupi rosarum* ℥. ß. *cum castorei* ℨ. 12. refert Oribasius ex Rufo Ephesio nullum aliud

aliud eſſe lethargo correptis æquè vtile, & efficax medicamentum ad purgandum pituitam, quam bilis admixta in caput detulit, ac ſcammonium cum caſtorio exhibitum: nam licet ſtatutum ſit bilem purgare, refert tamen idem author etiam pituitam expurgare, maximè vt dictum eſt, bile admixta: porriges tamen vel *leuc dilutum gr. 3. aut 4. cum caſtorij ℈. 1. ſyrupo ſolutiuo roſarum Perſicarum admixto*. Quòd ſi laborans medicamentum ſumere renuerit, quòd obliuioſus exiſtat, ſuppoſitorijs, & clyſteribus rem ages.

His enim vacuato vniuerſo corpore, ad vacuationem capitis veniendum eſt, quod opus prudenter aggrediendum eſſe conſulit rei difficultas: quippe protinus à principio vtendum non eſt his quæ caput purgant, (neque dum febris viget, aut præeſt, ſi ipſam ſequatur lethargus: nam ſolùm in incipiente à ſeipſo, & dum inclinat proficua ſunt, aut cum lethargus per viam decubitus originem traxit,) nam ſternutamentis, gargariſmatis, & quouis alio caputpurgiorum genere plus ad ipſum trahes, quàm ab eo detrahere poſſis: prætetquam quòd gargariſmata, & maſticatoria nullum poſſunt præſtare beneficium, quòd laborans omnino mente non conſtet. Sternutamentis verò, ſi affectio apoſtemoſa non ſit, irrigationibus, & linimẽtis vti ſolùm conceditur: dummodo laborans epilepticus non ſit, quòd hæc plerunque acceſſionem accerſant: prætetquam quòd ante ipſorum adminiſtrationem corpus inanite oportet, & ſi affectio apoſtemoſa ſit in ipſo capite. Cuius indicationis gratia, viribus conſtantibus, ex vena quæ eſt in carpo manus, vel ab hæmorrhoidibus (quod maximi vſus eſſe experimentum monſtrat quotidianum) vel ex vena naſi, ac ſi probè non fluxerit hirudinem ſciſſioni adhibebis, quæ ſuctu ſanguinem demat, vel cucurbitulam occipitio cum multa flamma adhibebis, & ſcarificabis, curans ne nimia ſanguinis profuſione cerebrum refrigeretur, cum hac lege ſæpius in profundiorem ſomnum laborantium plures prolabantur. Quo caſu ex vſu erit cucurbitas ſummitati capitis affigere, eandemque partem calorificis præſidijs perfricare: quòd ſi in tumorem, & ruborem eleuari pars videatur, tunc quidem cucurbitam ſcarificabis, & iterum eandem partem, vel fricabis, vel ablues calorificis lauactis: quod facito ſi affectio ex febre maligna non prodierit, aut iam ſufficienter corpore euacuato, adeò vt cõſtet ſolùm caput vitium ſuſcepiſſe, nihilque in corpore manere, aut in partibus capiti vicinis, quod vi cucurbitarum in caput deferatur: quippe ſi ea prudentia hoc præſidio vſus fueris, non parum beneficij afferes.

Quòd ſi affectio ex imbibitione pituitæ in partibus capitis præfuerit (præter vniuerſalia auxilia) eis quæ parti adhibentur addere oportet vtriuſque piperis aliquid, ſinapis, caſtorei, & euphorbij modicum: neque non ex eiſdem madida penna in nares immittenda eſt, donec ſternutamentum excitetur. Quòd ſi mitioribus vti velis, vt à principio efficere oportet, pulegium, thymum, origanum, hyſſopum, calaminthã, ſtœchadem, calamum aromaticum, & alia id genus aceto incocta, naribus ita admouebis, vt calidus vapor ad cerebrum perueniat. Item nares inunges linimento q. ℞. *olei irini* ℥. 1. *aceti ſquillitici* ℥. ß. *caſtorei* ʒ. 1. *ſucci radicum fœniculi* ℥. 2. *nucis muſcatæ* ʒ. ß. Eũdem quoque vſum præſtat id q. ℞. *olei irini, & nardini anà* ℥. ß. *medullæ ſquillæ tritæ cum aceto ſquillitico* ʒ. 2. *caſtorei, & euphorbij anà gr. 10. fiat linimentum*. Præſtat item eundem vſum vnguentum marciaton, & aregon, cum oleo rutaceo. Neque minoris momenti ſunt, ſi eiſdem caput illinias, & ſuperſpargas puluerem q. ℞. *ſatureiam, caryophyllos, cortices citri, rutam, & thymum: quibus addes* ʒ. 1. *pliriſarcotic. Nicolai*. Præſtat etiam eundem vſum, & ſomnum mirum in modum arcet, halitus acerrimi aceti per infundibu-

A lum in nares immiſſus. Dentifricia quoque à capite pituitam non minus trahunt, quæ conficies ex aliquo puluere ex nuper dictis, quibus linteo inuolutis dentes fricare oportet. His peractis, iterum tentabis materiam in capite contentam per inſenſibilem halitũ reſoluere medicamentis ſępius dictis, & alijs quę mox referam, dummodo lege ſancitum ſit, reſolutionem non eſſe indiſtinctè aggrediendam in quouis ſomno profundo: ſed prius diſtinguendum eſt, an ſomnus ex irrigatione cerebri proficiſcatur, vel ex apoſtemoſa affectione: nam licet idem ſit ſymptoma, cùm diuerſa ſit affectionis ratio, diuerſa quoque conditionis præſidia eſſe oportet. Nam in tumore præter naturã cauere oportet acria, & vehementer diſcutiẽtia: quip-

B pe in hoc caſu, neque dropaciſmis, neque ſinapiſmo, aut alio ex fortioribus diſcutientibus vtendum eſt. Sed ea tantùm præſtabis quæ natiuum partis calorẽ adaugere ſint nata: cuius naturæ eſt oleum chamæmeli, & decoctum eius, maioranæ, vel roris marini, arietis etiam pulmones recenter extracti, vel columbarum pulli, aut canum catuli per dorſum ſciſſi, & alia quæ calorem naturalem æmulentur: nam quæ acriorem ſortiuntur naturam, maiorem efficiunt inflammationem, & maiora mala.

Verùm ſi ſoporoſa affectio ex eis ſit, quæ ex irrigatione cerebri proficiſcuntur, audaciùs oportet quæ authores ſcribunt adhibere. Cui vſui caput primò abradere oportet, & linteis quibuſdam modicè aſperis

C fricare, & mox inungere oleo chamæmelino, anethino, rutaceo, roris marini, de caſtorio, & de euphorbio. Interim tamen caput abluere oportet decocto chamæmeli, anethi, maioranæ, ſtœchados, pulegij, thymi, rutæ, additis etiam, ſi neceſſitas poſtulauerit, caſtoreo, aut euphorbio: tandem fouebis ex vino, & oleo chamæmeli, vbi incoxeris ſerpyllum, ſatureiam, pulegium, & origanum, addito modico aceto. Quo facto, caput inunges oleo de ſquilla, de gagate, de piperibus, de maiorana, aut de roremarino, præſertim ſi eis addideris theriacæ magnæ, aut mithridatij modicum. Valet etiam, & oleum roſaceum cum modico caſtorio, maximè ſi caput nimium æſtuauerit. Vteris etiam præſidio Pauli, capite proprio in hiſtoria cu-

D iuſdam mulieris ſcripto, maximè ſi tempus hybernũ fuerit, ac deſuper appoſueris ceratum q. ℞. *olei laurini* ℥. 4. *ceræ tantundem, liquefiant in duplici vaſe fortiterque agitentur, cum ſucco rutæ, & adde caſtorij puluerizati* ʒ. 1. Quòd ſi id præſtare viſum non ſit, ſinapiſmum conficies, q. ℞. *euphorbij, caſtorij, & piperis nigri anà* ʒ. 1. *aſſæ fœtidæ, ammoniaci, anà* ʒ. 2. *cineris capillorum* ʒ. 1. *& ß. ſeminis rutæ* ʒ. 1. *olei liliorum, & laurini anà* ℥. 3. *ceræ quod ſufficiat, & fiat vnguentum*. Licet hæc & longè grauiora à veteribus medicis, Aſclepiade nimirum, Themiſone, & Heraclide ſcripta reperiantur, ego tamen conſilio Aureliani perſuaſus, ſummoperè lethargicis eſſe aduerſa arbitror. Inquit enim lib. 2. acutarum paſſionum, capit. 9. loquens de

E ſinapiſmis antiquorum. Hæc peccanter ex epilepticorum curatione, atque præfocationis matricis tranſferenda iuſſit: cum conſtet etiam in ipſis adhiberi non oportere ſinapim, etiam ſi chronicas paſſiones quadam corporis nouatione excludat, acutas autem vel celeriùs irritans acribus in magnitudinem tollit: omnis enim acrimonia tumoribus incongrua: nam aliquo temporis ſpatio æger omnis tanquam adiuſtus igne excitabitur, ſed rurſum grauiùs opprimitur: & paulo inferiùs de ſinapi aduerſus antiquos verba faciens, inquit: Adducit ad ſemet materiam, ſicut inflatæ atque in ruborem deductæ eius appoſitione partes demonſtrant, eamque adductam tenendo cogit, & viatum perficit denſitatem: dehinc odore penetrando membranas inurit, & tanquam acre collyriũ oculorum membranas inflammat. Quapropter perſuaſum mihi habeo prædicta pharmaca tantum lethargo

thargo esse aduersa, quantum proficiat caro, & reliquis quæ calore, aut inflammatione careant. Præterea, si malum vrgeat, loco prædictorum dropacismis vteris, quæ postquam semel capiti adhæserint, violentia quadam sunt extrahenda, vt euocato calore, & cō mora etiam pituita, facilè per insensibilem halitum euanescat. Verùm si pituitæ vbertas, atque frigiditas sinapismis vti coegerint, ipsa subiges ex aqua vt vult Oribasius, non ex aceto vt Archigenes: cui etiam visui vtile est Aureliani medicamentum ex caprillo stercore, maximè si squillæ liquorem, aut acetum admiscueris, cum vrtica, & euphorbio. Item aliud mitius parabis, q. ℞. *nucis muscatæ, macis, galangæ, anà ℥. 2. florum stœchados, rosarum, roris marini anà ℥. 1. & ß. corticum citri ℈. 1. squinanti, spicæ celticæ anà ℈. ß. fiat puluis tenuissimus*. Sed conficies aliud, q. ℞. *piperis, sinapi, & euphorbij anà ℥. 1. misce, & cum melle anacardino caput illine.* Verùm quia mellis anacardini in plerisque frigidarum affectionum maximus est vsus, placuit hac in parte modum scribere, quo ipsum possis conficere. Anacardos septem diebus in aceto macerabis prius contritos, & quoque donec tertia pars absumatur, ac refrigerare sinito, & quod supernatat oleosum, mel est anacardinum. Albucasis autem in aqua macerat contritos anacardos.

His præmissis, quæ Deo fauente sufficere videntur, prouidendum est, symptomatis omnibus, quæ nō minus solent facessere negocium, quàm morbus ipse. Quippe in aliquibus adeo aluus supprimitur, nec non & vrina, vt mortem afferre plerunque videantur: quapropter ad ea auxilia quæ in vltima parte præcedenos capitis huic muneri vtilia esse diximus, confugiendum est.

Tam est sæua huius affectus natura, vt sæpè laborantes quæ possumus, & quæ non possumus efflagitent, & ob id, licet aliquibus nouum præsidij genus videatur in hoc morbo fontanellam, aut setonem occipiti affigere, rationi consonum, & affectioni proficuum mihi visum fuit. Qua in re arbitror, eis soporosis affectionibus ex vsu esse, quæ vel diuturnæ sunt, vel per interualla repetunt: nam certum est, eas esse, vel epilepsiæ, vel apoplexiæ præludium. Quapropter in caro, & catalepsi, curationis, & præseruationis grana, vtile futurum arbitror brachijs fontanellam, aut setonem affigere. In lethargo verò quòd inflammatio sit cerebri, & breuior affectio, minimè posse beneficium præstare certum est, sicut neque in his comatosis affectionibus, quæ febrem habent comitem, vel per consensum fiunt.

Prodesse etiam omnibus affectionibus soporosis certum est, vsum theriacæ, & mithridatij, sed maximè stillatitiam aquam, quæ ex theriaca, mithridatio, confectione alchermes cum succo fœniculi, & radicum eius, rutæ, & pęoniæ, extrahitur: cuius cochlearia duo mane summoperè ventre ieiuno profuisse comperimus: cuius etiam efficaciæ est mel squilliticum, cuius compositionem reperies capite de epilepsia.

CAPVT XIII.

De apoplexia in genere, ac de ea quæ fit ex sanguine citra obstructionem.

Est quidem apoplexia grauissimus omnibus, qui primò caput obsidet, & protinus, ac subito sensu & motu vniuersum priuat corpus, quòd exitus spiritus animalis à cerebro prohibeantur, & vitalis aditus à corde ad cerebrum præpediatur. Appellant Latini attonitum, & Galen. lib. de totius morb. temp. attonitā concidentiam, seu cataptosim appellauit: necnon & sideratum morbum, maxima profectò cum consideratione: nam hoc affectu correptos, omnibus est conspicuum veluti percussos fulmine apparere: attonitus verò dicitur, quasi citra tonum reddens laborantes, cum tota salutis ratio stet in tono, commensuratione, & harmonia corporis, & actionum eius. Est procuIdubio grauissimus affectus: nam primò & citra medium aliquod vniuersas animales potentias, motiuas nimirum, & sentientes ex toto perdit: quo à soporiferis affectionibus, & maximè à lethargo differre videtur, vtpote in quo omnes diminuuntur: nam in apoplexia omnimodo abolentur. Præterea tam est grauis, & periculo plenus, vt mox reliquas corporis potentias in consensum alliciat, & vitalem defectu ventilationis: verùm ante quàm naturalem vtiet, interficit animal: adeò est truculenta, & sæua eius natura.

Dubium. Sed dubitare hac in parte oportebit, an apoplexia omnis sit subitus virium omnium animalium casus: quia Hippocr. 2. de morbis, & 3. eiusdem parte 3. contrarium statuisse visus est, dicens: Qui icti, ac siderati dicuntur, cum cerebrum multa immunditia vitiosorum humorum repletum fuerit, anterior capitis pars primò dolorem ipsis infert, & suspicere non possunt, aliqui ambobus oculis, aliqui altero: & sopor ipsos tenet, & desipiunt, & tempora saliunt, & febris tenuis habet, & corporis impotentia. Quibus verbis euidenter constat non subitò fieri. Præterea, primo prædictionum sect. 2. 50. hæc refert verba in confirmationem dictæ sententiæ: Subitaneis apoplexijs si febris mediocris solutaque, & diuturna superuenerit perniciosa: vbi dari aliquam apoplexiam non subitá expresse docet. Altera verò ex parte extat Galeni mēs 2. aphor. 42. & 3. & 4. de locis, & 2. de causis sympto. vbi semper subitò apoplexiam fieri est arbitratus. Cui dubitationi dicendum est, legitimam apoplexiá, & quæ vera cerebri obstructione fit, necessario subitò succrescere: nam hæc est ratio, & lex morborum qui ab obstructione pendent: verùm quia sunt alij succi, qui potius copia quam crassitie, & obstructione hunc affectum excitant, ob id iure optimo statuendum est, sic genitam apoplexiam spuriam, & illegitimam esse, & hac ratione lentè fieri, sicut dum ex alio morbo fit commeatus in apoplexiam, vt ex consuetis suppressis vacuationibus plerunque accidere scimus, præmissis illis accidentibus, quæ ab Hippocrat. locis citatis numerantur. Cum hoc tamen statuēdum est, non omnem spuriam apoplexiam lentè fieri, quinimò constat plures ex spurijs celeriores, & breuiores esse legitima, vt facilè comperimus his qui ex compressione spirituum, aut cerebri, vel ex venarum interceptione commoriuntur, vt paulò latius mox sum probaturus.

Præterea vt hæc & quæ dicturi sumus pateant, necessum est scire, pertinere hanc affectionem ad cerebri substantiam, & cauitates: quo fit vt vtraque potentia, sentiens nimirum, & mouens, simul oblædatur: sentiens quidem ratione compressionis, & læsionis substantiæ cerebri: mouens verò vitio instrumenti, hoc est, læsione cauitatis meatuum cerebri. Ex quo sequitur, apoplexiam esse subitam, & omnimodam priuationem sensus, & motus, propter exquisitam in cerebri ventriculis, & porositatibus angustiam: & vt inquit Aurelian. est oppressio sæpè sine febribus repētina, & quæ paulò post sensibus priuat, semper celerrima, & nunquam tarda esse probatur. Importat quidem verbum illud, repentina, duo, nimirum affectionem ab obstructione cerebri suboriri, & eam esse omnimodam, adeò vt actioni alicuius potentiarum nullus subsit locus, siquidem id monstrat subitò fieri, & à multis etiam & crassis humoribus: nam subitò obstruere nequeunt tenues, & pauci. Ex quibus euidenter constat, morbum esse obstructionem, vel cōpressionem cerebri, symptoma quidem ablationem facultatum animalium.

Cau-

Causa. Causam verò legitimæ apoplexiæ, tantùm esse humores crassos & viscidos, ex Gal. constat. 3. de locis affect. & lib. 2. de causis symptom. quod probat quia subitò fit, & soluitur: licet aliqui arbitrentur (cuius farinæ est Cardanus) potiùs ex atra bile fieri quàm ex pituita, deceptus forsan sententia Hippo. 6. apho. 56. qua parte hæc refert verba: In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, apoplexiam corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significãt. Ex quo loco arbitratus est quæ diximus, & innitens leuibus quibusdam rationibus, tenet apoplexiam ex atra bile oriri. Quibus omissis, Hippocr. cuius sententiæ experimenta consentiunt, neque hunc, neque illum humorem absolutè causam statuit, sed omnem crassiorem succum, quisquis is sit: nam licet lib. de flatibus scribat, flatus intercipientes vasa id quoque posse efficere, vel vinum commouens materiam prædictam ad cerebrum, aut vinum ipsum replens, non de legitima loqui est arbitrandum. Quapropter vt apoplexiam duplicem constituimus, spuriam nimirum & legitimam, ita profectò duplicem causarum sortē consignare est necessum: si priùs dixero constare legitimam apoplexiam ex vera cerebri substantiæ & cauitatum obstructione & frigido etiam intemperamento, maximè cum humorum crassorum præsentia: illegitimam verò ex compressione cerebri, aut spirituum vitalium, vel ex animalium ingenti resolutione, extinctione, congelatione, aut suffocatione, vel oppressione, & vltimò ex vitalium prohibitione, quo minùs caput ascendant: & sicut illa semper fit à crassis succis, ita hæc aliquando à multis & vitiosis, quantumuis tenues sint. Quapropter mirandum non est, si ex scriptoribus aliquem comperiamus asserentem à tenuibus fieri apoplexiam, & non subitò, siquidem id de spuria intelligendum venit. Sic profectò prętermissis authorum varietatibus, censeo apoplexiam legitimam & exquisitam, proficisci ex quouis crasso humore, siue pituita sit, siue melancholia, vt Hippoc. fatetur loco citato, & 7. de coacis prænotionibus: sed illud per transmutationem alterius melancholici affectus fieri, aut potiùs catochum ea parte intellexisse: nec non & lib. de flatibus vt anteà retulimus. Siquidem in vera apoplexia tria tantùm requiruntur, nimirum obstructio & compressio cerebri & meatuum eius: secundum quòd subitò fiat: tertium verò quòd fiat à crassis & densis humoribus. Quibus sic statutis, cum plerunq; caput pituita abundet potiùs quam alijs humoribus, credendum est ab ea frequentiùs fieri, potiùs quàm à quouis alio. Spuriam verò apoplexiam constat frequenti experimento fieri posse vno è duobus modis: primo quidem attritis, compressis & suffocatis spiritibus totius corporis, quemadmodum videre est in athletarum corporibus, quæ vt refert Galen. 1. aphorism. 3. subitò commoriuntur, compressis à nimia totius venosi generis plenitudine spiritibus vitalibus & animalibus: coarctantur enim arteriæ & nerui atque comprimuntur vicinia venarum, donec suffocatione periclitetur homo. Prętereà fit nonnunquam præ sanguinis crassitie aut congelatione vel plenitudine quæ obstruat iugulares venas, aut potiùs venam cauam, vt explicat Galen. comment. eiusdem lib. 27. vt intelligendus venit Hippocr. lib. 4. de ratione victus, de venarum interceptione loquens. Cui etiam causæ reduci potest flatus venas intercipiens, & vinum, vt lib. de flatibus docuerat Hippocr. namque aufertur prædictis occasionibus influxus spirituum à corde in cerebrum. Quam sanè interceptionem etiã senibus accidere scimus alia occasione, nimirũ quòd à cerebro in dicta vasa influat pituitosus, sed tenuis humor, qui eadem obstruat, vt refert Hippoc. lib. de locis, aqua, & aere, dicens: Senioribus destillationes accidunt subitò interimentes à cerebro. De sanguine itaque multo & crassiori dubium non est id posse

A efficere, quoties carotidas & arterias intercipit, quæ contexunt cerebri plexum, vt cap. de syncope scriptum reperies. Sed apoplexiam hàc statuendum est, similem esse frigidæ syncopi, vt constat 4. acuto. & multi catalepsim nuncuparunt: calor enim innatus cum spiritu prædicta plenitudine suffocatur, quia difflari non potest: nam cùm supra modum impletę fuerint, premi virtutem, grauarique est necesse, ac sequi extinctionis caloris natiui periculum, & propter multitudinem atque copiam, suffocationem similem ei qua veri apoplectici periclitantur; & ob id vera apoplexia censenda non est. In quo à syncope frigida maximè differt: præterquàm quod pulsus priuatione dissident, nam in syncope vel paruus est aut nullus, in apo

B plexia verò plenus & magnus: quòd in illa dissipentur spiritus aut ad cor trahantur: in hac verò per naturales ductus intrò, foras, aut contra ferri non possunt, vt antè. Quo fit, vt torpeât, & refrigerentur sanguisque concrescat, sicut in mortuo corpore, non à vehementi frigore aut siccitate, vt in catalepsi, sed suffocato calore & intercepto spiritu, quo liquidus erat ac fluxilis. Ob eamque causam, quàmplurimis horum accidit faciei rubor ob sanguinis copiam, quæ illic mansit, sed plerunque pallor, spiritibus illuc non ascendentibus ob interceptionem venarum, oculorum immobilitas & veluti quidam functionum torpor, læso neruorum principio, manuum porrectiones aut stridores dentium.

C Quod si Galen. legeris. 2. de placitis negantem carotidum & iugularium venarum sectione, compressione, aut obstructione apoplexiam fieri, intellige statim, quòd accidere oportebat, si iuxta Peripateticorũ dogma, animalis vis à corde per arterias cerebro & corpori influeret: nam licet intercipiantur, non tamen subitò moritur homo, aut priuatur mox omni actione, sed post resolutionem eorum spirituum qui præfuerant in cerebro. Itaque fit hæc affectio suffocatis in toto corpore spiritibus ob ingentem plenitudinem, & eò quòd sanguis crassus figitur in his venis & coalescit intus immotus, viam spiritibus obstruẽs, vnde interceptio dicta est, quod multi guttam in cor cadere dixerunt. Fit etiam ex compressione arteria-

D rum cerebri (quo secunda huius affectionis causa efficitur) & eius substantiæ, (quo vterque spiritus suffocatur:) idque ab ingenti frigiditate vel ab alia re contundente caput, vt videre est in vulneribus ipsius. A sanguine etiam multo & pituitoso, vel calidissimo ascendente per iugulares & apoplecticas, aut quasuis alias venas ad cerebrum: qui replens venulas membranarum cerebri, facilè spiritus vitales extinguit, & insuper cerebrum comprimit donec sensu priuetur animal, & motu quoque, coarctatis etiam ventriculis cerebri, vt in inflammatorijs affectionibus aut tumoribus præter naturam cerebri non rarò accidit. Huius autem apoplexiæ speciei meminit Hippoc. 4. acutorum, vt comment. 23. & 27. explicuit Galen. necnõ

E & lib. de sanguinis miss. dicens: Nam hoc pacto apoplexiæ proueniunt, multo nimirum sanguine in principium animantis confertim irruente. Nam sanguis abundantior in validis exercitationibus cerebrum adiens & occupans (vt statuit. 3. aphorism. 20.) non per obstructionem ventriculorum, vt reliqui succi apoplexiam efficientes, sed propter eorundem constipationem & constrictionem, cuius ratione vis animalis ad inferas partes diffluere impeditur. Qua profectò ratione censeo Galen. dixisse 2. aphor. 42. duplici de causa fieri apoplexiam, oppletis nimirum ventriculis cerebri humore frigido aut crasso (vt vulgariter omnes ferè apoplexię, & ex quæ legitimæ sunt, fiunt) aut ob aliquam dispositionem inflammationi similem, quæ in cerebro constituta sit. Sed dubitabit forsan quispiam, quæ nam intersit differentia inter prædictam apoplexiam, & cerebri inflammationem,

quam

quam ex abundatiore ſanguine in cerebro capite de phrenitide diximus fieri. Verùm ne quis exiſtimet idem eſſe, expendat, ſanguinem in cerebri inflammatione à venis excidere, & in cerebri ſubſtantiam ſeſe inſinuare, ibidemque præ ingenti calore adeo inflammari quòd in gangrenam facilè commigret: at in apoplexia in venis adeo copioſum contineri, quòd præ nimia venarum turgentia, cerebri ventres adeo preſſè coarctentur, quòd ſpiritibus nullus ſit ad ſenſoria, & motus inſtrumenta liber aditus. Et ob id arbitrandum eſt Galen. non dixiſſe inflammationem efficere, ſed affectum inflammationi perſimilem ob calorem copioſioris ſanguinis, non quidem ob materiæ putredinem: quo fit vt ſic affecti febre non corripiãtur, quemadmodum hi quibus cerebrum inflammatur: & ob id apoplexiam à vera cerebri inflammatione fieri nunquam viſum eſt, ſed tantum ab affectu hoc inflammationi perſimili, qui nil aliud eſt, quàm maxima venarum, & vaſorum à ſanguine calidiori repletio. Differt autem hæc apoplexiæ ratio ab ea quam ex venarum interceptione proficiſci ſtatuerãt antea Hippocrat. & Galen. quòd ſolis cerebri vaſis oppletis fiat ea quam nunc exponimus: illa verò vt Galen. explicat lib. de cauſis mor. cap. 3. vbi intercipiuntur quæ ſunt in animali arteriæ, aut ſoporales. Harum tamen affectionum, quas nomine ſpuriæ apoplexiæ, aut ei perſimili comprehendimus, plures compertum eſt fieri à tenuibus ſuccis, & corruptis humoribus (dummodo bilis non ſit) vel à vini ſubſtantia crudiori illuc delata, dum in cerebri cauitates non procidant, nam tunc legitima fiet apoplexia, ſi ſuccus craſſus ſit: ſin aliter epilepſia, aut alter affectus his ſimilis. Itaque conſtat ex dictis, legitimam apoplexiam ab humore craſſo, obſtructione, & ſubito debere fieri: illegitimam verò, licet ſubitò & aliquando celeriùs interimat, fieri comperimus à prædictis cauſis, quæ multis diſſident interuallis, & aliquando lentè, & alijs affectionibus præeuntibus, illegitimam efficere ſunt natę, non tamen obſtruendo cauitatem cerebri craſſis ſuccis, ſed compreſſa ſubſtantia, aut coarctatis cauitatibus, vel interciſis, aut aliter læſis ſpiritibus: quæ ratio me coegit eam numerare inter ſyncopis ſpecies, ſicut inter apoplexias, quod ſubitò priuet ſenſu, & motu, ac ocyſſimè interimat.

Præter ea quæ hucuſque diximus expendiſſe oportet, verbum illud definitionis (omnimoda priuatio ſenſus, & motus) non enim videtur excludere reſpirationem, ſiquidem ad inuicem ſe habent reſpirare, & viuere. Atqui ſi verum eſt, animal ex toto reſpiratione priuari, ſicut aliarum potentiarum actionibus, fruſtra ſanè videretur curationem inſtituere: ſupereſt igitur reſpirationis aliquid. Quòd ſi motus nullum in reliquis membris appareat veſtigium, coniectandum eſt certas quaſdam fibras à quinta coniugatione neruorum ortas naturam huic miniſterio adſeruaſſe incolumes, præcauens animalis interitum. Præterquam quòd cum omnino reſpiratione homo non orbetur, puſilla vis quæ à cerebro deriuatur, (ſiquidem cerebri meatus, & ſubſtantiæ eius poroſitates non ſunt adeo coarctatæ, neque ſpiritus adeo extincti, quòd aliquid eorum permeare non poſſit:) licet cæteris membris mouendis non ſufficiat, ſatis quidem eſt reſpirationi efficiendæ: cui etiam ſecundum naturam ſatis eſt quiuis facultatis influxus, & ob id omnino reſpiratione non priuatur apoplecticus. Cuius rei gratia aſſerimus, ſagaciſſimam naturam tantùm reſpirationi prouidere: quòd ſi caſu aliquo cunctis alijs actionibus priuetur, hanc tantùm vſque ad vltimum inſtans omnibus viribus, & poſſe conatur ſeruare: haud ſecus quàm in dormientibus, in quibus licet omnino videatur ociari, ſolam tamen fabrefacit reſpirationem: quam etiam in apoplecticis adſeruat præſagitionis, & curationis gratia: quippe tantum mali præſagire licet

A in apoplexia, quantum reſpiratio fuerit vitiata, & pro eiuſdem vitio, maiora, aut minora auxilia ſunt adhibenda, iuxta quatuor differentias difficilis reſpirationis, quibus quatuor apoplexiæ differentiæ diſtinguuntur, diſſidentes quidem periculo, & curationis diligẽtia. Prima differentia eſt, cum ad ſenſum ex toto aufertur reſpiratio, quæ ſanè licet ex toto non ſit conciſa, ſenſui tamen ita eſt occulta, vt iam ex toto animãtis interitum minetur: & hæc efficit illam apoplexiæ ſpeciem, quam Hippoc. fortem appellauit, ac cenſuit minimè poſſe ſolui. Hanc ergo non cenſeo in apoplexia poſſe dari, niſi velut mortis præludium: quinimò certius arbitror mortis ſignum. Quippe hac ſola ratione apoplexia differt à ſyncope frigida, & vteri ſtrã-
B gulatione, quòd in apoplexia, deficiente reſpiratione, protinus intereat animal, quia vitium eſt eſſentiale cerebri: at in alijs adhuc remanet vita ex arteriarũ motu: qualiter autem id ſit intelligendum mox audies. In ſecunda reſpiratio fit cum maxima difficultate, in qua laborans vix poteſt thoracem dilatare: quam etiam includendam cenſent authores nomine fortis apoplexiæ. Tertia verò eſt, quæ apparet quidem, cæterum inæqualis, & varia, & hanc tanquam mediã conſtituunt inter fortem, & debilem apoplexiã. Vltima quidẽ ea exiſtit, in qua reſpiratio parua quidem apparet, & quæ vſui caloris ſatisfacere nequit: cæterũ ęqualis, & hæc eſt quæ leuem apoplexiã omnino deſignat.

Signa verò quæ in huiuſmodi affectu conſideran- *Signa.*
C da ſeſe offerunt, ſunt proculdubio in quadruplici differentia: nam quædam futurum, ſeu imminens malũ prænunciant: quædam verò præſens monſtrant, & ab alijs ſibi ſimilibus diſtinguere docent, neque non & ſpuriam apoplexiam à legitima: quædam rurſus viuens ne, an mortuus ſit homo, venantur: & vltimò alia differentias apoplexiæ monſtrare, & diſtinguere inter ſe valent. Neque fruſtra quidem eſt huius affectionis tot ſigna exquirere, ſiquidem & ad cognitionem, & ad curationem proficua ſemper comperiuntur, & non minoris momenti in hoc graui affectu ad certius præſagium proferendum. Primi quidem generis ſunt, quæ Aurelianus refert dicens: Indigeſtio frequens, maximè vini craſſi, vſus lauacri frequẽtior, aut
D intempeſtiuus, vel dum fit, dimiſſo exercitio: vſus etiã veneris frequens, potiſſimum in ſenibus, concidunt quippe in his præ caloris, & ſpirituum defectu cerebri membranæ. Item vulneratio præ meningis, & in pueris ob aliquam occaſionem vehemens ſaltus mẽbranæ cerebri, quæ dum mouetur, vicinis oſſibus ſe impingit. Quibuſdam verò ante morbi acceſſum, præcedunt grauedo, vel dolor capitis inſolitus, aut vertigo, vel aurium tinnitus, aut infirma ad aſſuetos labores efficacia: vultus mæſtitia, palpitatio membrorum, & maximè labiorum, tremula loquutio, & veluti minus expreſſa, aut interrupta: obliuio etiam mox dictorũ, vultus tumor, & egeſtionum difficultas, ac nonnunquam loquelæ, & ſenſuum leuis priuatio, à qua mox
E laborantes redeũt. Affectum quidem præſentem ſpuriam eſſe apoplexiam mõſtrat, & ab humoribus corruptis fieri, non repẽtinus caſus, ac diuturnior, & protracta mors: verùm quæ ſpuria eſt ob ſpirituum ſuffocationem, cunctis alijs breuior, & pernicioſior exiſtit cùm vitalem facultatem protinus in conſenſum trahat: nam quæ legitima eſt, non vitam vt hæc, ſed vitales actiones protinus demit. At ſpuria quæ ex manifeſto ictu, aut caſu oritur, notiſſima eſt, & diutiùs protrahitur. Sed vtcunque ſit, præſentem affectum monſtrat, vocis amputatio, mentis, & actionum omnium oppreſſio ex repentino caſu, immobilitas totius corporis, quibuſdam ſuſpenſio palpebrarum, atque oris aperti diſtantia, articulorum etiam gelidus torpor, & parua, ac difficilis reſpiratio: quo ſolo ſigno ſic affecti à catalepticis, & ſoporoſis affectionibus diſſident. Color inſuper his effloreſcit plumbeus, lacrymæ inuolũtariæ,

tariæ, thoracis stridor, & superiorum partium sudores frigidi erumpunt, maximè in deterius labentibus, sicut dum in melius malum habiturum est, partes incalescunt, & quodammodo moueri, ac sentire incipiunt. Tertij generis sunt ea signa, quæ respirationem esse vitiatam, aut omnino suppressam monstrant, veluti est speculum ori appositum, quod si halitus fœdauerit, laborantem viuere coniectandum erit. Eandem certitudinem præstat carminatæ lanæ, aut gosipij frustū iuxta os, & nares applicitum, cuius pilos si moueri cōspexeris, viuere hominem cōijcito: eiusdem efficaciæ est vas aliquod aqua plenum supra ventrem positum, cuius aqua si moueatur vitæ præstat probationē. Verùm licet viuere nullo horum signorum constet, non tamen ob id protinus vita orbatum esse hominē est proferendum, aut sepeliendum committere mox licet, sed differre oportet donec, vel pars aliqua liuescat aut fœtore æstuet aliquantulum corpus: sæpè enim ex præcipite deliberatione, viuos sepultos fuisse aliquos strenuos viros proditum est, & non multis ab hinc diebus conspeximus. In qua re vt certior de respiratione subsit coniectura, sciendum est, respirationem posse vno è duobus modis aboleri in apoplexia, syncopi, & venarum interceptione: primò quidem subitò & confertim, & mox à principio mali vniuersam aboleri, vt in hystericis fœminis contingit, secundò verò sensim, & paulatim increscendo mali sæuitiam, & ex consequēti respirationem pari gradu vitiari imminuique sensim, & paulatim, donec natura omnino deuicta, respiratio, & pulsus pariter euanescant. Sic profectò in subita vtriusque euanescentia, vt in hystericis contingit, exspectare oportet donec pars liueat aliqua, aut fœtore corpus æstuet, quia facilè in vtranque actionem pulsus nimirum, & respirationis laborantes redeunt, quo fit, vt eos protinus sepelire non liceat. At in alijs quibus sensim, & paulatim vt affectio crescit, ita pulsus, & respiratio imminuuntur, credibile non est vitam adhuc superstitem esse, quia superante morbo potentias, actione priuantur ob integrā, & completam corruptionem: quod censeo fore magni momenti ad rectum de morte, aut vita iudicium eliciendum, in subitaneis, & improuisis mortibus. Signa quidem quarti generis sunt, quæ cerebrum esse affectum per primogeneam affectionem ostendunt, veluti est pallor, & plumbea albedo totius faciei, oculorum lacrymæ, spuma per os excreta, aut saltem tenuis quędam saliua, & vltima aliorum signorum priuatio: nam si ex ascensu pituitosi sanguinis per iugulares venas ad cerebrum fiat, ex earum tumore, & tensione ad facilè disces, sicuti ex oculorum prominentia, & venulis rubeis, vel per totum caput eminentibus: ita ex dissolutione spirituum, aut ex subita suffocatione, ex repentino casu citra respirationis vestigium facilè disces, sicut ex faciei consumptione.

Præsagiū

Ex nulla alia re certius ad salutem, aut mortem in apoplexia desumi poterit præsagium, quàm ex maiori minoriue respirandi difficultate, quòd hæc sola magnitudinem causæ sequatur. Nam si laboranti omnino intercipiatur respiratio, ita vt ad sensum thorax videatur non moueri, quasi de repentè strangulatur æger, & apoplexia dicitur acutissima, in qua medici frustra vitæ prædictis probationibus vtuntur: hoc autē tantum in apnœa vteri, aut syncope frigida fieri debet, in quibus calor cordis ita refrigeratur, vt sola arteriarum motio sine respiratione vitam tueatur. Quocirca licet in signorum tractatione hanc vitæ probationem adduxerim vt aliorum authorum placitum sequerer potiùs, quàm quòd in apoplexia existimem necessariam esse, est arbitrandum: nam si æger adhuc viuit, & non respirat, aut apoplecticus non est, vel syncopi coniungitur, cùm hoc tamen eam fortiorem apoplexiam reliqui appellarunt medici, in qua respiratio aboletur: sed nunc iam non superest vita vt in syn-

A cope, sed mortis est præludium. Prætereà mortē portendit sudor circa frontem, & ceruicem, qui potiùs ex impenso labore ad respirationem moliendam, quàm ex alia causa suboritur. Item apoplexias repentè succrescentes soluit febris, quæ vel lenta non est, vel diuturna: nam talis erat quæ Numeno superuenit, & cito hoc mortuus est 2. prorr. 50. Ratio huius salutaris præsidij est, quòd calor febris superueniens iuuet, aut quia intemperiem maximè frigidam emendat, aut quia flatus discutit, vel quia frigidos humores calefacit, crassos attenuat, & lentos separat, ac fundit, & absumit, aut quia omnia simul efficit, vt in apoplexia ex pituitæ repentino affluxu: quia tamen nihil horum lenta febris præstare potest, nihil iuuat. Ex quibus cō-
B stat, febrem non quamuis neque cuiuis apoplexiæ prodesse posse, nisi maior sit mediocri, vt 2. de morbis dixerat Hippocrat. quam statuit septimanos sanare, ac etiam forti apoplexia correptos, nam quod ars nequit, natura sæpè valet efficere. Est adeò perniciosa huius affectus conditio, vt quem semel apprehenderit, vel omnino perdat, vel graui aliquo affectu mancum reddat, sic enim plerunque, si res ex voto naturæ cessura est, in hemiplexiam commigrat, sin aliter, & frequenter in mortem.

Curandi ratio.

Quibus exactè pensatis, (ne nobis in cognitione, & præsagitione turpiter hallucinari contingat,) audaciùs medendi rationem instituemus. Quæ quidem futura est duplex: altera quæ causam illidat; & prima
C quæ symptoma, quòd vrgentius sit, quàm citissimè auferat. Sic profectò huius primæ ratione non licet protinus ad magna auxilia deuenire, sed alijs leuioribus accessionem compescere, & infirmare: nam vbi leuis obstructio est, aut concreti humores, vbi flatus, aut crassius caliginosusque halitus causam pręstat, vbi vitalis spiritus vapore intercipitur, satius est primo accessu hominem agitare, concutere, aut duriusculè fricare, vel doloroficis vinculis vti, vt concreti humores fundantur, ac spiritus animales exitum habeant, & vitales aditum, & ad excitandam etiam naturæ vim, commouendamque materiam ab obstructa parte. Cui vsui prodest frictio ex oleo calente, & maximè earum partium quæ magis refrixerint: prodest & plā-
D tarum pedum pruritus: ac si laborans vetustior sit, inanitus, flatuosus, & ventre ieiuno, aquæ vitę modicum cum nuce muscata in nares inijcito. Prodest etiā vellicatio barbæ, & pubis cum sinapi vulgari: sal ori etiā iniectus, quibus laborans faciliùs excitetur. Verùm in reliqua medendi ratione, quæ causam auferre tenetur, primò considerabis, qualis ipsa præfuerit quæ apoplexiam excitauerit, & qualis etiam immanitas, atque sæuitia eiusdem affectus. Sic enim dum prodit ex spirituum suffocatione præ nimia totius corporis abundantia, aut eo quòd iugularibus plenis spiritus vitales in cerebrum non transeunt, vel quòd arteriæ capitis comprimantur, & ob id spiritus suffocentur, si vitæ subsit vestigium, mox sanguinem mittere oportebit,
E prudenter tamen: nam si compressam habeant respirationem laborantes, signum quidem est periclitari præ copia: quapropter vena scissa cautè (hoc est, ne fiat laborante iam posito in maximo discrimine) sanguinem extrahes: quòd si probè id tulerit, iterato amplius extrahes, iuxta Hippocr. decretum 1. aphor. 3. Cęterùm prudenter id opus aggredieris, nam aliud est sanguinem mittere ante accessionem, vt intelligendus venit Hippocrat. aliud quidem laborante iam accessione correpto. Verùm si ex pulsibus conieceris primam sanguinis detractionem non tolerasse, sat erit extractus sanguis, ne medico mortis crimen imponatur: at si, vt sæpè solet, huiusmodi laborantes interitui subito, aut proximo obnoxij steterint, cucurbitulis, frictionibus, ligaturis, & omni diuersionum generi, atque prognosticis totum negotium committes.

Cæterùm si ob pituitosum sanguinem aut copiosum per iugulas venas in caput ascendentem, compresso cerebro ac suffocatis spiritibus arteriarum & ventriculorum ipsius, apoplexia suboriatur, promptius remediũ est sanguinem mittere, vt in præcedenti causa. Verùm ex qua parte, non satis inter authores conuenit: nam ex Auic. constat à malleolis esse fundendum, quod multi neotericorum omnino tanquã inutile damnant, arbitrantes ex brachijs satius esse ob mali vrgentiam & viciniam partis affectæ: ex antiquioribus tamen multi à venis nasi aut frontis sanguinem extrahunt. Pauci verò audeat, rustico quodam timore perterriti iugulares venas scindere, tum ob timorem suffocationis ex ligatura, tum propter fluxũ difficulter compescibilem: verùm has secare vrgente periculo, maximè ex consensu alterius viri docti, tutũ est, si scissio prudentissima sit & nulla facta ligatura, quæ venæ conspicuæ sint, & ea nõ indigeant: nam promptius per has venas se se exonerat caput, quã per quasuis aliarum. Quòd si earum scissio non prosit, ad cephalicam confugiendum est, & bis die sanguinẽ fundes, si vires permiserint, ac deuenies mox ad venas frontis aut nasi. Item cucurbitis vteris cum scarificatione aut secus, et omni diuersionis genere: cauens ne repellẽtia adhibeas, quia venæ interiores maxima turgent plenitudine, quam longè pressiorem & fixam efficies. Præstat enim fomentis vti laxantibus aut modicè discutientibus cum laxitate: quod ministerium præstare solet aquæ dulcis balneum moderatè calidum, quo partes laxantur & sanguis faciliùs resoluitur aut extrahitur; quod consuluerat Hippoc. 3. acut. 59. & 1. popul. part. 3. in his quibus minus quàm par est sanguis è naribus fluxerit. Poteris etiam decoctũ conficere ex maluis, violis, fœnugræco, althæa, & similibus: atque in hac causa hæc sufficere videntur. Cauendum tamen est à sanguinis missione, si ex frigore spiritus extincti, aut dissipati quouis alio modo existant, nam longè magis peribunt dissipabunturq; quàm affectionis subsit præsidium: cuius contrarium accidit cùm ex compressione aut suffocatione spiritus in cerebro pereunt: quod sanè obseruasse, magni est momenti in curatione, alioqui mirum non est, si salutari auxilio ægrum citiùs perdas. Verùm si huiusmodi affectio ex suppressione mensium, hæmorrhoidum, aut alicuius sanguinolentæ euacuationis prodeat, eandẽ protinus euocare oportet. Quo solùm casu arbitror intelligendum fore Auic. loco citato, quo in apoplexia statuit sanguinem esse mittendum ex talo: licet ex neotericis plures consilio antiquorum ex poplitibus sanguinem mittere consulant: quod iussum esse arbitror, donec vel suppressa fluxio redeat, vel eius defectus suppleatur, imminuaturque à capite vbertas ea ratione facta.

Verùm si quid iam in capite receptum, pituitosum, crassum, aut crudum fuerit, nulli dubium est, quin triplici via procedendum sit in curatione, si priùs consideres, an vigente in cerebro aut toto corpore pituitoso vel crasso quouis succo, possibile sit aut vtile sanguinem mittere: In qua sanè re, vt quæ vel hominem liberet, vel protinus interimat, vt Celsus statuit, re gerito, vt Aurelianus consulit, qui maxima priùs facta distinctione, id opus aggrediendum aut prætermittendum esse consulit. Quippe monet sanguinem non esse mittendum, ante quàm humores præ frigore concreti liquescant & fundantur: nam si antea sanguinem miseris, nulli dubium est crassiores & frigidiores fieri, & malum longè lethalius. Et iubet fundendos esse oleis, syrupis, frictionibus, & omni calorifico ingenio: nam si ante id opus sanguinem fuderis, non fluent. Quod sanè præceptum mihi non displicet, dummodo affectio ab externo frigore principium sortiatur: quo solo casu calorifica & fundentia præmittenda sunt, aut vbi vniuersum quod fluxu-

A rum erat, iam fluxit. Quippe cùm natura ex apoplexia hemiplegiam melioris gratia sæpe moliatur, tenuata fluxibilior que reddita pituita, quo faciliùs discedat, seseq; separet ac diducatur à foramine ad nerueas partes: sic ars id quoque efficere poterit, vbi nihil fluxurum ad cerebri cauitatem sperauerit: nam si quid superest (quod ex venarum turgore, rubore, & tumore cutis, faciei, & capitis disces: nam in quibus nihil superest fluxurum, ferè in omnibus partibus cutis collapsa apparet) satius est sanguinem primò mittere, licet parciùs aut per vices: & postmodum quod superest tenuare, fundere, & per insensilem halitum digerere: nam prædicta tenuatio mille præstat beneficia, tùm ad discussionem moliendam, tùm vt medicamentis purgantibus faciliùs cedat hu- B mor, tùm verò vt sanguine misso promptiùs fiat ad vasa retrocessus, si præmissa inanitione fieri possit. At si iam prædicta occasio præterierit, vt tutò venæ scissione vtaris, differre oportet, donec modicum inclinare affectionem comperiamus, ac corpus non ita rigidum existere, vel facies iam rubra apparuerit, vel saltem non plumbei coloris: nam signum est humoris fusionem & calefactionem cepisse iam naturam. Tunc insuper considerabis, an nimia venus, vel quid aliud vires infirmauerit, (potest quidem esse repletio humorum, quæ sanguinem fundi expostulet, & spirituum manitio, quæ id prohibeat) quòd si id non verterit, ventre clysmate actiori præmunito, venam cephalicam tundes, parumque sanguinis fluere sines: ac C si plus extraxisse sit opus, partitè & per vices facito, interim dum accessio remittitur: quod dignosces ex liberaliori respiratione & vehementi ac magno pulsu. Quòd si malum adhuc perstet, viresque etiam constent, alteram cephalicam vulnerato, si solius sit cerebri affectio: at si vires affectæ fuerint, cucurbitas cum scarificatione affiges: Aretæi tamen & aliorum antiquorum consilio, maximè prope iugulares venas & sub mento, vel si corpus obesum fuerit, pluribus ceruicis, scapularum, & brachiorum partibus hirudines appones, idque maximè si venæ conspicuæ non sint: idque iteratò facies. Quibus factis, laborantem agitato & concutito ac violenter fricato: nam sæpe obstructio à paucissima fit materia, aut crassis D vaporibus, quibus hæc solent sufficere.

Verùm si fors id non tulerit, tunc quidem ad primam indicationem veniendum esse consulit casus vrgentia, quæ sanè docet corpus euacuare, & ad particularia auxilia commodè susceptãda præparare ac disponere. Id sanè fit his, quæ corpus ab errante pituita expurgent: primò enematis, quæ conficiuntur *ex decocto saluiæ, stœchados & chamæmeli, cui adde agarici & expressionis eius. ℥. 2. medullæ cartami. ℥. 4. centaurij minoris. manip. 1. ß. colocynthidis. ʒ. 1. & ß. bulliant in prædicto decocto, & facta colatura adde hieræ logodij. ℥. ß. mellis rosacei. ℥. 3. olei rutæ ℥. 2. salis communis. ʒ. 2. misce*: etsi ob sensus hebetudinem nihil E excernat laborans, vtendum est suppositorio, q. ℞. *hieræ diacolocynthidos. ʒ. 2. castorei, seminis carui, & rutæ ana. ℈. 2. salis gemmæ. ℈. 1. cum melle fiat suppositorium filo appensum*. Quo facto, eadem die ad purgantia pharmaca deuenies, quæ cum solida deuorare nequeat laborans, liquore aliquo dissoluta infundes: & licet nonnullis displiceat in hoc affectu purgandi vsus, rationes tamen sunt nullius momenti, & vrgentia mali ac necessitas magna. Sic ad superuacuam materiam educendam, & ad eam etiam quæ obstructionem molitur deueniendum, si verum est (vt re vera est) caput posse medicamentis alnum ducentibus purgari, maximè cùm prædictus affectus apostemosus non sit, & humor iam extra vasa positus, quem sanguinis detractione minuere est impossibile. Primò purgabis catapotijs ex agarico, de alsaieret, aggregatiuis, cochijs,

fœ-

fœtidis, & de sarcocolla: quibus admiscere oportet, pilularum de euphorbio aliquid, vel modicum euphorbij, aut castorei. Quippe ellebotum addere, cùm vomitum cieat ad caputque euocet, non placet. Ex quibus sanè medicamentis ad ʒ. 1. & ß. aut 2. vsque porriges, dissoluesque in aqua vitæ, aut in liquore rosarum ex infusionibus, & per infundibulum in ventriculum laborantis immittes. Quæ sanè curandi ratio, prima vel saltem secunda die exequenda venit, citra vlteriorem præparationem, cùm casus vrgentia eam non admittat.

Verùm si res ex voto succedat, aut secus, nisi in præcipitium laborantem ire expendas, ad vlteriorem purgationem corpus, & humorem præparabis. Primùm sanè facies inunctionibus per totum corpus factis, maximè iuxta dorsum, & ceruicem, oleo calido chamæmelino, anethino, liliorum, rutaceo, & similibus, cum vehementi frictione, quæ & pituitam extenuet, & vniuersum corpus ad calorem moueat. Interim tamen ventri, & visceribus prouidebis oleo de spica cum pulueribus cyperi, cinnamomi, macis, & caryophyllorum. Secundum quidem exequeris serapijs, quæ vtcunque humorem præparent, & eius halitus ad caput ascendentes: Cuius naturæ est mel rosaceum, syrupus stœchados, menthæ, & de corticibus citri cum oxymelite simplici, aut squillitico, vel aqua stillatitia ex squilla: cuius etiam efficaciæ est mel squilliticum cum aqua vitæ, cuius meminimus capite præcedenti. Si tamen his factis, aliqua salutis subsit spes, quòd venaberis ex faciliori respiratione, vel ex leui aliquo sensu, aut motu, tunc quidem studendum est iterum corpus purgare *liquata prædictarum pilularum ʒ. 1. in aqua vitæ, & facta colatura laboranti singulis diebus, vel tertio quoque die præstita* Interim tamen auxilia præstare poteris, quæ simul materiam præparant, discutiunt, purgant, & calorem augent, ac tuentur: sic profectò manè, aut propè somnum laboranti porriges, postquam aliquantisper quieuerit ab alijs auxilijs, id q. ℞. *hieræ simplicis ʒ. 1. & ß. vel hieræ diacolocynthidos ʒ. ß. theriacæ veteris, vel smaragdorum ʒ. ß. dissolue in aqua vitæ, & calendulæ anà ℥. 1.* Prosunt quoque hiera Pachij, aut trochisci ex ea facti, quam adducit Scribonius Largus multos Romæ ab hoc affectu reuocasse. Item hiera logodij, maximè si melancholici succi aliquid præsit. Neque minoris momenti est medicamentum q. ℞. *conseruæ iridis, calami aromatici, acori anà ʒ. 3. conseruæ saluiæ ℥. 1. diu agitentur in mortario cum aqua vitæ, aut melissophyll. ℥. 2. & facta forti expressione potui detur.* Eiusdem vsus est id, q. ℞. *seminis rutæ, santali citrini, nucis muscatæ anà ℈. 2. ponantur in manica Hippocr. & colentur quater cum aqua vitæ, aut calendulæ anà ℥. 1. & ß. & fiat potio.* Cuius & pretiosioris est efficaciæ aqua destillata è nucibus muscatis, auribus, palato, & naribus indita: quo præsidio sic affectos posse reuocari, Deo auspice censeo. Valet etiam post purgationem id q. ℞. *pulueris diamusci, & diambræ, anà ℈. 1. castorei gr. 6. aquarum chelidoniæ, saluiæ, & rutæ, anà ℥. 1. & ß. facta colatura fiat potio.*

Verùm si factis purgationibus, quæ sufficere videbantur, res non cedat, coniectandum est humorem solidioris esse substantiæ, exposcereque efficaciora pharmaca, cuius census est id q. ℞. *agarici ʒ. 1. pulpæ colocynthidis gr. 2. electuarij indi maioris ʒ. 3. dissoluantur in aqua vitæ, & facta forti expressione fiat potio.* Quòd si per epicrasim purgare etiam velis, porrige id q. ℞. *pilularum fœtidarum, & cochiarum anà ℈. 1. trochiscorum alandabal gr. 3. macerentur in aqua vitæ, & melissæ, & facta expressione potandam præbe.* Quòd si velis magis discutere, & calefacere quàm expurgare, eo vtere q. ℞. *castorei gr. 4. trochiscorum alandabal gr. 3. oxymelitis squillitici ℥. 1. aquæ chelidoniæ maioris, & vitæ, anà ℥. 1. fiat colatura.* Sed tamen in his omnibus exhibendis, vt res ex voto cedat, corpus priùs, vel sanguine misso, vel expurganti medicamento vacuasse oportebit.

His autem præmissis, mox deueniendum est ad secundum auxilij genus, quod per propria capitis emunctoria docet cerebrum expurgare: hæc autem sunt caputpurgia appellata, quibus cautè vtendum esse consulit affectus natura: nam si sternutatoria à principio adhibeas, plus lædes materia attenuata, & commota ad affectam partem, quam possit à postica cerebri parte ad anticam euocari. Quapropter potiùs eo præsidio vtendum esse censeo, post corporis, & capitis euacuationem, ad reliquias conterendas, quàm ad caput primò euacuandum. Qualia autem hæc debeant esse, capite de lethargo reperies. Quibus addere oportet euaporationes, quas magis semper probaui, quàm suffumigia: fiet autem fiunt ex ruta, ex squilla, castorio, & euphorbio aceto feruefactis: cuius vaporem naribus trahat laborans. Mouet etiam sternutamentum succus anagallidis vtriusque, cœparum, brassicæ, siclæ, aut enulæ, ireos, marrubij radicis, & nigellæ, & vltimò cucumeris agrestis, cum pulueribus piperis, castorij, ellebori, & euphorbij. Ex quibus cum melle rosaceo, hydromelite, oxymelite simp. vel squillitico, mille medicamentorum sternutamentum mouentium formas effingere poteris.

Tertia, & vltima curandi ratio his perficitur auxilijs, quæ vim habent calefaciendi, & exiccandi caput ipsum: quibus non rarò accidit medicis incautis vt grauior, & pressior fiat affectio: nam cùm caloris sit fundere, & extenuare, facilè id malum sequitur, nisi prudenter eis vtaris. Quapropter illa adhibere oportet capite, & corpore satis purgato, & primò à leuioribus facto initio, nempè ab oleo laurino, de lateribus, rutaceo, de castorio, & de piperibus cum modico aceto: vel cum cera facto molli vnguento. Excitat quidem apoplecticum, & mirè materiam discutit oleum de vitriolo: quod si paratum non sit, *dissoluantur ʒ. 2. vitrioli in ℥. 1. olei de spica, de costo, aut de castoreo, aut de squilla,* hoc modo. ℞. *squillæ scissæ in rotulas ʒ. 2. castorei ℥. ß. vitrioli ʒ. 3. fiat decoctio in olei costini, & vini, anà lib. ß. ad consumptionem vini: & facta colatura vsui serua.* Præstat & potio q. ℞. *castorei ℈. 1. mastichis, seminis rutæ, santali citrini, nucis muscatæ, anà ℈. ß. & cum aquæ vitæ, & lauendulæ anà ℥. 2. ponantur in manica Hippocrat. & colentur quater, cuius ℥. 2. infundantur per gulam.* Omnibus autem prodesse comperimus aquam stillatitiam ex nucibus muscatis, maximè si instillatio fiat cum aqua vitæ. Non minoris momenti à plerisque scriptorum habetur illud præsidium q. ℞. *squillæ contusæ ℥. 1. mellis rosacei ℥. 4. conseruæ iridis, calami aromatici, acori anà ℥. 1. conseruæ saluiæ ℥. 2. theriacæ veteris ℥. 1. & ß. aquæ vitæ ℥. 6. destillentur in duplici vase, & liquoris stillatitij præbe ℥. 1.* Iuuat etiam, interim dum caputpurgijs vtimur, caput abradere, & inungere oleis calidis, in quibus ferbuerit pulegium, serpyllum, & semen maioranæ, aut vngatur caput oleo de lauendula, aut de been, in quo incoxerine caryophyllus, nux muscata, muscus odoratus, semen rutæ, & reliqua huius census. Præstat etiam sinapismis vti, q. ℞. *olei rutacei ℥. 3. picis nigræ lib. ß. liquefiant in duplici vase, deinde adde pyrethri, piperis albi anà ʒ. 2. extende super pannum, & capiti affigendum cura.* Quem etiam vsum præstat aliud quod *recipit ficus pingues leniter coctas, deinde cum duplo seminis sinapis contunde, & ad formam emplastri adhibe.* Valenter quoque ad extimas partes trahit digeritque materiam emplastrum

quod *recipit oxycrocei, vel emplastri de Vigo ℥. 3. agitetur fortiter cum oleo laurino, & adde sinapis, pyrethri, piperis, staphisagria, & euphorbij, anà ʒ.ß.* Ex quibus etiam pulueribus cùm ficubus, & puluere sulphuris, nucis muscatæ, anacardi, seminis vrticæ, & fimo columbino emplastrum non minoris momenti parabis. Quem quoque in vsum præstat caput abluere, aut spongia, vel philtro fouere decocto saluiæ, rorismarini, rutæ, stœchados, maioranæ, pyrethri, & similium cum aqua vitæ, aut vino. Sed cauendum est in hoc affectu à theriacæ, vel mithridati nimio vsu, nam periculum est, ne pressiùs somnum concilient.

CAPVT XIIII.

De Paralysi.

PAralysis, seu paresis idem est apud Græcos, ac in ter eosdem hemiplegia, aut paraplegia, & apud Latinos resolutio. Est quidem affectio apoplexiæ finitima, & in multis simillima, in alijs quidem dispar. Sic profectò quemadmodum in apoplexia vniuersum corpus sensu, & motu orbatur, ita prorsus in quauis resolutionis specie, modo vnius sit membri, modo plurium, aut medietatis corporis, pari lege sensus, & motus abolentur. Itaque quemadmodum in apoplexia nerui, vel patiuntur, vel compatiuntur, ita & in quauis resolutionis specie. Dissident tamen quia in apoplexia semper oblæduntur sensus, & motus simul, in paralysi verò alterum eorum lædi potest, reliquo manente illæso. Item in apoplexia nerui oblæduntur per consensum ab obstructo cerebro: quod licet in paralysi quoque accidat, vt in hemiplegia, sæpius tamen nerui ipsi vitio proprio afficiuntur. Secundò etiam dissident, quia in apoplexia oblæduntur sensus interni, & externi simul, in paralysi verò solùm tactus, & motus; licet aliquando in perniciosa paralysi etiam interiorum potentiarum eluceat affectus.

Erit itaque paralysis, seu resolutio, sensus, & motus priuatio, non quidem vniuersalis, sed partis alicuius, vnius, aut plurium, seruatis tamen vt plurimum internis sensorijs. In stupore verò, seu torpore qui pars est, vel præludium huius mali, vel vt Galeno placet, leuis quædam paralysis, motu leuiter læso, sensus non amittitur, sed debilitatur, cùm nil aliud sit, quàm difficultas quædam sentiendi, siue tactus diminutus propter tactoriæ facultatis imbecillitatem. Cuius etiam naturæ tremor est, nimirum motus voluntarius imminutus propter facultatis imbecillitatem: sed stuporem duobus modis contingere scimus: vno cùm laborans obscurè, & obtusè sentit, alter verò cùm diminutè etiam, & cum hoc perperam sentit: sicut eùm stupent brachia, aut crura ex incommodo situ, videntur veluti formicæ per id membrum decurrere. At in paralysi exquisita vtroque priuatur pars ægra, seruatis, vt dictum est, internis sensorijs, quòd vitium non sit in cerebro, sed in neruis ab eo, vel ab spinali medulla exortis. His habitis constituendum est paralysim nil aliud esse quàm tactum, vel motum voluntarium ablatum, propter spiritum animalem ad organa prædictarum functionum non influentem. Quam duplicem arbitramur esse, exquisitam vnam, & reliquam illegitimam, & spuriam: illa quidem est in qua nerui sensum, & motum simul amiserunt: hęc verò in qua motu incolumi sensus aboletur, aut è contra, & finitima est legitimæ: nam paralysis propriè potiùs est motus quàm tactus affectio. Est igitur symptoma conuulsioni omnino contrarium: quòd in hac partes in latitudinem agantur, in paralysi verò in longitudinem, quia & causa, & morbus, sicut symptoma, diuersa admodum existant. Neque nos turbare debet Pauli locus, quo statuit resolutas partes, vel

A contelli, vel laxari, idque vel à repletione, vel ab inanitione fieri. Cui etiam subscribere videtur Aetius libro 6. capite 3. caninam conuulsionem, mandibularum musculorum resolutionem appellans. Nam vel licentiosiùs videntur loqui, vel generaliùs vtuntur nomine resolutionis pro omni motus priuatione, siue fit per conuulsionem, siue per paralysim: quoniam si quis eorum affectuum naturam exactè inuestigare studeat, reperiet neque paralysim, & prædictam conuulsionem eundem posse esse affectum, neque vnam eandemque eorum causam, neque eundem efficiendi modum, neque conuulsionem paralysi superuenire posse, item neque resolutionem particulis contractis accidere, nisi eam pro arctiori neruorum positu

B describas, idque non eorum longitudini, sed latitudini referendum erit: nisi cùm ex luxatis fractisve spinæ nonnullis vertebris, aut ossibus alijs, aut denique eisdem neruis diuisis, paralysis suboriatur: tunc quidē præcipuè nonnulla in latitudinem membrorum subsequitur coarctatio. Cuius doctrinæ gratia, non omnino contemnenda est Cęlij Aureliani sententia hoc eodem capite, qua parte duplicem magni momenti constituit resolutionis differentiam: nam altera (inquit) fit conductione (vt verbo eius vtar) altera verò extensione: conductione fieri paralysim veteres illi Empirici arbitrabantur, cùm membrum contrahitur in his, in quibus neruis transuersis omnino præcisis, post vulnus cicatrice dura, & magna obductum,

C membrum resoluitur, & sic contrahitur, vt non extēdi possit: fit quidem extensione, cum laxatis neruis membrum sensu, ac motu priuatum, flaccidum, languidum, extensum protenditur, aut trahitur: & subdit idem author, crus paralysi vitiatum conductione fieri breuius, extensione verò longius, vt luxationem factam quidam putent. Præterea idem author non longè à capitis principio, per paralysim ex conductione pari pensu intelligit amissum membri sensum, ac motum alimenti defectu, hoc est, per atrophiam, quo malo iam plures affectos vidimus: nam cùm ad sensum, & motum pars requiratur calore, & optima carnis, & alimenti copia prædita, & hæc omnia in atrophia deficiunt, ex nerui corrugatione, & prolapsione,

D proculdubio sensu, ac motu priuari contingit. Quam tamen diuisionem præter id quod vtilem censeam, arbitror tamen sapere quodammodo eorum opinionem, qui morbos omnes astrictos, aut laxos statuebant. Sed nos clarioris doctrinæ gratia, hunc affectum diuidimus, in paralysim per propriam partis læsæ passionem, & in paralysim per consensum: nam iuxta hanc diuisionem arbitramur longissimis interuallis dissidere.

Ex quo constabit symptoma in hoc malo esse de genere abolitarum actionum sensibilium exteriorū, sed maximè motiuarum, in vna, aut pluribus corporis particulis. Prodit tamen prædictum symptoma à morbo neruis, aut spinali medullæ proprio: qui sa-

E nè vnus non est, cùm plerunque ad intemperamentum prædictarum partium reduci possit, nonnunquā ad coarctationem neruorum, & eiusdem spinalis medullæ: frequenter tamen ad obstructionis certum quendam modum in neruis, & medulla spinali (vt paulò inferiùs latiùs sum monstraturus) & aliquando ad neruum scissum.

His affectionibus addere oportet stuporem, & tremorem: quippe hic motus est diminutus (quamuis à Gal. considerante vniuersum modum motus, compositum ex impotentia facultatis, & grauitate membri, motus præter naturā appellatus fuerat) quia vt paralysis ab ablata fit facultate, hic verò à diminuta, q̄ pondus corporis, aut membri sibi consuetū, & commissum, vt solet, non mouet, sed minutum, & interci sum efficit motum. At stupor diminuta quoque sensatio est: sed de tremore, hæc satis sint quòd plura

dictu-

dicturus sim cap. de cordis tremore & palpitatione, & cap. de conuulsione. Quibus præmissis, vt constet qualis sit in paralysi morbi natura, sciendum est, idem omnino accidere prædictis partibus, dum hoc affectu premuntur, ac aeri quem habitamus & respiramus, à nebula vel crassa aliqua substantia, quæ solis beneficio animalia in aere degentia omnino priuetur. Certum quidem est, licet sol à nebula vel nubibus aliquid non patiatur, nos tamen hac occasione eius lumine & calore priuari. Sic omnino partes nostri corporis dum neruus aliquis caliginoso aliquo spiritu aut crasso humore imbuitur, beneficio animalis potentiæ destituuntur, & sic particulæ sensu & motu orbantur. Et simili ratione, cùm nerui origo vbi fertur aliquod esse foraminis vestigium obstruitur, tunc illustratione priuatur, haud secus quàm dum neruus ipse à re aliqua adhærente comprimitur vel ex toto discinditur. Itaque non vna est vt diximus in hoc affectu morbi ratio, sed ad quatuor necessariò reducenda venit, nimirum ad obstructionem, ad intemperamentum simplex, aut cum affluxu materiæ, ad compressionem nerui, & ad eius scissionem. Obstructionem autem in solo nerui principio, qua parte perforatione insignitur, fieri est arbitrandum: & ob id hæc paralysis conditio & sors verè per consensum appellatur, vt Galen. statuit lib. 1. de loc. affect. qui separatum à digitis præsidiũ dorso adhibẽs, laborantem sanitati restituit. Alter verò morbus solis neruis & ea parte eorum adest, qua & paralysis. Quod sanè contingit aut quia à vasis frigido humore inundantibus refrigerantur nerui, & spiritu influenti destituuntur, aut quia in ipsis neruis viget mali causa: nam aliquando neruus obtenebratur caliginoso halitu, nonnũquam laxior & mollior efficitur humore ibidem imbibito, ita vt neq; neruus motui sit aptus, quia id opus siccitate exequitur, neque rursus illustratio liberè fieri possit. Nonnunquam verò ex toto scinditur neruus: quo fit, vt vel illustratio ob continui separationem euanescat, neq; si eam possit continere, cogere neruus partem possit, adhuc sanitate restituta, quia ob cicatricem conductionem patitur & paralysim, sic ab Aureliano ex hac causa appellatam: & ob id paralysi affectas partes extensas comperimus, immobiles & conductas aut stabiles. Præterea fit ex compressione, vel nerui vel cerebri: oritur quippe hæc resolutionis sors secto aut rupto neruorum principio, inchoato sphacelismo cerebri, aut intercepto facultatis commeatu & coarctatis neruis, qui ad inferiores partes veniunt, à sanie, sanguine effuso, osse depresso, vel tumore aliquo. Quod etiam malum fieri potest in quouis nerui corpore aut exortu, vt in luxationibus vertebrarum dorsi comperimus, vbi etiam plures alij morbi reperiuntur. Quæ sanè omnium morborum genera, aut in parte consistunt resoluta, aut in toto nerui processu, aut in eius parte aliqua, aut in origine solùm, aut in ipso cerebro, aut in medullæ principio. Ex quibus iam constare arbitror, qualis affectio sit paralysis, quasque sortiatur differentias. Quibus tamen modis hæc affectio fiat, nunc perdiscendum est: nam sicut obstructione in substantia & cauitatibus cerebri, qua parte spiritus ad neruos deferuntur, apoplexiam propriè dictam fieri dictum est: sic in principio dorsalis vniuersalem partium subiectarum paralysim succrescere, aut in alterutro foramine vel alterutra parte hemiplegiam dextri aut sinistri lateris.

Verùm quia frequentiùs hæc affectio extremis, intimis, ac extimis corporis partibus, per consensum potiùs quàm essentialiter accidit, & quia vera curandi ratio consulit mandanti membro primò esse subueniendum, ob id profectò statui priùs discerne-

A re, cui parti in spina præsidia adhibenda sint in cuiusuis particulæ paralysi: sic vt licet à cerebro omnis sensus & motus oriatur, non quidem omnibus particulis à quouis neruo, sed singulis à certo & determinato & qui peculiari in loco originem sortitur. Constat enim aliquando dimidium corpus oblædi, dextrum nimirum, vel sinistrum, linea ipsum per medium quasi diuidente: nonnunquam crura ambo resoluta sunt, nunc vnum; sic & brachia: aliquando faciei partium aliqua, vt maxillarum musculi, nunc lingua sola afficitur, aut oculorum alter, nunc quidem sensus auditus perijt, vel olfactus. Fit etiam aliquando vt motus pereat illæso sensu, nonnunquam è contra euenit, sæpe tamen vterque vnà perit. Quæ sanè

B mala cùm aliquando ex vitio partis ipsius quæ sensu & motu caret, prodeant, vt in vehementi frigore aut gangrena conspicimus: aliquando verò ex consensu originis: ob id à quo loco quæuis prædictarum partium hoc fruatur beneficio, expendendum duxi. Sic profectò siue in neruo ipso, siue in eius exortu morbosa sit affectio, pars quæ ab eodem gubernatur, sensu & motu orbatur protinus. Sic cùm respiratio superstes euadit, cæteris particulis affectis aut aliqua earũ, signum est, à collo infra & in ipso affectum esse: nam dum initium spinalis medullæ occupat obstructio, solæ capitis partes et sentire & moueri possunt: est enim hæc acutissima paralysis, vt quæ respirationem etiam oblædat. Cùm verò laborantes voce orbantur, voca

C les neruos affici constat, eosque oriri per quartam vertebram; sicut in defectu respirationis, eos qui ab alijs ceruicis & spinæ partibus prodeunt. Si tamen oculi resolutionem patiantur, eos qui à secunda coniugatione è caluaria emergunt affici est certum: sicut dũ palpebræ collabuntur, eos qui à tertia per foramen ossis orbitæ transeunt. Sic labra resoluta attestantur latum musculum pati, contextum quidem è ramis primarum vertebrarum & tertiæ coniugationis: lingua verò quæ balbutit, in his qui ab apoplexia emergunt & alijs qui hoc affectu corripiuntur, læsos esse neruos à tertia & septima coniugatione in ipsam perreptantes. At resoluta omnino manu, neruos à principio

D ceruicis vel quintæ vertebræ resolui est compertum: in quo sanè affectu aliquando in quibusdam brachij partibus sensus quidem adseruatur ob neruos septimæ aut octauæ vertebræ, sed cùm hi læduntur, thorax etiam coafficitur. Sic in resolutione parui digiti & media parte annularis, afficitur neruus in cauitate cubiti, licet à ceruice principium etiam sortiatur: in alijs verò tribus, cæteris illæsis, vulnerata est spinalis medulla. Crura verò cùm resoluuntur aut pedes, in vertebris lumborum & iuxta inguina affectionem esse monstrant. Pari quoque pensu in vesica, ano, & pudendo, resolutio certum quoddam habet mali principium iuxta prædictas partes: sic dum descendit rectum intestinũ, musculos suspendentes ma-

E lè esse affectos constat, quos esse in ipsius lateribus ex dissectione comperimus. Verùm si alui excrementa retineri non possunt, sphincter resolui apparet: in resolutione verò musculi vesicæ, & cùm pudendum erigi non potest, nerui ab osse sacro vesicæ inserti ac pudendo proculdubio afficiuntur.

Quibus suppositis, statuendum est, spinalem medullam vnam esse & non bifidam (vt statuerat Auicen.) à summa vertebra vsque ad infimam (quippe in hoc munere est quasi cerebri vicaria, & cerebrum vnum factum, in cerebellum degenerat iuxta spinam) & à cerebro suscepta re facultatem, quam per exortus neruorum singulis partibus impartitur. Cùm hoc tamen non se habet in hoc opere promiscuè, sed dextra eius pars neruis in dextram partem distributis mandat, & sinistra in sinistram (quo autem modo id fiat, paulò inferiùs leges) quo facilè e-

ris cuique colligere, dum affecta est aliqua corporis pars, reliqua illæsa, quam habeat peculiarem causam, & originem. Nam semper affectus, siue sit obstructio siue compressio, siue incisio, aut intemperamentum simplex cum humore, primum in vno consistit loco, ab eo autem infra reliquæ partes eius consensu læduntur. Erit igitur, vel integra paralysis, aut spuria, vel torpor, aut stupor, prout in quauis prædictarum partium spirituum transitus omnino, aut ex parte intercisus, compressus, aut obstructus fuerit.

Causæ. Qui huius mali causas inuestigare studuerit, expendat in duo genera eas omnes posse facilè reduci: nimirum in facultatum vitium, vel in læsionem instrumentorum motui, & sensui seruientium: facultatis enim vitio fit paralysis, cum ipsamet deficit, aut infirma est in ipso principio, & fonte: quia adeo exsistit languida, & pusilla, vt reliquis partibus vim suam, & efficaciam impartiri nequeat, vt euidenter comperimus in grauissimis, & diuturnis morbis dũ inclinãt. Interdum etiam ipsa facultas aliquo afflicta incõmodo, colligit se, & retractis spiritibus, orbatas sensu, & motu reddit partes, vt quando ex casu insigni cerebrũ commotum est, vt statuerat Gal. 7. apho. 58. At refertur causa in instrumentum, cùm vitium aliquod in medulla spinæ, aut in neruo, vel proprio ipsius, vel alterius consensu contractum est, quo omnino, aut aliquo modo intercipitur transitus spirituum, vitiantur verò instrumenta obstructione, intemperie, compressione, & diuisione. Quo fit vt causæ paralyseos sint hę omnes quæ obstruere, vel obumbrare possunt paruũ illud neruorum foramen, aut nerui ipsius substãtiam crassorum humorũ copia, siue pituita sit, siue admixta existat melancholia, vel à tuberculo, aut quouis alio tumore caput nerui obturante, si id accidat. Ex intemperamento prodit, quia densior fit nerui substãtia, vt ab impensa frigiditate neruum condensante, vel à pituitoso succo, sed fluxili, aut forsan bili permixto, quo faciliùs in nerui substantiam sese inserat pituitosus humor. Item prodit à nebuloso, seu caliginoso halitu eandem nerui substantiam obtenebrante, atque densante, vt apertè videtur ex Hipp. constare lib. de flatibus dicente, Quòd verò stupor, attonitus, vel sideratio à flatibus fiat, hoc est vapore, deinceps demonstrabo: cum ergo flatus multi frigidi penetrent, ac inflent carnes, partes corporis, stupidæ insensibiles fiunt: & siquidem plurimi flatus per vniuersum corpus discurrant, totus homo sideratur, si verò per partem, partem illam siderant, & percutiunt, atque vbi abierint flatus, cessat & morbus: quamdiu autem permanserint, consistit. Quæ vitia plerunque ebrijs, aut crapulis deditis hominibus accidisse cõperimus, quos correptos aliqua prædictarum affectione, leuiter & citra aliquod auxilium sanitati restitutos vidimus. Quę sanè mala solent neruo accidere, non solum à frigore vt dictum est ob externum aerem, sed à frigidis medicamentis, & alimentis etiam crassioribus, & frigidioribus, ita vt præ nimia copia prædictorum, vasa vicina neruos afficiant. Compressionem autem efficit externa causa, vt si à duriori aliquo corpore, aut instrumento premarur exteriùs neruus, aut si laqueis, & vinculis, aut totum membrum, vel neruus cum detegitur intercipiatur, & astringatur: quod etiam cõtingere scimus, dum interna aliqua particula scirrho, aut inflammatione corripitur, quæ in tumorem elata vicinum membrum comprimat. Idem etiam contingit ex luxatione vertebrarum, vel cuiuluis articuli à sua sede excidentis, osse occupante spatium nerui, cõprimenteque ipsum. Quæ verò sint causæ, quæ neruum diuidere possint, omnibus in conspicuo est. Fit etiam paralysis ex mutatione alterius affectus in neruum ipsum, vt in colicis doloribus, ac ingentibus intestinorum cruciatibus. Quod sanè non est arbitrandum fieri, quòd pituita ab intestinis illuc migrare posse, vt plerique authorum arbitrantur, sed solùm huiusmodi mutatio fit in eo dolore qui prodit ex defluente pituita ad intestina per venosum genus. Quippe eo tempore facilis erit commeatus à venis in nerueam substantiam, vt latiùs disputatum reperies capite de dolore colico. Denique vt summa quadam complectar prædictas causas, existimandum est, eam posse hunc affectum excitare, quæ vtcunque neruos obstruere, cõtundere, comprimere, emollire, atq; intemperare potest: sic profectò ictus, casus, contusio, somnus in loco palustri, & humido, vel in spelunca, aut in domo recenter gypso polita, & vbi lunæ radius infigatur: itẽ exercitium à cibo, vel somnus aliquantulum morosus. At continentem causam arbitramur esse humorem, aut crassum sanguinem, vel nimis dilutum, vt vias spirituũ intercipiat, vel ex humiditate extinguat, aut neruos molliendo dissoluat, quod rariùs accidit, nisi dũ copiosior existit, sicut & caliginosus halitus. Nec arbitrandum est melancholicum succum id malum non posse efficere: quippe aliquando ex eo ortum duxisse visum est, vt ostendit intensa, & insolita vigilia, præsertim cùm in cerebro malum principium habet: siquidem certissimum est à pituitoso, aut seroso succo potiùs somnum induci quàm vigiliam: quod sanè ad curationem nouisse, magni est momenti, vt Trallianus aduertit ca. proprio. Pari censu æstimanda est luxatio vertebræ, aut membri alicuius dislocatio: cæterùm luxatio ad latera futura est, nam si intrò, aut extra prosiliat vertebra, non quidem priuat sensu, aut motu partes infra luxationem.

Signis autem non affectum, sed affectus differentias, & causas venari hac in parte instituo: quippe affectio notissima est, vtpotè in qua seruatis potentijs interioribus, tactus, & motus pereunt. *Signa.* Sic enim primò distingues, sit ne affectus per consensum, an per primogeneam membri affectionem: hoc autem ostendit membri ipsius passi externa causa, quæ in ipsum membrum suam vim impressit: præterquam quòd peculiaris in ipso, & conspicuus apparet defluxus, colore, tumore, ac mollitie manifestus, quo tempore pulsus est paruus, tardus, rarus, debilis, & mollis, cum vrina cruda, alba, & crassa, aut alba, & perspicua. Quòd si nullo horum existente, & membro sano apparente, mouere se, aut sentire nequiuerit, tunc quidem aliundè sibi illatum fuisse malum conijcito. Quo sanè cognito, specialiùs ad causæ cognitionem deuenies, studens primò nosse, an vitium consistat in partis intemperamento (quod prçter id quòd ad essentiale partis vitium pertinet, magni est momenti ad curationem nouisse) idque ostendit membrum ipsum tactu frigidum, & quauis leui frigiditate offensum: quod etiam attestantur externæ causæ, vt exterorum frigus quod præcessit, frigida medicamenta, & vsus frigidorum ciborum. Quam quoque notitiam præstant humores corpus inundantes, maximè pituitosi, & crudi, præsertim in cerebro existentes, ac delabentes ad membra cum tremore, aut torpore, & conspicua frigiditate. Obstructionem verò huic malo causam præstare, ostendunt subitus euentus post insolatum, vini potionem, aut febrem paruam, maximè pituitosam, aut per defluxum factam: in qua causa sicut in compressione neruosarum partium pulsus parum à sanis immutantur, aut febriles differentias præseferunt. Cui accedit priuatio signorum reliquarum causarum, quæ compressionem, aut coarctationẽ in neruo, medulla, aut cerebro natæ sunt efficere, sicut neq; plaga, ictus, tumor, aut luxatio: nam cùm ab his, vel à solutione continui prouenit, euidentior causa est, quã quòd signis opus habeat. Caliginosum enim & crassum halitum causam esse monstrat, non omnimoda motus, & sensus priuatio.

Peri-

Præsagiũ

Periculosissimus plerunque est, aut saltem ex eo laborantes non curantur, vel tardissimè, is affectus in senibus, vtpotè in quibus frigidæ affectiones nunquã maturantur, vt de raucedine, & grauedine dixerat Hippocr. Sed omni ætati periculosa existit ea paralysis, quæ vel potentias interiores lædit simul cum membro resoluto, vel saltem respirationem vitiat. Item grauissima est, & diuturna, quæ ex luxatione fit, ni citò præueniatur, ante quidem quàm vel tumor fiat, aut humor durior in cauitate ossium factus coalescat, & connaturalis fiat. Sic salubrem eam paralysim iudicamus, quæ neque respirationem, neque potẽtias interiores vitiat, & etiam in qua resoluta membra non admodum extenuantur: significat quidem calorem non plurimum (ob quietem, & immobilitatem membri, vt refert Hippoc. 6. popu. & 2. de fracturis) extinctum esse, sed adhuc adeo vigere, vt concoquat, & assimilet: sic & salubris censenda est, cui præsidia aliquid prodesse conspicimus.

Primum dubium.

Sed antequam auxiliares manus huic affectioni adhibeam, enodare studui difficilia quædam, quæ in huius essentia, caussis, & curatione sese solent offerre. Plerisque dubitatum est, an à melancholia, vel bile paralysim fieri contingat, cùm illa sicciores, bilis verò calidiores reddat neruos ipsos: ita vt siccandi, ac mordendi conuulsionemque efficiendi vires habeat potius, quàm resolutionem. Cùm hoc tamen censemus, melancholiam humori pituitoso aliquando admisceri, & longè grauiorem paralysim efficere ob humoris duritiẽ, & renitentiam: sic de flaua bile sentiendum est, quæ caussam huic malo præstare potest, non quidem materialem, sed motiuam, & quæ humores pituitosos fundendo in neruos deuehat. Itaq; quo magis melancholia remoratur pituitæ subingressum in nerui substantiam, ita etiam difficiliorem parit eiusdem resolutionem, & ad natiuum statum regressum: & pari ratione, quo bilis citatiorem reddit ad motũ pituitam, ita faciliorem eius discussionem molitur.

Secũdum dubium.

Secundò dubitatur, an resolutionis caussa esse possit carnis intemperamẽtum, ita vt ineptitudo eius caussa sit cur membrum non probè sentiat vt voluit Auicenna? Quòd verò id non sufficiat ad vitium sensus, argumento est febrilis calor, qui plurimum carnẽ intemperat: idem probant hydropicorum mẽbra, quæ plurimum algent, vt ea ratione non possint sentire: cum hoc tamen in neutro apparet sensus, & motus læsio. In qua re censemus nerui solùm intemperamento id posse accidere, dum vias coarctare potens fuerit: nam licet ex vicinia caussarum frigidarum torpor subsequatur (vt antea dictum est) potiùs id fieri arbitror ex compressione, aut coarctatione figuram, & vias vitiante, quam ex intemperie neruis præstita.

Tertium dubium.

Tertiò dubitatur, vtrum deperdito sensu, motus seruari possit, aut è contra, licet non videatur par ratio. In qua re posthabitis aliorum sententijs, distinguendum est, an dubitatio intelligenda sit de sensu, & motu per eundem neruum transmissis, nam dum fit per diuersos, nulli dubium est apertè posse fieri. Verùm vt intelligatur qua lege hæc diuersitas fiat in eodem neruo, expendendum est, per diuersam temperaturam perfici motum in neruis, ac in eisdem sensus perficitur: sensus enim humidioribus fit neruis, motus autem siccioribus. Quo fit, vt dum neruus redditur humidior, ineptior fiat ad motum quàm ad sensum: dum verò siccior euadit, ineptior ad sensum quã ad motum. Ex quo constat, quòd licet neuter excessus alteram actionem iuuare possit, in neruis similibus actionem non admodum sensibiliter lædit, in dissimilibus verò contrariam actionem omnino perdit. Quo etiam fit, vt possit deperdi sensus, mutata temperie nerui qua perficitur, manente ea quæ ad motum necessaria est, licet intensior fiat, nam à similibus minor fit lapsus, quàm à contrarijs.

Quartum dubium.

Dubitatur quartò, qua nam ratione tam religiosè caueat natura alteram corporis partem, altera existẽte læsa. Cuius enodationem facilè disces, si expẽderis in homine, ac reliquis animantibus, plantis etiam, & maximè earum seminibus, singulas partes ita medio densari, & obcalescere, vt commeatus, & commigratio nulla subsit: quod in perinæo eminentia extans facilè indicat. Sed dubitandi ratio est, cur in dorsali cauitate, quoniam vna est eius diuisio, non reperiatur quæ in ventriculis cerebri reperitur: id quod Gal. 8. de vsu partium exactissimè disserit, dubitans quanam ratione alterius lateris resolutio accidat, cùm spinæ medulla vna sit, & nullo septo partita: nam de cæteris partibus, quæ vel binæ sunt, aut velamine disiunctæ, vt nares, oculi, aures, testes, & eiusdem farinæ partes, mirandum non est: de spinali tamen medulla nõ est ita facilè credere, maximè cum Auicenn. arbitretur ipsam septo vt cerebrum diuidi: & cum id sensui per dissectionem latuisset, & euidenter etiam cõstet, cerebrum antequam in medullam desinat, vnum fieri corpus cerebellum appellatum, omni diuisione carens, dubium obscurius apparet. Qua ratione à prædicta sententia desistendum esse sum arbitratus, cum Hipp. 6. popu. parte 2. qui statuerat, cũ abscessus fiant semper per rectum, ita vt affecta dextra cerebri parte in dextram materia decumbat, & sinistra in sinistrã: ita prorsus statuendum esse in apoplexia, cum caussa mali in alterum latus medullaris spinæ magis inclinat, potius ipsum perdere, quia nerui per eam partem exorti obstruuntur læduntur que, cæteris qui è contraria oriuntur illæsis: sicut contingit dum humor adeo est copiosus, quòd omnem spinæ cauitatem impleat, partes vtriusque lateris resolui. Siquidem arbitrandũ est, per vasa quæ sunt in meningibus ipsam medullarem substantiam ambientibus, defluxum fieri. Nam credibile est, humorem proiectum à vasis potiùs obstruere neruos ab eo latere exorientes quòd nullum sit impedimentum, quàm alterius, quòd vt id fiat necessum est humores omnem medullæ substantiam peruadere: quod sanè non contingit nisi dum copiosus est humorum defluxus.

Quintum dubium.

Docet quinta dubitatio, cui laterum frequentiùs resolutio accidat: neque desunt qui leuioribus rationibus moti, dextrum frequentiùs resolui asserant, quòd calidius sit, & magis trahat, & quòd sinistrũ plenum cum existat, ob sui conditionem, & defectũ caloris, necessario à se nitatur pellere, & cum nõ habeat quo nisi in dextrum, ob id ipsum frequentiùs exolui statuunt. Veritas tamen rei est, dextrum robustius esse natura, & caloris naturalis copia, & ea ratione faciliùs à se pellere, si quid illi molestum fuerit, & sinistrũ ob natiuam imbecillitatem, & defectum caloris faciliùs recipere, & ob id frequentiùs affici. Rationes verò contrariæ non egent dilutione, quia leues sunt.

Sextum dubium.

Vltima dubitatio est, vtra resolutio deterior sit, dextra ne an sinistra? cui sine argumentis dicimus, sinistram minus periculosam, quia proportionalis est sinistro lateri, vtpote frigidiori: quam etiam arbitramur esse diuturniorem ob lateris frigus, & natiuam imbecillitatem, dextram verò breuiorem, & periculosiorem.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio, & via tot habet necessario partes, quot caussas huiusmodi affectionem obtinere cõpertum fuit: quamobrem, indicatione sumpta ab vnaquaque earum, curationem aggredi studebo. Sic profectò si cognitum fuerit, simplex intemperamentum caussam huic malo attulisse, certum est contrarijs omnino rem agendam fore, ita prorsus dum frigida viget intemperantia, eaque ab externa caussa concitata, purgato leuiter corpore (ne calorificis, si qs humor abundat, licet mali caussa nõ sit, liquatione maiori ad partẽ, maior fiat decubitus) stuphis, balneis calidis, inũctionibus, cucurbitis, & deniq; irrigationibus

ex oleo laurino vel quouis alio calido rem ages. Item his confert oleum è lateribus & aqua vitæ, & ex costo cum aqua sulphurea: maximè si corpus vniuersũ linteo vino calidissimo madido inuoluas, diuq; eum tuearis calorem externis cooperimentis aut pellibus arietinis recenter excoriatis. Verum si ex spirituum resolutione, vt in languidis corporibus, aut ex facultate animali essentialiter læsa ob aliquem cerebri affectũ paralysis oriatur, his quæ caput roborent, spiritus reficiant, & cerebri substantiam ad natiuum temperamentum mutent, vtendum potiùs, quàm resolutione aut vacuatione vel quouis alio ex paralyticis auxilijs.

Prætereà dum ex luxatione vertebræ aut alterius articuli membrum aliquod resoluitur, perdiscere primò oportet, an ad interna corporis & eius cauitatem luxatio sit; quippe hæc rarò aut nunquam curationẽ admittit, eamque solùm auulsione cutis supra luxatã vertebram & picatis medicamentis, quæ postea dum euelluntur, secum efferant luxatam vertebram. Cum hoc tamen existimandum est, non fieri omnino paralyticum corpus, dum intrò vergit vertebra, & longè minus dum extra prosilit: sed in eius curatione prę cauere omni diligentia inflamationem oportet, sanguine protinus misso, & oleis ac auxilijs anodynis, & quæ modicè repellant, qualia passim apud chirurgos extant, & nos latiùs lib. 2. de recto præsidiorum vsu adduximus. Sedata tamen inflammatione reductioni luxati nisis incumbendum est, & tandem corroborante Vigonis aut alio simili vteris.

Quòd si ex ictu aut casu, vel alia plaga resolutio proficiscatur, eadem est in vniuersalibus vtendũ methodo; quippe sanguis primò mittendus est, iuxta laborantis vires, & casus vel ictus magnitudinem, idque audacter, licet parciùs quàm si percussio citra resolutionem fuisset. Quo facto, fluxio quæ paralysim molitur, inhibenda est his quæ modicè astringant & leuiter calefaciant, vt oleo cyperino, stœchados, nucis cupressi, & myrthino cum modico rosaceo, additis ex eisdem rebus pulueribus, cum rosis & caryophyllis. Verùm si his inflammationem inhibere non possis, iterum sanguinem detrahes, & anodynis vteris, vt lacte cum rosaceo, vel solo rosaceo, aut cũ modico vino; vel chamęmelino oleo cum axungia gallinæ: ac si aliter fieri non possit & suppuratio partis læsæ vrgeat, parti resolutæ adhibebis quæ mox diximus: parti verò inflammatæ emplastrum ex maluis, farina tritici, & pulueribus rosarum, cũ butyro recenti vaccino, ita vt quamcitissimè inflammatio suppuretur, vt subsit reliquæ curationi locus.

Si tamen ex crisi, vt in febribus malignis & quæ copiosum habent humorem, aut in apoplexia, quæ melioris gratia in particularem resolutionem commigrare assolet, affectus suboriatur, primum eius impetum expectare oportet, & naturam permittere operari, minimèque fluxionem eo tempore cobibere: cum Hippocr. dictum sit 2. primi popul. abscessus iuuandos esse: & licet iuuare non sit opus, longè minus est naturæ impetus inhibendus: quod perperam consuluerat Auic. & Matthæus de Gradi: nam per huiusmodi defluxionem se se natura à maiori malo tuetur: qualiter verò curationem aggredi oporteat, mox audies, nam eadem est cum ea, quæ requiritur in reliquis fluxionibus, excepto repellentium vsu.

Verùm si ab impetuoso & subito fluxu, nerui originem obstruente, aut se se in nerui substantiam insinuante eodemque vel à capite vel à toto in aliquod membrum irruente resolutio prodeat, considerandũ primò est, ipsum præpedire repellentibus, per difficile esse & timore plenum: sed satius fore fluxionem auxilijs finire, ne adeò furiosè in membrũ irruat. In quo casu à clysmate vehementi, quod vires habeat leuioris purgationis, vel à pharmaco leui incipiendum est: tandem vti oportet vacuationibus, quæ humorem

A minuant, vel sanguine misso, si vires & humorũ idea permiserint. Quibus autem conditionibus id fieri debeat, iã audies, si priùs dixero paralysim duobus modis laborantem inuadere: vno quidem subito & inopinato casu, quod obstructione media fieri est arbitrandum: alio verò paulatim & sensim, vt cùm per imbitionem fluxilis pituitæ in nerueam substantiam fit. Inter quas hæc erit in curatione differentia, quòd illa mox expostulat sanguinis detractionem aut expurgationem iuxta ideam causæ, idque si expedit eadem die: hæc verò lenta, aut venæ sectionem non admittit, vel quàm parcissimam. Quorum auxiliorum vsum & rationem aggrediar, à vitæ & victus institutione sumpto initio.

B *Victus ratio.* Sic profectò, siue hoc siue illo modo corpus resolutio apprehendat, primis diebus victum quamparcissimum porrigere oportet, & mox procedente affectu sensim adaugere, vt vires eius diuturnitati sufficiant. Semper tamen adhibenda sunt in principio quæ leuiter incidant, attenuent, & detergant, posteà verò calefaciant exiccentque, dummodo leuiter corpus priùs purgaueris. Ita quidem sic affectis porrige primo accessu mel rosaceum in prima mensa, & hepar gallinæ, aut oua sorbilia, secunda vel tertia die: posteà verò assas carnes vel elixas cinnamomo, caryophyllis, aut nuce muscata: easque eliges ex montanis, vel ex domesticis, quæ milio aut furfure nutriantur. In prima mensa passulis vteris, vel amygdalis tostis: in

C vltima verò cinnamomo, aut anisio tosto vel saccharo condito, aut drageta ex corticibus citri, vel ligno aloe confecta. Fugiãt sic affecti grana pini (licet multi commendent) quòd oleosa sint & pinguia, & ob id caput grauantia. Potus sit hydromel, ex decima aquę portione aut paulò plus: aqua autẽ sit decocta cephalicis medicamẽtis, vt melissa, stœchade, saluia, maiorana, caryophyllis, vel sarsa parilla, china, aut ligno guayaco, si plurimum necessitas vrgeat. quòd si aceti aliquid aut acetosi miscueris, non erit abs re: maximè si crassam materiam subesse compereris. Sed præstat non parum, oxymelitis modicũ cum decocto guayaci, radicis chinæ, vel sarsæ parillæ admiscere, aut ex prædicto decocto hydromel conficere: sed maioris

D momenti est vasa potui apta sulphure interiùs linire, ibidemque diu potum permittere immorari, quo virtutem sulphuris consequatur. Denique omni arte attenuandum, calefaciendum & exiccandum est, nõ solùm in quibusuis cibis & potibus, sed in pane ipso, quem oportet esse bis coctum, confectumq; cum aniso, aut melanthio. Item laborans degat in parte sicca & modicè calida; vel eam suffumigijs, quæ caput nõ replcant, talem reddes. Abstineat præterea laborans à vino, nisi vel in declinatione, vel vitruns aut ventriculi gratia, idque sit tenue, oligophoron appellatum, admixtum tamen aliqua ex prædictis aquis. Item à potu aquæ, & à somno maximè meridiano cauendum esse consulit affectus natura, quòd materiam in

E trò agat, & cerebrum humoribus oppelat: nocturnus tamen non excedat quinque aut sex horas: solium habitet laborans lucidum, aut ad regionem calidam & siccam confugiat, curetque vitare omnia animi pathemata, & omni arte cruditatem studeat subterfugere.

Sanguinis detractio. Vitæ ratione sic instituta, primo medici accessu considerandum est, triplicem esse in hoc affectu curandi legem: vnam quæ vagantem corporis humorem auferat: alteram quæ quod obstruit aut imbibitum est, & in neruis affectis continetur, insensibiliter discuriat aut extergat: tertiam verò & vltimam, quæ robur membro affecto conciliare doceat. Circa primam igitur, ante omne auxilium clysmate vtendum est, quod cruda recrementa auferat, vt sanguinis detractioni si opus fuerit, locus subsit, aut leui quodam pharmaco, maximè si à crapula affectum prouenisse

com-

comperiamus: clysteria autem sint quæ capite præcedenti adduximus. Protinus autem considerabis, liceat ne primò sanguinem mittere, an prius vti expurganti medicamento: cuius rei occasione expendendum est, an membrum resolutum imbibitione an obstructione resoluatur, vel nimia sanguinis crudi vbertate. Nam vbi mucidum est, & humore imbibito infirmum, nullo sanguine misso, corpus purgabis, & membrum affectum exiccatione ad antiquum statũ reduces. Verùm si obstructione afficiatur, sanguinẽ quidem mittes, sed parciùs, quantum videlicet, impetum humorum, vt aliò auertas, sufficit, & vt purgationi, ac topicis auxilijs sit locus. At si venosum genus sanguine crudo abundet, liberaliùs sanguinem detrahes, & audaciùs purgabis, & longè minus partem affectam medicamentis irritabis. Verum si omnino pituitosus sit affectus, & corpus crudius, ac sine febre, abstinendum est à sanguinis detractione, nisi corpus fuerit admodum iuuenile, aut fœmineum cui menstrua defecere, vel tempus fuerit veri proximum, aut corpus robustum, & cui vacuatio aliqua sanguinolenta suppressa fuit. Vnum tamen hoc memoria tenendum est præceptum (etiamsi causa id expostulet) ne sanguinis plurimum extrahas, & confertim: satius enim est, vacuationes partiri (nisi to percussis, & in his qui ab alto ceciderunt, aut quibus hæmorrhoides suppressæ fuere) quàm Rasis consilium exequi, qui ad tres vsque libras iubet sanguinem fundere, ad amotionem causæ coniunctæ: maior enim ex hoc profectò sequeretur refrigeratio, & maior oblæsio. Itaque prout mali causa magis minusve accesserit ad sanguinis naturam, & copiam, eo audaciùs, prudentiùs tamen licebit copiam sanguinis demere: item prout sobriè vixerit: nam qui sobrius fuit, & in hunc prolapsus est affectum, sanguinis detractionem, & expurgationem expostulat, sed parciùs, ac primò facta ex cephalica, vt cum minori sanguinis dispendio, plus ex affecto loco extrahatur. Religiosi enim homines cũ hoc affectu corripiuntur, potius ex defectu resolutionis excrementorum, & ex praua coctione ob vigiliam, & reliquum vitæ institutum, sanguine crudo abundant, quàm alimenti crudi copia, & ingluuie: & ob id primò, sed cautè sanguis est mittendus, saltem vt purgationi humoris crudi subsit locus.

Purgatio Quo facto, protinus, vel sequenti die, vniuersum corpus phlegmagogis medicamentis purgare oportet: primò si affectio sit ex his quæ paulatinè ingruũt, medicamentum adhibebis leue, quale est *hiera Galeni cum agarico anà ʒ. 1. additis castorij gr. 3.* Verùm si ex his sit, quæ subitò & affatim fiunt, vel præmissa fuerit prædicta purgatio, tunc ad maiora medicamenta tutò deuenire conceditur. Huius naturæ est turpetũ, agaricus in maiori dosi, pilulæ de agarico, Indæ, alephanginæ, assaieret, fœtidæ, & cochiæ. Mirabilem etiam præstant vsum aliæ q. ℞. *agarici trochiscati ʒ. 2. turpeti ʒ. 1. salis gemmæ, zingiberis, anà ℈. 1. diacolocynthidos ʒ. 1. fiat massa, cuius ʒ. 1. porrigi potest.* Præstat & in robustioribus medicamentum q. ℞. *hieræ diacolocynthidos ʒ. 1. mastichis, bdellij, anà gr. 12. nucis muscatæ gr. 8. cum syrupo ex 9. infusionibus fiant boli.* In forma autem potabili porriges aliquod ex prædictis pharmacis dissolutum in decocto polypodij, seminis apij, & anisi, saluiæ, & maioranæ, vel addito electuario Indo cum syrupo ex infusionibus. Purgato his quæ diximus mediocriter corpore, ac præpedito mali augmento, leniùs deinceps progrediendum est præparata iterum materia ad vlteriorem euacuationem melle rosaceo, oxymelite simpl. syrupo de prassio, de hyssopo, de mentha, de stœchade, cum decocto melissæ, addito modico syrupi de squilla, & aquis iuæ arteticæ, radicis chinæ, sarsæ parillæ, & alijs huius census, quæ corpus, & humorem præparent ad maiorem purgationem. Post quam tamen plures alias moliri A oportet bis, semel ve in hebdomada exhibito medicamento quod virtutem habeat paulatim expurgandi: cuius naturæ est diacarthamum, agaricus, hiera simplex Galeni cum agarico, vel infusio foliorum senæ cum modico oxymelitis simpl. Sed vtiliores sunt huic vsui *pilulæ cochiæ*, Rasis, q. ℞. *hieræ picræ ʒ. 2. interioris colocynthidis ℈. 1. diagridij gr. 6. turpeti, stœchados, anà ʒ. ß. cum succo fœniculi fiant pilulæ, quarum bis in hebdomada vnam porriges quindecim granorum.* Quòd si minus agere velis, aliquam ex vulgatibus adhibebis, veluti est alephangina, arabica, vel ea quæ cõficitur *ex hiera Galeni, & agarico anà ʒ. 1. turpeti ℈. 1, cuius porrigere poteris ʒ. ß. aut ℈. 2.*

Vomitio. His factis, vniuersum etiam corpus (excepta paraB lysi linguæ) per vomitum purgabis, nam cum diuturnior redditur hæc affectio, coniectabile est, ventriculum illi fomentum præstare: ob idque ipsum per vomitum expurgare oportebit: quapropter semel in hebdomada, facta prius rhodomellis præparatione, aqua tepida exhibita ipsum cogere ad vomitum necessum erit.

Interim tamen dum hæc adhibemus, secundam indicationem exequi oportet, quæ docet discutere per insensilem halitum id quod adhuc in parte affecta continetur. In quo opere exequendo considerare iterum oportet, an ex obstructione dorsi paralysis oriatur, vel solum per irrigationem nerui fiat: nam si illud primum sit, frustra parti resolutæ auxilia adhibe-C mus: quippe satius foret dorso, vtpote parti primo affectæ. Huius autem naturæ sunt auxilia quæ calida existunt, & tenuium partium: ob idque oleo calenti, sed temperie non ita calida principio partes resolutæ fouendæ sunt, vt chamæmelino, anethino, iasminorum, de lilio, de nucibus, maioranæ, roris marini, raphani, ricini, laurini, vel de vulpe, de hyperico, de styrace, de galbano, de costo, de cucumere asinino, de sinapi, de pipere, de euphorbio, de pyrethro, & alijs eiusdem naturæ: quibus à leuiori facto exordio, cum flocco lanæ pars fouenda est, vt excitato calore vis naturæ quoque elucescat, materiæque cruditas, & diuturnities vincatur (non tamen renuo membrum quod per consensum patitur; calidioribus ex his fouere: nã D defectu motus consueti, sæpè membri alimentum ita recrudescit, & abundat, vt discussione, & coctione etiam indigeat, alioqui fiet etiam affectio in membro per essentiam) neque erit abs re anteà partem abluere aqua vitæ, aut vino feruefacto herbis, & seminibus nuper dictis. Quòd si velis inunctionem parare, ℞. *olei iasminorum lib. 1. aquæ saluiæ, aut succi iuæ, vel vini in quo iua incoxerit ℥. 3. castorei, aut piperis, aut galbani ℥. 1. fiat decoctio ad aquæ, vini, aut succi consumptionem, postea facta vehementi expressione, oleo vtere.* Præstat etiam antiquissimum oleum, vel in quo squilla incocta sit. Aliud item conficies, q. ℞. *terebinthinæ lib. 2. laterum recentium oleo de iasminis extinctorum, mastichis, & styracis anà ℥. 1. belzoini lib. ß. fiat* E *instillatio in alembico vitreo, & fluent tres liquores, quorum tertius est pretiosissimus.* Valet & oleum balsami, vel stillatitium aliud, q. ℞. *thuris, mastichis, anà ℥. 2. ligni aloes ℥. 1. caryophyllorum, galangæ, cinnamomi, zedoariæ, nucis muscatæ, cubebarum, anà ʒ. 3. myrrhæ, aloes, ladani, sarcocollæ, castorij, anà ℥. ß. baccarum lauri, nucleorum pini, anà ʒ. 6. ireos, aristolochiæ rotundæ, dictamni, consolidæ maioris, anà ℥. 2. succi herbæ paralysis ℥. 5. terebinthinæ abietis ℥. 4. radicis valerianæ, angelicæ, acori, asari, cyperi, calami aromatici, anà ʒ. 2. florum lauendulæ ℥. 4. nucis vnguentariæ lib. ß. contundantur omnia, quo melius misceri possint, ponanturque in alembico, & destillabit primò aqua, deinde oleosum quid, tandem veluti mel, & omnia sunt probatissimi vsus.* Est & aliud vnguentum q. ℞. *vnguenti de bdellio ʒ. 3. liquefiat in duplici vase cum oleo de terebinthina, & de squilla anà ℥. 3. & vtere.*

Item

Item ex assata vulpe aut decocta, plena tamen betonica, saluia, calendula, iua artetica, primula veris, & rore marino, pinguedo eliciatur, quæ per se aut alijs vnguentis admixta, maximi est momenti. Benefacit etiam vnguentum, q. ℞. *olei vulpini & laurini anà. ℥. 2. ß. pinguedinis vrsi. ℥. 1. sagapeni, opopanacis anà. ʒ. 2. vnguenti marciati. ℥. 1. ceræ quod sufficiat vt fiat vnguentum.* Eiusdem naturæ est idem vnguentum marciaton & agrippæ cum aqua vitæ & succo saluiæ. Curabis tamen vt ab omni inunctione in pellibus vulpinis aut agni pars iuxta ignem inuoluatur: pellis autem sit suffumigata aut aspersa pulueribus thuris, mastichis, caryophyllorum, cinnamomi, ligni aloes, seminis angelicæ, nucis muscatæ, cyperi, & saluiæ.

Sed experimento multorum probatum est, resolutis partibus prodesse id præsidium, q. ℞. *vini rubri lib. 1. olei lumbricorum lib. 2. aquæ vitæ ℥. 2. cornu cerui spongiosi. ℥. 3. pulueris chamæmeli ℥. 1. salis ℥. ß. mastichis ʒ. 6. bulliant omnia in duplici vase ad vini consumptionem:* præstat autem ad robur & firmitudinem conciliandam, maximè dum morbus inclinare cœperit.

Cuius consimilem vsum præstat aliud quod hac lege fit: *ciconia implumis, sed viua tandiu coquatur dum carnes ab ossibus recedant, in mortario teratur, rursus in oleo coquito, col̃tam sacculo fortiter colato, & adiecta scobe, adde ceræ colophoniæ, sæpi, olei laurini lib. 2. olei mastichini, medullæ cerui, adipis vrsi anà lib. 1. galbani, terebinthinæ anà. ℥. 4. misce omnia & vtere.*

Idem beneficium præstat oleum de cato hac eadem lege confectum, vt de ciconia dictum est. Valet & vnguentum, q. ℞. *radicis acori. ℥. 1. radicis ireos. ℥. 3. chamæpityos, primulæ veris, saluiæ, stœchados anà. m. 1. olei laurini & de lilio anà lib. 1. vini optimi lib. 1. ß. coquantur simul ad vini consumptionem, & postquã efferbuerint, adde cardamomi, calami aromatici, castorij, bdellij, anà. ʒ. 1. facta forti expressione, adde ceræ & mellis modicum.*

Verùm si affectio vltra progrediatur, & quæ huc usque diximus parum prodesse videantur, vngenda tota spina est, sed maximè ea pars à qua neruos resolutæ partis oriri compertum sit. Primò quidem leuioribus, vt oleo chamæmeli, liliorum, irino, laurino, de angelica, balsamo, de vulpe, de cato, de terebinthina, de belzoino, de squilla, de castore, vel oleo dulci vetustissimo addito modico ambræ grisiæ, vel admixtis aliquando pinguedinibus cati, vulpis, taxi, leonis, viperarum & serpentum, aut medullis cum aqua vitæ lotis, admixto succo chamæmeli, saluiæ, rutæ, angelicæ, & similium.

Quòd si hæc prodesse quidem non videantur, ad efficaciora præsidia deueniendum esse consulit reiratio, quemadmodum est illud à Guainerio, cap. de paralysi scriptum, quod refert ab Heremita alchymista acceptum: censeo tamen robustis corporibus fore proficuum. Sed optimum existimatur id, q. ℞. *olei nucis indicæ ℥. 1. de piperibus, & de terebinthina, anà. ℥. 1. & ß. succi saluiæ & rutæ, anà. ℥. 1. castorei. ʒ. 2. piperis longi & pyrethri, anà. ʒ. ß. sagapeni, opopanacis, bdellij, anà. ʒ. 1. pinguedinis taxi ʒ. 6. pinguedinis viperæ. ʒ. 1. & ß. fiat vnguentum.*

Sed inter alia auxilia mirè prodesse fertur oleum de sulphure, de thymo, de ligno guayaco cum squilla, aut solum. Item aqua stillatitia, quæ incredibilis est efficaciæ in materiæ resolutione & caloris euocatione, ℞ *asæ fœtidæ, ammoniaci, bdellij, euphorbij, castorij, cardamomi, anà. ʒ. 2. belzoini, gummi elemi, terebinthinæ & mastichis anà. ℥. ß. baccarum lauri, pyrethri, cubebarum, nucis muscatæ, trium piperum anà. ʒ. 1. carnis squillæ, & radicis narcissi anà. ℥. 2. radicis cucumeris agrestis ℥. ß. chamæpityos, saluiæ, florum & foliorum roris marini, & trifolij anà. p. ß. omnia in vino per* A *noctem temperentur & instillentur in alembico vitreo:* cuius stillationis secunda pars efficacior existit. Cui consimilis alia paratur, q. ℞. *florum thymi, aut summitatum eius, lauendulæ, stœchados, nucis muscatæ contusæ, caryophyllorum, macis, cyperi, galangæ, piperis longi, & nigri anà. ℥. 1. zedoariæ, spicæ nardi, calami aromatici, costi, & cinnamomi, anà ℥. ß. salis communis leuiter torrefacti lib. ß. misceantur cum vino albo & vrina pueri & destillentur:* est enim mirabilis efficaciæ, etiam ad vngendam spinam, roborat enim & discutit.

Quòd si ne his quidem pars calorem vitamque suscipere videatur, ipsum cucurbitis paruis & plurimis euocabis: quod multis vetustissimorum empiricorũ, B vt Aurelianus refert, visum est, & obseruatum adeò religiosè, vt & parti affectæ & origini neruorum profuisse, sit compertum. Sic quidem vbi mentum paralysi vitiatum est, cucurbitæ temporibus affigendæ erunt, aut buccarum musculis, vel sub aurium laminis. Manibus tamen vitiatis, affigendæ sunt humeris aut eorum summitatibus & musculis vel cubitorum nodis. Item cruribus vitiatis, femorum articulis affiges, quà vertebrarum ductus in caput ossis femoris inseritur, coxendicis etiam acetabulo: & sic eodem ordine alias partes refert, sicut gratia reuocationis spirituum animalium, dorso per spinam. Verùm in prædictis audaciùs licebit vti hoc præsidio, quàm in alijs: in omnibus tamen caloris euocandi gratia: C cui vsui parum immorari cucurbitulas oportet, ne attractus spiritus & calor resoluatur: quarum loco frictionibus linteo asperiori factis vti oportebit: aut manu inuncta, aut madida oleo rutaceo, vel de angelica aut aqua vitæ:

Quo facto statuendum est, hac lege vtendum esse his topicis auxilijs: primò quidem à frictione, à cucurbitis, & oleis incipiendum: posteà à linimentis: tandem ab vnguentis, & superposita pelle vulpina suffumigata: deinde verò emplastra molliora adhibenda sunt, tandem quæ discutiunt, vt acopa: postremò roborantia & metasyncritica: in omnibus tamen cauentes ne pars exulceretur.

Verùm quia deuenire ad balnea & vniuersales sudationes tutum non est, quin priùs, quantum mali sæuitia permiserit, maior pars superuacui humoris conteratur, ob id interim dum hæc omnia adhibentur, D præparare humorem & corpus oportebit serapijs, & frequentioribus purgationibus, quarum paulò anteà latiùs meminimus.

Quo facto, sequenti die *conseruis* huic vsui proficuis vteris, qualis naturæ est *saluiæ, stœchados, gentianæ, enulæ, acori, ireos, & zingibes conditum, ac nux muscata, dosi. ʒ. ß.*

Pulueribus quoque non parua inest vis iuuandi resolutos: cuius census est diacuminon, dianison, rosata nouella, diambra, diamuscus: in parua tamen quantitate, ne caput feriant. Prodest & ille, q. ℞. *pulueris in-* E *uolucrorum testium castorii & priapi cerui, qui fiant per vstionem in vase fictili, & extinguantur vino albo ℥. ß. cinnamomi, galangæ, caryophyllorum anà. ʒ. 1. sacchari albissimi. ℥. 4. misce, & præbe. ʒ. 1. cum modico vino albo diluto aqua saluiæ, cui si addideris puluerem diãbræ, aut diamusci, commodiùs facies.*

Conteres etiam humorum reliquias omni caputpurgiorum genere, gargarismatis præsertim & masticatorijs: conficies autem gargarismata hac lege: *Excipe passularum sine granis. p. 1. ficuum num. x. summitatum thymi, seminis carthami aut vrticæ ℥. 1. turpeti, staphisagriæ anà. ℥. ß. decoquantur in hydromelite & colaturæ adde syrupi stœchados vel mellis squillitici pro lib. ℥. 1. & ß.* Item conficies aliud, q. ℞. *prædictæ decoctionis lib. 2. mellis rosacei. ℥. 3. oxymelitis squillitici ℥. 1.* Quibus sanè vteris sequenti die ab expurganti pharmaco & ventre ieiuno: quod facies *quatuor aut*

quin-

quinque dierum spatio, sinesque pituitam per os deflue re, & *aliquando* gargarismati *addes theriacæ magnæ* ʒ. ß. Prosunt etiam oris collutiones ex sinapi, & hydromelite squillitico cum decocto saluiæ, pulegij, calaminthæ, costi, zingiberis, & galangæ.

Masticatoria etiam non parum prodesse comperimus, ea maximè quæ recipiunt medicamenta vim habentia trahendi à capite, vt pyrethrum, staphisagriã, & reliqua huius naturæ: sed alia his mitiora baud secus proficua, parantur ex mastiche, nuce muscata, sale, zingibere, radice acori, cyperi, & angelicæ: quibus si addas theriacæ, vel aureæ alexandrinæ modicum, miræ est efficaciæ.

His factis, si adhuc membrum resolutum videatur crudum, & mucidum, ipsum lauacro exercitabis, & calefacies. Primò quidem decocto maioranæ, saluiæ, origani, calamenthi, calendulæ, sarmentorum vitis, pulegij, serpylli, stœchados, radicum ireos, betonicæ, ebuli, foliorum, & baccarum lauri, & iuniperi: ex quibus aliquod eligere poteris, ac decoctum conficere aqua, vino, vel aqua vitæ. Cui simile aliud efficies, q. ℞. *cineris cannarum, & ossium cerui, anà lib. 1. cineris cupressi, lauri, myrti, & roris marini lib. 2. aquæ fluuialis quod sufficit: decoquantur leniter, & adde salis communis, & fæcis vini, anà lib. ß.* Quòd si videatur plus iusto esse lixiuium efficax, *temperare ipsum aqua poteris*, & mox spongia, aut linteis suffumigatis partem exiccabis. Quòd si minùs exiccare, & roborare partẽ volueris, eo oportet vti lauacro, q. ℞. *radicis cyperi, galangæ, calami aromatici* ℥. 3. *ligni guaiaci rasi p. 2. saluiæ, calaminthæ, abrotani, foliorum cupressi, & roris marini, anà m. 1. florum stœchados, roris marini, & saluiæ anà p. 1. fiat decoctio in aqua, & adde aquæ vitæ* ℥. 3. posteà quiescat per tres horas, & cibo vtatur mediocri.

Balnea, & sudationes.

Quòd si balnea naturalia haberi possunt, longè sunt cæteris præsidijs pretiosiora, & maximè quæ sulphurea sunt: ad quæ proculdubio, alijs prius tentatis est confugiendum, tanquam ad peculiare huius mali præsidium. Verùm si ea haberi non possunt, aut laborans illuc præ impotentia, loci distantia, aut paupertate adire non potuerit, sudationibus ex ligni guaiaci, sarsæ parillæ, aut radicis chinæ decocto vtendum esse consulo (maximè si morbus in vetustatem deuenerit) sed aquam huic vsui proficuam sic parato. *Accipe ligni guaiaci lib. 1. corticis eiusdem* ℥. 4. *asphalti* ℥. 2. *macerentur in 12. lib. aquæ per noctem, & fiat coctio ad tertias: cui adde mellis communis lib. 2. clarificentur addẽdo vini albi lib. 1. belzoini, & cinnamomi, anà* ʒ. 1. *& laboranti summo mane præbe* ℥. 4. Si tamen laborans imbecillior natura, aut morbo sit, ex radice chinæ sudationem instiues, *facto decocto* ℥. 1. *eius, & sarsæ parillæ* ℥. 2. *in lib. 12. aquæ, & facta eadem consumptione, adde que modico melle, aniso, & cinnamomo.*

Hæc profectò huic affectioni sufficere videbãtur, ni ratio, natura, & conditio affectæ particulæ aliquid peculiarius postulasset, cuius ignoratione, medicos in maximam hæsitationem, & laborantes in graue dãnum prolapsos non rarò conspeximus. Quapropter in calce huius capitis studui breuiori compendio recensere quæ peculiarem conditionem habent, vt cuique parti hoc morbo affectæ prodesse possint.

De linguæ resolutione.

Sic proculdubio in linguæ resolutione, præmissis vniuersalibus purgationibus, & alijs quæ hucusque dicta sunt, ad ea auxilia quæ partem respiciant, peculiariùs veniendum est. Quippe huic affectioni prodest sanguinis detractio ex venis quæ sub lingua sunt: hac lege, quòd si altera tantùm linguæ pars resoluta sit (vt his accidit, quibus hoc malum euenit vitio neruorum linguam mouentium: nam quibus tota lingua resoluitur, plerunque ex cerebro mutuatum habent damnum) ex sana sanguis mittatur: si verò tota lingua, ex quauis eius vena, siue dextri, siue sinistri

A lateris. Quod facies alijs tentatis præsidijs, & signis copiosi sanguinis, maximè circa partem affectam apparentibus, & in his qui balbi non sunt à natura: quippe hi multa abundant humiditate, cui proficua sanguinis detractio non est. Prodest & grandis cucurbita cum scarificatione occipitio affixa: in quem quoque vsum sub mento posita maximæ esse vtilitatis, multis visum fuit. Alijs rursus, earum loco arrisit magis vesicatorium medicamentum ceruici appositum, quo à vesicis penicillo ruptis aqua fluat, medicamentum autem conficiebant ex cantharide, abiectis capitibus, & alis. Quibus factis, vtendum est oris collutionibus mollioribus, quas hac lege parabis. *Excipe nucis muscatæ* ʒ. 1. *cum succo saluiæ, formentur pilulæ*
B *lupinis persimiles, quarum vnam ore semper habeat laborans* Idem præstant folia saluiæ, item pilula ex nigella cum sale, pari ratione succus ex folijs angelicæ scissis extractus, aut radix eius commanducata: item & ficus cum saluia pistata, aut saluia cũ mastiche: quod si efficacius efficere velis, castorij modicum addes, vel caryophyllorum, nucis muscatæ, salis communis momentum, maximè si cum cera ex eisdem orbiculos confeceris, quorum vnus ore teneatur. Item frequenter colluatur os muria, aut aqua oliuarum cum sale, vel vtatur gargarismate aliquo ex prędictis rebus facto, aut ex aceto melle, & sinapi cum decoctione saluiæ, superaddito modico oxymellite squillitico, cũ thymi, nepetæ, vel hyssopi decocto: item colluatur os
C theriaca, aut mithridato. Vngantur prætereà maxillarum latera, & pars posterior ceruicis, aut retro aures, aliquo ex prædictis vnguentis, aut eo q. ℞. *olei costini, de euphorbio, & de angelica, de castorio, anà* ℥. 1. *sagapeni, opopanacis, castorij anà* ʒ. 1. *ceræ rubræ, vel viridis quod sufficiat, vt fiat linimentum.*

De œsophago resoluto.

Neque desunt inter neotericos, qui in resolutione laryngis, & œsophagi, prodesse referant nuper dicta auxilia, quæ nuper in resolutione linguæ proficua esse diximus. Sed cùm non sit ita facilè nosse, quando ęsophagus resoluatur, vt illi adhibeantur nuper adducta auxilia, ob id expendẽdum est, tunc maximè hoc malo laborare, cùm cibaria laborantes deuorare possunt quæ crassæ sunt consistentię, liquida verò ne-
D queunt. Cuius rei causa est, quòd cùm pars superior œsophagi in sese contrahi oporteat ad cibum deuorandum, cùm ipse crassus est, & corpulentior, leuiori motu descendit, quam cùm liquidus existit, quòd leuiter expellenti facilè cedit, & maiori opus habet compressione, qua resolutum œsophagum carere certum est.

De vesica resoluta.

Vesica tamen resoluta peculiare inter vrinæ affectiones paulò inferius obtinebit caput, sicut & penis resolutio, cuius meminimus lib. 3. de fœminarum affectionib. capite de virorum sterilitate. Cum hoc tamen, ne huic capiti aliquid deesse videatur, expendẽdum est, vesicam resolutam per externam eius regionem præsidia suscepiare, sed potissimum iniectioni-
E bus per syringam factis ex oleo liliorum, de costo, laurino, de nucibus: & inclinante affectu, admixtis etiã quæ vim aliquam astringendi habent cum calore, velut est oleum nardinum, & de absynthio. Iniectiones autem parantur ex decocto enulæ, ireos, saluiæ, herbę paralysis, artemisiæ, & lauri, cum oleo antiquo & de angelica. Sed quia sæpè his & similibus inutiliter solet exulcerari vesica, placuerunt mihi semper magis auxilia extrinsecus adhibita, cuius naturæ est inunctio ex oleo antiquo, de angelica, de ligno guaiaco, de pipere, & similibus, addito castorio. Sed maioris momenti esse arbitror emplastra quæ vim habeãt resoluendi, confecta ex pulueribus, & oleis supradictis, ac ex alijs gummi speciebus, quas sæpè memorauimus: cuius efficaciæ etiam creditur esse cucurbita renibus adhibita.

De pene resoluto.

Penis autem resoluitur varijs de causis: nam cùm

præter

præter modum vi & manu extenditur, aut ob natationem, refrigerationem, vel equitationem nimiam iuxta cuiusque etiam contrarietatem, facilè est eius resolutioni subuenire. Verùm cùm ex defluxu alicuius humoris ad musculos quibus extenditur, resolutio fit, præcipua curandi ratio est per generalia auxilia citra sanguinis missionem. Cui affectioni experimento didicimus profuisse sudationes ex ligno guaiaco, & vnguenta quæ vim habent calefaciendi, & resoluendi, sicut inclinante affectu, ea quæ efficaciam habent gignendi flatus, quorum latiùs meminimus capite citato. Sed in vniuersum cauendum est in hoc affectu ab his, quæ nimis digerunt, & calefaciunt: quippe hęc semen imminuunt, & flatus discutiunt, quæ ad penis erectionem plurimum conducunt. Quamobrem omnia roborantibus sunt admiscenda, velut est id q. ℞. *olei veteris, vel nucum* ℥. 1. *olei pinearum, & auellanarum* ℥. 1. *& ß. zibeti* ʒ. 2. *renum, & caudæ stincorum, & cineris priapi tauri, & cerui, anà* ʒ. ß. *seminis cepæ, et erucæ* ʒ. 1. *& ß. ceræ modicum, vt fiat vnguentũ*, quo renes, latera, & inguina vsque ad podicem vngantur. Fouendæ etiam partes hæ sunt eo q. ℞. *olei mastichis* ℥. 2. *sanguinis draconis, & mastichis, anà* ʒ. 2. *aluminis* ʒ. 1. *ceræ quantum sit satis*. Prius tamen partes vino calido, aut aqua vitæ fouebis: vel si affectio inueterata sit, veteris lixiuio, q. ℞. *cineris inuolucrum, testium castorij, aut priapi tauri* ℥. 2. *fiat lixiuium, in quo decoquendæ sunt nuces cupressi*. Præstat ore sumere theriacam, aut confectionem q. ℞. *pinearum infusarum melle, aut auellanarum, & pistacorum anà* ℥. 2. *medullæ seminis fraxini* ℥. ß. *seminis erucæ, zingiberis, & bulbi, anà* ʒ. 1. *medullæ seminis peoniæ* ʒ. 1. *& ß. cinnamomi* ℈. 2. *cum melle despumato fiat confectio in forma solida.*

De recto intestino resoluto.

In resolutione verò recti intestini, præter generalia auxilia, fomentis vteris, insessionibus, & suffumigijs, quæ fiant ex herbis, & vnguentis sæpius repetitis. Hoc tamen habet peculiare hæc affectio quod beneficium suscepter ex cucurbita ossi sacro adhibita: quæ omnia ano etiam resoluto proficua esse cõperimus, dummodo in vtraque affectione ossi sacro adhibeantur emplastra, quæ ex pice, terebinthina, ladano, sanguine draconis, hypocistide, & alijs quæ vim habeant adstringendi, & roborandi partem, conficiantur.

Si ex colico dolore fiat paralysis.

At dum paralysis ex colico dolore prodit, curationem institues, non sanguine misso, sed frequentibus clysmatis, & purgatione: nam qua ratione materia migrauit à colo, & intestinis ad musculos, & nerueã substantiam, eadem prorsus curandum est, eam ad consuetum emunctorium euocare. Præterquam, quòd colici dolores solùm qui à pituita confluente à venis ad intestina fiunt, sunt qui in paralysim commutantur: non qui ex crudis succis in eisdem partibus genitis; licet ex authoribus non desint, qui id quoque asserant.

Præter quæ omnia auxilia, quædam alia non minoris momenti reperiuntur, quæ sanè omnibus partibus resolutis proficua sunt: velut existunt ea quæ dorso adhibentur, qua parte neruus disseminatur in resolutum membrum: cuius naturæ fuit illud quod Galenus semouit è digitis eius qui è curru ceciderat, & colli vertebris adhibuit non sine magna astantium admiratione, & laborantis vtilitate. Eius etiam conditionis existunt pleraque ex his quæ parti resolutæ adhiberi posse diximus, quæ iterum repetere non placet: & vstiones etiam vertebræ eius per quam neruus in resolutam partem perreptat, quibus antiqui loco resoluentis auxilij vtebantur: sed id tanquam vltimum præsidium haberi debet, tentatis priùs dropacismis, & alijs resoluentibus auxilijs.

CAPVT XV.

De conuulsione.

GRauissima est hæc affectio, & quæ mille laborantes perdit, aliosque mancos, & omnino munijs vitæ proficuis inutiles efficit: & plures etiam medicos in hæsitationem, & angustias agit (vt quæ illis sit periculosa, his tamen obscura, & abditas obtinens causas, difficiliaque ad distinctionem, & cognitionẽ signa) & ob id paulò diligentiùs eam expendere studui, vt euidentior sic appareat medendi ratio.

Definitio.

Est itaque conuulsio, vt Galen. placuit 6. apho. 39. passio quædam inuoluntaria, ad similem dispositionem venientibus partibus neruosis ei, quam etiam in motibus voluntarijs assumunt: quippe retractio quędam est neruorum ad suam originem. Nam in eum situm neruos musculosque conuulsio hæc ducit, in quem, facultate motiua pro imperio voluntatis agente, ducerentur: itaque solùm hæc affectio à motibus secundùm naturæ legem factis dissidet, quòd hi ex imperio voluntatis: illi verò à solo fiant morbo facultate nequaquam operante, sed patiente, quia est volũtarius motus impeditus propter violentam musculorum contractionem, & ob id dicitur actio læsa: non quidem vt multi arbitrantur, irritata, quinimò vincta, impedita, & ligata quominus possit, etiamsi velit, membrum mouere. Nam vt in conuulsione considerauimus duos modos, alterum, quem motum conuulsiuum nuncupamus, & reliquum veram conuulsionem; ita prorsus symptoma duplex, & duplex facultatis motiuæ vitium succrescit: alterum est ipsius facultatis deprauatus, & conuulsiuus motus, proprius epilepsiæ ab irritamento productus: reliquum verò ab eadem animali facultate prodiens, quòd etiamsi possit, & velit, quia non deest facultas vt in paralysi, membrum mouere non audeat, neque tentet dolorẽ timens: qua ratione veram constituit cõuulsionem, sicut in motu cõuulsiuo, vt, etiamsi velit quiescere nequeat. Ex quo prodit in vtroque facultatem lædi, corruptam edens actionem, eo modo quo dictum est, nimirum in conuulsione vinctam, & impeditam, in cõuulsiuo motu vitiatam. Denique vera conuulsio ea est, quæ non est interrupta motibus, & accessionibus, sed firma iam, & cum distensione, in qua cõtracti seruantur musculi ab infarcto humore, in ipsorũ villis, aut neruis: quo, vt dictum est, ab epilepticis motibus differre comperimus, quia in illo facultas licet integra sit, & velit, nequit membrum mouere, quòd vi morbi contrahatur: in hac verò, nequit ipsum firmare, quòd vi causæ facultas prauè operetur.

Nomen.

Fuit autem huic affectioni nomen inditum dupplici ratione: tum ex symptomate, hoc est, ex retractatione, quæ in membro fit, & ob id Græci appellarũt spasmum. Cuius vocis significatum variè vsurpatur apud Grææ linguæ peritiores, quippe spasmos propriè neruorum distensionem interpretantur, maximè Celsus lib. 2. cap. 1. cæterùm spasma diruptionem in fibris neruaceis, & membranaceis, quæ extensione ferè dirumpuntur, appellarunt: nam citra vulnus extensio continuitatem dissoluit: quem affectum propriè conuulsionem nuncupamus, sicut diuulsionem reliquum, quantumuis multi neotericorum contrarium asserant: nam licet spasma neruosarum partiũ discontinuatio sit citra vulnus, cum hoc tamen id in vera conuulsione accidere scimus, vt constat ex dolorum vehementia. Quo fit, vt iure optimo Galen. conuulsionem, per solutionem continui definierit: at spasmos, propriè quidem diuulsio est, & sic à plerisq; vsurpatur pro neruorum distensione: spasma verò, seu neruosarum fibrarum tensiua solutio, conuulsio vera est, ad fibras musculorum, & tendonum neruaceas

eeas attinens: sed hæc alijs, qui in Græcis literis peritiores sunt, curiosiùs expendenda relinquo: sat enim est scire, conuulsionem significare quandam continui solutionem citra vulnerationem in prædictis partibus: per quem quidem solutionis modum Gala. 3. method. ipsam definiuit: quã profectò ex vi in membrum illata, fieri erat necessum, quæ enim conuelluntur, extendi & rumpi proculdubiò videntur. Quo fit, vt Latini authores iure optimo conuulsionem nominauerint, quòd solutionem continui adesse sit necessum: quia membra non solum eò vsque proueniunt in conuulsione, quò secundum naturã voluntas mouere solet, sed multo violentiùs & distantiùs, si locus fuisset. Atqui licet locus non sit quò ampliùs moueatur, semper tamen habet extenta motus instrumenta: quo fit vt diuelli capita musculorum & tendines oporteat, & cruciatus, vigilias, ac acerbissimos dolores inferre. At si aliquando membrum citra dolorẽ conuelli accidat, id crede factum, quia non vltra terminum naturalem conuellitur, vel quòd sensim & paulatim fiat illa conuulsio, aut quòd tendines & ligamenta scirrhosa facta sint & dura, & ob id sensus experria.

Dubium. Ex his enim quæ definitio & nomen huius affectus important, in dubitationem vertere oportet, quę sit pars quæ primò & per se in conuulsione afficiatur: & rursus cum partibus neruosis accidant conuulsio, tremor, & resolutio, quæ passiones sunt motricis facultatis, quæ sit inter ipsas differentia, siquidem vnius C partis & potentiæ læsiones existunt. Circa primum euidenter constat, eas partes in conuulsione lædi, quibus mouendi ministeriũ natura præstitit: atqui cùm hæ variæ sint sortis & naturæ, nōdum satis apertum est, cui harum primò & per se conuulsio genuina & peculiaris sit affectio. Quippe turpe est quod authores fere omnes statuunt, nimirum conuulsionem ad cerebrum, spinalem medullam, ad neruos, ad nerueam substantiam, ad fibras musculorum, & nonnũquam ad tendines attinere: quibus subscribit Galen. 1. de vsu part. enumerans ordinem partium motu arbitrario se mouentium, primum cõstituit cerebrũm, mox neruum, tertiò musculũ & deinde tendonem. Quod Auerr. 2. collig. cap. 28. placuisse non videtur: quia ea D tantum præstare motum possunt, quæ se mouere queunt, & cum cerebrum & neruus nullum habeant de se motum, videbãtur excludenda, quia solum corpora quæ mouent, vt musculus & tendo sunt annumeranda, non quidem quæ facultatem ministrant aut deferunt: pręsertim cùm in doctrina eiusdemmet Galeni contrarium constet: nam lib. de motu musculorum, primum motus instrumentum musculum efficit, nonnunquam neruum, sæpe verò, vt lib. artis med. tendinem, nulla facta cerebri aut spinæ mentione. Verum si quis rem diligentiùs expendat, reperiet Gal. appellasse primum motus instrumentum musculum, nō quidem immediatum sed commune, & neruum vt delatorem non vt instrumentum: haud secus E quam dicimus oculum esse videndi instrumentum, & humorem chrystallinum pari ratione, hunc tamẽ immediatum & præcipuum: sic in musculis & neruis tendo immediatum est & præcipuum motus instrumentum: modò ad pensum, cùm enim constet, immobilitatem defectumue motus & paralysim ad neruos referendam esse, videbatur ad eosdem posse reduci primò vitiatam motus actionem, hoc est conuulsionem. Quod ostendunt plurimæ partes quæ neruosæ sunt substantiæ, citra vllam musculi compositionem, vt ostendunt ventriculi tunica, vterus, & intestina, quibus conuelli (vt in singultu constat) non rarò contingit: ergo ad nerueam substantiam & non ad musculosam videtur conuulsio pertinere. Ex altera verò parte euidenter ex Galen. lib. de motu musc. colligitur, motus exequutionem musculis tantum esse peculiare & proprium munus. A Præterea lib. artis med. scribit, partem principem motus effectricem in musculo ligamentum esse. Quæ omnia si exactè conferantur, diuersa ratione vt dictum est, motui subseruiunt, neruus nimirum, vt facultatis delator, musculus vt vniuersum instrumentum, tendo verò vt præcipua in instrumento particula, cui immediatè actio tribuenda est, & ob id conuulsionem asserimus primò tendini propriam esse, secundariò musculis, remotiùs verò & solum per quandam similitudinem neruis: sic enim vteri aut ventriculi motum, non conuulsionem sed per metaphoram & similitudinem, eo quòd extendantur & contrahantur vt musculi, dicuntur conuelli: quem sane motum potiùs motum conuulsiuũ, B quàm conuulsionem dixeris. Quinimo hac sola ratione constabit, ad neruum nō posse conuenire conuulsionem, quia pars neruea, quòd musculis careat, non verè conuellitur, sed motum solùm patiatur conuulsiuum. Itaque solùm tendo & fibræ musculorum quę motum à neruis recipiunt, conuelli verè & propriè possunt, & ob id partes conuulsæ maximo dolore cruciantur, quia neruus illæsus est, & sensum ac motum parti præstat. Cum hoc tamen ille motus qui fit, non prodit à facultate, sed à solo morbo æmulante motũ voluntariũ. Nam qua ratione natura contrahit musculi ventrem, & tendonem, ea ratione retrahit capita & partes ossis in quas inseritur: ita prorsus ventres musculi membri conuulsi in latum extensionem nãciscuntur à causa morbi ducti, eundem modum C motus efficiunt, quia pari ratione membrum ad originẽ & principium insertionis musculi per quem mouetur, deducit. In qua re expendendum est (vt alteri dubitationi respondeamus) vt clariùs hæc doctrina cõstet, quòd licet tremor, conuulsio & paralysis motus sint vitia & symptomata, nihilominus tamen dissident peculiari quadam ratione, nimirum quia in tremore facultas & instrumenta illi seruientia læsa sunt: in paralysi sola facultas læditur per se, aut in neruo qui delationis ministerio seruit, reliquis motus instrumentis illæsis manentibus: at in conuulsione facultas & neruus, vt delatorium est instrumentum, citra vitium existunt, sentit enim particula & optimè moue- D retur quatenus ad facultatem attinet: at verò instrumenta motui seruientia vt musculus & tendo, affecta sunt adeò vt si animal velit motum efficere, non audeat præ dolore, licet pari facultatem hac ratione dicẽdum sit, quòd mouere membrum sibi commissum non possit: nil verò patitur in actu retractionis, sed in priuatione extensionis: coacta enim & vincta est ad motum efficiendum, verens ne motu dolor supercrescat, etiam si in contractione illa conuulsiua nihil ipsa operetur, vt apertè innuerat Galen. 2. de caus. symptom. assimilans conuulsionem paralysi, quòd in vtraque vincta & coercita sit natura, ac onans præter naturam & voluntatem: sed in conuulsione otiatur, quantumuis secundum naturam præsit in parte E conuulsa: at in paralysi otiatur quidem membrum, sed non eadem ratione, sed quia ad eum non peruenit facultas propter obstructionem, vel quia licet perueniat, afficitur & obruitur, obscuratur, & præpeditur humore vel vapore vt dictum est. Quo sanè fit, vt constet motum deprauatum in conuulsione, hac potissimum ratione ab omnibus alijs deprauatis motibus, qui fiunt in instrumentis voluntati seruientibus, differre: nam motus qui fit à solo morbo citra facultatis adminiculum, à solo instrumento perperam affecto, hoc est, soluto ob distensionem aut dilationem partium musculi plus iusto, factam ab aliqua causa ibidem inclusa, prodit. Quod sanè malum musculus patitur, non solum ob eius carnem humore plenam, sed aliquando ob venas arteriasue nimis distentas, neruosque ipsos aut tendonem humore nimio distendente tensos: cæterùm præsente facultate in neruis

quo

quo differt à paralysi, non tamen operante, quo distinguitur à tremore. Quibus sic consideratis constabit, neruum posse quidem conuelli, & contorqueri, ac in latum extendi, ita vt vitiet musculum, aut tendonem, vt statuerat Galen. lib. 2. de rigo. cap. 2. Cæterùm passio retractionis membri ad originem, solius est musculi, vt docuerat lib. 3. de sympt. cau. capit. 2. nam si solum spectemus motus organum, ad solum musculum referenda est conuulsio: si verò causam mali, etiam nerui possunt in latum extendi, vt dictũ est: quo tempore succrescit ea affectio, quam Hippocrat. & medici alij appellant distensionem. Quippe ob id censeo dictum esse ab Hippocr. 7. apho. 13. Ab æstibus fortibus conuulsio, aut distensio neruorum, malum: quo fit, vt ex his locis constet differentia inter conuulsionem, & distẽsionem neruorum, ne quis existimet, pro eodem ab authoribus vsurpari, vt antea dictum est.

Dubium. Cum hoc tamen dignum disputatione esse sum arbitratus quibus modis, & qua ratione neruus conuelli possit, hoc est in latum extendi, citra paralyseos generationem. In qua re statuendum est, nerui tunicas quibus à cerebro vestitur, adeo quouis succo repleri posse, vt in puncturis neruorum conspicimus, vt protinus, & faciliter in latum extendantur citra paralysim & contrahatur subinde membrum ea ratione. In qua sanè conuulsione necessum est, sensum, & motũ superstites manere in membro, quod esset impossibile, si nerui substantia impleretur (nam in hoc sita est omnis huius rei differentia) tamen cum hoc retractio membri à tendone fit, & musculo in latum extensificatione nerui ipsum tendentis. Præterea licet aliquo modo conuelli partem conspiciamus ratione repletionis, aut inanitionis substantiæ nerui, non ob id arbitrandum est esse veram conuulsionem. In qua re considerare oportet, quòd dum nerui substantia aliquo succo maduerit, non potest vlla ratione conuulsionem excitare, dum per vniuersum sit irriguum: quia cùm conuulsio, vt quæ dolorosa affectio sit, subitò & affatim debeat fieri, repugnat naturæ nerui quæ solida est, & conditioni humoris facturi solutionem continui, & subinde conuulsionem, quia futurus est crassus, quo subitò & affatim fiat: nam cum in neruo aliquis humor imbibitur, tenuis necessario, & fluxilis futurus est, ac lentè, & sensim madefactionem effecturus, vt citra dolorem fiat, quemadmodum in paralysi. Quo fit, vt cùm hac ratiooe imbibitur, neque solutionem, neque contractionem, neque conuulsionem vlla lege possit efficere, sed solùm paralysim: nam licet aliquo modo continuum soluisset, nullus sequeretur dolor, nullaque extensio, quia sensu ob id partes priuantur. Quapropter arbitrandum est, quòd si quando neruis ipsis aliquis conuulsioni similis affectus (nã vera conuulsio ipsis nequit accidere, quòd musculorum sit propria passio) succrescat, non intrat nerui substantiam vniuersam, sed solùm cauitatem illam, quæ in eius exortu existit, quia crassus, ac terreus qualis ille futurus est, nequit vltra permeare, haud secus quàm in catocho contingit, in quo hac ratione rigidum manet, ac veluti conuulsum, & tetano affectum vniuersum corpus, ob neruosum genus hac sola ratione affectum: & ob id non solùm neruea substantia motioni fit inepta ob prædictam tensionem, sed & sensationi, ac distributioni motiuæ facultatis: & hæc est in hac controuersia mea mens, saluo meliori iudicio.

Ex qua quidem doctrina euidenter constabit alia differentia inter paralysim, conuulsinnem, & tremorem, cùm hi affectus proprij sint instrumentis motui seruientibus, & in conuulsione, & paralysi membrũ quiescere, & immobile esse videatur, sit ne ratio quietis vna, & eadem in vtroque? Cui dicimus dissidium esse quòd in conuulsione fiat motus, inuita tamen potentia, & quiescat voluntariè, vt dolorem præcaueat: quia licet ad neruos, & vniuersum instrumentũ mittatur facultas, neque ipsa mouet, neque id tentat ob dolorem à motu, & tensione membri factum, hoc est actio ablata, per facultatis inuoluntarium otium: quia licet possit mouere, quòd adsit influxus potẽtiæ, non vult, cauens dolorem qui in motu excitatur: & ob id dicimus colligatam esse: in paralysi verò quiescit membrum, quòd facultas non demandetur ad instrumenta motus. Ex quibus etiam prodit alia differentia, nimirum, quòd in paralysi læditur neruus, vt instrumentum delatorium facultatis: in conuulsione verò, neruus, & cætera motus instrumenta læduntur vt componentia, & vt operationis motiuæ instrumenta, eo quòd à solo morbo moueri cogantur contra voluntatis imperium, & citra facultatis motiuæ adminiculum.

Quis morbus. Quale sit in hoc affectu symptoma, quis morbus, & à quo prodeat, si Galen. attentè legas, obscurum variumque repeties. Nam 2. de caus. sympto. conuulsionem inter symptomata annumerat. 6. aphor. 39. quandoque inter morbos reposuit temperamenti, aliquando verò inter morbos figuræ: plerunque tamen vt 3. popu. non permanentem affectum esse scribit. Verùm id dictum esse à Galen. intelligendum venit ob varios conceptus quos de conuulsione scribit. Nã primo appellat affectum non permanentem cùm motus est conuulsiuus, potiùs quàm vera conuulsio, vt in epilepsia conspicitur, quæ ex facultatis irritamento non ex morbo originem trahit. Præterea conuulsionem hoc aut illo modo definit, prout nunc in ea vitium figuræ considerat magis vt affectum, à quo læsionem illam prouenire est certum: vel vltimò causam læsionis. Itaque retractio nerui ad suam originẽ, symptoma est in genere noxæ functionum animaliũ motiuarum; quippe vincitur, & ligatur animalis potentia, ita vt si mouere membrum possit, non velit: morbus verò intemperamentum cùm humore, aut citra, vel figuræ vitium, quod membrum retrahi cogit, & quidquid sit, dolorem sibi habet comitẽ. Quod plerunque à certo quodam solutionis modo immediatè prodit: nam extensio hæc ex humore fit: hæc autem est quodammodo continui solutio, quæ sanè, quo maior fuerit, citra veram continui separationẽ, conuulsionem efficit maiorem, pressioremque retractionem: nam quæ per partium integram separationem fit solutio, conuulsionem non efficit. Quo fit, vt nullo modo verum possit esse quod multi asserunt, nimirum solutam vnitatem morbum esse in conuulsiooe, cum re vera vt musculus à re aliqua in latum extenditur, ita magis soluitur, & ex vtroque damno, vt sese tueatur natura membrum etiam contrahi permittit, quæ contractio conuulsio est, & terminus, ac finis extensionis, seu solutionis illius extensiuæ.

Differentia. Quot nam sint huius affectus differentiæ, euidenter iam constabit, si priùs dixero ad rationem motus voluntarij prærequiri musculum, secundum electionem se ad sua initia, quæ musculorum capita vocantur, contrahentem. Cæterùm hæc contractio in medio fit musculi, & ob tendinem quoque, à quo os vel membrum etiam contrahitur: qua sola ratione censeo dictum esse à Galeno, & plerisque antiquorum, musculum esse præcipuum motus voluntarij instrumentum, nimirum quia potissima huius motus ratio stat in contractione facta in medio musculi. Caput autem eius, qua parte neruus inseritur, & simul cum ligamento coit, ex quibus tendo in quem musculus desinit, conficitur: tendo itaque sensu participat, eo quòd constet ex neruo à quo sensum mutuat, & ex ligamento, quod omnino sensu caret. Pari etiam ratione cum ex morbosa causa membrum contrahitur, ad suam quoque originem vergit: dissidet tamẽ quia in conuulsione musculus non contrahit sese in ven-

tre,

A tre, sed vt Galen. lib. de motu musc. & lib. de tremore ad fi. docet, quia a morbo in quauis musculi substātia existente retrahitur præter naturam, & sine voluntate, parte ipsa morbo affecta sese contrahente, quia à re aliqua præter modum in latum extenditur. Atqui cùm in quouis membro sit duplex tendonis insertio: altera quæ in partem anticam, & altera in posticam ipsum agat, fit proculdubio duplicem tantùm suboriri conuulsionis (hoc est retractionis ad suam originem) speciem: alteram quæ motum æmuletur ad anteriorem partem, quam emprosthotonon dicunt: & reliquam ad posteriorem partem opisthotonon appellatam. Verùm quia musculis ex vtraq; parte agentibus, medio, & tonico motu membrum rectum continere stareque cogunt, ob id alter, & tertius præter naturam è directo respondet, tetanus, seu rigor appellatus. Cuius sanè affectus has solùm tres deprauati motus differentias Galenum annumerasse constat lib. de differ. symptom. & de tremore, & 4. aphor. 57. quod etiam plerisque authorum placuit, vt Celso.

1. Dubiũ. Sed circa præfatam doctrinam videtur dubitandum, an subsit præter dictas aliqua alia conuulsionis species: & licet apud priscos authores nulla alia reperta sit, rationi consonum, & experimento frequenti confirmatum est, admittendam quoque fore eam quam Fernelius vir magnæ eruditionis adiunxit, flatulentam ab ipso appellatam, qua sæpè manuum pedumque digiti, nonnunquam & crura, vel extenduntur, vel in sese contrahuntur summo dolore, sed eo breui, & qui frictione sola mitescat. Appellatur hæc affectio Hispano sermone (calambre) cuius causa est crassus lentusque vapor in neruorum propagines insiliens, qui illas haud secus, atque citharæ chordas implet, atque conuellit: proinde ociosis, vino, & crapulis deditis frequenter succrescit: cuius naturæ censeo esse eam quam Galen. lib. 2. de sympto. cau. cap. 2. ab spiritu flatuoso statuit posse fieri. Præter prædictas conuulsionis species alia mixtæ naturę reperibilis est, & iam comperta, quæ mixta existit ex paralysi, & cōuulsione, nimirum quando pars quæ conuellitur, modo etiam resoluatur, & posteà iterum conuellatur.

2. Dubiũ. Dubitatione præterea circa prædictas species dignum existimaui, an sint aliæ motus differentiæ præter anticam, & posticam, in his qui præter naturam fiunt, siquidem in his qui secundùm naturam comperiuntur, adest etiam ad dextram ad sinistram, sursum, & deorsum, & nonnunquam circulanter. Cui dubitationi dicendum est verum esse in omnem positionem posse membra conuelli, sed reliquas ad prædictas tres esse necessariò reducendas: siquidem motus membri circularis ex omnibus musculis successiuè agentibus in plerisque partium succrescit, & reliqui motus ab eisdem, vario tamen modo incepto motionis principio.

3. Dubiũ. Præterea discernendum est, an rigor ex duplici cōstet conuulsione. Circa huius dubij enodationem Auicen. arbitratur 2. 3. cap. 8 tetanum conuulsioni opponi, potiùs quàm quòd verùm sit ex duplici conuulsione componi: eo quòd membrum nullo modo videatur conuelli, neque voluntate, neque vi: quod sanè videtur perdifficile: nam si conuulsio distat à voluntaria actione sola motus voluntati obtemperantis ratione, dum pars in neutram partem moueri potest voluntariè, cur non erit credendum ex duplici conuulsione constare, si quidem contractis vtrinque musculorum villis, ob id stabilitas sequitur, & rigor partis. Quapropter statuendum est, ex duplici conuulsione constare, quantumuis Auicenn. contrarium videatur sentire.

4. Dubiũ. Vltimò expendendum sese offert, moueatur ne pars quæ rigida stat ex morbo, aut ea quæ ex voluntate extensa est. Quam quidem controuersiam multi sic dirimunt, asserunt enim motus significatū apud Aristot. vnum esse vulgarius, pro successiua nimirum acquisitione termini motus: alterum verò rarius, quo etiam medici, & Astronomi vtuntur, pro passiua quadam limitatione mobilis ab agente, qua nisi quidpiā obstaret, mobile moueretur mutaretque locum. Sic etenim dicunt distentum caput in vtranque partem conuelli, contrahi, moueríque, quoniam nisi opposita conuulsio obstaret, contraheretur non minùs antrorsum quàm retrorsum: quæ sanè interpretatio licet congrua quodammodo videatur, Galeni tamen placita non sapit. Nam cùm aiunt, & ex eodem Galeno nituntur probare, extentam manum, & hominē stantem moueri, eius mentem non assequi proculdu- B bio videntur, cùm lib. de caus. sympt. 2. & 5. de motu musc. sæpius referat prædicta omnia quiescere: & longè magis ab eius sententia videntur discedere, cùm fateantur omnia moueri eo significato quo motus non designat membri actionem, sed passiuam quandam limitationem, cùm lib. de tremore capit. 4. scribat, tentionem illam, aut contractionem manus, actionem manus esse, casum verò passionem. Sed in hac dubitatione expendendum est, Galeni sententiā eo prolatam fuisse, quo vtilis existeret præsagitioni, & curationi: nam locis adductis docet differre, aut saltem non semper idem esse, sed fieri vt pars moueatur otiante facultate motrice, nempè in casu mēbri, & paralysi: fieri etiam vt pars quiescat facultate mo- C trice validè agente, vt in tetano, & aui in aeris vno loco volitante: cùm enim repugnet grauitati, facultas, vt ipsi resistat omnibus musculis, operari tenetur, alioqui membrum sua grauitate concidet. Quod sanè dogma præsagitioni est profuturum: nam hac lege per decubitum in lecto, actionum, aut facultatis impotentiam, vel robur iudicamus: sic & curationi prodesse constat: nam hac lege Hippocr. lib. de vlceribus, vlceratas partes quiescere, & ab actione cessare præcipit: hoc est, eum situm obtinere quo nullus musculorum laboret. Ex quibus intelligitur in dictis casibus membra quiescere quidem, cæterum vim motricem operari, aut à causa præter naturam pati, vt in conuulsione, dum vel contrahit, vel contractas conti- D net partes. Ita enim in distento membro morbosa conuulsio, vel contrahit, vel contractos seruat musculos, quamuis ob aduersæ partis conuulsionem membri contractio non sequatur: ita etiam membri quies accipienda est, vt ad sensum intelligatur, licet facultas exiguis motibus vicissim moueat vtrinque.

Causæ. Quod verò ad causas attinet, non leuem habet hæsitationem, cùm prisci illi sapientissimi Hippocr. & Galen. & post ipsos reliqui, non satis pro rei dignitate ipsas explicuerint. Priùs tamen quàm eorum mentem enodare aggrediar, necessum est monstrare, medicos omnes studuisse diuidere conuulsionem (non iuxta partem affectam, vt de tetano, & eius partibus dictum est) ex modo agendi causatum. Sic enim con- E uulsionis vnam statuunt speciem, factam per essentiam, & permanentem: aliam verò fientem, & per consensum, vel quam potiùs appellant motum conuulsiuum, velut is est, qui epilepsiam constituit. Quibus aliam dictum est Fernelium addidisse, ex flatu musculis, aut neruosis partibus incluso. Hanc etenim differre à prima, vera & permanente conuulsione cōstat, quia inconstans est, & leuiter soluitur, vel flatu resoluto, licet symptomata, & dolores pari modo gignat. Differt etiam à conuulsiuis motibus, licet ambo à flatu fieri possint, quòd motus conuulsiuus comitem habeat naturæ actionem: at hæc conuulsionis sors solùm passionem, vt quæ à morbo fiat, præterquam quòd conuulsionem habet permanentem interim dum durat, quod epilepsia non habet. Similiter etiam differunt, quia in conuulsione membrum post motum quiescit cupiens moueri, in epilepsia ve-

rò

rò membrum præter vuluntatem mouetur, cupiens tamen quiescere. His habitis, non erit difficile modum & naturam causarum inuenire, si prius quid senserint authores dixerimus. Sic aliquando Hipp. 5. sectione aphoris. duas tantum conuulsionis causas annumerauit, inanitionem nimirú & repletionem (vel vt alij dicunt, humiditatem & siccitatem) nonnunquam verò tres, prędictis addentes conuulsionem per consensum, quam Arabes spasmum non proportionatum ad materiam vocant, nos autem motum conuulsiuú. Quibus etiam quartam addidit Gal. in methodo, nimirum conuulsionem ex frigiditate contractá; & vltimò eam quam ex flatuosa substantia fieri diximus. Nec deest Arist. qui. 7. de histo. ani. cap. 12. statuit pueros maximè omnium conuelli in plenilunijs, B eo quòd tunc temporis aer humiditate grauidus facilè neruos puerorum, alioquin infirmos malè afficiat. Præterea numerantur inter externas causas vigiliæ et timor, recurrentibus in timore neruis simul cum spiritibus ad interiora, aut ad originem, quemadmodum in pueris facilè comperimus, sicut in his frequens ablutio, alui adstrictio, lac crassius, ploratus & prauorú ciborum frequentior vsus. Hæc sanè omnia proposita sunt vt constet, cui prædictarum specierum peculiaris sit dictarum causarum quælibet. In qua quidem re statuendum est, in ea conuulsione quæ fit per propriam musculorum & neruosarum partium passionem, quæ perpetua est & nullo motu interrupta, proficiscente à sola morbifica causa natura nihil agente, C triplicem causam esse: vnam quidem repletionem, alteram inanitionem, & tertiam frigiditatem, quam Gal. addidit, non quòd alicui dictarum non posset reduci, sed quòd peculiarem calorificis auxilijs postulet curationem. Altera rursus conuulsio est per consensum nuncupata: quam potius motum conuulsiuú dixeris quàm conuulsionem: prodit quidem hæc non à morbo vt reliquæ tres species, sed ab agente natura pellenteque causam ipsam. Huius autem noscimus duas differentias, iuxta duplicis causæ naturam: altera quidem fit ex morsu à re acri & mordaci illato in partem aliquam principem: cuius consensu aut vicinia plures, aut omnes partes compati non raro conspicimus. Sic enim ventriculi acerbissimus dolor ple D rumq; in conuulsionem ducit crura, pedes & manus, licet ventriculus principium neruorum non sit. Altera verò prodit à membro aliquo ex inferioribus, trásmissa in cerebrum aut neruosum membrum halituosa aliqua substantia acri & mordaci: cuius ratione morbus concitatur, vt hystericis fœminis nó raro accidit. Sed quia conuulsio per consensum ad caput de epilepsia pertinere constat, solùm hac in parte eius quæ fit per essentiam causas in animo est expendere, relegans etiam ad eam partem rationem quare in capitis vulneribus eadem pars resoluatur, contraria tamen conuulsiuum motum patiatur.

Primi itaque generis conuulsionum species Auic. E diuisit in materialem, quam humorosam seu ex repletione factam neoterici nuncupant, & in immaterialem, quæ ex siccitate seu inanitione aut euacuatione prouenit: nos autem ex Galeni mente quartam addidimus ex frigiditate ortam, simul cum ea quam Fernelium addidisse diximus. Ad primam igitur deueniendo quam ex humiditate seu ex repletione fieri dictum est, statuitur eam fieri ex crasso humore neruos, musculum & tendonem in latum tendente, quo necessum est quoad longitudinem coarctari. Sic enim intelligendus venit Auicen. qui refert hunc affectum fieri, cùm resoluitur humor apostematis ad dilatandos neruos. Itaque crassus humor breuiores efficit musculos, quòd eosdem repleat & tumescere faciat, haud secus quàm funibus & citharæ chordis accidere solet, vbi humore madescunt: causa tamen immediata in conuulsione est, doloris quidem solutio continui, & huius atque vitiatæ figuræ extensio in latum; & contractio adeò pressa vt membrum versus originem trahatur. At huiusmodi extensionem efficere possunt omnes humores, siue venas, siue arterias, siue porosas partes musculorum, tendonum, aut tunicas neruorum (ea lege quam diximus) repleant, dolorosa & tensiua affectione.

Dubium.

Si quis præfatam doctrinam vt iacet solùm expendat, forsan iudicabit aliquo modo falsam: siquidem nulla est maior plenitudo & in pluribus partibus facta, quam ea quæ in athletarum corporibus visitur: sed hæc rarius commigrat in conuulsionem, ergo repleno non est potissima conuulsionis causa: & assumptum probatur: nam adeò magna est in prædictis corporibus, vt & vasa rumpantur, & calor natiuus suffocatione pericliteur præ nimia copia. Cuius dubitationis gratia statuendum est, plenitudinem posse tria mala inter alia efficere, primum dum à venis nihil exsudat aut excurrit in alias partes, sed intra vasa manens, suffocat arteriarum calorem ob nimiam coarctationem: secundum quo tempore à venis exilit aliquid, sed per ora vasorum in inanitates articulorum, aut partium vicinarum excurrit effecturum articularem affectum: ternò verò cum exit quidem, sed ad fibras carneas, aut neruaceas adit, & tunc quidem nullo facto abscessu conuulsionem efficit. Præterea coniectandum est causam repletionem conuulsiuá effecturam (siue sanguis, siue quiuis alius sit succus) duabus simul iunctis conditionibus id necessariò posse efficere, ita vt altera deficiente, quantumuis plenitudo magna sit, conuulsio non sequatur. Prima sanè est, quòd succus fluxurus in partem subitò & affatim affluat: nam ea est ratio potissima, qua efficere potest extensionem dolorosam: siquidem dolor passio est subitò & affatim ingruens. Secunda autem quòd inæqualiter confluat, ac repleat membri cauitates: quo fit, vt cum in athletis plenitudo fiat æqualis in omnibus partibus ac sensim, nulla ratione dolorosa sit & conuulsiua:

De siccitate verò seu inanitione scire oportet, ob eam quoq; neruosa corpora breuiora fieri, vt chordis lyræ ad nimiam siccitatem ductis accidere conspicimus, maximè si Aquiloni flanti aut igni exponantur: sic etenim tensæ fiunt & adeò retrahútur, vt frequentissimè rumpi accidat. Prodit autem huiusmodi siccitas à plurimis causis quæ vel nimium siccent, vel vltra modum natiuam humiditatem euacuent: sic febres ardentes & ingentes euacuationes, vigiliæ & exercitium prędictum affectum accersunt, vbi modum naturę excedunt. Pari pensu medicamenta vehementer purgántia: item impensa frigiditas, vt Gal. aduertit. 12. meth. ad finem & 4. aphor. 49. sic etenim ex frigidæ potu plerisq; conuulsiones euenisse conspeximus. Deniq; ea omnia quæ neruorum tunicas dilatant, vt neruus contrahatur, aut tendonum & musculorum substantiam, & corpus vel coarctant, aut dilatant, ita vt breuior reddatur, siue euacuent, siue siccent, conuulsionem efficere proculdubio nata existunt: nam pari ratione membrum breuius redditur cum extenditur in latum, ac dum nimis angustatur, hoc quidem à defectu prodit, illud verò ex abundantia.

Dubium.

In qua sanè re dubitatum etiam est, an humidorum priuatio conuulsionem inducere possit: quippe arbitrantur multi ex neotericis solam positiuam siccitatem natam esse id efficere: tùm quia priuationi operatio, quæ ex contrarijs tantùm fit, adscribi non potest: tùm etiam, quia euacuata humiditate non necessariò videbatur sequi partes colligi & angustari: quinimò aliquando meatus ampliores fieri. Sed rei veritas est, quòd facta interim humidi inanitione, vicinæ partes protinus conniueant, in seseque concidant vacuum fugientes: ex qua quidem figura seu contractione conuulsionem sequi necesse est.

Vi-

Dubium. Videtur etiam perdifficile, ex siccitate aut humidi A euacuatione conuulsionem fieri posse: cùm constet in hecticis corporibus maiorem succrescere siccitatẽ quàm in quouis alio, & cum hoc nulli eorum succrescit conuulsio. Item in diuturnis fluxionibus, tùm ventris, tùm sanguinis, quæ adeò sint magnæ, vt ad tabitudinem seu marcorem hominem ducant, nũquam conuulsionem succreuisse constat: ergo videtur perdifficile prædictam causam illi consignare. Quibus sanè dubitationibus dicendum est, in hac quoque causa necessum esse conuulsionem fieri, si vacuatio, & siccitas subitò & affatim fiant, & inæqualiter: nam harum conditionum defectu in hecticis corporibus nulla fit conuulsio, quia siccitas est æqualis & lentè facta: in putridis verò & ardentibus frequen B ter. Item in diutinis vacuationibus non sequitur, at in cholera morbo non rarò, quia in his inæqualiter inanitur corpus, quia subitò, & in illis æqualiter, quia lentè & sensim fit euacuatio. Argumento sunt animalium pelles, quæ si tensæ & extensæ soli aut igni exponantur, corrugari minimè possint, quòd æqualiter sol ipsas exiccet, sin aliter, protinus contrahentur.

Signa quidem, quæ in hoc affectu monstrare aliquid possunt, varia existunt: nam quædam affectum ipsum designant, quibus proculdubio opus non habemus, quòd affectus facillimè specimen sui præbere possit: quædam causarum differentiam & naturam monstrant, nonnulla affectam particulam, & rursus C alia futurum euentum in hoc malo docent. Ad secundum igitur signorum genus deuenientes, sciendum est, conuulsionem per consensum facilè cognosci, quòd plerunque ex interuallis repetat, facileque dissoluatur, vt sequenti capite latiùs dicturi sumus. In alijs verò neruosarum partium affectionibus non ita facilis est solutio: ex quibus sanè ea quæ ex frigiditate prodit, torpida refrigeratio ab Hippoc. appellata, ex prægressa perfrigeratione facilè noscitur, ab aere niuoso & frigidissimo, aut ex decubitu supra locum frigidum & nimis humidum. Verùm eam quæ ex ariditate prodit, interrogatione etiam eorum quæ præcesserunt facilè nosces: nam si præcessisse comperias laborem, vigiliam, solicitudinem, vel aridam æstuan- D temque febrem, qualis phreniticis accidit, coniectabile quidem est, ex ariditate conuulsionem proficisci: sicuti dum insignis & subita præcessit vacuatio, maximè grauissimis accidentibus insignita. Verùm si contingat aliquem subitò & affatim citra euidentem causam conuelli, vt refert Gal. 2. aphorism. 26. scito ex plenitudine conuulsionem fieri. Quod quidem vno è duobus modis solet accidere, vt Galen. visum est lib. de rigore & trem. namque aut ex inflammatione principij neruorum, vel spinalis medullæ, aut alterius partis neruosæ, aut vltimò ex succorum prauorum copia circa prædictas partes prodire est coniectandum. Distingues autem an sic fiat ex signis inflammationis: quòd si hæc non affuerint, ite- E rum specialiùs inquires, nunquid ex plenitudine simpliciter dicta, aut ex ea quæ est vnius tantùm succi conuulsio proficiscatur, vt sæpè accidit ex frigidis, & glutinosis humoribus neruosas partes nutrientibus, vt Gale. placuit. 2. aphorismorum. 26. Plenitudinem autem distingues, cuiusuis sit humoris, signis, quæ capite de dolore capitis abundè scripsimus. Verùm si cum anxietate & grauissimis doloribus maximè oris ventriculi conuulsio fuerit, scitò æruginosam bilem mali causam esse, quam proculdubio reduces ad conuulsionem ex inanitione, licet non ita insanabilis sit, ac ea quæ defectu humoris prodit: sic etiam eam conuulsionem, quæ ex frigore orta est, vt Galen. aduertit. 5. aphorismorum. 17. & 12. method. ad repletionem reduces: cogit enim neruosorum corporum substantiam adeòque constringit, vt distillationi inepta efficiatur, & propterea repleri cogit, vt idem Gal. aduertit. 6. aphor. 13. Si tamen corpus siccum excarneque fuerit, excrementisque carens, frigiditas penetrans exiccare & exsuccare partes facilè potest, & ob id inde oborta conuulsio ad siccitatem reducenda venit. Signa verò quibus partem affectam cognoscimus, ad tertium hunc locum distulimus, vt quæ præsagitioni plurimum profutura speramus esse. In qua re arbitrandum est, nõ perpetuò in quauis parte conuulsa eandem esse sedem affectam, cùm cerebrum ipsum interdum noxam suscipiat, maximè in epilepsia: nonnunquã spinalis medulla, vt in tetano: interdum verò neruosa musculosaq; substantia alicui motioni peculiari dicata. Quod sanè promptè dignosces: nam si vnà cum toto corpore faciei quoque musculi conuellantur, coniectabis cerebrum proculdubio esse affectum, vt Gal. placuit. 3. de locis aff. Quòd si prædictæ partes illęsæ sint, reliquo corpore affecto, spinæ initium affici coniectandum est: at si pars alia citra alterius commercium afficiatur, neruum aut musculum illi subseruientem esse affectum constabit. Si verò caput antrorsum conuertatur, & mentum pectori annectatur, duos musculos anteriores caput flectentes laborare est coniectandum: si tamen in dorsum & scapulas contorqueatur, ex duodecim musculis caput exercentibus in posteriori parte colli, aliqui vel omnes afficiuntur: cũ ceruix erecta & immobilis manet in neutram partem incuruata, vtriq; musculi afficiuntur. In strabismo, hoc est, oculi contorsione, musculi qui ipsum mouent conuelluntur: sic in mandibulæ contorsione temporales musculi, vel nerui à secunda & tertia coniugatione: si verò labra & buccæ contrahantur, & pars ægra sanam ad se trahat, latus musculus ex quo musculi narium, superciliorum & labiorum fiunt, vel nerui à primis vertebris & ramis tertiæ coniugationis proculdubio lęduntur. Verùm si vtraque pars, dextra similiter & sinistra conuellatur, musculos vtrinq; esse contractos scito: nam maxillares musculi os & labra in latera diducũt, ita vt dum conuelluntur ægri, risu appellato sardonico afficiantur.

Verùm vtra harum conuulsionum deterior sit, iã *Præsagiũ.* audies: primò enim eam faciliorem iudica quæ per consensum fit, nisi pertinax sit frequensq; repetat; aut ex causa in cerebro fixa oriatur: grauiorem quidem eam quæ primario fit affectu, & quæ ad plures corporis partes sese extendit, aut ad vniuersum corpus vel principem aliquam particulam; vt respiratione hoc affectu læsa videre est, vel gula aut ore ventriculi, nisi febris superuenerit, in quo casu spei nonnihil subest. Sed longè vtilius arbitror esse futurã conuulsionem in febribus prænosse, quòd grandioris sit periculi, vt docuerat Hippoc. 5. aphorism. 68 dicens in acutis febribus spiritus offendens malum. Præterea insanabilem cõuulsionem iudicabis eam, quæ ex luxatione vertebrarũ prodierit. In vniuersum tamen sanabilem, aut insanabilem, facilem aut difficilẽ ex natura cõuulsionis, sed maximè ex causis venaberis: quippe conuulsio ex cerebro læso, ex vulnere, ex sanguinis profusione, ex superflua purgatione, ex ebrietate, tandem ex febre exitialis censensa est. Ex siccitate verò orta vtcunque sit siccitas, curatu omnino difficilis, & plerunque prorsus insanabilis, maximè si ex febre oriatur, vt Gal. placuit. 12. meth. & lib. de rigore. Si autem conuulsio ex plenitudine fiat, superueniente febre curatur, idque eadem die aut intra tertiam, vt Hippoc. refert. 4. aphorism. 57. & lib. de locis in homine, & 2. aphorismo. 26. De conuulsionibus autem alijs morbis succrescentibus, varias reperies in aphorismis & multis alijs in locis sententias: nam epistola ad Demetrium inquit Hippocrat. conuulsiones omnibus morbis atræ bilis succedentes atram bilem sedant: quod profectò non est omnino verum, sed in his speciebus melancholiæ

quæ delirium inferunt, si tamen alium affectum creet A longe perniciosa est in eo conuulsio. Est tamen conuulsio acutus affectus ob accidentium grauitatem, diuturnus verò ob peculiarem naturam, & causas. In qua re statuendum est, quòd licet ex Hippoc. 5. aphorism. 6. & ex Galen. in comm. elici possit tetanum quatuor diebus interimere, experimento tamen fidissimo compertimus vltra hunc terminum posse protrahi, maximè in pueris (præsertim si lumbricorum causa succrescat) quibus negauerat Aetius, sicut & senibus, hunc affectum succrescere posse. Constat tamen cum hoc ex Gal. 3. prog. commen. 36. eis frequẽtiùs accidere, inquit enim de conuulsione hoc loco disputat, quæ non in parte vna corporis, sed in omni eo intellet, quæ in pueris promptissimè euenit, sed B magis lactantibus: quos etiam lib. 1. epid. part. 2. comm. 24. conuulsionibus propter neruosi generis infirmitatem opportunissimos appellauit. Præterea statuendũ est, conuulsionem quæ fit à dorso longè grauiorem esse ob spinalem medullam, cuius morbos exitiales arbitratur Plato in Timæo. Sit ne pueris lethalior cõuulsio, non est in animo ex authorum sententijs dirimere, quia ex aduerso ferè omnes opposita scribunt, sed ex euentu: quippe longè plures pueros cõperimus conuulsionibus interire quàm adultos.

Curandi ratio. Si quis quæ hucusque dicta sunt diligenter examinet, proculdubio reperiet omnino esse impossibile, vel saltem perdifficile, vnam scribi curandi viam, & rationem conuulsis omnibus proficuam: quare C methodo, & ratione ostendere oportebit, quid omnibus & singulis profuturum sit. Quod sanè vt rectè facias, scito, tot esse vniuersalia curationis theoremata, tot etiam peculiaria auxilia, quot & causas, & differentias reperiri in hoc malo antea diximus.

Si ex torpida refrigeratione fiat. Quòd si alicui partes aliquæ, vna aut plures conuellantur, mox à causæ integra notitia, (vt si constiterit ex perfrigeratione contigisse) distinguendum protinus est, sit ne corpus humoribus plenum, febre tamẽ carens, vel febrem sibi comitem adduxerit simul cũ conuulsione, & torpida refrigeratione: aut rursus corpus ex carne existat, & vacuum excrementis: quippe hac distinctione minus aberrare continget. Sic dum febris præfuit, aut succrescit ob humorum, & prohibiti effluxus abundantiam, sanguis quidem mittendus est, non tamen semper mox ab initio: quippe differre oportet donec densa cutis aperiatur, ac humores vi, & efficacia caloris febrilis liquentur, attenuentur, & fundantur, alioqui læsuram sperabis sanguinis detractionem: nam hæc est potissima ratio, propter quam vulgus veretur refrigeratis sanguinem mittere. Cæterum dum pleno accidit corpori, dubitãdum non est, à sanguinis detractione esse auspicandum: nam quantumuis refrigeratio præcesserit, constat hæc corpora conuelli, quod quotidianus effluxus prohibitus sanguinem fundat repletionemque maiorem efficiat, & subinde conuulsionem: præterquam E quòd, nisi corpus priùs vacuaueris, non sine periculo topicis auxilijs vteris. Quapropter in hoc casu medio prorsus modo incedendum esse arbitror, nimirum sanguine protinus misso, cæterùm parcius: sicut dum torpida refrigeratio magis vrget (in qua Hippocrat. omnino interdixit sanguinis detractionem dicens lib. de coacis præ. sanguinis detractio in perfrigeratione torpida mala est) etiam si febris succrescat, primo mali accessu, calorificis auxilijs vtendum fore, quibus humores qui frigore concreti, spiritu, & calore exortes, ac ob id veluti immobiles facti, ad antiquum, & natiuum statum redeant, vt per venæ sectionem liberè possint fluere. Nam hæc est differentia in adhibitione topicorum calidorum corpori pleno citra refrigerationem, quòd humores cùm sint secundùm naturam, funduntur eis adhibitis, & fiunt præter naturam tenues, ac subinde facilè ad affectum lo A cum confluunt: at in torpida refrigeratione, dum conuulsionem efficiunt, & concreti sunt præter modum, & naturam, calida auxilia ipsos liquant, ac redigunt ad statum naturalem, non ad tenuitatem fluxilem, & præter naturam, quinimo ipsos disponunt vt vena scissa faciliùs fluere possint, & ob id ante sanguinis detractionem lege, & distinctione nuper adductis, prædictis calorificis ipsos, & densatas frigore partes dilatare oportebit mollibus frictionibus ex oleo sesamino, liliorum, iasminorum, & naphthæ, cũ semine angelicæ. Quòd si id prodesse non videatur, præsertim victus, & potus parsimonia instituta, transactis ad minus quatuor diebus, & facta leui humorum fusione, sanguinem ex basilica lateris dextri fun B des, parcè tamen, & facto prius diligenti examine, ne humores adhuc congelati sint: ac si fuerint, ante sanguinis detractionem iterum fundantur: quod sanè facies dum sæuitia dolorum plurimum non vrget: quo tempore satius est calorificis, & anodynis frequentiùs vti, donec profuisse constiterit. Verùm si adhuc humores congelatos esse compertamus, vt pulsus paruitas, extremorum frigiditas, coloris in plumbeum mutatio perbellè monstrant, neque non hirsuta, & frigida cutis, & reliquorum corporis membrorum torpida motio, tanquam à graui malo fugiẽdum est à sanguinis detractione, curandumque omni arte humores calefacere, & fundere, & posteà modicum purgare, ac interim dolores lenire anethino, C dialthæa, œsypo, oleo liliorum, de semine lini, & sesamino. Quòd si adhuc hæc omnia non videantur profuisse, ad balnea aquæ dulcis calidæ confugiendum est, & partem conuulsam à balneo vnges emplastro de meliloto, oleo liliorum liquato. Præstat & anseris pinguedo hoc modo præparata: *accipe catum in minutas partes diuisum, & pone intra anseris ventrem, item chamæpityos manip. 1. pinguedinis porci, bdellij, & castorij ana ℥. 2. excipiatur pinguedo dum assatur, & vsui seruetur.* Partes item conuulsas multa lana succida inuolues, aut in pelle cuiusdam animalis nuper mactati. Per os autem porriges theriacam cum modico vino, vel *castorei ℥. ß. cum oleo amygdala* D *rum dulcium.* Verùm si refrigeratum corpus ex carne sit, & excrementis vacuum, curandi ratio ea instituenda est, quam in conuulsione ex siccitate dicturi sumus.

Si ex plenitudine fiat. Quæ ex plenitudine oritur conuulsio, licet multiformis existat, vnam tamen habet communem curãdi viam, & rationem, euacuationem nimirum. At quia partes diuersimodè, & à diuersis humoribus repleri facilè possunt, ob id vacuãdi ratio varia existet, iuxta diuersorum humorum ideam. Replentur enim partes ex humore inflammationem efficiente, aut ab eodem tantum distendunt, citra vllam inflammationem. Habent hæ duæ repletiones id commune, quòd ambæ, & ratione sui, & ratione doloris sanguinis detractionem expostulent, copiosiorem tamen ea E quæ inflammationem parit. Item ambæ victum præscribunt tenuissimum, cuius modi est pullorum caro aut ius pullæ, pyrum assum, aut saccharo conditum, vel gallinarum hepata, aut oua sorbilia. Vinum item ambo renuunt, & puram aquam amant: habitationis locum sibi vendicant calidum, non calidiorem vt consulit Hippocr. lib. de locis in homine, statuens summo mane ignem ab vtraque parte lecti succendi, & ibidem perpetuò esse. Sed vt quæ cum inflammatione viget conuulsio, aut quæ ex copiosiori fit sanguine, saltem in capite vigente plenitudine, copiosiorem expostulat sanguinis missionem bis terve factã, ac si vires permiserint, donec doloris sæuitia mitescat (licet non confertim, & subitò, sed per vices, & interualla: nam sæpè vt Galen. refert 2. ad Glauc. sudores, & animi deliquia quæ succrescunt, id interdicũt) ita prorsus cui adiuncta est crudorum, aut crassorum

humo-

humorum copia, facta prius sufficienti præparatione hydromelite ex origano, aut stœchade, & betonica, largiùs purgabis. Purgationem autem institues phlegmagogis medicamentis, ex agarico nimirum, diaphœnico cum expressione carthami, aut syrupo solutiuo, & addita mulsa, tandem eis quæ capite præcedenti adduximus.

Corpore itaque pro humoris idea, & conditione præparato purgatoque, aut sanguine misso, & interim etiam dum hæc fiunt, ad peculiaria auxilia deueniendum esse cōsulit dolorum sæuitia, & posteà ad ea quæ reliquias humorum conterere nata sunt. Quæ primū autem scopum complent, & quæ mox à principio adhiberi possunt, sunt oleum dulce ætate medium, amygdalarum dulcium, seminis lini, & dialthæa cum mucilaginibus psyllij, seminis lini, citoniorum, & fœnugræci. Sed pretiosius est in inflammatorijs affectibus vnguentum resumptiuum cum lacte mulieris, quibus, & lana partem inunges, & inuolues, curans vt calor semper conseruetur, adhibens parti in his quæ nō ita inflammatione vigent, vesicam aliquo ex prædictis oleis calido semiplenam, vel sacculum ex semine lini, fœnugræco, chamæmelo, & sale. Interim tamen articulos linteis calidis modicè calefacies, si inflāmatio id non vetuerit. Verùm si inflammationem iam abijsse compereris, aut inflammatorius non fuerit affectus, sed ex crassis viscidisque humoribus ortus, ab his quæ diximus ad maiora te conferes. Inter quæ sanè authores non contemnendi, sed maximè in tetano, venā quæ in prima dorsi vertebra eminet, & deorsum vsque ad sacrum os per summum vertebrarū spinæ perreptat, scindere iubent: qua profectò scissa per deriuationem à collo, quidquid humoris pituitosi musculos conuellit, extrahitur: quòd si vel id iusta aliqua causa non audeas, aut ipsa vena non appareat, eo in loco cucurbitas cum scarificatione affiges, sublato tamen omni fluxionis impetu, & motu, ac progresso iam morbo purgatoque corpore: in accessione tamen doloris citra scarificationem adhibere Aurelianus consulit. His factis ad efficaciora te conferes auxilia, quale est oleum lumbricorum cum axungia humana, & oleo terebinthinæ æquis portionibus. Præstat etiam balsamum, oleum rutaceum, laterinū, irinum, petroleum, axungia gallinæ, anatis, leutræ, taxonis, & huiusmodi, quibus modicum aquæ vitæ admiscebis cum pulueribus castorei, myrrhæ, aloes, croci, & nucis muscatæ. Præstat vnguentum marciaton & aragon, oleum de costo, & de piperibus cum axungia anguillæ: fouentur etiam conuulsæ partes decoctis herbarum discutientium, & remollientiū, vt paulò inferiùs referam.

Si tamen alia, quæ multis proficua esse videntur, experiri libuerit, *accipe vulpem pinguem pelle detracta, & minutim incisam cum caryophyllis, lauro, angelica, radice althææ, & liliorum anà ℥ ß. radicis acori ʒ. 2. chamæpityos, costi, maiorana, & calendulæ anà p. 2. florum anthos, meliloti, & chamameli anà p. 1. omnia in mortario contundantur cum oleo de vermibus, & his omnibus altera vulpes repleatur, & optimè consuatur assetur que cum aspersione aquæ vitæ, & modico aceto, & eo quod instillat, vnge affectam partem.* Idem quoque facies si vulpem coxeris, nam pingue quod supernatat, vtilissimum est. Eiusdem beneficij est, partem conuulsam inuoluere pelle cuiusdam animalis nuper excoriati.

Quibus factis, ad balnea confugiendum est, quæ tanquam præstantissimum auxilium multis modis pararunt antiqui. Primum enim conficiunt ex hydrælæo æquis partibus aquæ, & olei commixtum, quod oportet esse temperatius, ne vires laborantis dissoluantur. Quod si adhuc ferre non potuerit, solis irrigationibus vtendum est ex decocto althææ, fœnugræci, seminis lini, chamæmeli, roris marini, & similiū, à qui-

A bus partem inunges oleo irino cum castorio. Semper tamen in omnibus præsidijs memoria habēdum est, ne confertim multum exiccemus: nam sæpè hac occasione tendines scirrhi naturam contraxisse comperimus, & ob id mancum superesse hominem.

Consulit tamen Hipp. in huius affectus curatione certis quibusdam conditionibus frigidam aquam superinfundere, idq; maximè in tetano, quod sanè præsidium, quia omnino tutum non est, nudè prætermitto. Iubent etiam ex vetustioribus, & recētioribus medici non pauci Hipp. decreto moti. 5. aph. 70. in hoc affectu febrem excitare, ad minus diariam: quod sanè mihi tutum præsidium nunquam visum fuit: quòd eam pacare sit perdifficile, & pleriunque suspectum,
B Prçterquam quòd si leuis exciterur, deterior efficitur, vt constat historia filij Numeni, cui apoplexia correpto leuis accessit febricula, & quia non valuit nisi humores fundere, ocyus interfecit: magna verò si excitetur, pressius, & grauius efficit periculum, ita vt tutius consilium sit, nullam excitare.

Si ex siccitate fiat.

Si ex siccitate fiat conuulsio, vt quæ summè difficilis sit curationis, si possibile fuerit, inhibenda præcauendaq; potiùs est: & ob id in febribus æstuosis vbi id malum veremur, frigidæ potu, balneis, inunctionibus, & alijs huiusmodi, quæ ça. de caus. lib. nostro de febrium curatione diximus, adhibere oportet. Quòd si iam hominem apprehenderit, causa prius consideranda est: quippe in plerisq; ex calore, aut colliquanti
C bus febribus si acutæ sint, adeò arida siccitas introducitur, vt subitò casu partes conuelli conspiciamus: in alijs verò exuperās vacuatio affatim, & subitò facta. Atque licet communem quandam curandi viam, & rationem vtraque siccitas expostulet, nihilominus tamen, iuxta causæ diuersitatem, & naturam nonnihil curationem variare oportebit. Nam his qui ex calore, & febre conuelluntur, licet refici expostulent, magis tamen ex vsu est balneum dulcis, & tepidæ aquæ; alijs verò qui ex vacuatione, humectatio per alimenta, & ea qui deperditam substantiam reficiunt citra balneum. Sic omnibus proficua est ea victus ratio quæ humida sit, & optimi nutrimenti, vt sorbitiones, & contusæ carnes, maximè pullorum, gallina-
D rum, hædorum, capreolorum, ranarum, & piscium: item prædictarum carnium iura cum oleribus, aut ptissana. Potus sit hordei, aut cinnamomi aqua, vel cui admixta sit syrupi violarum portio: tandem vita omnis velut hecticis instituenda est. Præterea siue ex siccitate, siue ex inanitione prodeat conuulsio, leui frictione corpus tractare erit opus, idque summo mane, & mox inungere oleo dulci, vel amygdalarum dulcium, sesamino, aut hydrælæo, vel vnguento resumptiuo: tandem lacte mulieris spinam madefacies, & modicè refrigerantibus ob febrem, ac humectantibus ob neruorum siccitatem vteris. Post quæ si vires permiserint, ea lege quam diximus balneis vtendum est, vel fomento q. ℞. *aquæ hordeaceæ lib. 2. folio-*
E *rum lactucæ m. 1. florum violarum p. 1. olei amygdalarum dulcium, & violarum anà ℥. 1. fiat decoctio ad consumptionem aquæ: & fiat fomentum admixto modico lacte, aut citra ipsum.* Verùm si his iterum, atque tertio factis affectus non quieuerit, partem conuulsam iterum madefacies oleo violarum, & fotibus qui fiāt *ex decocto maluarum, violarum, althææ, extremitatum arietis, addito oleo liliorum, violarum, sesamino, & butyro cum modico radicis mandragoræ, axungiæ porcinæ, castorei, & vini penetrationis gratia, ac ne nimis frigida noceant.* Quod si in scirrhosam duritiem pars concrescat, vt tensa ligamenta laxentur, ex vsu esse solet cruor bouis recenter mactati, donec actualis calor euanescat. Præstat & pinguedo omnis, & omnis mucilaginosa gummosaque substantia, ex quibus facilè erit varias medicamentorum formulas effingere huic malo proficuas, maximè si

cuiuis admiſceas pinguedinis anguillæ, ranæ, aut anguis nonnihil.

Si ex vulnere fiat. Accidit ex vulnere conuulſio vna è tribus rationibus: prima quidem ex immodica ſanguinis profuſione, cui ſubueniendum eſt reſtincto ipſius fluore & optimis alimentis; ſecunda ex nerui aut neruaceæ ſubſtantiæ punctura: tertia verò ex eiuſdem partis inflammatione. Quamobrem (prætermiſſa ea, quæ ex nimio fluore prodit, vt quæ conſimilem expoſtulat curationem ei quæ ex inanitione fit) duplex erit in hac parte curandi via: prima quidem inflammationi idonea, & ſecunda puncturæ. Circa primam, tutum profectò mihi in vulnerum curationibus ſemper viſum fuit, peculiari diligentia inflammationem prohibere: nam vbi ſemel neruoſæ partes inflammātur, periculum eſt, ne ob cerebri conſenſum deliria et conuulſiones ſuccreſcant. Cui vſui, præmiſſis per ſanguinis detractionem ſufficientibus euacuationibus, neque non &, per exquiſitiſſimam viuendi rationē, tenuiſſimumque victum, calente oleo principia neruorum & germina ac eorum proceſſus fouere oportet: ita vt ſi affectus ſit in brachijs aut manibus, alas, ſpinam & caput inungas: ſi in crure, ſpinam & inguina. Vlceris verò eam habebis prouidētiam, quam 5. & 6 meth. Gal. docuit. Quòd ſi bis factis adhuc pars inflammetur, maximè ſi vſus fueris leniētibus & mitigatorijs auxilijs, vlteriùs ſanguinem mittes & partē inunges oleo lumbricorum, roſarum & lacte, aut oxycrato longè à parte affecta admoto. Verùm ſi conuulſio delirium et febris his etiam adhibitis creſcant, laboranſque in diſcrimine videatur, extremum quoque præſidium tentare oportebit, nimirum neruum præſcindere: quod ſi renueris, ſcito malum grauius & lethale futurum, quippe ex vulneribus conuulſio per proprios neruos repit, moxq; ad neruorum principium malum peruenit, vt iam in totum corpus affectus fundatur, velut circulo quodam à neruis orta affectio rurſus in neruos remeat, quòd mutuus ſit inter cerebrum & ipſos conſenſus. In punctura verò idem conſilium ſeruare oportet, & medicamenta parti apponere quæ diximus lib. 2. de præſidiorum recto vſu: interim tamen vulnus latius reddes, & aperto foramine oleum de terebinthina infundes, vel de euphorbio cum galbano, & vlcus ad cicatricem tardiùs perduces: quòd ſi hæc non profuerint, neruum & tendonem etiam præſcindes.

Si ab alijs cauſis. Licet communi quadam ratione conuulſiones omnes curari poſſe dictum ſit, ſunt tamen ſpeciales quædam cauſæ vel partes conuulſæ, quæ peculiaria etiam expoſtulent medicamenta & medendi prouidentiam. Sic ea æruginoſis vomitibus conuulſio (quæ licet ad inanitionem pertineat humoris, illius quoque vbertate efficitur) clyſmatis & purgatione ex rhabarbaro cum ſero lactis aut ſyrupo ex infuſione violarum, vel manna aut alio ſimili curanda eſt. Interim tamen ſedabis conuulſionem potibus aquæ feruentis, vel aqua portulacæ cum ſucco violarum, aut amygdalarum dulcium lacte, vel expreſſione ſeminum frigidorum, aut ſyrupo ex muſcilaginibus; & tandem his quæ vel ſenſum ſtupefaciunt, vel humoris acrimoniam retundunt & compeſcunt. Si tamen ex epoto ſit veneno, alexipharmacum veneno aduerſum porriges, aut multis cibis & potibus laborantem replebis, vt venenum retundatur mitiuſque fiat: antè tamen vomitibus ipſum repellere curabis. Atqui ſi venenum ſit à fera vel à venenato aliquo animali eiaculatum, poſt alexipharmacum protinus cucurbitam cum multa flamma parti demorſæ affigere, vel eam ferro candenti vrere oportebit, vel etiam alexipharmacum ei apponere. Verùm ſi ex luxatione conuulſio prodeat, fruſtra eſt auxiliares manus adhibere, ante quàm luxatum os in propriam ſedem reuertatur: ſat enim eo tempore erit lenientibus & mitigatorijs auxilijs dolorum ſæuitiam frænare.

Canina cōuulſio. Nulli etiam dubium arbitror, quin canina conuulſio ſeu riſus ſardonius ex conuulſione vtriuſque lateris prodeat: nimirum maxillaribus in latera os & labra ducentibus conuulſione correptis & retractione ad originem, ita vt ægri perpetuò ridere videantur. Qua ratione cenſeo ab Ariſt. 3. de part. animal. cap. 10. dictum fuiſſe, ictu traiectum diaphragma in prælijs riſum attuliſſe: & licet ipſe id referat ad calorem quem mouet vlcus, quo facta alarum titillatione mens mouetur præter voluntatem, nihilominus tamen cùm riſus ſit ſardonius, & ſepto ſauciato pleriq; ita ridendo moriantur, cauſa potiùs referenda videtur ad diaphragmatis neruos ex tertia & quarta ceruicis vertebra ortos, à quibus ramuli quidam in maxillas & labra inſeruntur, vbi qua parte ad diaphragma perueniunt, fuerint conuulſi, vnà quoque ſecum ramulos illos muſculorum faciei contrahunt, quibus maxillæ & labra hinc inde præter arbitrium agitata riſum quendam repræſentant. Sic Hippocr. 5. popul. Tichoni refert in obſidione circa Datum à catapulta perculſo in pectus, paulò pòſt ſuperueniſſe riſum. Semper enim affectio hæc ad muſculum authorem illius motus qui læſus eſt, referri debet: & cùm ambo muſculi conuelluntur, procuIdubiò canina conuulſio riſui perſimilis prodit. Verùm cum alter muſculorum conuellitur, ad ſui ſolùm originem buccam agit, ac reliquam quæ ſana eſt ſecum etiam rapit, non minus oris torturam (non tamen riſum) efficit ac dū reſoluitur altera faciei pars. Eſt tamen differentia, quòd in reſolutione ſeu paralyſi ſana pars ægram & reſolutam ad ſe trahit, in conuulſione verò, conuulſa ſanam. Quod ſanè dignoſces ex dolore partis quæ reliquam trahit, ſi conuulſio ſit, ſin aliter, nullus adeſt dolor. Præmiſſa hac affectionis natura ſtatuendum eſt, curandi rationem communem habere cum cæteris conuulſionibus, quatenus ad affectus naturam attinet: verùm cùm hæc peculiaris quædam affectæ partis conditio, & venarum quæ in affectum concidunt, in cauſa eſt, cur neceſſum ſit eius affectionis ſpecialiùs meminiſſe: quippe quæ certa quædam auxilia expoſtulet, quæ alijs conuulſionibus profutura non ſunt. Qua propter in peculiari curatione obſeruandum eſt præter vniuerſalia & communia auxilia, ſanguinem eſſe mittendū ex venis quæ ſub lingua ſunt. Quod ſanè opus non temerè & vt cumq; aggrediendum eſt, ſed ſi lingua intumuerit, aut humorū occaſione torpida ſit. Quo facto, materiam purgationi parabis melicrato ex decocto acori & ſtœchados cum cinnamomo & nuce muſcata: moxq; purgabis agarico, carthamo, diaphenico cū ſyrupo ex infuſionibus roſarum, vel pilulis cochijs aut Arabicis. Ac ſi res vrgētiſſima ſit, purgabis hiera Pachij deſcriptione Scribonij, quæ ſic conficitur: ℞. *pulpæ colocynthidis.* ℨ. 4. *opopanacis & ſagapeni ana.* ℨ. 1. *& grana 7. marrubij, ſtœchados, agarici, chamedryos, petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi ana.* ℈. 2. *cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ, ſeminis angelicæ, croci, ana.* ℈. ß. *& g. 4. opopanax & ſagapenum in mortario tundantur cum modico ſyrupo ſtœchados, & reliqua in puluerem redacta cum melle, quod ſufficiat, fiat electuarium: cuius ſume.* ℨ. 1. *caſtorei. gr. 4. diſſoluantur in aqua mulſa & fiat potus.* Purgata itaque materia, ad topica auxilia deuenies, & primò ad id q. ℞. *radicis althææ.* ℥. 1. *ſeminis fœnugræci conquaſſati* ℥. ß. *fiat decoctio in oleo conuenienti, & aqua ſaluiæ, & facta forti expreſſione, vniuerſa ceruix inungatur, deinde cum lana ſuccida partes affectæ & ceruix ipſa muniantur.* Facta quidem hac inunctione, vteris oris collutionibus, gargariſmatis & caputpurgijs, quibus & pars affecta & caput ab humorum copia expurgantur. Sic palatum illinies eo quod ℞. *nucis muſcatæ,*

pyre-

pyrethri anà ʒ.1. piperis, sinapis anà ʒ. ß. decoquantur omnia in ℥.8. mulsæ, & vtere. Masticare etiam radicẽ angelicæ prodesse scribitur, nec non mastichæ admixta. Præterea vt materia euacuetur, & suaui rerum aromaticarum accessu caput recreetur, ore teneat laborans acorum conditum, zingiber conditum, nucem muscatam, aut frustum ambræ grisiæ. Probatur etiam hoc caputpurgium q. ℞. *anagallidis quæ cæruleum habet florem, panis porcini, nucis muscatæ, cucumeris syluestris, acori, & pyrethri anà ʒ. 1. conquassata omnia bulliant in aqua maioranæ, ex qua instillentur quinque, aut sex guttæ in nares ægro supino, vel nares intrinsecus madefiant prædicto liquore.* Quibus factis, partem affectam, & capitis posticam inunges vsque ad quintam vertebram oleo sicyonio, de squilla, de piperibus, de terebinthina cum bdellio, opopanace, & galbano. Idem beneficium præstat oleum de enula, crocinum, de ligno sancto, de styrace, lumbricorum, de euphorbio, de castorio, & axungia humana. Huic etiam affectioni proficua est inunctio quæ conficitur hac lege: *Sumatur anser, & abiectis intestinis, posteà catum minutim incisum in eius ventrem immitte cum ladano, myrrha, & thure, & facta sutura assetur, cuius pinguedo recipiatur in vase aceto pleno, & concreta ibidem pinguedo vsui seruetur: ac in eodem aceto alius anser coquatur, ex cuius pinguedine cum priori admixta vtilissima paratur inunctio.*

Vteris etiam, morbo eunte in declinationem, emplastris meliloto, & ceroneo malaxatis oleo rutæ, aut aliquo ex supra dictis. Prodest & sacculus q. ℞. *pulicariæ, herbæ paralyseos, origani, calamenthi, foliorum lauri, & rutæ anà manip. ß. florum stœchados, saluiæ, sambuci, anà p. 1. radicis pyrethri ℥. 1. fiat sacculus, qui vino irroratus, & calens parti adhibeatur:* ex his etiam herbis fieri potest cum aceto decoctio, cuius vaporẽ pars affecta suscipiat. Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, cucurbitam secundæ, & tertiæ vertebræ affige, modo conuulsio non sit per consensum. Quòd si inueteratus fuerit affectus, post aures, aut in ceruice consilio Rasis cauterium affigere oportebit, ferro candenti, vel potentiali factum, cuius naturæ sunt dropaces, & sinapismata.

CAPVT XVI.

De epilepsia, & quomodo ex sanguine fiat, ac de motu etiam conuulsiuo.

EST epilepsia motus vniuersi corporis cõuulsiuus, non tamen perpetuus, cum mentis, ac sensuum oblæsione propter prauam materiam cerebrum irritantem. Dictum namque est præcedenti capite, conuulsionem inter alias quas susceptat differentias, vnã hanc potissimam obtinere: nimirum quandam fieri in musculo, tendone, ac partibus eorum primariò affectis: quandam verò eisdem partibus, simul cum cerebro, & exortis ab eo, consensu quodam læsis. Cuius sanè diuisionis prima pars complet caput de conuulsione: secunda quidem complectitur omnem motum conuulsiuum, in qua sorte epilepsia locum habet.

Nomen. Epilepsia grauissimus quidem corporis affectus, ita profectò dictus quòd detentio sit, & superiorum corporis partium oblæsio: quæ affectio ita faciem capiti habitum præstat, quòd vel difficulter soluatur, vel in malum grauissimumque morbum promptè degeneret, vt non nisi grauissimis auxilijs curari queat. Sortitur præterea nomina, iuxta variam authorum circa ipsum æstimationem: quidam puerilem appellarunt morbum, quòd frequentiùs pueri eo corripiantur, vt Hippocrat. lib. de locis aqua, & aere insinuare videtur. Verùm si quis diligentiùs Hippocrat. ea parte legat, & 3. aphor. 25. reperiet eò pueris esse familia-

A rem, quia eorum natura ad conuulsionem prona existat, cùm constet conuulsionem pueris esse familiarissimam. Alij morbum Herculeum appellarunt, cõsiderantes eius vehementiam, quæ tanta est, vt & validissimos quosque viros, & Herculem ipsum deuincere, ac superare queat: non quidem quod Hercules hoc affectu laborasset, quod Galen. voluit, licet Aristot. authore Hercules alter epilepticus fuerit. Plerique etiam medicorum appellant morbum comitialem, quia frequenter in conuiuijs eo plures homines corripiebantur. Quod nomen creditur fuisse inditum à Romanis, quibus congregatis per Kalendas Ianuarias ad magistratus eligendos, facilè ob conuiuij vbertatem hic morbus præsto erat. Alij rursus epile-
B psiam nominant, sumpta vocabuli etymologia à superioris, & præstantioris corporis partis læsione. Vltimò apud plerosque nominatur morbus sacer, quòd multis profectò rationibus illi esse inditum arbitror: vna quidem, quia apprehendit cerebrum, mentis nimirum sedem, quam sacram Palladis arcem antiqui appellarunt: secunda quia apud comicos antiquos sacrum dicebatur, quod in sua specie erat maximum: quo significato apud medicos os sacrum dicitur postremum dorsi, quòd maior sit inter omnia eius ossa: tertiò verò morbus sacer vocatur, quia detestabilis est, sacras enim nominabant res detestabiles antiqui, vt apud Poetam: Auri sacra fames. Quartò insuper vt nonnulli asserunt sic dicitur, quòd diuinus vi-
C deatur morbus, hoc est à dijs in vindictam, & supplicium immissus, iuxta illud Hippocrat. 1. prognost. Et si quid diuinum in morbis habeatur, illius quoque ediscere prouidentiam conuenit: vel vt Aretæus refert, quòd humana ope tolli non possit, sed diuina, aut quòd dæmone correptus homo videatur: vt ipse inquit. Vltimò quidem huiusmodi affectum lunarem morbum multi nuncuparunt, quia interlunio nati obnoxij huic malo existimantur: vel potiùs quòd motu lunæ moueatur, & repetat, maximè quidem in his qui concepti sunt fluentibus mensibus, ob impuritatem sanguinis menstrui, qui plerumque lunæ motum sequitur. Aretæus etiam addit elephantiasim quandoque dici, quòd nullo remedio superari
D possit. Verùm licet varijs insigniatur nominibus, non ob id sequitur diuersam obtinere naturam, sed omnia vnica ratione conuenire. Huius sanè affectus vt exactè constet substantia, nosse oportet quale symptoma in genere sit, à quo cerebri morbo prodeat, quas causas habeat, quibus etiam constet differentijs, & quibus signis quæuis cognosci queat: vltimò verò qua nam ratione curetur, iuxta varietatem specierum quibus constat.

Epilepsiæ diuisio. Sed antequam has partes exponendas suscipiam, vt innotescat magis huius affectus natura, quam in conuulsione per consensum sitam esse diximus, expendisse oportet, cerebrum in consensum euocare neruosum genus vno è duobus modis: primò cùm
E cerebrum ipsum primariò est affectum, & mox reliquæ neruosæ partes per consensum coafficiuntur: secundò verò cùm neruosarum partium aliqua primariò affecta cerebrum in consensum trahit, & iterum ab ipso cerebro vniuersum corpus conuellitur, aut concutitur. Iuxta quas sanè diuisiones epilepsia in tres potissimum differentias diuiditur: nimirum in epilepsiam quæ nomen generis obtinet, & est prædicta corporis conuulsio ex sola cerebri læsione orta, quam medici vocant epilepsiam per essentiam. Secatur etiam in analepsiam, quæ motus est totius corporis concussiuus cum oblæsione sensus, & motus, cerebro tamen à ventriculo compatiente. Tertia verò & vltima differentia appellatur à veteribus catalepsia, cùm videlicet eadem succrescunt symptomata, consensu cuiusuis alterius membri particularis, cruris videlicet, manus, aut digiti.

De motu conuulsiuo.

Est præter dictas epilepsiæ species motus quidã ipsis persimilis, qui licet conuulsiuus vulgariter appelletur, à conuulsione, & epilepsia (quam motum etiã cõuulsiuum omnes appellãt) mille modis dissidet: cuius profectò natura media est inter verum tremorem, & motum epilepticum. Qui sanè motus fit in membris motui voluntario seruientibus, cum quadam concussione, & vibratione epilepticis motibus persimili. Est denique species quędam tremoris spurij, & illegitimi, fit tamen à membri vitio (quo ab epilepsia dissidet) item fit à facultate motiua, non tamen voluntati obtemperante, vt exquisitus tremor, qui etiamsi laborãs velit membrum quietum habere, & firmare, nequit, sed vtcunque ponat, semper tremit, sed fit à facultate motiua languida simul, & oppressa, irritata tamen à causa mordente, & lacessente, vt facilè videre est in plerisque febrientium febre maligna, quibus mẽbrũ aliquod, aut lingua tremit: quem motum cõstat esse medium, seu compositum, ex tremore, & conuulsione illegitima, vt latius leges c. de cordis tremore. Differt tamen ab epilepsia, quia hæc semper fit cum obliuione, & interiorum, ac exteriorum sensuum oblæsione, & motus hic conuulsiuus citra ipsam: quo fit vt longè magis torqueantur laborantes, quòd sensu sint libero ad patiendum, maximè cum motus hic dolorosus existit, nam aliquando molestus solum est, non dolorosus. Præterea hic motus differt ab epilepsia, q a in ea spuma per os excernitur, in motu autem conuulsiuo minimè. Item dissident, quia in epilepsia cerebrum patitur quo ad ventrem, & substantiam ipsam: in motu verò hoc sola substãtia neruosa, siue in exortu, siue paulò infra: quo fit, vt sensus interim nõ simul oblædantur, vt in epilepsia. Præterea in epilepsia omnes corporis partes, aut plures conuelluntur, in hoc verò vel omnes, vel aliquæ, aut vna tantùm. Differt quoque is motus à vero, & legitimo tremore, quia hic fit à facultate voluntariè membrum mouente, & membri grauitate, at motus hic conuulsiuus, quem spuriũ tremorem appellaui, quæ semper fit à coacta, & irritata facultate à re quæ membrum grauat, aut mordet simul. Item dissidet à neruorum distensione, quia hæc est membri positio in vna figura, ille verò contractionem, & extensionem simul molitur. Differt pręterea à conuulsione, quia hæc fit solùm motu ad originem, ille verò ad varias membri positiones: dissident insuper causa, quia conuulsiuus motus prodit plerunque ab halitu, aut praua aliqua humoris qualitate cũ copia membrum infirmante, conuulsio autem, non nisi à repletione, aut inanitione, vel frigore. Comperimus enim in rigoribus febrium nonnunquam hunc conuulsiuum motum, capite & neruorum origine nequaquam læso: item in malignis febribus non rarò, sed maximè in lethalibus capitis vulneribus: nam in partibus quæ è directo partis læsæ existunt, paralysis plerunque succrescit, ob deuictam, & superatam ea parte à putredine naturam, cuius vitio, & fœtore spiritus dissipantur, sed maximè ob deprauatam, & malignã saniem. Verũ cùm ad alteram cerebri, aut neruorum partem prædictæ corruptiones, & halitus, ac vstilagines peruadunt, tunc profectò irritata natura (non deuicta vt in altero latere) ab eorũ corruptela, & prauitate conuulsiuus hic motus concitatur, natura conãte à molesto sese tueri, haud secus, quã in singultu contingit. Quo fit, vt censendũ sit, omnino hunc motum ab eisdẽ, & similibus causis concitari, tumirũ à vapore, vstilagine, aut quouis vitioso spiritu, aut à pauca, & cõmota materia, tenui verò, quo se possit in mẽbri substantiã insinuare, non tamen omnino copiosa, ne vera fiat conuulsio, aut paralysis, sed praua, vt neruos irritare nata sit, & cũ aliquali copia vt vires infirmare. Efficitur autẽ hic motus continuus, aut interpolatus, & per accessiones repetẽs, prout materiam, aut ibidẽ genitam sortitur, aut aliunde transmissam: intermit-A tit etiã in continuis tempore somni, non quidẽ defectu causæ, sed sensus obtusione, & ocio. Generatur plerunque hæc materia in cerebro, ac defluit per neruos extra ipsum: aliquãdo in alia parte, & cerebri radicem ferit, aut nerui alicuius exortũ, quo membrum illud moueri solũ cõperimus. Verũ cũ materia adeo est corrupta (siue ab vtero, siue aliũdè prodierit) quòd summopere nostræ naturæ sit aduersa, vehementissimos, & atrocissimos, ac epilepsiæ persimiles concitat motus, quibus laborantes summoperè torquẽtur. Vereri enim ex graui hac & molesta affectione oportet ne in vetustatem cõmigret: solet quidem dũ ocyssimè non interdicitur materiæ generatio, nonnunquã in immedicabilem tremorem commigrare: quapro-B pter diligenter curabis præcauere ne diu duret: nam dum alijs morbis succrescit, cerebri grandius malum minatur, vt semper in febribus malignis in phrenitidem, & lethargum degenerasse visum est.

Quo differat à conuulsione epilepsia, & quale symptoma sit.

Dictum superiùs est epilepsiam mille modis à conuulsione differre licet de eius genere sit: namq; cõuulsio affectus est stabilis, & permanens, quo partes præter voluntatis imperium ad suã originem flectuntur: epilepsia verò motus est conuulsiuus, non conuulsio, cùm non solùm ad originem, verùm etiam ad omnẽ situs positionem membra moueri conspiciamus. Pręterea conuulsio suboritur à solo morbo citra alterius causæ complexum: at epilepsia à natura irritata causis ipsam molestantibus, quas vt à se pellat vniuersum C corpus quatit, & mouet. Item conuulsio fit musculis per primogeneam affectionem affectis, motus verò epilepticus fit per consensum à cerebro, musculis nihil patientibus. Præterea conuulsio fit ab inanitione, aut repletione, motus verò conuulsiuus licet ab humoris copia fiat aliquando, nusquam tamen ab inanitione: præterquam quòd peculiarem habet causã, nimirum eam quæ irritandi, & mordendi vires sortiatur: quo factum fuit, vt huiusmodi conuulsionis modum ad spasmum non proportionatum ad materiam authores reduxerint. Erit igitur epilepsia symptoma in genere deprauatarum actionum expellentium, & motiuarum, quæ inordinatum efficiunt motum citra voluntatis imperium, lacessita solũ motri-D ce potentia ex cerebri molestia illata à re mordente, aut obstruente: quæ quidem sensibilitas omnes potẽtias expultrices, & animales secum in consensum trahit, & lædit. Quo fit vt cerebri potentia motiua, dilatatiua nimirum, & compressiua, vehemẽtiùs dilatet, & comprimat, & à se quatiat, atque pellat quod sibi adhæret, & molestat: quemadmodum in sternutamẽtis euidenter conspicimus: quippe sternutamentum leuis quædam epilepsia est. Neque arbitrandum erit profectò, naturalem expultricem tantos tamque varios edere motus, licet iuuet ad vehementiam motionum: etiamsi non sit à ratione alienum arbitrari primò fieri à virtute naturali expultrice, adiuta tamen à vi dilatante, & comprimente cerebrum, lacessita E etiam motrice: qua vehementiores fiunt motiones ob membranarum sensum, & mordicationem, potiùs quàm cerebri substantiæ, quam sensu non plurimum pollere constat, sine quo hos motus fieri est impossibile, vt latè exposuimus lib. de fœminarum affectionibus capite de epilepsia.

Quę morbus sequatur.

Secundò loco sese offert disceptandum, à quo nã morbo, & à qua cerebri parte prædictum symptoma oriatur: nam constat omnium consensu, obstructionem esse affectum à quo prodit, eamque à crassis, ac lentis humoribus ortam. Sed cùm in hoc affectu duo reperiantur symptomata, oblæsio nimirum mentis, & sensuum, ac motus conuulsiuus, proculdubio arbitrandum est, alterum symptoma proficisci ab obstructione, & alterũ à solutione cõtinui per mordicationem facta dependere. Certũ enim est, obstructionem suapte natura non posse motum efficere deprauatum,

uatum, sed vel diminutum vel abolitum, vt in apoplexia & paralysi dictum est. Quo fit vt aliam expediat inquirere causam illius symptomatis: quam nos arbitramur esse acrimoniam, mordacitatem, venenositatem & grauitatem, ac denique omnia quæ lacessere & irritare naturá expellentem nata sunt: ex quo prodit huiusmodi affectum ex consensu fieri ad cerebrú aliunde transmisso, quod apoplexię & paralysi denegauerat natura: quia earum ratio sita erat in obstructione: huius verò quatenus ad deprauatum motum pertinet, in quouis vino naturam lacessente & irritante, non quidem in obstructione vt multi & ferè omnes sunt arbitrati. Est enim hoc præcipuum inter apoplexiam epilepsiamque discrimen, quod & inter paralysim tremoremque esse animaduertimus: in hoc enim tremor epilepsię quodammodo similis est, sicut paralysis apoplexiæ. Ergo vt tremoris causa nó est obstructio, sed superfluus tantùm humor naturæ grauis, & grauitate duntaxat, non etiam obstructione, sicut in paralysi motum conatusque naturæ impediens: ita in epilepsia iudicare licet humorem qui copia aut acrimonia cerebro nocet, non alia ratione epilepsiam motusque eius deprauatos excitare, quã per molestiam naturæ, non per obstructionem caui: eoque fieri, vt inde concitata facultas animalis in suum principium se recipiat, quo tota in eius depulsione postea incumbat mediantibus cerebri dilatatione & compressione vehementioribus. Non est igitur omnis causa obstructio, sed quemadmodum singultum (inquit Gal.) generati aliquando cernimus, sic etiam epilepsiam quandoq; fieri putandum est. His non obstantibus, tanquam certum arbitramur, non deesse in hac epilepsia certum quendam obstructionis modum: siquidem adest potentiarum interiorum ac sensuum omnium oblæsio: quod nisi ex grandi & fugida intemperatura (qua carent epileptici: nam aliter non fieret, aut solueretur illis affectio subitò) aut obstructione fieri est impossibile. Cuius dubitationis gratia asserimus, obstructionem posse fieri in cerebro duobus modis: vno à re obstruente meatus & cauitates cerebri, vt in apoplexia, paralysi & epilepsia per essentiam: alio verò citra humoris affluxum ac veram meatuum clausuram, sed solùm per cerebri deprauatam configurationem, quam nanciscitur ex deprauatis einsdem cerebri motibus, quos efficit vt à se pellat molestum: quibus sanè variè configuratur & perdit natiuam figuram, & natiuos etiam meatus adeò vitiat, vt paulò minùs potentiæ oblædantur, ac dum verè obstruuntur cauitates. Quo fit, vt in ea epilepsia qua per consensum ab aura vel flatu caput euntibus concitatur, non omnino priuentur laborantes internis sensibus: quinimo aliquando audiunt & vident, vt hystericis accidit fœminis. Quo etiam fit, vt hæc epilepsiæ conditio rarò migret in melancholiam, apoplexiam & paralysim, vt illa quæ fit à vera obstructione, quam certum est facilè commeare in dictos affectus. Præterea considerandum est in altero symptomate nimirum mentis & sensus oblæsione, non sat esse humores aut halitus esse acres & mordaces, quales diximus, sed prærequirere alium interesse morbum, puta leuem quandam obstructionem, vt huiusmodi priuatio sensuum oriatur. Est tamen differentia notatu digna, quòd in epilepsia per consensum, eo quòd causa crassa nó sit, aura enim est & flatus, obstructio vel nulla, vel leuis, vel modo dicto efficitur, & ob id sensus oblæsio minor, motus autem conuulsiuus maior & vehementior, quòd acrior sit halitus aptiorque ad lacessendam naturam, ineptior verò ad moliendam obstructionem. In quibus verò epilepsia oritur in cerebro per essentiam, minor fit aliquando motus oblæsio, (& maior nonnunquam, si acrior fuerit humor qui in cerebro colligitur) maior verò & pressior sensuum oblæsio:

A quia ob materiæ crassitiem obstructio efficitur maior. Hinc enim disces, mirandum non esse, si aliquis authorum dixerit, in hoc affectu posteriorem cerebri partem necessariò lædi, alius verò anteriorem, cùm vtraque pars necessariò lædatur: anterior quidem vt constat ex sensuum interiorum & exteriorum oblæsione: siue id fiat consensu posterioris læsæ & se mouentis, siue per halitum illi communicatum ex crasso humore in postica parte existente. At posteriorem lædi euidentissimum est, & id per essentiam, siue à mordente aliquo, siue à grauante aut obstruente, quòd motus omnium ferè corporis partium vehementer oblædantur. Quibus euidenter constat qualiter intelligenda sit Galen. sententia lib. 4. de locis affect. dum inquit. Atqui in sopore anterior pars B magis, in apoplexia verò & morbo comitiali vtraque afficitur: in apoplexia per essentiam ambæ: in comitiali posterior per essentiam & anterior consensu posterioris. Ex qua sanè differentia non parua interest periculi ratio: nam periculosiores sunt epilepsiæ quæ fiunt per essentiam, licet mansuetiores appareãt, quòd periculum sit, ne humoris copia aliquando vis illa expellens succumbat, & nullo facto motu ibidem maneat ac in grauiorem affectum commigret. Quæ verò per consensum fiunt, toleratu grauiores, sed securiores existunt: nam vt dictum est, illæ subitam mortem minantur, maximè si frequentiùs repetant, reliquæ verò minimè.

Vtra epilepsia periculosior

Causæ.

C Vnanimi omnium authorum consensu constat, epilepsiæ causas esse crassos, viscidos & lentos humores, quales pituita & melancholia existunt; idque maximè in ea quæ per essentiam fit: item halitum & auram, vel quamuis aliam substantiam quantùmuis tenuis existat, dum cerebrum mordeat, velut illa quæ Grammaticum illum à Galeno relatum in epilepsiam ducebat, vbi solùm vehementer irasceretur aut doceret. Quæ sanè causæ licet ab omnibus probentur, de crassis ac melancholicis humoribus etiam, vt Galen. refert, prima fronte verum videtur, non tamen vt iacet, subaudiendum esse censemus: nam si id verum esset, nulla staret differentia inter epilepsiam & apoplexiam atque paralysim: ratio est, quia D ibi omnes effectus ab eisdem humoribus prodeunt & ab obstructione eiusdem partis, vnde constaret eiusdem fore naturæ, cùm longè inter se dissideant. Neque obstat quodammodo differre posse ratione maioris aut minoris obstructionis: nám id differentiam potiùs aut speciem apoplexiæ constituit, quàm dissidium inter apoplexiam & epilepsiam: cùm constet in ablata aut diminuta actione stare apoplexiam aut paralysim, epilepsiam verò in corrupta. Quòd autem ab eadem causa hę affectiones fieri nequeant, vlteriùs probatur: quia epilepsia fieri potest per consensum neruis aut cerebro minimè læsis, hoc est, non obtinentibus causam: apoplexia verò & paralysis nunquam: præterquam quòd epilepsia subitò E fit & soluitur, paralysis verò & apoplexia minimè. Ex quibus constat, quod licet hi omnes affectus ab obstructione prodeant, & obstructio à crassis humoribus, nihilominus tamen aliqua in modo obstructionis inest differentia, quæ ipsos affectus tot numeris inter se differre efficiat. Hanc enim arbitramur esse, quòd ad generationem apoplexiæ aut paralysis humores conscendunt in propria forma, crassi nimirum & tenaces, cæterùm ad generationem essentialis epilepsiæ (licet in vtroque affectu obstructionem efficiant) spumosiores, leuiores & rariores facti: sicuti spuma per os excreta quotidiano experiméto confirmat, à qua protinus cessat affectio, quasi indicans iam excreuisse naturam morbi causam. Probat prædictam veritatem, epilepsiam nunquam aut quàm rarissimè senibus succrescere, quòd eorum cerebrum adeò sit frigidum, vt præ caloris defectu

crassum humorem (quo sæpissimè abundant) ibidem contentum, nusquam attenuari, rarescere, ac in spumeam naturam mutari posse contingat: ob idq; frequentiùs in apoplexiam, paralysim, aut tremorem cõmigrare, quàm in epilepsiam. Prætereà statuendum est, epilepsiam non posse proficisci ab immateriali causa, sicut nuda intemperie, quòd subitò fiat, & soluatur, sed ad minus à materia in flatum versa, vt refert Aristot. in lib. de somno, & Auerr. 3. colliget ca. vltimo: quo etiam differt ab apoplexia, quæ ab ingenti frigore oborta visitur, dum hæc instrumentis vitiũ infert, alioqui vel memoriam, vel rationem lædit, iuxta illud Galen. 3. de locis affect. nimirum cerebri intemperies plerunque vergere in animam, hoc est internas potentias lædere: quòd si instrumenti morbũ efficit, affectus in corpus migrat, hoc est, fiet epilepsia, apoplexia, vel resolutio, aut conuulsionis aliqua species. Secundo differunt hi affectus ratione modi causæ lædentis potentiam: qui in apoplexia, & paralysi humores facultatem deuincunt, & superant, ita vt nequeat mouere se, neque ipsos expellere: at in epilepsia tantùm irritat, & lacessit eandem ad motum expulsionis quem mouet. Itaque tota eius ratio consistit in irritamento facto à malitia, vel grauitate humorum conscendentium ad obstructionem efficiendam: quam vt vitet natura, mille motibus affectam partẽ dilacerat. Atqui dum præ impotentia, aut lassata frequentia accessionum nequit humorem attenuare, ac in spumeam naturam vertere, & mouere, aliquando ex epilepsia fit apoplexia, aut paralysis: quo experimẽto confirmatur differentia generationis, & causarum inter hos affectus. Prætereà irritatur non rarò facultas in epilepticis à qualitate aliqua deprauata, siue humoris alicuius sit, siue halituosæ vaporosæve substantiæ, aut auræ alicuius ascendentis. Quo fit, vt hi qui acrem habent sentiendi potentiam, & ingenij perspicuitate pollent, à quauis leui causa incidunt in hunc affectum, quia faciliùs irritatur cerebri substantia, & causam ob id expellere nititur. Sic teretes lumbrici dum ventriculum conscendunt, præter cardialgiam morsu effectam, fumis putridis ad cor, & cerebrum transmissis, animi deliquia, anxietatem, mentis turbationem, conuulsiones, & epilepsiam concitant. Itaque causa, quæ prædictis modis facultatem lacessit, & opprimit, est crassus humor (qualiscunque fuerit) in rariorem formam redactus, qualitate maligna affectus, vel qualitas ipsa aliundè per halitum, aut auram illuc ascendens, siue à veneno sumpto, aut in corpore genito, siue ab vlcere cacoethe, siue ab alia affectione, vt ventriculi cruditate, ex lacte in pueris, vel quouis alio cibo, siue ex largo meri potu prodeat, vel à lumbricis, vel vt Galen. refert, & nos etiam iam bis, terve vidimus, ab aura ab aliquo peculiari membro ascendente.

Verùm quia doctissimorum virorum consensu cõstat, hunc affectum finitimum esse somno profundo, apoplexiæ, tremori, & alijs affectionibus, ob id, ne quis deceptus accidentium similitudine, in turpe erratum incidat, sciat Cælium Aurelian. id egregiè disserere, quia diuidens epilepsiam in species, hæc scribit verba. Sed eius passionis species duas esse probatur: vna quæ somno similis altissimo videtur: altera quæ diuerso raptu corpus afficit: harum prima grauior iudicatur, siquidem est similis apoplexiæ. Ex quo loco iuxta optimam rationem infertur, epilepsia correptos posse, & vehementer concuti, & grauiùs dormire: quinimò cùm somno corripiuntur, grauior, & periculosior existit affectio, & grauioris mali præludium. Quòd si velis Auicen. testimonium, reperies proprio capite statuere, esse epilepsiam quandam absque spasmo sensato, ne quis existimet solam eam esse epilepsiam quæ deprauatis motibus insignitur.

Dubium. Sed dubitatione dignum arbitror, si epilepsiæ potissima conditio est, quòd natura tentet sibi molestũ pellere medijs motibus prædictis, qua nam ratione epilepsiam iudicabimus eam, quæ eisdem caret? Cui dubio respondeo, coniectandum esse hanc accidentium varietatem à varietate morborum, qui in epilepsia reperiuntur, necessariò suboriri: & pro morbi dominio in ipso affectu, ita quoque hoc, aut illud accidens elucescere magis. Nam licet vniuersa ferè huius mali ratio in obstructione sita sit: hanc scimus aliquando potentias lædere sentientes easdem in proprijs ventriculis obstruendo, vt in apoplexia: aliquando verò humores obstruentes deterrima etiam qualitate affecti irritant magis potentias ipsas expellentes, partibus ipsius cerebri dilaceratis, & irritatis. Quo facto, iuxta optimam rationem est, ob grandem illam obstructionem, hebescere magis sensus, & veluti somno laborantem sopire: ab irritamento verò & cerebri mordicatione moueri intra corpus partes cerebri, & spasmum illum (vt Auicen. fert) non esse sensatũ: at dum conspicimus mordicationem esse maiorem, motus oriri vehementes. Namque, vt idem Aurelian. scribit de mente Asclepiadis, epilepsia aliquando fit percussu, & diuisura membranarum quæ cerebrum tegunt: quo tempore coniectandum est, affectum cerebri reducibilem esse ad solutionem continui, etiam si prærequiratur obstructionis quidam modus: sensu tamen omnino non priuantur ob substantiæ obstruẽtis tenuitatem. Itaque præualente obstructione obdormiscunt laborantes, & licet interiùs cõtremiscat, exterius tamen parum, aut nihil apparet: præualente verò mordicatione, & acrimonia, conspicuè conuelluntur, & sensibus veluti obdormiscunt.

Dubium. Sed dubitatione etiam dignum est an epilepsia à sanguine aliquo modo possit oriri: quod pauci neotericorum in dubium verterant: solus enim Hippocra. 4. de morbis acutis, & Galen. à quibus Auicenna mutuauit, id expressè fassus est, vbi quis vino vsus est copioso, vel nimio vsus exercitio, quo sanguis feruorem contrahat, irruatque ea ratione ad caput, vt Galenus aduertit 3. apho. 20. ipsiusque vasa repleat: quem nitens natura pellere, consimilem generat motum. Verùm si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet proculdubio simillimum esse hunc affectum spuriæ apoplexiæ ob interceptionem vasorum: cæterùm quia non est adeo grandis compressio, aut coarctatio, seu spirituum intercisio, vt in prædicta apoplexia, ob id aliqui spiritus permeant, quorum ministerio natura motus illos exequitur, vt expellat, quòd suffocationis causam præsentit fore: atque hac lege licet conijcere hãc epilepsiæ sortem ex sanguine posse fieri.

Signa. Licet primo accessu huius affectus cognitio adeo facilis sit, quòd signis nõ videatur indigere, cum hoc tamen ne quis facilè decipiatur, ea scribere oportet, quæ vel instantem accessionem indicent, vel causarũ differentiam monstrent, & per consensum, aut primogeneam affectionem morbum esse patefaciant. Primò itaque cùm accessio futura est, maximè cerebro primariò affecto, sensuum hebetudines, vertigines, tendonum grauitates, venarum colli repletiones & distensiones reperiuntur: cùm verò iam instat accessio, oculi caligine obtenebrantur, tardiores reddũtur in omnibus sensibus actiones. Respondent quidem, & loquuntur, tardè tamen, & mentis torpore corripiuntur, atque vertigine, grauitate, & dolore capitis. Cùm verò ventriculus causa est, antecedit nausea frequens à cibo, sed frequentiùs ventriculo ieiuno cum oris amarore, & vberior pituitæ fit vomitus: paucis assumptis cibum fastidiunt, & crudi sunt, flatibus replentur, & præcordia elata habent. Quòd si accessio iam iam instet, splendores quidam purpurei aut nigri, vel mixti circa oculos versantur, & discurrunt: aures sonant, iracundi fiunt, aut tristes, & ea occasione citiùs succrescit affectio. Addit autem Cœlius

lius Aurelianus, sequitur quibusdam immobilitas perfecta cum ore demisso, attestante pallore cum aspiratione tarda, & pulsu magno, atque alij soporis simili oppressione. Quam sanè epilepsiæ speciem distingues ab apoplexia, respiratione tarda; at à somno profundo, quòd ab expergefactione non iterum cupiunt dormire: præter quam quòd sic affecti subitò inciderunt in accessionem: quod soporificis affectionibus non accidit. At si ex vtero prodeat malum, facilè disces ex ventris inferioris murmurio, ex suppressione, aut improspero fluxu mensium, & alijs quæ fusiùs scripta reperies lib. nostro 2. de fœminarum affect. ca. de epilepsia ex vtero. Sed si ex peculiari aliquo membro aura quædam oriatur, id monstrant illius partis symptomata: prætetquam quòd sic affectis rarò spuma per os excernitur, aut quàm parcissima: ijs verò cū à particula neruosa procul à capite sita incipit consensus, magni pedum, aut manuum digiti conuelluntur, vnde & dolor, & stupor, atque tremor subsequuntur, & protinus caput affectione corripitur. Quibus profectò fragor oritur, & totius corporis contractu accidit, & cùm iam malum aduentare persentiscunt adiutores aduocant, quòd futuram calamitatem præsagiant. Alios etiam clam, & occultè, veluti inuadente fera, pauor corripit, atque obumbrationis opinio incessit, & mox procidunt. Verùm si ex venenatæ feræ morsu id etiam contingat, interrogatione facilè constabit. Alijs verò nihil horum accidit, sed veluti somnolenti incedunt, tristes, & timore pleni, quos accessionis loco somnus profundus corripit, quibus aliquādo maxilla tremit, nonnunquam brachium, sæpè oscitationes, & pandiculationes accidunt citra euidentem conuulsionem, aut saltem cum leui oculorū peruersione, quod frequentius infantibus accidere conspicimus. At cùm morbus iam iam incipit, sensibus captus homo iacet, mille conuulsionibus sese distorquens, & interdum maxilla hiatu oris procidit, interdum verò conuulsione dentes conterit, oculi inuersi sunt, palpebræ cum palpitatione frequenter dehiscūt, malæ rubentes palpitant, labra interdum quidem in acutum clauduntur, eorum vox nihil nisi gemitus, & suspirium est, ac respiratio suffocatoria. At vbi ad mali remotionem peruenitur, tunc spontè vrinam reddunt, & aluus fluit, & genitura excernitur, osque vehementer humidum habent, & spumam ore profundunt, maximè capite per essentiam affecto.

Præsagiū Primo disceptandum se se offert, quid sentiendum sit de hoc morbo iuxta ætatis mutationem. Quippe falsò multi, & Galenus etiam arbitrantur, epilepticos non sanari, si ante 25. annum sanitati non restituantur. Nam re vera Hippocrat. sententia, qua ipsi suam ruenter, non id profert, sed eos qui ante pubertatem comitiales fiunt, statuit, mutationem mali ante 25. annum accipere, & quibus post 25. accidit epilepsia, vsque ad mortem ipsos comitari, quòd malum sit immedicabile defectu caloris. Pro huius dubij enodatione statuendum est, his non obstantibus, non esse omnino desperandum à salute in his qui 25. anno nō sanescunt, neque adhuc si post 20. morbo corripiantur. Ratio potissima est, quia non solum exiccatur cerebrum ab humiditatibus hunc affectum efficientibus vsque ad id tempus, sed etiam toto vitæ discursu. Namque sanitatis ratio sita potiùs est in caloris augmento quàm in exiccatione humidi superflui, & quia calor augetur vsque ad vltimum iuuentutis terminū, ob id qui ante pubertatem eo morbo corripiuntur, sanitati possunt restitui toto tempore quo caloris augmentum durat. Cæterùm qui post 25. annum, aut saltem post vltimum iuuentutis terminum epileptici fiunt, non ita, quia neque calor deinceps sensibiliter crescit, & causa grauissima est quæ tantum calorem superauit, & ob id sic affecti epileptici commoriuntur: licet aliquando exiccatione media quæ

A humidum ebibat, possunt non mori epileptici, vt vulgò fertur.

Præterea scito omnem epilepsiam acutissimorum morborum more accessiones habere breues, & periculo plenas, eoque periculosiores quo frequentius accidennt, aut longiùs protrahantur: cum hoc tamen morbus ipse ex diuturnorum sorte existit, adde vt nisi ante integram iuuentutem, vel menstruis erumpentibus, aut puerperio solutus fuerit, sæpè per vniuersum vitæ spatium plerunque prorogatur. Vtcunque tamē sit, is affectus qui per consensum fit, minus periculosus existit, licet aliquando grauissimas molestissimasque habeat accessiones: qui verò per essentiam in capite præest, minus graues, sed magis periculosas, quòd
B crassior materia principalius membrum obsideat, quæ cum graui sopore laborātem opprimit, est enim apoplexiæ, aut paralysis præludium. Quod sanè de epilepsia per essentiam subaudiendum est, vt voluit Galen. lib. 4. de ratione victus comment. 27. nam quę per consensum efficitur, nullo modo in paralysin, aut apoplexiam mutari potest, vt Galen. explicuit 4. de locis cap. 2. qua quidem ratione censeo, has duas sententias conciliari posse, vel quòd rarò accidat, (quæ per essentiam est,) mutari in paralysim, contingit tamen aliquando, vt Galen. visum est 4. acutorum commēt. 27. & Hippocr. etiam lib. de morbo sacro. Præterea hæc sæuissima morbi conditio inter viros, pueros plerunque apprehendit, & inter fœminas, eas quæ vteri-
C nis molestantur affectionibus.

Curandi ratio. Ante tamen quàm peculiarem curandi rationem aggrediar, expendisse oportet, quam Hippocr. & antiqui omnes huic affectioni medendi viam annuerint. Inquit enim 2. aphor. 45. Quicunque iuniores morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & locorum, & victus liberantur: cui etiam consimilem adduxerat lib. 6. de morbis vulgarib. parte 1. sententia illa: Infantium effulgescentiæ. Quibus sententijs tria esse consideranda euidenter constat: primum est eum qui hac affectione consenescit, nullum beneficium ab auxilijs suscepturum: secundò recentem affectum sanabilem esse: tertiò iuniores sanitati restitui ætatis, regionis, & victus mutatione. Quòd verò ætati-
D s mutatio (ea lege quam antea statuimus) id beneficium præstet, maximè alijs præsidijs adiuta, constat ex Hippocr. & Galen. 3. aphor. Plurimæ enim (referunt) affectiones pueriles iudicantur partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim ad pubertatem accedētibus. Quæ verò permanserint affectiones pueris, neque exolutæ fuerint circa pubertatem, aut fœmellis circa mēsium eruptionem, diuturnæ fieri solent. Quod generaliùs de omnibus diuturnis affectionibus dixerat Hippocr. lib. 2. de morbis, per hæc verba. Morbi quidam post septem annos, alij post quatuordecim. Ratio profectò huius veritatis est, quia cū prædicti morbi diuturni siccæ sint naturæ, tardissimæ fiunt solutio-
E nis, quo fit vt necessariò laborans ætatem antea mutet, quàm sanitatem recipiat. Sed huic accedunt tres potissimùm rationes ex ætatis mutatione desumptæ, quippe ætatis mutatio trifariam huic malo prodesse solet: tum ratione circuitus, nam cum ipsa ætatis mutatione sequitur transgressio temporum morbi, quæ vt dictum est, longissima sunt: tum etiam ratione habitus, qui morbis profligandis robustior, & vegetior ætatis cursu efficitur: tertia verò, non vt multi asserunt ob venerea, quòd venus suaptè natura potiùs capitis imbecillitatem afferat, & morbis signatim capitis aduersissima existat, sed quia maturiores ætate facti, rectiùs, & exquisitiùs viuunt, aut plus habent caloris, quo durities humorum emollescat, frœneturq; magis, ac exercitiorum robore vegetior fiat. Quibus constat, si hæc beneficia quæ ex ætatis mutatione sequuntur, prodesse huic malo non possunt, difficilem

esse

esse curationem. Verùm ne quis deceptus dubia spe mutationis ætatis, regionis, aut victus, curationis occasionem in posterum differat, diligentiam ætatis, ac regionis mutationi adiungere oportet, curationemq; per interualla adhibere, ne si fortè ætatis mutatio malo non suffecerit, simul cum ætate præterita prætereat quoque curandi occasio.

Verùm cùm constiterit, neque in pueritia, neque aduenìente adolescentia malum cessasse, non oportet omnium ætatum cursum citra auxiliares manus transigere, ne cùm eas adhibere velimus, adeò firmatum existat malum, quòd auxilijs cedere nequeat. Primò itaque si primæ ætatis mutatione nullum subsequatur beneficium, (quantumuis aliquibus præsidijs vsus fueris, nam antea mutare, aut citra auxiliares manus ætatis mutationem expectare vanum, & absurdum fore arbitror) confugiendum tunc est ad longinquam regionem, vel ad patriam habitationem, vt apertè Hippocr. prædicto aphor. consuluerat, sed specialiùs 6. popul. parte 5. tex. 19. vbi inquit: In morbis longis terram mutare commodum est: & lib. 1. ac 3. de dieta, & de locis aqua, & aere, inquit: Temporum varietates potissimæ sunt quæ naturam ipsam permutant, deinde regio in qua quis nutritur: ratio profectò huius dogmatis est, quia cũ in morbis diuturnis caussa, & affectus connaturales facti sint, constat naturã quoque mutandam fore, vt ad eius mutationem, quæ ipsi connaturalia sunt etiam mutentur: quo fit, vt tãtopere antiquioribus probata fuerit locorum mutatio. Verùm quatenus ad hanc mutationem attinet, credendum est, non sat esse, neque sufficere quemuis epilepticum ad quamuis regionem mutare. Quippe mutatio debet fieri, vel ad similem laboranti temperiem, aut ad mediam, & temperatam, vel ad contrariam morbo, aut causæ, vel ad eam quæ vim habet conterendi digerendique causam. Sic profectò imbecilles, & languidi laborantes, & quibus opus est vires reficere, ad temperatam, vel similem regionem suæ temperiei mutandi sunt, quo vires vegetiores factæ, morbum sua spontè infirmare, ac deuincere possint. At qui robusto sunt habitu, & validioribus viribus ad contrariam morbo regionem mittendi sunt, vt virtus, & regio simul morbum superare possint: verũ qui viribus constant, & morbo non plurimum molestantur, sed solum diutina eius duratione ob materiæ renixum, ad eam regionem migrare oportet, quæ peculiari temperie nata sit humores tenuare, ac insensili vacuatione discutere, quales sunt maritimę, & quę montibus piniferis scatent, vt quæ suaptè natura natę sint id beneficium præstare.

Victus ratio.

At quia non sat est, hæc omnia secundùm rationẽ fecisse, vt importunus hic morbus subsidium recipiat, quinimò neque multa alia, nisi victus (cui proprium est corporis naturam tueri, & mutare,) & vitæ ea mutatio, & institutio fiat, quæ præcedenti omnino sit aduersa, ob id inter potissima auxilia huic morbo proficua, iure optimo victus mutationem commendarunt veterum sapientiores. Cuius rei mirabilis extat sententia illa Galen. lib. de attenuante victu cap. 1. per hæc verba. Vidi arthritidas in quibus ossa erant indurata, difficultates inspirandi inueteratas, lienis, & quod maius est, iecoris tumores duros, tùm comitiales incipientes sola victus attenuantis ratione obseruata curatos. Sed quid moror, si certum est alimenta, quam facillimè nostrum corpus mutare, ijs quoque mirum non est corporum vitia mutari. Sed qualis futura sit victus mutatio, nunc videndum est. In qua sanè re asserimus, non licere indistinctè quibus victum porrigere, sed temperatum, aut similem, qui vires reficiat, aut contrarium qui morbum propellat, vel attenuantem qui causam illi dat. Cuius autẽ naturæ sit quiuis horum, millies superiùs dictum est, & inferiùs etiam leges, cauens potui, aut victui admiscere aliquid *coriandrorum*: nam vt Dioscoridi placuit ca. proprio, caput sui natura petit, ita vt si largiùs sumatur, delirium inducat. Sic nec plurimum probãdum est semina coriandri quocunque modo præparata porrigere, quia facilè secum ad caput ferunt vapores, & quosuis halitus: secus res se habet vbi malum iam in capite viget: exiccare enim creditur, & robur addere.

Sed his missis, ad peculiarem curationem deueniendum est, in cuius initio monere medicos oportet, vt quam diligentissimè huius morbi primordia intueantur, & caueant, cùm his temporibus faciliùs ex quouis præsidio subsidium natura susceptet, tunc enim occulta sunt epilepsiæ signa: nam adeò sunt accessiones mites, leues, & simulantes alios affectus, quòd vel peritissimos medicos decipiant. Assimilantur quidem non parum qui sic afficiuntur vertiginis, pedibus vacillantes, neque prorsus in terram procidunt, sæpè quasi terrore perciti clamant; præsertim pueri, ac prolixius, & subitò absque occasione plorãt, præcipuè cùm inter dormiendum affectio corripit: multi ex his oscitant, alij frontem perfricant, alij metuunt, tristantur, & tremunt; & posteà nihil horum recordantur. Quæ omnia, & pleraque alia diligenter rimari oportet, vt antequàm malum firmetur, auxilijs præueniatur.

Puerorũ prouidentia in accessione.

Primò etenim loco sese offert puerorum curatio, vt qui frequentiùs hoc malo corripiantur lactis vitio, aut nouter alimenti sumpti cruditate, atque ob id ventriculi consensu, nisi affectum tam, tam hæreditarium onus successione maiorum contrahatur. Quo tempore frustra est puerulum millis auxiliorum formibus inutiliter torquere, sed necessum est, transactis viginti, aut triginta diebus, si imbecillos sit puer, in occipitio fontanellam aperire, qua malus ille habitus spiret efficiaturque lactis beneficio alter laudabilior. Verùm dum recens est in puerulis affectio, duplicem habet curandi rationem: alteram quæ accessioni debetur (sæpè enim ex negligentia in accessionibus habita, morbus efficitur essentialis, aut grauior, & periculosior, vel in grauiorem degenerat) alteram verò quæ radicitus morbum euellit. Sic profectò quos vexat affectio ita disponito: corpus quod morbus rapitur, loco lucido vt foras euocetur humor, & mediocriter calido, vt id commodius fiat locato, sublimiori posito capite, ex quo membra, vt natiuus excitetur calor, supernè, & deorsum confricari debent: dentes quos sæpè (ex conuulsione temporalis musculi, qui primò affici solet ob cerebri affinitatem) constringunt, vnde etiam imminet suffocatio ob suppressionem excrementi spumosi, curandum est, vel manibus, vel alia ratione aperire, vt exitum illi præstent. Linguam etiam & palatum illinire oportet theriaca, vel mithridatio dissoluto in succo rutæ. Quòd si per cõsensum fuerit affectio, non inconuenit suffumigare puerum belzoino: si tamen vomitus excitari possit, breuiorẽ reddes accessionem; sin autem, oxymelitis squillitici modicum porriges. Verùm si accessio diu durauerit non erit abs re occipitio apponere linteum madidũ oleo rutaceo calidissimo, vel puluerem seminis rutæ admixtum belzoino, aut oleo vulpino: item theriacam calidam quoque, vel vino dissolutam: prosunt & mithridatij cum oleo laurino calidiusculæ munctiones. Nec minoris momenti est (& ne iterum redeat accessio) cerotum ei parti apponere ex pice, aut thacamaca cum theriaca, vel pulueribus seminis rutæ, aut theriacam ipsam cum pulueribus seminis maioranæ, aut belzoinum cum semine ocymi, vel cum puluere carpesiarum. Ad quorum pensum alia non pauca effingere poteris: inter quæ non minoris est momenti occipitium abluere aqua vitæ sola, aut in quo ferbuerit semen rutæ, vel ambræ grisiæ parum, aut caryophyllus, vel ex discutientibus, & roboran-

tibus

tibus aliquid. Dimitto hac in parte alia auxilia, quòd vel suspectione non careant, vel parui sint momenti.

Extra accessionem. Reuocatis ab accessione puerulis seu quibusuis laborantibus, duplicem habet affectus curandi aut præcauendi methodum, cùm duplex quoq; principium obtinere constet: nimirum per consensum à ventriculo, & per primogeneā affectionem. Præterea cùm à ventriculo oritur malum, duplex rursus insurgit curandi ratio: altera quæ ventriculo diligenter prouideat, ne ampliùs aut quid generet, aut ad caput transmittat: altera verò quæ præcaueat quo minùs caput ampliùs recipiat, & si quid receptum est, euacuet sensili aut insensili euacuatione. Ventriculo prouidendum est (modò vitiosum lac sit, modò concretum, modò pituitosi & crassi humores ipsum inundent, modò quæuis alia sit corruptio ex victu infantis, aut ex nutrice perperam gubernata, vel ex quauis alia causa, quæ ventriculum malè afficiat) per ea auxilia quæ vacuandi per infernam aluum potestatem habeant. Nec plurimum innitendum est in his quæ vomitum mouent (licet accessionem imminuere dictum sit) ni admodum puerulus nauseabundus fuerit, & malum ex corruptione cibi aut lactis oriatur: nam ociùs & faciliùs caput petunt humores aut halitus. Quòd si vomendi necessitas vrgeat, & puer ex maioribus sit, & id possit imperatus efficere, præmissa leui purgatione id tutiùs facies: sin aliter, à leui præparatione corpus purgabis: ac si accessiones plurimum vrgeant, quotidie, maximè cùm huiusmodi corpora leuissima admodum admittant medicamenta, tardare enim in talibus malum est. Sic enim pueris qui lacte aluntur, sat est. ℥. 1. mellis Persici aut syrupi solutiui rosarum, vel mannæ electæ modicum præbere. Quòd si primo accessu. ℥. ß. mellis Persici aut prædicti syrupi cum modico mellis squillitici aut oxymelite præstiteris, ex vsu facies: maximè si lac coagulatum aut crassam pituitam mali fuisse causam cognoueris. Vacuata igitur materia iuxta quantitatis indigentiam, mox accedendum est ad consumptionem superflui humoris: hac vna habita distinctione, quòd si concretum lac mali causa fuerit, medicamētis quæ reliquias conterunt, ea addere oportet, quæ coagulatum lac nata existant liquare, velut sunt syrupus de absynthio, de hyssopo, de mentha cum decocto hyssopi, origani, pęoniæ, stęchados & aristolochiæ. Præstat item coagulum leporis, oxymel simplex, vel mel aliud ex squilla, cuius meminero parte vltima huius partis. Mel item passularum paratum hac forma præstabis: ℞. *agarici trochiscati.* ℥. 3. *infundatur in aqua lib. ß. agaricum detrahito, & in eadem infusione passulæ pingues infundantur donec turgeant, & turgida in noua aqua coquantur ad extremum, & exprimantur in modica aqua quæ remansit ex secunda infusione, cum qua iterùm ad mellis spissitudinem coquatur*, quo vteris in paruulis, & in adultioribus in maiori dosi: ac præstabis etiam passulas vel prunas, prima agarici infusione decoctas. Præstabilius tamen est, dum affectus reuertitur, mel aut oxymel squilliticum præbere, maximè si addideris theriacæ smaragdorum, mithridatij, aut confectionis de hyacintho modicum, vel theriacæ magnæ si somno propensus puer non sit, verendum enim alioquin est ne propensior fiat. Verùm si ventriculi consensus simul cum mali initio in capite iam suscepto adhuc perstiterit, præmissa secunda purgatione, puerulo *bis die porriges duo cochlearia stillatitiæ aquæ ex theriaca smaragdorum & viperarum ana.* ℥. 1. *mellis despumati.* ℥. 4. *decoctionis radicis pęoniæ.* ℥. 2. ß. *succi absynthij.* ℥. 1. ß. *florum stæchados.* ℥. 2. *fiat destillatio in duplici vase.* Item porriges confectionem ex theriaca smaragdorum cum pulueribus coralli, pęoniæ, & vnicornij, ac vermiculorum rubi, & melle rosaceo cum modico oxymelite si lactis coagulati suspicio fuerit. Quòd si humorem pituitosum abunda-

A re comperiamus, mel rosaceum summo mane porriges cum syrupo de corticibus citri, de mentha, aut de hyssopo cum aliquo ex prædictis decoctis, & quod vtilius est, cum aqua stillantia ex cerasis, aut destillata ex melle & squilla, vel ex radicibus pęoniæ viridibus, vel ex tiliæ floribus, vel destillata etiam ex theriaca melle rosaceo & radicibus pęoniæ. Et quod in præseruatione & reliquiarum consumptione experimento fidissimo mihi habeo obseruatum, est mel decoctum & despumatum cum modico fœniculo & oleo amygdalarum dulcium, quo vteris tertio vel quarto quoque die.

Interim tamen dum hæc adhibentur, & alia quæ mox referam, nutrici prouidendum est, ne si vitium B lactis causa sit, puerulū medicamentis inutiliter conteramus. Cuius lac mox inspicies, quòd si amarum, insipidum, aut alio deterrimo sapore vel odore affectum, vel crassa substantia aut fœdo colore insignitum conspexeris, protinus nutricem mutabis, & maximè si ei menstrua successerint. Quòd si fieri id non possit, aut difficile sit, lac ipsi mulieri corriges, mutata victus & vitæ institutione, maximè in contrarium vitij quod in lacte cognitum fuerit: purgabisque ipsam, facta præparatione iuxta ideam humoris peccātis, ita vt omni arte cures lac in melius mutare.

Verùm quia sæpè malū eo miseriæ deuenit, vt prædictis auxilijs non cedat, purgare iterum pueros oportebit, ac solicitanda etiam frequenter aluus est clyste C ribus ex mulsa & oleo, & glandibus ex felle porci, ex sapone, ex prunis, ex granis pini, & ex alumine. Quòd si frequentiùs velis ventrem excitare, vtere oleo sesamino aut amygdalarum dulcium cum saccharo per os sumpto, dum puerulus it dormitum. Prosunt etiam vermiculi quatuor nascentes in lanuginoso foliculo rubi: item ab expurganti medicamento, vti oportet succo qui exprimitur ex cępa excauata & plena theriaca & croco in furno decocta: neque nō & succo rutæ cum melle. Præstabit etiam porrigerē puluerem visci quercini, coralli præparati, cornu cerui, cranij humani & sacchari ad pondus omnium, in his qui adultiores sunt. Verum in puerulis cum melle ex prędictis pulueribus linctum efficiès & desuper lac D suggere permittes. Tandem inunges ventrem exteriùs, primò his quæ ventrem emolliunt, faciliorémq; reddunt ad purgationem, velut est emplastrum ex lino & axungia porci, aut butyro recenti, minutim incisis & pistatis. Quem quoque vsum præstant lapati maioris folia frixa butyro & oleo sesamino, vel decocta & pistata cum eodem butyro & axungia porcina. Idem etiam ferunt præstare folia brassicæ aut mercurialis eodem modo præparata: quòd si prædictis addideris croci aut fermenti modicum, puerulū vtiliter purgabis. Tandem inungere ventrem exteriùs oportet his quæ robur ipsi addant, quale est oleū de absynthio, de spica, de mentha, aut balsamo, vel oleo de terebinthina cum pulueribus coralli & diar- E rhodonis. Inunges etiam ventrem cum melle & pulueribus sinapis: quibus si addideris aranearum casses non parui momenti medicamentum facies. Deinceps verò capiti est prouidendum ne ampliùs susceperet, cæterum non repellentibus auxilijs, sed primo diuersionibus, & postmodum ijs quæ vim habeant corroborandi & modicè discutiendi, vt paulò inferiùs leges, & nuper etiam adduximus.

Verùm quia frequentiùs à primò morbi insultu per essentiam efficitur, omni diligentia curandum est à capite pellere quod susceptum habet: his tamen auxilijs quæ per insensilem halitum pituitam in capite contentam expurgent, aut per communes meatus, maximè per palatum, ex linctu eius cum melle rosaceo vel melle squillitico, aut solo melle cum sale vel theriaca, donec pituita defluat: quæ sanè digitis ab ore pueri in ploratu extrahenda est. Idemque facies

appo-

appositis capiti quæ ipsum roborent, discussa materia ipsa, qualia sunt multa quæ conficiuntur ex chamæmelo, ex anetho, coriandro præparato, stœchade, pulegio, maiorana, hyssopo, ruta, radice pęoniæ, grana tinctorum, & serico philthro in puluerem redacto: ex quibus confici possunt sacculi, & cucufæ, ac etiam pulueres, qui per caput sparsi miram præstant efficaciam: conficiuntur etiam lauacra ex decocto prædictarum rerum.

Monendus tamen hac in parte mihi lector est, ne epilepticis accidentibus decipiatur, cùm, vt dictum est, non minùs ex lumbricis hanc affectionem oriri cōstat, quàm ex quauis alia ex prædictis causis. Quod distingues ex profundiori somno, ex dentium stridore inter dormiendum, ex oculorum hiatu, ita vt astātes videantur intueri, ex pruritu narium, ex continua manuum apprehensione supra ventriculum, ita vt velle dilacerare vestes videantur: quibus autem sic affectis conuulsiones diutiùs durant, quàm in vera epilepsia. Quod sanè malum plerunque pueris post lactationis tempus accidere constat, ex immodico, & inordinato panis esu: quos dum sic cognoueris affectos, amaris medicamentis purgabis, absynthio nimirum, aloe, & rhabarbaro, ea quantitate quam permiserit ætas: *sat enim est puerulis à secundo ad sextum annum ab ℈. I. ad ℥. ß. porrigere, dilutam aqua lupinorum:* vel clysteria adhibere ex hydromelite cum aloe, & tandem alijs quæ capite de lumbricis scripta reperies.

Verùm si affectus neque vacuationibus præmissis, neque aliquo ex prædictis auxilijs cedere videatur, protinus multorum, & meo etiam iudicio, veniendū est ad eam operationem quæ ferro candenti in occipite fit. Quod tamen auxilium, neque temerè, & vtcū que aggredieris, sed hac lege seruata: Si infans hoc hęreditarium onus portauerit, aut maiores natu fratres idem morbus corripuerit, mox exhibito medicamento expurganti, aut si accessionum frequentia vrget, deposito tātùm ventris onere, protinus fontanellam eadem die occipitio aperire oportet. Verùm si primitus hoc malo puer fuerit correptus, non temerè licet occiput aperire, sed tentandum est, prosint ne auxilia quæ diximus; quòd si nihil profuerint, & accessionū frequentia, ac vehementia plurimum vigeat, non licet eadem auxilia iterum repetere, & frustra occasionem maioris præsidij prætermittere: sæpè quidem vnius diei spatio per essentiam efficitur: quia vitium lactis facilè ob sympathiam, quam cum omnibus partibus, vt adæquatum alimentum, habet, caput per essenuam afficit: sunt enim efficacissima vitia quæ ex alimento emergunt. Quapropter mox fontanellam ea in parte excauare oportet, etsi medicus cognouerit affectum esse per consensum à ventriculo, quia habēt pueri ratione ætatis in capite morbosum apparatum, quo promptissimè in epilepsiam per primogeneam affectionem incidant, fit etiam vt ratione huius morbosi apparatus, licet per consensum sit affectio, expediat fontanellam aperire. Nam postquam in pueris affectus per primogeneam affectionem factus est, rarò auxilia prodesse conspicimus. Quapropter ad efficacissimum hoc pręsidium properandum est, nisi pręsidia quæ diximus profuerint: quod dignosces, quia accessiones fiunt minores, & tardiores.

Quòd si transacto lactationis tempore, adhuc affectus perseueret, aut ad manus medici accedat is, cui nullum ex prædictis auxilijs adhibitum fuit, vel nullum profuit, alia potiùs via incedendum est, nimirum vitæ, & victus ratione in contrarium mutata. Quo tempore considerandum est, an puer boni sit habitus, carnosus, & copiosis vsus cibarijs: nam tunc doctissimorum est consilium initium curationis auspicandum esse à sanguinis detractione, idque si accessionum raritas permiserit, ineunte vere: sin aliter quo

A uis tempore. Sed consultius arbitror esse in his prius aliquo expurganti pharmaco vti: at si copiosior apparuerit sanguinis copia, ex altero, aut vtroque brachio iuxta virium tenorem sanguinem demere, vel si ætas venam tundere non permiserit, crura scarificare. Si tamen sanguinem redundare compertum sit, aut saltem puerum esse solidæ contexturæ, satius eo tempore est, à quàm distantissimis partibus sanguinem detrahere, ne forsan eo extracto ex vicinis capitis partibus, maior ipsi succrescat imbecillitas, & ea occasione accessiones vehementiùs irruant. Quamobrem probarunt ferè omnes authores ex talo sanguinem mittere: nam & distantiùs auertit copiam, & longè minus labefactat capitis, & reliquorum viscerum fa- B cultates. Verùm si puerulus hirsutus sit, gracilis, nigrioris coloris, ita vt signa ferè omnia adustos, aut melancholicos succos attestentur: vel si fuerit admodū vorax, intempestiuisque exercitijs deditus, fugiēdum est eo tempore à sanguinis detractione, & negocium omne purgationibus est committendum. Prius tamen statuendum est, hos & reliquos cauendos esse à vini vsu, moderandosque optima victus ratione, minus tamen exiccante quàm in reliquis pueris.

Quo facto, & sanguine etiam misso ex talo pręcautionis gratia, aut ex brachio, cum accessionum vrgentia, & sęuitia id postulauerit, tunc ad materiæ præparationem deueniendum esse consulit rei ratio. Quod profectò facies melle rosaceo, syrupo stœchados, de C mentha, borraginis, & oxymelite, admixtis aquis, & decoctis supra dictis, aut melicrato ex decocto angelicæ, vel pęoniæ. Quo facto, si ventriculus mali causam obiuerit, bis, terve in mense, dummodo æstiuū tempus non sit, pilulis ex hiera Galeni, mastichinis; aut ex aloe lota, vel his quæ ex agarico, aloe, & rhabarbaro æquis partibus conficiuntur vteris. Quibus præmissis, ad ea quæ reliquias conterunt deuenies, & ventri, ac capiti ea quæ mox diximus appones. Tandem si hæc prodesse non videantur, & malum iam firmatum in capite esse constet, ad fontanellam confugies, quam in adultioribus probo magis in altero brachiorum aperire, quàm in occipitio.

Adultiorum curatio.

Altera autem curandi ratio adultioribus proficua D sese iam offert: in qua primò inquirat prudens medicus an affectus ille ex pueritia ortum traxerit, fueritq; inueteratus, an nuper genitus existat: quòd si ex nouiter factus sit, tunc sciscitari oportet, an ex aliquo animi pathemate, vel ex immodica venere prodeat: an potius ex vitio alicuius membri: cuius occasione caput malum susceptet: & rursus iterum exquirendū est, an in fieri, & per consensum habeat suum esse, an factum iam quid in cerebro obtineat, nam iuxta has affectus varietates, variam etiam oportet excogitare medendi rationem.

Qui verò nouiter factus est epilepticus, duplicem habet medendi indicationem: alteram quæ causam, & occasionem illidat: alteram verò quæ caput præ- E caueat, quo minus malum susceptet, & in ipso firmetur: sic dum passiones animæ occasionem præstant, distractione, & animi tranquillitate ipsum pacare oportet, & exercitijs, atque gratis loquelis animum distrahere ab his quæ ipsum turbant: quibus adiunges veneris abstinentiam, & si ea occasione prodierit, vberiorem alimentorum copiam: capiti verò vt mox referam prouidebis, corde non minùs omni roborātium genere præmunito.

At verò dum inueteratus existit affectus, alia via incedendum est, nimirum per ea auxilia quæ caput respiciant, quorum meminero protinus, si priùs dixero aduersus inueteratam epilepsiam, sed quæ per consensum accessionem accersat duplicem quoque esse medendi rationem, vnam quæ consensum adimat: alteram quæ capiti prouideat. Verùm cùm membra à quibus consensus demandari potest, varia sint, ob

id

id cuiusque seorsum meminisse placuit, vt clarior vti- A liorque euaderet tractandi ratio.

Si consensu ventri culi fiat epilepsia. Mille occasionibus ventriculus capiti præstat huic affectioni apparatum, sed tunc maximè, cùm vel ex morsu oris ipsius per neruaceam substantiam cerebrum compatitur, aut biliosis, & crassis simul succis abundat, iisque aliquo modo vitiatis, aut corruptis. Consensus autem qui per colligantiam neruosarum propaginum fit magni est momenti, atque difficultatis: primum quia si os ventris aliquo acri, atque erodenti humore mordetur, solet non raro syncopim lethalem inducere, nonnunquam & prædictum epilepsiæ modum: illud quidem quia arteriosum genus afficitur magis coagente simul vitioso calore, quorum occasione spirituum, & caloris innati magna pars B dissoluitur dissipaturque, qua laborans in sincopim, & in mortem decidit, quia cor etiam ea ratione compatitur: hoc verò quia neruea substãtia exeditur mordeturque magis, & primò, ac ob id ob prædictã colligantiam cerebrum compatiens concutitur conuelliturque. Disces autem epilepsiam hac ratione succrescere, quia in sic affectis parum, aut nihil oblæduntur sensus interni, neque externi, quia cùm nihil in cerebrum transmittatur, non est cur sensus oblædi adeò euidenter possint. Habet hæc affectio causas plerunque acrem, aut salsuginosum à capite defluxum per venulas neruosarum propaginum in os ventris deductum, qui succi vbi consederint in ore ventriculi mordicationem in eisdem partibus efficiunt, ac ex conse- C quenti prædictum epilepsiæ modum. Cui medeberis per ea auxilia quæ mitigandi, & mulcendi vires habeant: in accessione quidem potu aquæ feruentis, vel haustu mucilaginosæ substantiæ, siue syrupus sit papaueris, violarum, aut portulacæ, siue cuiusuis alterius rei quæ consimiles vires habeat: ventri verò adhibebis fotum consimiles vires obtinentem: capiti verò in accessione nihil appones; at extra ipsam, vt cap. de catharrho dictum est, & prouidebis. at si epilepsia succrescat ex biliosis, & pituitosis succis putrefactis, vel aliquo modo vitiatis existentibus in ventris ore, curationem institues, vt cap. de cardiacis affectionibus scriptum reperies. Cæterum si ex eisdem in cauo ventris existentibus fiat, longè aliter curationem in- D stitues. Quo tempore cùm aliqua accedit causa, quæ hos mouere, exagitare, aut vtcunque aliter ab eis halitum in caput deferre possit, mox qui sic affecti sunt accessione corripiuntur. Meminit Galen. huius affectionis 4. de locis affect. cap. 5. sub historia Grammatici cuiusdam, qui ab ira immodica, aut cùm vehementer doceret adeò excandescebat, vt protinus in epilepsiam concideret. Distingues autem ab eo membro affectionem prodire ex siti, oris amarore, cibi fastidio, nausea, animi angore, & eo quod magis famelicos quàm saturos apprehendat: præterquam quòd ventriculi dolor excrementorum quę natura id facilè possunt ostendere, maximè cùm certum sit, hos plerunque in accessionem inducere externam causam, E quæ prædictos succos exagitare valeat.

Sic mox curationis principiũ sumes ex clysteriorũ vsu, quibus si quid excrementitium vitiatumque in corpore supersit, abstergi facilè possit. Sed institues primò eam victus, & vitæ rationem quę cruditatibus gignendis non sit apta, succosque vel temperatissimos, vel temperatis frigidiores nata sit efficere. *Clysteria tamen recipiant decoctum aristolochiæ, centaurij minoris, vel calamenthi ℥. 10. hieræ picræ ℥. ß. olei chamæmeli ℥. 3. sacchari rubri, & mellis rosati ℥. 2. succi rosarum ℥. 3. salis* ℈. 2. Præstat etiam clysma ex melierato decoctionis calamenthi cum oleo communi, & succo mercurialis conficere. Quo facto, mox ad purgationem deuenies, qua ante omne aliud auxilium vteris ex manna, syrupo ex infusionibus rosarum, cassia fistula, aut infuso rhabarbari, vel foliorum senæ cum sero lactis. Posteà verò, vt pleniùs purgare possis, humorem præparabis syrupo borraginis cùm modico oxymelite, aut aqua lactis, vel lupulorum: à quibus pleniorem institues purgationem, vel per epicrasim, primò ex pilulis, q. ℞. *hieræ Galeni* ℈. 2. *agarici trochiscati, & rhabarbari ana* ℈. 1. *mastichis, santalorum citrinorum, macis, rosarum ana gr. 6. cum succo citri fiant pilulæ.* Præstant etiam q. ℞. *agarici* ʒ. 2. *zingiberis, salis gemmæ, cinnamomi, spicæ vtriusque, cubebarũ, ana* ℈. ß. *castoru gr. 6. aloes non lotæ* ʒ. 2. *& ß. cum succo menthæ fiant pilulæ, quarum singulis diebus vnam capiat laborans,* maximè si cognitum fuerit, ventriculum crudis succis abundare simul cum bilioso aliquo recremento. Quòd si hæc prodesse non videantur, ad B vomitum laborantem cogere oportet, *ita vt summo mane bis, aut semel in hebdomada vomat*, donec ventriculum constet immunem ab excrementis superesse. Quo tempore tueri ventriculi puritatem oportebit, optima victus, & vitæ institutione. At si reliquiarum aliquid supererit, medicamentis quæ exteriùs apposita vim habeant resoluendi reliquias, & roborandi ventriculum, rem ages: sic ipsum iunges oleo de absynthio, nardino, de angelica, aut de abiete, vel emplastrum ex eisdem oleis conficies cum pulueribus cinnamomi, caryophyllorum, seminis angelicæ, diarrhodonis, & diamusci. Quem quoque vsum præstat theriaca, vel exteriùs apposita, vel intus sumpta, mithridatium, electuarium diarrhodon, vel aromaticũ C rosatum cum aqua absynthij, aut caryophyllorum: *præstat etiam bis, aut ter in hebdomada* ʒ. 1. *rhabarbari masticare, modicumque vini absynthij bibere.* Est tamen non minoris momenti ius galli veteris factum cum brassica marina, folijs senæ, polypodio, & passulis.

Quòd si per consensum à pede, vel crure, vel quouis alio inferiori membro halituosus vapor in caput irruat, à putrilagine, aut venenosa aliqua substantia ibidem contenta elatus, quæ licèt mole exigua sit, vehementia tamen, & efficacia potentissima existat: vel rursus eiaculatus ab aliquo venenoso animali, diligenter est præcauendum, ne halitus caput ascendat, studentes ipsum in propria minera, & parte contere- D re, dissipareque venenum à quo exoritur. Quare si quis demorsus à venenata aliqua fera in hoc malum incidat (nam certum est, si venenum eiaculatum neruum attigerit, laborantem in epilepsiam casurum ex communicatione nerui cum cerebro: sicut dum arteria percutitur, animi deliquio corripi, quòd ocyssimè hac via venenum in cor repat: & pari pensu dũ venam sauciat, protinus iecur affici) præterquã quòd caput oxyrrhodinis præmunire oportet; membrum ligare paulò supra partem demorsam erit opus, quo transitus halituum ad caput præpediatur, & tunc cũ cucurbitulis cum multa flamma parti demorsæ affixis, cum scarificatione, aut secus, ipsum virus extrahere curabis. Quòd si non prosint, caustico medicamen- E to partem inuras, aut ferro candenti, donec quod venenosum est extirpasse comperias. Item locum fouebis theriaca, aut mithridatio, contrita anagallide rufa: ac laboranti porriges alexipharmaca quæ veneno sint aduersa.

Si tamen in aliqua dictarum partium ex vitio corporis, aut quauis alia occasione, venenosa aliqua substãtia innascatur, cuius halitus dum copiosior factus est, caput tentet, consimilem certè adhibebis diligentiam, habita priùs per expurgantia pharmaca totius corporis prouidentia: nam & partes ligabis quæ in medio sunt, si fieri possit, & partem venenatam inures, scarificabis, sugesque cucurbitula venenum. Tandem si neque his caput præmuniri sufficere videatur, fontanellam excauabis in medio itineris inter caput, & membrum mandans, ea lege, quam adduximus li. nostro de recto præsidiorum vsu.

Verum

Si per essentiam fiat.

Verum si affectus iam sit per essentiam in capite, aut totum corpus vitiosum factum ipsi consentiat, longè alia ratione curationem instituere oportebit. Sic dum ex vitio alimenti vniuersum corpus afficitur, & subinde caput, primo expendendum est, an sanguis simul abundet, vel sanguinolenta euacuatio aliqua suppressa sit. Quippe tunc primò ex basilica aut communi vena vel ex ea parte quæ è directo respondeat suppressioni sanguinis, ipsum fundes, vt si ex vtero sit, varicibus aut hæmorrhoidibus, à talo vel ab eisdem hæmorrhoidibus & varicibus per hyrudines. Quo facto & parciùs quam plenitudo postulauerit, quia affectus natura non patitur copiosam sanguinis detractionem, protinus præmissa humorum præparatione iuxta humorum ideam corpus purgabis: B primò leuioribus pharmacis, & facta sensim mutatione ad vehementiora deueniendum est, donec aliquod medicamentum elleborum recipiens porrigas, aut vt securiùs agas, ad elleborismũ à Mathiolo scriptum, aut ad hieram diacolocynthidos, consilio Galeni. t. de comp. phar. loc. deuenies, vel ad aliam quæ elleborum probè correctum præparatum recipiat. Nam elleboro vt antiquiores vtebantur nec in pueris, neque in senibus fœminis vel debilibus, aut corpore non probè præmunito, & solùm ineunte vere nulla ratione vti licet: quòd si aliter vtaris, non sine periculo facies. Tandem si hæc prodesse non comperias, & malum grauius fiat, audacter stibij præparati. gr. 3. vel 4. porriges cum modica conserua rosarum. C Postcà verò humorum reliquias conterere studebis balneis aquæ dulcis, aut si pituitam redundare cognoueris, addito aliquo medicamento ex his, quæ & coquere & resoluere vires habeant, velut est chamæmelum, maiorana, & stœchas: veteris etiam theriaca & magnis alijs pharmacis. Vltimò fontanellam in vtroque crure aperies, & capiti ea præsidia adhibebis, quę & ipsum roborent, & si quid ibidem moratur discutiant & conterant. Cuius census creditur esse præsidium quod ore sumptum ℞. *theriacæ veteris, mithridatij anà partes æquales, enulæ campanæ lib. ß. saluiæ, stœchados, betonicæ anà. ℥. ß. temperentur per noctem in vino vbi folia maluæ ferbuerint, deinde fiat aqua stillatitia, cuius sumat laborans. ℥. ß. aut vnam:* vtitur etenam Aetius cap. 16. tetra. 2. serm. 2. pilulis, quibus in D robustis corporibus vti non formidarem: verùm in delicatioribus vbi plurimum necessitas fuerit vrgẽs, consultiùs esse arbitror vti compositione hac, q. ℞. *ellebori nigri, castorij, scammonij anà. ʒ. 2. opopanacis, cumini thebaici siue regij, centaurij, nitri, sulphuris viui, abrotoni ammoniaci, seminis rutæ siluestris anà. ʒ. 1. contusa & cribrata excipiantur mulsa origanata, & cum succo cerasorum dulcium & aqua pęoniæ & per vitreũ alembicum destilletur, præbeque laboranti quartam vnam* & prout successerit, adauge vel minue quantitatem. Prodest & *liquor qui ex squilla exsudauerit, qui melle excipiatur, & laboranti quantitate. ʒ. ß. aut vnus porrigatur.* Idem valet mel squillinum superius E adductum, mel passularum, item syrupus huic vsui proficuus, q. ℞. *radicis angelicæ & squillæ præparatæ, enulæ, peoniæ, ireos. anà. ℥. 1. polypodij, seminis cartami, passularum mũdatarum, glycyrrhizæ rasæ anà. ʒ. 6. betonicæ, hyssopi, thymi, chamædryos, chamæpityos, visci quercini, meylissophylli anà. m. 1. seminis pęoniæ, seselios anà. ℥. ß. seminis anisi, fœniculi anà. ʒ. 2. florum anthos, genistæ, cardiacæ, anà. p. 1. & ß. saluiæ, maioranæ, anà. p ß. fiat decoctio ad medietatem, & in ℥. 2. colaturæ adde syrupi de hyssopo, de bysantijs & oxymelitis simp. anà. ℥. ß.* Verùm vt efficiùs fiat, *in fine decoctionis addere oportebit turpeti ℥. ß. foliorum senæ ℥. 2. agarici ʒ. 4. cuius porrigere poteris, facta colatura, ℥. 2.* Cæterùm si gratius & securius, ac etiam puerulis velis efficere præsidium, hæc omnia in alembicum projicies & instillabis. Poteris etiam huic vsui proficuas A effinget tabellas, q. ℞. *myrrhæ electæ, coralli rubei, rasuræ cornu cerui, & eboris anà. ʒ. ß. seminis pęoniæ, visci quercini, & cranij humani anà. ℈. 2. cum succo aut aqua pęoniæ, fiant tabellæ duarum ʒ.* quarum laborans mane vnam capiat ieiunus. Efficacissimum est q. ℞. *cranij humani ʒ. 1. seminis pęoniæ & radicis eiusdem anà. ʒ. 2. saluiæ, hyssopi, rutæ siccæ anà. ʒ. 1. florum rubi, angelicæ, & borraginis anà. p. 1. seminis atriplicis, vngulæ asini ʒ. 2. rasuræ eboris, cornu cerui, coralli rubei anà. ʒ. 1. & ß. diamargaritonis vtriusque ʒ. 2. fiat puluis ex omnibus cum æquali quantitate sacchari, aut conserua cum melle & aceto squillino, & adde theriacæ & mithridati anà. ʒ. 1. ß. cuius porrige ʒ. ß. aut ℈. 2.* Aliud conficies pharmacum ex eisdem vel aliquibus, B *addito puluere hyssopi, pondere ʒ. 2. pro dosi totius compositionis:* qui solus puluis, cum melle rosaceo, vel squillitico inueteratos epilepticos curare solet. Conficies etiam aquam mirabilis efficaciæ hac lege: ℞. *hyrundines nu. 4. rutæ. m. 2. castorij ℥. 1. vini albi lib. 3. instillẽtur per alembicum & laboranti porrige ʒ. 2.* Quòd si ex his omnibus quæ memorauimus cum succo aliquo ex prædictis herbis & oxymelite instillationem parare libuerit, mirabile efficies præsidium. Verùm si neque hæc quidem prodesse videantur, ad sudationem ex decocto ligni guayaci, radicis chinæ, aut sarsæ paillæ confugiendum est, *addita decocto radice angelicæ, cum pęoniæ radicis ʒ. 1. hyssopi, & stœchados anà m. 1.* ex quo etiam addita maiori hyssopi copia so- C rapium conficies cum sassafrasa indica. Item ex eodem guayaco cum cortice eius hyssopi, & pęoniæ, granis & radice mustum feruefacito & residere ac fieri vinum desine, lentè quidem mirum in modum prodesse scribitur. His præmissis & nihil præstantibus, fronti sanguisugæ affigendæ sunt, & per ambitum etiam capitis, quas prodesse plurimum ferunt non contemnendi authores, sicut castrationem quã multi commendant: sed caput decocto guayaci ablues bis aut ter in mẽse, & cucufam ipsi appones, q. ℞. *pulueris cyperi, ireos, anà ʒ. 2. seminis seselios & pęoniæ anà ʒ. 1. capillorum veneris, florum anthos & chamæmeli, anà ʒ. 3. macis, cinnamomi anà ℈. 1.* Quam etiam aliter parabis, si acceperis *granorum myrti, granę tin-* D *ctorum, rosarum, coriandri, anà ℥. ß. santalorum rubeorum, florum violarum, nymphęę, capitum papaueris, anà ʒ. 3. florum anthos & stœchados, anà ʒ. 1.* Cauendum tamen est in huiusmodi præsidijs ab odoratis, in his qui calido sunt capite, sicut fugere oportet quæ frigida sunt, in his qui frigidum habent & stupidum caput. Præstat & puluis capiti inspersus, q. ℞. *coralli, rosarum, granorum myrti, anà ℥. ß. seminis lactucę ʒ. ß. granorum tinctorum, santalorum rubeorum, anà ʒ. 1. caryophyllorum & cyperi, anà ʒ. ß. fiat puluis tennuissimus.* Cui similem habet vim is q. ℞. *anisi ℥. 2. coriandri & fœniculi, anà ʒ. 1. medullę seminis pęoniæ & cubebarum, coralli vtriusque, aromatici rosati, anà ʒ. ß. pulueris seminis angelicę ℈. 1. cuius si addita ęquali portio-* E *ne sacchari ℈. 1. laboranti porrexeris deuorandum,* ex vsu facies.

Interim tamen dum hæc fiunt, caput vacuare tentandum est, omni gargarismatum & caputpurgiorũ genere, vt paulò ante scriptum præcedenti capite abunde reperies. Dimitto tamen hac in parte multa alia quæ à proprietate prodesse quàm plurimi authorũ scribunt, quia inutilia aut superstitiosa quodammodo esse videntur: satius enim multo est, morbo tenuẽte hæc omnia auxilia, ad fontanellas & setones confugere, tanquam ad vltimum & probatum præsidiũ, præsertim ad fontanellam in occipitio factam, quam scimus non minus adultis quàm pueris profuisse. Præterquam quòd non desunt, qui in hoc malo per essentiam & inueterato vlcuscula in circuitu capitis ferro candenti fieri consulant, non sine magno laborantium beneficio. Renuere tamen oportet cycliscis aut te-

terebro craneum perforare, breuioris enim, & certioris periculi præsidium est.

Curatio motus cõuulsiui.

Importunissima illa affectio, quam motum appellauimus conuulsiuum, curationem exoptat, (quatenus ad vniuersalem prouidentiam attinet) conuulsioni ex repletione persimilem. Verùm quia sæpè habet peculiarem aliquam partem à qua prolabitur humor, duplex insurgit medendi ratio: altera quæ succum superabundantem, vbicunque sit, euacuet, & corrigat: reliqua vero quæ halitum, seu humorem ibidem elatum neruosam substantiam ferientem conterat, & resoluat. Quapropter iuxta primam indicationem corpore purgato bis, aut sæpius, & parte etiam mandante repurgata frequentioribus purgationibus, vt hoc cap. abundè dictum est, ad balnea naturalia, sulphurea maximè deueniendum est, vel si placet ad sudationes ex ligno guaiaco, aut sarsa parilla si humor crassus frigidusve fuerit: verum si tenuis, & aquosus, ex decocto radicis chinæ sudationes parabis: si tamē caliditatis, & tenuitatis fuerit particeps, ex iuæ radice, quas cæteris præferendas arbitror. Quibus factis confugiendum est ad antidota quæ epilepticis esse proficua scripsimus, qualia sunt quæ ex theriaca, mithridano, ex cranio humano, ex dente apri, aut osse de corde cerui, vel cornu eius conficiuntur. Prætereà dorso, & parti conuulsæ, aut se mouenti, quæ resoluendi vires habeant adhibebis, vt oleum anethinum, liliaceum, ex theriaca, rutaceum, viperinum, & quod ex castorio conficitur: tandem fotibus, & alijs huius naturæ vteris, quorum copiam adduximus ca. de conuulsione.

CAPVT XVII.

De melancholia.

QVi exactè harum affectionum (quæ insaniæ quædam species sunt) ex melancholia suborientium, naturam nosse voluerit, & cognitā præcauere, aut curare, primo diligenti studio noscat quænam sint deliramenti species, & quanam ratione vnam ab alia distinguere possit: non quidem solùm quatenus attinet ad læsam actionem, & affectionis ipsius locum, sed ad peculiarem cuiusque naturam, & conditionem. Qua sanè in re constat authorum ferè omnium consensu, deliramentum omne, & omnem mentis alienationem sub triplici genere huius vitij contineri: quippe aut febrilem calorem sequitur, aut sibi comitem habet, vel vltimò citra vllam febrem viget. Sic etenim febris vno è duobus modis cerebrū lædere apta est: vel solùm præstito illi præter naturā calore, qui continui ratione venis, & arterijs succrescit: quo tempore solùm vigiliam inducere valet: vel simul cum calore ascendentibus ab humore qui putrescit, aut incalescit halitibus, qui proculdubio ea occasione mentem afficiunt: caliginoso nimis humido ac frigido ascendente vapore, comatosum fieri affectum antea dictum est, & hac ratione mentem turbare. Verùm cuiusuis alterius naturæ sit, qui ascendit vapor, si putridus, aut nimis acris, vel aliter vitiatus extitat, & ad intima cerebri irruat (nam si ad extimas, dolorem potiùs capitis concitabit) mentem proculdubio turbabit. Delirant enim homines imaginibus quibusdam internis facultatibus sentientibus oblatis: quarum gratia, quæ non sunt esse putantur. Has autem imagines mouent prædicti humorum vapores, vnusquisque pro sui natura: sanguis quidem grata præsentat, ac risum subinde mouet: melancholia rerum tristantium imagines mouet: bilis verò flaua, aut atra eas quæ ad iram, & furorem laborantem concitant. Quæ sanè deliramenta eo durant, quousque febris cuius feruore, & occasione hæc mala concitantur remiserit: nullumque aliud habent esse, nullam

A maiorem permanentiam, quàm febris feruorem, & incrementum: quo cessante, protinus omnia cessare, & ad antiquum statum mentem redire certum est.

Secundum enim deliramenti genus grauioris est naturæ, & conditionis: quippe quod ab eo cerebri morbo semper procedit, qui febrem sibi comitem habet: arguit enim non solum calorem, aut vaporem cerebrum euertere, sed humoris alicuius substantiam, vel cerebrum irrigare cum putredine, & phlogosi, aut citra ipsam: vel cerebri ipsius membranas inflammare. Quo fit, vt præter periculum quod subinde sequitur, symptomata ex mentis oblæsione grauiora sint, & quod deterius est, perpetua & quæ nullo mo-
B do intermittunt.

Varia deliria sine febre.

Tertij verò generis deliramentum à præcedētibus dissidere certum est: à primo quidem quòd perseuerent, & perpetua sint: à secundò verò quòd febre careant. Sub primo enim genere paraphrenitides nuncupatæ continentur: sub secundo phrenitidis, & lethargi omnis differentia, dummodo ab eodem affectu à quo mens turbatur febris quoque succrescat: sub tertiò verò, deliria omnia citra febrem comprehendi certum est, quæ sanè multiformia sunt. Reperies enim apud Platonem in Phędone duplicem furoris speciem: vnam quidem quæ mentis fit intentione ex corporis causa, vel origine: alteram verò diuinam, siue immissam, & vt refert Cœlius Aurelianus
C vocatam diuinationem, & ab antiquioribus furorem seu maniam: qua parte recenset plures alias, quas breuitatis occasione prætereo, reducens eas omnes ad quinque solùm: quarum prima est melancholia: secunda furor: tertia amor: quarta rabies; & vltima hydorolcos, quam Auicen. 1. 3. tract. 4. cap. 18. appellauit cuthut, & Græci lycaonem, id est lupinam insaniam. Dimitto Hippocratis, & Ciceronis certos quosdam insaniæ, aut furoris modos, quos potiùs arbitror peculiares hominum passiones, seu inclinationes viuendi, & agendi negotia modos, ac natiuam conditionem esse, ac eos curabiles potissimùm censeo prudentia, & educatione, ac morum directione potius, quam medici ope.

D Verùm si quis velit methodo, & ratione omnes alias mentis alienationes adinuenire, & nosse, expendat multis modis rectrices potentias citra febrem aberrare posse: primus enim mitissimus quidam hebetudinis modus est, videlicet cùm quis non intelligit intelligenda, qui fatuum reddit hominem: secundus fit cùm homo videt quæ re vera non sunt, & vitium pertinet ad imaginatiuam, & visiuam potentiam, qui modus appellatur mentis alienatio: verùm cùm homo nihil noui affert, sed malè iudicat de his quæ rectè cognouit, stultitia dicitur: quòd si in vtroque peccet, si perpetuus sit affectus, insania apud Latinos dicitur: cùm verò timor adest, & mæstitia, vocatur melancholia: verùm si adsit ira, & audacia, furor, seu ma-
E nia dicenda est. At fatuitas quæ primò constituit mētis errorem, si à frigida causa prodeat, duas sui producit species: vnam quidem qua parum cognoscit quæ cognoscenda sunt, qua qui afficiuntur homines rudes vocantur, & ipsa affectio stupiditas: alteram verò qua cognitis parum rectè ratiocinatur, cui proprium nomen est fatuitas. Quibus exactè pensatis facilè erit nosse, aut distinguere delirij species, quas loco citato refert Plato, ac ex Empedocle, & reliquis antiquis Aurelianus: quas sanè docet distinguere ex symptomate quod deliramentum sequitur. Infinitæ enim sunt delirantium imagines, omnes tamen reducibiles ad corporis dispositionem, vel ad studium, seu animi affectum, quo maximè delectantur, aut tristantur, vel timent: quo fit vt ex his qui delirant, aliqui se numine afflatos existimant, & futura se vaticinari putant: sunt & qui de pecunijs congerendis perpetuò

cogi-

cogitent: alij etiam perditè amant, & nihil aliud quã amorem cogitant, aut loquuntur: multi se imperatores fingunt: alij poetico furore percussi, versus semper conantur dicere: multi se venenum sumpsisse arbitrantur: alij ad venerem procliues turpia, & inhonesta loquuntur. Itaque sic affecti talibus imaginationibus vigilantes afficiuntur, quales nobis somniantibus accidere conspicimus. Adeò insuper brutali insania nonnulli atheiuntur, vt luporum more noctu per nemora, & saltus, ac deserta loca aberrent. Inter quas mentis alienationes meritò rabiem recensuimus, vt inter Arabes fecit Zoarus, & inter nostri temporis medicos Christophorus à Vega. Est tamen hæc differentia inter veram rabiem, & hoc delirij genus, quòd hæc appellata rabies lethalis sua natura non est: illa verò quæ verè talis existit certò, & citiùs interimit. Sed in hoc capite solùm melancholiæ meminisse placuit.

Melācholiæ nomē.

Melancholiæ nomine eum affectum hac in parte intelligere oportet, qui symptoma cùm sit deprauatæ potentiæ imaginatricis, aut princeps certe functio deprauata cum timore, propter materiam opacam spiritus animales vitiantem, quæ cerebri intemperiem humori melancholico congenerem sequitur, cuius nomen morbus vsurpat: tantæ est efficaciæ, & magnitudinis melancholia: cuius sanè sæuitia, & potestas nullo alio verbo, aut signo commodius monstrari potuit, quàm nomine melancholiæ. Talis enim est eius natura, & conditio, vt studens antiquitas huius symptomatis magnitudinem ostendere, prædictum illi præstitit nomen, vt ex Galeno euidenter constat lib. 2. metho. quo solo censuit, quid magnum, & funestũ monstrari potiùs, quàm ex quouis alio accidenti ex his quæ grauissima habet:

Verùm qui exactè velit huius mali naturam venari, expendat priùs oportet qualis sit humoris melancholici (à quo tanquam à potissima causa nomen sumit) conditio, vt non solùm morbi naturam noscat, verùm & causæ sæuitiam, & accidentium omnium, quæ mira varietate ludunt, naturam, vt adæquata illis possit præstare auxilia. Est enim tam acerrimæ, & perniciosæ conditionis humor melancholicus (vtcunque fiat, siue naturaliter, siue per adustionem) quòd cùm ab alijs secernitur, & à natura non coercetur, continetur, & alijs attemperatur, etiam si extra corpus eat, maiori ex parte mortem portendat, ne dum cùm intra corpus manens solus, effrænis, ac furens aliquem creat affectum, & eò magis quo pars affecta principalior extiterit. Ratio profectò in promptu est, quia talis conditionis humor generari, aut generatus vitiari minimè alicubi potest, nisi in iecore ob caloris magnitudinem, & venarum angustiam, aut in liene ob easdem causas, calore præter naturam ibidem crescente, aut in cordis finibus, vel vt rectiùs loquar iuxta ipsos ob incendium magnum: à quibus autem membris si valida sunt, secreto fit prædicti humoris; sin aliter, ocyssimè moritur homo, nisi ex ea quæ in liene generatur quartana succrescat febris, & ex ea quæ in iecore, elephantiasis, carcinoma, & febres malimoris ob caloris iecoris, & sanguinis corruptionẽ: ex ea autem quæ in corde, aut iuxta ipsum exuritur, à quauis causa sit, mentis perturbatio, & furor ob sanguinis admixti leuitatem, & feruorem citra putredinem. Cui rationi adiungitur, quòd talis humor naturæ ope nusquam expellitur, neque coquitur: quia oportet in eo quod coquitur partem esse calori, & naturæ nostræ familiarem: quæ cùm nulla sit in secreta melancholia, neque coquitur, neque salubriter excernitur, ac multò grauiùs, & periculosiùs detinetur. Cùm igitur humor tam inutilis è corpore prodierit, constetque naturæ actione non propelli, sed ferè vi propria, vt venena, & vermes moueri natura superata, hominem mori arbitrandum est, & ob id frequentiùs lethaliter excerni. Quòd si in corpore manserit, certum est non esse adeò lethalem, quia aliquod ob cæterorũ succorum viciniam, aut admixtionem susceperat beneficium, vt in varicibus, & hæmorrhoidibus, quæ desipientiam, & alios morbos curant, videre est. Neque ob id credendum est, vt multi censent, melancholiam nihil ad mentem, & prudentiam conferre: decẽpit enim eos Hippocr. qui lib. de flatibus 20. sententia, in sanguine prudentiam consistere scripserat: eo quòd media, & temperatior natura aptior sit ad omnes actiones, sic enim huiusmodi authores melancholicos damnant, quòd plurimum à sanguine dissideãt: ac referunt melancholicos ingenio pollere potiùs arte, & disciplina, quòd laboribus, & studijs sint constãtes, quàm ingenio, & natura. Verùm si qui legat Galen. lib. artis med. vbi ex professo rem disputat, reperiet, quòd licet ad omnes operationes temperatior natura vtilior sit, nihilominus tamen ad sapientiam in homine reperiet cerebri, ac spirituum substantiã prærequiri tenuem, & claram cum modica permixtione bilis, & melancholiæ. Causa profectò est, quia cùm sapientiam perficiant duo, velocitas nimirum discursuum, & iudicium graue de inuentis, author velocitatis est bilis, grauitatis, & iudicij melancholia, vt ex Hippocra. constat lib. de natura humana comment. 40. quòd vtrique humori iuncta sit siccitas, quæ duplici nomine facit ad sapientiam: tum quia siccitas tollit excrementa impedientia discursum, & claritatem spirituum: tum quia facit ad quietem: anima enim quiescendo fit sapiens. Cui sententiæ adstipulatur Galen. lib. quod animi mores, dicens: Splendor siccus mens prudentissima: necnon & Aristot. lib. 1. problem. 30. affirmans aptissimos ad sapientiam esse melancholicos. Quòd si Galen. lib. de temperamentis 1. aut alibi aliter loqui legas, de omnibus operationibus vni speciei proficuis intelligere scias, vt lib. nostro de principijs artis medicæ Deo dante latiùs disputatum reperies. Vt tamen quiuis intelligat cuius melancholiæ interuentu homines fiant ingeniosiores, scito hunc humorem naturalem vno è tribus modis posse fieri, vt statuerat Auicen. vel calore moderatissimo sanguinis generatore, ad cuius augmentum eius quoque fore vberiorem prouentum indubitatũ est: velut vere contingit. Quo censeo ab Hippocr. 3. aphor. dictum esse. Vere furores, & melancholias fieri, vbi abundans prædicta fæx, quantumuis naturalis sit, aliquo modo alteretur vitieturve. Secundo modo fit, cùm prodit à minori calore naturali, & moderato, vt in autumno, & inclinante ætate sæpissimè contingit, licet Galen. & alij huius humoris prouentum in hac ætate, & tempore ad calorem præcedentis æstatis, & ætatis exurentem referant: cùm hoc tamen febres erraticæ, & quartanæ ostendunt à minori huius temporis, & ætatis calore fieri, vt monstrant Hippocr. verba: Aestiuæ quartanæ, &c. & magis quę hyemem attingunt diuturniores sunt, ob maiorem melãcholiæ prouentum ex nuper adducta causa: quæ sanè melancholia terrestrior est, & ineptior ad omnem mentis actionem. Tertio verò & vltimo modo fit à calore sufficienter immodico, vt docet Galen. 2. de Cris. cap. 12. quod de naturali melancholia dictum arbitror, siquidem disputabat eo loco de sanguine, & bile naturali: à quo sanè calore ea melancholiæ sors efficitur, quæ multis vsibus proficua existit. In hac enim hæsitatione ego arbitror eam melancholiã huic negotio magis prodesse, quæ calidior est, & purior naturali sanguinis fæci: nam cùm necessarius sit ad prędictas animæ actiones spirituum, & sanguinis splendor, ab ea melancholia profectò hæc beneficia præstantur quæ tempore caloris aliquid contraxerit, magis (inquam) quàm melancholiæ naturalis, quę ponus splendorem adimit. Vnde ex prædicto calore scaturiens spiritus, cum supernis corporibus quandam veluti

luti

luti familiaritatem habet: & quemadmodum hæc A calore, motu, luce, prædicta operantur, sic ille quoque calidus, lucidus, agilis instat ad magna, & abdita intelligenda. Quibus constare arbitror axioma hoc, nó de illa melancholia quæ fæx sanguinis est, neque de alia quæ frigidior sit, sed solùm de prædicta, quæ & bi liosæ agilitatis, & firmitatis melancholiæ particeps existat, dummodo calor non adeò excedat, quòd ad confinium atræ bilis ipsam ducat, ne in maniam cómigret ingenij acumen. Cùm hoc tamen non licet intelligere id axioma in corporibus quibus abundat melancholia hæc, vel cęteris dominatur, vel sanguine non compescitur.

Affectus naturæ. Cognita igitur talis humoris vnde hic affectus nomen sumpsit natura, statuendum est, quòd licet hic B affectus nomine melancholiæ insigniatur, cum hoc tamen non per ipsam melancholiam, neque per cerebri morbum, seu intemperamentum definitur, sed solùm per symptomata quæ euidentiùs in eo monstrantur. Quo fit vt sit melancholia morbus, velut definit Aretæus, animi angor in vna cogitatione defixus, atque inhærens sine febre, demum furoris, vel maniæ initium: ita vt sit etiam rationis in vna aliqua re lapsus, constante in reliquis iudicio: mania verò integra desipientia: vterque tamen affectus delirium est, ex his quæ citra febrem contingere diximus. Verùm quamuis his duobus nominibus Hippocrat. aliquando abutatur, cum hoc tamen vnumquodque suum habet proprium, ac peculiare significatum: mania e- C nim vehementissimum dicit delirium, melancholia verò mitius. Qua ratione constat, hac via interpretandum esse Hippoc. 3. aphorism. dicentem. Senibus accidunt paraplexiæ, & mania: quo loco verbum illud mania vsurpatur pro melancholia: nam à senum natura longè distat maniæ conditio. Rursus 6. aphorismorum inquit: Furore correpti si varices, aut hæmorrhoides superueniant, liberantur, furor enim ea parte maximè melancholiam significat, licet vtrunq; subaudiri possit. Qualiter verò hi duo affectus inter se dissideant paulò inferiùs leges.

Pars affecta, & peculiaris affectus natura. In vtroque autem affectu, melancholia nimirum, & mania, cerebrum lædi nullus ambigit, cùm potissima eorum ratio in principis alicuius potentiæ læsio- D ne sita sit. Verùm cum hoc expendendum est lædi potissimum eius anteriorem partem, idque maximè in melancholia per consensum ab hypochondrijs: verùm læsio ex hac occasione potius pertinet ad spiritus in ea parte sitos, quàm ad substantiam: nam solùm obscurantur vitio aduenientis halitus. Quo fit, vt hac melancholiæ sorte affecti metuant solum, & tristentur, cæterum leuiter. Verum in ea specie quę à toto corpore prodit, vitiatur etiam anterior cerebri pars, ita vt prauè disponat spiritus, & cum hoc media etiam oblæditur: ex quo fit, hoc modo affectos aliquantulum in ratione aberrare. At qui per essentiam hoc malo laborant, omnes potentias habent aliquo modo læsas, sed imaginatiuam longè magis, E æstimatiuam non parum, memoriam verò, si affectio particeps sit, pituitæ plurimum; sin aliter, memoriosiores fiunt. Læditur autem in prædictis affectionibus cerebrum longè diuersa ratione, ab ea qua alij huius partis morbi ipsum vitiant. Cuius doctrinæ occasione nosse oportet, cerebrum lædi posse vno è tribus modis: nimirum, aut quatenus pars est instrumétalis, & figura, atque organizatione gaudet, & operatur spirituum ope, qua lege cerebrum patit actiones motiuas, & sentientes exteriores, aut etiam patitur quatenus pars est simplex, & temperamento vtitur, quo etiam operatur, & præstat actiones facultatum interiorum, imaginatiuæ nimirum, cogitatiuæ, & memoriæ: Atque hoc profectò est quod Galenus dixerat lib. 3. de locis affect. cap. 7. loquens de cerebri affectionibus, quasdam vergere in corpus, hoc est fieri ex

vitio, aut læsione cerebri, quatenus pars est instrumétalis, sic enim epilepsiam, apoplexiam, & similes corpus lædere. Quasdam verò dixerat vergere in animá, quam Galen. falsò temperamentum esse existimauit: est tamen immediatum, & proximum ipsi instrumentum, adeò vt temperamenti vitia appellauerit etiam Hippocrat. lib. 6. popu. animæ morbos: cui sanè melancholia reducenda venit. Quæ sententia sic (vt vulgus medicorum arbitratur) omnino falsa existit, cùm verissimum sit, internas cerebri actiones non minus prætrequirere debitam configurationem ipsius quàm reliquas: quod facilè probari potest, cùm ex quouis structuræ vitio non minus lædantur, quàm reliquæ. Euidentissimum huius veritatis argumentum B est epilepsia, in qua ob structuræ vitium omnes sensus interni, ac plerunque externi facilè læduntur: sic quoque in vulneribus capitis, & alijs huius naturę malis contingit. In qua re statuendum est, quòd licet témperamentum (siquidem solius partis similaris forma est) actiones, quæ ipsi parti vt similaris est debentur, efficiat sanum, euertit tamen eas omnes vitiatum. Quamobrem censeo temperamenti vitio internas actiones lædi duobus modis: vno temperamenti communis (quo omnes facultates, tanquam communi instrumento vtuntur) læsione, nimirum caloris influentis, citra quem nulla actio, siue vegetabilis sit, siue animalis, fieri probè potest: cum hoc tamen secundariò animales actiones lædi possunt à vitijs proprij cuius- C que partis temperamenti, dum genitis deprauatis succis, aut excrementis, partem ipsam eiusque decorem, ac spiritus, & calorem lædunt, & interturbant, vt in syluestrina melancholia euidenter colligitur. Itaque si hac lege rem consideres, certum est temperamentum posse instrumenta vitiare, ac eorum passiones structuræ vitio lædere internorum sensuum actiones: verùm si vt iacet velis Galen. mentem intelligere, multis interuallis à veritate discedes. Ex quibus etiam educi poterit ternus modus læsionis cerebri, videlicet cùm & instrumenta, & temperies simul vitiantur. Erit igitur melancholia morbus in cerebri intemperie sicca, & frigida situs ob vitalis caloris vitium, siue nuda existat, siue cum afflu- D xu sit materiæ etiam melancholicæ, quia vtroque modo arguit communis illius instrumenti iacturam, & vitium. Cuius morbi naturam optimè comprehendit prima huius definitionis pars, quæ docet intemperiem esse humori melancholico congenerem, vt simul complectatur eam melancholiæ speciem quæ ex fumis prodit perperam affectis ad cerebrum eleuatis, qui sanè prædictæ intemperantiæ similem, & congenerem efficiunt affectum, siccum nimirum maximè, & frigidum, ac de natura terræ: nam talis est huius intemperamenti conditio. Expedit etiam in hac re scire quòd licet humoris melancholici etiam adsit affluxus, cum hoc tamen affectio semper censenda est illius communis caloris intempe- E ries: quia humoris copia nondum valuit structuram vitiare. Item licet ab halitu fiat in cerebrum elato, pari ratione ad eandem intemperiem reducenda venit. Nam ea melancholiá quæ per primogeneam fit affectionem, licet (vt reliquæ huius morbi species) intemperiem hanc efficiat, diuersa tamen ratione lædit actiones, etiam si læsio sit in omnibus eadem: quippe hæc generat spiritus animales adeò syluestres, opacos, siccos, ac de natura terræ, vt ob id symptomata melancholica necessariò succrescant. Verùm si ex copia humoris melancholici in capite redundantis affectio fiat, diuerso modo fit læsio, licet morbus quoque intemperamentum sit: quippe eo tempore spiritus non generantur obscuri, & terrestres, sed ab halitu melancholiæ intemperie, & natura infecti, quantumuis lucidi generétur, eundé effectum producút. Prętereà dú halitus ascédit ab hypo-

chondrijs non generat spiritus vitiatos, neque cerebrum subinde (saltem facta hac intemperie) intemperat, sed deteriores, obscuros, opacosque reddit ipsos: præterquam quòd tunc intemperie cerebrum quoq; afficere est arbitrandum.

Quæ potẽtia lædatur.

Quæ nam animalis functio offendatur in hoc affectu, non quidem vno consensu omnibus probatur: quippe multi arbitrantur solam lędi imaginationem, & eo à mania seiungunt, probantque id mille rationibus, & Galeni decreto lib. 2. de caus. sympt. cap. 7. necnon & ex Aetio lib. 6. capit. 9. & Tralliano lib. 1. cap. 7. qui referunt melancholicæ desipientiæ esse varias species, prout in ipsis paulatim dolosæ imagines apparent: qua sententia se putant probasse solùm ad imaginatiuam pertinere. Alij rursus arbitrati sunt in melancholia omnino rationem lædi. Quòd Galen. 2. de caus. sympto. dixerit, in melancholia humorem circumfundi rationali animæ, & 5. popu. sect. 5. 11. per melancholiam homines fieri imprudentes: & cũ prudentia pertineat ad rationem, videbatur intentũ. Ego quidem saluo meliori iudicio, cum Aretæo arbitror in hoc malo non omnino lædi rationem, neque ex toto saluam superesse. Quippe inquit: Est melãcholia in vna aliqua relapsus, constante in reliquis iudicio: mania verò integra desipientia. Itaque non omnino carent vitio rationis qui hoc malo afficiuntur, siquidem imaginationi prauæ consentire videntur: cum hoc tamen solum in ea re quam imaginãtur credunt, timent, & desipiunt, alioqui non timerent, in reliquis verò integra fruuntur ratione. Præterea qui hypochondriaca laborant, nunquam in ratione, aut quàm rarissimè aberrant, nisi affectio in factam permutetur, sed solum tristitia, & metu afficiuntur, licet probè intelligant esse citra occasionem, & rationem timoris: sed re vera id videtur à ratione, & constanti animo quodammodo alienum.

Dubium an mæror ab atro colore prodeat.

Differendum mihi est in hac parte, quod multi etiam ex viris doctis disputant, nimirum quanam ratione melancholicis prædicta succrescant metus, & mæstitiæ accidentia. In qua sanè re non placet Auerrot adducta à Galeno causa, quippe inquit libro 2. de causis sympt. cap. vltimo, & 3. de locis cap. 7. Quemadmodum enim in his exterioribus nihil æquè terrorem, ac mæstitiam infert, ac circunfusæ tenebræ, ita prorsus in cerebro ipso obtenebrantur facultates, & spiritus ex atro colore melancholiæ, aut vaporum ascendentium: quo fit vt anima tristetur, & pertimescat, ex concepta semel mali præsentis, aut futuri opinione. Atque licet hoc verum esse nobis quotidianum experimentum repræsentet, mille rationibus Auerr. euertere studuit. Inquit enim tertio collect. 45. color non est qualitas actiua, quæ mutare possit animæ functiones: nam mores corporis temperamenta sequuntur, non colores humoris: ergo videtur id accidens hac ratione non posse fieri: præterquam quòd tenebræ, nec in visum quidem imprimunt, vt quæ priuationes sint, neque sentiri actu possunt, & adhuc minus in interiori sensu, cum neque colores ipsi percipi possunt, ergo. Secundò instat etiam sic dicens, si immediatè læditur actio interior ex colore, iam color morbus erit: hoc nec Galen. concedet, ergo sequitur aliam habere causam. Quibus & alijs huius naturæ rationibus nititur Galeni axioma euertere, fictionem quandam astruens, quæ longè minoris est momenti, quàm adductæ rationes. Nam cùm luciditas spiritus sit cerebri quoad hanc actionem quodammodo sanitas, pari prorsus ratione obscuritas morbus erit. Quòd si velis spiritum opacum causam opacitatis, & euersionis sanitatis cerebri appellare (siquidem morbus passio viuentis censenda est) non inconueniet, dummodo rem intelligas, siquidem comperimus esse etiam symptomata, quæ causam sequuntur: in rebus adeò dubijs, non est grande crimen hac lege philosophari. Præterquã quòd si primum velis tueri, non est inconueniens alia morborum genera præter tria à Galeno assignata, esse consignanda, vt mox probabo: sed satius est intelligere colorem corneæ, & crystalloides morbos intemperamento appellare Galen. citra alterius noui morbi confectionem, quoniam perspicuam esse ex elementorum mixtione corneæ inest: & ob id iure optimo ait, colorem melancholiæ mores mutare, quoniam dixerat, mores animi temperamentum sequi, quasi color humoris temperamentum sit, vel ad ipsum reducatur. Et quemadmodum multa similarium membrorum vsum præstant functioni qualitate aliqua secunda magis quàm prima, vt cornea, quæ potissimum visioni confert perspicuitate quam temperamento, ita humores in animum imprimunt magis splendore, aut obscuritate quàm temperamento, mutata alteratave cerebri substantia, vbi morbi ratio sita est. Præterquam quòd non inconuenit præter illa tria communia morborum genera, quibusdam membris alia inesse peculiaria, sicut diaphaneitatem, & luciditatem, aut alia eius naturæ: sic enim cerebrum non minus per luciditatem spirituum, quã per ipsos spiritus parit naturales actiones. Et sic color melancholiæ licet in cerebro non percipiatur ab aliquo sensu, neque virtutem ipsam immutet, est tamen causa vt omnia obiectiuè repræsententur sensibus interioribus sub specie opaca, & horrenda. Haud secus quàm color existens in cornea, qui non videtur à crystalloide, verùm est causa deprauatæ visionis: sic enim insomnia, mille monstra horrenda, & timenda fingunt ex repræsentatione specierum eiusdem conditionis: nam pari ratione statuendum est fieri melancholicum timorem in morbis, ac in sanis somniantibus eadem accidentia timoris, aut tristitiæ, præterquam quòd insomnijs nullam fidem adhibemus, & ob id metus, & mæstitia nobis expergescentibus cessant, persistunt verò in melancholia ob vitium rationis quæ assentitur, & malè iudicat de eis. Qua ratione statuendum est, spiritum opacum causam opacitatis, & euersionis sanitatis existere. Nec rursus valet ratio, qua probat si sanguis abundaret in cerebro, pari quoque ratione lætitiam effecturum, nam id vltro concedimus: quibus accidit, hæc duo symptomata non solum prouenire ob atrum colorem, sed ob intemperamentum frigidum, & siccum, quo cerebrum idoneum prædictis symptomatis efficiendis redditur. Quòd si dixeris senes ob id semper debere melancholicis imaginationibus perturbari, quòd frigidum, & siccum habeant cerebrum: expende aliud esse aliquod intemperamẽtum esse alicui naturale, & aliud longè diuersum præter naturam alicui succrescere: quo fit, vt senes non delirent: quibus verò ob melancholicum humorem, aut frigidum, & siccum temperamentum anima turbatur, deliria accidunt.

An perpetuò in melancholia mæror adsit.

Cùm dictum sit, inseparabile symptoma à melancholia mœrorem esse, dubitatione non carere videtur, cur Democritus apud Hipp. perpetuo risu afficeretur, & qua nam ratione ferè omnes authores statuant delirium cum risu à sanguine fieri, & non à melancholia, atque etiam securius esse quàm id quod cũ studio fit. Multi sanè vt hanc calumniam fugiant, prædictum risum non esse verum fingunt, sed eam oris gesticulationem arbitrantur contractam sine interiori lætitia, & animi intensione, similemq; ei quæ apparet in epilepticis, & risu sardonio affectis. Verum si rem diligentiùs expendas, reperies risum illum ab Hippoc. dictum, potiùs maniacis ex sanguinis feruore, & vstione fieri, quàm melancholiæ, vt Auerr. respondeamus, nimium possibilem esse etiam risum ex colore lucido, & sanguini simili in cerebro: cæterùm melancholicis id symptoma attemperari,

non

non quidem ex toto auferri sanguinis occasione. Nam si in naturali steterit dispositione sanguis, delirium minimè efficiet: si verò calidior & feruidior, maniam potiùs mitem progignet: at si frigidior fuerit & crassior, iam cum melancholia coincidet & mœstitiam quoque efficiet, cæterùm eam non vehementem, vt optimè animaduertit Auicen. & sic profectò Trallian. de sanguinea melancholia loquens inquit: Si sanguineo accesserit mœror quispiã magnus, oritur sanguinea melancholia: ex quibus intelligitur sanguineam melancholiam non absolui à communi melancholiæ mœrore: verùm cum hoc per interualla temporum edere lætitiæ signa: quòd si plus iusto læ tentur, præter quam quòd præludium est maniæ, id fit prorsus, quia sic affecti ratione renitente insultibus humorum orbantur, quod purè melancholicis non accidit, & quia iam sanguis aduritur, & ea ratione splendet magis quàm anteà, adeò vt animo spes, vigor & alacritas oriantur quibus in risum prorumpit homo: & hoc sensu audire oportet sanguineam melancholiam, quam ego arbitror magis fieri post sanguinis efferuescentiam aut vstionem (nam quo tempore efferuescit, efficitur leuis mania) facto autem feruore, frigidus fit affectus vt anteà dixeram.

An melancholia citra timorem reperiatur.

Non minus inferr dubium, possit ne melancholia aliquo modo citra timorem reperiri: nam si tota timoris occasio est humorum cerebrum obsidentium ater & obscurus color: cùm ex pituita quæ alba est deliramentum etiam successerit, constabit profectò citra timorem posse fieri. Quòd verò ex pituita deliramenta suboriantur, hoc discursu apparebit: si melancholici magna ex parte fiunt epileptici, & hi quoque melancholici, vt ex Hippoc. lib. de morbo sacro constat, & epilepsia frequentiùs ex pituitosis fiat humoribus, constabit proculdubiò melancholiam aliquando futuram pituitosam: siquidem vtriusque affectus ratio nullo alio modo dissidet quàm si pituita vergat (vt dictum est) in corpus aut in animam. Inquit enim loco citato Hippocr. & epistola de insania: Fit cerebri corruptio à pituita & bile, vtriusque verò cognitio sic contingit. Etenim qui à pituita insaniunt, quieti sunt & non vociferantur neque tumultuantur, qui verò à bile, percussores sunt & malefici & non quieti: & siquidem assiduè insaniant, hæ causæ sunt. si verò terrores & timores fuerint, à transmutatione fiunt cerebro calescente à bile, quæ ad ipsum per venas sanguinarias procedit. Quibus verbis videtur constare melancholiam à pituitoso humore posse fieri, ac ex consequenti timore carere. Verùm si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet ex pituitoso quidem humore mentis commotionem & delirium fieri posse, melancholica verò deliramenta minimè, quòd prædictus humor terrorem non inferat. Quòd si quis dixerit Hippocr. loco citato, hæc referre verba (tristatur autem & angitur homo, & præter temporis rationem obliuiosus fit, dum cerebrum à pituita refrigeratur, & præter solitum morem compungitur) quibus videtur pituitam tristitia etiam deliramenta posse inferre: expendat mœstitiam illam potiùs ex mentis stoliditate prodire, quàm ex irascibilis potentię affectu. Nam certum est, à pituitosis succis obliuiosa aut soporosa aliqua affectione cerebrum lædi, potiùs quàm timida aut tristi dementia. Quod si aliquando accidat, tristitiam illam potiùs apparentem quàm veram arbitraberis: nisi velis additam esse in contextu Hippocrat. particulam illam, tristantur, vt certò probari potest ex primis contextus verbis: inquit enim. Si verò terrores & timores fuerint, à transmutatione fiunt cerebro incalescente à bile: qua parte euidenter constat timorem & tristitiam non succrescere pituitosis deliramentis, nisi ratione vstionis flauæ bilis, quo in melancholicam naturam commigrat affectio. Quòd si vlteriùs velis asserere, à pituita pos-

A se fieri, arbitrandum est, pituitam quoque debere vri, vt ex ea metus & mœstitia suboriantur: nam aliter fieri est impossibile, Galeno asserente conuent. illius sententiæ Hippocrat. qua refert epilepticos posse fieri melancholicos, qui expressè statuit, id solum debere intelligi de ea epilepsia quæ ex melancholia fit, non de ea quæ à pituita: quod nos etiam eodem modo intelligimus, nisi vratur sicciorque fiat & melancholiæ cognata.

Dubium.

Sed maius sese nunc offert dubium, qua nimirum ratione fiat, quòd metus & mœstitia, passiones alioqui facultatis vitalis, sequantur & possint monstrare imaginatiuæ potentiæ læsionem: siquidem læsæ actiones tantùm ostendunt vitium facultatum à qui- B bus prodeunt, non aliarum. Cuius dubitationis causa præmittendum est, actus inferiorum potentiarum actibus superiorum subijci, ita vt ad actum quemuis irascibilis potentiæ prærequirantur actus superiorum potentiarum, qui apprehendant rem circa quam versantur actiones, sub ratione conuenientis aut disconuenientis. Atqui cùm imaginatiua potentia læsa sit, fit facilè, vt quod semel apprehenderit, quantumuis à ratione sit alienum, & ex morbosa causa timorosum, præsentis aut futuri mali opinione semel concepta, protinus irascibilis potentia mœrore aut tristitia afficiatur.

Dubium.

Longè maioris difficultatis est nosse, si affectio hęc melancholica in frigido & sicco cerebri intempera- C mento sita est, quanam ratione ex persuasione contraria deprauatæ opinioni & imaginationi subsidiũ & leuamen suscepat. Cuius sanè dubitationis gratia, in examen reuocare oportet, an animi affectus aliquo modo corpora possint immutare. Præmittendum tamen primò est, per animi affectus non solùm intelligendas esse vitales seu animosæ potentiæ motiones, gaudij nimirum, spei & timoris, sed omnia etiam quæcunque animalis facultas in cerebro concipit imaginans, cogitans, memorans & concupiscens. Sed posse huiusmodi mutationes adinuicem fieri, vno è tribus modis ex philosophorum sententia, breui oratione monstrare aggredior. Primus sanè docet modum, quo corpus alteretur ad potentiarum vi- D talium motiones: sequitur profectò corporis alteratio ad spirituum & sanguinis motum, quo vel intra corpus se recipiunt in tristibus perceptis, vel extra feruntur in lætis. Recurrit enim spiritus pedis in mœrore ad cor, quia percepto mœrore ab anima ob vnitatem eius in toto, communicat omnibus partibus tristem notionem, quare & cordi etiam: cumque cor innatam habeat ab ortu propensionem expandendi ad familiare spiritum, ita etiam & auertendi à noxijs, retrahi endique reliquis membris immotis, corde solùm suo munere fungente. Haud secus profectò, quàm in motibus arbitrarijs: nam quamprimum in cerebro formatur mouendi conceptus aut loquendi, eo instanti solus musculus propositæ mo- E tioni dicatus (etiam si omnibus musculis diffundatur mouendi efficacia) contrahitur & solus exequitur mandata: qui sanè citiùs ministerio præest imperatæ motionis, reliquis otiantibus: quibus sanè animæ motibus corpus summoperè alterari & moueri haud rarò conspicimus. Pari etiam ratione dum irascitur homo, bilem auget ob sanguinis feruorem, & dum meditatur, corpus refrigerat, & melancholiam auget. Itaque varias animi affectiones corporis mutare intemperiem nemo inficiabitur. Quod si ita est, rationi consonum videtur posse leuamen melancholico præstari ex dissuasione conceptæ opinionis: tùm, quia si erronea imaginatio & futuri aut pręsentis mali opinio causa erat timoris & tristitiæ, proculdubiò sublato imaginationis errore, timorem & mœstitiam quoque auferri necessum erit: tùm etiam sanitati reducetur melancholi-

cus, quia ex lætitia concepta ex dissuasione mali, etiam humores, & spiritus extra mouentur tenuiores, clariores, & ex motu calidiores facti, subindeque caput incalescit natiuo spirituum calore, & humores, ac cerebri substantia temperatiores fiunt, humectiorque efficitur extenuitate, & motu per vniuersum corpus omnis substantia. Quibus profectò constat, dissuasionem ex grata amicitia, vel ex graui aliquo viro suadente, summoperè huic malo profuisse. Secundus etiam operationis facultatum modus, non minoris est in hoc negotio momenti: visio enim & imaginatio (vt inquit Aristot. de communi animalium motu) rerum agendarum vim obtinent: species enim rei, vel iucundæ, vel formidabilis mente percepta, quodammodo talis æstimatur, qualis se repræsentat: idcircò imaginatione solùm affecti, tùm horrore, tùm metu perculsi videmur. Quo sanè modo, non minùs iuuantur melancholici homines spe iucunditatis semel, ac solum concepta: spectra enim & species rerum iucundarum, quæ vel alicui repræsentantur per propriam memoriam, aut extrinsecus aliquo suadente, adeo seruant vestigia, & vmbram quandam exteriorum vnde prodierunt, vt non minùs quàm externa, ac vera alterare, ac immutare possint, & per consequens omnem animi affectum mutare. Denique in prima causa humores, & spiritus aptiores fiunt ad actiones potentiarum ex motu animæ: in hac secunda animus ipse suadetur concepta contrarij spe, & alacritate. Tertius verò modus expositus à me satis est lib. 3. de mulierum affectionibus capite de monstruoso conceptu: nimirum euidentissimum esse apud aliquos philosophos, inferiores potentias aliquo modo ad nutum superiorum operari. Quo fit vt ex hoc facultatum ordine prodeat potestas illa imaginationis, & appetentiæ, ita vt pro illarum arbitrio, naturales facultates animalium operentur, & obsequentes pareant: quod sanè in melancholicis hominibus euidentiùs conspicimus, quibus tantum ferè imaginatio potest, quod aliquando casum faciat (vt ferunt.) Monstrat enim id nonnunquam euentus: sed prætermissis de hac re mille exemplis, in medium afferam quod refert neotericus quidam doctus: quippe cùm iuuenem corripuisset causus, qui frequenti delirio obnixè postularet concedi sibi natationem in stagno illo, (monstrabat autem pauimentum) constare enim sibi aiebat, statim conualiturum: tandem consulente medico, permissus est supra pauimentum natare, & postmodum retulit iam sibi aquam accedere ad genua, & paulò post inquit, iam attingit inguina, ita crescente iuxta imaginationis concepta vsque aqua, hilari facie gestiebat, pronunciabatque se sanum iam factum, & accedente medico reperit hominem sanum febreque liberũ: talis igitur est imaginationis vis, & efficacia in laborantibus, licet non semper huiusmodi sortiatur vires. Verùm in melancholia non raro factum est, quòd ob viri sapientis persuasionem, præstita sanitatis certitudine, tanta sæpè est ægri fiducia, quòd citra aliud auxilium, vis ipsa imaginatiua mouens spiritum, & calorem, auferat quoque temperiem morbosam ab humoribus, & cerebro. Atque hæc de præsenti dubio mihi sufficere videntur, saluo meliori iudicio.

Melãcholiæ species

Sed cuiuslibet conditionis sint deliramenta quæ sic affectis succrescunt, tres tantùm posse accidere melancholiæ species pro comperto habemus. Prima quando in vniuersum in venis omnibus sanguinem atra bilis vitiat, & conspurcat, à quo etiam cerebrum affici certum est, vel hoc sanguine illuc quoque confluente intemperanteque cerebri substantiam, obscurando spiritus ipsos, quibus phantasmata erronea, & ficta in imaginationem necessariò effectutam arbitramur. altera verò cùm reliquarum corporis partiũ sanguis innocuus est, sed is solus vitiatur qui in cerebro continetur: quod sanè vno è duobus modis capiti accidere solet: vel melancholico sanguine (licet in corpore non redundet) illuc ob vigiliam, subitum timorem, tristitiam intensam cogitationem, & alia animi pathemata confluente: vel dum ipsius capitis habitus siccior frigidiorq; fuerit, ita vt quidquid in ipsum confluxerit siccarum qualitatum particeps efficiatur, & melancholiæ vitio conspurcet, & pari quoque pensu spiritus obscœnos, & inertes gignat. Atqui cum ex aliqua ratione ex his quas retulimus ipsius substantia feruidior fiat, affluentem sanguinem adurit, & quod in eo est tenue liquidũve absumit, & relicta pars prauè crassescit. Quo tempore si calor perseueret, homines fiunt velut ira perciti, magisque audaces, & temerarij, ita vt suos percutiant, multaque terribilia perpetrent, præsertim eo tempore quo sanguis assatur. Verum si frigidior subsit qui in cerebro mãsit, certè post incendium mœrentes, tristes, ac meticulosi euadunt homines. Cui sanè melancholiæ speciei referenda est ea, quam iuniores syluestrem appellarunt, & lupinam insaniam: quæ quidem duæ species à communi melãcholia eo dissident, quòd in hac peruertuntur spiritus animales, & cerebri temperamentum, ita vt nequeãt rectè sua munia perficere: cæterùm in syluestri nõ solùm spiritus animales peruertuntur, sed praui, & euersi obumbratiq; ac citra vllum splendorem ab ipsius cerebri facto, & habituali temperamento generantur: ita vt sic affectos loca deserta, & arida, obscura, ac timida, & solitudinem amare cogat. Tertia insuper melancholiæ species ex hypochondrijs malè affectis oritur, dum venæ meseraicæ inter ventriculum, & hepar ardore quodam ex obstructione contracto efferuescunt: quo fit vt humores crudi, & melancholici ibidem conclusi, graues halitus densosque fumos sursum in mentis regionem transmittant, nec id solũ, sed portionem quoque noxiæ materiæ. Itaque Gal. 3. de locis affect. docere videtur in ipso ventriculo inflãmationem esse, non quidem cõsistentem, & factam, quia febre carent, sed in humore per vasa sparso crasso, atro, & adusto vigentem. In summa commune est his omnibus melancholiæ speciebus in pauore, metu, trepidatione, angore, & solicitudine esse, vt perpetuo lugeant, amicos, & familiares auersentur, & solitudinem perpetuò captent.

Communes causæ omni melancholiæ.

Causas habet hæc affectio varias, & difficiles, iuxta diuersitates specierum quas nuper adduximus, cæterùm eas omnes in duas classes diuidere oportet: quædam enim omnibus speciebus sunt communes, quædam verò cuique earum propriæ, & peculiares, quarum meminero in expositione, & curatione cuiusque speciei, sed hac in parte quæ communes existunt recensendæ tantùm sunt. Quippe sic affecti, vel morbosum habent apparatum in mesenterio, corde, cerebro, aut vniuerso corpore: vel humoris melancholici alicubi non purgati vbertatem: vel rursus externa accedit causa, quæ vel prædictorum membrorum aliquod prauè disponit, vel humores in melancholię, vel atræ bilis naturam agit. Sic qui siccius habent caput, facilè dum id refrigeratur, in melancholicos affectus incidunt: item qui pusillo, & deiecto sunt corde, & quibus frequenter ex timore, tristitia, aut ira iuxta ipsum sanguis aduritur. Præterea quibus venæ meseraicæ strictæ sunt, iecur squalidum, & nimis trahens, ventriculus frigidior plus attrahens quam conficere possit. Insuper vniuersum corpus paratum huic malo existit, si hirsutum sit, laboribus, curis, vigilijs, solicitudinibus, cum magno studio, & animi propensione, & anxietate deditum. Cui si vel sanguis crassitie abundet, vel accedat externa causa, siue alimentum sit, siue quæuis alia, quæ humores crassare mediante efferuescentia, & ipsa sedata refrigerare possit, proculdubio melancholici sequentur affectus: siue cerebrum ab his causis frigidum, & siccũ efficiatur: siue

illuc

illuc ascendant humores, aut halitus eiusdem naturæ, & conditionis. Sic profectò præter melancholicum succum pituita crassior facta mæstitiam, sicut serum eius timiditatem affert: item & sanguis non quicunque, sed ichorosus, quod desumpserat Auicen. ex Galen. 2. popu. parte 6. text. 37. statuerat enim omnino pauidos, hoc est cum metu perturbatos, itemque vigiles ichorosum sanguinem reddere, aut ipsum iam vstum: & inferius inquit, fuerit quidem consentaneum pituitæ serum timiditatem afferre, aut pituitam ipsam si accida sit, aut corrupta. Item iecoris, aut splenis vitium, vel mensium, aut hæmorrhoidum suppressio, aut varicum. Sic spirituum paucitas, aut capitis imbecillitas causæ sunt cur de obiectis, quantumuis naturalia sint, malè iudicet homo, quia sunt excellentia, & corruptiua respectu potentiarum, aut spirituum.

Signa omnibus melancholicis cōmunia. Sunt etiam inter signa quædam omnibus melancholicis communia, quædam verò cuique speciei propria, & peculiaria, quorum meminero latiùs suo loco: sed communia sunt omnibus metus ab atro vapore mentem ceu tenebris externis terrente: mœror perpetuus: odium hominum, & vitæ tædium ex mœrore vtrunque natum: mortis cupiditas, vel timor. Prætereà qui sic affecti sunt, solitò tristiores apparent, & cogitabundi, solitudinem amantes, fugientesque hominum consortium: color illis, vel niger, vel plumbeus, facies demissa, oculi caui, vigilia ingēs, cibi fastidium, & nonnunquam auersio. Denique in genere morbum huiusmodi monstrant tanquam signa patognomonica, solùm illa duo quæ Hippocr. & Galen. 6. aphor. 23. recensent, nimirum metus, & mæstitia si citra manifestam occasionem succrescāt, aut si occasio diutius quam pro causæ ratione durauerit, etiam si in pueris, & fœminis minor occasio sufficiat, cum hoc tamen timor citra æqualem rationem, aut diu durans, certum est melancholiæ indicium, cui accedit febre omnino carere: Nam licet hæc eadem accidentia febribus aliquibus succrescere possint, nihilominus tamen febris illa non fit ratione melancholicæ affectionis, sed prædicta accidentia febribus succrescunt: quo fit vt perpetuum sit febre carere, & hac ratione à phrenitide, & alijs phlegmonosis capitis affectionibus differre. Neque rursus valet eorum ratio qui prædictum axioma euertere conantur, quòd in hypochondriaca melancholia humores in venis meseraici contenti inflammentur, quia hi non habent consistentem, & factam inflammationem, quæ phlegmonosa sit, quo fit vt febris non sequatur. At incipientis mali signa sunt solitudinis desiderium, somni parui, diuulsi, insomnia turbulenta, peregrina, horribiliaque ipsis instantia: quibusdam adsunt corporis vibrationes, vertigines, & flatuum sonitus circa aures. Quòd si malum iam clarius sese ostendat, laborantes ore promunt quod imaginatione falsò concipiunt, & aliquando secum loquuntur nullam connexionem habentia. Verùm si iam malum firmatum sit, metus, & mæstitia diu perseuerent, neque vllis pacantur verbis, tandem quod mente concipiunt non solùm ore proferunt, sed opere prosequuntur, oculis, manibus, pedibusque inordinatè motis, timent quæ leuia sunt, & odio habent amicos, & monitores.

Præsagiū Præsagium quoque partiri in duas classes necessum est, quarum altera monstret quid in genere prædicere liceat: altera verò quid ex quauis melancholiæ specie. Est profectò tanti momenti futuri euentus dignotio in hoc affectu, vt tantùm ferè beneficij ad curationem præstare possit, quantum affectus, & causarum cognitio. Recens enim melancholia haud difficulter curatur, inueterata verò non facilè, & ob id præcauere oportet ne vetustior fiat. Quippe si cui citra solatium permittatur diu solicito mœrore, ac implacabili mæstitia viuere, sperandum proculdubio est in grauius malum prolapsurum, vt ex Hippocrat. constat 6. aphorismor. 23. Prætereà curandum est ne intensiùs vigilent qui sic affecti sunt, facilè enim hac sola causa ipsis malum habituale efficitur, & quod deterius est in furorem transit. Atqui licet hæc affectio commigrare possit in varices, hæmorrhoides, quartanam febrem, aut epilepsiam, non opus est nunc signa id monstrantia recensere, vt quæ infida sint: sæuus enim mihi visum fuit signa afferre, quæ mutari ipsum in immedicabilem maniam commonstrare possint. Sic profectò si ante melancholicam tristitiam risu insolito, aut fletu, & lacrymis præter occasionem afficiatur homo, in id commigrare erit pertimescendum: tùm quia risus exustionem sanguinis arguit: tùm verò quia fletus exiccationem cerebri minatur, & efficit, quo coniectandum erit cerebrum habitualiter exiccari, ita vt si quauis causa incalescat præter naturæ modum, protinus in maniam degeneret. Item his quibus melancholicus succus in capite viget, vel leuissima occasione quæ humorem tenuet, ita vt delabi in cauitates in neruorum origine possit, ocyssimè in morbum commitialem commigrat malum, aut, si ibidem detentus nimium vratur, furorem concitat, sicut dum cerebri ventriculos implet, apoplexiam efficit. Pari etiam ratione contemplari oportet, an is qui subitò, & absque causa manifesta mœrens fit, spumam quoque per os excernat, vereri enim oportet ne à rabido cane morsus sit: quippe is paucissimis diebus peribit. Sic etiam si nauseabundus sit is qui mœrore afficitur, ac frequentiùs vomat, proculdubio exiccatus moritur. Cum hoc tamen si aluum habeat solutam, aut cum conferentia, & tolerantia vomat, vel ipsi erumpant per corpus vitiligines, optima subest sanitatis spes, & pari ratione si hæmorrhoides, varices, ac elephantiasis succrescant, vt ex Hippocrat. constat 6. aphorismorum 11. & 21. In quo sanè morbo vereri magis viros quàm fœminas oportet, si Cœlio Aureliano credendum est, lib. 1. cap. 6. & media ætate viros maximè sanguineos, & biliosos. Inquit enim Hippocrat. 6. popu. parte 6. prope finem: similiter & biliosum, & sanguineum corpus atrabiliarium fit, si non habeat euacuationes. Hypochondriaca verò licet faciliùs feratur, longioris est durationis, citra grauius periculum maioris delirij, & in his qui deiecto sunt animo, degenerat in cordis palpitationem, tremorem, animi deliquium, & si prauis succis vtantur, in syncopim, ac nonnunquam in vertiginem, & epilepsiam, & ob id maxima cum præmeditatione cum his agendum est.

Melāchcliæ ex toto natura & curatio. Multa profectò sunt in huius affectus curatione, quæ peculiare studium, & diligentiam in artifice requirunt, non quidem solùm in communi medendi ratione, verùm in particulari etiam cuiusque eius speciei: quæ sane vt faciliùs expendat lector, studui seorsim disponere quæ cuique melancholiæ sorti proficua fore spero. Sic ea melancholiæ species quæ totius corporis vitio (quatenus ad venosum genus attinet) succrescit, non quidem indistinctè, vel communi aliqua ratione auxilia admittit (licet eius natura vna, & eadem sit, à quauis causarum oriatur) sed habitis antea tot considerationibus, quot sunt causæ à quibus principium sortitur, aut fomentum in dies susceptat.

Causæ. Atqui cùm ad quadruplex causæ genus reduci possint omnes causæ, nimirum ad animi pathemata, ad improbam victus formam, & naturam, & ad iecur, aut splenem quæ copiosam melancholiæ generationem pariunt, aut non expurgant, vel ad suppressam aliquā vacuationē, ob id cuiusque seorsim meminisse oportet, vt cuique constet qua via incedendum sit in curatione. Inspicere itaq; conuenit iecur, sit ne huic

succo gignendo aptum, siccum nimirum cum calidi- tate aut frigiditate: præterea eam victus & vitæ ratio- nem præcauere oportet, quæ crassum & fæculentum humorem procreare apta sit, cuius naturę sunt carnes omnes syluestres & ferinæ, maximè leporum, boum, caprarum, hircorum, aprorum, & eius naturæ: item salitæ omnes, etiam pisces marini ferè omnes, & ma- ximè qui sale condiuntur: semina etiam plantarum & arborum, caseus, pepones & id genus reliqua. Quibus accedit splen adeò natura impotens, vt quã parcissimum melancholiæ ad se trahere possit, vel tractum conterere nequeat, & ob id in maximam co- piam excrescit, ac prædicta accidentia concitat. Ac- cedit id etiam maximè cùm varices, hæmorrhoides aut menstrua purgatio, per quas sese natura ab huius excrementi Spurcitia exonerare assueuerat, morbo- sè supprimuntur: quo fit vt necessum sit prædictum humorem per vniuersum corpus vagari, caputque prædictis modis afficere. Augent præterea melancho- liam plures aliæ causæ, velut calor & siccitas totius corporis, exurit enim calor accersitque siccitatem & nigritiem: augetur etiam æstatis tempore ob eandem rationem: ac licet hæc biliosum humorem potiùs quàm melancholicum debuissent efficere, impedit tamen frigiditas aduentantis autumni, maximè si materia quæ aduritur crassa sit, quippe id quoque ne- cessum est ad melancholiæ generationem: nam quæ ex bile generatur, in ferina deliramenta potiùs quàm in melancholica commigrat: quo sensu intelligere o- portet mille Hippocrat. & Galeni sententias libr. 3. aphorismo. Quibus si adiungas perseuerans & co- gitabundum studium, curam, solicitudinem, vigi- liam, & corporis etiam ingentes labores cum ani- mi propensione, proculdubio mille modis melan- cholicum succum congregari comperies: tum natu- ralem ob primam à me relatam causam, tùm arrum, ob nupper adductas: neuter tamen dum intra cer- tos quosdam limites consistit morbosus est, licet cor- pus, in quo viget, peculiare præbeat vtriusque speci- men: quòd si plus iusto creuerit, vel ab externa oc- casione excitetur naturæ limites prætergrediens, pro- culdubio in prædicta mala degenerat. Quibus acce- dunt nuper dicta accidentia commouentes dæmo- nes & immundi spiritus, diuina maiestate id per- mittente: quod etiam accidere scimus ob laboran- tis aliquod peccatum erga Deum Dominum No- strum perpetratum, iuxta illud capituli: Cum infir- mitas corporalis, &c.

Dignotio affectus & causarum.

Nosces per consensum à toto corpore laborantem affici, si febris aliqua diuturna vel quartana præces- serit, suppressaque fuerit melancholici sanguinis per menses aut hæmorrhoides purgatio: quod etiã mon- strat notitia præcedentis vitæ. Quippè si adeò labo- rans deditus fuerit vigilijs, curis ac solicitudinibus, vt vniuersi corporis humores exiccentur crassescãtque, mirum non est eo tempore totius corporis consensu hunc affectum suboriri. Verùm si ex humorum cras- sitie & siccitate ab externis causis prodeuntibus, vel scirrhosa affectione prodeat, monstrabit vniuersi corporis habitus gracilis & hirsutus: quibus etiam noscitur naturale temperamentum huic affectioni aptum, maximè si corpus colore fuerit nigrum, ve- nasque latas obtinuerit, excarneque sit, & copia ad- fuerit flatuum, ac redundauerit fæcis sanguinis co- pia. Monstrabit id etiam vita crassis cibarijs dedita, & occasio vstiom apta. Sic etiam idem ostendunt splenis vitia, & color ea ratione viciatus, ac iecoris pari ratione calfacti & sicci signa. Quòd si prædicti affectus à lento sanguine principium sortiantur, ap- paret linguæ grauitas, ita vt vix possit loqui laborans, adest oculorum & totius faciei rubedo, venarum e- minentia & totius corporis plenitudo: læti sunt & ri- dent, amant loca amæna, lucida, spatiosa, hortos &

A viridaria, delectantur musica & cum amicis gaudẽt: eorum pulsus plenitudinem monstrant, vrina appa- ret rubra & subspissa, habitus corporis carnosus, & plerunque ineunte vere vigent melancholica delira- menta, quòd sanguinis eo tempore copiosior sit pro- uentus, & pari ratione fæcis & limi ipsius. Si verò bi- lis particeps sit melancholia, agitatio, saltus, motus inordinatus, clamor, audacia, ira & contentio ad- sunt: item color faciei & oculorum citrinus aperiè monstratur, sicut & pulsus durus ac frequens, & vri- na rufa & tenuis, quæ affectio plerunque viget æsta- te. Verùm si ex vstione alicuius humoris, excepta pi- tuita, deliramenta hæc proficiscantur (dum nõ com- migrauerint in maniam) monstratur ex gracili & ni- B gro corporis habitu, ex cute aspera, pustulis, scabie & vlceribus atrabiliarijs scatente: monstrat id etiam o- dium tenacissimum; fletus: metus & mœstitia plus- quam in alijs melancholiæ speciebus: pulsus paruus & durus ac vrina admodum tenuis. Viget summope- re ex hac causa orta melancholia autumni tempore, maximè aduentante hyeme. Ab externis & euidenti- bus prouenire causis monstrabit diligens interroga- tio de anteacta vita & victu. Verùm si aliquando ac- ciderit à dæmone proficisci, monstratur multis quæ sic affecti proferunt, quæ ipsi antea ignorabant, sicut si homines idiotæ & imperiti vel mulierculæ loquan- tur Latinè, vel alio idiomate, aut aliqua occulta dixe- rint ac de secretis disputauerint, & huius censu alia, C quæ cùm ab hac causa proueniunt & mendacijs in- numeris sunt immersa, deliramenta euidenter appa- rent. Præterea ex ipsius delirij forte solet etiam eui- dentiùs causa monstrari: quippe sunt non paucę phã- tasiæ quæ ex humoris & vaporis qualitate originem trahunt: nam sunt qui se testam esse arbitrantur, ex melancholiæ siccitate per corpus sparsæ: sicut si ali- quis se fingat tympanum corio tectum, certam aridi- tatem cùm flatu obtinere est euidens: alij serpentes viuos se obtinere intra ventrem imaginantur, ob ero- dentem melancholiæ conditionem, aut saltem quòd lumbricos habeant grandiores: est etiam qui se gal- lum factum esse existimet, aut caput sibi amputatum esse, quod ab spiritu flatuoso fieri est certum.

Curandi ratio.

D His suppositis, ad quadruplicem considerationem studui reducere ex hac causa vniuersam curationem, initio sumpto à venosi generis vitio. Quippe hi qui hac causæ forte laborant, per collectionem vitio ni- mirum lienis aut iecoris vel alimenti vitiosi, spurci & fæculenti sanguinis (quem natura alicubi expur- gare assueuit) suppressione, aut vbertate in prædicta deliramenta prorumpunt, eum manifestis prædi- ctarum causarum indicijs. Quo sanè casu expen- dendum ante omnem curationem est, an ex aliqua visceris obstructione, vel intemperie malum oriatur: nam huic primò subuenire consulit optima meden- di ratio. Id quidem facies (ne cogar eadem sæpius scribere) vt capite de iecore aut splene inflammatis E vel obstructis disces. Hoc tamen in his curationibus adseruato, quòd ante medicamentorum, quæ vel ob- structa aperiunt, vel distemperata corrigunt adhibi- tionem, redundans melancholia leuioribus pharma- cis expurgetur, ne calidis quę aperiunt efferuescat qui redundat succus, & in furorem agatur laborans, aut terrestrior crassiorque efficiatur, ac subinde vacua- tioni vel attemperationi ineptior. Vteris autem in prædicto ministerio infuso foliorum senæ in succo rosarum aut borraginis facto, vel cum aqua por- tulacæ si iecur incaluerit: vel prunas damascenas saccharo & prædicto decocto conficies: vel infun- des prædicta senæ folia in liquore nouem infusio- num rosarum: quæ sanè purgatio vtilissima & secu- rissima erit. Nec; minoris est pretij, quæ fit per *confe- ctionem Hamech simplicem*, hoc est, citra scamonium & colocynthidem confectam: maximè *si laborans*

su-

superbiberit aquæ lactis ℥. 4. idem præstat syrupus ex 9. infusionibus violarum, maximè si infusio fiat in aqua botraginis, aut scorcioneræ vbi priùs per noctem maduerint folia senæ: est quidem mirabile medicamentum, *præsertim si libris quatuor prædictæ aquæ addideris senæ* ℥. 6. quod facies, infusionibus violarum iam finitis. Quo sanè facto, quadruplex tibi superest exequendum munus. Primum docet, redundantem melancholiam vlteriùs minuere: secundum mebris à quo oritur prouidere: tertium siccitatem (potissimà huius affectionis qualitatem) corrigere, & frænate: quartum verò & vltimum animi accidentibus subuenire. Quæ sanè communia sunt omnibus causis melancholiam propagantibus.

Dubiū circa sanguinis detractionem. Circa primam considerationem expendendum est, quibus ex his qui sic affecti sunt sanguis sit mittendus, quibus verò secus: inquit enim Aretæus libro 1. de cura. diut. morb. capite 5. Num sanguinem detrahere expediat, deliberatione indiget in melancholicis: aut rursus si quando sanguinem mittere oporteat, qua copia, & quomodo id exequendum sit: coegit me profectò hæc diligentiùs considerare, quorundam scriptorum audacia, & aliorum rusticus timor in sanguine mittendo, cùm nihil magis in actionibus medicis vereri oporteat, quàm in melancholicis plus minusve quam par sit sanguinem detrahere. Expedit enim in his auxilium hoc formidare ob timorem & mæstitiam quibus necessariò semper afficiuntur, ob spirituum vitalium (quibus tantoperè opus habēt melancholici) dissipationem, suffocationem, aut imminutionem, & vltimò quia plerunque quod crassius est intus adseruatur subtili, & vtiliori sanguinis parte euacuata. Neque placet, vt multi consulunt, vena scissa inspicere an sanguis crassus sit, vt liberè permittatur fluere, & sistere si tenuis: satius enim est, exacta, & certiori coniectura vbi sanguis mittendus sit aut secus expendere: sæpè enim ob permissam sanguinis efferuescentiam, nullo sanguine extracto, malum ex melancholia in maniam migrauit. Quamobrem considerare in hoc opere oportet, an iecur intemperie sicca cum calore, plus huius humoris gignat aut copioso sanguine generato, ipsum exurat ob calidum ipsius intemperamentum, vel totius corporis ab interna, aut externa occasione, vel hæmorrhoidum, mensium, aut varicum sanguis suppressus sit, vel quouis alio modo: tunc profectò sanguis protinus mittendus est, non tamen ea quantitate, quam sanguine redundante cum alijs humoribus permitteremus fluere, condonandum aliquid est melancholiæ morbo, qui ob adductas à me rationes id minimè admittit. Sed satius esse existimabis sanguinem detrahere (dummodo vires non renuant: quippe ad sanguinis detractionem in hoc affectu firmioribus opus est) ac si præcautionis gratia feceris, id eunte vere facies, vel si nimia adsit adustio, incipiente autumno. Primitus enim basilica dextra, vel sinistra si splen obstructum, vel inflammatum esse conieceris, secanda erit, latiori tamen foramine: secundam tamen incisionem necessariò ex talo facies. Verùm si bis sanguinem ducere non liceat, ac semel tantùm venam oporteat tundere, id ex talo facito: maximi enim esse momenti, & vsus res ipsa indicauit, reuellit enim promptiùs, & crassiorem sanguinem selectiùs euacuat quauis alia vena aperta. Nec displicet vbi caput nimis repleri conspicimus cephalicam tundere interuallo trium, aut plurium dierum à prima sanguinis missione. Consulunt etiam prisci, & neoterici frontis, aut nasi venas tundere, aut per hirudines apetire. Proderit forsan aliquando, vbi sanguis caput irruens nimis crassus non sit; aut præmisso capitis lauacro, quo sanguis fundatur tenuetur que: quod etiam consilium obseruare oportet si venā basilica, aut quauis alia scissa sanguis præ crassitie non fluat, quippe tunc corpus balneo priùs mandare oportebit. Quòd si laborans crurum venas habeat latas, maximè si varicibus similes sint, hirudines ipsis affiges: verùm si hæmorrhoidum, mensium, aut varicum suppressione, sanguis melancholico succo redundet, curandi ratio monstrat, naturam reuocandam esse ad proficuam, & consuetam vacuationem. Non tamen primo morbi accessu reuocationem moliri oportet, priùs enim demenda est plenitudo quæ ex suppressione superfluit, quòd medicamenta quæ suppressas vacuationes reuocant, calida sint, & non parum sicca, quibus exacerbari humorem, & affectum certissimum erit. Quamobrem sanguine misso, sed iudicio nostro maximè ex talo (ni adeò ingens fuerit venarum contracta plenitudo, quòd tutiùs sit à scissione venæ ex altero brachiorum initium sumere) quia ad locum antiquitus natura consuetum, euocat, & crassiorem sanguinem commodiùs extrahit: sic hęmorrhoides pronùs à sanguinis detractione euocabis, & sanguinem ab ipsis, aut varicibus per hirudines fundes.

Verùm vbi vel animi affectiones, vt inedia, cura, vigilia, amor, & reliqua id genus melancholiam concitant, omnino à sanguinis detractione abstinēdum esse consulit rei natura, maximè si diutinas vacuationes, siue sanguinis, siue ventris præcessisse compertū sit: præsertim si constiterit corpus ex carne, birsutum, aridum, cutis contabefactum, ac nigri coloris esse: aut si competias adusti, & crassi, ac frigidi, & sicci humoris plurimum redundare, sanguinem verò non item: quorum omnium occasione censeo à veteribus dictum fuisse, sanguinis detractiones melancholicis parum prodesse.

Facta tamen sanguinis euacuatione (si opus fuerit) aut non facta (si ita affectum postulare compereris) considerabis protinus, an affectus adhuc incipiens sit, vel ex inueterans reuersus: quòd si primum, curandum est, quidquid in caput influit repellere, non quidem bis quæ vulgus oxyrrhodina appellat, ni eis addideris ex his quæ humectandi, & frænandi humoris siccitatem, & inclementiam vires obtineant, aliquid: cui sanè muneri oxyrrhodinis addes oleum amygdalatum dulcium, violatum, de semine cucurbitæ, aut melonum: ac si humoris feruorem cognoueris præesse, hordei decocto, aut cremore, vel lacte capillo caput fouebis.

Interim tamen dum hæc adhibentur, humorem melancholicum frænare, & per contrarias illi qualitates vacuationi aptum reddere tentabis: nam licet putridus non sit, & ob id non oporteat coctionem expectare ad moliendam purgationem, cum hoc tamē neque temere, neque vtcunque ipsam aggredi oportebit: exacerbabitur enim humor à validorum expurgantium efficacia, vt cancer ab appositis medicamentis, quæ digerendi, & abstergendi vim habēt: & ob id priùs oportet ipsum mitescere humectatione, & attenuatione facta, ac posteà minoribus medicamentis, & per interualla ipsum extrahere, facto sensim maioris medicamenti augmento, prout plus constiterit esse præparatum. Falluntur enim qui fucata illa incoctibilitatis ratione, opus aliter aggrediuntur. *Purgandi ratio.* Sic enim primò humorem aggredieris syrupis de borragine, violarum, de buglossa cùm modico fumariæ, de succo lupulorum, cum aquis hordei, lupulorum, violarum, & buglossi, quibus in decoctione additum fuerit cinnamomi parum. Eisdem ferme diebus, dum humor aptior redditur, enemaris vteris, quæ & emolliendi, & humectandi euocandique ad ventrem vires habeant, qualia sunt *quæ fiunt ex decocto extremitatum agni, hordei, maluarum, violarum, chamæmeli, & meliloti cum modico aniso, &* ℥. 1. *polypody, & facta colatura, dissolue mellis rosati, facchari, rubei, olei violacei, ana* ℥. 2. *catholici* ℥. 1. *aut hieræ* pi-

picræ opiatæ ℥.ß. Quo quidem tertio quoque die facto interim dum accedit purgandi occasio, antequam id aggrediaris, ne te decipiat in purgandis melancholicis iuniorum timiditas, aut priscorum temeraria audacia, (quippe illi, ne humor (vt solet) medicamentorũ vehementia vt crabro irritetur, ac maius subinde perpetrent malum, leuioribus consulunt citra vllam distinctionem vti pharmacis: hi verò considerata humoris duritie, & renitentia, longè vehementiora viribus laborantis porrigunt pharmaca) diligenti animo expende, neque hoc neque illud committendum, aut omittendum temerè esse. Triplicem enim humores purgandi nanciscuntur naturam, quarum quælibet peculiarem requirit in pharmaco conditionem, & vtendi modum: quippe si humor ex sanguinis abundantia, vel calore, aut alicuius membri calido intemperamento, vel externa causa humorem melancholicum propagante, sese offerat purgandus, mihi non est dubium, quin vsu violenter purgantium nimis offendantur laborantes, & copiosior fiat melancholiæ prouentus. Quapropter hoc solo casu blanda neotericorum pharmaca vsu venire proculdubio censeo, dummodo seligendi humorem vires habeant, ac ea copia eis vtaris, quæ sufficiat crassum, & rebellem humorem citra maiorem feruorem, aut agitationem copiosè fundere: alioqui verendum est, quod antiqui proferunt, nimirum maius damnum ex turbatione, quàm beneficium ex leui purgatione subsequuturum. Verùm si humor terrestris, crassusque citra sanguinis, aut aliorum humorum efferuescentiam, aut commercium steterit, vt leuia hæc nullius sint momenti, ita profectò valentioribus vtendum esse pharmacis consulit prædicti humoris conditio, dummodo (ne vires sufficere tanto medicamento non possint) in minori adhibeas copia, & frequentiùs repetas, iuxta illud Hippocr. lib. de morbis qui in prædictis humoribus educendis consulit, id medicamentum porrigere, quod modicum ingestum, plurimum educat. Quippe quantitatis modestia eius frænatur inclementia, & vsus frequentia conteritur, & minuitur durissimus humor. At si diu iam corpus contabuerit, humoremque plus aridum esse quàm copiosum comperias, & vires accidentium vi collapsæ sint, tunc profectò blandioribus veteris purgationibus, in longè tamen maiori copia, quæ leniendo potiùs partes corporis, aluum moueant, & humores exagitent, quàm eiectione, & efficacia, vt paulò inferiùs scriptum reperies.

Factis etenim prædictis considerationibus, primò humorem melancholicum ex sanguinis vbertate, vel caloris iecoris, aut totius corporis factum, purgabis præmissa prædicta præparatione, non profectò semel, sed vt præparatum conieceris, ita protinus medicamento idoneo purgabis. Sic etenim primò accessu, *porrige rhabarbari, & agarici ligati, & infusi in aqua lactis, aut fumariæ, vel in succo lupulorum, & borraginis anà* ʒ. 1. *quibus adde syrupi solutini rosarum Persicarum, vel violarum ex 9. infusionibus* ℥. 4. *vel vtriusque anà* ℥. 2. vel porriges rhabarbarum, & agaricum infusum in decoctione foliorum senæ, & violarum. Item præstat *syrupum solutiuum conficere ex 9. infusionibus rosarum, & violarum, additis quatuor libris infusionis prædictæ 6.* ℥. *foliorum senæ*. Quòd si velis in aliquo ex prædictis decoctis, aut syrupis aliquid ex electuarijs melancholiam blandè ducentibus, dissoluere, ex ratione facies. Confert enim pulpa cassiæ fistulæ recenter extracta, vel confectio Hamech simplex, aut diasenæ, quantitate debita. Præstat etiam *decoctum myrobalanorum chebulorum, & Indorum, ac foliorum senæ in aqua lactis, aut violarum, cui addere oportet confectionis Alchermes* ʒ. 2. Quòd si velis in forma solida expurgans medicamentum exhibere, *porriges confectionis Hamech simplicis,*

A *aut pulpæ cassiæ fistulæ cum puluere foliorum senæ, aut diasenæ* ʒ. 3. *& ß. eum* ʒ ß. *Alchermes, bibendo desuper* ℥. 4. *decoctionis epithymi, & polypodij, vel liquoris 9. infus. rosarum, aut aquæ lactis.* Idem beneficium præstat ius galli veteris, gallinæ, aut pulli hac lege confecti: *excipe foliorum senæ* ℥. 1. *polypodij* ʒ. 2. *epithymi* ʒ. 3. *passularum sine granis* ℥. 1. *florum cordialium anà m. ß. immittantur omnia in galli, aut gallinæ corpus, & insuantur coquanturque sufficienter.* Valet tertio quoque die porrigere *decoctum epithymi, polypodij, & senæ, & aloes anà* ℈. 2. *quod porriges cum modico saccharo.* Valet & carthamum iure pulli decoctum, ante tamen conquassatum. Item prosunt pilulæ mastichinæ cum optimo rhabarbaro, vel alephanginæ, vel *pilulæ* B *confectæ ex æquis portionibus aloes lotæ, rhabarbari, & agarici.* Facta aliquo ex prædictis pharmacis prima seligentique purgatione, iterum ventrem mouere enematis, & humorem emollire, ac corpus vniuersum humectare apozematis, & syrupis opus erit. Tanta enim est melancholiæ crassities, pigritia, & renitentia, quòd nisi egregiè præmolliatur, minimè medicamentis obsequetur. Præstant autem prædictum vsum clysteria, q. ℞. *decoctionis carnis vituli, & hædi* ℥. 8. *sacchari rubri* ℥. 2. *olei violarum, & emulsionis seminum melonum anà* ℥. 3. *cassiæ recenter extractæ* ʒ. 5 Conficies etiam aliud, q. ℞. *mercurialis, violarum, altheæ, & maluarum anà m. 1. passularum sine granis* ℥. 2 *glycyrrhizæ* ʒ. 3. *seminis lini, anisi, marathri anà p. 1. coquatur, &* C *facta colatura, adde olei violarum, & chamæmeli anà* ℥. 1. *& ß. catholici* ℥. 1.

Præparatis itaque humorem secundò, si durior tenaciorque sit, his quæ præter id quod humorem leniant, eius tamen aliquid leniter educant. Huius conditionis est potio q. ℞. *florum borraginis, buglossæ, violarum, & cichorij anà m. 1. summitatum lupulorum, fumariæ, scolopendriæ, scabiosæ, anà m. ß. radicis buglossæ, asparagi, & fœniculi, anà* ℥. ß. *glycyrrhizæ* ʒ. 2. *passularum sine acinis* ℥. 1. *coquantur secundum artem, & cum modico aniso, & cinamomo aromatizetur: cuius sumat laborans* ℥. 4. *alchermes* ℈. 1. Efficacior item est syrupus, q. ℞. *succi borraginis, & buglossi depuratorum anà lib. 2. succi pomorum redolentium lib. 3. fo-* D *liorum senæ* ℥. 3. *seminis anisi, & fœniculi anà* ʒ. 1. *infundantur senæ folia per diem integrum in succis, & post leuem ebullitionem addita sacchari lib. 1. & ß. fiat syrupus: cuius porrige cum aqua lactis, aut lupulorum* ℥. 3. Præstat item, maximè si iecur calidiori intemperamento laboret, ea potio q. ℞. *succi intybi, & buglossæ anà* ℥. 3. *succi fumariæ, & scolopendriæ anà* ℥. 1. *& ß. succi pomorum* ℥. 2. *aquæ scabiosæ lib. ß. thymi, melissæ anà p. ß. coquantur, & facta colatura, adde sacchari quod sufficiat* ad gratum gustum conciliandum. Quibus vteris tertio, vel quarto quoque die, & post aliquot dies, iterum ad copiosiorem materiæ purgationem te conferes, sciens veritati non congruere intra pauculos dies vniuer- E sam morbificæ materiæ molem probè disponi posse: quare mihi tutius videtur purgationem repetere, quàm exhibito vehementi pharmaco, vel naturam prosternere, vel humorem ad feruorem ducere.

Instituesigitur hanc purgationem hac lege: *excipe aquam lactis, & infunde foliorum senæ* ℥. ß. *polypodij, & rhabarbari ana* ʒ. 1. *epithymi* ʒ. ß. *& facta colatura, adde syrupi solutini rosarum, aut violarum ex infusionibus* ℥. 3. Præstat & potio quæ recipit *florum cordialium ana p. 1. radicis buglossæ, & asparagi ana* ℥. 1. *passularum sine granis* ʒ. 6. *prunorum numero 8. foliorum senæ* ʒ. 6. *coquantur, & facta colatura, vel dissolue pulpæ cassiæ* ʒ. 8. *vel confectionis Hamech simplicis* ʒ. 6. *vel capiat ex his bolos, & superbibat prædicti decocti* ℥. 4. Prosunt etiam in hac secunda purgatione, maximè si iam humoris, vel

cor-

corporis feruor restringatur, medicamenta quæ aliquantulum sunt efficaciora, velut sunt *pilulæ Arabicæ præsertim dissolutæ in aqua lactis, in qua ferbuerit epithymi.ʒ.1. foliorum senæ.ʒ.4.quibus adde prædictarum pilularum.ʒ.1.* Verùm si his nihil cessata malum comperiamus, coniectandum est, terrestriorem fuisse factum humorem, & siccioris temperamenti ac durioris substantiæ, ita vt præparationem & purgationem longè vehementiores prærequirat: nam tunc, quòd corpus durius & densius factum sit & minus sentiens ob imaginationum distractionem, vllam noxam ab his auxilijs non patietur.

Dubium. In quo sanè opere videndum est, an acetum prædictis humoribus & corporibus melancholicis prodesse aliquo modo possit. Ratio tamen dubitationis est, quia Gal.lib.5. simpl.cap.31. dixit acetum aduersari melancholicis, quod etiam confirmauit lib.3. de ratione victus.39.his verbis: Acuta vis aceti (vt summatim dicam) his magis conferre solet, quibus magis amara quàm bilis atra exuperat: quippe amara ab ipso dissoluitur & agitatur ac in pituitam degenerat: atra verò bilis attollitur & multiplicatur: nam acetum atram bile parit. At lib.11.method. apertè consulit in spleneticis medicamētis semper esse aceti aliquid admiscendum. Quibus accedit ratio, nimirum similitudo aceti & melancholiæ: quippe cognata sunt ambo: quo fit vt facilè in eius naturam acetum commigret, vt probant mille testimonia, maximè muliercularum quæ acidis intempestiuè vtuntur, quas scimus facilè in melancholiam prolabi. Ex altera verò parte vrget Aetij & Pauli sententia, qui in melancholia morbo aceti quàm acerrimi sorbitiunculam post omnem cibum porrigunt, vbi iam dormire velit æger. Quo fit vt in tanta authorum controuersia firmiùs quid tenendum agendum ve sit, vix constituamus. Qua in re tamen statuendum est, corporibus melancholia abundātibus summopere acetum nocere, auget enim acorem & humorem ipsum, ac præexistentem in feruorem mouet, non quidem attenuat, præterquā quòd cæteros humores frigidiores ac Siccioresreddit: & licet ab aliquibus in melancholia morbo post cœnam eius potio commendetur, id tamen non vt attenuet humores, quia erroneum esset à cibo ipsum porrigere, neque vt somnum conciliet, vt alij falsò autumāt, sed vt melancholiæ vapores & vstilagines cerebrum ascendere prohibeat, hæc enim omnia coercet. Cùm hoc tamen si melancholicus affectus ex indurato aut obstructo splene prodit, maximi est momenti, vt Galen.11.meth.consuluit, modicum aceti admiscere his quæ per os sumuntur, & alijs etiam quæ exteriùs adhibentur. Quamobrem, prędicto splene affecto, non errabis si his quæ humorem pręparant aliquid aceti admiscueris, dummodo mellis quoq; modicum addas, quo inclementia aceti mitior fiat, penetrandi tamen munere non priuetur.

Quibus hac lege factis, & addito epithymo, polypodio, succo lupulorum, & alijs huius naturæ, & in corporibus quibus pituitæ aliquid cum melancholia admisceatur, & viscerum adest obstructio, aliquid aceti, ad eam purgationem accedes, qua modico medicamento ingesto, plurimum educas, maximè malo facto inueterato ac reciduo. Sunt autem hæc quæ authores consulunt, velut diasenæ, pilulæ ex lapide lazuli & lapide armeno, hiera diacolocynthidos, picra quæ epithymum recipit, pilulæ Indæ, fumiterræ, trifera, hiera logodij, quibus authores addunt ellebori pręparati aut diagridij.gran.3, vel pilulas ex elleboro factas: & ex his omnibus varia pro laborantis viribus fingunt medicamenta, quæ sæpius dissoluunt in aqua lactis aut succo fumariæ. Verùm si quis diligentiùs legat omnes authores, reperiet proculdubio (vbi iam malum hæc valentiora expostulat firmanimq; ua est, & corpus robustum) vnanimi omniū consensu com

A mendati maximè pharmaca ea, quæ, vtcunque sit, elleborum recipiant, album quidem si pugnandum sit cum symptomate, & nigrum vbi humorum copiam minuere student: cum hoc tamen neque pueris, neq; senibus, neque ellebori ipsius substantiam tutò porrigere potens. Quamobrem satiùs mihi visum semper fuit elleborismo vti: primò quidem eo quod pulcherrimè ad febres quartanas & melancholica vitia confecit Matthiolus. Sed minus conficies & magni etiā momenti, si *exceperis ramentorum ellebori. ʒ.1. & ß. fiat infusio per tres dies in. ℥. 6. aquæ pluuialis, deinde lento igne concoque donec tertia pars absumatur, & colaturæ adde mellis optimi & despumati. ℥. 2 cuius porriges cochleare vnum & superbibat laborans iusculum* B *pulli aut aquam lactis quantitate. ℥. 2.* Parabis etiam aliter: *raphanus acerrimus in taleolas diuidatur, ramentorum ellebori. ʒ.3. taleolæ configantur ellebori ramentis, & sub dio per noctem collocabis, postridie ramenta detrahes, & taleolas in oxymelite diligenter macerabis tribus horis, & oxymelitis superbibat. ℥.2.* Verùm inter fortiora omnia securiùs vteris hoc, q. ℞. *syrupi violarum.℥.2. aquarum cichorij & buglossæ ana. ℥.3. diagridij ligati. ℈. ß. bulliant & fiat expressio, cuius porrige medietatem.* Præstat etiam medicamentum, q. ℞. *diagridij ligati. gr. 6. aquæ purissimæ. ℥. 6. sacchari albi. ℥.1. misce & porrige.* Item. ℞. *syrupi de pomis.℥.2. aquæ pluuialis. ℥.4. ellebori ligati per noctem. gr.6. facta colatura porrige.* Laudant etiam plerique autho- C rum puluerem illum, quem Aliabbas his verbis mille laudibus extollit. Posito, inquit, quòd aliæ medicinæ non valeant, ista valet nutu Dei misericordis, & est medicina coronata, quæ secretissimè teneatur & amplexetur, vt humanus intellectus quasi deperditus cū hac medicina restauretur: ℞. epi*thymi.℥.ß. lapidis lazuli aut loco eius, quod securius est, lapidis armenij, agarici ana. ʒ.2. scammonij. ʒ.1. cariophyllorum num.10. puluerizentur omnia & pulueris ipsius singulis septimanis sumat laborans. ℈.4. Ego autem censeo. ℈.2. sufficere* prima huius medicamenti exhibitione, vt deinceps tutiùs quātum sat sit adaugere aut minuere possis: *admiscebis autem prædictum puluerem quo faciliùs ingeratur, vel saccharo rosaceo, vel cum syrupo rosaceo bolum conficies.* Verùm præter hæc omnia his nostris D temporibus, consilio & fidissimo multorum experimento, tutò sic affectis & maniacis ac omnibus ex melancholię (excepta hypochondriaca) ortis affectibus, porrigitur *præparatum stibium, ad decem vsq; grana, facto tamen à duobus vel tribus exordio.* Quod sanè medicamentum scio multis profuisse, & profuturum dementaris omnibus, dummodo eos præcaueas, quibus vel sanguis adhuc superassatur, vel caliditas in toto aut peculiari aliquo viscere viget.

Quibus sanè factis, & interim dum fiunt, inter vnam & alteram purgationem & præparationem, curandum est, corpus vniuersum & caput humectare balneis & fomentis: quibus non id solùm consequeris, verùm & reliquias humoris conteres, & corpus humidius ac fluidius reddes, frænabisq; humoris peccantis inclementia. Quod proculdubiò facies, si ab E Aprili medio vsque ad autumni medium per interualla balneis vtatur laborans dulcis aquæ, eo calore calidæ, quem præsefert lac recens mulctum, quod si bis in hebdomada feceris, magni erit momenti. Verùm si necessitas coegerit hyberno tempore prædicto vti auxilio, decoctioni addes florum violarum, chamæmeli & corticum citri quantum sat sit, vt cutis duries frigore contracta emolliatur. Sed studendum est, frequentiùs caput humectare, primò dulci aqua tepida vel lacte, posteà sequenti die decocto, q. ℞. *foliorum maluarum, violarum, althęæ, borraginis, lupulorum, ana.m.1. florum stœchados. ʒ.3. coquantur & tepido decocto abrasum caput foueto.* Idem facies decocto q. ℞. *florum nenupharis & violarum ac folio-*

rum

ram scariolæ anà p. 1. summitatum papaueris num. 4. foliorum salicis, vitis, maluarum, ana p. 2. fiat decoctum, quo caput irrigabis, & mox inunges oleo amygdalarum dulcium, aut violarum, vel lacte vaccino ablues. Cui mundum etiam caput abluere oportet his quæ pinguia sunt, velut est ius ex animalium pituitosorum extremitatibus cum prædictis herbis emollientibus: cuius census est decoctum q. ℞. *maluæ, violariæ, vngulæ caballinæ, senæ ana p. 1. florum chamæmeli, & meliloti ana p. ß. seminis lini ℥. 1. radicis buglossæ, & althææ ana ℥. 1. coquantur in iusculo vervecinæ carnis, aut hædinæ,* & mox post lauacrum caput inuolues, & inunges vnguento q. ℞. *olei amygdalarum dulcium, & seminis lini ana ℥. ß. olei violarum ℥. 1. axungię anatis, & gallinę, butyri insulsi, medullę crurum vituli ana ʒ. 2. croci ℈. ß. ceræ albæ quod sufficiat.* Quo etiam linimento dorsum laborantis inunges, maximè in egressu à balneo. Vngatur etiam caput eo q. ℞. *olei amygdalarum dulcium ℥. 1. & ß olei violarum, & papaueris ana ℥. 1. butyri recentis ʒ. 6. mucilaginis althææ, & fœnugræci ana ʒ. 3. ceræ quòd sufficiat:* vel fiat hoc modo. ℞. *olei de semine cucurbitæ & cucumeris ana ℥. ß. olei amygdalarũ dulcium ℥. 1, lactis mulieris ʒ. 2. & ß. misce, & vtere.*

His autem factis, diligenter iterum inspiciendum est, an aliquid humoris melancholici cum sanguine adhuc supersit in capite; quod ex ipsius grauitate, & oculorum rubore disces facilè: tunc suadent authores non contemnendi reliquias conterere cucurbitulis, vel sanguine misso ex venulis nasi, aut frontis. Verùm licet hæc auxilia multis probentur, ego profectò arbitror per venas adeò minutas crassum humorem extrahere, esse perdifficile: proderunt tamen, vbi capitis cutis plurimum rubet, aut oculorum venæ tument, vel liuescunt: alioqui satius fore arbitror varices, vel hæmorrhoides aperire hirudinibus: quippe per easdem tunus, & faciliùs caput irruentem humorem retrahimus, quo faciliùs quod in capite est natura conterat. Prouocabis enim hæmorrhoides hirudinibus, aut fomentis ex decocto mercurialis, parietariæ, maluarum, & chamæmeli: ante tamen vteris frictionibus ex panno asperiusculo, vel folijs ficulneis, aut suppositorium adhibebis ex hiera super sparso puluere aloes, vel madido succo mercurialis: neque inconueniet si hæc non profuerint, ex hiera logodij, & colocynthide ipsum effingere. Præstat item pedes detinere spatio quartæ partis vnius horæ in vino, aut aqua tepidis in quibus ferbuerint prædictæ herbæ, maximè si crura prius ligaueris prope suras, & fricueris genua deorsum: quo facto suppositorio vteris ex succo mercurialis, & staphisagriæ cum modico oleo nucleorum Persicorum, & croco. Quæ omnia certiùs profutura sperabis, si diebus aliquot ante prouocationem, vsus fuerit laborãs pilulis ex aloe tertia, vel quarta quaque nocte. Quæ omnia cautè facito, & sensim, ne forsan vno malo non curato, aliud excites auxilijs. Nec minoris momenti est vbi humores melancholici abundant in toto, aut splene fontanellam in crure sinistro aperire, vel si in capite redundet, in brachio, vel iuxta occipitium.

Accidentium correctio, & cordis prouidentia.

Solent profectò animi pathemata, & imaginationum efficacia adeo laborantem torquere, & anxium reddere, vt non rarò ad cordis, & prædictorum accidentium prouidentiam, vniuersum curantis consilium dirigi oporteat. Accidentia enim, & animi angor, atque cordis imbecillitas communia quidem sunt omnibus melancholia correptis, siue ex humorum abundantia, siue ex prauo victu, siue ex animi passionibus, aut quouis alio modo fiat. Plerisque enim vigilia adeo intensa, & implacabilis adhæret, vt maius ob id spectandum sit malum: quippe hæc imaginationum vehementiam auget, & corpus vehemẽtiùs contabefacit, & quod deterius est, nulli auxiliorum viam, aut occasionem præstat. Cui equidem sub

A ueniendum est, vt capite de iam dictorum vigilia latiùs scriptum reperies.

Inter cæteras animi passiones, quæ vigentiùs, & præstantiùs magis laborantem premit, est metus, & profunda mæstitia, quæ sæpè cor adeo labefactant, vt ipsum, & corpus vniuersum mille modis infirmẽt, & lædant. Quapropter cogit medicum cor, & caput ipsum roborare, & si quid adhuc in his flatus, aut humoris viget, idoneis, & blandioribus præsidijs discutere. Imprimis curandum est, omni arte delectationem, & gaudium conciliare, & spiritus exhilarare musica, gratis loquelis, & alijs auxilijs quæ paulò inferiùs leges. Multiplicant enim, & roborant spiritus, ac ex consequenti caput, & cor, multa quæ intus, & extra B adhibere consulunt authores, quæ sunt in triplici differentia, vt Auicen. lib. de viribus cordis capite 9. optimè aduertit: nam quædam roborant, & multiplicant spiritus, vt hyacinthus, alia à proprietate vt aiunt, & eiusdem etiam qualitate, vt moscus, & ambra, multa rursus à qualitate quæ eorum substantiam, & temperamentum tuentur, aut in natiuum mutant. Quæ verò substantiam augent, sunt vinum, & tenuissimæ substantiæ alimenta, vel ea quæ fuligines remouent, aut dissipant, quæ ex accidenti substantiam augere dicimus. In quo sanè opere exequendo, primo cordis maxima est habenda prouidentia: quoniam & si præcipua huius morbi sedes non sit, eo tamen nexu ijsq; vinculis vtrunque alteri copulatur, vt fieri nõ queat, C quin improspera cordis constitutio secum comitem trahat eam quæ est cerebri, saltem si cerebrum afficiatur, à corde probè præparato suppetias suscepta-hit. Quod optimà dixerat Auicen. fen. 1. 3. Spiritus (ait) animalis continuus est spiritui vitali, & ex substãtia ipsius: neque est possibile vt fiat melancholia absque communitate cordis, imò fortassis, magnitudo causæ in ipso erit ex corde, & propter hoc necesse est, vt consequatur cura cordis cum cura cerebri in hac ægritudine. Quam sententiam mutuasse à Galeno euidenter constat: sic etenim interim dum laborantem expurgas, aut balneis communis, vel quoduis aliud exequeris, cordi adhibebis epithema, q. ℞. *aquæ buglossæ, melissæ ana lib. ß. succi pomorum olentium ℥.* D *1. vini citrei, & malorum granatorum, ana ℥. 1. zedoariæ, caryophyllorum, macis, agallochi ana ℈. 1. rosarũ rubearum ʒ. 1. santalorum omnium, coralli rubri, seminis maioranæ, & basiliconis ana ℈. 1. ambræ gr. 4. mosci gr. 2. croci gr. 6.* Quòd si ex simplicibus quæ hoc epithema constituunt, aliud effingere velis, probè efficere poteris, addito modico vini odoriferi. Posteà verò cordis regionem inunges oleo iasminorum, naphthę, vel vnguento, aut butyro naphthæ cum pulueribus granæ tinctorum, ossis de corde cerui, margaritarum electuarij de gemmis, aut diamargaritonis. Multorũ etiam consilio probatissimum comperio in quauis huius mali causa, vniuersum thoracem, ac maximè è regione cordis inungere eo linimento q. ℞. *olei rosa-* E *rum, violarum, & nenupharis ana ℥. 1. succi borraginis, melissæ, & pomorum dulcium, ana ℥. ß. mucaginis psyllij, & radicis buglossæ, ana ℥. 1. misce, & lento igne, aut in duplici vase leniter agitato, & modicum ceræ adijcito.* Idem beneficium præstat sacculus ex herbis, & floribus confectus, q. ℞. *florum nymphææ, violarum, borraginis, buglossæ, & rosarum rubearum, ana p. 1. melissę, naphthę, ana p. ß. omnium santalorum, ana ʒ. 1. ac si cor fuerit frigidum, & deiectum, addes seminis acetosę, citrę ana ʒ. ß. seminis basiliconis, & angelicę, ana ℈. 1. pulueris corticum citri ʒ. 1. diambrę, & diamusci, ana gr. 3. fiant sacculi.* Potest etiam emplastrum fieri hac forma: *excipe succi pomorum olentium ℥. 3. succi menthę, & vini odoriferi ℥. 1. in his maceretur corticis citri recentis ℥. ß. & post aliquod horas fiat fortis expressio, & adde olei rosarum ʒ. 2. olei violarum ℥. 1. nymphęę, & naphthę ana ℥. 1. bulliant in duplice vase ad consumptio-*

ptionem succorum, & adde pulueris rosarum ℈.4. santa- A *lorum, vtriusque coralli, spodij, anà ℈.2. melissæ, menthę, thymi, sampsuchi, anà ℈.1. gallia muscata ℈.ß. camphoræ gr.6. ceræ quod sufficiat, vt extendatur supra telam sericam.* Præstat & cordi adhibere corium ex ambra & musco, & alijs aromatis, ac pulueribus electuarij de gemmis cum oleo naphthæ optimè præparatum.

Sed per os sumenda sunt, quæ vt ferunt authores, lætitiam, & alacritatem gignunt, pauorem, & ignauiam pellunt: inter quæ, aliqua quæ vtiliora mihi visa sunt, eligam, maximè quæ simul nata sunt reliquias melancholiæ conterere, præsertim facta earum expulsione per ventrem: cuius census est id q. ℞. *triphera persica* ℥.ß. *hiera picra Galeni* ʒ.6. *foliorum senæ, pulueris epithymi, anà* ℈.4 *cum saccharo violaceo fiat mixtu-* B *ra, cuius porrige* ʒ.2. *sero lactis dissolutas.* Sed vtilius est q. ℞. *pulueris electuarij lætificantis* ʒ.3. *sacchari rosati, & violati, anà* ℥.ß. *dentur* ʒ.3. *cum modico vino.* Præstat magna cum euidentia id q. ℞. *confectionis alchermes* ʒ.2. *conseruæ borraginis* ʒ.4. *cuius porrige ad magnitudinem nucis auellanæ.* Eiusdem est vsus id q. ℞. *electuarij lætificantis Rasis* lib.5. continentis: & 9. ad Almans. scripti ʒ.2. *diamargaritonis* ʒ.1. *seminis citri, melonum, cucumeris, citrulorum, anà* ℈.ß. *sacchari rosati quod sufficiat, vt fiat mixtura.* Est tamen aliud magni momenti, q. ℞. *margaritarum* ʒ.ß. *hyacinthorum, sapphyrorum, smaragdorum, vtriusque coralli, anà* ℈.ß. *cinnamomi, macis, galangæ, anà* ℈.1. *caryophyllorum, ligni aloes anà gr.6. musci, ambræ, anà gr.3. sacchari can-* C *di, carnis vuarum passarum, conseruæ borraginis, & buglossæ, anà* ℥.1. *aquæ rosarum* ʒ.2. *sacchari optimi quod sufficiat vt fiat confectio, cuius porrige* ʒ.2. *summo mane cum aqua scorcioneræ.* His sanè vtens, ni feruor, aut corporis, vel alicuius visceris æstus vetuerit, quo tempore alia porriges quæ minùs idem præstant munus, velut est q. ℞. *aquæ rosarum* ℥.3. *succi pomorum fragrãtium, vini granatorum dulcium, anà* ℥.2. *sacchari* ℥.3. *conseruæ borraginis, & buglossæ, anà* ℥.1. *bulliant lento igne ad mediocrem crassitudinem, & adde margaritarũ præparatarum* ʒ.1. *pulueris electuarij de gemmis* ℈.2. *vtriusque coralli, spodij, rasuræ eboris, cornu vnicornu, ossis de corde cerui, anà* ℈.1. *seminis acetosæ, citri, peonię, rosarum rubearum, anà* ʒ ß. *amygdalarum mundatarũ* D *num.10. granorum pini recentium, & lotorum in hydromelite num. quindecim, seminum frigidorum maiorum, anà* ʒ.1. *gallię muscatę* ℈.ß. *ambrę gr.4. laminarum auri num.10. mirobalanorum citrinorum, & indorum confectorum, corticis citri conditi, anà* ℥.1. *omnia incorporentur in mortario marmoreo cum syrupo borraginis, & de mentha.*

Roborant quoque non parum odorata omnia, maximè quæ moderatæ sunt caliditatis: quapropter odores herbarum, & florum maioris sunt momenti in hoc malo: neque displicet pomum conficere ex pulueribus rosarum, & violarum, iasminorum, ac florum omnium redolentium cum moscho, & ambra. Prosunt & aquæ odoratæ ex rosis, naphthæ, iasmino E rum floribus, & quæ ex alijs huius naturæ condiuntur.

Tręcauendi ratio.

Quòd si ne his omnibus adhuc factis morbus subsideat, vel vt pertinax duratione perstet, vel clam, & inopinato, aut ex leuissima occasione reuertatur, coniectadum est (cum huiusmodi affectus sit ex his quos medici tropicos conuersiuos appellant) alia præstare oportere quæ perpetua duratione beneficium præstent, aut facta per interualla coacerbationem humoris melancholici impediant, expostulat enim ne reuertatur is affectus, vere & autumno sanguinis detractionem, quod potius ex hęmorrhoidibus, aut talo, quam ex alia corporis vena ego consulerem fieri, distrahũt enim hæ sanguinis detractiones, & crassiorem sanguinem deducunt longè præstantiùs. Ex vsu quoque est eisdem tẽporibus, maximè in vltima hyemis parte, & in medio autumni, corpus leuiter purgare ea lege qua superiùs dictum est. Sed nihil æquè huiusmodi affectionis reditum impedit, ac consideratio, siue splen, iecur, aut vterus eius principium, & ongo. Quo tempore vsu fidissimo mihi est probatum, in regione splenis, iecoris, aut vteri, cucurbitas cum scarificatione affigere, vel setonem, aut fontanellam aperire, aut si affectio hypochondriaca sit prope ventriculum, aut supra ipsum, vt Alfarabius consuluisse visus est. Si tamen totius corporis consensu, aut ex suppressis hæmorrhoidibus, vel varicibus malum oriatur, nulli esse dubium arbitror, summopere profuturam fontanellam cruribus adapertam, aut singulis annis suras scarificare, aut sanguisugas, quod magis probo, venis crurum affigere.

De melãcholia ex prauo victu.

Si verò corpus melancholico abundauerit succo, ob prauam victus naturam, qua vtitur homo, tũc profectò, vniuersa curandi ratio sita est in selecta, & proba victus institutione, & in leui purgatione. Quare, primò diligenter rimari oportet, an laborans iam ex vitiosis edulijs habitum contraxerit, an solum citra habitus insignem mutationem, corpus melancholico abundauerit succo: nam si hoc vltimum solum victus præstiterit, post victus mutationem, copiosiùs purgare oportet prædictum humorem, & reliquias conterere eo modo quo dictum est, & prædictis pharmacis, atque eadem lege. Verùm si melancholicum habitum iam homo contraxerit, purgatione, & refectione per epicrasim omnino vtendum erit, vt corpus rursus nutriri reficique salubriori victu incipiat, dissipeturque vitiosus ille habitus. Verùm quia pharmaca huic vsui proficua nuper latiùs scripsimus, hac in parte solum meminero eius victus rationis, quæ sic affectis ex vsu est.

Victꝰ melãcholicis omnibus proficuus

Melancholicis igitur omnibus is victus in genere constituendus est, qui præter quàm quòd tenuis sit substantiæ, & copiosioris nutrimenti, humidus quoque sit manifesto excessu, & in altera oppositione, vel temperatus, vel calidus si frigidum vigeat in corpore, vel viscere aliquo intemperamentum, vel paulò frigidior moderato, si melancholia redundauerit ob exurentem calorem iecoris, aut alterius partis. Sic fugiendum primo est à cibis qui suaptè natura sanguinem melancholicum gignunt, qualis est bubula caro, hircina, leporina, caprina, taurina, & arietis non castrati: nocet etiam apri caro, & animantium omnium quæ aut annosa sunt, aut vasti corporis: sic ex auibus nocent quæ magis ambulant quam volant, vt anserina, gruina, pauonina, anatina, & galliæ Indicæ, nisi iuuenculæ admodum fuerint. Sic inter aquatilia quæ maioris sunt corporis magis nocent: ex oleribus brassica, & legumina ferè omnia, sed maximè lentes, & germina etiam arborum, quæ vel muria, vel quouis alio modo condiuntur. Itaque fugiendum est ab omnibus salsis, duris, crassis, adustis, acetosis, vel aceto conditis, hæc enim omnia edulia, vt de bubula carne refert Gal. 3. de alimentorum facul. alimentum non exiguum, neque discussu leue pręstant, sed sanguinem crassiorem quàm par est, gignunt. Quippe si melancholia forsan non corripiuntur qui prædictis vtuntur edulijs, affectu quopiam melancholico tandem lædũtur, cuiusmodi sunt cancer, elephas, psora, & febris quartana, ac si adsit melancholia, incurabilis efficitur. Quapropter tanquam inuiolabile, & summoperè necessarium tibi statue, semper iusculis in prandio, & cœna (nisi hypochondriaca fuerit melancholia) vtendum esse: item carnibus gallinarum, pullorum, turturum, caponum, perdicum, & maximè auium lacte, & hordeo nutritarum: oua gallinarum mollia, pisces petrosi, & molles elixi, iura pulli conferunt sicut, & carnes hœdinæ, & agninæ. Sed à proprietatè prodesse referunt turturem cor lupi, ac pulli noctuæ, & accipitris, succo maioranæ decoctum, quibus autho-

res

res non contemnendi referunt, se plurimos curasse: quem quoque vsum præstare muris carnem elixam firmiter asserunt multi. Item præstant pulticulæ saccharatæ ex hordei lacte recentiori, nisi flatuosa sit affectio. Summoperè etiam prodest, alimentis admiscere huius pulueris quantum ad gratum saporem sit satis: ℞. *cinnamomi*. ℥. 1. *amygdalarum dulcium nu*. 10. *seminis anisi*. ʒ. ß. *cariophyllorum, zedoariæ, zingiberis anà*. ℈. 1. *menthæ, melissæ, thymi, sampsuchi, seminis pæoniæ & citri anà*. ℈. ß. *pulueris electuarij de gemmis*. ℈. 4. *ambræ*. *gr*. 5. *moschi*. *gr*. 2. *foliorum auri num*. 10. *sacchari rosati in tabellis facti ad pondus omnium, fiat puluis in vsum dictum*. Panis sit à furfure plurimum depuratus, ac si (vt in plurimum accidit) laborans medicamenta renuerit ingerere, aquam qua panis pistatur seu fermentatur decoquere oportebit folijs senæ, vel modico elleboro, aut lapide lazuli, vel alio purganti pharmaco, & facta colatura, panis ea aqua pistetur, dummodo aniso & sacchato gustus gratia condiatur: poterit etiam lacte fermentari, vt alimentosior fiat: & pari ratione parare oportebit carnem citoniorum, pyrorum, aut cuiusuis alterius fructus, vt faciliùs hac via purgetur laborans. Sed his alimentis purgatorijs non licet diutiùs vti, sed bis in hebdomada, reliquis diebus præstito puriori alimento: Item ex fructibus vtatur humectioribus & boni odoris, vt pomis & pyris odoriferis, vuis passis, melonibus & arantijs dulcibus: ex oleribus etiam lactuca, scariola, borragine & similibus. Salsamentis quoque vtendum est, quæ dulcia maximè sint, ac si aceti aliquid placuerit addere, sit passulatum, aut ex sambuco. Quatenus verò ad potum attinet, omnes ferè authores conueniunt, vinum album tenue & aquosum esse porrigendum, nisi caput essentialiter sit affectum: quo tempore etiam dandum, si ventriculus id postulauerit: diluatur tamen aqua cinnamomi aut scorcioneræ, vel si vino non sit vsus laborans, sumat aquam puram vel solùm feruefactam, aut in qua aurum ignitum sæpe sit extinctum. Vel si opus fuerit lentè etiam purgare, vino vel aquæ addere oportebit stillatitium aliquem liquorem ex decocto ellebori, foliorum senæ, epithymi, agarici & similium cum saccharo: nam claritate, substãtia & gustu gratum erit. Quatenus autem pertinet ad reliqua quæ vitæ modum constituunt, statuendum est, eum modum vitæ imponere, quo minus huius succi generari possit, plus tamen somni conciliari, & his maximè qui vigilantiores morbo aut natura sunt. Item aerem habitent lucidum, humidum aut arte humectum, maximè in locis aquatilibus, marinis, & quæ pratis, fontibus ac viridarijs abundant: neque satur sit laborans, neque famem diu perferat: exercitia fugiat laboriosa, & moderata sibi instituat: solitudinem, studium & meditationem omnino vitet, consortium & hilaritatem quærat, à venere omnino abstineat, ni admodum flatuosus sit, spiritus enim dissipat copiosos & corpus refrigerat, ac humores exagitat. Et licet sint inter authores non pauci qui crassis & humidis naturis id concedant, ac aliquibus melancholicis, rationibus profectò non magni momenti ducti, ego quidem arbitror, plus beneficij præstare continentiam, quàm venus possit, & ciborum parsimoniam, atque alia huius naturæ auxilia quantitatem seminis & humoris fecunius conterere, quàm seminis excretionem: scio tamen assuetis, flatuosis & calidis ac humidis minus nocere, & aliquando iuuare. Melancholici etiam ventrem lubricum semper habeant, vel enematis vtantur emollientibus, & frequentibus balneis ac alijs insuper omnibus quæ nuper retulimus.

Curatio melancholiæ ex animi passionibus orta.

Nihil profectò citiùs melancholiam accersere solet, & iam præexistentem remorari, quàm animi passiones, quæ suapte conditione vel corpus exiccant, vel spiritus & humores præter naturam exagitant. In alijs

A etenim causis, primo melancholicus generatur succus & affectus & mox succrescunt metus & mœstitia: at in animi affectionibus metus, solicitudo, mœstitia, animi angor, & profunda cogitatio, vel ipsum succum melancholicum gignunt, vel temperiem, affectus melancholici genitricem: quapropter studendum est, omni arte affectum animi pacare, & si quid diuturnitate cogitationum genitum est, diligenter corrigere.

Quæ inter animi passiones maximè & potissimum melancholiam accersire assolent, sunt proculdubio mali grandioris alicuius vel præsentis inspectio, vel imminentis formido, studium perstans, vigilia, solicitudo in præcauendo aliquo malo, vel exequendo con-

B cupito bono, longissimum & æstiuum exercitium, diuturna fames, tandem amor, qui animos iuuenum plerunque ea efficacia solicitare habet, quòd in prædictum affectum deuehat. Quapropter iuxta vniuscuiusque horum accidentium conditionem, oportet priùs prudentia & arte animum ab eo malo eruere, quàm medicamẽtis corpus turbare: sic adhibito optimo & salubri consilio imminentis vel præsentis mali præsidium præstabis, per patientiæ & omnis virtutis exemplar: studium vel omnino auferes, vel intermitti iubebis: vigiliam, conciliato omni arte somno, arcere oportet: solicitudinem per distractionem ad alia & grauiora munia compesces: exercitij damnum, quiete & cibis ac omni humectatione; sicut diuturnam

C famem cibis lentè & sensim adhibitis. Omnibus autem conuenit animum in omni lætitia componere, & ab omni fixa cogitatione auertere, quod fiet fabulis, ludo & prorsus noua acquisita solicitudine, & solitudine omnino interdicta, cum his enim versetur laborans, qui ipsi maximè sunt grati, cantus quoque & choreæ ad lætitiam prosunt: musica enim magnã vim habet in mœrore coercendo ac lætitia comparanda. Prætereà sic affectos nec omnino asperè nec seuerè tractare oportet, nec rursus nimis blandè, sed in aliquibus morem gerere, & in alijs rationum efficacia dissuadere: alios verò occulta fallacia decipere opus est: multi enim arbitrantur vel serpentes vel ranas in ventre habere, & alij alia machinamenta fin-

D gunt, à quibus ea facilè non separabis nisi arte & ingenio vti scieris: mutabis enim regionem, domum, amicos & familiares, & per loca viridia, amœna & humida deferes. Sed in his vitanda est omnis medica actio, sat enim illis est, vel victum instituere vt superiùs diximus, vel balneis frequentioribus vti, vel leui aliquo pharmaco, quo non melancholicum succũ (quia sic affecti quam paucissimum habent, quod plerunque afficiantur defectu spirituum vitalium & humidi substantifici) sed crudos humores, quos ex mentis distractione copiosos gignunt extrahes: cauere enim oportet ab alijs purgationibus, nisi iam melancholiæ copiam redundare constiterit, & etiam omnino à sanguinis detractione cauere, satius enim est hu-

E mectare ac reficere corpus & animum exhilarare.

In his verò qui amore contabescũt, maior diligentia, maiorque prudentia adhibenda est. Est enim amor adeò vehemens animi affectio, vt in maniam & ferina deliramenta non rarò commigrasse visum sit. Definit quidem amorem Plato, perfruendæ pulchritudinis desiderium: ita vt ad eius procreationem satis sit rem pulchram semel vidisse, & idolum pulchritudinis acceptum memoria collocare: verum propter egestatem amantis, & celerem fugam accepti simulacri, non cessant procaces oblectantis figuræ præsentiam exigere. Animus quoque in ea re tam importunè excitatus, plurimum his obsequitur, & eandem cogitur affectare, quem sanè affectum amorem nuncupamus: itaque exuuiæ prædictæ formæ visu semel acceptæ, in imis præcordijs dilabuntur, atque hæc circum, vt sunt tenues atque volatiles, perpetua inquietudine

dine vagantur, & in memoriam assiduè transcursát, A quæ lasciuienti animo satis esse possunt. Cæterùm si quis philosophorum scripta diligenter euoluerit, reperiet vt bonis sensu, & ratione donatur, ita vtrique sua pabula, fomenta, ac iuuantia præstita fuisse, quibus alerentur atque proficerent, atque etiam addita essent prolectilia, & stimulus ad hæc ipsa cognoscenda, & exequenda. Quod sanè veluti olfacientes philosophi, geminum fingunt amorem: vnum quidem qui rationi adesset: & alterum qui sensui assisteret: illum ad diuinę lucis contemplationem, ad puram castamque vitam semper aspirantem: hunc verò veneris esse stimulū, qui vbi procax petulansque proiectis habenis, ac deuorato pudore exorbitat, infra hominis speciē ipsum hominem deijcit, & ad feras damnatasque B cupiditates impellit: cui profectò congruere magis furoris, & insaniæ nomen, quam amoris multi ex philosophis censuerunt. Cognita igitur huius affectionis natura, affectum melācholicum ab ipsa prodire multa monstrant, & distinguunt: quippe quos semel amor sibi in militiam ascripsit, & in miseræ seruitutis iugum violentum protraxit, exuccatos, atque macilētos protinus efficit, squalidos, & aspernabiles reddit, elumbes, impotentes, exanimes, ac deformes dimisit, siquidem tota amantium intentio versatur in amantis prosequutione, & illuc vniuersum naturalis dispositionis robur transferunt. Atqui cum huiusmodi robur in spiritus sanguinisque calore sit, protinus venter eo calore destitutus (vtpotè distractis peregreque C vagantibus) cibum negligenter appetit, & si quid ingeritur hunc ipsum infeliciter concoquit, neque in membra conuertit: quo fit vt egestate, & penuria omacientur, & spiritu careant vitali. Hinc sanè facilè est colligere cur amantes sæpenumero mœreant, suspirent, lamententur, plorent, exulent, & vagentur, ac turbentur, nusquam consistant, aliena, & malè cohærentia loquantur, desipiant ita vt mori desiderent, & id ipsum timeant: sic qui amore torquetur, semper inquit velut furens, iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser, exanimor, distrahor, diripior, vbi sum ibi non sum, & vbi non sum, ibi est animus. Prætereà ea contrarietate semper versantur vt plorando rideant, ac præ tristitia cantent, & taciturni D secum semper loquantur, & inter ea quæ loquuntur taceant: audaces sunt, & timent, pusillanimes, & non rarò temerarij, desperati, & præ confidentia gaudentes, adeò vt nemo sit tam tenui intellectu præditus, quòd his visis non conijciat, non nisi ab amore proficisci posse. Habent insuper amantes ob frequentes vigilias, & caloris distractionem, vrinam cruidam, ventrem astrictum, & colorem corporis, ac faciei pallidum: pulsum verò habent qualem lib. de caus. puls. abundè disputauimus. Sed præter hæc omnia animi affectum magis patefaciunt interrogationes, & locutiones variæ, quæ in memoriam reuocent, vel pulchras fœminas, aut viros, si forsan eis memoratis, vel turbetur, aut pulsum immutet, vel colorem, velut E- E rasistrato cum Antiocho, & Galeno cum Piladis cōcubina contigisse loco nuper citato retulimus.

Curatio,

His signis cognita mali natura, in curatione omnino ab auxilijs medicis subsistes, præterquam à leui aliqua purgatione, quæ crudos succos leniter, & citra virium dispēdium à prima corporis regione euacuet: vteris enim cordis corroboratione, ac spirituum, & tenuis substantiæ refectione, quemadmodum præcedenti paragrapho abundè docuimus. Quod enim in hoc potissimum est præsidium, fuga à re amata proculdubio existit: item exemplaris, & sancta variarū rerum lectio, amicorum, & familiarium mutatio, ludus, musica omnis generis, & omnis tandem distractionis modus. Itaque animus verbis, & exemplis sic contemperandus est vt nullis artibus vincatur, & in varias curas distrahendus, ne malo subsit vlla occasio. Prætereà qui sic læsus est nunquam solus sit, inter eos versetur quos obseruat, & veneratur, colit, & offendere metuit: atque hi salutaria suggerant, & recta admoneant, subinde obiurgent, increpent, abstetreāt & rem amatam indecoris verbis notent. Item si adhuc corpulentus fuerit amans, balneis, & exercitijs vtatur, vinum fugiat, & ciborum vtatur parsimonia: sic Crates Tebanus inquit, amori medetur fames, sin aliter tempus, si neque his vincatur laqueus: sed præstabilius profectò est huic malo mederi eleemosyna, ieiunio, oratione, continentia, & disciplina, quippe impetrato Dei auxilio, perfectiùs hæc omnia fiunt.

Curatio melancholia cerebro primario affecto.

Si constiterit, melancholiam fieri solo cerebro affecto, longè aliter curatio instituenda est, nimirum B iuxta causæ quæ ipsam excitat rationem. Quippe si cerebro succrescat frigido, & sicciori intemperamento læso, ita vt proprium alimentum in naturam melāncholiæ affinem commutet, & solum prædicta in parte redundet: vel ob nimium calorem, & exustionem ipsius capitis, ex probo, & laudabili sanguine fiat per assationem humor ater, verendum est, ne ex prima causa in epilepsiam migret affectio, ex secunda verò in maniam. Vtcunque tamen sit, nisi ob alium affectum, aut causam, vel ob suppressionem alicuius sanguinolentæ vacuationis, in sic affectis sanguis mittendus non est, sed vt Galenus consulit 3. de locis, caput humectandum, & optimo nutrimento corpus vniuersum reficiendum. Quapropter sic affectis (præter quā C quòd maiori diligentia somnum conciliare oportet) caput frequētiùs ablues his quæ ante memorauimus, & omni decoctione quæ humectet, & modicè calefaciat, in frigido, & sicco intemperamento; & his quæ longè efficaciùs humectent, & modicè refrigerent, in quibus vrens caliditas in capite viget. Post quæ sanè, inunctionibus vteris ex oleo sesamino, seminum melonum, amygdalarum dulcium, de papauere, & butyro recenti cum mucilaginibus, seminis citoniorum, & psyllij. Item ex prædictis, & alijs cerarū conficies, aut caput lacte vaccino ablues. Interim tamen modicè caput ipsum purgabis his quæ anteà diximus, maximè pilulis ex fortioribus in minori dosi, sed repetitis vicibus. Multi etenim in hoc casu, citra D delectum consulunt bregma ferro candenti inurere, quod in re admodum desperata, & cum præsagio, ac astantibus omnibus consentientibus, nulloque medicorum refragante, & dum simul cum frigida capitis intemperie humores in ipso abundauerint, proficuū fore sperabis. Verùm si in occipitio fontanellam aperueris, nihil minus efficies. In omnibus tamen melancholiæ speciebus, id tibi obseruandum erit, nimirum semper suppressam vacuationem esse reuocandam, vel aliam ei similem: item omni humectatione esse vtendum, & humectandum substantificè, ac madefaciendum corpus.

De melācholia hypochōdriaca.

Cum certum sit hunc morbum parere flatus hypochondria distendentes, & succos etiam obscœnos, & E sputcissimos eisdem partibus immersos, ac proficiscētes etiam non rarò ab inflammatorio prædictarum partium affectu, qui coctiones vitiat, aut remoratur: ob id profectò omni diligentia curandum est, ne præsidijs quæ coctionem augent, vel flatus discutiunt affectus (vtpote inflammatorius) adaugeatur: fallimur enim non rarò, ob flatus nimis turgentes, & cogimur ipsos discutere, non sine magno laborantium malo: & rursus aliquando decepti persentito caloris feruore, adhibitis quæ temperant, & refrigerant, crudiores fiunt humores, ac imbecillior, & flatuosior efficitur ventriculus ipse: quo fit vt quouis frigore ambiente doleant, & refrigerentur, & calore tegumentorum, quo vtuntur ad frigoris tutelam, inflammētur, & ob id ignorent quid sibi proficuum existat. Quamobrē, ante huius mali curationem coniectandum est hypochondriacam affectionem vno è tribus modis posse

cor-

corporibus ſuccreſcere: primo enim obſtructis ſplenis venis, & meſeraicis à iecore in ventriculum, aut à meſeræo in ſplenem, vel in partibus circumuicinis (quippe accidit hoc malum, vel ob pyloron etiã ſanguinem adurentem, vel ob venam portæ, pancreas, & vaſa illis interna, necnon ob vteri vitia) atque ob humorum conculcationem ſuccis ibidem excalefactis, & exuſtis, quantumuis antea crudi fuerint: quippe redduntur prædicta vaſa veluti varicoſa, & cancroſa, quo facilè exacerbari malum aſſolet ab auxilijs inconſideratè adhibitis: ſecundò verò fit propter ventriculi frigiditatem, quæ in acorem commutat alimenta, ſiue id ſit ob poſitiuam frigiditatem, ac eius augmentum, vel ob caloris proprij, & ſpirituum diſſipationem, quibus de cauſis flatuoſa efficitur affectio, & non minoris momenti quam prima: tertiò deniq; & vltimò, efficitur hypochondriaca hæc paſſio à ventriculi, & iecoris contra operantia, quibus ventriculo exiſtente frigido, & nequeunte concoquere, atque iecore ſqualido nimis auidè, & celeriter trahente, fit facilè, vt prædicta ſuccreſcat affectio, longè moleſtioris & difficilioris conditionis quam reliquæ. Quibus cognitis, conſtabit profectò viam curationis inſtituendam fore, iuxta cuiuſque peculiarem naturam, & cauſam.

Vbi autem prædictorum locorum ſit affectio, non eſt ita facilè diſtinguere, neque admodum neceſſarium, cum ferè eadem ſit, & eiſdem auxilijs inſtituenda medendi ratio. Diocles autem ſenſit in meſeraicis adeſſe, quòd tarda fieret à ventriculo alimentorum diſtributio: Pyloron pati monſtrat excrementorum alui dura, & tarda deiectio. Sitne ventriculus, diſces ex coctionis vitio: lien ex ſiniſtri hypochondrij tenſione, vt habetur 6. de locis affect. capit. 1. & item ab vtero fieri monſtrant ventris inferioris rugitus, ac ſeminis, & ſanguinis menſtrui ſuppreſſum effluuium. Cæterum qualis vigeat in quauis prædictarum partium affectio, vt maioris eſt momenti, ita diligentiùs expendes. Frigiditatis igitur ſigna ſunt fluctuationes, & ructus acidi, crudorum vomitus, ventriculi dolores, coctionis tarditas, & copioſa à cibo ſaliua. Calidi tans vrgentis ſigna ſunt, æſtus in præcordijs, amarorum vomitus, & exacerbatio à calidis. Obſtructionẽ vigere monſtrat diminuta alimentorum diſtributio, & eorum crudorum, aut ſemicoctorum ſequenti die vomitio. Inflammari partes prædictas, & æſtu tentari monſtratur ſiti ingenti, ſqualore totius corporis, nidoroſo ructu, & vſtionis ciborum ſenſu.

Ante tamen quàm cuiuſque curationem aggrediaris, conſiderandum eſt, ſit ne forſan in cauſa improba vitæ, & victus inſtitutio, in quibus ſitam eſſe potiorem curandi rationem in hoc malo mihi perſuaſum habeo. Quapropter ſtudendum eſt, eam victus formã inſtituere, quæ aliena omnino ſit à cruditatibus gignendis: in qua re non ſemper arbitrandum eſt vtiliores eſſe tenuiores cibos, & eos qui facilioris ſunt ſubſtantiæ, nam in nidoroſa cruditate tales faciliùs vitiantur, ſicut in acida qui craſſi, & frigidiores ſunt: item, neque ſemper calidis vtendum, quia faciliùs ſuſcipiant nidorem, nec frigidis, quia aceſcunt. Quibus in meliorem viuendi rationem mutatis, ſcito in omnibus cauſis commune, & proficuum eſſe, quòd laborans tolerauerit, concoxerit, & citra aliquam cruditatis ſpeciem diſtribuerit: & ob id cuique eos cibos porriges, quos cognoueris faciliùs commutare: & pari ratione obſeruandum eſt, in potus qualitate, & copia. Item in exercitijs, ſomno, & reliquis conſeruentiã, & tolerantiam ſemper obſeruabis, vt ea quibus meliùs laborantes ſe habent conſequaris. Quòd ſi hac victus, & vitæ ratione inſtituta, diuque adſeruata, aliquid ſuperſit in prædictis meſeraicis crudum, aut prauè affectum, vomitibus id educere ſtudebis per ea interualla quæ commodiùs laborans tolerauerit: niſi enim quod in vijs immoratur præter naturam priùs eduxeris, proculdubio nullius erunt momenti quæ adhibueris auxilia, neque alimenta. Et quia affectio hæc ex impotentia facultatis prædictarum partium ſimul cum vitioſis alimentis prodit, ob id non opus eſt frequentibus vti pharmacis quæ vehementem vim purgatoriam obtineant: longè enim magis proſternitur potentia, & copioſiores ſuccreſcunt flatus, & ob id contracta ex hac cauſa melancholica affectio vomitibus ſecuriùs quam quouis alio præſidio curatur.

Vera hypochõdriacæ curatio.

Eam ſpeciem hypochondriacæ affectionis legitimam, & exquiſitam arbitramur, quæ fit cùm venæ quæ inter ventriculum, & hepar ſitę ſunt inflammantur, non quidem inflammatione ea quæ phlegmon dicitur, & apoſtema, ſed quæ phlogoſis, & incẽdium quoddam, ac efferueſcentia. In qua re arbitrandum eſt incendium hoc fieri duobus modis, vno in ipſarũ venarum ſubſtantia, & temperamento, quod maioris mali, & difficilioris curationis ſolet eſſe cauſa: altero verò cùm humores crudi, craſſi, aut aliter vitiati ibidem contenti ob conculcationem, & obſtructionem ab hepate non trahantur, calefiũt ibidem, & in flatus, ac in rugitus commigrant, & ſubinde ventriculum refrigerant, & caput mille ſymptomatis vitiant. Conſtat præter hæc aliam eſſe hypochondriacæ affectionis ſpeciem huic finitimam, & ad ipſam reducibilem, longè tamen grauiorem, ortam quidem ex eadem humorum efferueſcentia, tamen iuxta partem ſiniſtram, in venis quæ præſunt inter ventriculum, & ſplenem, ab ſplene ipſo exorto mali principio, quemadmodum in reliqua, vel à iecore, vel ab eiſdem venis varicoſis, aut cancroſis factis. Itaque potiſſima morbi ratio ſita eſt in obſtructione prædictarum partium, cum earum phlogoſi, & incenſione, & ventriculi impotentia ob eiuſdem refrigerationem.

Signa.

Huius mali ſigna ſunt, hominis ſic affecti deiectus animus, ventriculi ſenſus quidam triſtis, & qui verbis exprimi non poteſt, quibuſdam dolor ventris vehemens, ad metaphrenum ſæpè procedens, & cibo coctɔ deſinens, ac ingeſto alio repetens, adeſt illius partis anxietas, & veluti impotentia quædam quæ nullo cibo ſedatur neque gaudet, adeſt ventris rugitus, ac murmur. Item ructus acidus, flatus, incendium in hypochondrijs, maximè ſi laborans renuerit cibum: ieiunos interdum, quoſdam à cœna affligit: ſputum humidum multum cibo ſumpto, præcipuè coctu difficili: vomitus crudorum ciborum, & pituitæ ſubamaræ, vel calidæ, adeo vt dentes ſtupefaciat. Color præterea adeſt præter naturam in facie: item calor viget in partibus affectis, & obſtructis, ita vt tactu, & calor & obſtructio ſentiantur adeo magna, vt diſtributione abolita alimentum in ventriculo immoretur, & poſtridie vomitu excernatur: frigidis iuuantur æſtum illum caloris extinguentibus, ſed poſteà deteriùs ſe habent frigidiori ventriculo facto: metus quoque adeſt, mæſtitia, deſperatio, & animi angor, & ſemper cõqueruntur. Hæc autem proficiſci à venis iecoris, vel ſplenis monſtrabit dextra, vel ſiniſtra pars mille quæremonijs affecta. Neq; ob id credendum eſt flauam bilem, aut ſanguinem, quæ in prædictis venis aduruntur, hypochondriacum poſſe efficere affectum, nam ſi ibidem aduruntur, vel melancholiæ aliam ſpeciem generabunt, vel maniam non hypochondriacam: quod non pauci ignorantes mille monſtra fingunt, & præſidia, quæ potiùs ſalutem perdant, quam accerſant, adhibent. Sed ad penſum redeuntes in prædictis hypochondriacis affectionibus quæ veræ ſunt, plerumque vaporibus ab huiuſmodi partibus multiplicatis aſcendentibuſque ad caput, ad os ventriculi, ad cor, ad cerebrum, atque ad vniuerſum corpus ſuccreſcit chorus omnium prædictorum ſymptomatũ, & aliorum quæ multis ſolent accidere.

Cauſæ.

A quibus nam cauſis hæ affectiones oriantur, non

ita

ita facilè inuẽtu est: crediderim tamen vel ad alimenti vitium posse reduci, vel ad viarum ex propria natura angustiam, vel ad iecoris & prædictarum venarũ calorem præter naturam, quo citiùs quam par sit, alimentum semiconfectum è ventriculo rapit, vel ad exercitium intempestiuum, quo vel prauè conficitur, vel iusto citiùs distribuitur: vltimò tamen ad ventriculi frigiditatem vel caloris innati ac spiritus defectum, aut ad caloris intensionem & vitium quibus in nidorem vertuntur alimenta. Quæ omnia ad exactam curationem exequendã medico incumbit considerare, simulque obstructionem quoque adesse, velut reliquorum malorum fundamentum. Sic profectò accidentiũ omnium duplex constat subesse principium: nimirum acidam cruditatem vitio ventriculi, aut quauis ex dictis occasionibus ortam; vel nidorosam, ex prædicta ventriculi aut venarum obstructarum calefactione, quæ nata est alimenta corrumpere & nidore vitiare. Dimitto alias huius mali occasiones, quòd eas antea latiùs scripserim.

Curandi ratio. In huius affectionis curatione expendendum est auxiliorum genera eadem ferè esse, siue pars dextra affecta sit, siue sinistra: materiam verò, qua vnũquodque auxiliorum constare debet, diuersam esse arbitramur, iuxta partis affectæ naturam, aut mixtam, si mutua affectione lædantur ambo membra in hac hypochondriacæ affectionis specie: cæterum roborandi membrum affectum ratio diuersa & seorsum facta esse debet. *Vomitus.* Sic etenim commune est huic affectioni, vtcunque fiat (antequam quæ mali sæuitia expostulat purgantia, adhibeamus) à vomitu initium curationis sumere, vt si quid pituitosum excrementitiumue ibidem fuerit, expurgetur, ne forsan expurgantis medicamẽti efficacia ad affectas obstructione partes deuehatur, & aliqua eius pars ibidem pressiùs inhæreat, statim enim id facies eo quod conficitur ex aqua tepida & syrupo violaceo, maximè si nidorosi ructus appareant: si verò acidi, eo q. ℞. *decocti radicis raphani.* ℥.6. *syrupi acetosi.* ℥.1. *olei* ℥.ß. *quod capiat laborans tepidum à cibo copioso & vario.* Præstat & decoctum cicerum rubrorum cum oxymelite: item decoctum scolopendrij, petroselini, rusci, apij, vel capillorum veneris cum syrupo acetoso vel oxymelite: neque minoris momenti est in hac affectione moderatus aceti passulati vsus, tam in medicamentis, quàm in alimentis.

Sanguinis detractio. Expurgato etenim à recrementis ventriculo prædictis vomitibus, aut leui aliquo pharmaco quod per ventrem purget, deliberandum est an affectio sit de his quę omnino sanguinis detractionem renuunt aut aliquo modo, vel ex aliqua signatim parte eam admittant, vel expostulent. Quippe flatuosa hæc affectio, quatenus ad hanc conditionem & cruditatem sibi comitem pertinet, necnon ad ventris deiectam facultatem, omnino sanguinis detractionem renuit: verùm quia sæpe vel ex venis, quæ sunt inter iecur & ventriculum, aut ipsum & splenem, calidis & inflammatis cum dolore ad tactum & tumore sanguinem detrahes, quia ipsarum substantia inflammatorio affectu dolet. Item si ex humorum ibidem contentorum succensione: vel rursus quia regurgitat à varicibus vel hæmorrhoidibus aut menstruis, sanguis ad dictas meseraicas, in quibus ob detentionem & contractum incendium, calorem exustum in corpore abundare comperimus, sanguinem quidem mittere necessum est: sed si iuxta iecur affectio sit, ex dextra basilica aut dextræ manus saluatela sanguinem detrahes: si tamen in sinistra parte ventris malum vigeat, ex sinistra: vel in dextro poplite in varicibus eiusdem cruris, aut sinistri ex sinistro. In hęmorrhoidibus verò ac menstruis recurrentibus, antequàm reuocare studeamus, ex talo in hac affectione plenitudo hypochondriorum demenda est: posteà verò, hæmorrhoides aut menses euocare aggredieris his quæ superiùs diximus, & crurum lauacris, deambulationibus, cucurbitis femoribus, & siccis affixis, ac ligaturis donec sua sponte fluant; vel si malueris hirudinibus sanguis ille extrahatur, sic enim natura solet hunc morbum finire. Si tamen iecur malo causam præstiterit, exteriores ani venas euocabis, & illis hirudines affiges: verùm si iam in meseræo malum & feruor præualuerint, interiores, si possibile fuerit, prouocabis, vt quæ propagines sint meseraicarum venarum: solet enim has euocare vapor decoctionis herbarum emollientium per infundibulum sumptum; clysteria etiam acria, & quę simul emolliant. Verùm si varices, hæmorrhoides aut menses præ diuturnitate suppressionis euocari non possint, maiusque sit periculum ex ingenti feruore & sanguinis copia in prædictis venis, iecore aut splene, quàm refrigerationis ventriculi ab extracto sanguine, aut ipsi extrahendo per maiores venas vires non sufficiant, tunc quidem, maximè si venæ supra ventriculum liuescant & tumuerint, per cucurbitulam scarificatam sanguinem detrahes, aut per hirudines eidem parti affixas: quod his conditionibus adseruatis censeo esse præsidium magni momenti. Cùm hoc tamen in flatuosa melancholia vel sanguis mittendus non est, vel si nuper adductæ causæ ipsum mitti expostulauerint, & permiserint vires, parciùs quidem id fieri debet, quàm vel plenitudo vel calor expostulare videantur: quippe maioris momenti ratio est, ipsa affectus conditio ad renuẽdam sanguinis detractionem, quàm vel causa, vel accidens ad integrè exequendã: & ob id vitanda non est omnino, sed parcè efficienda; & cum fit, minùs purgandum; cum verò sanguinis detractione opus non est, purgandum magis.

Purgandi ratio. Quatenus verò ad purgationẽ eius, quod post cruditatem exaruit, & vstum est, aut acidum in vijs præter naturam contentum remansit, studendum est his medicamẽtis attemperare, attenuare ac reserare vias, quæ neq; quod nidorosum fuerit amplius exurat, vel quod crudum frigiditate crudius reddat, flatusq; copiosiores eleuet. Expendes tamen priùs, nidorosa ne sit cruditas, an acida: nam licet affectionis genus idẽ proficiscatur ab vtraque, accidentia tamen & curandi ratio multis numeris dissident. Quippe in acida cruditate primò accessu vteris melle rosaceo, cum decocto sarsæ parillæ, anisi, aut cinnamomi, vel corticũ limonum: etiam syrupo borraginis cum oxymelite, aut syrupo ex radicibus vel ex corticibus citri, cum aqua naphthæ aut cinnamomi: ex vsu etiam est syrupus ex mentha, de pomis, ex absynthio, cum aqua melissophylli, & lupulorum. Verùm si nidorosa præfuerit cruditas, ac plurimũ præualuerint exustio & phlogosis, solùm vtendum est his quæ reserent & attemperent partes & humores, velut est syrupus de radicibus cum aceto, de cichorio, de borragine, rosarum, addito modico oxymelite cum aquis lupulorum, borraginis, cichorij, radicis scorcioneræ, & alijs quæ consimilem habeant. Quibus etenim factis eadem lege seruata, purgationem cautè aggredieris, siquidem dum cruditas acida est, primò accessu purgare ipsam studendum erit hiera simplici Galeni, pilulis masstichinis vel alijs, quas ex agarico, rhabarbaro & aloe, vel puluere hieræ conficies: prosunt & electuaria, velut diaphænicon, aut catholicon, vel indum. Ex vsu quoque est mel rosaceum Persicum cum decocto foliorũ senæ, vel infuso rosarum Persicarum cum decocto epithymi & polypodij aut expressione seminis carthami. Verùm si constiterit nidorosam præesse cruditatem, leuioribus vtendum est pharmacis, velut est mãna in decocto foliorum senæ liquata, aut syrupus ex infusione rosarum vel violarum cum succo ex rosis nostris confectus: in quo solo casu idque rarò cassia fistula vtendum esse consulo, flatuosa enim admodũ est, nisi præueniatur puluere diarrhodonis, anisi, aut

liqui-

liquiritiæ. Præstat & *confectionis Hamech sine scammoneo, & colocynthide confectæ ʒ.6. exhibere, superbibitis ℥.3. seri lactis in quo ferbuerint foliorum senæ ʒ.3.* Eiusdem est vtilitatis prunorum damascenorũ vsus cum decocto eorundem foliorum, & saccharo. Sed curandum summoperè est in hoc malo, ne copiosiores fiant per pharmacũ purgationes: languidior enim superest natura, & crudiores deinde succrescunt succi, copiosioresq; flatus. Quapropter roborandum simul, atque purgandum est: cuius gratia porrigimus rhabarbarum dilutum cum syrupo ex infusionibus rosarum nostrarum, vel dilutum foliorũ senæ, & rhabarbari, factum in aqua cichorij, vel in sero lactis cũ syrupo ex infusionibus violarum: ob id etiam magni momenti fore arbitror infusum absynthij cum folijs B senæ in liquore nouem infusionum rosarum. Prodest etiam mirum in modum serapium quod hac lege cõficitur: *excipe succi cardi sancti, borraginis, lupulorum, pomorum redolentium, anà ʒ.3. decoctionis trium vnciarum foliorum senæ factæ in vncijs decem, & octo aquæ purissimæ ℥.12. cum saccharo fiat serapium.* Idem beneficium pręstat infusum rhabarbari cum sero lactis, & syrupo eupatorij, si iecur fuerit affectum, & hypochõdriorum pars dextra, aut infusum foliorum senę cum syrupo de pomis, vel acetosi diarrhodonis, si pars sinistra. Quòd si copiosiorem desideras nidorosæ, aut acidæ cruditatis notitiam, & curationem, eam reperies cap. de ventriculi cruditate.

C Facta etenim prædictis distinctionibus purgatione, vlteriùs expendendum est, an acida illa cruditas ex solo caloris innati ventriculi, ac viscerum omnium defectu prodierit, vt in hominibus studio, ac literarũ exercitijs contabefactis, non raró conspicimus: in quibus flatus quos excernunt, exortes existunt nidore aut aciditate, quod est veluti signum proprium huius causæ. Cauendum summoperè est, in his à frequenti pharmacorum vsu: sat enim est ineuntibus vere, & autumno leuiter corpus purgare, vt excrementa primæ regionis delitescant, minimèque vrantur. Posteà verò nulla alia via curationem aggredieris, quàm per ea auxilia quæ caloris substantiam adaugere possint, & simillima sint calori natiuo ipsius laborantis: quæ D sanè tùm intus, tùm extra adhibere conueniet, ac studiorum labores remittere, necnon & cibis vti tenuioris, facilioris, atque copiosioris substantiæ, præstito etiam eo solum exercitio quod animi gratia ex vsu sit: quibus sanè plures restituros sanitati vidimus, potiùs quàm ex frequentia medicamentorum.

Sed in hac (potissimum tamen in reliquis causis) affectionis sorte, dum ex nidore, aut aciditate principium trahit, prædictis præmissis auxilijs, studendum est quod adhuc in vijs impactum remanet conterere, & flatus etiam discutere: quod sanè lentè, & paulatim facies. Quippe certum est, vna solùm vacuatione corpus non satis expurgatum superesse, vt hoc auxilij genus innocuè ferre possit: sic modo in nidorosa E cruditate à prædictis purgationibus, vteris fomentis ex aceto, & corticibus capparum, & vnguentis admiscebis aceti non parum. Verùm in acida modestiùs te geres, & vteris decocto absynthij cum pulegio, & minori cẽtaurio, aut cum aniso, & cinnamomo. Præstant etiam eundem vsum quæ vrinam mouẽt, vt est decoctum fœniculi, anisi, dauci, petroselini, & huiusmodi, quibus addere oportebit syrupi de pomis, violarum, aut capillorum veneris (sed maximè de corticibus citri) modicum: quæ sanè medicamenta maioris efficit efficaciæ aceti modicum, aut oxymelitis, siue cruditas nidorosa sit, siue acida. Scribunt etiã authores non contemnendi ad flatus discutiendos conterẽdasque reliquias maximè prodesse puluerem, q. ℞. *coriandri præparati ℥.1. pulueris radicis buglossi ʒ.ß. cinnamomi, corticis citri, seminis fœniculi, & carui anà ʒ.3. ligni aloes ℈.1. sacchari ℥.4. cuius porrige ante cibum* A *cochleare vnum.* Verùm in vtraque cruditate, maximè corde anxietate affecto, prodest puluis q. ℞. *anisi ʒ.2. corticis citri ʒ.1. & ß. margaritarum præparatarũ ʒ.1. pulueris electuarij de gemmis ʒ.ß. pulueris diarrhodonis ℈.2. sacchari albissimi ℥.4. misce, & fiat puluis, vel cum aqua naphthæ fiant tabellæ, quarum sumat ʒ.2. cũ aqua graminis.* Præstat etiam syrupus (maximè in acida cruditate) q. ℞. *serici crudi ʒ.2. seminis basiliconis, cariophyllorum, corticum citri anà ʒ.4. corticum mali cidonei ʒ.2. & ß. radicum buglossi ℥.2. foliorum buglossi m.4. ex quorum decocto cum saccharo fiat syrupus.* Sed refert Altimarus alium, quem scribit esse maioris momenti, q. ℞. *hyssopi, sampsuchi, serpylli, melissophylli, & betonicæ anà m.5. borraginis, lupulorum, scolopendrij, fumariæ, capillorum veneris, anà p.5. radicum cichorij, borraginis, fœniculi, capparum anà ℥.4. absynthij, & epithymi, anà ℥.3. foliorum senæ ℥.1. corticum citri p.1. pulegij, & florum minoris centaurij, anà ʒ.2. chamædryos, chamæpityos anà ℥.1. iunci odorati, & seminis anisi, anà ʒ.1. passularum sine granis ℥.1. paretur ex his secundùm artem decoctum, cuius excipe lib.4. adiecto que succi pomorum dulcium, & acidorum, succi rosarum, & malorum punicorum acidorum, anà lib.2. & ß. succi borraginis, & fumariæ depurati, anà ℥.8. sacchari quod sufficiat, fiat syrupus: cuius porrige ℥.4. cum aqua lupulorum, aut borraginis.* Huius autem syrupi maximus erit vsus, præsertim post sufficientem purgationem, & ineuntibus vere, & autumno. Sed maioris C censeo esse beneficij, in his potissimum qui debiles sunt, & morbo consumpti, decoctum galli veteris cum passulis, absynthio, folijs senæ, & eupatorij, cum epithymo, coriandro præparato, radicibus diureticis: maximè addito aliquo ex puluisculis cordialibus memoratis.

His etenim factis, iterum inferiorem ventrem clysmatis flatum discutientibus ablues, & purgationibus paulatinis ventriculum, & meseraicas absterges: quem vsum præstat prædictus *syrupus, addito decocto foliorum senæ, vel succo ʒ.2. aut 3. ʒ. seminis carthami:* prodest & quarto quoque die sumere prunum damascenum saccharo, & decocto senæ confectum. Atque inter vnam, & aliam horum medi- D camentorum exhibitionem, porriges quæ roborandi ventriculum, ac flatus discutiendi vires habeant. Cui vsui non parum conducit in vtraque cruditate rhabarbarum masticatum tertio quoque die, superbibito modico absynthij decocto.

Sed præstat interim dum hæc fiunt, cruciatus doloresque ac ventriculi tensionem compescere, maximè in acida, aut insipida cruditate, fomentis q. ℞. *olei lib.1. anethi, absynthij, pulegij, serpylli, foliorum lauri anà ℥.ß. bulliant parum, & post colaturam ventri adhibe vngendo, aut in vesica præstitum:* quæ omnia *vino incocta* summoperè prodesse comperimus: præstat & decoctum cumini, pulegij, & anisi, addito modico aceto per spongiam adhibitum: item de- E coctum fœnugræci, chamæmeli, anethi, absynthij, serpylli, fœniculi, cumini, baccarum lauri, & rosarũ: ex quibus etiam cataplasmata, vel sacculos vino irroratos, aut aceto suffumigatos parare poteris. Verum in nidorosa cruditate sat erit fomentum parare ex decocto rosarum, & absynthij in aqua facto: cui etiam satis solet esse inunctio ex oleo rosaceo, & omphacino, in quo ferbuerint absynthium, puluis rosarum, & coralli cum modico apio conquassato maceratoque in aceto.

Quod si ne hæc prodesse videantur, vt flatus discutiantur, aut sufficiens calor concitetur in acida cruditate, vel distrahatur quod præter naturam ibidem moratur, ad cucurbitam fugiendum esse consulit indigentiæ ratio, dummodo & corpus, & meseraei venas satis purgatas esse constet: tunc enim incredibili efficacia flatus discutit, dolores lenit, & calorem

natu-

naturalem ad partem euocat. Neque placet in hac re ipsam scarificare: nam licet discussis flatibus, & humoribus aliquid prodesse possit, nocet profectò magis calore diminuto ventreque frigidiore facto: nisi (vt nuper latiùs dixeram) dum partes externæ, & abdominis musculi venas habent humore melancholico plenas, & conspicuas: hoc enim præsidio nonnullos deploratos præ dolore, & tensione ventris restitutos vidimus. Cauendum tamen est, ne laborans sit ex his qui vel hæmorrhoides habent, vel tumentes varices, aut suppressum menstruum: quippe tunc maius solent accersere parti affectæ damnum, quàm beneficium. Est tamen magni momenti, si his non possumus dolorem sedare, in acida cruditate potibus aquę feruentis vti, & in nidorosa frigidæ: sed in vtraq; censeo maioris esse momenti in prima mensa vti in nidorosa (vt dictum est) potu aquæ frigidæ, in acida verò aquæ calidissimæ.

Si ex frigiditate oriatur hypochõdriaca affectio.

Cùm longè aliud sit hypochondriacam affectionem curare, dum ex caloris innati defectu in visceribus oritur, ac dum ex positiua frigiditate principium trahit (quippe illa refectionem spirituum, & calidæ substantiæ expostulat, nulla vel leui vacuatione facta; hæc verò calefactionem, & purgationem frequentiorem, cùm plerunque frigidam materiam comitem habeat) ob id institui peculiarem huic causæ curationem scribere: cæterùm me releuat ab hoc labore quod scripturus sim paulò inferiùs integrum de cruditate vẽtriculi caput, & ob id hac in parte hoc onus deponere decreui.

De hypochõdriaca affectione ex contra operãtia iecoris & ventriculi.

Inter omnes causas quæ hunc affectum concitare solent, nulla difficilior existit cognitu, grauior, & molestior, & quæ ferè nullis cedit præsidijs, quàm ea est quæ ex contra operantia ventriculi, & iecoris principium trahit. Neque pertinet ad hanc causam ea quæ multis assignatur, nimirum iecur calidum rapiens alliciensque ad se innatum ventriculi calorem, quo ipse coctioni alimentorum minùs sufficit: nam hæc causa, quantumuis ventriculus refrigeretur, non expostulat æquè contraria auxilia: sed solùm oportet hac in parte subintelligere ventriculum positiuè frigidum, & pari ratione iecur ad caliditatem intemperatum: quod maximum solet in omnibus morbis facessere negotium, quòd neque calida, neque frigida medicamenta vsquam profuisse visa sint: nam illa calorem hepatis acriorem relinquunt, & vt inimica naturæ omne calidum naturale, & omnes facultates partium, & maximè debilioris ventriculi labefactant, dissipant, & dissoluunt: quæ verò frigida sunt, licet iecori prosint, ventriculi intemperamentum omnino adaugent. Quapropter maiori diligentia curandum est, hunc affectum nosse, & cognitum ad naturalem statum vnumquodque horum membrorum sine alterius iactura reducere.

Signa.

Dignosces autem iecoris calidam intemperiem ex siti, maxillarum rubedine, vigilia, vrinæ rubore, aut cruditate: ex manuum, atque pedum calore, & totius faciei præter maxillas colore pallido: cum quibus adest cibi appetentia insolita, & cum hoc impensa cruditas eaque aliquando acida, nonnunquam verò nidorosa: quod rarò simul accidere visum est, nisi dum vtraque causa simul vigeat: adest etiam ventris inflatio, & quod magis est crudorum grandior expulsio: quippe respectu frigidioris succi à ventriculo geniti mediocris apparet iecoris calor, quo flatus eleuari necessum est ex crassiori substantiæ parte, sicut tenuem in nidorem conuerti ab eodem calore facilè est: adsunt præterea aliquando frigida, & nonnunquam plus iusto calentia: laborans anxius est, siticulosus, & à potu maximè læditur: euomit cibum crudiorem, & alui excrementa veluti caprarum stercus: illud vitio ventriculi, hoc iecoris intemperantia: vigilia quidem premuntur, & si somno forsan corripiantur, deteriùs se habent, & squalidi, anxij, & mille alijs accidentibus pressi expergiscuntur. Præterea vrinam habent nunc albam, nunc croceam iuxta dominium huius, aut illius intemperiei: quapropter, vel grauius malum sperare oportet, vel ex præsidijs nullum leuamen.

Curandi ratio.

Curandi verò rationem vt cautè aggrediaris, scito, vno è tribus modis exequendam esse: primò vel vni membrorum adhibitis auxilijs extrinsecus, vt iecori, & alteri intrinsecus vt ventriculo, aut è contra: secundò alternatim, nunc ventriculo prouidendum, nunc iecori, cùm videlicet affectum, & affectus accidentia magis vnius vitio quàm alterius prodeunt: illi verò (alterius etiam habita prouidentia) subueniendum est, altero non omnino neglecto: tertio verò & vltimo rem aggredieris mixtis auxilijs. Sed primò prouidendum est ventriculo vomitibus, quo deposita humorum crudorum sarcina auxilijs quæ leuiter calefaciant intrinsecus, aut extrinsecus adhibitis, citra iecoris insignem alterationem beneficium suscipiet: qualia autem hæc futura sint, nuper scripsimus. Quo facto, & interim dum fit, iecoris regionem extrinsecus attemperabis, nisi cognoueris adustum quid ibidem immorari, quo teneatis, post ventriculi prouidentiam, sanguinem ex saluatella dextræ manus, aut ex basilica eiusdem lateris fundere. His autem factis, & retusa cuiusque membri aliquo modo intemperie, tutiorem arbitror eam curationem, quæ media est inter vtriusque membri intemperamentum. Quapropter arbitrandum est, proficuum esse (quòd etiam humores qui peccant ex vtriusque causæ excessu, in adustam cruditatem commigrarunt) porrigere laboranti syrupum cichorij cum oxymelite, & decocto passularum, aut syrupum borraginis, eupatorij, aut acetosum diarrhodon cum aqua lupulorum, & fumariæ: prodest & serum lactis cum rhodomelle, vel syrupo buglossi, & modico oxymelite: tandem acetosum è radicibus cum sero lactis, aut aqua lupulorum: quippe arbitrandum est in huiusmodi membrorum contraoperantia, maximam in meseraicis necessariò adesse obstructionem. Post aliquod tamen dies, vteris medicamento purgante crudos, & adustos humores: cuius naturæ est *infusum duarum dragmarum foliorũ senæ, & ʒ. 1. rhabarbari in sero lactis cum tribus ℥. syrupi violarum ex infusionibus, aut ex rosis nostris.* Prosunt etiam aliæ purgationes minutiores, quemadmodum est infusum rhabarbari, aut foliorum senę in decocto eupatorij, visci quercini, passularum, & hordei: præstat & syrupus eupatorij, aut acetosus diarrhodõ, vel cichorij cum infuso rhabarbari, foliorum senæ, aut carthami conquassati in aqua lactis, aut lupulorum. Post prædictas autem purgationes *sumat laborans tria, vel quatuor cochlearia huius mixturæ quæ recipit seminis plantaginis, pistaceorum non rancidorum contusorum, anà ℥. 1. corticis citri exiccati ℥. 2. & ß. agrimoniæ m. 1. & ß. tamarisci, ceterach, capillorum veneris, florum borraginis, anà manip. ß. absynthij pontici, rosarum anà m. 1. cinnamomi, myrobalanorum chebulorum, & indorum anà ʒ. 3. coquantur in aqua chalybeata secundùm artem, & cum sacchara albissimo fiat syrupus, cui in fine decoctionis adde galliæ muscatæ* ʒ. ß. & si diu eo vtaris maximi vsus comperies, præsertim si singulis septimanis ante cibum præstiteris ʒ. 1. *pilularum quæ recipiunt agarici trochiscati, rhabarbari electi anà ʒ. 1. specierum hieræ simplicis Galeni, florum borraginis, epithymi, anà ℈. 2. aloes lotæ in succo rosarum ʒ. 2. & ß. misce, & cum syrupo cichorij fiat massa.* His factis ventriculo, & iecori hac lege prouidebis: ventriculo sacculum conficies, q. ℞. *mastichis ℥. ß. absynthij vulgaris, menthæ, pulegij, anà m. 1. & ß. rosarum rubearum, florum labrusci, anà m. 1. cinnamomi ʒ. 2. galangæ, nucis muscatæ anà ʒ. 1. cariophyllorum, galliæ muscatæ anà ℈. 2. pulueri-*

zentur omnia & fiat sacculus ex tela serica pro ventriculo. Præstat etiam hypochondria fouere decocto q. ℞. *agni casti, fœniculi, foliorum senæ, rosarum, absynthij vulgaris ana. m. ß. coquantur in aqua chalybeata quod sufficiat pro fomento cum spongia*, cauentes iecur. His autem factis, si magis præualuerit iecoris intemperies, reddideritque vniuersum corpus squallidum, balneis aquæ dulcis oportebit ipsum attemperare, dummodo ventriculus præueniatur, ne aquæ lotione amplius infirmetur: cui vsui necessum erit oleo caryophyllorum cum mastiche ipsum inungere. Post hæc autem omnia, non erit abs re singulis diebus aut tertio quoque die parum aquæ absynthites cum aromatico rosato aut tabellis diarrhodonis porrigere, vel alia quæ consimilem virtutem habere antea diximus.

Hoc tamen vnum in hac curatione summoperè obseruandum superest, nimirum incredibili efficacia huic affectioni prodesse & experimento esse confirmatum, in omnibus ferè hypochondriacæ affectionis causis, vsum chalybis, siue in fœminis ex vtero, siue in eis ac viris ex ventriculo, mesaræo, iecore aut splene obstructis, aut quomodolibet humore obsessis malum oriatur: quapropter id præsidium citra vllum timorem consulo adhiberi, quod forsan (purgato vt par est corpore) sufficere possit, solùm vt laborantem ab aliorum importuna molestia eruere possis. Sed in huius præsidij administratione necessum est admisceas ea quæ modicè purgant, velut est infusum rhabarbari, foliorum senæ aut succus seminis carthami, tantum, inquam, quantum satis sit, vt bis terue laborans humoris peccantis aliquid excernere possit.

Quòd si ne his quidem omnibus adhuc pro artis lege factis, affectio subsideat mitescatque, tunc profectò ad setonem aut fontanellam, vel vstionem supra splenis aut ventriculi regionem confugiendum erit: dummodo prædicta præsidia non adhibeantur his qui sanguinem ex hæmorrhoidibus fundunt: nam setone affixo supprimetur reuocabiturque, quod non est minoris damni. Verùm si hæmorrhoides adhuc fluentes non sufficiunt, ad mali sæuitiam compescendam, satius erit fontanellam in altero crure aperire.

CAPVT XVIII.

De mania & reliquis furoris generibus.

VT certum est, melancholiæ omnem speciem cum timore & tristitia esse, ita proculdubiò, maniam cum furore & contentione coniungi arbitramur: & hoc est quod dixerat Auicen. 1. 3. tract. 4. cap. 18. Cùmque melancholia componitur cum rixa & saltu & contentione seu pugna, mutatur eius nomen diciturque mania, quæ nil aliud est quam princeps functio deprauata, propter feruidam cerebri sine tumore caliditatem. At species huius mali, licet sint numerosæ, quæ conspicuæ magis existunt, sunt quinque, melancholia nimirum, furor, amor, rabies, & hydorolcos, quam Auicen. vocauit cutbut, & Græci Lycaonem, idest lupinam insaniam, vt mox latius sum expositurus, si priùs dixero vnde maniam Græci dixerint. Quippe multi à mania ipsa laruarum matre, appellatam autumant, aut forsan ab ipsis ponius manijs, quas nonnulli lamias ac lemures esse fingunt: vel à manibus dæmonibus ipsis, ob vehementiam actionum: vel quia sæpe cùm dæmones sese corporibus insinuant (qui occultè in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, somnijs animósque exterrent, mentes furoribus quatiunt) simillima solent concitare accidentia. Dimitto aliquando ob lunæ motum, quem sic affecti in deliramentis obseruant, lunaticos esse appellatos. Sed Latini Græcorum ma- A niam appellant insaniam, quod mihi vim & efficaciam morbi non satis ostendere videtur, vt refert Cicero. 4 Tuscul. quippe insaniam, quòd stultitia sit iuncta, incontinentiam esse sanitate vacantem arbitror: maniam verò, ratus sum mentis ad omnia cæcitatem, & ob id maius quid esse videtur quàm insania. Quo profectò factum esse reor, vt duodecim tabulæ apud Iurisconsultos vetuerint eum, qui furore sit correptus, suarum rerum esse dominum, non verò eum qui insanus est: quamobrem commodius mihi visum est, maniam furorem vertere, quàm insaniam: maximè cùm (vt dictum est) hac sola ratione maniam à melancholia differre constet, nimirum ob furorem, quo maximè maniaci pollent. Dimitto aliquando Hippocr. melancholiam appellasse maniam, forsan licen- B tiosiùs, aut, quod magis placet, quia eo loco, videlicet. 6. aphorism. 21. voluit significare solùm insaniam. Nec valet quorundam prauè intellecta Galen. 3. de locis cap. 6. sententia, qua parte per melancholiam censent intellexisse maniam, quòd illam fieri asserat cerebro ab inflammantibus, calidis & æstuantibus disposito: nam aliud est affectum melancholicum esse calidum (quo vocari possit mania) & aliud, à calidis fieri cerebro superstite frigido, quo melancholia succrescit. Qua lege censeo interpretandum esse prædictum Galen. locum. Diuidunt tamen præcipui authores prædictum furorem in lupinam maniam (quam Auic. appellauit cutbut, Græci verò Lycaonem, & ex eis multi hydorolcos, quòd sit veluti ri- C uulorum araneus quidam in superficie aquæ stans, qui venatur muscas, nunquam tandem viam tenens, sed per vias diuersas graditur, vt faciunt qui hoc morbo laborant) & in caninam, Græcis dictam cynantropiam seu rabientem: quippe certum est aliquam maniæ speciem rabiem esse, nō tamen omnem. Constat igitur differre inter se lupinum delirium à rabie, sicut lupus à cane: lupus enim citra voracitatem & rapacitatem insidiosam dæmoniaca prauitate præditus est, neque vnquam cicurator, neque fida est eius consuetudo & amicitia: sic qui hoc modo afficiuntur, more luporum abhorrent hominum societatem, fugiunt, latitant, insidiātur, clam aggrediuntur, feriunt & interficiunt: illi verò qui canino delirio & rabie D corripiuntur, rixantur etiam, & prouocari insiliunt in lacessentem, rident, trepidant, blandiuntur, obediunt, agnoscunt amicos eorumque societatem & consuetudinem exoptant: & cùm hi sint canum mores, dictum est canina mania laborare eos, qui sic afficiuntur. Itaq; omnis huius mali species, præter dictas conditiones, sortitur etiam hominem sine febre corripere, & extra mentem atque omnem rationis vsum nequiter transponere, cogens in vanas cogitationes, in absurdas loquutiones & in nefanda facinora & mores plus quàm ferinos prorumpere, & vt Gal. refert, aliquando in ecstasi seu taciturnitate detinet. Verùm licet dictum sit mania eos febre carere, Cælius tamen Aurelianus arbitratur quosdam esse febrem E habentes, lentam tamen & minoris momenti, quàm ea sit quæ phræniticis succrescit.

His consideratis, constabit facilè furorē sympt. esse principū facultatum omnino corruptarū, maximè rationis & imaginationis, cùm cōstet memoriā non deficere. Hoc tamen certum mihi videtur in hac affectione, nimirū præter cerebri calidū & siccissimū intemperamentum, etiam in vasis ipsius cerebri interioribus, humores eiusdē naturæ vel semper adesse (vt in his qui perpetuo delirio premūtur) vel ex innata cerebri intēperie in dies aggregari, & copia sufficienti congesta, in furorē laborātem agere, donec vi caloris proprij dissoluantur, & subsidente affectione resipiat aliquo modo laborans, donec iterū idē fiat humoris accessus, quo mens iterū & eodem modo turbetur. Qui sanè habitus adeò fixus & connaturalis sæpe factus *Affectus natura.*

appa-

apparet, vt immedicabilis fiat: quo tempore per interualla modo dicto desipiunt, & resipiunt laborantes: nam cùm in perpetua sint accessione, arbitrandum est contractum habitum eadem perpetuitate sibi comites habere humores habitui similes: aliquando verò vinum solùm in humoribus existens, aut in fieri in cerebro, reliquos humores quos gignit natura, conspurcat, vt in hoc malo prorumpant: quem statum faciliùs quàm quemuis alium, ad antiquam sanitatem reduces, quod distinxisse ad curationem non est parui momenti. Dimitto, frequentiùs hunc affectum per essentiam fieri in cerebro, verùm non admodum rarò ex consensu alicuius inferioris membri, vel totius corporis.

Causæ. Si quis huius mali causas studeat adinuenire, reperiet profectò rem esse grauem, & magni momenti. Nam apud antiquiores, vna reperitur eaque generalissima, nimirum mutatio ab ea têperatura, quę homini debetur, in ferinam, & omnino alienam: quod quidem licet verum sit, non tamen monstrat qualis futura sit hæc ferina temperies, & à quibus causis principium sortiatur, foueatur, & augeatur. Constat tamen (si quis diligentiùs rem pensitet) intemperiem hanc, siue in humoribus sit, siue in partibus solidis, debere esse calidam, & siccam, non quidem vtcumque, sed habitualem, & factam, turbandis omnino spiritibus animalibus idoneam, vel ipsis terrestribus, & vitiosis gignendis accommodam: quam vel in vniuerso genere venoso, ac iecore esse contingit, qua humores prædictæ naturæ fiunt, vt cerebrum ascendentes prædicta deliramenta inducant: vel fit in solo capite, ita vt quantumuis alimentum illuc ascendens laudabile sit, protinus in ferinam mutetur temperiem: quo autem modo humores tales fiant, iam audies. Ipsa enim luce clarius conspicimus, si quis sanguis, si quæ bilis, aut melancholia singulatim mixtimve succenduntur (non incendio febrili, in quo succorum quoque vitiosa putredo interuenit, proprium enim furoris est febre carere, quia licet calor in febribus polleat, est tamen cum humiditate humoris putrescentis adiunctus: nam hæc in putredine licet separetur, non tamen resoluitur, sed manet ita vt coctione possit aliquo modo emendari) at in hoc vstionis genere exuritur humiditas, & euanescit: quo fit vt nulla coctione affectus emendari possit. Siquidem cùm solùm naturæ calor adeò intenditur, exacerbatur, & inualescit vt candefaciat igniatque succos, mox animi quoque statum conuelli, eoque pertrahi necessum est, quo rapidæ flammæ adigunt. Quippe ignis violentus cùm sit, atque indomitus, quos suæ qualitatis supra natiuam temperiem participes facit, violentos etiam, atque indomitos reddit. In humoribus prætereà quod liquidum est, & tenue minimo negotio in obscœnas fuligines subducit, reliquum verò in toruam atramque fæcem assando commutat: vnde fœdi syluestresque spiritus, animalium functionum instrumenta, prodeunt: & dulcis ille numerus, harmonia, & concentus in quo æquabilis succorum portio constabat, dissipatur. Quo fit, vt promptè colligere possimus, irrationalem, inordinatam, deformem, ineptam inconcinnamque agitationem hinc forsan oriri. Maniæ ergo, seu furoris occasionem rectè iudicamus prodire à proprio temperamento violato cum improba humorum exustione, qua in atræ bilis naturam prorsus mutantur: quam quidem non æquam, & parem in omnibus insanientibus conspicies, maioris enim, & minoris rationem capit, prout inest acrior materiæ: quod prorsus fieri duplici de causa comperies: vna ex humoris qui aduritur conditione, quo fit, vt quanto humor humori ferocior extiterit, tanto quoque malignior succrescat feritas: alia verò ex causæ quæ vstionem molitur efficacia, & malignitate, sunt autem hæ non paucæ: nam quædam extrinsecus occursant: quædam verò clam & occultè interiùs hominem exurunt, & perdunt. Has sanè omnes exactissimo calculo enumerat Cęlius Aurelianus lib. tardarum passionum cap. 5. Inquit enim, Generatur autem frequentiùs in iuuenibus, ac medijs ætatibus, difficile in senibus, atque difficiliùs in pueris, & mulieribus (licet in omnibus non rarò id malum conspiciamus,) nunc repentè inuadens, nûc paulatim increscens, nunc ex occultis, nunc ex manifestis causis, vt est vstio, perfrictio, indigestio, vinolentia frequens, atque immodica, item vigiliæ iuges, amor, iracũdia, aut mœstitudo, vel timor, vel superstitio nimia: item concussio, siue percussio capitis, & intentio nimia sensuũ & intellectus, ob cupiditatem disciplinarum, vel quæstum pecunialem, aut gloriam. Item epota medicamenta, & ea magis, quæ amorē facere fingunt, à Græcis philtropata appellata. Item detractio hæmorrhoidum veterum, siue varicum, aut in fœminis absentia solitæ purgationis. Quæ sanè omnia (& alia his similia, quæ etiam considerare oportet, & præuidere) facilè monstrant, si adsunt, si præcesserunt, si timet laborans. Verùm vtcunque vna, vel plures ex prædictis causis accedant, nequeunt sua spontè ferinum inducere delirium, ni priùs humorum aliquis ab earum efficacia aduratur, superassetur que. Qua in re priùs sciẽdum est, pituitosos succos nihil in hac re posse, vt qui nullo modo patiantur ad tantam deuenire assationẽ, quòd in atram bilem commigrent, iuxta Galeni doctrinam: inquit enim 6. aphor. 56. Fiunt quidem propter pituitosum humorem apoplexiæ, & conuulsiones, & cæcitates oculorum, fiunt autem, & propter melancholicum, quoniam vtrisque cõmunis est crassitudo, non tamen furor est passio communis: nunquam enim hic ex pituitoso humore ortum habet, cũ ad eum humor irritans, ac mordens exigatur. Fit igitur mania interdum ex sanguine nimium feruente, vel in cerebro existente, aut ibidem aliundè confluente, vt ex Galeno patet 5. aphorism. 40. in quo affectu concitando, non sat est quemuis adesse assationis modum, sed eum qui exiccatum, & aridum reddat sanguinem, feruore conterente humidam eius partem. Fit etiam & frequentiùs, ex superassata flaua bile, vt ex Galeno constat 3. de locis dicente: Quemadmodum alter atræ bilis succus, qui præassata flaua bile nascitur, ferina deliramenta inducens: quam sententiam iterum confirmat 2. de causis symptom. capite vltimo, & 3. aphorismorum 22. Contingit etiam non rarò ex melancholico fieri succo, licet ex eo non semper, sed cùm supra modum exuritur, aut acritudinem contrahit, vt ex Galen. constat 6. aphorismorũ 56. Denique omnis furor habet aliquem ex his humoribus tanquam proximam causam, modo iecur, splen, vterus, aut vniuersum corpus prauè exurendo, vt dictum est, disponat, & in cerebrum transmittat: modo cerebrum prædicto intemperamento habitualiter affectum, ex alimento sibi commisso similes sibi generet succos, quos posteà in prædictum affectum commigraturos arbitramur.

Signa. Quæ hunc affectum monstrant signa cuiuis conspicua fiunt, quapropter satius erit causas, & differentias monstrantia nunc docere, & rursus quæ corpora obnoxia huic affectioni existant, vt quantum possis omni diligentia præcaueas. Nosces tamen primò, deliramenta potiùs ferina, & maniaca esse, quàm phreniticа, aut melancholica, ex eo quòd conspicies sic affectos, nonnunquam toruo, & horrendo vultu meditabundos veluti obstupescere, oculos atroces, & formidabiles hinc inde vertere, mox in iurgia, rixas, & contentionem amarulentos erumpere: & nisi vinculis, aut impactis flagris domiti cohibeantur, domesticos, & familiares, seu quosuis alios adoriuntur: nec desunt alij, qui sermonis adulabilis fuco blandiuntur

& simulata tranquillitate in sæuam tempestatem prosiliunt in alios, ac in seipsos, etiam sibi mortem consciscentes, vt de Empedocle fertur, qui se in Aetnæ voraginem proiecit, & de Aiace Telamonio, qui seipsum mucrone perfodit. His missis, quæ nullus ignorat, ad apparatum, seu principium huius mali cognoscendum iam deueniendum esse consulit docendi ratio: est huic affectioni obnoxia habitudo biliosi hominis, & extenuati: sic & qui hepate, & corde præcalidis prædıti sunt, in quibus facilè humores aduruntur: item qui ob leuissimas occasiones, & res nullius momenti propter consuetudinem admodum faciles fiunt, & propensi in obscœnos, atque ineptos cachinnos: & ij etiam qui in ira, cùm mites essent, & blandi, propensi fiunt. Item suspiciosi, & cogitabundi, cum facili credulitate de quauis re tristi, & graui. Signa verò iam iam instantis mali sunt, aurium sonitus, & vanæ, atque inanes imagunculæ ante oculos: quibusdam splendores, ac luces occursitant: taciturni sæpè, ac meditabundi veluti obstupescunt, & in terram amarulenti conspectant, & rursus inopportunè alterantur, & susurrant intra fauces. Alios videre est, post longas inedias, vigilias, graues, & tristes labores, diutinasque curas mente commotos: neque paruus imminet metus his qui assiduo pauore, ac formidine concutiuntur, & his etiam qui indefessa opera literas, & disciplinas sectantur: item his qui in venerem sunt propensi, & nocturnis ludibrijs obnoxij, & his quibus, aut menses, aut hæmorrhoides annuæ subitò supprimuntur: tandem qui vehementer inconstantes facti sunt, & multifarijs opinionibus fluctuant, fugaces imagunculas sibi fabricant, nusquam hærent, celeriter ab eo quod instituerant, sermone volubili digrediuntur: nunc hoc, nunc aliud nugantur, quidquid in buccam venerit futiliter oblaterant: quod euenire consentaneum est, ob rapidum æstum turgentis materiæ: sunt etiam immemores, & eorum malè tenaces, quæ aut petulantiori lingua, aut violentiori manu designarunt. Immodica siti torquentur, si aliquando resipiant, os amarescit, venter eroditur, vigilijs infestantur, oculi nunc volubiles, nunc fixi, & semper rubentes. Neque prætereundum est, in quibusdam mulieribus dum sanguis in mammis collectus coagulatur, furorem significare, vt Galen. aduertit 5. aphorismorum 40. & est, vt inquit Auicen. si pedes sanguine repleantur, & rubei fiant, quia periclitantur etiam coagulatione. At signa, quæ in quouis laborante peccantem humorem ostendunt, sunt, dum flaua bilis exuritur, laborantes ferarum more effrænes, iracundi, temerarij, percussores, & iniuriosi fiunt: quibus accedit tempus anni æstiuum, & ægri biliosa temperies, ingens oris amaritudo, pallidus faciei, & oculorum color, ac feruidissima oris saliua. Quod si ex sanguine mania oriatur, risus adest incompescibilis ob imagunculas ante oculos versantes, risu, & ioco plenas: & sic arbitrantur tibicines audire, & ipsi aliquando canunt, & saliunt: nullum tamen facinus aggrediuntur, sed veluti ebrij insaniunt: latas insuper, & conspicuas habent venas, corpus saturum, faciem rubore quodam perfusam, oculos ludibundos eo modo, quo Abderitæ Democritum insanire existimabant, cùm ad ipsum curandum Hippocrat. reuocarunt. Maniam verò quæ ex atra bile, seu ex melancholico succo superassato prodit, præterquam quòd difficilioris est curationis, maligniores reddit laborantes, suspicaces, immites, inexorabiles, pertinaces, meditabundos, tardè loquentes, & tardius silentes, & sese conficientes. Qui sanè nonnunquam succum euomunt acidum terram fermentantem, maximè si crassioris sanguinis aliqua vacuatio suppressa sit. Præter quæ omnia, in considerationem ducere oportet anni tempus, anteactam vitam, cibaria, & corporis naturalem temperiem.

Præsagia

Cognitis causis, & mali differentia, haud difficile erit nosse quid sperandum sit in quouis laborante. Qua in re statuendum est nullam insaniam securam esse, vt Galen. testatur 6. aphorismorum 53. licet minus periculosa sit quæ cum risu fit, periculosissima autem quæ temeraria est, & ex humore atro ob superassationem prodit: & in his ea adhuc deterior, quæ ex deteriori humore superassato prodit, in quarum medio stat quæ ex ferue facta fit flaua bile: verùm cùm iam ad atræ bilis naturam accedit cum studio etiam fit, & furibundum, ac temerarium summoperè reddit hominem. Præterea expendendum est non esse omnino verum quod Hippocrat. refert 6. popu. sect. 6. dicens: Mentis emotiones sanguinis per nares effluxus soluit, cùm certum sit solùm maniæ ex sanguine prodeunti prodesse, biliosæ verò & atrabiliosæ obesse non parum. Sed videndum etiam est, an quemadmodum in phrenitide alui profluuium valdè rubicundum contingens pessimum est, vt ex Hippocrat. constat 1. prædict. sententia, ita quoque in furiosis delirijs subsequuta dysenteria lethalis sit. Nam constat ex Hippoc. 7. aphorism. à furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel vehemens mentis alienatio (ecstasis) bonum.

Dubium.

Sciscitabitur autem aliquis qua nam ratione, furori dysenteria prodesse possit, cum atram bilem sursum, aut deorsum delatam, lethalem esse constet: & hydropem quatenus ad causam pertinet, longè differre ab atra bile, ac rursus vehementiùs furere, suspectum esse sanitatis principium. Sed expendendum in hac re est, noxios humores ad inferas partes labi, & perfectè, ac per conuenientia loca purgari, dummodo non sit ex adulta flaua bile, nisi alijs admisceatur: nam alij humores furorem efficientes commodè, aut saltem non admodum noxiè per intestina expurgantur. Præterquam quòd ego arbitror Hippocrat. consultò dixisse tormina intestinorum, & non dysenteriam: quippe verbum illud solùm significat dolores intestinorum à mordicatione factos, dysenteria verò exulcerationem, quæ ab atra bile facta insanabilis est. At per hydropem etiam liberantur non pauci ab hoc malo, siue eo quòd furor ex suppressa aliqua vacuatione fiat, cuius humorem ad eam partem mittat natura, siue iecore imbecilliore facto ex recursu praui humoris ad ipsum, qua occasione aqua inter cutem oritur: quæ sanè indicia absolutè bona non sunt, sed pro furoris solutione bona, & vtilia: eo quòd sic affecti, neque dolorem sentiunt, neque facilè à quouis malo læduntur, quòd robustiores, & terrestriores facti sint. Præterea certum est aliquando furorem finiri per maiorem intensionem, & feritatem, vt refert Hippocrat. à quo etiam mutuauit Auicen. dicens: Et quandoque est vehementia significans crisim ipsius maniæ: quemadmodum in morbis acutis vehementissimi casus solent aliquando bonas crises operari, nitens natura radicitus inimicum propellere, & omnem humoris copiam conterere: quo sanè fit, vt furor se ipsum finiat. Quòd si quis dixerat, maniam esse habituale malum, quod iudicari sua natura nequit, expendat, illud debere intelligi de huius mali accessionibus, quæ maiori feritate finiuntur morbo in antiquo habitu manente.

Verùm, quod deterius in hoc malo censeo, est, nullis præsidijs aliquantulum mitescere, & diu durare nulla facta intermissione, vel redire vehementiùs quàm anteà, aut indies crescere, periculum enim est, ne habituale fiat in cerebro, aut in toto corpore damnum.

Curandi ratio.

Quam sit curatu difficilis hæc affectio, nemo est qui ignoret: non quidem solùm ob mali sæuitiam, & pertinaciam, sed etiam quia laborantium insipiētia,

non permittit eos medicis obtemperare, neque cibaria tempore & copia conuenienti ingerere, neque quiescere aut moueri cùm par sit, neque rursus ea medicamenta deuorare quæ proficua esse possint: cum hoc tamen vi & industria supplere oportet quæ dementia detrahit.

Victus ratio.

Sic profectò eam in primis sic affectis victus & vitæ rationem institues, quæ omnino feruorem & excandescentiam compescere nata sint, & omnino humectare: cauens ne victus adeò tenuis sit, quòd facilè quoque succendatur, vel adeò crassus, quòd vel obstructionem pariat, vel difficulter conficiatur. Quapropter mediocris omnino victus ratio præscribenda est etiam & actu ac potentia humida, quæ nullum negotium ventriculo exhibeat, quòd facilis sit concoctionis: denique procuranda impigra digestio, prompta nutritio, & alui quotidiana egestio: quare cibus sit non haliruosus, non crassus, non inflammans, non siccans, neque in cerebrum euaporans. Quo fit, vt magni sit momenti caro hædina, vitulina, pullorum & auium domesticatum cum lactucis, lacte, aut farina nutritarum, necnon & piscium saxatilium: sed inter omnia cibaria sic affectis vberrimam iuris copiam præbere, scimus magni esse momenti, confectam quidem oleribus, vt lactuca, scariola, borragine, buglosso & similibus. Prosunt & ipsa olera per se; sed fugiendum à coriandro, dementat enim: prisana enim est copiosiùs vtendum, vt quæ huic malo maximè proficua sit: cauendum tamen ab vrinam mouentibus & ab his quæ feruorem concitant: à vino insuper penitus abstinendum, nisi ex metu insania orta fuerit, vt Celso placuit, vel cùm affectus inclinauerit, aut ex melancholia adusta prodierit, tunc enim ex vsu est vinum dilutius & aquusum. Et licet hæc sint quæ vnanimi omnium authorum sententia sic affectis prodesse constat, ego tamen arbitror nihil inconuenire crassioris aut copiosioris alimenti institutione vti: nam quibus virtus valida est cum humorum defectu, iubet Galen. 1. aphorismorum. 17. multum & frequentiùs victum porrigere: neque inconuenit crudius aliquid aut pituitosius manere: quinimo conducit humectationis ac refrigerationis gratia: nam ob id profecto huiusmodi laborantes rarò sanitati restitutos conspicimus, quia plerumque longè minus comedunt quàm par sit, quinimò blandimentis aut imperio ipsos ad alimenta capessenda cogere non rarò opus est. Prodest præterea in potu aqua ex hordeo, vel admixta succo mali punici dulcis, vel feruefacta radicibus buglossæ, aut floribus eiusdem cum saccharo. Sit præterea laborans in otio & quiete, nisi dum accessio inualuerit, quo tempore crurum & brachiorum frictionibus aut vinculis vtendum est: somno vtatur longiori, vel omni arte instituatur: aer humidior sit temperatæ caliditatis, ac si affectus non subsederit regionem mutet laborans: nullibi tamen solus sit, neque inter ignotos, aut inter eos quos vel contemnat, vel odio habeat. Vtcumque tamen sit, ipsum vinculis ligatum coercere oportet, securis quidem sed non admodum compressis: cauendum enim est ne aliquod scelus perpetrare possint, fallaces enim sunt maniaci & mille machinamenta fingunt, vt sibi & alijs liberè nocere possint. Insuper locus illis eligatur, qui nec luminosus nimis, neque admodum obscurus sit, vtrumque enim nocet.

Si fiat ex vitio sanguinis.

Ad peculiarem igitur curandi rationem accedendo, si constiterit sanguinem exuri, vt monstrant rubor per vniuersum corpus floridus, venæ exuberantes, delirium cum risu & non perpetuum, educatio quæ præcessit lauta, mollis & copiosa: tunc vltra coniectandum est an aliqua sanguinis vacuatio, vel naturalis vel consueta suppressa sit: quòd si id acA cidat, protinus reuocanda est, si facilè fieri possit: sin aliter, interim dum fit, sanguis mittendus est à parte vicina ei per quam sanguis affluere assueuerat: ex talo quidem si ex vtero aut hæmorrhoidibus fluebat, vel ex brachio si à naribus. Verum si solùm sanguinis feruore affectio fiat, tunc quidem coniectandum est an præsit adhuc abundantia, quo tempore sanguinem copiosiùs & confertim educere oportebit: quippe in his credendum est vires non deficere. At si vberioris copiæ signa non adsint, sanguis quoque mittendus est, sed parciùs aut partitè, primò ex dextro brachio à vena media, nisi constiterit externam magis turgere, mox verò ex sinistro, cuius scissione certo scio non leue neque contem- B nendum præsidium subsequuturum, propter mutuum vtriusque visceris consensum, vt docuerat Auicenna. Non est mirum, inquit, non est nouum, non est longinquum, si cordis complexio primùm corrumpatur, & sequatur eam cerebrum, & corrumpatur cerebri complexio, & sequatur eam cor, & corrumpatur complexio spiritus in corde, & fiat syluestris, & corrumpatur quod ex eo penetrat ad cerebrum, & iuuet cerebrum ad se corrumpendum. Probat quidem hanc Auicenna veritatem sic affectos, non irasci neque excandescere furore sine cordis intemperie, aut æstu sanguinis intra cordis penetralia fluentis: sic enim Galenus libro artis medic. inquit, cor nimis calidum furere: quapropter pro- C bauimus sæpe sanguinem ex sinistro latere fundere, & prosperè cessit. Vberiùs tamen in his refrigerandum est: tùm intus potibus: tùm verò exteriùs per balnea, fotus & capitis lauacra, vt præcedenti capite abundè diximus: purgandum tamen minùs, rariùs & leuioribus pharmacis. Quippe sic affectis sat est diutiùs serapijs vti ex cichorio, oxysacchara, ex rosis, ex buglosso, violis & similibus, cum aqua fluuiali aut pluuiali, quæ diu adseruata sit & sufficienter frigida: quorum solito maiorem copiam porrigere poteris, & post aliquot dies præbere vel cassiam aqua lactis dissolutam, vel confectionem Hamech sine scammonio & colocynthide confectam, aut ipsum serum lactis cum folijs senæ & violis feruefa- D ctum, vel syrupum infusionum rosarum aut violarum cum aqua lactis aut cichorij. Quo facto capiti prouidendum est succo lactucæ, oleo rosaceo cum modico aceto aut lacte muliebri, vel decocto rosarum, papauerum, lactucæ & violarum. Præstat omni studio somnum conciliare succo ptisanæ extracto decoctione capitum papaueris, vel syrupo papaueris cum aqua pluuiali exhibito iuxta horam somni. Quòd si neque hæc prodesse videantur, nec si adhuc bis & ter eadem repetieris, ad cucurbitas vel ad scissionem venæ frontis aut nasi confugito, vt omnibus viris doctis placere constat, dum modo priùs expendas, sitne affectio ex hæmorrhoidum aut mensium suppressione, quo tempore ante venæ frontis scissio- E nem sanguinem ex hæmorrhoidibus per hirudines fundes, tandem ad balnea aquæ dulcis modicè temperatæ (ne horrore aut squalore laborans in ingressu lædatur) frequentiùs confugiendum est: dissipant enim hæc quod vstum est per cutem, & quod vritur mitigant ac feruorem compescunt. Præterea aluus clysmatis irritetur: maximè emollientibus & attemperantibus. Neque prætereundum est, magni esse momenti cordi epithemata adhibere, quæ & refrigerent & feruorem compescant: tandem hæc repetes donec comperias vel affectum inueterari, vel in biliosum, aut melancholicum ex sanguinis adustione commigrasse.

Si fiat ex bilis feruore.

Causa quæ in hoc malo maius solet facessere negotium, succensa bilis proculdubio est, vt quæ peruicacē ac furibundum reddit hominem, minusque præsidijs obtemperantem, ac rursus ocyus in atram bilem

A commigrat. Primò itaque desistendum in hac curatione omnino est à sanguinis detractione, feruidior enim, ac effrætus hac ratione redditur exusta bilis, ita vt nec ventilationis adhuc gratia mittendus sit, sicut in alijs biliosis affectionibus. Sic mox curãdum est syrupis, & apozematis, quæ plus humectent, ac refrigerent, rem agere. Quamobrem, vt id consequaris, & materiam vacuationi obsequentiorem reddas, porriges potum q. ℞. *aquæ purissimæ, aquæ borraginis, ac nenupharis anà lib. ß. syrupi violarum, & rosarum, anà* ℥. 2. *cuius præbe* ℥. 6. Parabis etiam decoctum q. ℞. *hordei p. 1. borraginis, buglossæ, & florum vtriusque cichoriũ, fumariæ, lupulorum anà m. 1. & facta colatura, adde syrupi borraginis, & oxysaccharæ anà* ℥. 1. *syrupi papaueris* ℥. *ß. & porrige vtriusque* ℥. 4. Vteris etiam B clysmatis refrigerantibus, vt capite de phrenitide abundè scriptum reperies. Quibus factis, ad purgandum humorem te conferes, his quæ maniæ ex sanguine ortæ prodesse diximus; addenda tamen sunt quæ adustis humoribus educendis idonea existunt: præterquam, quòd eundem vsum præstat porrigere *rhabarbari infusi in aqua fumariæ, & expressi* ʒ. 2. *syrupi violarum ex infusionibus* ℥ 3. item decoctum foliorũ sennæ in sero lactis, & alia huius naturæ. Quæ sanè sæpius repetenda sunt, quòd satiùs sit in minori dosi exhibere, quàm temerariè plus, quàm ferre possit natura, porrigere. Quibus sanè bis, aut ter quaterve repetitis, studendum etiam est cordi, & hepati magna diligentia prouidere, epithematis ex aquis, & succis C pomorum, borraginis, buglossæ, intybi, & florum, è radicibus etiam, ac herbis odoriferis, quæ minùs calidæ sint, cum aqua rosacea, & modico aceto additis pulueribus diamargaritonis, trium santalorũ, margaritarum, cornus cerui, tormentillæ, & aliorum medicamentorum, quæ capite de cordis palpitatione reperies, vt sunt vnguenta, sacculi, & emplastra. Prodest etiam ore sumptum electuarium de gemmis, diamargariton frigidum, & margaritæ præparatæ cum conseruis violarum, rosarum, florum nenupharis, borraginis, & similium cum aqua pluuiali, & purissima. Prosunt & odoramenta, quæ incredibili efficacia succis immersa magnam alacritatem adferunt: cuius naturæ sunt rosæ, violæ, nymphæa, D santali, myrtus, aqua rosacea cum aceto, & decocto papaueris. Prosunt & capiti adhibita, quæ abundè diximus capite præcedenti, & de phrenitide: sed maximè aquæ dulcis balnea per vniuersum corpus sumpta, frequentiùs tamen capiti adhibita, ex decoctis herbarum quæ frigidæ sint, & humectent, cum extremitatibus paruorum animalium, & psyllio, atque capitibus papaueris. Sed quæ vsui probatiora sunt ex aqua dulci fiunt, dummodo post lotionem caput vngatur oleo amygdalarum dulcium, vel de ranis. Testes etiam sæpiùs inuoluantur pannis lacte madidis, aut oleo rosaceo, vel aqua solani, cucurbitæ, aut nymphææ, sed ibidem non oportet diu adhærere, quæ hoc ordine frigida sunt, ne virile robur deijciant. Nari- E bus adhibeatur oleum violaceum cum succo lactucæ, aut papaueris, oleum cum lacte mulieris, vel vnguentum populeon, aut rosaceum cũ mucagine psyllij, & nonnunquam confugiendum est ad philonij vsum, vt capite de immodica vigilia dictum est, quippe maior curationis huius affectus pars in somno cõciliando sita existit.

Quod si neque his omnibus affectionem subsidere comperias, scito causam, vel in habitum, vel in atræ bilis naturam iam migrasse, vel ab ipsa melancholia exusta principium traxisse: quamobrem ad maiora auxilia deueniendum esse consulit vrgentiæ ratio. Sic profectò diutiùs præparabis humores cibis, & medicamentis, quæ liberaliùs humectent, & moderatiùs refrigerent, & tunc his quæ vberiùs purgent vtendum est, qualia abundè reperies capite præceden-

A ti: expostulat enim humoris pertinacia validũ quoduis medicamentum, & facilè sustinet robustum corpus tale, factum ex affectus natura, & sensus laboris priuatione. Quapropter, ad ea quæ elleborum recipiunt, & lapidem lazuli confugere oportet, neque non ad præparatum stibium, quod sanè præsidium solet in hoc malo præsentaneum esse remedium. qualiter autem id fieri debeat, nuper adduximus. Si tamen hæc prodesse non videantur, vinculis, & flagris committantur laborantes, vt cogantur attendere, & meminisse, vt quos nullum auxilium inflectere potuit, acrior pœna coerceat: sed id misericorditer facito, precor, & caue, ne propinquior temerè assideas, sæpè enim inopinato periculum non leue succrescit: loquit enim Galen. 2. de difficult. respirationis: Ad B furore percitos propiùs accedere non audemus, sed omnibus modis ab illis discedimus, verentes, ne mali quid nobis inferant. Neque placet in hac parte vstionum quæ in capite, & alijs partibus fiunt, meminisse, cùm melancholicis potius quàm inueteratis maniacis prodesse mihi certum sit.

CAPVT XIX.

De læsa memoria.

CVm memoriæ munus sit obiectorum vniuersorum imagines, & ratiocinia suscipere, & custodire, atque conseruare, ita vt semel collapsa memoria C protinus aboleantur in nobis omnia quæ multis vsibus proficua existunt: ob id sedula diligentia curandum est eius actum, & robur custodire, ni velimus in puerina, aut iuuentute ob memoriæ iacturam immaturiùs consenescere: vt enim quis memoriæ vitia diligenter expendere possit, qualis naturæ, & officij ipsa memoria sit priùs ediscere oportebit. Est nanque memoria, vt ex Aristotele constat lib. de memoria, & reminiscentia, habitus phantasiæ, vel imaginis eius rei quæ imaginationi subijcitur: vel vt vulgariùs loquar, est thesaurus receptarum per imaginationem imaginum rerum. Cicero enim inquit, Memoria est firma animi rerum, & verborum dispositionis perceptio: vel memoria est per quam animus repetit ea quæ fue- D runt: itaque quantò cerebrum pertinaciùs retinere potuerit rerum imagines, tantò ad memoriam aptius erit. Sed vt hæc apertiùs intelligas, scito sensus externos ex alteratione ab obiectis perceptam notitiam elicere obiectorum, & imagines, ac formas rerum sotinsecus occursantium. Quæ sanè imagines, sed multo puriores, & ab omni terrenæ labis contagio expurgatas phantasia concipit: quæ iterum species, seu deriuationes, semper magis magisque attenuatæ in postremo cerebri sinu memoria adseruat. Sit ne memoria eadem, ac imaginatio vt Galen. 2. de motu musc. adstruit, vel resideat in cerebro an in corde vt Aristotelici omnes fatentur, non est præsentis instituti, sicut nec differere an ad sensum communem memoria at- E tinet, vel ad iudicium: nam cum actu per quem potẽtias omnes dissidere cognoscimus, longè differant, non est quòd his immoremur, sicut nullam ad curationem adferunt vtilitatem.

Est tamen scitu summopere necessarium, quonam modo memorandi facultas suum exequatur actum, vt dum ab eo deflectitur, haud difficile sit nosse qua via in ipsum restitui possit. Cui vsui scire conuenit tria in nobis perspicuè deprehendi, animam nimirum, spiritum, & corpus: anima tamen diuersa est à corpore adeò vt mutuam omnino societatem refugiant si non per spiritum copulentur: spiritus quidem vtriusque vinculum est, & vtrunque alteri veluti conglutinat: quasuis animæ vires quoquo versum diffusus subuehit: & cum memoria nil aliud sit quàm ea animæ vis quæ præteritarum rerum species

seruat,

seruat, qualis naturæ, & conditionis, ac differentiæ huiusmodi species, & simulacra sint, expendendum nunc est. Quæ rerum similitudines in duplici sunt differentia: nam quædam à materia dependent, quæ sensu deprehenduntur: quædam verò ab omni materia expurgatæ, quæ intellectu duntaxat percipi possunt: in quarum priori genere memoria sensibilis sita est cum corpore peritura: in secundo verò intellectualis solis hominibus propria. Nobis tamen solum de illa prima agere est in animo, quæ per exteriorum sensuum organa suscipit imagines, ac formas rerum forinsecus occursantium: quæ quidem in animæ substantia propterea figi nequeunt, quia incorporea, sed ipsa anima in spiritu tanquam in terso lucidoque speculo simulacra contuens, de obiectis iudicat: quod iudicium sensus cognitio dicitur. Istis quoque similes imagines, sed multo puriores, & ab omni terrena labe purgatas sua vi in se ipsa fabricat, & concipit: quam conceptionem phantasiam, seu imaginatiuam vocamus: & hæ sunt illæ species, seu denudationes semper magis magisque attenuatæ, quæ in postremo cerebri sinu conduntur: non quidem illa prima corporum defluuia, & crassa idola per externum sensum apprehensa, sed ex his per internum veluti cribrata. Verùm licet in memoria hoc sit, ac in nobilissima, & postrema cerebri regione sensibilium rerum species comperiantur (licet forsan multi memoriam eandem cum phantasia effecerunt,) ibi tamen, dixerim in aonea parte recordandi actus non efficitur (etiam si aliquo modo ea prosit huic muneri) sed hæ species relabuntur in sedem phantasiæ dicatam: ex quibus phantasmata speculationis protinus oriuntur, quæ mox orta intellectum commouent, & suggerunt ea quæ aut vidimus antea, aut alio sensu cognouimus, quemadmodum picturæ ea nobis ob oculos ponunt, ac repræsentant, quæ longo tempore anteacta euanuerunt: atque hæc est lex, & ratio memoriæ.

Denique cùm quis omnium rerum, quæ priùs nouerat, oblitus fuerit, hunc memoriam perdidisse dicimus, adeò vt interdum eueniat, quosdam literarũ, & artium, ac nominum sui, & amicorum obliuisci. In quo obliuionis malo tria proculdubio reperiuntur memoriæ læsæ vitia: primum cùm memoria corrumpitur, secundum cùm ex toto aufertur: & tertium cùm diminuitur, debiliterque suam actionem exerit: & licet antea statutum sit memoriam non vitiari quòd passiua potentia sit, quia tamen aliud habet munus cuius vitio aberrare põt (vt mox referam) ob id eius potentiæ symptomata in tria diuidere, vt reliquarum potentiarum institui. Et cùm vniuersa huius mali tandem symptoma sit in genere functionis memoratiuæ læsæ, ob id, quæ symptomata ex quouis læsionis genere prodeant, expendisse priùs erit operæpretium. Quippe eius corruptio eadem ferè parit symptomata, ac corruptam rationem posse proferre antea dictum est, vt in plerisque delirantibus apparet, qui varia inordinata inconcinnave loquuntur, & agunt, citra vllam vehementiam, furorem, & contentionem, sed, pacati cùm sint, & domestici, delira loquuntur. Delirat tamen & à ratione aliena loquitur homo eo tempore, non quidem ratione læsa per se, sed quòd memoria simulacra rerum, & discursus non probè referat, vt paulò inferiùs docebo. Omnimoda verò ipsius deperditio stoliditati, & intellectus, ac rationis amissioni simillima parit accidẽtia, quòd virtutes rectrices non habeant copiam specierum quibus exequantur actus sibi commissos, quia nullæ adseruantur in memoria, & ob id non iudicant, quia adhuc præsentia obiecta non cognoscunt, vel debiliter de eis iudicant: quo fit vt stolidi videantur, & infantibus similes, non autem delira loquentes vt primi. Qui verò diminutam habent memoriam, varias sortiuntur læsionis differentias: quippe inter eos qui leuiter memorantur, multi sunt qui licet facilè rerum omnium species, & simulacra suscipiant, ocyssimè tamen prolabuntur, & obliuioni dantur: alij difficulter suscipiant rerum simulacra, & species, quas vbi semel acceperint, diu tenaciterque adseruant: item nonnulli quæ leuia sunt, & suscipiunt, & adseruant, grauiora verò & maioris momenti, neque suscipiunt, neque adseruant: sicut alij è contra leuiorum obliuiscuntur, recordantur tamen eorum quæ maioris sunt momenti. Prętereà quibusdam memoria per partes perit, & partim adseruatur, vt aliquorum, cuiusuis conditionis sint, quid pereat, & aliorum aliquid adseruetur. Plerisque tamen eorum, qui sese nimis literarum studio dederunt, ob ingentem laborem memoria adeò imminuitur, vt difficulter vel suscipient, vel adseruent quæ antea facillima illis aderant. Vtcunque tamen res se habeat, vitium hoc ad cerebri posticam partem attinere proculdubio asserimus, vt Gal. latè probat lib. 3. de locis affect. aduersus Archigenem, & Arist. ponentes animæ sedem in corde.

Quæstio. Ante tamen quàm huius affectionis causas, & morbum aggrediar disputatione dignũ iudicaui, an abolita memoria (siquidem solùm est de rebus præteritis) possit aliquo modo delirium afferre (siquidem c. de lethargo statutum est ob defœminatam memoriã homines in eo delirare.) Nanque videtur memoria orbatos homines posse optimè de rebus præsentibus, & futuris iudicium elicere. In cuius dubij enodatione primò statuendum est, intellectum per se lædi nõ posse, siquidem non est potentia organo adstricta, vel organo corporali agente, sed solùm per conuersionem ad phantasmata, quo fit vt vitio ipsius phantasiæ, vel memoriæ, ad ratiocinium, vel iudicium de rebus eliciendum solùm, & per consensum vitiari possit intellectus actio. Cuius rei gratia statuendum est duplicẽ sapientiores philosophorum memoriæ constituisse actum: vnum cùm rerum simulacra, quasi in thesauro recondita diu, tanquam habitus, adseruantur, & insistunt, ita vt ipsa imaginum obseruatio memoria sit: est & alter memoriæ actus, seu vis, quum quis affectionem illam, seu similitudinem rei alterius spectat, & intuetur cum temporis præteriti cognitione, quo facta est impressio: quippe tunc meminisse dicitur, ipsaque spectandi actio memoria est, sed ratione à prima diuersa, illa, quòd imagines conseruet: hæc verò quòd ex imaginis apprehensione rem ipsam repræsentet: illa quidem passio, & affectio quædam est: hæc verò actio, quasi dicas memoria agens, & patiens. Itaq; memoria, seu recordatio propriè est rei absentis per imaginis inspectationem cum temporis præteriti cognitione repræsentatio, facta à memorandi facultate stimulata, ab imagine adseruata. Quibus suppositis, statuendum secundò est, aliud esse omnino memoriam deperdi quòd impressas imagines auferat, deleat, & veluti omnino extirpet causa aliqua, vt in hoc affectu, quem verè, & propriè deperditam memoriã nuncupamus: aliud verò & longè diuersum imagines illas adseruatas diminutè, aut prauè repræsentari, in cuius actu diminuto sita est lethargi natura, & cõditio, quia non auferuntur in eo rerum simulacra omnino, vt in memoria deperdita, quæ pertinet primò ad passiuum, & primum illum memoriæ actum, sicut lethargus ad eiusdem memoriæ verum, & secundum actum manentibus in memoria simulacris (licet eis diminutè vtatur animal) siquidem non opus est post sanitatem veluti denuo ediscere (vt accidit his qui omnino memoria orbantur) quippe mox omnium recordatur lethargo affectus. His suppositis, talis statuitur conclusio: nimirum vbi rerum species omnino à memoria excidunt, nec delirare, nec probè discurrere homines: non delirant, quia non referuntur simulacra reliquis potentijs, cum omnino eis careant sic affecti: non discurrunt, quia carent simulacris rerum

quibus practicus intellectus opus habet, manétq; bo- A mines hoc affectu detenti veluti amentes & omnia ignorantes, indigentes noua doctrina ad discursum etiam præsentium & futurorum: siquidem citra nomimum & essentiæ rerum notitiam, quæ nobis fugerunt à memoria, discursum efficere videtur perdifficile, quippe differere de re incognita nullus probè poterit: fiunt autem nobis quantumuis præsentes existant, si memoria orbentur incognitæ, quia obliuiscimur nominum & essentiæ quam didiceramus, quorum defectu nullus fiet discursus probè, neque improbe: non probè, ob rationem adductam, neque improbè, quia non delirabit homo, vt dictum antea est. Neque obstat in lethargo dictum esse delirare laborantes, quia dispar est ratio: nam in eo simulacra præsunt B in memoria, cæterum vel diminutè vel prauè æstimatiuæ aut imaginatrici (quæ etiam læsæ existunt) referuntur, & sic necessario delirabit homo, aut mente non constabit, non quidem solùm de rebus præteritis, sed de futuris & præsentibus: vt probat in lethargo correptus fidelissimus euentus, qui postulata re aliqua ipsam mox negligunt, quantumuis præsens sit, quæ ad discursum iuxta indigentiam moueat. Quibus constabit, quod licet lethargo affecti suo modo delirent, eos tamen qui deperdita laborant memoria, nec delirare, nec discurrere probè posse.

A quo morbo oriatur. A quo tamen ipsius cerebri morbo oriatur, haud obscurum est, si exactè didicisti omnes cerebri functiones fieri media eius structura aut tempora. Quo C fit vt cùm constet nullum esse in structura vitium, quod etiam caussam huic malo præstare solet vt Galen. statuit cap. citato, necessum est ad aliquod intemperamentum omnem huius mali occasionem referendam esse. Verùm licet vnanimi omnium medicorum consensu constet, aboleri memoriam, aut vitiari, vel imminui ex cerebri posterioris partis intemperie, non tamen vno consensu constat, quodnam prædicta vitia sequantur intemperamentum. Namque non minimam affectionem susceptat memorandi facultas ab exuperante humiditate, siquidem conceptorum non solum perpetuam constantiam habere non permittit, verùm etiam nullius rei stabilitatem firmumque consilium seruari posse efficit, quo amissam esse memoriam competimus, quia fluxa omnia sunt & instabilia. Dixerat enim B.T. humiditate susceptionem fieri specierum facilè, siccitate verò reseruationem: quo fit vt superante humiditate, seruari quicquam in memoria non possit. Frigore præterea omnia torpescunt, & ob id non solùm ineptà actionibus efficiendis cuiusuis potentiæ arbitran sunt omnes philosophi, verùm & summè aptum omnibus vitiandis memorandisque: sic enim Hippocrat. lib. de insania inquit: Tristatur & angitur homo, ac præter temporis rationem obliuiosus fit, dum cerebrum à pituita perfrigeratur, concrescunt & immobiles manent spiritus. In qua re statuendum est, frigiditatem fieri posse vno è duobus modis: vel calidi innati nimirum priuatione & defectu, vel intemperie frigida nuda aut cum materia succrescente. Præterea quemadmodum in omni terrestri materia nulla humiditate referta, nulla effigies fieri, vel contineri potest, pari prorsus ratione ob immodicè siccam cerebri intemperiem, memorandi facultas non tãtum inconstantem infirmamque imaginum demonstrationem præstat, verùm etiam prorsus ipsam deficere visus abunde insinuat, quia nullam suscepiat imaginum impressionem ob terrestrem ac duram conditionem. Item, licet ex Galen. 3. de locis affect. euidenter constet, & exemplo vinitoris confirmetur, à calore immodico nequaquam memoriam amitti, (nam calfacientibus & humectantibus, etiam si ex calore & exercitiis laboraret, optimè curati dixit) cum hoc tamen extant veritatis exempla, quæ monstrant optimè à calore posse lædi.

Primum sit illud vinitoris à Galeno relatum, cui ex magnis laboribus atque exercitiis memoriam fuisse læsam retulit: alterum desumitur ex Hippoc. 5. popul. tex. 78. & 7. popul. t. 82. in historia Androphali, qui ex biliosa admodum affectione ignorantia & delirio afficiebatur. Quibus sanè videtur constare, quòd licet morbum in intemperie teneamur in memoria de perdita constituere, non tamen vnum intemperiei modum ac vnam speciem, sed omnes: quod nulli alia rum animæ potentiarum contingere conspicimus. Verùm vt morbum deprauatæ memoriæ genuinum adinuenire possimus, necessum est expendere, memoriam tribus omnino actibus perfici: primus quidem est motus spiritus ad sigillandam speciem memorabilem: secundus est retentio & asseruatio specierum impressarum: tertiùs verò qui affert & resignat speciem memorabilem cogitatiuæ & intellectui, (à quibus ipsa memoria acceperat, vt super ipsam formet conceptus, discurrat, ac iudicet.) Quibus suppositis, statuendum est, primum & tertium actum omnino ac de per se lædi à frigiditate condensante stupefacienteque spiritus, ac reddente ipsos immobiles & ineptos ad sigillandam prædictam speciem, ac rursus ad resignandam eandem speciem cogitatiuæ: ex accidenti tamen arbitramur calorem prædictos actus vitiare, tum resolutis spiritibus vitalibus, tum animalibus, eos præsertim qui in postica cerebri parte vigent, vt in conualescentibus & debilibus ac diutino morbo confectis conspicimus: tum verò frequentiùs vitiari à prædicto calore scimus, cum adeò humores adurit, caloremque & humidum innatum resoluit, quòd frigiditate relicta memoria deleatur, vt vinitori contigisse est arbitrandum, cui ob frigiditatem & siccitatem relictam à calore, calida & humida profuerunt: sic enim per ingentes febres, interim dum durant, resolutis spiritibus, memoria carent laborantes, postea verò frigidus subsequitur affectus qui memoriam demit. Itaque frigiditas primò & per se prædictas duas memoratiuæ potentiæ actiones lædit, caliditas verò ex accidenti defectu spiritus & calidi humidi: quo sensi cen seo intelligendos esse authores de hac re controuersiam statuentes. Cæterum medius actus ipsius potentiæ (vt qui à modica siccitate proficiscatur) læditur D procuidubio ab excedenti humiditate, licet impensa siccitas difficilius imprimi rerum imagines cogat, sicut humiditas delabi protinus impressas imagines. Cum hoc tamen statuendum est memoriam quæ à calore moderato maior fieri tenetur, ob spirituum necessariam agilitatem, quatenus ad duas illas actiones attinet, à frigido intemperamento lædi, & eum esse morbum, atque caussam prædictarum actionum abolitarum. In qua quidem re expendendum insuper est, calorem non potuisse memoriam primò infirmare, vt rationem & imaginationem in febribus quotidie læsas ea ratione compertmus: quia memoriæ iacturam potius ad priuationem aut extinctionem ipsius potentiæ (dixerim quoad temperiem ipsi necessa- E tiam) vt senum exemplo facilè probari potest, quam ad perturbationem & virium: at imaginationis ratio nisi, læsio plerumque fit perturbatione idolorum & imaginum: atque cum caloris sit perturbare, vitiare atque mouere, & frigoris extinguere atq; priuare, ideo febrienti, vt ait Aetius, ante memoriam illa offenduntur: memoria verò tunc, cùm ad summum calor auctus est, qui vt diximus, aut spiritus dissipet, aut frigiditatem innato calido exoluto (vt in senibus) inducat. Itaque constat duobus modis memoriam aboleri: vno per susceptorum idolorum abolitionem aut interitum: idque duobus modis: aut non adductis memoratiuæ imaginibus ob spirituum torporem à frigore inductum, aut non motis imaginibus & spectris rerum ad imaginatiuam potentiam, quibus

vti

vti possit: alio verò modo memoria delitescit, quia difficulter imprimuntur imagines, vel siccitate renuente, vel humiditate non adseruante.

Causa. Causas habet deperdita memoria varias, verùm omnes duplici sorte dissectas: quædam enim memoriam imminuunt: & aliæ ipsam ex toto auferunt: ac rursus in secunda classe specialius hoc, vel illud efficiunt à multis principijs, & occasionibus sumpto exordio. Quatenus verò ad primam causarum sortem attinet, statuendum est, solam frigiditatem natam esse memoriam ex toto auferre, & solam humiditatem ipsam minuere: quod sanè dogma cùm difficile videatur, exactiori deliberatione opus habet. Cui usui in memoriam reuocare oportet quod mox dixeram, nimirum memoriam deperditam esse veram eius abolitionem, quam à nullo alio fieri, quàm à frigiditate, est arbitrandum: nam ratio omnimodæ deperditionis potissima est simulacrorum abolitio, & interitus, quæ non nisi à frigore fieri potest, vt antea probatum est: nam frigoris proprium munus est extinguere quod præest, & impedire ne aliquid aliud recipiatur de nouo: quippe cerebro existente frigido, ob extinctionem imaginum nullus insuper fit imaginum cursus, aut recursus ad imaginatiuam potentiam, & ob id defectu materiæ homo immemor, & veluti amens apparet. Neque obstet, plures esse cerebri frigidos affectus, quos nec minimam comperimus memoriæ præstare iacturam: item ab ictu, & percussione non paucos conspeximus sui, & suarum rerum oblitos: quippe non quæuis cerebri frigiditas nata est id efficere, sed ea solùm quæ condensare, & extinguere, immobilesque reddere illius partis spiritus, ac cerebri substantiam veluti solidare, ne rerum imagines imprimantur, aut referantur: & ob id reliquæ frigiditates, aut causæ alios natæ sunt mouere affectus, nõ memoriam perdere. In qua re non erat extra Gal. mentem statuere, solam cerebri frigidam intemperiem id natam esse efficere, præsertimque cùm idem author videatur insinuare frigiditatem cum humiditate, memoriam quidem lædere, cæterum interuentu alterius affectionis, nimirum somni, aut somnolentæ affectionis. Quod sanè non parum considerare conueniet ad curationem: cuius gratia non licet frequentioribus vacuationibus caput imbecillitare, vt inferius referã. Præterea dicimus diminutam memoriam non nisi ab humido fieri, quia cum cerebri substantia iusto est humidior, impressæ imagines diu fixæ durare nõ possunt, durant tamen aliquo tempore, quantum sat sit, vt constet memoriam non esse ex toto abolitam: quẽ statum diminutam memoriam appellamus. Neque minus accidit in siccitatis excessu, licet diuersa ratione: nam non quoduis simulacrum imprimitur, sed id cui vehementer mentem adhibuimus, & diu adseruare contendimus: quo fit, vt de paucis recordetur homo, qui siccum habet cerebrũ, ob difficilem imaginum impressionem, verùm ea, quæ semel apprehenderit, diu adseruet, quod est alia diminutæ memoriæ species.

Dubium. Quibus sic constitutis, suboritur non leue dubiũ, nimirum, cur leuior frigiditas quàm quæ abolitam memoriam parit, non eam diminutam efficiat, ac ex consequenti videtur difficile asserere, frigiditatem solum ablatam efficere memoriam, cum impensa humiditas plus quam diminutam possit efficere. Cui dicimus verum esse minorem frigiditatem posse memoriam imminuere, cæterùm eam frigiditatem arbitramur futuram connaturalem, non morbosam: nã senes obliuiosi fiunt, & diminutæ memoriæ, non quidem ab humiditate, quod sicciores facti sint ætatis tractu, sed à frigiditate quæ defectu caloris succrescit. Itaque frigiditas natiua non delebit ex toto memoriam, sed imminuet, quia lentè fit, paulatim, habitualiter, & naturaliter. Quo fit vt frigiditas positiua ea-

A dem intensione, ac est ea quæ senibus accidit naturaliter, non possit non auferre ex toto memoriam, præsertim cum subitò fiat, & affatim: quòd longè præternaturalior existat homini vnus gradus positiuæ frigiditatis, quàm duo, aut tres ætatis successu acquisiti: & ob id hi diminutam, ille verò ablatam, necessariò tenentur efficere. Idem etiam dubitandum esse diximus de humiditate, cæterùm statuendum est diuerso modo esse respondendum: nam parua humiditatis copia memoriam imminuet vt dictum est, & maior etiam auferet ex toto: cæterùm introducto simul, aut priùs, alio grauiori affectu, quo memoriæ abolitio delitescat, eluceatque solus alter affectus. Quod sanè probari potest exemplo apoplexiæ, lethargi, paralysis,

B & epilepsiæ, quas profectò affectiones futuras prænũciat diminuta memoria: tunc enim leuior est humoris copia, & in substantia solum cerebri sita: quòd si crescat adeò, vt natura defessa, & deuicta iam iã permittat delabi in posticam cerebri cauitatem, vel in quamuis aliam, prædictas affectiones effecturam erit arbitrandum: tunc quidem mirum non est, si simul cum alijs potentijs memoria quoque à copiosa humiditate ex toto aboleatur. Denique abolitæ memoriæ frigiditas causa est, diminutæ humiditas, aut siccitas: & in aliquibus frigiditas, & humiditas simul, aut frigiditas, & siccitas, vt senibus, quibus accidit antiquorum recordari ob siccitatem, præsentium verò minimè, ob difficilem impressionem.

C Verùm, qua via, quibusve modis, has qualitates cerebrum sibi comparet, nunc expendisse oportebit, vt non solùm ad causam medicus in curatione deuenire certò possit, sed ad causæ etiam principium, quod summopere est in arte exoptandum. Sic profectò prędictam frigiditatem capiti accersit aer impensè frigidus, vt illis contigit militibus, qui per niuosa loca iter agentes memoria omnino sunt orbati. Idem malum inducit diutina mora in auri, vel argenti fodinis, vel in antris, specubus, aut locis plurimum frigidis, & humidis: item natatio in frigidiori aqua, vel diutina, & insolita quies, aut diuturnior, & diurnus somnus, frequens crapula, satietas nauseatiua, & ebrietas, ciborũ frigidorum vsus, ac etiam medicamentorum narco-

D ticorum, timor subitus, mæstitia intensa, vel casus ab alto. Præterea cerebrum infrigidat immodica venus, studium, ac labor ingens, maximè ab ingesto cibo: item impensa cogitatio. Quarum sanè causarum quędam humiditatem inferre habent non paucam, omnes tamen frigiditatem, licet aliæ solam frigiditatem natæ sunt inducere.

Signa. Signa verò huius mali monstratore non indigent, licet causarum differentiam, ac vim, & naturam nosse summopere ex vsu sit. Quod sanè quis facilè edisserere poterit, si in memoriam reuocauerit quod paulò superiùs dixeram, nimirum abolitam memoriam necessariò à frigiditate proficisci, sit ne adiuncta humiditas, aut siccitas, duo monstrabunt: humiditatem

E primum, capitis grauitas, ac dolor etiam grauatiuus, & sensuum, ac motus leuis, & insolita noxa quæ humorem abundare attestantur, simul cum agnitione anteactæ vitæ, vel eius causæ quæ præcessit: adest insuper somnus grauior, multa oris humiditas, & in naribus frequens pituita. Sic frigiditatem, & siccitatem monstrabit senilis ætas, aut memoriæ iactura citra grauitatem, aut aliud sensibile capitis vitium: vigilia etiam, oculi caui tas, & os, aut nares omni humiditate exortes: item prægressa causa: nam veneris vsus, frigiditatem, & siccitatem, sicut studium, & labor facilè monstrabunt. Pari etiam ratione causam esse humiditatem solam ostendit imminuta memoria, in homine nondum senectute confecto, maximè si præcesserit causa humectans, vt vita ociosa, vel crapulis dedita, & intermissum fuerit exercitium, vel si defluxio aliqua saliuæ, aut pituitæ per os;

aut

aut nares abundet, vel consueta intempestiuè suppressa fuerit.

Curandi ratio.

Primò in huius mali curatione mihi sese offert damnanda perniciosa, tùm medicorum, tum hominum quorundam consuetudo, qui, cùm homines nati sint, & à prima constitutione debili memoria præditi, studeant violentis & acerbissimis medicamentis quod non amiserunt recuperare, ignorantes profectò aliud esse, deperditam memoriam ab aliqua causa præter naturam reficere, & aliud longè debilem & naturalem in meliorem reducere. Quippe non paucos studiosorum iuuenum reperies, qui seducti cupiditate & vtilitate felicis memoriæ efflagitant sibi precibus & pretio anacardinam confectionem dari: & quod deterius est, medicos etiam reperies & non B mediocris momenti, qui precibus & pretio obtemperantes, non citra magnum multorum iuuenum bonę indolis & optimi ingenij supplicium, id turpiter exequuntur: quo non pauci vel iudicio confracto vacillant, vel memoriæ nihil ampliùs recuperant, vel capitis ingentibus doloribus miserè cruciantur. Quis enim non intelligit, naturalem cerebri vel cuiusuis partis temperiem si in meliorem mutari oporteat, sensim, paulatim, leniter & blandè id esse agendum? non vehementibus & efficacissimis auxilijs, qualia sunt medicamenta quæ ex anacardo conficiuntur. Quæ cùm nihil præter naturam crassum, frigidum aut humidum in capitibus & corporibus iuuenum reperiant, aduersus quod pugnare possint, & suas vires C exercere, conterunt quidem, liquefaciunt, & omnino infirmant naturalem temperiem & substãtiam, quo mille læsionum sortes, memoria forsan deteriori facta, subsequuntur. Quapropter medicamenta quæ ex anacardo conficiuntur, & alia quæ eiusdem sunt generis, nullius sunt momenti, quinimo grãdioris damni aduersus naturalem memoriæ impotentiam: prosunt quidem & summoperè ex vsu existunt his qui lęsam, diminutam, & maximè ablatam habent memoriam, quam ex natiua constitutione felicem obtinuerant, amiserunt tamen eam vi & efficacia alicuius prædictarum causarum. Quamobrem qui debilem habent ex natura, victu exercitijs & frequentioribus studijs ac rursus & vltimo diligentiori animi atten- D tione augebunt: nam hac lege refert Galen. libr. de vtilitate resp. acquiri, inquit enim: Recordamur quibus mentem adhibuimus, obliuiscimur autem quæ secus se habent. Itaque qui memoriosus fieri studet, attentè, diligenter, frequenter animum his, quæ audierit, aut legerit, adhibeat, reliqua verò, quæ ad medicinam pertinent, leuioris sunt momenti.

Si ex siccitate vitietur.

In reliquis verò, quibus memoria læsa est ex morbo, curationem instituere oportet, si priùs consideraueris qualis præcesserit causa, qualis ve adhuc persistit: quippe in aliquibus prægressa causa non leue dãnum febre factum relinquit, in cuius curatione nulla est causæ habenda prouidentia, sed solum quod factum est, omni arte auferendum. Sic profectò, qui- E bus ex studio, curis, vigilia, venere, & quauis alia causa quæ inanitionem nata sit inferre, vel spiritus & calorem infirmare & minuere, caput frigidum efficitur, & immemor omnino, ijs vacuatoria auxilia administrare non licet, vt quæ summè nocua existant, sicut quidquid euacuare sensibiliter aut insensibiliter calfaciendo ac resoluendo potest: quippe ex huius rei ignoratione non pauci eorum qui leui negocio sanitati restitui poterant, in grauius & immedicabilius malum ac omnino factum commigrarunt. Sic sanè prædicta corpora ea arte tractabis, ac sæpe dictum est corporibus hecticis & atrophia laborantibus conuenire: hoc solo in memoriã reuocato, quòd necessum erit calidis modicè, & humectioribus, ac his quæ facilè in spirituosam & alimentosam substantiam commutari possint, perpetuò corpus reficere restaurare-

A que. Verùm, vt subsit in quauis causa auxiliorum copia, obid cuiusq; seorsum meminisse oportet, vt cuique peculiaria præsidia subsint.

Sic profectò si siccitatem à quauis prædictarũ causarum caput contraxisse compereris, nullo alio auxilio tutiùs vteris, quàm prohibita externa causa, & instituto succulento & euchymo cibo, qui facili negotio nutrituram humiditatem reparet reficiatque: quibus porriges etiam vinum rubrum dulce & dilutum: exercitium aut leue aut rarum sit, vt sudationem omni arte vitet, quinimo prolixiùs dormire studeat; & caput frequenter tepida lauare. Et si præualuerit siccitas, decocto violarum, rosarum, extremitatum animalium, seminis lini & meliloti caput ablues: prosunt B balnea ex lacte capræ aut asinæ, vel amygdalarum dulciũ, maximè si siccitati adiuncta sit caliditas: item inunctio ex butyro recenti, oleo sesamino, amygdalarum dulcium & violarum: prodest & omentum ouis nuper extractum, & sic calidum de oue adhibitum. Quòd si hæc sufficisse non videantur, ad ea quæ ore sumpta caput humectare nata sunt, mox deuenire consilium est: cuius naturæ existunt conseruæ rosarũ, violarum, borraginis & buglossę cũ diatragacantho. Item præstat conditum, q. ℞. *corticum citri conditi* ℥. 2. *conseruæ borraginis & buglossæ anã* ℥. 1. *diatragacanthi, sacchari rosati ana* ℥. ß. *specierum electuarij resumptiui* ʒ. 2. *passularum mundatarum* ℥. 1. *succi glycyrrhizæ* ʒ. 1. ß. *ouorum recentium lutea duo, pulpa-* C *rum turturum elixatorum* ℥. 4. *sacchari candi, penidiarum anã* ℥. 1. *butyri recentis* ℥. ß. *misceantur omnia contundendo in mortario, & dum laborans it dormitum, & post prandium sumat* ℥. ß. *aut* ʒ. 6. Quam sanè curandi rationem adseruabis, & eam etiam quam hecticis corporibus proficuam esse diximus, adhibitis etiam per dorsum inunctionibus ex vnguento refrigerante, resumptiuo, vel de cucurbita, vbi siccitas originem duxerit ab his, quæ vel calore medio, vel citra ipsum, exiccare vires habent. Quapropter censeo curationem hanc profuturam summopere his, qui ex inanitione, à quauis causa sit, memoriam amiserunt.

Si frigiditas adiuncta sic siccitati.

Verum si siccitati adiuncta sit frigiditas, cauendum est ab his quæ torporem inducunt, aut plus iusto hu- D mectant, & instituere oportet calfactionis tantum, quantum refrigerationem postulare visum sit. Quo malo obnoxij sunt qui algores difficulter ferunt, & in aere exercentur pruinoso, & gelido, flatibusque aquilonaribus exposito. Quo tempore frictionibus capitis vtendum est, & calfactorijs fomentis, balneis & sacculis, cum eisdem alimentis, sed conditis aromatis & rebus calidis, quæ vitu habeant calfaciendi ac reserandi corrugatas præ frigore partes, ac gignendi calidum & humectiorem sanguinem: sic carnes auium montanarum, perdicum, caponum & huius naturæ magni sunt momenti, vbi prædicto modo elixæ aromatis condiantur: assæ verò non ita proficuæ sunt, cæterùm quæ humidiores existunt, assæ proba- E tiores habentur quàm elixæ, nisi præssiùs aromatis condiantur. In qua sanè causa fugiendum est ab omni vacuatorio auxilio, licet corpus à frigidorum succorum abundantia vendicare oporteat, caput verò nequaquam.

Si ex humiditate cum frigiditate oriatur affectio.

Quòd si memoria humiditate & frigiditate simul delitescat, longè aliter rem aggredi oportebit: hoc vno in hac curatione præ habito, quòd & corpus & caput ipsum redundantibus humoribus frigidis & humidis prius expurgemus, vt topica auxilia prodesse salubriter possint. Causa enim hæc, licet memoriam imminuat, aliam etiam capitis affectionem simul accersit, cuius occasione caput purgare ac exiccare oporteat, nam solius memoriæ iactura raro caput purgandum iudico. Quapropter præter præparantia & vacuantia auxilia quæ capitibus de vertigine, lethargo & paralysi abunde adduximus, huic ministerio, frigi

dis

dis succis (à quauis causa oriantur) plenum caput disponunt mel rosaceum cum syrupo de stœchade, aut de hyssopo, cum aquis melissæ, betonicæ, & fœniculi. Conficies autem alium qui recipit maioranæ, saluiæ, balsamitæ, chamædryos, & origani ana m. i. radicum acori, corticum citri, anisi, fœniculi, stœchados, passularum sine granis aoà ℥.ß. coquantur in sufficienti quantitate aquæ, & adde post coctionem, antequam refrigeretur, cinnamomi ʒ.2. & facta colatura, adde mellis quantum sit satis vt fiat syrupus: aut huic decocto addes aliquem ex syrupis supradictis, vel modicum mellis squillitici. Quibus factis, corpus, & caput purgabis pilulis ex hiera Galeni cum agarico trochiscato: quòd si affectio inueterata fuerit, & humores pressiùs capiti inhæserint, vtendum est pilulis de assaieret, & de agarico, cum granis tribus castorij: prosunt & pilulæ indæ, cocbiæ, & arabicæ, cũ eodem castorio. Sed si affectio maioris fuerit momenti, & stoliditatis præludium, purgabis hiera logodij, hiera diacolocynthidos, vel hiera Archigenis, aut Andromachi, & alijs, quæ consimilem habeant vim.

Victus ratio.

Quo facto, in primo curationis accessu copiosiùs purgando, posteà verò per epicrasim, & interualla, necessum est sic affectis calida, & sicca tum cibaria, tum potus porrigere: & ob id vino imprimis vtantur albo, sed pauco ne caput feriat: obsonijs assis, & aromatis confectis (velut est puluis q. ℞. *piperis nigri, & longi, zingiberis, croci, cariophyllorum, anà ʒ.1. cubebarum, nucis muscatæ, amaraci anà ʒ.ß. galangæ, cinnamomi, acori, anà ℈.2.*) carnium præsertim montanarum, & syluestrium, cum sinapi, & eruca, aut cinnamomo loco salsamenti. Aquam solam omnino fugiant, vel decocta vtantur cinnamomo, aniso, ligno aloe, sallafrasa indica, radice chinæ, aut ligno guaiaco. Prolixos somnos, atque diurnos, qui sic affecti sunt, auersentur, frequenter se exerceant, circa lacus, flumina, & vliginosa loca non versentur, austrinos flatus, & pluuiosas constitutiones declinẽt, lucidam excelsam, ac ventis siccis expositam domum habitent. Quibus sic à principio institutis, curandum est diligenter inquirere, an ventriculi cruditas causam, vel saltem fomentum huic malo præstiterit: quo tempore tutissimum est principium curationis auspicari à vomitibus bis terve in hebdomada factis, quousque compertum sit ventriculum à recrementis esse immunẽ, quo subsit roborantibus, & calfacientibus auxilijs ipsi appositis locus. Posteà tamen ad vlteriorem humoris præparationem deueniendum est rhodomelle, syrupo de absynthio, de corticibus citri, cum modico oxymelite, aut squilla, cum decocto hyssopi, betonicę, serpylli, thymi, costi, & similium. Purgabis iterum caput, & corpus syrupo ex infusionibus cum agarico, aut succo carthami, vel mechoacano Indorum, aut electuario indo, aut diaphœnicone: ac si malum præualuerit, vtendum est maioribus medicamentis, quæ nuper adduximus.

Peculiaria auxilia.

Caputpurgia.

Post hæc autem ad capitis prouidentiam tutiùs deuenies: quippe tunc curandum est, pituitosi succi reliquias conterere, & caput roborare, per interna, ac externa præsidia. Sic caputpurgia quæ præcedentibus capitibus copiosè adduximus, per interualla adhibere oportet, & interim dum per palatum, aut nares aliquid expurgatur (pastillis ex mastiche, & sinapi, aut semine maioranæ, vel pyrethri, vel dilutione oris hydromelite ex hyssopo, maiorana, aut pulegio) suffumigijs probè odoratis vtendum est.

Lotiones.

Item lotionibus, fomentis, inunctionibus, & sacculis reliquias conterere oportebit, cuius naturæ est lotio quæ paratur ex aqua vitæ, aut ex vino, cariophyllis, nuce muscata, acoro, amaraco, & chamæpity in puluerem redactis, feruefacto, quibus abrasum caput mane leuiter abluatur, supersparso puluere cariophyllorum, & cubebarum. Parare etiam poteris lixiuium q. ℞. *aquæ vitæ ℥.6. caA riophyllorum, nucis muscatæ, acori, maioranæ, iuæ, anà ʒ. 1. contundantur, & infundantur in vase stricti orificij, & post aliquot dies caput illiniatur prædicto liquore.* Præstat etiam lixiuium *ex libra vna aluminis, & cineribus fæcum vini, & radicum, ac stirpium caulium, cui addes acorum, folia lauri, & iuniperi, & reliqua huius naturæ.* Illinies etiam caput stillatitia aqua per vitreum alembicum extracta q. ℞. *folia, & grana hederæ, cyperum, stœchadem, galangam, & cubebas: quę omnia aqua vitæ priùs macerabis.*

Inunctiones.

Prætereà inunges caput linimento q. ℞. *olei de amaraco ℥. 5. olei de been ℥. 2. euphorbij ʒ.2. castorei ʒ. 1. & ß. misce, & caput illine.* Præstat etiam inunctio ex oleo de pipere, de aniso, de ligno aloe, de ligno sancto, de nuce muscata, de B styrace, de belzoino, cum sesamino, liliaceo, rutaceo, & chamæmeli.

Sacculi, et pulueres.

Desuper autem sacculos ex prædictis herbis confectos apponere oportebit, maximè noctu dum laborans it dormitum: quibus addere poteris nucem muscatam, mastichem, thus, & lignum aloes: neque placet sinapismis vti, vt Aetius, & alij consulunt, nisi obliuio iam stupida apparuerit. Poteris etiã super caput inunctum pulueres spargere primo q. ℞. *carui, anisi, ameos, petroselini, apij, marathri, betonicæ, cimini, calaminthæ, pulegij, hyssopi, spicæ nardi anà ʒ. 1. maioranæ, balsamitæ, ocymi, cardamomi, & galangæ, liquiritiæ anà ʒ. 1. & ß. misce, & fiant pulueres* quos ad condienda cibaria maximi esse momenti arbitramur. Poteris etiam vehementiores efficere additis pi C peribus castoreo, & pyrethro: tandem ex omni materia calida eos poteris conficere.

Pomũ odoratum.

Cui etiam vsui poma odorata confici solent, velut est illud q. ℞. *styracis, ladani depurati, ceræ anà ʒ.5. ligni aloes, nucis muscatæ, thuris, radicis pęoniæ, calami aromatici anà ʒ.1. musci ℈.1. misce, & fiat pomum, aut pastilli,* qui per interualla naribus apponantur. Aliud etiam conficies q. ℞. *diambræ, plirisarcotici, diacori, nucis muscatæ, marathri, cariophyllorum ana partes æquales, ladani depurati quod sufficiat, fiat pomum.* Aliud etiam præstantiùs conficies q. ℞. *calami aromatici, cinnamomi, cariophyllorum, anà ʒ. 1. coriandri præparati, pulegij, maioranæ, anà ʒ. 1. & ß. pulueris aromatici rosati, & galliæ muscatæ anà ℈. 2. musci, & galliæ anà gr. 4. mellis anacardi D ni, & styracis calamitæ, anà ℈. 1. ex omnibus secundum artem in puluerem redactis cum aqua naphthę fiant pastilli ad formam nuclei dactylorum,* & naribus apponãtur subtrahendo frequenter ne diu ibidem immorentur. Conficies item aliud quod referunt authores nõ contemnendi memoriam roborare, ℞. *quidem ligni aloes, thuris, nucis muscatę, radicis pęonię, & angelicę, rosarum, aromatici rosati, anà ʒ. 1. styracis ℥. ß. diambrę, & diamusci anà gr. 6. ladani depurati quod sufficiat vt fiat pomum,* cuius aliquid super ignem proijciatur, & fumum ore, & naribus excipiat laborans.

Quę ore sumũtur.

Cautiùs autem, & prudentiùs oportebit medicamentis memoriam roborantibus vti, dum per os sumenda sunt, vt quæ maius facessant negotium, & nõ E leue afferant damnum, si quis eis imprudenter vtatur: quapropter à leuioribus sumpto initio, sensim ad efficaciora est progrediendum. Sic interim dum hęc præsidia quæ nuper diximus fiunt, *tertio quoque die theriacę ℈. 2. aut 3. vel mithridatij porriges:* cuius etiã efficaciæ est zingiber conditum cum olibano, & pipere. Præstat confectio, q. ℞. *minę myrobalanorum chebulorum lib. 1. piperis longi, & nucis muscatę anà ʒ. 3. musci ℈. 1. misceantur, & dosis sit ad ʒ. 2.* Mirabilis, & maioris efficaciæ est alia confectio q. ℞. *zingiberis, galangę, macis, cimini, origani anà ʒ. 2. nucis muscatę, cassię ligneę, mastichis, calami aromatici, asari, ligni aloes, seminis apij, ameos ana ℈. 2. thuris, cariophyllorũ, cardamomi, zedoarię, pyrethri, castorij, piperis longi, costi, cyperi ana ʒ. 1. menthę siccę ʒ 1. & ß. terantur, & puluerizentur, quibus adde penidiorum ℥. 1. & ß. mellis despumati quod sufficiat, & fiat confectio.* Conficies

iterum

iterum aliud paulò efficacius, q. ℞. *myrobalanorum indorum, emblicorum, & bellericorum anâ ℥. 1. & ß. piperis longi, olibani, zinziberis, rosarum violarum anâ ʒ. 2. dragachanti ʒ. 3. spodij, coralli, mastichis, serici subtiliter puluerizati anâ ʒ. 2. & ß. musci ℈. 1. mellis anacardi ℥. 1. cum syrupo rosarum fiat confectio.* Sed expendendum est, mel anacardinum solùm esse conficiendum huic vsui per infusionem anacardorum viridiū in melle, & citra expressionem facta mellis colatura: quòd si virides anacardos habere non possis, vt Arnaldus consulit, sume anacardos, & molliter frange, & in aceto fortissimo, post infusionem septem horarum spatio habitam, eo vsque coquere finito, quousque tertia aceti pars remaneat, cui, facta leui colatura, adde quadruplum mellis, & lento igne ad mediocrem spissitudinem coquere finito, & huius mellis minori veteris quantitate. Sic conficito aliud, q. ℞. *cinnamomi, rosarum, cardamomi, balsamitæ, maioranæ corticum citri anâ ʒ. 2. myrobalanorum omnium anâ ʒ. ß. mellis anacardini primæ compositionis ℥. 1. aut secundæ compositionis ℥. ß. & cum syrupo rosarum, vel borraginis fiat confectio.* Efficacius tamen conficies, sed his maximè qui iam dementari incipiunt q. ℞. *mellis anacardini secundæ compositionis, olibani, cyperi, acori, anâ ℥. 1. piperis vtriusque anâ ʒ. 1. & ß. myrobalanorum chebulorum, & indorum anâ ʒ. 1. mellis quod sufficiat, fiat electuarium, cuius porrigere poteris ʒ. 1.* Sed harū compositionum quæ *anacardum* recipiunt, sat est *ter quaterve in mense* vti, præstitis inter vnam, & aliam exhibitionem alijs quæ anacardum diximus non recipere: inter quæ non minoris momenti est id q. ℞. *cyperi, olibani, piperis, croci, myrrhæ anâ partes æquales, cum saccharo fiant tabellæ, quarum sumat laborās dum it dormitum ʒ. 1. & summo mane, vel theriacæ, vel nithridati modicum.*

Maiora auxilia. Quod si hæc omnia profuisse non videantur, iterum ad purgandum corpus, & caput te conferes, ac postmodum corpus decocto ligni guaiaci, aut radicis chinæ sudare coges, vel balneis sulphureis committes: quinimò ipsam aquam sulphuream epotam summopere prodesse conijcito: sic enim in vasis sulphure coopertis politis, & vitriatis aquam, aut vinum bibant laborantes, vel quæ diu ibidem adseruata potio fuerit, aut quæ in vasis ex ligno aloe, vel ex ligno hederæ factis, aut ex styrace diu adseruata fuerit. Verùm si nihil horum profuerit, scito nihil æquè beneficium præstaturum, ac fontanella altero brachiorum affixa præstare poterit, vel seto occipitio infixus.

CAPVT XX.

De visus debilitate, defectu, & alijs vitijs.

Licet oculus vnum sit, & vnius actionis instrumē tum, puta visionis, nihilominus tamen adeo est mirabilis, & numerosæ structuræ, vt mirum non sit, si harmonia, & partium simplicium varietate, ac figura reliquas omnes superet: quo profectò fit, vt multis occasionibus visum deperdi contingat. Constat quippe oculus tunicis, humoribus, musculis, neruis, palpebris, & insuper indiget spiritibus, ac certa etiam figura, magnitudine, & situ ita gaudet, vt si quouis modo à dictorum aliquo deflectat, vel alijs abundet, protinus visio, vel ex toto auferatur, vel vitietur, aut diminutior fiat. Verùm licet mille modis prædictæ partes affici possint, hic tamen solùm studui eos recē sere curareque affectus, quibus primò & per se videndi functio oblæditur. Verū ne cui desit generalis quędam notio affectuum omnium, qui oculis, & partibus eius accidere possunt, studui transcribere eorum omnium summam quandam, quam neotericorum quidam disertè scripsit, qua complectitur omnes morbos cuique oculorum parti succrescentes.

A Sic profectò palpebris inter alia vitia cæteris partibus communia, succrescit aliquando Emphysema, tumor laxus œdemati similis, palpebræ inflationem Latini nominant. Item Sclirophthalmia, difficilis palpebrarum motus cum dolore, ac rubore. *Palpebrarum morbi.*

Xirophthalmia etiam corripiuntur, qui pruriginosus est sine fluore palpebrarum, & adnatæ affectus.

Adest & Psorophthalmia, quæ pruriginosa est palpebrarum scabies. Præterea Ptilosis, palpebrarum crassities callosa, & rubicunda, cum pilorum defluuio.

Sic Ectropion, palpebræ inuersio propter cicatricem, aut carnis excrescentiam.

Succrescit etiam palpebris Ancyloblepharon, hoc B est palpebrarum cum adnata inuiscatio, seu agglutinatio, ita vt aperiri non possint.

Item Lagophthalmos, id est retractio superioris palpebræ ad superiora, ita vt laborans apertis oculis cogatur dormire, quod Auicen. leporinos oculos vocauit.

Trachoma, scabrities interna palpebrarum est, seu asperitudo in fissuras discissa, aliquando in eas eminētias exuberans ad ficus similitudinem, vt Sycosis dici mereatur, & à Latinis ficosa palpebra: quæ si in callum commigrauerit, Tylosis dicitur.

Adest & pinguis quædam superioris palpebræ sub stanna, adeò grauans, vt vix attollere oculos sinat, sed cùm assiduis fluxionibus, appellata quidem Hy C datis, quòd palpebra hydropico ventri persimilis existat, ob id à nonnullis palpebrarum aquositas nuncupata.

Eidem parti succrescit Chalazion, tuberculum rotundum, & translucidum, ac vbique mobile, & ob id à Latinis dictum grando.

Sic Crithe abscessus est exiguus, & oblongus iuxta palpebræ cilium marginemve ortus: Hordeolum Latinis appellatus, quòd grano hordei similis sit.

Adnascuntur etiam palpebrarum pilis exigui pediculi non parum infestantes, Pediculationem nonnulli nominant.

Item eisdem palpebris pili inuersi oculos offendē D tes adnascuntur, affectio Trichiasis nuncupata.

Sic è contra alia succrescit, in qua natiui pili procidunt, Madarosis, seu pilorum casus, vel Glabricies palpebrarum nuncupata.

Pari prorsus ratione succrescit huic affectioni alia omnino contraria, videlicet cum sub naturali pilorum palpebræ ordine alius adnascitur ordo, Distichiasis appellata.

Sed est etiam huic finitima alia, Phalangosis dicta, cùm præter id quòd plures sint pilorum in infima, aut suprema palpebra ordines, omnes tamen in oculum inuersi sunt, & non parum molestanes.

Est & Lithiasis, id est cùm in palpebris gignuntur granula, seu prominentiæ quædam candicantes, lapidis instar oculum prementes: quæ sanè affectio ad E Chalazion facilè poterit reduci.

Vlmmò tamen palpebræ aliquando sunt instabiles, & id vitium Hippos, seu Equus dicitur.

Adnatæ membranæ affectus sunt, primò quidem Taraxis, quæ nihil aliud est, quàm humiditas oculi cum rubore, & calore præter naturam, causa aliqua extrinsecus accedente, vt sole, fumo, ac puluere, vel oleo: Arabibus perturbatio appellata, vel Ophthalmia leuis. *Adnatæ membranæ affectus.*

Ophthalmia item eidem parti accidit, quæ est eiusdem tunicæ inflammatio, à Latinis dicta Lippitudo.

Alia etiam est Ophthalmia, magna ab aliquibus dicta, Græcis tamen Chemosis, & Auicen. Aluardegi nuncupata: quæ sanè tunc fit, cùm vtraq; palpebra præ inflammatione adeò peruertitur, vt oculi vix aperiantur.

Pro-

A Pterygion est oculi vngula, seu neruosa quædam adnatæ tunicæ excrescentia, à maiori angulo vt plurimum orta, oculum magnitudine, varijs coloribus, duritie vel mollitie oblædens.

Corneæ tunicæ affectus.

Sunt & in cornea exiguæ quædam pustulæ, veluti quædam bullæ supra ipsam eminentes, Phlyctænæ à Græcis dictæ, & ab Auicen. vesicæ. Verùm ex varia earum figura, varium ipsis succrescit nomen: nam cùm cauum & purú in cornea existit vlcus, Bothrion dicitur, & Latinis Fossula, sicut Auicen. annulus. Verùm cùm vlcus est latius & minus profundum, Græci Cœloma appellant, Auicen. Lilimiam seu lilimie: sicut & Argemon vlcus etiam est in pupillæ circulo nascens, ambientia comprehendens, & in intimo eius album existens, sicut in extimis rubicundum. B Est & quartum vlcus Epicauma dictum, sordidum, imputum, & crustosum, Auicen. vlcus adustiuum nuncupatum, quo repurgato incautè humores oculi sæpe effluunt.

Hypopyon est, quando pus sub eadem cornea, nunc altius, nunc in summa superficie coaceruatur, Auic. saniem in Siphac appel. Carcinoma erit ipsius corneæ cancer, immenso dolore & rubore punctorio crucians, seseque vsque ad tempora extendens.

Vueæ tunicæ affectiones.

Vitiat videndi munus vitiata vuea vno è tribus modis, videlicet propter foramen praua figura affectum propter tunicam ipsam, aut ob humorem intra ipsam contentum, quo exiccari aut collabi contingit. In primis procidit aliquando rhagoeis erosa C ruptaue cornea, quæ generali nomine Proptosis dicitur, & varias etiam sortitur nomenclaturas, pro figura ac modo eius quod procidit. Nam si fuerit exiguú, & capitis muscæ formá referens, Myocephalon Græcis nuncupatur, Auicen. verò formicalis ruptura. Verùm si adeò creuerit, quòd vuæ acinum representet, Staphiloma, seu vuatio dicitur, & Auicen. vuam nominat. Quod si augeatur vt extra palpebras immineat, Melon dicitur Græcis, & vesicalis ruptio Auic. At si obducta cicatrice obdurescat in callú, Clauus seu Claualis ruptio appellatur.

Pupillæ affectiones.

Vitiatur pupilla quatuor modis, distorta nimirú, distrupta, dilatata, & minor facta. Dicitur pupillæ diffusio vel dilatatio Latinè, apud Græcos Mydriasis, D & Auicen. Alintisar, cùm videlicet vltra modum pupilla dilatatur & iridis circulo similis efficitur. Hunc affectum incurabilem arbitratur Auicen. cap. de Altenear, dum à causa fit externa, ictu nimirum aut casu, cum hoc tamen censeo, si citò ægris subueniatur, curari posse, vt idem author refert in fine curationis in proprio cap.

Est & Pthisis oculi seu tabes pupillæ, corrugatio atque angustia, quam affectionem Auicen. constrictionem pupillæ appellat.

Huic etiam parti accidit Hypochysis, à Latinis suffusio appellata, & vulgariter cataracta, quæ nihil aliud est quàm congelatio vaporis seu humoris effusi inter corneam & Crystalloidem.

E Accidit etiam crystallino humori id vitium, quod Græci Glaucoma appellant, factum quidem ex eius mutatione in glaucum ob humiditatem.

Adnatæ & corneæ communes affectiones.

Albugo nuncupata est affectio vtrique membranæ communis, à Græcis Leucoma dicta, licet, vt Paulus refert, nonnihil intersit discriminis inter Albuginem, & Leucoma: nam illa tenuis est & in superficie sita, dicta à quibusdam nebula: Leucoma verò profundius permeat, vtraque tamen nomine cicatricis insignitur.

Est & in eisdem partibus Hyposphagma seu Hypopyon à Græcis dictum Tarfati ab Auicenna affectio quidem, in qua sanguis coaceruatur ob ictum aut percussionem, fractis & contusis vasis in exoma cuius parte: Latini suggillationem vocant, Gal. sanguineas effusiones, αἱματώδεις ὑποχύσεις.

Angulorum oculi affectus.

Accidit internis oculorum angulis Ægilops, abscessus inter maiorem oculi angulum & nasum factus, qui in fistulam cum ossis vitio plerumque degenerare solet.

Eidem etiam angulo Encanthis succrescit, caruncula quidem supra iustum modum excrescés, carnis lacrymalium additionem Auic. appellat.

Rhyas præterea eiusdem carnis lacrymalium decrescentia vocatur. Epinyctis vlcus eiusdem partis perpetuò manans appellatur à Plinio lib. 20. cap. 6.

Apotrixis est, quando meatus à cerebro ad oculos descendens, ex ictu capitis vel casu diruptus est.

Neruorũ opticorũ affectiones.

Paremptosis verò dicitur obstructio, siue concidentia nerui optici, à Latinis Gutta serena nuncupatur.

Symptosis autem dicitur, cum meatus ille ex tabe constrictus & densior factus existit, aut conuulsione vel alia intemperie cum materia distortus.

Humoris crystallini affectiones & hæ quæ in cõspicue sũt ac visum lædunt.

Crystallinus si à sua sede dimoueatur versus sinistram aut dextram partem, affectus Auicennæ Strabositas dicitur, Latinis distortio oculi, & obliquus aspectus. At licet pueris etiam accidere conspiciamus, potius conuulsorium oculum mouentium musculorum motum censemus, quàm pupillæ distortionem. Verùm si pupilla sursum aut deorsum vergat, duplicia omnia apparebunt: si in profundum vergat, mutabitur naturalis oculi color & apparebit veluti color stibij: si verò promineat, color oculi erit cæruleus.

Atrophia etiam huic parti accidit (ac forsan reliquis) quo oculus minor longè efficitur: quem morbum Celsus imminutum oculum, & Auicen. profunditatem oculi appellat.

Huic contrarius accidit alius affectus Ecpiesmos nuncupatus, ab Auicen. exitus oculi dictus, nos verò expressionem oculi vocamus.

Cæterùm à modo læsionis in visu, aliæ non parui momenti succrescunt affectiones, velut est Myopiasis, vel Myopia in quo malo laborantes non, nisi quæ prope oculos sunt, cernere possunt: Lusciosos multi appellant sic affectos.

Est & Nyctalopia, seu nocturna acies, vitium quo quis interdiu quidem videt, occidente verò sole obscuriùs, noctu verò penitus cæcitudo succrescit.

Huic parti etiam accedit Ambiyopia, seu amaurosis, quæ visus obscuritas seu hebetudo dicitur.

Affectus qui omni oculo accidere possunt.

Epiphora seu impetuosus humorum fluxus ad oculos dicitur, quibus perpetuò lacrymantur: vulgariter dicitur lacryma.

Rixis est ruptura ab ictu, vel alia quapiam causa, quæ adeò rumpat membranas, quòd humores etiam ibidem contenti effluant.

Adest & Paralysis, seu resolutio oculi, quæ est vbi obliquæ motiones & quæ sursum aut deorsum fiunt, expediri non possunt.

Atque hæ sunt omnes oculorum affectiones, quarum multis rationibus hac in parte non studui seorsum meminisse: & ob id silentio prætereo, & visus debilitatis naturam aggrediar exponere.

De visus debilitate.

CVm visum debilitari multis modis contingat, & ab alijs suboriatur causis, necessum profectò est, ad vltimum apicem (vt aiunt) vnamquamque distinguere, vt cognita cuiusque natura & conditione, facilè cuique etiam sit, præsidium adinuenire aptum & proficuum. Ocularia enim medicamenta hac sola ratione multis non profuisse constat, quia ob causæ ignorationem, inconuenienter & importunè adhibentur. Debilis igitur efficitur visus, causa mali euidenter & conspicuè in oculis apparente, vel causa ipsa delitescente, & oculis nihil ad sensum pati apparentibus. Cuius sanè affectionis & ex hac occulta causa

octæ,

ortæ, meminisse hoc capite institui. In quo vitij genere plures comperimus symptomatum, seu vitiorum differentias: quippe ex his quibus visus imminuitur, seu obtenebratur, quidam quasi oculorum impotentiam dicas, patiuntur: nimirum quando adeò infirmi sunt oculi, vt si velint legere, vel lumen intueri, aut rē albam, vel distantem, nequeant id tolerare, sed cogūtur visum conniuere, & lacrymantur. Quidam non nisi admota oculis cernunt, eaque palpebris constrictis, atque conniuentibus, & iuxta oculos posita, quæ si procul separes, aut nihil, aut debiliter cernere possunt, quem sanè affectum Myopiam Græci vocarūt, malum quidem sępè à natiua hominum quorundam constitutione contractum, reddensque ipsos lusciosos, vt multi nominant: licet Plinius alios appellet lusciosos, vt refert, & probat etiam Donatus. Cui sanè malo aliud haud dissimile succrescit, in quo etiam homines diminutè cernunt, cæterùm diuerso modo: nimirum cùm interdiu quidem videant, sole verò occidente obscurius, noctu autem nihil: quod malum Nyctalopem medici appellant. In quo sanè alia etiam reperitur debilitatis visus differentia, videlicet, cum visus interdiu obscurior, & debilior existit, noctu verò acutior, & validior, multi vespertinam aciem nuncuparunt, cuius caussam suo loco referam. Alia insuper est visus debilis differentia, in qua qui affecti sunt propinqua cernere nequeunt, siue magna, siue parua sint; sed velut in confuso citra vllam distinctionem percipiunt: longiùs verò dissita acutiùs, & distinctiùs cernunt: affectio quidem primæ affectioni contraria. Sed præter has omnes, aliæ duæ visus obtenebrationes repetiuntur, quarum primam medici appellāt Amblyopiam, secundam Amaurosim, ambæ quidē morbosæ visus affectiones, cùm videlicet hebetior est, vel omnino sublatus: hæc quidem cùm nulla caussa euidens in oculis apparet: vnde à recentioribus gutta serena dicitur: illa verò euidentiores habet caussas, præterquam quòd eius vitium noctu diuque, longiùs positis obiectis, & propinquis semper diminuta appareant, appellatur verè visus offuscatio, seu obscuritas. Prætereà his omnibus malis addere oportet aliud vitij genus, in quo res, vel duplices, vel distortę, vel à propria sede prolapsæ, aut perforatæ conspiciuntur. Ita in videndi actione caussa existente occulta, triplex quoque symptomatum genus suboritur: vnum in omnimoda visus ablatione, vt in gutta serena contingit: aliud in diminuta videndi actione: tertium verò & vltimum in actione videndi corrupta, & omnino vitiata, non quidem quòd mutato apparenter obiecti situ, vt in vertigine fiat, sed in reali, & vero obiecto percepta aliqua apparente mutatione. Itaque cùm visio sit clara, & distincta obiectorum visibilium in naturali quadam distantia, & certo etiam claritatis modo perceptio, cùm citra euidentem, & conspicuam in oculis caussam in proprio munere deficit, eo modo quo expositum est, visus diminutio dicetur, affectio quidem in genere symptomatum actionis deprauatæ, aut ablatæ, sed præcipuè diminutæ facultatis visotiæ posita.

A quo morbo, et à quibus caussis, oriātur predictæ affectiones.

Quem autem morbum sequantur prædicta symptomata, nemo exactè perdiscere poterit, qui nō priùs cuiusque differentiæ caussas adinuenire studuerit. Sic profectò omnimoda visus priuatio perspicuis existentibus oculis, à morbo in via, nimirum à neruorum opticorum obstructione oritur: quam fieri à crassis viscidisque humoribus, aut aquosis, sed in grandinis formam conuersis, certum est. Constat enim sic necessariò fieri, quia subitam, vel momentaneam habent generationem: accedit Galeni sententia lib. 4. de locis affect. cap. 1. qui id malum quoque refert ab inflāmatione proficisci, vel à scirrho prædictorum neruorum, licet id rariùs accidat. Placet tamen generali quadam methodo vniuersas caussas symptomatum ad oculos attinentium complecti eo vtendo discursu quo Galen. lib. 1. de caus. symptom. cap. 1. & 2. Imminuitur itaque visus, vel cerebri, & opticorum neruorum læsione, aut vitio spirituum, aut tunicarum, & humorum iactura, & euersione. Cerebrum enim vt instrumentum est vitiatur, quia obstructum, vel compressum, aut malè vulneratum ex toto, aut ferè visum aufert, vt constat in lethargo, & catoche, & catalepsi: item in grandi ictu, aut casu. Imminuitur verò læso ipso, vt pars similaris est, ob ipsius intemperamētum: sed qua ratione id fiat, non satis compertum est, cùm constet in grandi cerebri incendio, aut refrigeratione id vitium in oculis, & visu non apparere, & vbi remissiores subsunt huiusmodi qualitates, facilè elucescere. Ratio profectò est, quia solum id malum natū est efficere id cerebri intemperamentum, quod factum, & habituale sit, & natum spiritus visui ineptos reddere: nam hos solùm efficit, vt tale temperamentum innatum naturales, ita præter naturam vitiosos, & visui, ac reliquis actionibus ineptiores. Prætereà spiritus visioni officiunt (vt variè vitiari possunt) ita varijs modis: nam vel paucitate, seu inopia, crassitie, tenuitate, vel impuritate lædunt, vt mox referam. Item humor crystallinus vitiatur ob situs mutationem, ob colorem mutatum, ob prauum substantiæ modum, & ob ineptum temperamentum. Mutant enim sitū, vel vniuerso oculo euerso, vt in ebrijs quibus res duplices apparent, quia oculi varium contrahunt situm ob neruum opticum à vapore nimio laxatum. Mutat insuper situm solus ipse humor cum à sua sede dimouetur: quo tempore si sursum, aut deorsum vergat, pari ratione res duplices apparent: si verò ad alterum angulorum, paruissima succrescit in visu noxa, appellatur hæc affectio strabositas: quæ plerunque dū morbosa est, & non natiua, à conuulsione alicuius musculorum, vel resolutione contrarij proficiscitur. Prætereà læditur eius color, dum glaucoma efficitur, siue id sit ex mutatione propriæ substantiæ, siue ex addito humore concrescente in ipso. Item intemperatur, & visioni officit non à quauis intemperie, sed ab ea quæ tāta fuerit mutare substantiam: dixerim inducere secundam qualitatem, nimirum crassitiem, tenuitatē, soliditatem, & reliquas quibus certum est visum offendi. Vitiatur etiam continuitatis suæ solutione, ac res perforatas conspicit ad modum diuisionis, haud secus, ac dum aliquod corpus antestat crystallinum humorem, non tamen vniuersum occupans. Lęditur etiam visus ob rhagoidis, vel vueæ tunicæ vitia, quæ sunt in duplici differentia: nam vel tunica malè afficitur, vel foramen: quippe tunica, vel prosilit ceratoide, seu cornea exesa, & si procidentia parua fuerit (pręter id quod affectio in vniuersum appellatur proptosis) ad muscæ similitudinem appellatur myocephalon: ac si ad modum fuerit vuæ acini, staphyloma dicitur: quod si extra palpebram immineat, melon, seu vesicalis ruptio, aut clauus si obduruerit. Cùm verò hæc tunica colorem mutat, eundem repræsentant res visæ: sicut in alijs eius affectionibus diminutæ cernūtur. Huius autem foraminis vitia quatuor annumerat Galen. angustiam, dilatationem, dirupnonem, & distorsionem: quorum hæc duo parum immutant visum, reliquorum verò, angustia parum etiam: verùm si natiua fuerit, acuit potius, at amplitudo vtcunque sit, semper lædit. Prodit vtraque à siccitate, aut humiditate, cæterùm diuerso modo: nam amplitudo prodit ab humiditate lædente tunicam, vt pars organica est: quippe vel replet eius cauitatem, quo foramen dilatari est necessum, vel substantiam vitiat tumorē efficiendo, ac morbum subinde in magnitudine, qui distendat etiam foramen, vel à siccitate contrahente tunicam, quo amplius redditur foramen. At humiditas laxans tunicam, vt similaris est, coarctat foramē, siccitas verò quæ aquam in cauitate tunicæ contentam

tam conterit, collapsione, & corrugatione facta foramen angustat, sicut illa quæ ipsum foramen in circuitu corrugat: quæ omnia visum hebetiorem reddunt, ac superdilatatio luciosum efficit hominem, & affectio dicitur mydriasis lædens ex dissipatione spirituũ & separatione eorum. Vitiatur insuper visus ob læsionem humoris aquei intra vueam contenti, qui aut imminuitur, & efficit phthisim: aut crescit, & similiter diminutam reddit aciem, ac si per aquam fieret visio: vel mutat colorem, & eiusdem coloris omnia apparent: aut crassescit, & diminutè etiam cernit homo: aut tenuatur, & ob visus disgregationem, vel lacrymatur homo, vel cernere probè nequit, vel miscetur alteri humori, & illius coloris apparent omnia: vel concrescit, & in suffusionem commigrat, vt suo loco latiùs leges. Hæ itaque sunt omnes causæ quibus visus offenditur. Nec desunt aliæ ex vitijs corneæ, quæ sunt crassities citra humoris fluxum, dum substantia eius crassescit. Prætereà adest densitas, vbi non aucta profunditate pori angustantur. item humiditas qua similaris pars ex affluente humore humescit, instrumentaria verò vbi idem fluxus poros corneæ præter naturam mutat: insuper color alienus, qui & obscuritatem, & vitium in imaginatricem infert. Prætereà vlcus quod visum lædit ob affluxum humoris, & propter corneæ tenuitatem, & fluxum albuginei, ac ob cicatricem relictam: vltimò propter vngulam, aut nubem. His præhabitis ad speciales causas diminutæ visionis accedere æquum iam est.

Diminuta autem visio, vt varias habet species, ita non procedit ab vnica morbi ratione, neque ab vna causa, sed à varijs, & longè diuersis, iuxta cuiusq; speciei rationem, & naturam. Sic profectò res se habet in Amblyopia, & Amaurosi, quæ licet neruorum opticorum vitia sint, & vtraque ab eorum obstructione prodeat, cum hoc tamen differunt inter se, licet sola maioris, aut minoris ratione: verùm in visus obscuritate, offuscatione, seu hebetudine potiùs à caliginosis, & crassis vaporibus prædictos neruos obstruentibus, quàm ab humoribus prodit. Dissidet tamen hæc hebetudo ab ea quę fit in Myopia, loci affectu, & multigena causarum diuersitate, vt mox referam. Myopia itaque vt variè visui officit, sic ipsum diuersis causis, & modis afficit: nam prodit eius quæuis species ab vna, vel pluribus ex tribus causis quas nuper memorauimus: nimirum ab spiritus visorij vitio: vel ab humorum oculi aliqua iactura: & vltimò ex tunicarum ipsius praua habitudine. Atque licet tantùm in genere has tres causas reperire liceat, nihilominus tamen quæuis earum multis, & varijs modis adeo diuersificatur, vt qui id diligenter non calluerit, sicut nuper exposuimus, nullo modo possit affectioni debitum præsidium adsciscere. Spiritus quippe vno è quatuor modis visioni officere habet: paucitate nimirũ, seu inopia: vel vbertate: crassitie, vel tenuitate nimia: & vltimò impuritate, seu admixtione extraneæ, & opacæ substantiæ.

Dubium. De spiritus verò paucitate non leuis succrescit dubitandi ratio, constituat ne morbum ad quantitatem vitiatam attinentem, vt reliquæ oculorum substantiæ dum deficiunt, an ad temperamentum: & vt summarim dicam à vitijs organicis, vel intemperiei sejungatur, quod verius esse arbitror (licet ipsis spiritibus deficientibus quodammodo vniuersa oculi quantitas imminui videatur, & ad ipsius vitia reduci,) quia neque temperie, neque figuræ mutatione corrigitur prædictum vitium, sed solùm peculiari quadam prouidentia, multa & proba alitione instituta. Sic profectò spiritibus deficientibus visus imminuitur, siue id fiat leui aliqua obstructione, siue ob defectum ex aliquo affectu præsenti, aut præcedenti, qui plus iusto spiritus dissipet, siue vitio cerebri nequeuntis ob impotentiam caloris quantum eorum sat sit generare, siue

A ob immodicam ad reliqua sensoria distractionem. Quapropter reduci debet hæc affectio ad causam, seu affectum à quo spiritus diminuuntur, & statuendum est oculos per consensum pati.

Dubium. Sed dubitant hac in parte authores, subsequi ne etiam possit idem damnum in visu ab spiritu exuperanti, & in maiori copia, ac à diminuta: non enim ex abundantia causæ naturalis minus damnum subsequi scimus, quàm ex defectu. Qua quidem in re statuendum est, abundantiam spirituum vno è duobus modis fieri: vno ex efficacia causæ generantis, altero verò, defectu causæ distribuentis. Quo supposito, abundantiam spirituum ex efficacia, & vbertate causæ generantis, nullo modo posse læsionem visui, neque alijs B spirituum actionibus, inferre arbitramur: abundantiam verò, quæ fit vel ob subitum, aut intempestiuum retrocessum, vel ob improsperam distributionẽ, posse quidem lædere. Sic enim calor natiuus, & spirituũ copia, quamuis crescat, si lentè fiat, vt hyeme, & vere contingit, cordi non posse officere certum est, quia causa vegetior, & efficacior ad eosdem spiritus, & calorem generandos redditur: sic enim inquit Hippoc. per ea tempora copiosiora alimenta sunt adhibenda. Verùm in ira, timore, ac alijs pathematis, in quibus spiritus, vel non distribuuntur, vel violenter retrocedunt, proculdubio cor ex abundantia læditur, adeò vt suffocatione non rarò periclitari conspiciamus. Sed cùm in oculis id contingere non possit, nisi C ex diuturno somno, aut ex diutina mora in opaco loco, fit profectò vt abundantia non lædat, aut id debiliter, & per breue admodum tempus.

Crassities verò spirituum adeò visionem obscurat, vt nisi quis obiectum à longè intueatur, distinctè quicquam cernere minimè possit, tantoque longiùs quanto plures fuerint spiritus: nam si pauci sint, procul aspicere nequeunt: indigent enim crassi spiritus, quos frequenter senes generant, attenuatione, quam proculdubio obiecti distantia præstat, qua & lucidiores, & tenuiores efficiuntur. Nam cùm probabilioribus rationibus constet, visionem fieri per extramissionẽ, & intus susceptionem simul, necessum profectò est, vt species, & simulacra rerum sensorijs aliquo modo D similes fiant, & depuratiores, ac aptiores, vt sensus iudicio discernantur, visiuo spiritu prodeunte ab oculis, & ob id ante oculorum subingressum disponi prædictas species dilucidarique oportuit. Requirit sanè spiritus exiens peragi ad certam distantiam, quod nequit fieri si crassior sit, & terrestrior, nisi per lucidius spatium (quo magis illuminetur) & distantius (quo tenuior fiat) moueatur, & se se extendat: distantia itaque opus est, vt tenuis factus lumine medij munus prædictum commodiùs perficere possit. Reducitur quidem hæc affectio ad morbum in vitio temperamenti, ortum à crasso sanguine, aut vapore crassioris alimenti.

Tenuitas enim spirituum, quæ ad idem morbi E genus plerumque attinet, natiua forte non rarò contracta, nequit nisi quæ propinqua sunt percipere, idque meliùs semiclausis, & nictantibus oculis quam apertis, nisi copiosi existant: tunc enim paulò, distantiùs cernunt, vt si pauciores sint longè minus: dissipantur enim tenues spiritus naturali adhuc lumine, & ob id propè oculos ante dissipationem acutiùs cernunt. Quo sanè fit, vt in loco obscuro, ac forsan noctu meliùs se habeant, vt de vespertina acie dictum est, quia ambiente aere crassiore, & minus illuminato, animalis quoque spiritus cogitur: nam tenebris colligitur crassescitque & frigidior redditur: quamobrem minima cernimus, sed proximè posita, vt aduertit Galen. lib. 1. de sympto. caus. capite 1. Quippe qui noctu clariùs vident, id profectò vna è duabus causis efficiunt, vel quia igneos habent oculos, vt quibusdam animalibus

A bus contingit, vel quia subtiliores spiritus tunc minus dissipatur lucis splendore fugato.

Admixtione etiam extraneæ substantiæ non tarò spiritus visioni ineptiores redduntur: sic profectò, qui vinum copiosius ingesserunt, aut crassa cibaria, vel qui vertigine corripiuntur, prædictam obtenebrationem sæpissime pati assuescunt, caliginosis factis spiritibus ipsis. Contingit quidem has causas adeò vanè complicari & in vnum visionis vitium coire, vt vel affectio alterius sortis videatur, vel altiorem prærequirant considerationem, ob fucatam mutationem, quã præ se ferre videntur. Quapropter qui multos subtiles & lucidos habent spiritus, atq; in vnum coactos, nullo aliunde impedimento accedente, ij omnium vident acutissimè: reliqui verò vtcumque disponantur, B sunt præter naturam: quippe subtilis, paucus & lucidus, subtilitate facilè defluit, paucitate resoluitur, & luce maiori offenditur, ita vt remota cernere nequeant, propinqua exactè discernant, & obscuriore paulò acie oblectentur: quibus si amplior sit pupilla, cæcitas proximè accedit: si verò pauci sint spiritus & crassi, paucitate hebetior visus est, crassitie obscurior: quo fit vt lumine egeant externo, & ob id diu acutiùs cernant, obscurescente aere parum aut nihil: at in quibus multi sunt spiritus et crassi, longe posita obiecta præstantiùs cernunt, quia opus est copiosiori luce.

Sed tempus iam est ad oculórum humores, & tunicas peruenire. Hebetat quidem visum, humorum, C quibus oculi constant, inopia, & aliquando etiam copia maior, quam secundùm naturãm opus erat, ob affluentem succum vberius alimentum suppeditãtem: sed frequentiùs inopia malo causam præstat, quòd splendorem & magnitudinem conuenientem adimat: affectio quidem ad imminutam quantitatem attinens, licet intemperamento etiam aliquid tribui possit, quod sanè calidum & siccum potiùs, quàm alterius conditionis esse arbitramur, quale necessum est, vt natiuam humiditatem possit conterere. Sed non minus eandem læsionem humorum tenuitas vel densitas efficiunt, quinimo aliquando magis & frequentiùs, sicut & copia, quæ vel oculos efficit prominentes, vel natiuo colore mutatos, & sic etiam mutat D obiectorum colorem iuxta naturam et conditionem peccantis, aut fluentis humoris. Nam si humor qui profluit & interiacet dispersus fuerit ante pupillam, ciniphes, aut muscas, aut alia figmenta repræsentat, sub varijs coloribus, pro humoris conditione, vt in glaucomate conspicimus. Ex stomachi sæpe vaporibus eadem mentiuntur figmenta, crocea, rufa, & viridia: eadem ratione nonnunquam sine colore apparent prædictæ imagunculæ ex ventriculo etiam elatis vaporibus à crudo alimento: sed hæc ad suffusionem potiùs pertinent. Sic profectò tunicarum (præsertim corneæ & vueæ) oculi raritas, aut densitas idem symptoma efficiunt: raritas quidem liberaliùs quàm par E sit spiritus abire permittit, sicut densitas parciùs: quo fit vt obscurior fiat visio, nisi contrario modo adiungatur spiritus. Quippe si tunicarum raritati spirituum crassities aut copia accedat, commodior fiet videndi actio, sicut dum densioribus tunicis spirituum tenuitas succrescit. Quas sanè affectiones ad morbum in via reducere non erit ab re: cui malo vitium etiam temperamenti adiunges.

Superest tertia videndi iactura, quæ vitiosum efficit visum, affectio quidem ad actionem oculorum corruptam attinens, prodiensque à multigenis causis. Quippe aliquando intra oculi structuram aliquid præter naturam continetur, discindens, vel alio modo vitians pupillæ foramen, dummodo aliquid eius innocuum remaneat, ita vt res visiles vel multiplices, vel alterius figuræ aut situs appareant. Pari quoque ratione ex musculorum oculum mouentium vitio eadem & longè maiora symptomata prodire certum est, prout oculus hinc indeq; præter naturam & conditionem se se contrahit. Quam quidem rem (quæ longiorem desiderat tractationem) vt quisque aliquo modo intelligere possit, expendat, ad rectam & naturalem visionem efficiendam, necessariam esse pupillarum firmitatem & vniformitatem atque connexionem, vt altera quiescente, reliqua nõ moueatur: quod proculdubiò efficit neruorum opticorum vnio & paritas, & in munere vniformitas: nam licet duo sint, sicut pupillæ duæ, cùm hoc tamen vna & simultanea motione ac firmitate operari tenentur: quippe cùm hi nerui sustineant suis extremis oculorum pupillas in vna & æqua superficie firmatas, diuaricationem opticorum sequeretur pupillarum inæqualitas: quam sanè inæqualitatem arbitramur esse causam erroris in visu. Quapropter nisi naturaliter nerui coirent, sæpe delusio oculi vnam rem geminam iudicaret: cuius rei occasio nascitur ex duplici plano vnde radij visorij ad oculum accedunt, vt cùm faciem in fracto speculo intuemur, aut solem in mota aqua, aut eadem planè duplicitate inspectantibus pupillis, vt in euersione pupillarum quoquomodo fiat, euidenter contingit. Quod qui intellexerit, sciat quòd quæuis causa, quæ vel neruos opticos eo modo vitiet, quo prædicta pupillarum planities euertatur, vel quæ vtcumque oculum commouerit ad angulum, vel sursum aut deorsum, distorta propria pupillæ planitie (vt faciem musculi oculum mouentis, vel opticus neruus aliquo modo euersus altero sano manente) proculdubiò visionem efficiet, vel in numero, vel in situ, vel in motu, aut quiete obiectorum, eo modo quo dictum est viciatam & corruptam. Locum affectum venaberis hac lege, cerebrum esse læsum & ab eo vitium prodire, ex alterius sensus læsione: neruos opticos, quòd subitò fiat affectio: oculum ipsum, quòd lentè & paulatim.

Cùm affectio hæc, & quæuis eius species adcò sint conspicuæ, vt nullus ignorare earum naturam possit, solùm studui causarum cuiusque speciei, conditionem & differentiam docere. Ea etenim visus offensio, quam guttam serenam appellari diximus, & omnimoda est visus priuatio, nullis alijs signis certiùs cognoscetur, quàm his quæ adducit Celsus dicens: Si quis apertis oculis non videat, maximè si accedat ipsorum oculorum innocua constitutio, item quòd subitò fiat, tanquam vitium cuius natura in obstructione sita est. Ad diminutæ visionis causas venaberis, si eius species primò distinxeris: sed ne longiùs abeam, expendendum est, omnibus speciebus communem esse certam quandam causam, siue spiritus laborent, siue humores, siue tunicæ, nimirum cerebrum ipsum, à quo possunt spiritus ipsi proficisci vel pauci, vel crassiores aut tenuiores, vel quouis alio vitio conspurcati: quod de humoribus quoque subaudiendum est æqua lance. Verùm cognosces ex hac causa affectionem aliquam prodire, licet à toto corpore proficiscatur aliquando, eò quòd, cerebro affecto, impossibile est, quin aliud ex reliquis etiam sensorijs damnum aliquod susceptet, cùm omnes communi quodam beneficio ab eo vim & efficaciam susceptent. Crassitiem verò malo causam pręstare ostendit symptomatis modus, vt suo loco dictum est: nam si à longè solùm laborans aspicere possit, crassitiem causam præstare credendum est. Crassitiem verò ex frigore condensante monstrabit præcedens causa, aut frigiditas temporis, vel alimentorum crassorum intempestiuus & inconsuetus vsus: quibus causis deficientibus, conijcies ætatis ratione fieri, aut uitio caloris conficientis spiritum, qui terrestrior factus est. Paucitatem & tenuitatem spirituum certò venaberis, si laborans, mox ab expergefactione di-

distinctiùs videat, & clariùs, quàm facto aliquali dispendio: item si non possit obiecta nisi prope oculos sita percipere: verùm adhuc paucitatem a tenuitate in eodem modo visionis distingues, quia quantò tenuis spiritus perspicuitate reliquos qui pauci sunt, superat, tantò minutioribus rebus percipiendis est idoneus, quod paucis non accidit. Paucitatem spirituum proficisci vel a vitalium spirituum defectu, vel ab alimenti penuria, monstrabit ipsa causa præcessa; sicut totum continua & diutina resolutio labore præcedente ostenditur, vel distractione spirituum ad diuersa munia. Quòd si ea ratione non fuerit, coniectabile est, corneis defectu fieri, aut tunicarum soliditate vel densitate, quominus exit spiritus ad aeris illustrationem efficiendam: quod vitium etiam fit tunicarum raritate, quo facile plus spiritus dissipatur, & sic minor eius portio remanet ad aeris illustrationem. Modo enim & tenore exire spiritus tenentur ad aeris illustrationem, quem si ob tunicarum raritatem non seruauerint, tantò minus aerem illustrabunt, quantò inordinatiùs & copiosiùs dissipentur. Cognosces hanc causam quòd luce præsente oculi protinus lacrymantur, & sic nictando, sicut in tenuitate spirituum, oculi densationem efficiunt; densitatem verò nosces, quòd splendidior & solidior visu appareat cornea, aut alia quæuis, quemadmodum in morientibus cernitur, quibus vitro pellucido cornea persimilis apparet instar speculi. At extraneæ substantiæ admixtionem distingues, quia pari efficacia discernit laborans quæ proxima sunt & modicè distantia, vt in ebrijs & in his qui perpessuri sunt suffusionem, apertè conspicimus. Sed humorum monstrabit tabem oculi imminutio, sicut prominentia abundantiam. Tunicarum corrugationem ostendit oculi habitus & dispositio, sicut raritatem quòd facile hic offendantur solita, & splendorem perferre nequeant citra maximum laborem. Si autem vitio musculorum oculum mouentium malum oriatur, apertè id monstrabit oculorum immobilitas aut depravatus motus.

Curandi ratio. Curationem harum affectionum diligenter instituas, ni velis ob negligentiam aut ignorantiam, ex leui malo laborantem in cæcitatem ducere; & ob id quicquid feceris cautè facito, ne quod forsan ex causæ vehementia subsequuturum est, tuo erron adscribatur: quippe solent non rarò in hac affectione, accuratissimis adhuc auxilijs deteriùs se habere laborantes. Quamobrem satius est, optima vitæ ratione malum moderari, quàm auxilijs morbum incurabiliorem reddere. Verùm cùm rem aggredi studueris, hoc modo facito. Considera priùs, sit ne visus imminutio ab spirituum tenuitate vel paucitate orta, vel ab oculi ariditate vel atrophia: quòd si signis iam hoc esse compereris, omnino ab omni vacuatorio auxilio desistes, studens tantum alimentis & potibus vel spiritus crassiores vel copiosiores efficere, aut copiosiùs oculi humores tenutrire. Quod sanè faciunt bonæ substantiæ cibaria, & nigri ac vetustioris vini potio, capitis & faciei frequens ablutio ex tepida, maximè sex horis à cibo. Prosunt etiam omnia quæ vel caput tentant, vt lac ouillum aut caprillum, vel amygdalarum dulcium, aut pineorum: oua sorbilia cum puluere coriandri præparati, & huius census reliqua. Somnum prætereà institues mox à cibo, & solito longiorem.

Verùm si spiritus facti sint crassiores, non protinus credendum est humorum crudorum aut crassorum copiam causam huic malo præstare, sed conijcere priùs oportet, sit ne caloris natiui in cerebro impuritas aut imminutio, quæ nequit quantum par est spiritum à recrementis purgare & perficere: quod sanè monstrabit capitis frigidum intemperamentum, citra grauitatem, aut excrementorum vbertatem. Quo tempore, caput ad antiquum aut meliorem statum reduces (nisi ex vetusta ætate prodient affectio) his quæ calida sint & tenuium partium, qualia paulò inferiùs leges: quibus & noctu dum laborans it dormitum, & per externam capitis partem vteris.

At si vel crassities spirituum, vel humorum aut vaporum copia prædictis visus offensionibus causam præstiterint, scito, primò spiritus posse crassescere vno è tribus modis (præter eum quem mox memorauimus) primo quidem ex siccitate eos obumbrante, secundo ex condensante frigore, ac tertio ex natura alimenti à quo gignuntur: ob idque id antea distingues ex prægressis causis, & quia obiecta pallore inficiuntur opaco, si ex siccitate fiat crassities, sicut si ex frigore, opacitate citra splendorem: at ex natura alimenti fieri nosces ex colore atro, pallido, albo, aut rubro. Verùm si ex permixtione rei extraneæ crassescat spiritus, conijcito vlteriùs, à cuius naturæ & conditionis humore, vel malum oriatur, vel vapor oculos obtenebret, nam iuxta cuiusque naturam curatio instituenda erit. Nosces id profectò ex colore in obiecto falso apparente: quippe si sanguis abundet vel in toto vel in capite, rubra plerumq; apparere, quæ conspicimus, mirum non est; sicut dum flaua visuntur, bilem redundare; aut si nigra, melancholiam; vel subalbida, pituitam. Quibus cognitis eandem esse curationis viam, siue cerebrum, siue opticos neruos, siue oculos affici conspiciamus: nam primò totius corporis prouidentia habenda est, mox verò capiti & oculis prouidebis. Quibus sic consideratis, curationem aggrediens, sanguine redundante prius euacuato, modestiùs tamen quàm in quouis alio affectu (dissipantur enim sanguine detracto plurimi spiritus) quod facies priùs inspecta causa redundantiæ ipsius sanguinis: nam siue menses supprimantur, siue hæmorrhoides, siue varices, protinus vel reuocabis, vel per partem vtero, hæmorrhoidibus, aut varicibus proximam, ipsum fundes: si verò iecur copiosiùs quàm par sit, sanguinem generet, corpus verò minus conterat, otiosusque viuat laborans, ex brachij vena interna aut communi sanguinem detrahes: ex interna quidem, dum vel iecur vel vniuersum corpus sanguine scatet: ex communi verò vel cephalica, dum caput solùm ipso abundat. Quod sanè præceptum ocyùs obseruabis & exequeris, si subitò vel visu laborans priuetur, vel ipsi quodammodo imminuatur: idque liberaliùs, quo certior fueris sanguinem aliquo modo abundare. Verùm si ex crudis humoribus fiat, idque (vt dictum est) subitò, sanguinem quoque detrahes, si corpus robustum fuerit, sed parciùs & tardiùs: curabis enim spiritus adaugere ligato collo: nam eo tempore conspicimus in oculos maximam spirituum copiam irruere, & obstructas vias aut corrugatas tunicas dilatare. Sed cautiùs profectò vteris peculiaris alicuius venæ incisione: consulunt enim Aetius, Paulus & Rasius frontis venas tundere, & Mesues ex naribus etiam & eas quæ sunt iuxta vtramque nasi partem prope internos oculorum angulos: has ego non auderem scindere, nisi venis nasi, frontis, aut capitis ipsius, atque oculorum eminentioribus factis, & capite ipso nimis sanguine grauato: aliter enim sola visus debilis occasione non caret suspicione has scindere, aut quasuis alias, nisi causa cum copioso sanguine cohæreat: nam in quauis visus imminutione sanguinem fundere tutum non est, nec sine damno fieri potest. Verùm si aliquo modo aut tempore his auxilijs opus est, id quidem erit, hoc malo subitò & affatim ingruente: tentabis tamen priùs crura abluere, fricare, ligare, vel cucurbitis tumefacere, vt, quantum par sit, humores citra spirituum dispendium infra reuoces. Sæpe enim in his affectio-

nibus capitis, & alijs, quæ aut somnolentæ sunt, aut grauiores, dum malum firmatum non est, sed aliquid fluxit, & longè plus fluxurum speratur, ex vsu compertimus pedum plantas aceto, sale, & sinapi feruefactis perfricare, quo longiùs diuertatur fluxurus humor, sicut in lethargicis, potius expergefaciendi, & excitandi gratia, vel vtroque vsu. Quo facto, si quid coniecteris in capite adhuc morari, vtens consilio Aetij, qui cucurbitam magnam occipitio athigere iubet: ac si opus fuerit locum ante scarificabis, aut postmodum: idem valent hirudines iuxta frontem affixæ. Quòd si vel hæc prodesse non videantur, vel affectio sentim, & paulatim fiat, protinus ad purgandos, & præparandos humores te conferes, instituta ea victus ratione, quæ vel crassos succos non gignat, vel genitos conterat, & extenuet, adhibitis cibarijs quæ optimi sint, & tenuis nutrimẽti, quorum sæpè meminimus: hoc vno animaduerso, quod vino nulla ratione vtatur laborans, nisi ventriculi cruditas id poposcerit. Quamobrem sic affectis longiorem somnum instituere non licet, neque meridianum, sed moderatum, & pluscullum exercitium, maximè inferiorum partium. Fugiat insuper sic affecti diutinam lectionem, vel in scribendo laborem, maximè à cibo, & quoduis aliud capitis exercitium, iram, & reliquas animi passiones: ventrẽ curent lubricum cibis, & potibus obtinere, quo nihil crudum, aut excrementitium in corpore subsit, à quo vel aliquid in caput irruat, vel flatus eleuentur: quod facies clysteribus, aut iure ex mercuriali, & borragine confecto. Item ventricolo prouidendum est vnctionibus, aut emplastris, quæ roborent, & calorem augeant, quo faciliùs conficiat alimenta, ac minùs excrementa cruda supersint. Interim tamen melle rosaceo cum oxymelite, aut syrupo acetoso admixto, aut syrupo stœchados humorem præparabis, purgabisq; primò vniuersum corpus, si ex redundantia crudorũ succorum aliquid capiti communicari comperias, id que facies agarico infuso in liquore nouem infusionum rosarum, *vel infuso ʒ.4. foliorum senæ cum manna, vel confectione Hamech simplici, vel ʒ.6. ipsius confectionis simplicis, cum ℈.4. hieræ simplicis Galeni.* Quòd si caput prædictis succis abundare comperias, pilulis vteris cochijs, Arabicis, alephanginis, lucis, quibus agarici modicum admiscebis. Facta aliqua copiosa vacuatione à corpore, & à capite, vtendum est frequentioribus, & minoribus purgationibus: verùm in his qui oculos habent glaucos, & plenas eorum venas, mitioribus. Quo facto, curabis quod reliquum est in capite discutere, poni aquæ sarsæ parillæ, radicis chinæ, vel Indicæ saxifrasiæ: sacculis etiam exteriùs appositis ex stœchade, chamæmelo, ligno aloes, aniso, dauco, maiorana, thymo, rosis, & alijs huius naturæ in puluerem redactis. Prosunt & furfures depurati, & iterum triti, ac supra caput sparsi. Item lauabis decocto prædictarum herbarum, vel lixiuio ex cinere sarmentorum, aut decocto guaiaci cum vino, vel aqua, & guttulis aquæ vitę. Mirum in modum prodest post cœnam cochleare vnum huius pulueris sumere, vel tabellas ex eo, & saccharo confectas. ℞. *pulueris anisi, fœniculi, coriandri præparati, dictamni, liquiritiæ, diarrhodonis, & pulueris aromatici rosati ana ʒ.ß. sacchari ℥.1. misce.* Confert etiam dum laborans it dormitum, sumere modicum sacchari rosacei, cum puluere corticis thuris, vel pęoniæ: alijs etiam antidotis vti poteris, quæ capite pręcedenti eandem efficaciam habere diximus.

Factis his omnibus, credendum est malum iam inueteratum esse in oculis, ibidemque præsidia esse adhibenda, quę visum acuere, & clariorem reddere vim habeant. In quo sanè opere considerabis priùs, prodeat ne affectio ab spirituum tenuitate, vel tunicarum oculi raritate, eo enim tempore, si natiua forte id accidat, frustra censeo esse externa auxilia adhibe-

A re, ni velis collyrijs vti; quæ fiunt ex malo granato acido contuso, deposita duriori testa, melle admixto, & concocto: item vtendum est crassioribus alimentis, & vberiori potu, maximè ex vino nigro, & aqua chalybeata: verùm si ab spirituum crassitie, vaporum admixtione, vel alicuius humoris fluxu, affectio prodeat, tunc profectò quæ spiritus attenuent, vel à spiritua vaporum, aut humorum liberent, adhibenda sunt. Cuius quidem naturæ est, q. ℞. *vini albi ℥.1. succi fœniculi clarificati ʒ.3. myrrhæ ʒ.1. stillatitij liquoris ex melle crudo ℥.2. misce, & oculum ille.* Præstat stillatitia aqua, q. ℞. *panis ex hordeacea, & triticea farina sine cribratione recenter cocti lib. 2. succi fœniculi, euphrasiæ, & chelidoniæ, ana ℥.10. mellis crudi sine cera* B *lib. 1. misce, & in alembico aneo distilla lento igne, & eodem modo stillatione has vtere.* Nec minoris est momenti summo mane oculos abluere aqua euphrasiæ, chelidoniæ, & vino. Probatur apud plerosque alia, q. ℞. *succi apij, fœniculi, verbenæ, chamædryos, pimpinellæ, caryophyllatæ, saluiæ, chelidoniæ, rutæ, centinodiæ, morsus gallinæ, cariophyllorum, farinæ volatilis, ana ℥.1. piperis crassiusculè triti, nucis muscatæ, ligni aloes, ana ʒ.1.5. omnia simul mergantur in vrina pueri, & sexta parte vini, bulliant breui tempore, & facta expressione, & colatura, adserua in vase vitreo bene obturato, & hora somni singulas guttas singulis oculis inijcito.* Valet non minus vinum, in cucurbitulis, dum feruet, inijcitur. Præstat & succus, qui exprimitur ex ouo sorbili, vbi spargitur puluis prædictæ herbæ, maximè C si puluis hoc modo conficiatur: *recipe salis Indi ℥.1. euphrasiæ siccæ ʒ.2. macis, cinnamomi, ana ℈.1.* Prodest & liquor, qui instillat ex floribus rosmarini, vbi flores includantur in amphora vitrea, & duplici linteo cerato cooperta, sub arena, æstiuo sole, recondatur. Item pica auis in testaceo vase cremata, & in puluerem redacta, vehementer oculos abstergit; sicut tutia extincta in aqua fœniculi; & stibium etiam ibidem extinctum, maximè si huic aquæ addideris guttulas vini absynthij, aut vini chelidoniæ. Præstat mirabiliter, maximè humore pituitoso ad oculos fluente, aqua, quæ hoc modo conficitur: ℞. *sileris montani, maioranæ, euphrasiæ, ru-* D *tæ, summitatum fœniculi, ana ℥.3. zingiberis, spicæ nardi, piperis longi, cariophyllorum, tutiæ extinctæ, & nutritæ, sarcocollæ nutritæ in lacte asinæ, ligni aloes, ana ʒ.1. & ß. fellis aquilæ, aut accipitris, balsami, ana ʒ.3. mellis rosati ℥.1. conquassentur, & liquefiant, atque admisceantur, & æstate 40. diebus insolentur, facta sæpius agitatione, aut hyeme immergantur cineribus moderatè calidis, posteà adserua, & gossypio oculos illini:* quod sanè auxilium senibus magni solet esse momenti. Idem beneficium præstat q. ℞. *succi fœniculi depurati ℥.6. succi rutæ depurati ℥.3. mellis ℥.1. sacchari ℥.ß. foliorum auri numero 3. misce, & per duos, aut tres dies insolentur, facta frequenti agitatione, & mutatione ab vno vase in aliud, donec omnis re-* E *sidentia abijciatur, posteà verò eodem modo vtere.* Præstat & aqua q. ℞. *succi fœniculi, & betonicæ depurati, ana ℥.1. mellis ℥.ß. aquarum verbenæ, rosarum, maioranæ, rutæ, ana quod sufficiat, cariophyllorum, zingiberis, ana ℈.1. tutiæ præparatæ ʒ.1. aloes ʒ.1. & ß. licij ℈.2. puluerizentur, & misceantur omnia in vase vitreo, spatio viginti dierum sub sole sæpius agitando, & facta colatura eodem modo vtere.* Præstat & inunctio q. ℞. *fellis perdicis, olei balsami, ana ʒ.2. succi chelidoniæ ʒ.1. misce, & cum aqua fœniculi vtere.* Item confert aqua stillatitia ex raphanis, & eorum folijs, sicut & ipse raphanus comestus: confert & vinum quod instillat ex frustis carnis porcinæ cum sale sparsis per vas æneum, illud quidem, quod stillat in vas, miræ est efficaciæ.

Prosunt etiam & pulueres, & inunctiones, quæ variæ sunt, & magni momenti. Securioris efficaciæ est,

q. ℞.

q. ℞. sacchari conditi residui ex syrupo rosaceo ℥. 1. & A
ß. albumen oui, misceantur, & illiniatur hoc linimen-
to vas aliquod æneum, aut aureum, ibidemque ma-
neant donec exiccentur, & possint in puluerem redigi,
& postea in oculum insperge, vel liquefactum decocto
fœnugræci collyrium confice. Præterea valet id q.
℞. croci ʒ. 1. myrrhæ tantundem, piperis grana 15.
spicæ nardi ʒ. 1. succi fœniculi ℥. 2. ammoniaci thy-
miamatis ʒ. 1. mellis ℥. 5. omnia leuissimè trita infun-
de in succo fœniculi, deinde resicca, & admixto melle
adserua in vase æneo, & vtere. Valet & mel cum
marrubij succo, & modico fellis hirci, aut accipi-
tris. Præstat mirum in modum puluis q. *℞. fellis*
milui, & anguillæ, anà ʒ. 1. stercoris lacerti, nitri
spumæ, anà ʒ. 1. sacchari candi ʒ. 2. aloes, cadmiæ, a- B
nà ʒ. ß. succi chelidoniæ cum vino albo extracti ℥. 3.
puluerizatis puluerizandis misce, & lento igne co-
quantur ad consumptionem succi, & iterum leuissimè
puluerizentur, & vsui seruentur. Prodest & exu-
uium serpentis tritum, & cum melle admixtum, at-
que illitum: item puluis hirundinum, aut cinis, &
cremor lupinorum: prætereà hirundinum cerebrum
cum melle: suffumigium ex hepate hircino assatum
cum piperibus, & summitatibus fœniculi, aut suc-
cus eius per assationem instillatus, & illitus: vel ip-
sum iecur comestum: anagallidis succus tertio quo-
que die illitus: vapor ex decoctione rutæ, marrubij,
fœniculi, euphrasiæ, chelidoniæ, ligni aloes in aqua,
aut vino: prodest & aqua stillatitia ex prædicto de- C
cocto cum melle: item & corallium præparatum,
aut aloes, cum succo fœniculi, felle perdicis, & sac-
charo cando, facto linimento. Ex quibus facilè erit
cuiuis, vel mediocriter docto alia effingere vsui ma-
ximè proficua.

Sed conferunt omnibus imbecillum aspectum ha-
bentibus myrobalani chebuli sacchato confecti bis
in hebdomada sumpti: acorus item conditus; the-
riaca magna, mithridatium, caro etiam serpentis præ-
parata, diamuscus, & phrisarcoticon, caprinum ie-
cur, maximè cariophyllis, & succo fœniculi irro-
ratum; cuius naturæ alia breuitatis studio præter-
mitto.

Quòd si hæc prodesse non videantur, ad sudatio- D
nem ex ligno guaiaco, aut radice chinæ confugien-
dum erit; ac si id non suffecerit, ad setonem, vel fon-
tanellam in brachijs apertam, deueniendum est, per
quæ spiret quotidie quod indies crudum succrescit in
capite, in oculos delapsurum. In quo opere satius est,
tentatis, & nihil iuuantibus alijs præsidijs, protinus
insistere, quàm capite iam imbecillo: quippe tunc im-
becillius longè redditur fontanella, aut setone. Qua-
mobrem cauendum est ab hoc præsidij genere, vbi
ex spirituum tenuitate, paucitate, aut capitis imminu-
to calore, & humido, à morbo aliquo magno pręgres-
so affectio prodit: cuius rei ignoratione non paucos
vidi in integram cæcitatem delapsos eis præsidijs quę
multis fuere vtilia. In cuius etiam mali curatione E
(quantumuis plura scripserim præsidia oculis admo-
uenda) monendus mihi lector est, ne omnibus, aut
plurimis, & semper vtatur: plus enim boni promit-
tunt quàm præstant, vt Galen. aduertit. Scio profe-
ctò plures in omnimodam cæcitatem deductos esse
copia auxiliorum potiùs, quàm defectu: nequeunt
enim oculi quæ proficua sunt citra damnum perfer-
re, nedum quæ inordinatè, & citra rationem adhi-
bentur.

Quòd si defectu, & (vt aiunt) atrophia, vel spiri-
tuum, vel alicuius humorum, vel tunicarum visus
imminuatur, lógè aliter rem agere oportet: nimirum
per ea quæ intrinsecus substantiam nutrituram au-
geant, & extrinsecus per ea quæ oculum humectan-
do dilatent.

CAPVT XXI.

De suffusione.

OFficit non minus visui affectus alter, quem Hy-
pochyma Græci appellant, Latini suffusionem
vel aquam, vulgus verò cataractam. Quorum nomi-
num rationem si quis diligenter pensitet, reperiet va
riam fuisse, sicut varia quoque existunt ipsa nomi-
na: quippe eam visus diminutionem Medici suffu-
sionem appellant, in qua aliquid est affusum, seu pręter-
fusum inter humorem crystallinum, & corneam;
siue vapor sit, siue tenuis alius liquor, dummodo dif-
B ficulter id possimus discernere in oculis laborãtium,
etiam si ipsi referant accidentia, quæ patiuntur, qua-
lia Galen. 4. de locis affect. suffusis accidere scribit.
Cæterùm cùm id quod iam in prædictum oculi lo-
cum influxit, conspicuè videri incipit, & aquæ ibi-
dem affusæ specimen refert (præterquam quòd visio-
ni ampliùs officit, neque iam visa quædam fictitia
extrinsecus falsò apparent, vt in suffusione contin-
gere diximus) nomen aquæ affusæ, vt Barbari refe-
runt, proculdubio meretur. At cùm aquosus ille
humor, seu crassus vapor adeò concreuit, vt iam
non ampliùs excrementum, sed partem oculo præ-
ter naturam additam, esse comperiamus, certum
profectò mihi est, cataractam debere nuncupari.
C Erit itaque is morbus inter crystalloidem, & cor-
neam circa pupillam humoris aquei concretio, vt
Paulo placuit libro 6. licet libro 3. solùm dixerit cata-
ractam affusionem esse, non consistentiam, & con-
cretionem: sed primo loco de vera eius specie, quam
vulgus appellat confirmatam, loquebatur: secundo
verò de prima specie, seu de incipiente, vt anteà expo-
suimus. Verùm quia oculis etiam quædam aliæ affe-
ctiones succrescere assolent, quæ prædictis simillimæ
existunt, ob id primitus, & ante huius doctrinæ maio
rem explicationem, eas distinguere oportebit. Diffi-
det itaque suffusio à visus debilitate, seu offuscatione,
quòd in hac solùm partes, humores, seu spiritus oculi
læduntur, & morbum constituunt: at in suffusione
D necessum est aliquid extrinsecus accedere, quod ocu-
li structuram vitiet, partibus, aut spiritibus, vel humo-
ribus, nequaquam læsis, cùm solùm sit pars addita ex
substantia ibidem affusa. Est prætereà inter oculi af-
fectus quidam Hyposphagma appellatus, & à Lati-
nis suggillatio, quæ nihil aliud est, quàm effusio san-
guinis per tunicas in spatia quæ venis circumiacent:
quo fit vt non semper visa appareat rubra, vt arbi-
tratur Galen. lib. 1. de sympt. causis, sed solùm in prin
cipio: nam posteà vel liuida, vel nigra apparet tunica,
& aliquando in pus vertitur, aliquando grumescens
sanguis diu ibidem durat. Ex quo sanè affectu fit al-
ter cataractæ persimilis, qui Hypopyon appellatur;
dum pus nimirum sub cornea colligitur, ad dimidiũ
E nigri in parte infima oculi accedens, aut totam cor-
neam replens, & simul pellucens: cui accedit (vt con-
stet diffidere à vera suffusione) dolor pulsatorius, ru-
bor totius oculi, & temporum dolor: præterquã quod
à vera suffusione loco diffidet. Cui etiam similis est
alter affectus, Onyx dictus, cùm videlicet idem pus
in eandem prolabitur partem, sed ex vlcere corneæ:
differt tamen quòd vnguis modo mediam solùm cor
neæ partem circuli instar occupet. Accidit oculis etiã
glaucoma, in quo affectu crystallinus humor tãtùm
densatur, & resiccatur, quòd natiuum colorem mu-
tet in glaucum, licet alij viridem quędam humorem
crystallino misceri referant. Sic Parorasis, seu hallu-
cinatio à ratione suffusionis secluditur, quoniam so-
lùm color obiecti mutatur, vt in ictericis cõtingit; in
quibus suffusionem esse non est coniectandum, quia
humor non est in spatio inter crystallinum, & cor-

neam, sed sola tunica est prædicto humore suffusa. Quæ sanè omnia euidentissimis signis à suffusionis speciebus differre cognoscimus causa, loco, & affectu: nam glaucoma est humoris crystallini passio, suggillatio tunicatum à sanguine, suffusio verò inter rhagoidem & crystallinum humorem aqueæ substantiæ affusio & concretio, vel eiusdem aquei humoris, qui naturalis est, præter naturam densatio, vt mox docebo.

Sed de loco affecto (ac de differentiis huius affectus) non satis constat, vnus ne sit semper, an possit aliquo modo variari. Certum enim est, & apud omnes in confesso, hunc affectum fieri in oculo ipso, & aliquãdo in humore eius aqueo, in eo spatio quod est inter rhagoidem & humorem crystallinum: sed cum id spatium bipartitum sit in locum proximum crystallino & proximum rhagoidi seu pupillæ, & in spatium medium inter vtrasque partes, disserendum nunc est, quo in loco ex memoratis, frequentiùs & propriùs fiat vera suffusio. Galen. enim causam suffusionis assignat lib. 2. de sympt. caus. & 7. de placitis, crassitudinem tenuis humoris, qui pupillæ meatum intercipit, ne possit communicari radius externus cũ crystallino humore: qui tenuis humor ea parte locatur (quo crystallinus humor partim souetur, partim munitur, vt lux refrangatur ne ipsum lædat.) Cæterũ si quis rem diligentiùs examinet, reperiet posse fieri iuxta tres prædictas intra rhagoidem partes. Quòd sanè disces ex huius affectus partibus ac nominibus: quippe prima eius pars, suffusio maximè appellata, iuxta crystallinum proculdubio fit, tum quòd inconspicua sit: tum verò, quia ibidem affunditur primò vapor, aut ea parte crassescit insensibiliter aqueus humor: secunda verò, aqua nuncupata, licet intra pupillam, distantiùs tamen ab ea concrescit, & vi spirituũ à crystallino propellitur vltra, ac ibidem clariùs condensatur in aquæ naturam versa. Verùm vltima, quæ iam cataractæ nomen iure optimo meretur, dubium non est quin aliquando ipsi adhæreat pupillæ, continens intra se omnem humorem aqueum, quo tempore aquea illa substantia, quæ defluxit in oculum, vel ibidem præerat versa in tunicam, efficitur cataracta. Sed de materia suffusionis statuendum est, non satis inter authores esse conuentum, cùm multi ex crasso vapore, vel tenui aliquo humore ibidem fluente fieri statuant: Galen. verò ex ipso humore albugineo in tunicam verso, quod non semper probat euentus, cùm aliter fieri cataractam non rarò conspiciamus: si quidem depressa, videt homo, quod non fieret si ex humore naturali necessario fieret. Cuius doctrinæ gratia, & ne videar à tanto authore discedere, statuendum est suffusionem esse duplicis naturæ: alteram quidem spuriam seu illegitimam: alteram verò legitimam & propriè cataractam dictam. Quæ verò illegitima est & spuria, haberi debet ea, quæ fit ex humore albugineo condensato & verso in tunicam: quam cẽsemus nullo modo esse curabilem, quinimò etiamsi acu deprimatur cæcum adhuc superesse laborantẽ. Ratio huius est, quia cùm humor ille albugineus, modò pars viuens sit, vt Lusitanus Veiga & alij censuerunt, qui nutritione reficiatur; modò sit humor qui more reliquorum humorum in dies generetur, postquam semel in tunicam concreuit, neque regenerari, neque refici ampliùs poterit ea forte donatus, quæ visioni proficere possit: quippe is qui reficitur, recipit à præexistenti certam quandam vim & efficaciam visioni iuuandæ aptam: quod si deficiat per conuersionem in cataractam, licet aliquid humoris reficiatur aut generetur, cum non sit qui hoc beneficium præstet, demissa cataracta, caret oculus commoda tutela & instrumẽto ad videndum. Quam sanè doctrinam confirmauit frequens experimentum, siquidem contingit non rarò, laborantes, demissa suffusione, & se-

A parata à pupilla, non magis videre quàm anteà, aut quàm paucissimum, quòd oculo deficiat naturalis ille humor in suffusionem versus, summoperè visioni proficuus. Sic profectò suffusio quæ legitima est & propriè talis, ex humore aut vapore fit, aliunde in oculum confluente, concrescentque in aliquo ex tribus nuper memoratis locis: quæ sanè curari quidem potest, & postquam semel acu demissa est & prolapsa, protinus laborans antiquum visum recuperat, semota causa præter naturam quæ id interdicebat.

Affectus natura.

Ex his dictis proculdubiò constat, quis nam præter naturam affectus sit suffusio: & cùm constet in genere & in communi nihil aliud esse, quàm humiditatem extraneam in principio fluidam & in processu B crassam, inter crystalloidem, & pupillam præter naturam extensam, & visum impedientem, proculdubiò affectum constituet triplicem in specie, licet symptoma vnum sit vtrique commune, maiori tamen aut minori læsione dissidens. Nam qua ratione eum insigniri triplici nomine dictum est, ac tribus etiam locis gigni & distingui, sic profectò tria sortitur morborum genera: quippe quæ vera affusio seu suffusio est, & in imo oculi viget ferè inconspicua, leuiter adhuc visioni officiens, ob tenuem humorem vel crassiusculum vaporem, propriùs ad intemperiem cum affluxu materiæ reduces, quia vitium visoriæ actionis leuissimum tunc est. Verùm dum iam conspicuus efficitur ille humor, aquæ naturam repræsentans, visio- C nemq; sensibiliter lædens, proculdubiò ad morbum in via reduci debet: sicut dum iam extrinsecus concreta tunica elucet, ad morbum in numero adaucto pertinere erit arbitrandum. Quo fit, vt hæ tres partes non solùm dissideant causæ dispositione, seu differentia ob diuersam cuiusque formam (quippe in principio tenuissima admodum influit substantia vaporis naturam adepta, posteà in aquam vertitur, tandem degenerat in tunicam) loci diuersitate (iuxta crystallinum, videlicet, in medio aquei humoris, & iuxta pupillam vltimo) sed & morbi natura, eo modo quo dictum est, præterquam quòd in symptomate etiam maioris, aut minutis non nihil differentiæ adest, licet symptoma sit vnum, ad diminutam videndi D actionem pertinens.

Suffusionis differentiæ.

Varias habet hæc affectio differentias: nam quædam per consensum fit, quædam verò essentialem habet permanentiam in oculo. Prima quidem fit, cùm per interualla visa quædam versantur circa oculos fictitia, & erratica: quam etenim duobus modis fieri arbitramur, vel vaporibus elatis à ventriculo, aut à pulmone (vt ex Hippocrat. constat, 3. prognost.) spiritus oculorum disgregantes & obtenebrantes, disturbantesque adeò, vt muscas, & lucentia quædam corpora, & alia fictitia falsò apparere videantur. Hanc etiam per interualla fieri, vt in his qui vomere nituntur, aut cardiacis affectionibus premuntur, certum est: nec non & in his, E qui paraphrenitide laborant, in quibus dictum est à Galeno, quædam ob oculos apparere similia his, quæ in suffusione visuntur. Accidit insuper his qui frequentiùs absque causa manifesta hoc symptoma patiuntur, velut præludium futuri defluxus ad oculum. Fit insuper hæc species suffusionis secundo modo, patiente cerebro, & per consensum ab ipso, fumis ab vsto humore, vbicumque sit, delatis per venas & arterias (non quidem vt in prima specie per communes vias) cum spiritu, quod in phrenitide & febrium ardentium vigore, vel instante crisi fieri plerumque contingit. Quòd si ab his non prodeat, sed malè affectum corpus per venas capiti malum communicet, tunc quidem propriùs esse suffusionem per consensum conijcito. Quæ verò essentialem habet in oculo permanentiam, triplici constat fieri differentia, vt in principio huius capitis

dictum est, prodiens nimirum ex diuersa dispositione eius quod iam in oculos confluxit, ibidéque permansit, ad differentiam alterius, quæ consensu fiebat, cui delitescere, & per interualla repetere contingit. Sed hæc quæ permanens est, habet in substantia, & compage varias differentias, omnino scitu ad curationem necessarias: quippe vna est quæ incipit, alia quæ ad statum progreditur, vt more vulgi loquar, qui morbi vnius tempora, seu partes arbitratur, vltima verò, quæ omnino est confirmata. Cæterùm cum hoc, vt statuimus, triplex est morbus, non vnus, nisi aggregatione multorum: quo fit, vt hæ partes non possint dici vnius morbi tempora, quia hæ vnum, & vnius naturæ morbum constituunt, sed morbi plures dicendi sunt, per aggregationem constituentes vnú. Prima verò similis est vapori crasso, vel aquæ perspicuæ, & tenuissimæ, quæ hinc inde mobilis existit citra compagem: secunda crassior aqua est, adepta firmitudinem, non tamen adeò fixam, quòd compressioni non cedat moueaturque: tertia quidem durior iam facta, dilatatur vt secunda, sed non mutat locum, neque hac, aut illac conuertitur, sed immobilis, fixa, & vniformis manet, licet dilatari, vt dictum est, videatur. Quas sanè differentias diligenter considerare oportebit, nam pendet ex earum cognitione, notitia eius, quæ maturitatem adepta, manu curari potest, aut secus. Considerabis etiam toto animo cuiusque colores: nam id quoque ad præsagium, & curationem summopere facit: suffusio igitur, quæ primam constituit huius morbi speciem, sola oculi obscuritate, & aliquando fragoribus quibusdam, aut transeuntibus splendoribus dignoscitur nullum enim alium colorem præ se fert. Secundam autem differentiam constituit aquea quædam substantia albo, ac pellucido colore suffusa, cæterùm in penitioribus partibus sita, quàm quæ vera est cataracta, cuius speciem circunscribit (præter id quod numerus est additus) cæruleus color, aut auro similis; aut ferro nitenti, aut aquæ maris, qui primam, & curabilem eius sortem ostendit: sunt & aliæ quæ grandinem referunt, aut gypsum: item aliæ nigræ, & sine splendore, sicut aliæ ad maximum candorem sine splendore vergentes. In quantitate etiam non parua suffusionis agnoscitur differentia: nam vna adeò magna est, quòd totum rhagoidis foramen occupet; alia minor quidem, solùm dimidium pupillæ obtenebrans: quare per partem quæ immunis euadit, singula quæ extrinsecus sunt, mediocriter videntur, non tamen vt anteà vno tempore multa, quòd angustior factus sit visionis conus. Verùm si in pupillæ centro exigua suffusio constiterit, partibus in circunferentia pupillæ manentibus illæsis, omnia ijs qui sic affecti sunt, veluti fenestrata, & perforata in medio apparent: quippe quod in medio non cernitur, quasi perforatum, & scissum apparet. At si diuulsa, neque inter se coniuncta fuerint, crassa corpora quæ iuxta pupillam consistunt, fluitantque in tenui humore, his qui sic habent, tanquam culices foris obuersari videntur. Quibus etiam aliquando accidit, quòd ex crassioris humoris consistentia, prodeat idolum quoddam falsò in medio apparere, maximè à somno. Vtcunque tamen has differentias consideres, scito ad tres tantum suffusionis partes esse reducendas, nimirum ad factam suffusionem, ad fientem, & ad incipientem.

Causæ.

Causæ verò omnium quæ diximus, vna communi ratione conueniunt, cùm nimirum humor, aut vapor interponitur inter crystallinum humorem, & pupillam; præterquam quòd vel ipse humor albugineus in tunicam degeneret; vel quòd spiritus densiores, & frigidiores facti condensentur, vt in valdè senibus contingit. Causæ verò antecedentes sunt, vel vapores qui à ventriculo, vel vtero, aut quauis alia **A** corporis parte ascendunt, fugaces quidem, & qui facilè discutiuntur, in suffusione per consensum: fixi verò & solidiores facti, ac permanentes, in vera, & per essentiam iam facta. Ex quibus itidem partibus per hæmorrhoidum, aut mensium suppressiones in caput quoque humores ascendunt, à quibus in oculum aliquid decedere præter naturam non rarò assolet: quòd si ob hanc occasionem malum non fit, coniectandum est, ex proprio cerebri alimento aliquid crudum superesse, vel excrementitium quoddam redundare, quod in oculum confluens, huic malo principium præstat: vt frequenter accidere solet his, qui aut febre, aut epilepsia, aut melancholia, aut graui aliquo capitis affectu, qui aut præcessit, aut adest, premuntur, cuius occasione caput imbecillius fa- **B** ctum, vel proprium excrementum non pellit per communia emunctoria, vel crudius quid præ impotentia generat, aut vltimò vaporem adhuc naturalem in capite ex alimento genitum, aut aliundè transmissum, quamuis naturalis sit, & consuetus, vt ex coctione ventriculi secundùm naturam eleuari assolet, discutere nequit, qui oculos adiens huic malo principium præstat, & primam eius speciem constituit, quæ sanè ad curationem exactè distinxisse magni est momenti. Aliquando verò proprius per essentiam in oculo fit ex nutrimento ipsius partis non probè in eius naturam mutato ob eius ineptitudinem, aut ob oculi impotentiam, aut ab excremento ipsius alimenti non satis expurgato. Præstat in- **C** super huic malo occasionem, & causam, alimentorum crassorum, & humidorum frequens vsus: item à cibo labor, præsertim literarum, scripturæ, aut meditationes, & alia insuper quæ eiusdem naturæ sunt.

Signa.

Signis verò vtendum est varijs, quemádmodum quæ cognoscere in hoc malo oportet, varia, & multigena esse diximus. Primùm enim dignoscere oportet ipsius affectus naturam, & in ea quod futurum est, & imminens, & quod per consensum fit, ac per essentiam factum existit. Dignosces primò an facta suffusio fit ex humore albugineo, vel ex humore aliundè adueniente, quòd in concretione albuginei humoris mox à principio ferè omnino obcæcatur ho- **D** mo, & nec lumen adhuc percipit, quia pars oculi, & structuræ eius deperdita, aut in aliam naturam vitiata est: at cùm ex affluente humore fit sensim, & paulatim, vt concrescit, ita magis, aut minus visu orbatur, ita vt adhuc condensata cataracta lumen perspiciat: in albuginei verò concretione minimè. Nosces autem ex alio humore fieri, quia primò in præludio, seu in prima specie huius mali, veluti quædam caliginosa, vel paruos culices, vel fumosa, & tenebrosa videre arbitrantur laborantes, aut circa lucernas circulos, vel duplex lumen: quæ sanè visa variantur pro ratione causæ, & magnitudinis affectus, quo tempore in oculis nihil notatu dignum apparet, præter obscuritatem quandam insolitam, & fragores, seu splen- **E** dores transeuntes, nonnunquam nebulam vagâtem per diuersas oculi partes, quo fit vt visus nunc in vna oculi parte eluceat magis, nunc minus. Dignosces per consensum hæc fieri, si vtrique simul oculo incipiat affectio (nisi cerebrum consensum præstiterit: tunc enim vel vnus oculus læditur, vel ambo, sed non simul) si perpetua non sit, sed per interualla redeat: si post cruditatem augeatur, vel bile inundante, aut mordente ventrem: si pupilla non obscuretur: si crisis instet, aut febris vigeat. Crescentis autem mali in hac prima specie, & iam confirmari incipientis signa sunt, si altero tantùm oculo vitium eluceat, & in ipso veluti fumus visui appareat, multiplicia obiecta pro vno repræsentans: item si mox in nebulam concrescat, & non delitescat ampliùs, sed quid præter naturam in oculis appareat, quod verbis explicari minimè

possit. Iam verò confirmati, & in statu existentis in A eadem prima specie, signa sunt, quando æger minutius videt, pupillæque color ad albedinem mutatur, vel ad alios colores, qui plures profectò sunt. Secundà speciem, quam iure optimo cataractam appellari diximus, dignosces facilè, quòd in oculo profundius, ac distantiùs à pupilla aquam dispersam, ac mobilem, & colori aquæ marinæ persimilem conspicuè cernas, oculo longè minus perspicuo, patienteque maiorem visus priuationem, licet non omnimodam, sed longè magis diminutam quàm in prima specie, quam suffusionem Medici nuncuparunt. Tertiam autem speciem dignosces, quòd extra, ac supra pupillam iuxtaque ipsam tunica quædam appareat fixa, immobilis, concreta. Quam sanè confectam, & (vt aiunt) con- B firmatam arbitramur, cùm consistentiam habet minus mobilem, oculo altero clauso (non tamen omnino, quia fieret incurabilis, ac forsan si deprimatur, cæcus adhuc superesset homo) colorem album, luteum, & reliquos quos versa pagina leges, ne eos pluries videat repetere. Vtrum cum suffusio ea, quæ facta iam est, à varijs partibus fomentum susceperit, & varijs in partibus oculi incipiat fieri, expendendum nunc est, quibus signis id dignosci possit. Qua sanè in re, primò in memoriam reuocabo suffusionem fieri interim ex oculi inconfecto alimento, vel non expurgato excremento. tum verò per defluxum à capite, quem fieri posse ab vno è tribus locis certum est. Primò quidem à pericranio, & per adnatam, & cor- C neam, ad albugineum humorem propè crystallinum prolabi: potest etiam idem fluxus fieri à dura matre, & in prædicta parte fieri suffusio; item à pia matre descendit non ratò is humor, qui suffusionem concitat iuxta humorem crystallinum. Quòd si ab ipso cerebro fluxio fiat, plerumque incipit suffusio iuxta humorem crystallinum, diuque perseuerat visus diminutio citra euidentem in oculo causam, præterquam quòd pupilla profundior apparet. Præterea læsum oculum esse à re profundiùs proficiscente, in neruo nimirum optico, nosces, quia si clauso sano oculo, pupilla alterius dilatetur, monstrat nullam esse internam obstructionem, sicut non dilatari, neruos opticos esse obstructos. Crassioris, tenuioris- D ve, ac confirmatæ suffusionis (nam colores citra signa se se ostendunt) signa sunt, quòd si quis læsum oculum digito premendo fricet, & eo motu humor diuellatur disgregeturque, tunc quidem leuis est, & nondum perfectionem nacta; si verò nullo modo moueatur, sed in se remaneat, eodem modo existens, & permanens, duriorem facta est, & forsan immedicabilem duritiem sortita.

Præsagiũ Sed harum profectò neutra per acum deprimi potest: illa quidem, quia cedet acui, & disgregabitur: hæc verò, quia nullatenus separari, ac deprimi potest, ac si deprimatur vi, & efficacia artificis, protinus ad antiquum statum commigrabit. Si verò suffusio digito dilatetur rariorque fiat, minimè in partes diui- E sa, hæc proculdubio matura est, & acu salubriter deprimi potest: suffusio verò quæ albugineo humore concreto fit, nec depressa adhuc visum restituit: obcæcatur enim ex toto homo, quia pars structuræ oculi in aliam naturam mutata omnino visum adimit. Colores enim suffusionis non possunt ea certitudine maturitatem monstrare: quippe humoris fluxi naturam, potiùs quàm consistentiam mõstrare nati sunt, licet ex opacitate, aut perspicuitate aliquando maturitas innotescat. Cùm hoc tamen scribunt non contemnendi authores, suffusiones eas curationi aptas esse, quæ colore insigniuntur albo, lacteo, pellucido, vel albo plumbeo: sicut incurabiles esse flauas, nigras, violaceas, & virides. Suffusiones verò quæ à solutione continui prodeunt, aut nunquam, aut difficulter curantur: incipientes tamen si prodeant à defluxu, vt

A placuit Celso lib. 7. capite 7. digeri citra manus operam non rarò possunt. Et vt certior fiat coniectura, interrogare oportet num præcesserit grauis aliquis morbus, acerbior capitis dolor, vel ictus: atque ei demum suffusioni medicina instituenda, in qua nulla sit ratio ingentis concretionis, vel perpetui defluxus melancholiæ, neque adsit epilepsia, aut nerui optici obstructio.

Qui suffusionem curare aggreditur, nulla priùs facta distinctione eius quæ concreuit, ab ea quæ concrescit, aut nihil concretionis adepta est, fateatur se, vel maius posse auxilijs manu facere damnum, vel saltem nihil prodesse, & tempus, & operam inutiliter perdere: quapropter hæc omnia distinxisse priùs o- B portet. Sic etenim in memoriam reuocare expedit, nos anteà dixisse, suffusionem esse in triplici differentia, vnam perfectam, alteram fientem, & reliquam incipientem: vnamquanque tamen propriam sortiri naturam, speciem, & locum proprium. Dictum etiam est, perfectam duplicis esse conditionis: vnam manu, & acu medicabilem, vt quæ nondum nacta sit rebellem duritiem: alteram verò omnino incurabilem quæ duplicis est naturæ: vna quidem ex albugineo humore orta, quæ licet deprimatur non subinde prodit, vt latius dictum est: altera verò pari ratione incurabilis, vt quæ vim, & efficaciam manus, & acus subterfugiat, quia concretionem, vel conuenientem nacta non est, vel excedentem, & immedicabi- C lem sortita. Quas sanè medicamentis tractare, aut alijs topicis, aut vniuersalibus auxilijs vanum omnino censeo, haud secus quam si vesicæ lapidem quis citra chirurgicam operationem velit conterere, & extrahere. Fientem verò eam esse arbitramur, quæ propriam constituit speciem ex aqueo humore, cæterùm nondum concretionis principium nacto: quam proculdubio auxilijs curare, vt apud plerosque Medicos scriptum reperio, non minus vanum, & irritum esse, experimento fidelissimo didicimus: quippe certum est, neque vniuersalibus præsidijs euacuari posse quod iam in oculum prolapsum continetur, neque topicis reprimi, aut digeri, quinimo sæpe his præsidijs pressior, & durior redditur humor, vt quæ vires depri- D munt, & laborantes tædio afficiunt, ac dedecus arti afferunt. Incipientem verò, vt Celso placuisse libr. 7. cap. 7. diximus, & inhibere, & topicis resoluere, haud difficile est: quamobrem, ab eius prouidentia, & curatione sumpto initio, docere curabo, quid vnicuique proficuum, & necessarium sit.

Curandi ratio.

Prima igitur suffusionis species, quam incipientem Medici vocarunt, duplicem sortitur naturam: alteram transeuntem, & quæ nihil habet in oculo situm, sed aliundè omnino dependentem, quæ communi nomine appellatur per consensum: alteram verò manentem, fixam, & independentem, & quæ iam oculum ita obsedit, vt cessante causa, à qua dependebat, per se subsistere nata sit, nedum si adhuc cau- E sam habeat fouentem: cum hoc tamen neque omnino est in aquam conuersa, neque plurimum distat à vaporis crassi natura. Harum enim cuique opem auxilijs ferre, antequam concrescat, proculdubio possumus. Si priùs consideremus, causam, & locum, à quibus caliginosus vapor insurgit, & id quod eius in capite, vel receptum est, vel iam in oculos confluxit. Solent etenim prædicti vapores caput irruere, vel à crassis, crudis, & viscidis humoribus, siue pituitæ, siue melancholiæ naturam referant, vel à biliosis, ac pituita mixtis, & malignis humoribus, idque vel à iecore, vel à ventriculo, vel à mesetaro, vel ab vtero, ac, vt Hippocrati placuit, à pulmone. Vtcunque tamen sit, & à quouis membro prodeat, medendi ratio consulit, vtendum esse vacuatione eius substantiæ, à qua vapor ascendit. In quo sanè opere expendenda est humoris redundan-

tis

Sanguinis detractio. tis idea: nam si sanguis sit, non desunt qui sanguinis A detractionem consulant, quod multi etiam alij tenuunt, vt Rasius. 9. ad Almansorem: lex tamen, qua fieri, aut non fieri debeat, petenda est a corporis & venarum plenitudine, quo casu gratia potius præparandi corpus ad purgationem, & reliqua auxilia, quàm gratia suffusionis mittendus sanguis est: vel considerabis, suppressa ne sit aliqua sanguinis vacuatio, velut narium, hæmorrhoidum, mensium, aut varicum: quippe eo tempore cunctandum non est sanguinem mittere, & ex ea vena, quæ è directo parti, cui suppressa est vacuatio, respondeat, vel communionem habeat maximam: aut rursus prædictarum vacuationum, quæ suppressa fuerit, iterum reuocanda est: minus tamen sanguinis detrahes, quàm si quis alius B ex eisdem causis concitaretur affectus. Si verò alui fluxus, vel vteri purgamenta suppressa, suffusioni causam præstent, reuocandus quidem fluxus non est, cæterùm, qui superabundat humor, protinus educendus, cognita, vt dictum est, priùs humoris idea. Sic profectò crudis in ventre, vel vbicumque velis, existentibus humoribus, siue fluxum alui aut vteri contrauerint, siue secus, coniectandum est, an in ventre sint superiori, an penitùs reconditi. Quòd si primum sit, vomitu non erit ab re, facta leui ex melle rosaceo cum oxymelite præparatione, protinus educere: hac enim sola ratione vtendum est vomitu in suffusionibus: nam in reliquis causis vetitum est, in recta medendi canone eis vti, ne in caput violentiùs malum C irruat. Verùm si venas iecoris aut vteri vel totius corporis obsederit humor, facta præparatione ex melle rosaceo, syrupo borraginis, de stœchade, de betonica, de hyssopo, de mentha, aut duarum radicum cum modico oxymelite, & aquis, aut decoctis fœniculi, euphrasiæ, betonicæ, chelidoniæ, vel sassafrassæ Indicæ, eam institues purgandi rationem, quæ citra maximam corporis & humorum turbationem, peccantem educat: sic ventre affecto & partibus illi vicinis, vteris pilulis ex hiera Galeni, & ex mastiche: vel eis quæ conficiuntur ex agarico, mastiche, & hiera: aut purgabis syrupo ex infusionibus cum decocto foliorum senæ, aut cremore carthami: cui etiam vsui terebinthinam maximi fore momenti censeo, D lotam vel rhabarbaro admixtam. Quòd si penitiùs recondantur humores, pilulis vteris de agarico & aggregatiuis. At si caput humore etiam abundauerit, cochijs, lucis, aureis & sine quibus. Cui etiam vsui has poteris conficere, q. ℞. *hieræ Logody* ʒ. 2. *turbit, agarici. anà.* ℈. 2. *zingiberis.* ℈. ß. *salis gemmæ.* ℈. 1 *conficiantur cum succo fœniculi, & porrige.* ℈. 2. Verùm si constiterit, affectionem sortiri principium ex capite affecto, quod ex se vel aliunde humore abundet aquoso, crudo vel pituitoso, hoc modo institues purgationem: *Excipe pulueris hieræ picræ.* ℈. 2. *pulueris hieræ diacolocynthidos.* ℈. 1. *cum succo fœniculi formentur pilulæ sex, quarum duas capiat hora somni*, vt dormiendo, concitato calore natiuo, earum vis ad cerebrum E feratur, quæ incidendo, tergendo & attenuando materiam præparet, præparatamque ad ventriculum deuehat, vt facilè euacuari possit. Quæ sanè purgandi ratio decimo quoque die renouanda est: nam sicut humor aut excrementum sensim progignitur, ita prorsus vacuari paulatim & sensim desiderat: quamobrem summè confert vacuatio per epicrasim appellata, ex nuper dictis pilulis aut Arabicis in pituitosa, & melancholica materia, vel alijs pharmacis in biliosa: quippe in hac potiùs diluto rhabarbari, foliorum senæ, aut syrupo ex infusionibus vtendum esse consulit humoris natura, quàm pilulis, quæ vel crocum recipiunt à Galeno in hoc morbo vetitum, vel turbationem non leuem inducunt.

Tamen quia hi qui huic malo sunt obnoxij, ferè semper aluo sunt adstricta, ob id & diuersionis etiam gratia, solicitanda est clysmatis, balanis, vel alimentis aluum ducentibus, veluti sunt pruna sacchato & decocto foliorum senæ confecta, iusculis ex mercuriali aut sycla confectis, aut syrupo ex decocto carthami cum melle facto.

Verùm quia non sat est humorum redundantiam minuisse, ni eorum vlteriorem propagationem inhibeas, ob id alimentis & potibus ac proba vitæ institutione studendum est id præcauere, aere primitus ad calidum & siccum vergente, somno consueto breuiori, non meridiano: exercitio moderato: maximè inferiorum partium, cuius loco frequentibus frictionibus & ligaturis vtendum est. Caueat insuper laborans ab animi turbationibus: maximè à mœstitia & ira: cibis vtatur facilis coctionis, & qui omnino sint vaporum exortes & simplices, cuius naturæ sunt carnes auium, vt pullorum, caponum, gallinarum, perdicum, & paruorum cuniculorum: panis fermentetur aqua fœniculi, aut admisceatur pulueri eiusdem. In ciborum condimentis vtatur laborans his quæ extenuandi vim habeant, vt hyssopo, fœniculo, sampsucho, betonica, satureia, saluia & reliquis: caueat omnino à ciborum repletione, varietate, & à ferculis pinguibus, à lacte, caseo, carne porcina, anatis, anseris, à piscibus & rebus salsis, acribus & piperatis, à caule, lactuca, lentibus & alijs fructibus horarijs: studens semper ne à mensa discedat satur laborans, & cum hoc à cœna vel omnino abstineat, vel leuissima vtatur. Tandem ab eis cibarijs fugiat, quæ sanguinem possunt gignere crassum, turbidum, vaporosum, aut mordacem. Sumat insuper in fine mensæ, quæ halitus reprimunt, aut discutiunt, & ventriculum roborant, vt est diacitonium simplex, aut compositum: coriandrum præparatum, & sacchаro, & puluere cinnamomi, anisi, & euphrasiæ conditum: à vino verò abstineat per vniuersum curationis tempus, nisi gratia ventriculi modico vtaris, & in postrema mensa aqua sola, sicut in cœna: cuius loco vtatur aqua cinnamomi, radicis chinæ, sassafrassæ Indicæ, fœniculi, corticum limonum, vel hydromelite. Quem quoque vsum præstat puluis, q. ℞. *euphrasiæ, & seminis fœniculi anà* ℥. 1. ß. *macis.* ʒ. 1. *sacchari q. s. vt fiat puluis, cuius.* ʒ. 2. *sumat laborans post cœnam, aut prandium.* Eiusdem naturæ est puluis, q. ℞. *euphrasiæ.* ʒ. 3. *seminis anisi.* ʒ. 2. *sacchari ad pondus omnium fiat puluis, cuius sumat eisdem horis semicochleare.* Maioris efficaciæ est alter puluis, q. ℞. *seminis anisi, fœniculi, ameos. anà.* ʒ. 2. *coriandri præparati.* ʒ. 3. *corticum citri siccorum.* ℈. 4. *sileris montani.* ℈. 2. *euphrasiæ.* ʒ. 2. *cinnamomi electi & nucis muscatæ. anà.* ʒ. 1. *sacchari rosarum tabellati ad pondus omnium misce & fiat puluis, cuius cochleare vnum sumat laborans dum it dormitum*: roborat enim ventriculum, & reprimit valenter vapores per discussionem, & corroborationem partium.

Cæterùm quia per difficile est, omnino à corpore, capite, vel parte ipsa affecta, radicitus humorem euellere, quin vel aliquid supersit, vel denuò generetur, si corpus pituita, aut crudis humoribus scatere constiterit, non erit ab re, vel decocto chinæ, aut sarsæ parillæ sudare, vel balneis sulphureis vti. Quod sanè auxilium cautè præstato, nam si solùm caput laborat, longe maius damnum quàm beneficium sequetur. Ob id mox ab his, quæ diximus, auxilijs deriuatorijs vtendum est, & his etiam quæ reliquias humorum conterere nata sint. Sic primum scopum adimplebis, his quæ deriuandi à capite & à venis illi proximis vires habent: quapropter præmissis quæ hucusque dicta sunt, præter matutinam brachiorũ frictionem, cucurbitulis vtendum est: maximè occipitio & cum scarificatione affixis, ad materiæ, quæ in oculos fluit, reuulsionem. Celsus verò, & alij, arteriarum sectiones consulunt, & uenarum iuxta frontem ustiones, san-

guinis etiam profusiones è naribus, vel angulis oculorum: quæ sanè omnia nec tuta, nec facilia, nec certò profutura esse arbitror, præterquam quòd in tam leui affectu primo accessu horrenda videntur: quorum sanè loco placuit semper, si chirurgica operatione aliquid agendum sit, setonem occipitio affigere, vel fontanellam in altero brachiorum (nisi ex mensium, aut hæmorrhoidum suppressione malum oriatur, quo tempore altero crurum aperire est tutius) perforare: sunt proculdubio præsidia magnæ, & incredibilis efficaciæ: hæc namque, & quod fluit reuellunt, & id, quod iuxta partem iam receptum est, deriuant, vt locus subsit cæteris auxilijs discussorijs, quæ alioqui pro futura non essent. Verùm si aut hæc auxilia recusaueris, vel differre volueris, emplastro ad sinapismi modum, vnguis magnitudine, ponè aures, vteris: dixerim sub infimam auriculam, qua parte excurrit in neruos opticos ramus quidam venæ iugularis: emplastrum hoc modo conficies: *Excipe seminis sinapis, euphorbij ℈. 1. cantharidum præparatarum ʒ. ß. fermenti ʒ. 1. misce.* Quòd si aliqua occasione differre velis prædictum auxilium, apoplegmatismis, & errhinis medicamentis, vel quouis alio caputpurgiorum genere, per interualla caput ipsum ab humorum sputcitia immune reddes.

Si tamen his omnibus adhuc factis, affectionem non subsidere comperiamus, coniectandum est, aliquid esse in cerebro, & oculis impactum, & hærens, quod per ipsammet partem digeri, & euaporari desideret. Quem sanè vsum præstant quæ per os sumuntur mane, & cùm laborās it dormitum, velut est Theriaca magna, vel Mithridatium, *vel ʒ. 1. diamuscidulcis singulis noctibus cum syrupo stœchados, aut aqua fœniculi, vel euphrasiæ:* sunt autem alexipharmaca longè à pastu, & ante pastum imperanda. Prodest etiam id q. ℞. *conseruæ betonicæ, & anthos, anà ʒ. 1. Mithridatij ℈. 1. fiat bolus.* Aliud non minoris momenti ℞. *conseruæ anthos ℥. 1. specierum electuarij diamargariton calidi ʒ. 1. conseruæ rosarum ℥. ß. fiant boli quorum sumat laborans ʒ 2.* Capiat etiam cum it dormitum aliud, q. ℞ *succi fœniculi depurati lib. ß. succorum rutæ, chelidoniæ, amaraci pariter depuratorum, anà ℥. 1. mellis lib. 1 coquantur ad mellis crassitudinem: & postea recipe euphrasiæ ℥. & ß. seminis fœniculi ℥. ß. cariophyllorum, piperis longi, macis, anà ʒ. ß. contundantur, & fiat puluis tenuissimus, & superaddatur prædicto electuario.* Quo etiam casu conferunt post pastum pulueres ex aniso, coriandro, fœniculo, corticibus citri, & sacchato. Sed composita possunt fieri hoc modo: *Excipe corticis citri, & carnium citoneorum, anà ℥. 1. myrobalanorum emblicorum lotorum vino albo, & posteà in aqua fœniculi, numero 2. pulueris coralli vsti, & loti in aqua fœniculi ʒ. 2. pulueris cinnamomi ʒ. ß. sacchari ℥. 4. fiat conditum: cuius poteris porrigere ʒ. 1. & ß. post cœnam.* Prosunt etiam & omnia alia quæ diximus capite de epilepsia, huic vsui esse proficua. Inter quæ faciliùs videtur, & efficacius electuarium, q. ℞. *euphrasiæ, seminis fœniculi, anà ʒ. 1. & ß. macis ʒ. 1. sacchari q. s. vt fiat electuarium.* Sic dentifricia, gargarismata, & masticatoria mirum in modum prodesse cōstat: maximè pilula ore traiecta ex mastiche, & ambra grisia confecta, qua & caput corroboramus, & reliquias contenimus: errhina medicamenta, & sternutatoria cauere oportet, vt quæ per pronam affectæ parti regionem materiam alliciant, ne forsan aliquid in oculos incidat.

Extrinsecus verò capiti multa prodesse possunt, vt pulueres, & sacculi, de quibus capite præcedenti, & nuper citato abundè diximus: sed non est minoris momenti balneum ex lixiuio cinere sarmentorum facto, ex decocto corticum ligni guaiaci, & eodem ligno, vel folijs stœchados, absynthij, betonicæ, maioranæ, & fœniculi: prosunt etiam lauacra ex vino, aut modica aqua vitæ cum aliquo ex prædictis decoctis admixta, cum capitis frictione linteo aspero summo manè facta: maximè corpore satis purgato: & vbi constiterit caput ipsum frigido intemperie affici.

Oculis verò multa scripta reperies, tamen quæ eorum præcipua sunt, & vsui probata, solum hic inscribere institui. Verum ne videar in hoc opere indistinctè procedere, expendat diligens lector collyrijs primò leuioribus, ac posteà maioribus vtendum esse: sed priùs oculis adhibebis præparationis humoris, & resolutionis gratia, aliquod ex leuibus fomentis, quale est quod fit ex decocto radicis fœniculi, & seminis fœnu græci sæpius loti. Eandem indicationem complet id q. ℞. *aquæ chelidoniæ, & fœniculi, anà lib. ß. vini albi ℥. 2. meliloti, chamæmeli, anthos, florum maluarum, & betonicæ, anà m. ß. seminis anisi, & fœniculi, anà ʒ. 1. bulliant omnia simul cum pari portione aquæ pluuialis ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde croci ℈. 1. & iterum bulliant, & colentur, & ex hac colatura fiat euaporatio.* Sed quod in hac re magis exequendum est, proculdubio erit, non cuique quodlibet præsidium adhibere, sed iuxta diuersitatem naturæ, ætatis, & morbi, status, atque conditionis: aliud enim pueris, aliud senibus, aliud rusticis, & aliud vrbanis proficuum experimur: sicut aliud cæruleos oculos habentibus, aliud fuluos, aliud cæsios, & sic de reliquis coloribus. In pueris enim lactentibus satis esse solet nutricis spiratio; maximè si priùs masticauerit semē fœniculi, cumini, sagapenum, ammoniacum, galbanum, aut aliquid eorum, quæ suffusis prodesse sum scripturus. Prodest etiam quibusdam principium curationis sumere ab aqua ex melle destillata: sed vtilior est quæ ex melle rosaceo profluit in biliosis: efficacior tamen existit quæ ex melle squillitico in pituitosis. Quibus aquis nonnunquam addere oportet modicum sacchari candi, aut sagapeni, galbani, vel ammoniaci: vel in prædictis aquis contabescant herbæ, quas paulò inferiùs scribam. Quòd si velis efficaciorem efficere, adijcies ante destillationem piperis modicum: sed mirabile est, & à viris doctis experimento probatum, quod hoc modo fit: *Ouum recens sub cineribus ad duritiem coquitur, per medium diuiditur detracto vitello, puluere ex vitriolo, vel viridis æris, album, addito saccharo, impletur, ambabus partibus arctissimè colligatis, maceretur in aqua rosarum, aut euphrasiæ per quatuor dies, expressione facta fiat collyrium.* Præstat & aqua panis fermentati pulueribus anisi, fœniculi, euphrasiæ, & rutæ, ac salis, vbi extrahitur à furno recenter cocti, & in partes discissi per alembicum instillata, cui aliquando addimus, vel mellis, vel succi chelidonij, fœniculi, aut euphrasiæ modicum. Cæterùm si efficaciora velis conficere collyria, primò hoc modo facito: *Excipe fellis accipitris, balsami, anà ℈. 2. ellebori albi, & piperis, anà ℈. 1. cum aqua raphani fiat collyrium facta colatura per duplicem manicam.* Facito etiam hoc modo: *Excipe terebinthinæ lib. ß. sulphuris viui ℥. 2. mellis rosarum ℥. 4. plantaginis, & arnoglossi, anà m. 2. fiat destillatio in alembico.* Fit & aliud quod est mirabilis efficaciæ, & ℞. *chelidoniæ, fœniculi, verbenæ, rutæ, anà m. 1. mellis rosati lib. ß. seminis rapi contusi ℥. 2. herbæ contundantur, & exponantur soli, & quotidie agitentur, & post quadraginta dies exprimantur omnia, & succus expressus vsui seruetur in vase æneo.* Aliud enim ℞. *frumenti crassiusculè conquassati p. 2. sulphuris viui ℥. 1. sagapeni ʒ. 6. salis, piperis, anà ʒ. 2. mellis lib. ß. terebinthinæ ℥. 2. cum vrinæ pueri lib. 2. fiat destillatio in alembico.* Præstat idem beneficium, & adhuc mitius, id q. ℞. *fabarum p. 2. conquaßentur in mellis lib. 2. terebinthinæ ℥. 2. gummi elemi ℥. 1. in succi fœniculi, & marrubij, anà lib. 2. fiat destillatio.* Aliud etiam parabis hoc modo: ℞. *frumenti crassiusculè conquassati, & hordei, anà p. 1. lapidis calaminaris, & mellis anà ℥. 2. sulphuris ℥. 1. salis ℥. ß. distemperentur in*

vase

vase æneo cum aqua fœniculi, & plantaginis, & succo granatorum, deinde fiat colatura cum expressione. Ferunt quidam sagapenum mixtum aquæ fœniculi, & hydromelitu maximè prodesse. Item puluerem capitis hirundinum oculo admotum, cum aqua stillationis vrinæ puerorum, & fœniculi, aut corticum fabarum. Præstat & aqua quæ hac lege conficitur: *Excipe vini albi ℥.3. succi fœniculi depurati ℥.2. camphoræ ʒ.1. tutiæ ʒ.1. & ß. zingiberis ʒ.ß. mellis ℥.4. omnia simul in vase æneo nouem diebus in vmbra adseruentur, posteà per filtrum fiat instillatio, cuius tantillum manè, & serò in oculos instilletur.* Benefacit etiam aliud collyrium q. ℞. *baccarum lauri ℥.1. infundantur in vrina pueri, & succo fœniculi, & instillentur per duplicem manicam cum modico saccharo.* Parabis etiam aliud q. ℞. *rosarum, euphrasiæ, seridis latifolij, gallitrici, pimpinellæ, anagallidis, chelidoniæ, peoniæ, foliorum vitis, apij, betonicæ, tormentillæ, verbenæ, fœniculi, agrimoniæ, rutæ, singulorum partes æquales, inscindantur minutim, & prima die infundantur in vino albo, secunda in vrina pueri, tertia in lacte asinino, si mulieris tanta quantitas haberi non possit, quarta in optimo melle: posteà per alembicum destillentur:* quam instillationem non contemnendi authores ferunt mirabilis esse efficaciæ. Probatissimum, & expertum est, quod fit collyrium *ex succo fœniculi, saccharo candito, rosaceo, & puluere spumæ maris, omnibus simul tritis, ac leuigatis, & prædicto succo fœniculi sumptis, facto collyrio, quod diluet tempore vsus, decocto fœnugræci.* Aliud non minoris momenti parabis, q. ℞. *hepatis hircini lib. 2. calami aromatici, & mellis, ana ʒ.1. succi rutæ ℥.3. aquæ chelidoniæ ʒ.6. aquæ fœniculi, verbenæ, & euphrasiæ, ana ℥.3. piperis longi, nucis muscatæ, & cariophyllorum, ana ʒ.2. croci ℈.1. florum roris marini modicè contritorum, hormini, ana m.ß. sarcocollæ, aloes hepaticæ, ana ʒ.3. fellis accipitris ʒ.1. aut fellis galli, vel perdicis ʒ.3. omnibus tritis, & leuigatis adde sacchari albi ℥.3. mellis rosacei ℥.6. misceantur omnia, & secundum artem in balneo Mariæ per vitreum alembicum destillentur.* Parari etiam possunt alia, veluti *ex felle vulturis cum succo marrubij, melle, myrrha, & pipere, æquis portionibus:* vel *cum succo fœniculi cum melle, aut ex felle hirci in vase æneo ad siccitatem ducto; cui adde granorum lauri exiccatorum ʒ.4. sagapeni ʒ.1. gummis ʒ.ß. cum succo chelidoniæ, & vrina pueri fiat collyrium.* Dimitto aliud medicamentum ex felle viperæ, & mineralibus medicamentis, tanquam suspectum: nam incipienti suffusioni sat sunt quæ diximus.

Fientem verò qui curare aggrediuntur, hoc vnum certò sciant, non solùm finem optatum non probè posse consequi, verùm loco eius congestionem potiùs remorari: quapropter satius esse arbitror, omni diligentia integram coagulationem exequi, ne ex diuturna consuetudine fluendi ad oculos, etiamsi alter curetur, in alterum protinus prosiliat damnum, aut in antiquum, & curatum iterum reuertatur. Ob id profectò, si prædictis auxilijs constiterit, suffusionem non posse resolui, coniectandum est iam in concretionem migrare, quam conficere citius opus erit. Quod, obsecro, cautè facias, non enim minus damni sequi solet ex procurata coagulatione, quàm ex neglecta: sat enim est, extremitatibus animalium, & eorum cerebellis in cœna vti, & pisciculis, & carnibus porcellorum: sed probo magis (licet prædicta ab Authoribus commendentur) vitulinas carnes porrigere (optimi enim sunt nutrimenti, & crassioris) quantum sat est. Curabis tamen prædicta alimenta aromatis condire, quo & faciliùs in partem affectam permeent, & minus nocere valeant. Præstat & vini vsus: sed longè præstantius est, interim dum hæc fiunt, modicè corpus purgare, ne ampliùs in cerebrum, & oculum cōfluat, sed solùm quod fluxit concrescat. Quæ omnia tanto liberaliùs porrigenda sunt, quanto apertius constiterit

A tit vtrumque oculum æqualiter pati, quippe eo tempore tutiùs adhibemus: verùm si solùm eorum alter afficiatur, de reliquo verò vereamur ne in idem malum procidat, maximè si id iam minetur, tunc quidem ab huiusmodi rebus prorsus fugiendū est, securiùs enim extrinsecus adhibebis frigida, & siccantia medicamenta, licet cautè etiam id fieri oporteat, nam sæpè eisdem in duritiem, & concretionem immedicabilē cataracta commigrat: quare tempori potiùs committenda res est, quàm suspectis medicamentis tentāda. Quòd si aqua ob nimiam tenuitatem, vel oculi intēperiem nequeat condensari, apud viros probatos reperio alium curationis modum non omnino cōtemnendum: sæpè enim necessitas experimentis, ac du- B bijs præsidijs consulit vti, potiùs quàm certa desperatione laborantem torquere: modus autem curationis sic se habet. Fiat acus caua instar syringæ, in cuius cauitatem penicillum acutum insere, vt eius acumine oculus perforetur, & locus subsit huic cauo instrumento, ac posteà acuto penicillo detracto, per cauum instrumentum intus relictum artifex sugendo leniter attrahat aquam ibidem contentam, cauens ne simul humorem aqueum extrahat: quippe acus tantum inferatur in aquosam illam substantiam quæ præter naturam est, & alba apparet: & aliquis assistentium intueatur, quo minus, aqua illa euanescente, amplius artifex sugat, vt quod naturale est, intus remaneat. Cui sanè muneri præparandus est priùs oculus, posito in C ore artificis, aut cuiusuis alterius familiaris cumino, aniso, pipere, aut fœniculi semine, quod diu masticet, & tandem frequenter expiret in laborantis oculum.

Verùm si constiterit iam condensatam esse prædictam aquam, & in cataractam conuersam, tunc proculdubio soli manuum operationi res committenda est, corpore purgato, sanguinis copia deposita, & præcedenti victus attenuatione diebus aliquot. Quo facto, laborante in loco lucido sito, & artifice paulò altiùs sedente, caput iubeto continere immobile (solet enim acies oculi à quouis motu eo tempore euerti) & immobilem consule oculum contineri, palpebra superiori à ministro indice digito eleuata, tunc artifex infimam deprimat, tractans sinistrum oculum dextra D manu, & dextrum sinistra. Immittat igitur eo tempore acum acutam, & mediocris crassitudinis, recta per summas duas tunicas medio loco inter nigrum oculi, & angulum exteriorem, hoc est tempori propiorē, è regione mediæ suffusionis, curans ne vlla vena lædatur: nec timidè perforare oportet, nam locus expers est humoris, nec trepidè, ne pupillam dilaniet, aut crystallinum feriat, sed manu sæpè propè angulum oculi externum adhærescente: vbi ventum est ad locum suffusionis (monstrabit id quidem acus quæ exteriùs apparet per corneam quæ pellucida est) inclinanda acus ad ipsam suffusionem tunc est, leniterque deprimenda, & paulatim infra pupillæ regionem deducenda. Comprehensa suffusione acu leniter comprimen- E da est, vel in plures partes scindenda, quo faciliùs singulæ concidant. Post hæc educenda acus recta est, imponendumque oui candidum cum aqua rosacea admixtum, lino molli exceptum, quo vtrumque oculum cooperire oportet, fasciaque deuincere, & ita trium dierum spatio continere: ne ex motu vnius oculi, alter quoque lædatur. Neque erit ab re, præcautionis gratia cucurbitas scapulis affigere, easque scarificare: interim tamen opus est quiete, victu tenui, velut reliqua vulnera exposcunt, vti. Verùm in his qui caput habent catharrosum, frigidum, & humidum, aut calidum, & humidum, post depressionem prouidendum est ne iterum malum reuertatur, fonticula, vel setona brachiorum alteri affixo, per quem expiret quod in oculum fluere assueuerat: præterquam quòd leuiusculis purgationibus etiam præcauere oportet. Secus res se habere debet vbi ex firmata imbecillitate capitis,

&

& humidi radicalis defectu ob aliquod diuturnum, aut grauem affectum morbus succreuit, quippe tunc roborare potiùs caput, quàm crebris euacuationibus infirmare opus erit. Quo fit, vt multi credentes imbecillitatem esse ex affluxu materiæ, longè maius damnum præstent vacuatorijs præsidijs, quàm beneficiũ, quod solùm succrescit ex robotatione, & refectione, alimentis, & rebus humidum, & calidum natiuum adaugentibus.

CAPVT XXII.

De ophthalmia.

ANte tamen quàm huius morbi rationem reddere aggrediamur, nosse oportet, oculos ex tribus substantijs omnino constare: prima, quæ constituit sedes, & receptacula eorum: secunda quæ fabrefacit oculi figuram, & totam eius substantiam complet: tertia quæ tegumenta, & protectionem oculis parat. Prima igitur constat ex tribus ossibus, ex duobus maxillæ superioris, & ex osse frontis: quæ introrsum vergentia cauitatem quandam efficiunt, per quã exit neruus opticus, exeunt vena, & arteria in ministerium oculorum, qui in cauitate constructa ex tribus ossibus dictis degunt. Oculorum prætereà fabricam constituunt tres humores, in quorum medio stat crystallinus appellatus, præcipuum visionis instrumentum: in parte posteriori residet vitreus, in quem veluti in annulum inseritur crystallinus, & antestat albugineus: vndique prætereà hos humores circundant tres tunicæ, quarum duæ disseminantur à duabus cerebri meningibus, & reliqua à neruis opticis: præter quas tres additur quarta, quæ parte anteriori vestit oculum ipsum, originem trahens à pericranio, membrana ambiente caluariam. Palpebræ verò constant ex quatuor substantijs, ex eadem tunica appellata pericranium, ex qua fit interior tunica palpebrarum, exterior ex carnosa, medium tenet alia ex nerueis fibris contexta, quarta cartilaginosa substãtia est, in quam terminatur palpebra ipsa, & à qua nascuntur pili palpebrarum, quæ facta est durior, vt oculum simul vniuersum claudere, & aperire possit natura.

His suppositis, est ophthalmia adnatæ tunicæ oculorum inflammatio, à Latinis lippitudo appellata, videlicet, cùm alba oculorum tunica ab externa causa, vel ab interna afficitur. Atque licet ex Celso libro 6. cap. 16. constet, lippitudinem ab ophthalmia seiungi, nec non ex Hippocr. 2. prædict. vbi dixit ophthalmias eosdem habere circuitus, ac febres, & mox subiungit, lippitudines quasdam esse annuas: quo videtur eas distinxisse: tamen cum hoc arbitrandum est, idem ferè esse, licet apud Romanos lippitudo solùm erat oculorum aspritudo cum pruritu, & rubedine: verùm quia hæc signa præludia sunt ophthalmiæ, & sæpè cum ipsa cohærent, ob id non ab re ophthalmiã per lippitudinem verterunt. Huius sanè affectionis plures sunt species, ac differentiæ: nam prima est præfata inflammatio, quæ diuiditur in siccam, & in humidam, quarum quælibet est genus ad alias duas: quippe humida, quæ nomen generis obtinet, legitima est, & vera ophthalmia, sita in vera inflammatione adnatæ: quæ licet aliquando magna sit, & nonnunquam parua; continet tamen sub se alias duas species, quarum vna phymosis nuncupata, sita est in inflammatione etiam humida palpebrarum oculi, quæ inflammatio adeò grandis est, quòd oculum claudat, & veluti ligando comprimat eas partes quas apertas esse oportebat, siue id cicatrice, siue inflammationis magnitudine fiat, ita vt partes præ incremento coalescant. Altera verò chemosis appellata, inflammatio est adeò ingens, ob copiosum humorum confluxum, quòd non solùm adnatam, sed & palpebras in tumo-

A rem, & ruborem attollat: in quo affectu oculus claudi non potest, sed album eius subleuatur, nigro subsidente, & veluti hiatum quendam efficientem, qui sanè affectus à Galen. lib. definitionum appellatur epiphora, licet lacrymæ etiam effluxus, aut aquæ nuncupetur: differt à prima, quòd illa oculos claudat, hæc verò apertos teneat. Sicca verò oculorum inflammatio, quæ generali nomine taraxis nuncupatur, nil aliud est quàm leuis quædam omnium partium oculi inflammatio, & veluti phlegmonis principium, cum rubore exiguo, quem dolor mitis consequitur: ita vt solùm videatur oculi perturbatio, nondum inflãmatio, aut saltem occulta. Ac licet Paulus solùm à causis externis excitari referat, experimento didicimus non

B rarò ab internis posse fieri, & in veram ophthalmiã, leuem tamen commigrare, nam licet ab externis fiat causis, vel à flatuoso, & crasso spiritu, ab internarum etiam tunicarum leui inflammatione fit: qua ratione, etiam si ab inflammatione humida prodeat, sicca ophthalmia nuncupatur, quia internarum tunicarum est inflammatio, facta iuxta nerui optici, & piæ, ac duræ matris, intrinsecus oculum constituentium, substantiam, & naturam. Huius etiam aliæ duæ reperiuntur species, xerophthalmia vna, quæ ea est in qua oculus plurimum dolet citra materiæ conspicuum affluxum, aliquando ad palpebras se se extendens: Altera verò & huic similis ea est quæ sclerophthalmia appellatur, lippitudinem cum tensione oculorum, & im

C mobilitate inducens, qua immobilitate à xerophthalmia dissidet. At ophthalmia vera, & legitima solius adnatæ vera est inflammatio, ex sanguine affluente frequentiùs orta. Itaque taraxis sicca, & leuis quædã inflammatio est omnium oculi tunicarum, diuisa in xerophthalmiam, & sclerophthalmiam, phymosis palpebrarum, chemosis palpebrarum, & albi oculorum, ophthalmia verò solius adnatæ. Quibus sic intellectis, haud difficile erit nosse, qua via licet intelligere authores, cùm referunt ophthalmiam fieri per consensum, aut à flatu, vel à causa externa: siquidem vera ophthalmia inflammatio est, quæ solùm fieri potest ex affluenti humore, quam duplicem cõstituunt, vnam spuriam, seu illegitimam, & pseudophthal-

D miam appellatam, à prædictis causis externis, aut flatu tantùm ortam, & potiùs phlogosim, seu incensionem, & taraxim, aut perturbationem nuncupatam: reliquam verò legitimam, & veram inflammationẽ constituentem, quæ solùm fit per affluentem humorem, vt dictum est. Rursus hæc inflammatio duplicem potest obsidere locum: nimirum adnatam exteriorem oculi tunicam: aut reliquas sibi subiectas à pia, & dura matre disseminatas: quæ sanè quòd non ita conspicua sit, ad siccam etiam reduci potest, vt nuper diximus. Itaque constat, dum sola est ophthalmia, ipsam esse oculi calidam intemperiem cum materiæ affluxu: nam licet inflammationi adiuncta sit soluta vnitas, & magnitudo, dum hæc simul oculi a-

E ctionem non lædunt, rationem morbi obtinere non merentur: sunt quippe eo tempore symptomata. Secus res se habet, si actiones pariter lædant: nam tunc ophthalmia morbus est compositus, haud secus quã quiuis alius tumor.

Quatenus verò ad causarum rationem attinet, modo in extima tunica affectionis causa sit, modo ab interioribus ad ipsam fiat commeatus, aut in eisdem præsit humorum decubitus, duplicem habet causarũ differentiam, quemadmodum ophthalmia duplex est. Humida vna, quæ affluxum humorum ex sanguine, aut biliosis, & crassis succis, ac pituitoso, & crasso succo, vt causam habet. Quorum humorum vbertas, aut paucitas leuem, aut grandiorem generat ophthalmiam. Item eorum affluxus ad palpebras solùm, aut ad ipsas, & adnatam reliquas duas ophthalmiæ humidæ differentias concitat. Prætereà altera quæ sicca *Causæ.*

est,

est, diuersas sortitur causas: nam aut est halituosa & vaporosa quædam substantia, quæ venulas illas semel ingressa, nequit faciliter resolui, & ibidem tensionem & dolorem infert. Considerare etiam hac in parte externas causas seu euidentes oportet, qualis est puluis, cinis, insolatus, fumus & omne calorificum aut frigidum, quæ secundam constituunt sicca tum causam. Fiunt etiam ex humorum affluxu ad internas tunicas, vel aliquando causæ externæ facilè possunt euocare capitis aut totius corporis humores & veram concitare: nam ad curationem, licet externæ causæ parui sint momenti, cum hoc tamen effectum quem imprimunt, & humores quos mouent nosse, non leuis est vtilitatis. Considerare item in huiusmodi causis adhuc oportet, vt prosperè cedat curatio, qualem sortiantur in capite aut corporis alia parte generationem, qualeue principium. Quippe adeò est ophthalmia importuna affectio, adeoque curatu difficilis, vt omnibus his adhuc probè cognitis, sufficere non videatur: nam aliquando ex suppressa prodit vacuatione, cuius consuetudine natura corpus incolume tuebatur, vt varice, menstruis, hæmorrhoidibus, vel diutino alui fluxu: item prodit ex totius corporis apparatu, sæpe ex iecoris vitio, plerumque verò ex alimento capitis prauè confecto, vel ex eiusdem excremento non satis purgato, sed oculis prælato per duræ aut piæ matris venulas, vel per eas quæ in pericranio sunt. Quòd si ophthalmia exacerbationes habeat & incrementa varia, conijcito causam esse nouum humorum affluxum: verùm si dolores fuerint vehementissimi cum tensione oculorum, culpam regerere oportet in flatuosam substantiam: si verò cum mordicatione & punctione, in erodentem humorem.

Verùm quia potissima curandi ratio ab ipsius causæ cognitione dependet, simul cum cognitione status ipsius inflammationis, ob id diligenter oportet causam rimari & statum effectus. Sed ante omnia, sitne per defluxionem, vel per proprium oculorum alimentum vel excrementum ophthalmia, expendisse oportet: nam fluxum monstrat repentina eius inuasio, neque præcesserunt lacrymæ aut sordes, & exacerbationes fiunt per vices & interualla. At qualiter in oculis ipsis esse mali causam cognoscas, mox referã, si priùs monstrauero signis, sit ne spuria aut legitima ophthalmia. Quod ostendit proculdubio tumor cum dolore, maximè lacrymas producente: nam spuria solum mutat colorem adnatæ, idque parum ac nonnunquam citra lacrymam & tumorem. Verùm si ex illegitimis phlogosis fuerit, & solùm incensio, curandum est distinguere, procedatne à causa externa, vel à flatuoso spiritu: illud quidem venaberis ex diligenti disquisitione eorum quæ præcesserunt, fumusne fuerit, aer, puluis, an immodicus calor: quòd si neutrum fuerit, & adhuc rubori & dolori adiungantur tensio & immobilitas, coniectandum est flatuosum esse spiritũ: qualiter verò distinguantur omnes spuriæ species, paulò superiùs diximus. Verùm si tumor in adnata tunica conspicuus apparuerit, venarumque eius turgor & rubor, ac multo magis si palpebræ inuertantur, aut in tumorem etiam attolli contingat, proculdubio credẽdum est veram esse ophthalmiam. Cæterùm, quia hæc à varijs potest proficisci humoribus, curandum est nosse, à quo nam eorum principium & augmentum sortiatur: sic profectò dum sanguinis fit affluxu, ex totius corporis plenitudine, rubore, & venarum tensione venaberis, sicut ex antè acta vita, ætate, & temperamento laborantis. Signa tamen sanguinem esse in capite ipso euidentiùs constabunt, siquidem non solùm ipsa tunica, sed & tota facies rubicundior solito apparebit, humidior erit, & venæ latiores: aderit & sensuum grauitas, & lacryma quæ profluit, mitior erit: pulsatio item temporum, & lippitudo palpebras agglutinans. Quòd si flaua bilis malo causam

A præstiterit, vel ichor aliquis mordax, lacryma erit vel nulla, vel parua, salsa, amara, statim concrescens, erodens & acutè exulcerans, sordes in angulis siccæ & asperæ: color flauus aut subpallidus, & prauum succum monstrans: dolor erit adeò pungitiuus, vt impatienter eum laborans ferat: tumor minor, excrementa biliosa, vigiliæ, corpus gracile: quod etiam monstrabit ætas, laborantis temperies, anni tempus, & victus præcedens, ac nonnunquam febris tertiana. Pituitosum & crudum succum monstrat tumor laxus, grauitas magna, dolor & color remissius, calor & lacryma mitiores, atque hæc tenuis & insipida, sordes vel nullæ vel molles: sic de melancholia iudicandum est, verum in ea lippitudo minor, color fuscus, affectio diu-
B turnior, & dolor non admodum grauis, sed perseuerans cum grauitate. Solet tamen difficilem efficere huius morbi curationem ignorantia loci, seu principij fluxionis: & ob id primò nosse oportet, prodeatne ex suppressa vacuatione quæ consueta fuerat: quod monstrat ipsa citra rationem suppressa: item totius corporis causa fieri, ipsius plenitudo, rubor, & dimissum consuetum exercitium, ac copiosius alimentum. Sed difficilius lõgè est cæterarum partium notitiam ediscere: quippe aliquando humor profluit per externa vasa, eaque conspicua, vt oculorum anguli & temporales venæ tumentes & rubentes commonstrant: nonnunquam verò per interna, & ea quæ intrinsecus promanant, vt monstrat minor tumor, remissus ru-
C bor, intensior dolor, nulla palpebrarum affectio, & longè minor à præsidijs conferentia: præterquã quòd dolor etiam ad radices vsque oculorum videtur pertingere: quod in ophthalmia quæ à defluxu per externa vasa fit, non contingit: si quidem & tumor maior est, & pertingens etiam palpebras ipsas, plerumq; dolor non ita profundus, rubedo euidentior, venæ conspicuæ, & frontis grauitas manifestior. Verùm quia non parum curationis modum euariat nosse, sit ne affectio ex superabundanti alimento, an ex non vacuato excremento, ob id studendum est, id signis distinguere. Quippe succus exuberans, venas partis & totius corporis turgidas dolentesque reddit, caput graue, sensus obtusos, & exacerbationes doloris inordi-
D natæ ac vehementiores sunt: at excrementorum prouentus nihil horum, sed leui concitato dolore, mutatione coloris iuxta naturam excremẽti id efficit: sunt enim excrementa, vel sordes aurium, vel narium pituita, aut lacryma, ex quorum aut cuiusuis suppressione facile erit nosse ophthalmiam principium sortiri: hoc tamen vel illud esse ex colore oculi venaberis, & ex defectu eius qui causam aliam præstare poterat. Variat etiam vniuersam curandi rationem tempus, & varietas ipsius humoris fluentis, siquidem dum fluxio incipit, diuersa longè opus est curandi via. Sic enim tempora morbi, non quidem quoad coctionem, sed solum ex morbi essentia metiri oportet, ex principio nimirum fluxionis, & conspicuo atque euidenti
E tumoris augmento, quibus adiunguntur dolor & alia symptomata, quæ tempora ipsa circunscribunt.

Hunc morbum qui exactè intueatur, reperiet longum aut breuem fore, adhibito in considerationem Celsi decreto lib. 6. cap. 6. nec non & Hippoc. lib. 2. prædictio. inquiunt enim: Si simul & lacryma & tumor & crassa pituita cœperint, si ea pituita lacrymæ mixta est, & ea lacryma calida est, pituita verò alba & tumor non durus, longæ valetudinis metus nõ est. At si lacryma multa & calida, pituitæ paululum, tumor modicus, idque in vno oculo est, longum id, sed sine periculo futurum est: idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed vix ante vigesimum diem tollitur, nonnunquam per duos menses durat. *Præsagium*

Verùm si pituita sicca & arida fuerit, dolorem mouebit, sed maturiùs definet, ni exulceratio aliqua malum protraxerit: item si pituita alba & mollis lacry-

mis

mis admiscetur, breuior erit: ita & tumor si magnus sit, & sine dolore, sine periculo est: verùm siccum dolore, & siccus, metus est ne exulceretur, aut palpebra oculo agglutinetur. Præterea si prorogetur ophthalmia, periculum est, ne aliquod de se in oculis vestigiũ relinquat. Sed inter omnes ophthalmiæ species, ea cẽsenda est grauior, & curatu difficilior, ac forsan contagiosior, quæ in tunicis piæ, aut duræ matris succrescit: maximè si putrilaginem conceperit humor sordidam, & venenosam. Verùm vtrumque potest soluere alui profluuium. Hipp. 6. aphor. 17.

Curandi ratio. Difficilis profectò semper habita fuit in hoc affectu curandi ratio: namque tot habet leges, & rationes, quot sunt causæ, quæ affectum ipsum gignũt, præter particulæ dignitatem, organizationem, & indigẽtiam peculiarem, quæ parui momenti non est. Sed vniuersa diuiditur in duas tantum classes, quarum prima corporis affecti, & capitis præparationem, & prouidentiam docet: secunda verò affectus ipsius veram curationem commonstrat. Primam docuit Hippoc. 6. aphorism. 31. & Galen. lib. 4. pharmac. local. capitibus 2. 6. & 7. namque frustra est particularem aggredi curationem, citra corporis, & particulę affectæ prouidentiam. Sic etenim ille optimu dixit: Sanguinis missio, & expurgans medicamentum, ac diuersiones, oculorum dolores soluunt: nam hæc quatenus ad particulam affectam attinet, minimè nata sunt dolores oculorum soluere: non enim sunt anodyna auxilia, neque discussoria, aut repellentia, sed ideò dicuntur id præstare, quia partem disponunt, vt præstanda auxilia promptiùs operentur. Sic enim primitus corpus cauebis ab aere lucido, fumo, puluere, vociferationibus, loceturque in aere temperato, vel modicè frigido, aut calido, pro causæ exuperantis ratione: cubile rubeo esse, vel nigro, vel cæruleo colore suffusum, sõno vtatur nocturno, ac moderato solùm: cibus sit boni succi, & tenuis substantiæ, cauendo semper acria, pinguia, crassa, & vaporosa. Vtatur insuper pullis, ouis sorbilibus, pomis dulcibus assis, & in potu aqua: vinum inter initia vitandum, solumque vel in declinatione, vel in crudis, & crassis humoribus porrigendũ, vt inferiùs docebo. Conturbationem ex frigida causa curabis fomento ex vino calido, aut aqua calidiori: si ex calida, fotibus ex posca: ex percussione verò curatorii albumen in oculum iniectum, lac item, & rosaceum spongia panno lineo inuoluta adhibentur, & columbi sanguis, præmissa sanguinis detractione maximè in sicca lippitudine profunda, hoc est quę in interioribus tunicis inflammatis sita est: quibus omnibus fotus aquæ tepidæ ex vsu existit, aut lac muliebre, vel decoctum maluarum, aut fœnugræci.

Sanguinis detractio. Quibus sic institutis, curandum est corporis habitum, & humorem peccantem considerare: quippe hic, aut fluxurus est, aut fluit, aut fluxit: sic procul dubio, qui morbosum in corpore concitat apparatum, demendus protinus est, habita priùs naturæ eius consideratione. Nam si inflammatio ex sanguine ortum duxerit, vtcunque corpus dispositum sit, sanguinem detrahes, copiosiùs verò ipso in toto corpore redundante, idque ex contrario latere primò, quo propriùs retrahas, mox verò ex eodem: quòd si leuis copia sit, sat est ab eodem principium curationis auspicari. At si præcessit suppressio alicuius sanguinolentæ, & consuetæ vacuationis, eam protinus à prima sanguinis detractione curabis reuocare, & sanguinis detractionẽ in hac plenitudine institues ex communi vena, ac si vires tolerant, largiùs, quo dolor cesset, & feruor compescatur, & mox ex ea quæ è directo parti, cuius suppressa sit consueta vacuatio, etiamsi ex talo fieri oporteat: sæpè enim, licet distantior videatur locus, longè vtilior existit: quo facto, secare oportet cephalicam eiusdem lateris. Verùm si solùm caput sanguine repleri constiterit, ex cephalica protinus, & à principio sanguinem mittes. Quòd si vitiosi alicuius humoris copia solùm inflammari oculos constet, non subinde abstinendum est à sanguinis detractione: sed considerãda tunc est doloris, & tumoris vehementia, & iuxta eius magnitudinem sanguinem extrahes, cauens ne id semel, & confertim exequaris, sed longè parciùs, nimirum quãtum dolori sit satis. Id quidem facies ex venis quæ oculis è directo respondent, aut scarificabis cucurbitulas iuxta ceruicem: quod sanè præceptum adseruabis in alijs causis, sanguine ex toto corpore extracto, si malum diutiùs durauerit. Corpore igitur hac lege præparato, retractuque his, & cucurbitis, frictionibus, ligaturis, crurum lauacris, hæmorrhoidum, ac mensium prouocatione, fluxionis impetu, diligenter inquirendum est, subsit ne in capite plenitudo à qua oculorum affectio foueatur, an solùm in ipsis oculis humores presint. Nam si primum, ipsum quoque caput præparare euacuando deriuandoque ab ipso inundantem humorem oportebit. Quo casu non longè à corporis præparatione sanguinem mittere ex venis, quæ caput respiciant erit opus, ne malo inueterato, posteà nihil prosit, aut forsan obsit: ob idque ex venulis nasi, aut quæ sub lingua sunt, mittere sanguinem tunc oportebit, si in intimis eius venis sanguis abundet: verùm si in extimis, satius erit venam frontis aperire. Quæ sanè auxilia multi ex authoribus non nisi iam inueterato malo adhibere audent, quo tempore nullius esse momenti cõperimus, quia tunc satius erit eas quæ in angulis oculorum existunt aperire, quo expiret commodiùs quod in oculis ipsis continetur.

Verùm si vitiosus aliquis humor mali causa fuerit, habita detractionis sanguinis prædicta consideratione, eandem methodum seruare oportebit, expurgantibus medicamentis exhibitis, iuxta Hippocr. præceptum libr. de medicamento expurganti, biliosis humoribus quæ bilem, pituitosis quæ pituitam expurgent. Cæterùm in hac re consideret Medicus, longè aliter esse adhibenda expurgantia medicamenta in flaua bile redundante, ac in pituita, licet eadem sit purgandi ratio in vtrisque, dum totius corporis consensu caput laborat. Quippe dum caput ipsum flaua bile abundare cognouerimus, subitò & confertim, & per ea medicamenta, quæ cùm hoc quod leuia sint, iecur, & venosum genus respiciant purgare oportet: nã cùm officina flauæ bilis nequeat esse caput, hinc factum est, non expedire mox à principio capitalibus (vt ferunt) purgationibus flauam bilem mouere, & exasperare: cùm euidentissimum sit ibidem non generari, sed à corpore transmitti, etiamsi, dum caput calore immodico intemperatur, exuritque ob id cõmotos sibi succos, necessum sit catapotijs mox à prædicta purgatione vti. Nam catapotia quæ bilem purgant, ob moram, & quia somni tempore adhibẽtur, caput euaporantia, ab ipso biliosa excrementa deducunt: cæterùm id non nisi corpore præmunito, & purgato, vt dictum est, fieri debet. At in humoribus pituitosis longè aliter res se habet: nam præterquam quòd caput omnium malorum originem arbitretur Hippocr. in epist. ad Democritum, ipsum plurimum pituitæ generare, vel sua spontè compertum est. Quapropter frustra censeo esse totũ corpus à pituita priùs expurgare, quinimo conducibilius existit, capitalibus & frequentibus purgationibus caput ipsum inanire, vt oculi aptiores ad curationem supersint. Hoc vnũ tamen in his purgationibus adseruabis, nimirũ quòd à principio biliosis leuia adhibeas medicamenta: nã à grauioribus facilè exacerbantur, & vehementiùs in partem inflammatam irruunt: ob idque sat erit manna, cassia, rhabarbaro, & mirobalanis vti, dummodo dissoluantur in aqua lactis. Verum si malum iam indurauerit, non erit ab re paulò maioribus vti, vt pilulis de rhabarbaro, aggregatiuis, aut aureis: cæterùm

in

in pituita,& melancholia, fortioribus vteris, diuiusque humorem præparabis, vt capite de dolore capitis abundè scriptum reperies: interim tamen scito prodesse pilulas cochias, alephanginas, de agarico, Arabicas, diaturbith, diasenam, diaphænicon, electuariū Indum,& confectionem Hamech.

Corpore,& capite sic dispositis,& redundante iuc co euacuato, curandum protinus est impetum humoris aliò transferre: sic etenim prosunt cucurbitulæ suris, brachijs, & scapulis affixæ, crurum frictiones, lauacra,& ligaturæ, item & brachiorum. Quòd si fluxio impetum ceperit ab aliquo suppresso fluxu, innitendum est ipsum reuocare,& impetum hac via compescere, quare in fœminis talum inscindere, aut suras scarificare tutissimum est.

Præmunita hac via parte, & corpore immuni ab humorum copia, & spurcitia, necessum est aggredi prouidentiam eius quod in oculum confluxit. Integratur autem huiusmodi curatio tribus omnino scopis: primus quidem docet repulsorijs medicamentis quod in oculos confluxit pellere: secundus discussorijs, quæ, quod retrocedere nequiuit, per insensilem halitum digerant: tertius verò eis auxilijs, quæ quod discussioni est ineptum, coctione conuersioneque in puris, aut lemæ naturam, malum finire possint. Itaque in primis, collyrijs medicamentis vti oportet, appellantur enim collyria medicamenta, quæ humorē contra fluere efficiunt, quæ in oculum indita, materiam ab eo repellere nata sunt: hæc autem frigida esse oportet,& parum astringentia, nam plurimum frigida renuit Galen. 2. local. & 12. metho. lenia itaque, & mulcebris substantiæ ea esse oportet in ea affectione, cuius generatio,& affluxus materiæ nondum cessauit. Sed antequam hinc discedam, magnifacere studui, quanti periculi sit, vtcunque & indistinctè in oculorum affectionibus repellere: licet re vera nulla sit in oculis deterior pars, & ignobilior ea, quæ in ophthalmia patitur: item quia eius tunicæ conditio, natura duræ, solidæ,& densæ est substantiæ, à qua, postquam aliquid receptum habet, pellere difficillimum sit. Quinimò arbitrandum est, hoc præsidij genere in plerisque laborantium fieri vngues, & nubeculas, ac reliqua vitia, quæ semel facta, non sine magna Medicorum,& astantium admiratione, laborantem in cæcitatem ducunt immedicabilem. Quapropter, licet à Galen. & plerisque authorum, passim frigida hæc & astringentia scribantur, quæ administrare oportebit: nimirum dum fluxio nondum venas ipsius tunicæ egressa est, sed ibidem adhuc manens, facilè repulsu, & compressione retrocedere potest, vt visu venire solet, mox à doloris principio. Verùm si, vt fors tulit, non raro accideret, denuò dolores exacerbari fluxione reuertente,& adhuc quod fluxerat, in poris tunicæ ipsius impactum manserit, adstringentia tenues, quia eis sæpè fiunt, vt dictum est, vngues,& nubeculæ, vel vnus solùm noctis spatio: tunc quidem ea adhibebis, vel actu calida, vel concoctorijs, aut discussorijs admixta, nisi doloris vrgentia actu frigida adhibere cogaris. Itaque si sola, necessum sit, quæ repellunt adhibere, actu calida administranda esse consulit rei natura: si verò alijs admisceantur, frigida tutò adhibebis. Præterea, non solùm quod hucusque dictum est, renuit indiscriminatam repellentium administrationem, ob particulæ naturam,& peculiarem conditionem, sed etiam variæ sunt humorum sortes, quæ prædictorum medicamentorum contactum etiam subterfugiunt,& renuunt. Huius naturæ est corporis plenitudo, humoris in parte contenti copia, crassities, tenuitas, & dolor oculorum acerbissimus: crassities enim medicamentis repellentibus non obsequitur, sicut neque copia: tenuitas compressionem illudit, præterlabitur, & ob id pressiùs in parte figitur: dolor ab adstringentibus compressa materia augetur. Deni-

A que prudenter,& cautè repellentia hæc adhibere cōuenit, cum hæc & alia non minoris momenti, ex indextero eorum vsu succrescere soleant. Inquit enim Aetius sermone 7. capit. 4. prudenter esse adhibenda his qui oculos habent glaucos, vel venis scatent amplioribus: quippe hi non ferunt collyrium frigiditatem,& adstrictionem, congelascit enim oculus,& visio offenditur. Sic & Auicen. 3. 3. cap. 9. inquit. Et oportet in quantum possibile est, vt retardetur collyriorum administratio vsque ad tres dies: & paulò infra. Oportet vt in principio non administrentur inspissantia fortia,& quę sunt vehementer stiptica, quoniam spissant tunicas,& prohibent resolutionem,& magnificant dolorem. Quod sanè præceptum multi

B perperam intelligentes, arbitrantur collyria medicamenta non esse adhibenda, nisi transactis primis tribus diebus; ego autem censeo solùm esse adhibenda primis tribus diebus, quo tempore fluxio adhuc perstat in venulis, posteà verò ad discussoria deuenire oportet,& collyria non debere esse admodum adstringentia quod ab ipso Auicen. mala. His itaque suppositis, primò expendes, frigidusne sit, an calidus qui fluxit humor: quippe si frigidus pituitosusve fuerit, longè cautiùs,& mitiùs repellentibus vteris,& his quæ minus frigida sint: cuius naturæ est collyrium de spica roboratum succo menthæ, raphani, aut virgæ pastoris. At in processu mali, maximè apparentibus signis coctionis, vtendum est emplastro ex anetho,&

C folijs maluæ in vino astringenti decoctis: aut ex meliloto,& spica, vel ex fœnugræco,& rosis in vino pariter stiptico decoctis: & pari ratione instillare oportet collyrium prædictum de spica cum aquis meliloti, aut fœnugræci. Item perstantibus adhuc eisdem signis coctionis, ex vsu erit puluis citrinus (cuius in fine capitis meminero) cum mucagine fœnugræci, aut melilon: quo etiam tempore balnei vsus, ac vini potus non sunt parui momenti. Cæterùm si materia quæ fluit, calida, acrisve, ac mordax fuerit, adhibenda sunt quæ, præter id quod repellant, materiæ quoque acrimoniam,& feruorem reprimant: cuius naturæ est portulaca trita, intybus, viola, solatrum, aqua rosarum,& myrti, vel psyllium in eisdem infusum,

D quibus addes collyrij albi modicum, atque in eisdem perstabis donec lippam,& lacrymam cessare aliquātulum compereris. Quo tempore, prædictis addere oportet, quæ concoquendi,& resoluendi vires habēt, qualia inferiùs copiosiùs recensebo, si priùs dixero hæc veluti exempla, aduersus calidum, aut frigidum fluxum sufficere: hoc vno animaduerso, quòd licet fluxio sit frigidi humoris, ob contractum calorem ratione inflammationis, non vt humoris est natura, calfaciendum est, sicut in calido humore non impensè refrigerandum. Sed mox à principio vtendum est his, quæ id leuiter efficiant, ac dolorem sedent,& cū hoc mulcebrem reddant humoris determinam conditionem: quorum placuit vberem copiam scribere,

E vt subsit in prolixo,& importuno hoc malo sufficiēs præsidiorum materia.

Cognita inflammationis conditione,& fluxionis etiam impetu, tale est principio repulsionis, rosarum succus, oui liquido tenui, aqua rosacea, aut plantaginis admixtis, vel sufficit lac muliebre, aut alinæ panno prædictis succis, aut liquoribus insuccato, priùs tamen modico eorum in oculum instillato, veluti aqua rosarum, albumen oui, mucagines psyllij, seminis cītoniorum, tragacantha, lac etiam muliebre, quo cautè vteris, aut liquore aliquo sibi admixto, quo minus corrumpatur, aut inflammetur: mica etiam panis aqua, aut aliquo ex prædictis decoctis madida. Hunc vsum etiam præstat oculo instillata collyria monomera, id est ab vtilitate vnius diei sic appellata, quæ conficiuntur ex sarcocolla, glauco, croco,& tragacātha cum succis, aut aquis supradictis. Post quæ omnia,

nia, aut mox factis vacuationibus, vel interim dum fiunt, ad ea quæ dolorem leniunt deuenire cogit doloris ipsius vrgentia, quæ vel per se sola, si omne consilium doloris immanitas ad se vertat, vel alijs admixta porriges. Prosunt probè oculis, sedandi doloris gratia, decoctum violarum, rosarum, seminis psyllij, papaueris albi, corticis radicis mandragoræ, foliorum populi (quò etiam repulsio admixta sit) salicis, rubi, myrti & similium (habito semper naturæ humoris respectu) quæ vires habeant repellendi simul, & leniendi dolorem. Huius etiam naturæ sunt suffitus ex fœnugræco, ouorum lutea decocta quousque indurescant, admixto croco, & lacte mulieris, vel, si causa frigidior fuerit, melle. Probatur quoque lac cum panatella, vitellum oui cum lacte, pomum assum cũ saccharo, item vitellum oui cum lacte mulieris, & rosaceo simul mixtis: vel emplastrum ex luteo oui, meliloto, pane & rosaceo. Quòd si dolor fuerit ex vulnere (& cum hoc omni dolori prodest) ex vsu est illa oui albuminis pars quam vulgus gallaturam appellat, quę (vel pluribus iunctis) debet plurimum conquassari, & in oculum infundi, & mirum in modum prodest. Itẽ lana succida rosaceo & mulso imbuta, & iuxta frontem posita; portulacæ folia trita, cum peponis carne & hordeacea farina; puls similiter ex hordeacea cum mulso; violæ luteæ cum myrrha & croco. Præterea inflammationes dolorosas palpebrarum leuant lauri folia tenera trita cum pulte hordeacea, spongiarum mollissimi penicilli ex mulso impositi. Quòd si flatus dolorem & turgorem efficiant, fomenta & balnea proderunt, & vapor ex milio candefacto; stupefacientia verò cauere oportet, cerebrum enim propè est, quò maius impendet periculum. Sic profectò, vtriusque indicationis gratia, veteris oui albumine vehemẽter agitato, ac detracta spuma cum decocto papaueris albi aut aqua rosarum, cum gossypio insuccato, facta instillatione supra oculum. Prodest & aliud q. ℞. *mucaginis seminis psyllij, & citoniorum extractæ in aqua papaueris. ana.℥.1. liquoris tenuis oui.* ʒ.6. *caphuræ. gr.8. croci. gr.4.* vbi dolor vrgentissimus extiterit, vtendum est (cautè tamen, & raro, vt diximus, propter cerebrum) *duobus granis opij*, sed ab eius vsu protinus *decocto meliloti tepido* oculus foueatur, quo intemperies ab opio relicta compescatur. Quòd si morbus augeatur, vtendum est alio, q. ℞. *cerusæ, plumbi loti cum aqua rosacea, persicariæ, camphoræ.* ℈. ß. *cum oui albumine fiat collyrium, quod vsus tempore lacte muliebri aut aliquo ex prædictis decoctis dissoluatur.* Verùm si dolor indies augeatur, *vtendum est collyrio albo Rasis sine opio, vel cum modico lacte mulieris dissoluto. Adde etiam emulsionem seminis papaueris, & psyllij cum albuminis oui liquore, ac.* ℈. *1. coralli rubei præparati, quæ omnia excipiantur mica panis lacte caprillo cocta, & oculo admoue.* Cauendum tamen est, nisi vrgentia mali coegerit, ab opiatis medicamentis: nam sæpe plus obesse visui, quàm prosint inflammationi compertum est. Et ob id sæpius monere studui.

Extra tamen adhibere oportet temporibus & fronti medicamenta, quæ repellendi vires obtineant, quæ maiorem adstrictionem sortiri possunt: ex quibus cataplasma conficies, vt ex aquis & liquoribus aut succis supradictis, & præcipuè ex albumine oui cum pulueribus santalorum, papaueris, mastichis, thuris, rosarum, gypsi, boli armeni, amyli, tragacanthæ, & huius census alijs. Frons item illiniri potest ex plantaginis, solani, vel semperuiui succo, albo oui, vel rosaceo oleo, vel aqua, bolo armeno, & pauco aceto admixto. Laudat etiam Galen. lib. de facilè para. viridia vitis folia in modum cataplasmatis fronti assiduè inhęrentia, aut folia myrti seu lentisci, vel succum rubi, aut portulacæ. Probantur etiam limacia trita & fronti adhibita. Cum hoc tamen scito, bis non esse vtendũ, nisi corpore satis euacuato. Quippe certum est, si per adstricta his medicamentis vasa remeare tenentur repulsi humores, impossibilem esse eorum recursum; cùm viæ angustiores factæ nullo modo capere possint prædictos succos, si vasa plena sint. Quamobrem caueto, ne simul ab oculis repellas, & temporum venas cataplasmatis, aut frigidis pharmacis adstringas. Ego etenim semper vtilius esse sum expertus his cataplasmatis vti, cùm discussoria hæc ad oculos euocẽt, compressis fluxionis vijs. Quòd si vsus indigentia postulauerit, vteris hoc, q. ℞. *rosarum rubearum, nymphææ & violarum anà.* ʒ.3. *santalorum omnium. anà.* ℥. 2. *seminis papaueris albi, corticis mali granati. anà.* ℥. 1. *boli armeni & myrtillorum. anà.* ʒ. ß. *fiat puluis subtilissimus, qui cum aceto & albumine oui fiat ad modum vnguenti, fronti ac temporibus illinendus idonei.* Ciscunt etiam & modicè adstringit, vt iam crescente malo, & transacto principio opus est, *stillatitia aqua ex fœniculo viridi contuso, syrupo myrtino, chelidonia & mucagine psyllij cum saccharo rosaceo dissoluto in aqua papaueris.*

Quòd si ne his quieuerit importuna affectio, coniectabile est, plurimum adhuc humoris existere in partibus affectæ parti vicinis, quod per vicina membra etiam deriuare oportet, sanguine extracto à venis, quę è directo caput respiciũt, vt à venulis nasi, à vena frontis, aut sincipitis, vel ab eis quæ post aures & in temporibus existunt, è quibus eligenda est, quæ rubicundior tumentiorq; extiterit. Harum tamen scissionem cautè facito, & cum perito artifice, ac non nisi reliquis præsidijs frustra tentatis, ne tibi quid deterius accidat. Conterit etiam reliquias humoris, scissa oculi ea vena, quæ est in maiori angulo: cui hirudines affigere, sæpe magni fuit momenti. Præstat & scissio eius, quæ est inter pollicem & indicem, quæ etiam in principio scissa, vt de reliquis dictum est, plurimum deriuando diuertit à parte affecta quod iam iam fluxurũ erat, & longè minus imbecillitat. Arteriarum verò sectio non temerè aggredienda est, sed vbi inflammatio ex sanguine fit spirituosiori & feruido, cum graui oculi dolore & pulsatione, ac tentatis priùs alijs auxilijs, vt Galen. docuit lib. de sanguinis miss. cap. vltim. & 14. method. ad fi. & cucurbitulis etiam affixis scapulis et ceruici, ac superioribus brachiorum partibus, & prope humerum scarificatis, sectionem arteriarum supplere poteris.

Quòd si adhuc perstiterit rebellis passio, coniectabile est, ex humore aliquid esse impactum & crassius, quod repulsioni est ineptum: cuius gratia resoluentiũ medicamentorum non nihil admiscere oportet, modestè tamen aut cum maiori efficacia, prout humor magis minusue calidus aut frigidus fuerit: sunt autem hæc, caro pomorum dulcium aqua chamæmeli decocta: vel mica panis madefacta in decocto fœnugræci, aut meliloti: vel decoctum ipsius fœnugræci per se solùm, quod miris laudibus extollit Galen. Qua parte monitum velim lectorem, longè præstantiorem esse huic muneri herbam ipsam probè lotam, quàm semen quo vulgariùs vtimur: est enim calidum secundo ordine, & siccum in primo, vt Galen. aduertit. 8. simpl. cap. de Teli. & ob id non raro exacerbari ophthalmias conspeximus: præparare enim folia tutius est, vt Aetio placuit lib. 7. cap. 15. Item in principijs tutia præparata repellit & digerit, præsertim muliebri lacte priùs nutrita, aut oui candido dissoluta: saccelli etiam parari possunt ex eisdem herbis & rebus, quæ in eodem decocto madefactis plurimũ prosunt. Quæ sanè tanto calidiora porriges, quanto magis tibi constiterit materiam esse frigidam: nam calidam non rarò discutiunt modicè frigida auxilia, ob partis attemperamentum & reductionem ad antiquum statum, quod non parui momenti est nouisse. Quòd si concoquere ampliùs fuerit in animo, myrrham & crocum nuper adductis medicamentis addere oportet,

&

& balneis vti, quæ moderato calore concoquant, & non nihil etiam digerant.

Verùm si humorum crassorum copia in solo capite redundauerit, citra adstringentium, & repellentium administrationem, adhibere tantùm oportet, quæ resoluendi vires habeant: qualia sunt quæ nuper adduximus, addita etiam theriaca, quæ in discutiendis huiusmodi humoribus, miram habet efficaciam. Quòd si crassus humor, aut vapor in solis oculis præfuerit; eo tempore adhibenda sunt quæ Hippocra. præcipit, balneum nimirum, & vinum, quæ nulli alteri causarum vsquam conuenire possunt, sicut fomenta, quæ huic vsui proficua sæpè experimur. In hac tamen indicatione, quæ impactum humorem resoluere docet, hoc diligenter obseruato: primùm quòd fronti, & temporibus adhibeas quæ fluxionem inhibeant, maximè cum discutientia eam non rarò soleant excitare: secundùm, quod eadem sensim, & paulatim, transacto fluxionis impetu, & principio, adhibeas: sic repellentibus, si affectio non quieuerit, admiscebis quæ vires habeant modicè resoluere, vt *sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris* ʒ. 1. *addereque poteris aquæ euphrasiæ, fœniculi, & chelidoniæ quantum sat sit.* Prodest & aquarum prædictarum aliqua in oculum instillata, vbi per noctem maduerit in ipsa mica panis albi: nam vt anteà dictum est, quæ moderati sunt caloris feruorem restinguendo, etiam modicè digerunt. Eundè vsum præstabit si admiscueris repellentibus decoctum chamæmeli, fœniculi, verbenæ, & meliloti, vel mucaginem seminis lini, fenugræci, & althææ. Parabis etiam compositum medicamentum, q. ℞. *seminis fœnugræci aqua frigida loti* ℥. 2. *vel foliorum eius m.* 1. *fiat decoctio, cui adde liquoris albuminis oui fortiter agitati* ℥. 2. Aliud conficies, q. ℞. *florum chamæmeli, & meliloti, anà* ℥. 1. *coquantur in aqua rosacea, & in* ℥. 1 5. *prædictæ decoctionis, infunde sarcocollæ nutritæ in lacte mulieris* ʒ. 1. *& ß. vel tutiæ præparatæ* ʒ. 1. *quòd si velis albumē oui addere, tanto minus adiicies, quanto morbus à principio recesserit.* Verùm si dolor præualuerit, & ampliùs vacuationibus vti non detur, tunc quidem doloris, repulsionis, & resolutionis gratia vteris puluere, q. ℞. *sarcocollæ* ʒ. 5. *aloes lotæ in aqua rosarum* ʒ. 1. *tragacanthi* ʒ. ß. *opij gr.* 2. *misce.* Quo etiam tempore *ouum crudum integrum, sine testa, cum lacte muliebri exceptū glossypio* apponi potest, maximè si *aquæ fœniculi modicum* admiscueris: prodest & albumen oui cum aqua rosacea, & modico vino: item pomum assum aqua euphrasiæ, vel decocto meliloto, & fœnugræci irroratum. Vteris enim *mucagine psyllij in principio*, vbi solùm repellendi mens est: *cidoneorum in augmento: lini, & althææ in statu: fænugræci in statu, vel in augmento, si repellentibus admiscueris.* Quòd si propè statum aliquo ex compositis vti volueris, hoc facito q. ℞. *aquæ euphrasiæ, fœniculi, & chelidoniæ, anà* ℥. 1. *aloes lotæ in vino albo* ʒ. 1. *& ß. tutiæ præparatæ* ʒ. ß. *sacchari candi* ℈. 2. *syrupi rosarum siccarum* ℥. ß. *fiat collyrium.* Morbo autem iam in statu existente, licet nimium calorificis vtendum non sit, ne fluxio reuertatur, liberaliùs tamen vtendum est decocto fœnugræci, chamæmeli, meliloti, addita sarcocolla, tutia, aut croco, vel in declinatione aloe ad maiorem discussionem: paratur etiam discussioni frigidorum humorū idoneum medicamentum ex vino. Pari prorsus ratione inclinante affectu, vini aliquid prædictis pharmacis addere oportebit, balneis etiam, & fomentis vti: Qua in re expendendum est, in frigida materia audaciùs esse discutiendum repellendumque modestiùs: in calida verò liberaliùs repellere poteris, & cautiùs digerere. Verùm si aliquid impactum hærensque oculis apparuerit, quod digeri nullo modo possit, ex his quæ modicè concoquunt nonnihil admiscere oportebit, qualia sunt hæc eadem quæ digerunt, admixtis quæ modicum habeant lentorem, vt calorem

A digerentium mitiorem reddant. Quem quoq; vsum præstat ouum coctum durum, calens oculo superpositum, sicut in frigida ophthalmia, fluxione firmata, & repressa, præstat vini meracioris potus. Verùm, vt subsit collyriorum, quæ his vsibus proficua experimento didicimus, copia, placuit hac in parte nonnulla referre, quæ maximi fore momenti sum arbitratus, præsertim si quis eis prudenter, & cautè vtatur. Cæterùm quia dictum est, frigidis fluxionibus prodesse collyrium de spica, necessum est docere qualiter fiat: ℞. *quidem sarcocollæ* ʒ. 5. *spicæ* ʒ. 2. *foliorum rosarum* ℥. ß. *croci* ℈. 2. *opij gr.* 10. *aloes* ʒ. 1. *caphuræ* ʒ. ß. *gummi Arabici, amyli, tragacanthæ, anà* ʒ. 1. *componito aqua pluuiali:* placuit securitatis gratia, opij quantitatem minuere. Præterea sunt inter collyria quædam, quæ calidis

B opitulantur fluxionibus, alia quæ omnibus sunt proficua, eò quòd dolorem sedent: sic primum ℞. *gummi Arabici, tragacanthæ, amyli, anà* ℥. ß. *cerusæ lotæ* ʒ. 6. *opij* ℈. ß. *confice cum albumine oui, vel mucagine psyllij.* Aliud ℞. *sarcocollæ nutritæ lacte asinino* ℥. ß. *amyli, tragacanthi, anà* ʒ. 4. *opij* ℈. ß. *olibani* ʒ. 1. *& ß. cerusæ lotæ* ʒ. 6. *cum mucagine seminis cotoniorum, aut fænugræci formetur.* Aliud calidioribus fluxionibus proficuum; ℞. *cadmiæ prius lotæ postea adustæ, & extinctæ in lacte muliebri* ʒ. 10. *cerusæ lotæ* ℥. 1. *opij* ʒ. 1. *scoriæ ferri, tragacanthi, gummi Arabici, anà* ʒ. ß. *vtiantur post scoriæ subtilem præparationem, cū aqua pluuiali.* Aliud quod reliquis efficacius est ad dolorem sedandum, ℞. *sarcocollæ* ʒ. *j. cerusæ* ʒ. 5. *amyli, tragacanthæ, gummi Ara-*

C *bici, anà* ʒ. 2. *croci* ʒ. 1. *& ß. opij* ℈. 2. *omnia præter opiū conterantur in puluerem tenuissimum: opium ante dissolue in aqua rosarum, aut lacte mulieris, & misce cum alijs conterendo in vase lapideo, quousque mellis compagem acquirat.* Puluis autem citrinus, cuius à principio curationis frigidæ fluxionis meminimus. ℞. *sarcocollæ* ʒ. 10. *collyrij memithæ* ʒ. 3. *licij, aloes, anà* ʒ. 2. *croci* ʒ. 1. *& ß. spumæ maris* ʒ. ß. *terantur, & misce.*

Verùm si neque his omnibus affectio quieuerit, diuturniorque facta fuerit, necessum est ad maiora auxilia deuenire: quapropter si constiterit per externas venas fluxionem ferri in oculos, easdem ferro cādenti inurere oportet, tribus nimirum locis: in medio videlicet frontis, qua parte vena bifurcatur, & in tē-

D poribus, cauentes tamen musculos temporales. Quòd si per internas venas fluxio prolabatur, setonem occipitio affigere erit necessum, aut in vtroque, vel altero brachiorum fontanellam aperire, quæ fluxionem ipsam ab oculis retrahat, & reiterata purgatione, ac laborante debita victus institutione gubernato, ipsam minuat.

CAPVT XXIII.

De aurium dolore.

SOlet auris dolor tantum facessere negotium, vt mortem nonnunquam solus accersat, vel saltem

E cerebri affectus magni momenti, velut delirium, phrenitidem, carum, & apoplexiam. Dixerat enim Celsus non sine magna ratione, aurium morbos cerebro quam citissimè communicari, oculorum verò vitia intra ipsos manere: quo fit, vt diligenter expediat eius causas, signa, & medelam rimari. Cuius gratia expendere oportet, neruum illum à quinta coniugatione disseminatum, qui in dilatatam quandam planitiem in foramine auditorio degenerat, tactus, & auditus obtinere rationem, esseque harum actionum instrumentum, etiam si tactus à ramusculis eiusdem nerui per eandem partem disseminatis, prodeat. Quo fit, vt lædatur sæpè sensus auditus citra læsionem tactus, & è contra. Quamobrem duplex erit symptomatum genus ad hanc partem pertinens: primum quatenus est auditus instrumentum: secundum quatenus tactui

in-

inseruit, in quo acerbissimos lethalesque concitat dolores: quo tempore symptoma erit prodiens à morbo in intemperie, vel soluta vnitate. Verùm quia ea quæ vel distemperant, vel continuum soluunt, & rursus partes, quæ in aure dolent, non sunt vnius naturæ, & conditionis, ob id profectò, doloris quoque natura non vna est, sed multiplex. Quippe vel punctorius est dolor, vel stimulans, vel tensiuus, grauis, aut pulsatilis: quas sanè differentias sortitur, vel ex natura causæ, vt dictum est, vel ex partis affectæ intra aurem conditione. Nam vel neruus ipse oblæditur, vel membranarum, quæ ipsum inuoluunt, aliqua; vel tunica quædam, qua ossicula, quæ meatum auditorium constituunt, extrinsecus obteguntur: quæ quidem omnia licet curandi vniuersalem rationem non euarient, requirunt tamen in artifice maiorem, vel minorem prouidentiam, prout magis, vel minus vna quàm alia facessit negotium, aut periculum.

Causæ. Sic quoque causæ natura prædictam differentiam fabrefacere potest, cùm constet hoc malum fieri posse multis de causis: nimirum ab inflammatione eiusdem nerui, aut alicuius partis intra aurem existentis, nonnunquam à nuda distemperie calida, aut frigida, sæpè a flatuosa substantia, sæpissimè ab humoribus calidis, aut frigidis, qui vtraque ratione dolorem inferant: frequenter tamen à re aliqua externa, veluti aqua, puluere, aut lapillo aliquo, etiam aliquando à pure, quod ex rupto abscessu ex aure prorumpit. Considerabis etiam, fiatne per consensum, vt sæpè accidit, à toto corpore, sicut per crisim, vel per febres, aut à parte aliqua, velut ventriculo, aut vtero. Hæ enim sunt causæ, quibus dolor in aure excitatur, iuxta quarum varietatem licet etiam medendi rationem variè scribere. Sed in causarum enumeratione consideratione dignum est, qua nam ratione Galen. aut Græcorum aliquis, nullam caloris fecerit mentionem, cùm Arabes omnes eam frequenter memorauerint inter causas, quinimo Hippocr. 3. aphor. inter morbos æstatis recenset dolorem auris. In qua re statuendum est calorem per se tantò dolorem concitare in hac parte, quin potiùs moueat, ac liquet cerebri pituitam, ac concitet ad caput bilem, quibus necessum est prædictam partem dolere.

Signa. Prædictarum verò causarum cognitionem signis ediscere oportet. Est tamen dignotio inflammationis facilis, nam præter febrem, quam semper habet comitem, pars compressionem quandam persenot, calorem ingentem, dolorem pulsatiuum, ruborem auris, & partium vicinarum, grauitatem capitis, plenitudinem venarum illius partis, & oculorum cum graui auditione. Si verò calor causa sit citra affluxum materiæ, ex capitis leuitate, calore, & rubore partis facilè dignosces: sicuti si frigiditas, ex pallore faciei, & dolore graui, ac remissiori. Si verò cum affluxu crassi humoris distemperies fuerit, hæc omnia aderunt cum capitis grauitate, venarum tensione, & rubore, atque graui auditu: ac si humor fuerit acris, & mordax, cū sensu exulcerationis. Verùm si flatuosa substantia mali causa fuerit, dolor acutior erit, sed tensiuus citra plenitudinem, aut grauitatem: hoc tamen vnum peculiare obtinens, quòd per interualla repetet: nam vt à crassa materia flatus eleuatur, & caloris actione discutitur, ita dolores exacerbantur, & quiescunt cum auditus perspicuitate. Verùm si pus acre, & mordax causa fuerit doloris, ipsum profluens se ostendet, sicut externam causam ex assistentium, & laborantis relatione facilè perdiscere poteris: sic ex vitio nerui auditorij prouenire comperies, eo quòd auditus quoque læditur, ac sæpè vel caput compatiatur, vel vnum, aut plures ex reliquis sensibus internis, aut externis: in reliquarum verò partium læsione non ita res se habet, ni plurimum affectio crescat.

Præsagium. Est tam sæua huius mali conditio, vt si cum febre sit, & vehementer affligat, periculum afferat delirij, aut aliquorum affectuum, quos anteà recensuimus, vel mortis. Nam minores natu septimo die, aut citius ab hoc morbo interimuntur: natu verò maiores tardius, febres enim, ac delirium minus eos infestant, & aures eis ob id anteà suppurantur, sed per has ætates morborum recidiuæ euenientes plurimos intermiút, vt Hippocrat. refer. 3. prognost. licet anteà dixerit absolutè pronuncians. Aurium dolor acutus cum febre continua, ac vehementi difficilis est, periculum enim delirij, & mortis imminet. Itaque constat, siue iuuenibus, siue reliquis alterius ætatis contingat, æquè grauissimum, & maximè periculo obnoxium esse: nam iuuenibus calida, & acuta cerebri pathemata subsequutura timemus, senibus verò siderationem, pueris quidem conuulsionem, & alia lethalia accidentia, æquale his omnibus periculum extans: alijs ob immodicum calorem, alijs quidem ob ingentem obstructionem, reliquis verò ob imbecillam partium facultatem. Qualiter verò his potius quàm illis ab Hippocrate lethalis censeatur prædictus aurium dolor, parte primo loco adducta, expendendum nunc est: cùm constet senes parum, aut nihil causis hunc morbum facientibus resistere, præterquam quòd dissimilior est illis hic morbus. Quibus rationibus suffragatur Galen. 7. aphorismorum 41. dicens: Omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem. Item 2. prognost. 69. statuit ex nullo morbo senes magis quàm natu minores conualescere, nedum posse citius aurem suppurare. Verùm si quis rem hanc diligentius consideret, reperiet solùm esse virium robur expendendum, non quidem annorum numerum, vt optimè Galen. in commento expendit: quibus æqualibus, periculosior erit dolor in iuuenibus ob grauitatem accidentium, ob agilitatem materiæ, & sæuitiam ex his prodeuntem: at senes habent correpugnatores humores, & frigidam naturam, quibus si adsit æquale virium robur, longè minus periclitantur, potius quidē ex hoc accidente, quàm quòd affectus nō sit eiusdem periculi, ac in iuuenibus. Præterquam quòd senibus minus infestant febres, ac delirium, quæ solent maius periculum accersire, quia prius aures suppurantur quàm in delirium affectio commigret: nam minores natu ob dicta accidentia, ante suppurationem commoriuntur.

Curandi ratio. His præmissis fundamentis, vniuersa medendi ratio tribus tantùm capitibus constat: primum sanè docet in omnibus causis dolorem sedare: secundum causam auferre: tertium verò, si quid vitij in aure superest, demere, & corrigere. Prima igitur methodus hoc habet proprium, & peculiare, vt omnibus causis dolorem inferentibus consimilem rationem sedandi dolorem doceat: nam mitigatio doloris leuem recipit à causa differentiam, à doloris quidem vehementia maximam, à particula verò affecta aliquam. Sic enim à quauis causa oriatur dolor, mitigari desiderat, per lenientia tamen medicamenta: nam licet auditorius meatus possit vehementiora sustinere dum dolet, vt acetum, mitigari tamen expostulat per ea quæ lenia sunt, & temperata (meatus enim hic in aditu vehementia perfert, vt Galenus dixerat: verùm dum ad interna peruenitur, ob duræ membranæ, & nerui viciniam, medicamenta vehementia vereri omnino oportet) nam ab his in quibus aliqua qualitas excedit, facilè exacerbatur: præstat enim priùs dolorem lenire, quo faciliùs laborans auxilia perferre possit: quippe si eisdem, & dolore vires conteras, mirum non est si grauiorem reddas affectum. Quòd si inualescat ampliùs malum, ad narcotica deuenies, seruato in hac re Auic. consilio 4. 3. cap. 8. dicentis: Oportet vt postponantur narcotica vsquequo timeatur syncopis, & propriè cum fuerint humores frigidi, nocent eis valdè, & post eorum vsum administra

casto-

castorium. In qua re Galen. commendauit antiquorum sententiam, qui, vt fugerent hæc damna, opio vtebantur torrefacto, quo faciliùs frangeretur eius efficacia. Verùm quia plus iusto retunditur vi ignis eius potentia, ob id idem Galen. commendauit huic vsui mixtionem eius cum castorio, quo excellius faciliùs, & securiùs corrigitur: vtcumque tamen sit, tutius esse arbitror opio quàm rarissimè, aut maximè correcto in capitis affectibus vti. Cum hoc tamen omni arte studendum est dolorem sedare: quem vsum securiùs præstat in huiusmodi doloribus succus rutæ cum sanguine anguillæ; succus roris marini cum oleo rosaceo, & sapone: adeps pulmonis vulpis auri admotus. Idem præstat spolium serpentis oleo feruefactum. Item decoctum cochleæ factum oleo
B amygdalarum dulcium, medulla etiam crurum porci. Sedat item dolorem, & inflammationem compescit id q. ℞. *olei violarum* ℥.4. *mucaginis seminis psyllij, & radicis althææ extracta cum lacte, aut iure pulli, vel aqua hordei* ℥.1. *medullæ crurum vituli* ℥.ß. *fiat linimentum.* Præstat & inungere aurem extrinsecus oleu papaueris, aut in aurem infundere mucaginem fœnu græci, seminis lini, citoneorum, aut psyllij, cum aliquo ex prædictis oleis, aut pinguedinibus: item lac muliebre calidum ab vbere; oleum de semine cucurbitæ, amygdalarum dulcium, sesaminum, & axungia quæuis recens, & alia etiam quæ huius naturæ sunt, & plurimùm præstare noscimus, modo causa sit inflam
C matio, modo flatus, aut distemperies quæuis ex supra dictis. Quòd si hæc omnia prodesse non videantur, consultissimum est laborans, *iuxta somni horam* ℈.ß. *aut* 1. *philonij Persici præbere, aut si parum profuerit* ʒ.ß.

Secunda methodus docet, sedata doloris vehementia, aut mox à mali principio, aduersus causas pugnare his præsidijs, quæ è directo causæ sint contraria. Quippè in calida intemperie vtendum est albumine oui, lacte mulieris solo, aut cum guttulis succi solatri, vel coriandri viridis, succo granatorum cum oleo rosaceo, vel oleo lumbricorum, aut solo rosaceo. Quòd si frigidam constiterit esse intemperiem, eamque nudam, tunc quidem valet castorij modicum
D cum oleo, aut (vt Scribonius refert) picis flore: in quem vsum commendauit Zoarus oleum de vitellis ouorum, & Rabbi Moses 22. aphorismorum oleum de semine cannabis: item Galen. oleum rutaceum, chamæmelinum, costinum, cum succo origani, aut lacte mulieris: nec non & succum cæpæ cum adipe anserino, aut cum oleo amygdalarum dulcium, pipere, & castorio, aut euphorbio. Prosunt & euaporationes ex decocto absynthij, chamæmeli, & origani. Verùm si flatus (vt sæpè assolet) huic causæ, & affectioni adiungatur, prædictis addere oportet quæ flatus discutiant, vt oleum anisorum, liliorum, cum assa fœtida. Cui vsui vtilissimum est id præsidium q. ℞. *corticem cæpæ, & in eo pone oleo chamæmeli* ʒ.2.
E *pulueris anisi* ʒ.1. *piperis albi* ʒ.ß. *in igne permittantur feruere donec oleum absumatur, postea contundantur omnia, & expressi succi modicum in aurem proijcito.* Hippocrates verò 2. popul. parte 6. text. 19. cucurbitam apponi iubet, licet aliquibus difficile videatur. Sic profectò in inflammatione, quia humor confluit cum sanguine per venas, triplicia succrescũt auxiliorum genera. Primum quod copiam humoris deponat, sanguinis detractione ex brachio eiusdem lateris, & ex communi vena primò, vt paulò inferiùs referam: verùm si menses, vel hæmorrhoides nuper suppressæ sint, ex talo: cæterùm si iam diu præfuerit suppressio, ita vt plenitudo subsit in corpore, ab ea vena primò sanguinem detrahes, quæ citius plenitudinem demat, & mox ab ea quæ è directo patris affectæ totum corpus respiciat, qualis media est. Cæterùm quia coniectabile est, maiorem plenitudinis

A copiam adesse in superioribus partibus, tundenda est vena quæ è directo caput respiciat, qualis humeraria est, qua parte magis caput euacuet, si doloris vrgentia id poposcerit, etiam si plenitudo in vniuerso subsit corpore. Quippe tunc sanguinis detractio vicem anodyni supplet, cùm ratio doloris sit soluta vnitas, quã concitat distensio à nimia copia facta. Quam equidem demes protinus sanguine misso à proximiori parte: quapropter censeo Hippocrat. dixisse, in doloribus proximum ventrem aperire. Secundum auxiliorum genus docet, contrarium motum ei quem exequitur humor tentare, adhibitis frictionibus crurum, & brachiorum, cucurbitulis, & ligaturis, nec non & hirudinibus ano affixis. Tertium genus curandi do-
B cet, si quidem rationi videtur consonum, aliquid humoris iam esse in venis affectæ partis, & ei proximis delapsum, repellentibus auxilijs vti, quibus quod mox fluxurum est repellitur, & etiam aliquid eius quod adhuc in parte continetur. Atqui licet indistinctè repellentibus vtantur scriptores, consulit tamen partis natura decretum Herculani 9. ad Almansorem exequi: inquit enim: Ante quàm fiat repercussio, obseruentur hæc: Non sit materia criticè expulsa, non venenosa, non sit furiosa, non plurima, non immediatè à cerebro expulsa, non valdè tenax, & crassa, non paulatim congesta, non fluxa ad partem extrinsecam auris: quippe hæc omnia repellentium vsum interdicunt, præterquam quòd ad cerebrum repellere
C non caret suspectione. Quapropter vbi his vti opus est, ea esse idonea censemus, quæ non adstringant, aut nimium refrigerent, sed iuxta naturam humoris defluxi, ac ne prolapsus humor in cerebrum grauius efficiat malum: sunt autem hæc muliebre lac, oleum rosaceum, succus auriculæ muris, & succus ramentorum cucurbitæ cum modicissimo aceto, quibus vtendum est per duos, vel tres dies, in quibus expetiti oportet alia, si hæc non profuerint: quale est quod ex oleo rosaceo, & aceto conficitur, vbi ferbuerint ad consumptionem aceti. Præstant & collyria alba cum lacte dissoluta, vel si dolor nimium vrgeat, olei papaueris, & violacei modicum infundes. Verùm, nisi vrgens fuerit doloris, & fluxus ratio, cau
D tè, rarò, aut nunquam repulsorijs vteris: quippe Galen. 3. localium, solùm ausus est vti mitigatorijs, aut narcoticis, non repellentibus: quamobrem sat est prædictis vti, adstringentia, & verè repellentia cauendo, nisi parua fuerit inflammatio: in qua cùm humoris sit parua quantitas, nullum oportet vereri in cerebro malum: & hac lege licet intelligere Galen. dum variam profert de hac re sententiam, vt 2. de locis, & de facilè para. vbi oxyrrhodinis vti iubet, cæterùm non in magnis inflammationibus. Quòd si morbum iam augeri comperias, & suppurationem minari, admiscere oportet prædictis ea, quæ emolliendi vires habeant, velut est mucilago seminis citoniorum, fœnugræci, seminis lini, & seminis althææ, cum medul-
E la crurum vituli, & butyro: quæ sanè omnia, demptis repellentibus, suppurationem quoque tentabunt. Verùm si constiterit inflammationi esse admixtos frigidos humores, præterquam quòd nullis, aut leuissimis repellentibus vtendum est, suppurationem accersunt ceratum œsypi Auicennæ: vel sic medicamentum conficies: *Excipe adipis gallinæ, butyri loti, olei liliorum, œsypi, anà quod sufficiat, fiat ceratum cum modica cera* (ego tamen nulla vterer, ne intra aurem concresceret) quod tepidum in aurem infunde: præstat & liquor assatæ carnis, vt multi ferunt. Sed exteriùs emplastrum appones, quod ℞. *bdellij, adipis caprilli, anà* ʒ.3. *farinæ fœnugræci, & seminis lini, radicis althææ, & lilij, anà* ℥.ß. *chamæmeli, & meliloti, anà* ℥.1. *croci* ʒ.1. *vitellum oui, chamæmelum, melilotum, & radices althææ, & lilij coquantur, & contundantur, ac bdellium in eadem aqua*

dissolues, & addes olei sesamini, & butyri, ana ℥. 2. & A *fiat emplastrum:* abrupto etenim tumore, pus abstergendum est, melle rosaceo, & syrupo rosarum cum decocto hordei, vel succo mercurialis, absynthij, & lupinorum, vel oxymelite ex decocto foliorum oleastri cum alumine, & melle: idem præstat decoctum foliorum salicis, & agrimoniæ. Præstat & Galeni medicamentum ex ferri scoria confectum 9. simpl. ab eodem scriptum.

Verùm si ex frigidi humoris affluxu, dolor suboriatur, primò considerabis, à qua nam causa principium traxerit defluxio, vt iuxta ipsius vim, & naturam affectioni prouideas. Prodit enim aliquando à Meridionalibus ventis, quæ caput replent: item à sole hyberno post pluuias, maximè si præcesserit victus vaporosi vsus, quæ omnia ex interrogatione facilè venaberis: accedit enim his semper capitis cum frigore grauitas, vel post calorem externum horripilatio, quæ signum frigidi humoris existit. Quibus cognitis, siue fluxio sit antiqua, & nouiter ex occasione excitata, siue nouiter ingruens, post institutionem victus calidioris, & extenuantis (qualem sæpè scripsimus) ad purgationem humores frigidos, & crassos protinus parabis (nisi adeò malum vrgeat, quòd cogaris mox purgatione vti, vel loco eius acrioribus clysmatis) rhodomelle, syrupo radicum, de bysantijs, stœchados, & oxymelite. A quibus eam purgationem institues, quæ primò totum corpus à spurcitia pituitosi succi liberet, vt fiet syrupo ex infusionibus Persicis C cum agarico, vel ex melle Persico, & infusione foliorum senæ, aut ex Indico Mechoacano cum iure pulli. Posteà verò caput ipsum purgabis his, quæ plurimum non turbent (quapropter cauendum erit ab his, quæ sternutamenta mouent) sat enim est, post purgationem vti pilulis confectis ex agarico, hiera simplici, pilulis mastichinis, & Arabicis, aut pilulis alephanginis, cochijs, Arabicis, sine quibus, aut terebinthina abietis, & puluere hieræ. Postmodum verò opportunum est masticatorijs vti, quibus si quid post purgationem adhuc superest in capite, extrahatur, sicut errhinis, & apophlegmatismis. Post quæ capiti adhibenda sunt quæ reliquias conterant, vt fotus vini decoctionis ligni sancti, corticis eius, smi- D lacis asperæ, cineris sarmentorum, & ligorum lauri. Item sacculos ex pulueribus cymini, florum stœchados, maioranæ, florum sambuci, coriandri præparati, ligni aloes, & aliorum huius potentiæ. Prodest theriacæ, vel mithridatij vsus, aut confectionis de hyacintho; eundem vsum præstant dianisum, diacyminon, diambra, vel radix angelicæ sacchato condita. Quibus factis ad auricularia medicamenta deueniendum esse consilit affectus natura, cùm reliquum sit conijcere, aliquid adhuc superesse in particula affecta quod resolutionem expostulet, haud secus quàm id quod præfuerat in capite, & in toto corpore expostulabat. Sunt autem huiusmodi auxilia in frigida causa, veluti decoctum, aut oleum E sampsuci, foliorum lauri, absynthij, alliorum, pulegij, menthæ, & vt Galenus refert, his addere oportet succum porri, aut oleum ex cœpis sub cineribus feruefactis, origanum cum melle, fel ouinum cum oleo amygdalarum dulcium, vel succum porri, oleum laurinum, rutaceum, & adipem vulpinum, quem mille laudibus extollunt authores: item oleum vetus cum styrace, cum cinnamomo, cum modico castorio.

Verùm si mali causa fuerit humoris biliosi aliquid, pari lege curari debet huiusmodi affectus, ac docuimus dolorem capitis curare ab eisdé causis, modo ex flatu, modo ex quauis alia causa affectio prodeat: prodest tamen oui candidũ cũ lacte infusum, oleũ amygdalarum dulcium cum lacte, succus coriandri modicus, cum quadrupla lactis mulieris parte.

Tertia, & vltima medendi ratio docet absumere reliquias eius quod adhuc in auribus superest. Quod si pus fuerit ex rupto abscessu, abstergentibus vti oportet, quale est dilutum ex aqua hordei, & melle rosaceo (dum modo omnibus abstergentibus admisceas, quæ retundendi acrimoniam puris vires obtineant, velut est lotura amyli, farinæ volatilis, & pressum farinæ hordei, cùm succo, aut decocto cucurbitarum) abstergit enim decoctum lupinorum cum saccharo, aut aqua saccharata ex decoctione liquiritiæ. Conterere verò aliorum humorum reliquias, & facilè est, & capitibus superioribus abundè est dictum: sed si ex flatu, vel frigida causa aliquid supersit, tunc quidem his vtendum est, quæ vires habeant quod impactum existit digerere, ac flatus simul discutere. Huius enim naturæ est oleum amygdalarum dulcium, in quo ferbuerit cumini semen, rutæ, anethi, aut flores stœchados, vel maioranæ decoques in oleo sesamino, additis pinguedinibus anatos, gallinæ, cuniculi, & vulpis. Præstat insuper in vehementiori frigiditate, prædictis addere porri succum cum melle, aut origani puluerem cum melle: benefacit adhuc in vehementioribus aurium doloribus ex eadem causa, fel caprinum cum succo porri, vel oleum scorpionum cum adipe vulpis: item vinum in quo exuuium serpentis ferbuerit, superposito cataplasmate ex cœpa decocta, & cum adipe anseris pistata. Iuuat & euaporatio ex oleo calido, item ex decocto absynthij, meliloti, florum chamæmeli, & stœchados, amaraci, & origani. Verùm si antiquus fuerit dolor, præstat oleum in quo euphorbium, piper, castorium, & parum galliæ muscatæ ferbuerint. Item si obstructio præfuerit, ex vsu est oleum ex raphano cum felle capræ, & succo cucumeris agrestis: præstat &. emplastrum ex fœnugræco cocto in lixiuio: item radix cucumeris, veratri, aut aristolochiæ in aliquo ex prædictis oleis decocta, & in aurem immissa, quæ præstat digerendo, detergendo, aperiendoque quod obstructum est. Si verò flatus mali causa sint, euaporationibus potiùs vtendum est, veluti quæ fit ex decocto hyssopi, stœchados, & similium in aceto: item sacculus ex sale, milio, aniso, betonica, cumino, & reliquis huius naturæ. Valet & oleum irinum in cœpa excauata feruefactum, cum modico piperis, assæ fœtidæ, zinziberis, & sambuci expressum, & in aurem instillatum. Valet & *succus rutæ cum melle, & ʒ. 1. castorij.* Idem beneficium præstat cucurbita auri admota, cuius loco extrinsecus auri appones lanam nardino, vel spicato vnguento imbutam, cum modica theriaca, aut mithridatio, vel puluere seminis angelicæ. Quòd si dolor sit cum pulsatione, iuuat vapor decoctionis absynthij, aquæ decoctionis acetosæ cum succo acoris item vapor olei rosacei per se, vel cum radicis asphodeli decocto: præstat & aliud cum adipe anseris, succus cucurbitæ cum oleo rosaceo, & croco, galla cum oleo de ben, aut seminis cucurbitæ, succus granorum mali granati cum melle: aut, si dolor vegetissimus fuerit, succus lactucæ, aut iusquiami in parua copia cum oleo irino. Quòd si copiosiora libuerit adhibere auxilia, leges tom. 2. nostrorum operum, cap de calfaciendo, & refrigerando capite, in quo vtilia, & multa huic muneri apta, reperies.

Verùm si his omnibus constiterit affectionem nó cessare, coniectandum est, aut malum esse iam in capite firmatum, vel vniuersum corpus male affectum capiti sua vitia præstare. Si primum (quod dignosces eo quòd ex facili occasione caput in huiusmodi dolorem inferatur) necessum erit ad commutandum prædictum capitis habitum, & vt faciliùs expurgetur, quòd habitualo illud intemperamentum indies generat, quod ex leui causa caput in dolorem aures prorumpit, iuxta occipitium setonem attingere, aut fontanellam in altero brachiorum aperire.

rite. Quòd si corpus vniuersum huic malo consentiat, necessum est ad balnea naturalia & sulphurea confugere, vel ad sudationes ex ligno guaiaco, smilace, aut china.

CAPVT XXIIII.

De tinnitu, aurium surditate, & graui auditu.

VEluti in cæteris potentijs humani corporis accidere dictum est, ita prorsus in audiendi facultate triplex læsionis genus suboritur: primum quo audiendi potentia vitiatur: secundum quo imminuitur: tertium verò quo ex toto aufertur. Omnes tamen vitio vnius aut plurium ex tribus partibus cerebri, vel partium quæ huic ministerio intra aurem existentiũ subseruiunt, nimirum, (vt statuit Galen. 1. de caus. symptom.) nerui auditorij, & forsan aeris naturaliter intra ipsius foraminula contenti: quippe hunc arbitratus est Galen. præcipuum esse auditus instrumentum, humori chrystallino in oculis simillimum: nam ea pars existimatur ab eo princeps in quouis sensorio, quæ exactam impressionem sensilis excipit, & ob id præter extremitatem nerui dilatati; addere oportet hunc aerem spirituosum in auditu: nam cùm sensatio includat impressionem passiuam, & agnitionem impressionis ad passionem ipsam, sufficit similitudo in passo cum viribus animæ, quæ mandantur vehiculo nerui & spiritus, vt placuit Galen. 7. de placitis. cap. 16. Sic auditio nil aliud est, vt ex Aristol. constat. 2. de anima. & lib. de sen. & sen. quàm perceptio sonorum externorum, quæ fit cum aer externus percussus laberynthos, & gyros aurium ingreditur, donec perueniat ad aerem illum implantatum in prędicto neruo dilatato, qui percussus ab externo dum percussionem ad animam mittit (vt ait Plato) fit auditus. Nec est inconueniens, si dixeris, aerem illum esse animatum, vt oculi humores, quo commodiùs possis ipsum constituere proximum audiendi organum. Quæ omnia considerabis, siue tinnitus succrescat, siue surditas, siue grauis auditio. Nam vtcumque sit, molestissima est auditus affectio, vt quæ visa sit longè magis homines dementare, quàm visus defectus: quantumuis dictum sit ab Arist. lib. de sen. & sen. visum ad prudentiam conferre, cum cæcos prudentissimos non paucos conspexerimus, surdos verò paucissimos: & ob id censeo Teophrastum dixisse lib. de sens. auditum magis ad rationem accedere quàm ad affectus. His suppositis, statuendum est auditum lædi causa vniuscuiusque prædictarum partium, nimirum cerebri ipsius, vel nerui, & aeris spirituosi ibidem existentis: aut vltimò læsione alicuius partis tantùm auditus organum construentis: vtcumque tamen sit, lęsio fieri potest vno è tribus modis, videlicet quòd homo prauè audiat, vel diminutè, vel quòd nihil audiat. Primum etenim appellamus tinnitum aurium, sibilum seu rugitum: secundum grauem auditum: & tertium surditatem: quorum omnium hac in parte seorsum meminisse placuit, initio sumpto ab aurium tinnitu, vt qui frequentiùs accidat, & præludium existat maiorum malorum.

De auriũ tinnitu. De tinnitu enim primò sciendum est, quanam ratione fieri possit, & à quibus causis suboriatur, et quibus dignoscatur signis quæuis causarũ, ac rursus qua meth. curari possit: sunt enim hæc omnia necessaria: quia licet leuis affectio primo accessu appareat, nisi grandiori diligentia præueniatur, in grauem auditum & in incurabilem surditatem commigrat. Circa primum nosse oportet, similem esse huiusmodi affectionem ei quæ circa oculos suborta, suffusio nuncupatur: nam quemadmodum qui suffusionem per consensum, aut eius primam speciem, seu incipientem patitur, existimat se extra oculos muscas & pulices videre, & frustrà eas conatur carpere; pari ratione, qui tinnitum patitur, existimat se sonitum quendam re vera audire, cum falsò id imaginetur: vtriusque tamen symptomatis ratio est, quia obiectum aggreditur potentia citra debitum medium: cùm enim per interiorem regionem halitus ad oculos peruenerint, pariunt quidem visionem, sed falsam: Pari quoque lege si halituosa aereaue substantia intrinsecus neruum auditorium pertingat, nihil mirum, si falsam soni imaginem repræsentet: qua ratione Auerroes. 4. collig. 48. appellauit auditum phantasticum, & Alfarauius aurium tonitru: nam consimilem solet neruus ab externo aere pati alterationem, sed re vera sonitus non est, siquidem neque fit à rebus quæ sonitum edere habeant, neque per conueniens medium, qualis externus aer existit. Certum enim est, soni species per aerem, quasi per medium, auditus organum attingere: & ob id, vt ex Arist. constat, & ex Hippoc. lib. de locis in hom. & lib. de carnibus, aer quidam congenitus est in auris cauitate, qui sanè non motus, sed quietus manens, sonos omnes externos percipere potest, vt humor crystallinus colorum expers, omnium colorum species sentire habet. Quare verò manu super aurem posita tinnitus percipiatur, non facile est dirimere. In qua re sat est scire id fieri, quia aer externus, quo plenæ sunt cauitates aurium, naturali impulsu externum quærens, motum efficit, quòd aure obturata tinnitus ille percipiatur. In qua re censeo, neruum illum à Galeno assignatum ex quinta ortum coniugatione, in proprijs porositatibus prædicto aere simul cum animali spiritu plenum existere, & hac lege fieri aptum auditus instrumentum: quo fit, vt vtraque opinio vnius sit rationis, si vt Galen. explicat intelligatur. Qui sanè aer congenitus, si quietus maneat, omnes externis aeris motiones promptè excipiet, vnde commodè sensatio fiet: sin autem aliqua occasione moueatur atque agitetur, vel cum ipso animales quoque spiritus, necessum est motum quendam & proprium sentire, extraneum verò minimè: haud secus quàm aqueo humori oculorum accidit, qui vbi alieno colore alteratur, omnia eiusdem coloris cerni cogit: si verò proprio colore solum sit affectus, qualia omnia sunt percipit: itaque etiam si à nullo externo prædictus aer moueatur, cùm in seipso motum aliqua causa obtineat, perpetuò se sonos externos sentire existimat homo. Denique cùm huiusmodi neruus aere plenus, qui totale est huius ministerij instrumentum, à flatuosa aliqua substantia intrinsecus percutitur, aut alteratur validiùs quàm ferre possit, ita vt exitum non habeat, per aurium anfractus sese insinuat, atque occurrens huic neruo auditorio, ac membranæ quæ ex ipso dilatato fit, in qua aer continetur & à prædictis rebus illiditur, sonitus seu strepitus, aut tinnitus efficitur, falsa quidem sonitus repræsentatio. Quod sanè symptoma est in genere noxæ functionis deprauatæ sensus auditus: sentit enim facultas id quod re vera non est, & propterea eius actio deprauata dicitur. In qua quidem affectione, meatum auditorium lædi certum est, idque maximè in ea parte vbi dilatatus neruus desinit, quo & ipse sensus audiendi, ministerio spiritus animalis & aereæ substantiæ in porositatibus eiusdem nerui inclusæ, perficitur. Neque vnum sequitur prædictum symptoma morbi genus, sed varia, iuxta causæ, symptoma hoc excitantis, naturam et operandi modum.

Causæ. Causæ verò quæ hunc affectum concitant, sunt quidem abditæ & scitu pulchræ, quas breui quadam methodo complecti est in animo. Triplex enim eius causa colligitur ex Hipp. 2. acutorum, vna quidem à bile in venis feruente: altera è ventriculo: tertia verò ex ipso capite. Sed primis duabus prætermissis, quæ communem cum ventriculo affecto, aut febribus, vel bilis feruentis vbertate curationẽ habent, de

tertia altiùs differendum est. Nam aut prodit ab immodica eiusdem sensus auditus acrimonia, & perspicuitate, qua facilè persentiscit, & alteratur à rebus, quæ alioqui difficulter auditu percipi ab alijs possũt: quo fit, vt etiam ab his quæ intra idem corpus mouẽtur, tinnitus persentiatur. Siquidem plerumque ad aures peruenit è corpore, quantumuis sanũ appareat, aliquis vapor qui intra ipsas moueatur, efficiatque insensibilem motum, ac rugitum, quem profectò non percipiunt corpora sana; ea verò, quæ exquisitum habent auditum, persentiunt: in quo Galen. 3. medi. secun. locos assimilat oculis auditum, quippe his qui exquisita fruuntur cernendi potentia, non rarò apparent ante oculos imagunculæ quædam. Quantum verò difficultatis afferat cognitio huius causæ, nemo ambiget, cùm sola sensuum perspicuitas per se non possit falsum sonum efficere, quinimò quo expeditior, & magis exquisitus est sensus, eo minus aliò aberrare debet. Quapropter arbitrandum est, semper auditus perspicuitati, vt fiat tinnitus, adiungi etiam motũ quieti illius aeris, qui tamen exiguus cùm sit, & causa quæ ipsum excitat exigua, ob id laborans solùm id regerit in sensus acrimoniam, non in prædictum damnum, cùm eius causam persentire nequeat, quòd adeò sit leuis, vt in obtusiori sensu nihil mali efficeret: nisi velis dicere, exquisitum sensum externas motiones etiam leuissimas, exquisitè percipere. Nam cùm externus aer perpetuò moueatur (etiam si id communiter non sentiamus) potest quidem leui refractione facta, perpetuum quendam motulum parere, qui non sentiatur, nisi ab exquisitissimo sensu: quo fit, vt hic affectus plerumque sibilos, fragores, tinnitusque sentiat, iuxta ea quæ assimilantur illi speciei sensibili, quã concipit. In qua re statuendum est, non sentiri hos sibilos perpetuò, licet naturaliter sortiantur exquisitum sensum, quia aliquando impeditur sensus, & eo tempore nil sentit, aliquando verò expeditus exsistit, & persentit, vt statuit Galen. 5. loca. & Trall. sed clariùs Aristot. Sunt etiam qui congenitum aerem, perpetuò & naturaliter moueri existiment: quo fit, vt qui acuto sensu sunt, perpetuò ex prædicto motu susurrum percipiant: quòd non persentit qui obtusum habet. Alij rursus non congenitum, sed extrinsecum, occurrentem intra aures, quem diximus esse causam, cur manu obturata aure audiamus sonum quendam confusum; quia tunc solùm illum aerem moueri sentimus, non quidem ab externis alterari. Quòd si quis dixerit, Aristoteli videri contrarium, quòd aliquando referat congenitum aerem quiescere, & aliquando moueri, intelligat loqui de motu qui suaptè natura non infert alterationem, & ob id statuit moueri tanquam aerem, quiescere tamen velut medium ad sensationem efficiendam. Proficiscitur etiam hæc affectio ab imbecillitate capitis, vel meatus auditorij, ac defectu animalium spirituum, quo imbecillior redditur sensorij actio, & facilè à quauis causa alteratur, & mouetur congenitus ille aer, donec caput in se rediens validiùs resistit, generatis copiosioribus spiritibus, & parte temperatiori facta. Quemadmodum in conualescentibus videre licet, in quibus visus lucidi aeris tinnitum efficit, quia vehementes spirituum animalium motus, quos splendor, & insuetum lumen citant, facilè auditum lædunt: & sic quemadmodum ex externis motibus sonitus causatur, pari prorsus lege ex internis, etiam si vel leues, vel iuxta consuetudinem sint, quales nuper diximus. Ratio tamen quare imbecilles id patiuntur, duplex est: vna quia languida potentia facilè à quibusuis alteratur: quo fit, vt nequeat resistere eis etiam rebus, quæ secundùm naturam citra alterationem, illis erant gratæ, & tolerabiles: altera verò quæ communis est, cum exquisito, & acuto sensu, quia purgata sensuum instrumenta præcedentis mali occasione, licet proprijs viribus id non possint, instrumentorum tamen aptitudine, faciè quamuis minimam sonitus alterationem persentiunt, ita vt à leui susurro facilè alterentur, & pallantur. Differt namque re vera tinnitus ex imbecillitate, ab eo qui sensus acumine fit, quia hic vera est sensorij actio, prodiens ab aeris quieti, & spirituum animalium puritate, & sinceritate, quòd nullam sortiantur externi admixtionem: id quo cum imbecillibus ex morbo conuenit, si præcessit sufficiens corporis, & capitis purgatio: at tinnitus ex imbecillitate verè est sensorij passio ab spirituum penuria prodiens. Tertia verò & vltima causa est quæuis externa, vel interna, quæ auditorium spiritus meatum habeat molestare, ac euertere, quantumuis sensorium sit secundùm naturam. Cæterùm quæuis causa sit quæ hunc affectum concitat, vno è duobus modis id nata est efficere, altero commotis, & agitatis, ac in feruorem ductis spiritibus animalibus, & aere in auditorio neruo naturaliter intercluso: alio verò dum ipsamet causa mouetur, & inordinatè agitatur. Sic profectò aurium tinnitus contingit his qui febri ardenti laborant, aut quauis alia, dum in summo est vigore, vel etiam minatur: maximè per vomitum, aut per fluxum sanguinis narium, vel per quamuis aliam superiorem vacuationem. Quippe calor ille feruidus ad motum concitat ipsos flatuosos spiritus, & biliosam intra venas materiam, aut eam quæ in capite redundat, humiditatem, nunc per se, nunc vaporibus illuc transmissis, præludium quidem paraphrenitidis futuræ, & imminentis, vel alterius delirij, vt author est Hippocr. t. de Coacis text. 7. quæ id quoque fluxum sanguinis narium monstrare scribit. Succrescit etiam, cùm extrinsecus, aut intrinsecus, aerem, & spiritum ipsum causa aliqua vehementer irruens, auditorium meatum mouet: sic pus intra aurem contentum: item immodica ciborum, aut vini ingestio, & quæuis cruditas, quæ flatum in eam partem transmittit. Idem malum efficit humorum agitatio, si grandis sit, & humoris copiosi, commoti tamen à calore, neque vincente, neque victo, quo flatus, & spiritus commouentur, & exitu priuantur, ac subinde capitis humores exagitãtur, maioris mali (velut apoplexiæ, paralysis, epilepsiæ, aut ingentis capitis doloris, vt author est Hippocrat. lib. 5. de Coacis prænot. t 2.) præludium, dum humores crassi sint, & homo alio affectu caret. Præterea idem malum molitur, quidquid intra venas, aut extra ipsas in capite inordinatè, & præter naturam moueatur: nam sola ratione huius motus causæ quæuis possunt hunc affectum concitare, vt 2. de morbis Hippocrat. docuerat. Idem malum efficit ictus, & casus, & purgatio per pharmacum vehementer turbans. Quas omnes causas optimè complexus est Galen. 3. local. capite 1. & Auicen. 4. 3. capite 9. præter quas, humorum crassiorum copia in ipso cerebro existentium causa est, siue ibidem fiant, siue aliundè transmittantur: à quibus flatus eleuari prædictum dãnum efficientes necessum est.

Signa. Signa verò quæ monstrant per consensum fieri tinnitum, sunt, quòd interpollatè accidat, nulla seruata continuitate, sed solùm ad incrementum affectus, cuius occasione succrescit: maximè si alicuius membri læsio adiungatur. At per proprietatem in cerebro fieri, ostendit totius corporis, & omnium eius particulatum integritas: item tinnitus est continuus: iterũ à vitio cerebri suboriri ostendit læsio faciei, aut alicuius partis eius: quòd si potentia alia simul oblædatur, euidentius est signum cerebrum oblæsum esse. Cæterùm si præter auditum nil læsum cõperiamus, conijcere oportet solùm neruum auditorium oblæsum fuisse. Verùm si à flatuoso spiritu prodeat facilè distingues, quia flatus illuc conscendere cognoscitur: qui si tenuis, & in parua sit copia, sed impetuosè motus, sibilum concitabit: cui si accesserit humiditatis

ali-

aliquid, tinnitum, & imbrei, ac fluctuationes æmulabitur: quòd si flatus humoris melancholici sit, veluti aliquid frangi laborans persentit. Verùm si ob debilitatem auditorij nerui tinnitus oriatur, laborans ab omni sonitu læditur, nec minimum citra damnum ferre poterit, & cum hoc nequibit distinctè percipere vocis vim, & significatum, nisi maiori voce proferatur. Sic dum ex nimia sensus perspicuitate tinnitus oritur, noscitur quòd plerunque id vitium natiuū sit, & semper eo conqueratur laborans, adeò vt à quouis sonitu alteretur: præterquam quòd sic affecti omnino careant signis aliarum caussarum, & prorsus lædātur magis ieiuni quam saturi. Verùm si ab externa causa prodeat, facilè ex relatione disces: si tamen ab interna, vt est febris incrementum, aut crisis, lōgè facilius (B) tibi constabit: sicut dum ex cruditatibus ventriculi, ex eius inflatione, ructibus, frequenti cruditate, grauitate, & alijs accidentibus: sic vniuersum corpus cōpati monstrabit ignauia ad motum, vita sedentaria, copiosum alimentum, copiosior, & frigidior potus, & vini meracioris vsus. Caput etiam pituita abundare monstrabunt catarrhosę affectiones, propensio in somnū, dolor grauatiuus, & obtusus, & obtusus etiā auditus. Scitu quoque dignum est, tinnitus antiquos curatu esse difficiles, sicut periculosos, & lethales, vt ait Hippocrat. in Coacis, qui fiunt vnà cum morbis acutis, cum febre pestilenti, & ardenti: eos vero minus graues, & salubriores, qui fiunt cum grauedine; medios verò, qui fiunt ex longa capitis valetudine.

Curandi ratio. Curatur tinnitus aurium, si ex immodica sensibilitatę prodeat, difficulter: cæterum adhibenda sunt ea, quæ obtusiorem reddant sentiendi potentiam, qualia alimenta crassioris, & pinguosæ substantiæ, ac frigida sunt, & ea etiam quæ extrinsecus humectare, & modicè refrigerare caput habent. Sic primò lumbricorum oleum benefacit cum rosaceo, addito cicutæ semine: sic præstat suffumigare meatum auditorium eodem semine cum feruido aceto: verùm id rarò tentabis, nisi dum affectio molesta admodum est: vereri enim oportet ne sensus reliqui hebescant, & imminuantur. Si verò ex imbecillitate prodeat, alimentis, & proba victus institutione medeberis, laborante reducto ad pristinam sanitatem. Verùm dum ex crudis humoribus, vbicunque sint, in caput flatum mittentibus malum oriatur, nunc profectò vniuersalis prouidentia, veluti in dolore auris à flatu instituenda est, nec non & particularis. Sed sunt quædam auxilia quæ peculiari quadam ratione tinnitui prosunt ex flatu proficiscenti, vel crasso vapore, aut forsan humore ibidem existente, si priùs corpus ex hiera frequenter purgaueris, aut rariùs, sed cum *hiera diacolocynthidos pondere* ʒ. 2. *cum catholici* ʒ. 1. *&* ß. maximè cum inueteratus iam affectus extiterit. Huius naturæ est radiculæ succus cum rosaceo, vel oleum amygdalarum amararum cum succo radicis cucumeris agrestis, & modico aceto: item castorium ex aceto: oleum etiā laurinum, & veratrum aceto contritum, & modico melle in aurem stillatum: item succus porri cum oleo rosaceo, vel lac muliebre cum modico castoreo: prosunt sacculi ex milio, sale, betonica, ruta, hyssopo, sampsucho, & chamæmelo. Similiter spongia madefacta in decocto calido, aut euaporationes chamæmeli, meliloti, calamenthi, absynthij, origani, stœchados, & menthastri. Laudantur etiam euaporationes ex oleo, vel aqua, vel vino decoctionis stœchados, lauri, cumini, radiculæ, rutæ, ellebori, & similium: item sacculi ex milio, & chamæmelo torrefactis, irroratis vino albo. At in vrgentiori necessitate, valet oleum rosaceū, in quo incestina terræ, vel modicum mandragoræ, ferbuerint, aut caput sicci papaueris. Sed interim dum hæc fiunt, curandum est, post corporis purgationem, ventriculum si causam prębuerit, sin aliter, caput, per vices, & interualla purgare, qua lege dictum est pręce- (A) denti capite. Posteà verò ad valentiora topica iterum erit confugiendum: in quo opere experimento est cō probatum, prodesse vaporem aceti, & absynthij cū felle bouino: item fel capræ cum succo porri tepido: colocynthidis modicum in aceto decoctum: succum foliorum ebuli, succum rutæ: oleum liliorum alborū, & amygdalarum dulcium, feruefacto hyssopo, & ficubus. Sed est efficacissimum q. ℞. *colocynthidis* ʒ. ß. *succi rutæ, & amaraci, anā* ʒ. 1. *cymini, carui, ana* ʒ. 2. *fiat decoctio in vino, & oleo amygdalarum amararum ad vini consumptionem, & facta colatura exprimatur, & modicum iniiciatur in aurem, & bombace obturetur.* Aliud conficies efficacius, q. ℞. *ellebori albi* ʒ. ß. *foliorum lauri, & rutæ, ana m.* ß. *foliorum fragini m.* 1. (B) *fiat decoctio in oleo amygdalarum amararum, & post colaturam eodem modo vtere.* Præstat mirabiliter aliud, q. ℞. *seminis porri, cariophyllorum, anà* ℈. 1. *moschi gr.* 5. *cum amaraci, & rutæ succo, addito vino dulci in aurem instilla:* item id q. ℞. *olei amygdalarum amararum admixtum vino in quo incoxeris origanum, pulegium, calaminthum, rutam cum modico coriandro præparato.* Prosunt & pulueres, ac tabellæ quæ flatus discutiant à cœna sumptæ. Conferet sternutamentum, & alia huius census quæ præcedenti capite adduximus: in debilibus tamen satius est ab auxilijs abstinere: præterquam quòd multa quæ graui auditui proficua sunt, vtilia quoque tinnitui erunt, vt balnea sulphurea, & sudationes, aut fontanella brachio (C) affixa.

De graui auditu. Est surditas auditoriæ potentiæ actio ablata, sicut grauis auditio diminuta, miserrimum mali genus, quòd sic affecti protinus à consortio hominum ablegentur, nulli enim rei videntur idonei: quinimo sæpè qui surdi sunt à natiuitate, muti quoque euadūt, quòd desit illis via, & modus ad capellendum idioma, & disciplinas: quo modo affectos, surdos, subsurdos, siue surdastros Medici appellant, qui sanè debiles voces omnino non percipiunt, magnas verò difficulter. Aufertur enim ex toto huiusmodi potentia, veluti in omnino surdis, qui magnas voces adhuc persentire nulla ratione possunt: est enim hæc huius nominis ratio. Grauis igitur auditio tres caussas peculiares sibi arro- (D) gat: quippe primùm fit ob alius interni aeris crassitiem, & turbedinem: quo fit, vt sonitus tanquam per medium crassius percipi videantur: ita vt exigui delitescant, magni quidem vix percipiantur: ob id profectò aures diligentiùs admouent, vt audiant qui sic affecti sunt, eo quòd species sensiles efficaciùs ex proximo quàm ex remoto imprimantur. Prouenit tamen prædicta perturbatio ex caliginoso, & crasso vapore sursum eunte, congenitumque aerem crassiorem reddente, cùm miscentur ambo: nam licet ex eodem vapore tinnitus oriatur, id quidem fit, dum circum aerem ipsum congenitum inordinatè mouetur: nam dum ipsi ambo miscentur, subsurditas suboritur. Sic enim tinnitus præludium esse solet surdi- (E) tatis, sæpè quidem ex aere, qui circū mouetur, aliquid congenito miscetur, quo surditas succrescit. Cuius sanè causæ meminit Hippocrat. 3. aphorism. 5. docens Australes ventos auditum hebetare, quòd prędictum aerem crassum, turbidum, & hebetiorem reddant. Quod etiam secundò prouenire potest ex humida cerebri intemperie, siue innata sit, siue acquisita, quæ prauam molitur coctionem in cerebro crudosque succos plurimos gignit, & flatus non paucos concitat. Prætereà hebetem reddit auditum fumus, puluis, aqua, lapilli, caro excrescens, sordes aurium indurata, & reliqua id genus. Tertiò prodit prædicta grauis auditio ab spiritibus factis paucioribus, crassis, aut turbidioribus: quibus ineptior efficitur animalis potentia ad suum munus obeundum; siue ex errore victus tales gignantur, siue ex ambiente aere vt Gal. refert 11. epi. q tales esse nostri corporis spiritus, qualis ambiens

nos aer exciterit, refert: præter quàm quòd spirituum generatio ex aere quoque est: ideò Aquilonares venti visui & auditui prosunt, sicut Australes nocent. Præter has tres causas, habet grauis auditio aliam cum surditate communem, quæ est instrumenti vitium, cuius paulò inferius meminero.

Signa. Sed expendisse prius oportet, vtra harum causarũ huius mali existat causa: si enim obtenebratio interni sit aeris, facilè disces ex notitia præcedentis victus, si plenior sit adeò vt cruditates copiosiores gignat, sicut fieri à vino meraciori, rubro & copioso non rarò contingit: præterea si in nubiloso aere versetur homo, australemue perpetiatur incursum, facilè ex temporis natura disces: nam si ex paucitate spirituum fiat, ex morbo vel inedia præcedentibus, haud difficulter venaberis.

Curandi ratio. Huius etenim curatio diligenter instituenda est: nam ex negligentia facilè in veram & integram surditatem commigrat affectio, quæ nullis aut grauissimis visa est cedere auxilijs, sicut grauis auditio quæ non leuissima expostulat præsidia: quippe si vtraque inueteretur, eandem subit curandi difficultatem. Institues autem curationem, habita priùs totius corporis prouidentia, & an ex crasso humore vel crudis succis malum oriatur, haud secus quàm in surditate dicturus sum: si modò consideres, minoribus & minus esse purgandum, alterandum, vel quoduis aliud opus efficiendum, sicut affectio minor suapte natura existit. Quapropter ne in tam breui scripturæ spatio, videar sæpius eadem repetere, placet surditatis naturam priùs exponere, & ea præsidia ei præscribere quę vtrique proficua existant.

De surditate. Ad veram integramque surditatem deueniendo, constat auditorium instrumentum, vt surditatem efficiat, multis modis lædi posse: vitio nimirum cerebri, quatenus ob aliquod vitium generat prauos ex alimento succos, aut non expurgatur probè à recrementis, ad quod etiam reducitur spirituum & aeris congeniti læsio: aut vitio meatus auditorij, & vltimò vitio ipsius nerui dilatati à quinta neruorum coniugatione orti: quem esse huius sensus præcipuum instrumentum ferè omnium Medicorum consensu constat. In qua re mihi non displicet asserere neruum hunc dilatatum foraminulis aere vitali & spirituoso plenis, esse constructum, & in eo præcipuam auditorij instrumenti rationem sortiri spiritum prædictum, qui sanè vitiatur & surditatem aut subsurditatem efficit, dum deficit aut impuratur vt mox referam: quo euidenter colligitur, aliquando surditatem sequi morbos in intemperie, nonnunquam in compositione, & rarò in soluta vnitate. Atque cùm iam dictum sit de primis duabus læsionibus, in hac vltima quæ ad neruum dilatatum attinet, statuendum est, huiusmodi neruum lædi obstructis cauitatibus aere plenis, aut communi meatu; vel resoluta totius nerui substantia, vt in paralysi contingit; aut spiritum impurari, vel imminui: imminuitur, vel defectu alimenti, vel ob immodicum spirituum dispendium, vel quòd non deuehatur ad neruum ipsum, obstructione vel vbertate alicuius crassæ substantiæ: vtrumque tamen maiori ex parte succrescit ab humoribus crassis, viscidis & tenacibus, qualis pituita est aut melancholia, vel prorsus corpore quopiam crasso obturante, vt tuberculo aut phymate crudo, callo, schirro, aut concreto pure: vel ab aurium sordibus adeò induratis & concretis, vt omnino præpodiatur aeris externi contactus: impuratur enim congenitus aer ab eisdem causis, vel halitu humidiori & caliginoso, aut succis biliosis, vt in morbis contingit acutis, nonnúquam ex admixtione flatus interni cum ipso aere immerso in foraminibus dilatati nerui, quo nó minus homines surdescunt: sed maximè ex crassa pituita. Sit ne semper huiusmodi humor, an aliquando biliosus, controuer-

A tunt authores: cùm constet Hipp. bilis meminisse. 4. aphor. 28. vbi biliosas deiectiones surdis prodesse refert: nec non & sanguineas, si quidem ipsam quoque finiri sanguinis fluxibus per nares compertum est. Sic Gal. 1. popul. part. 3. comment. 20. in historia Herophontis refert quinto die obsurduisse, quia bilis recursum fecerat in caput. Sed vt nodus soluatur, intelligere oportet, prædictas surditates criticas esse, de quibus non est nobis in animo loqui, sed solum de his, quas non curat natura vlla vacuatione facta, sed opus est topico auxilio, quo ex crassis succis ibidem impactis (quibus credendum est fieri) aliquid conterat, aut ex quauis prædictarum causarum.

Signa. Nosces verò per consensum ne sit, an per primogeneam affectionem, vt Gal. aduertit. 4. de locis affe. & B Auic. 4. 31. tract. 1. nam si cerebrum huic malo consentit, nosces, quòd caput, aut aliqua eius pars simul cum auditu lædatur, & quemadmodum in lethargo, epilepsia, & phrenitide comperimus: præterquã quòd in his vel gustus, vel visus simul collæduntur. Verùm si consensu ventriculi fiat, constabit eo, quòd acutiùs audiant laborantes ventriculo ieiuno & vacuo, magis quàm pleno: præterquam quòd per interualla repetit surditas antecedente tinnitu. At nosces ab hac aut illa causa surditatem proficisci, quòd ab aeris vel spiritus vitio nusquam omnino surdi euadunt laborantes, sed surdastri, grauiores tamen & surdiasinitimi, sed cum aliquo tinnitu euadunt. At ex nerui obstructione, per porositates eius facta humorum imbi- C bitione, surdum fieri hominem nosces ex priuatione omnimoda, aut si talis non sit, quia per defluxũ aut mutationem alterius mali in eum affectum fit surditas: nam vel præcessit catarrhosus defluxus importunus, & non probè purgatus, aut febrilis aliqua affectio, vel aluus soluta, quorum suppressione surdus euasit homo: prę terquam quòd in foramine auditorio nihil mali aut impedimenti elucet: verum si ab intemperie calida vel frigida prodeat, tactu & laborantis sensu discernes. Si tamen à crudo phymate sit, ex impedimento in meatu persentito colliges, & quòd nulla sordes per aurem instillat: si ex inflammatione, ex dolore, febre, & mentis perturbatione: sicut dum fit à crassa & densata sorde, quòd veluti palo aut re ali- D qua obturari meatus videatur, & cum hoc sordis etiam aliquid stillet.

Præsagia. Siue surditas sit, siue subsurditas, dum ab ipso ortu contracta sit, vtramque aurem occupare est credendum, & conformationis instrumentorum vitio prodire, & ob id irreparabilem esse. Idem quoq; censendum est, si post natalem orta annorum duorũ spatio confirmata sit. Quæ verò non absoluta quidem, aut non in vtraque aure, diuturna tamen est & in maturiori ætate prodit ab humore frigido, crasso & pituitoso orta, penitus impacto in auditorio meatu, nec ipsa quidem curationem recipit, seu admodum difficilem. Verùm si in febre surditas succrescat (nam & in acutis, & in diuturnis succrescere solet, & per se mor- E bum constituere) plerumq; repente fit (aut saltem leui præcedente tinnitu) & rarò inueteratur. Quam sanè surditatem & criticè & symptomaticè accidere scimus; criticè verò cum materia crassa est & frigidior, parotidum prænuncia, præsertim accedente comate, vt statuerat Hipp. 3. prorr. 75. In capitis dolore coma & surditas abscessum aliquem post aures eructant, sicut in calidioribus humoribus sanguinis profluuiũ, aut alui fluorem, vel abscessum ad coxas, aut omnia simul, vt in hist. Herop. in Abderis. 3. pop. cõm. 3. t. 21. sic profectò in acutis post iudiciũ surditas salutis nuncia existit. Vt symptoma verò suboritur non rarò surditas; nam quibus à febre (quãquam rarò) firma stabilisque manet, rarò delitescit & curatur, quibusdam verò euenit humore aliquo in auditorio meatu fixo atq; impacto, citra vllam malignitatem; quem humo-

rem

tem 1. prorr. 32. bilem esse arbitratur Galen. quæ per suppressionem in caput rapta vitiat auditus instrumẽtum, probat euentu descensus ipsius bilis ad intestina, vt probat Hippocr. 4. aphorismor. 60. & 28. Quibus biliosæ deiectiones exeunt, ex surditate superueniente sistuntur: & quibus surditas adest, biliosorum deiectione finitur. Item quibus per febres aures obsurduerint, ijs sanguis è naribus profluens, aut aluus turbata soluit morbum. Præterea reperitur alia surditas cunctis deterior, & maximè lethalis, extincta audiendi facultate, quæ sequitur acuti morbi perniciẽ, vt 1. prorr. 32. insinuauerat Hippocrat. & 4. aphorismorum 49. dicens: In febre non intermittente, si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertitur, si non videt, si non audit, imbecillo iam corpore, morti proximum est. Itaque surditas ab extincta facultate, lethalis est: inueterata non curatur: firmata, neque aluum sistit, neque alui biliosis deiectionibus tollitur: temporaria translatam bilem ad aures ostendit, vbi aut conuulsionis, aut delirij præsidium existit, nisi per aluum, aut fluxum sanguinis è naribus purgetur. Quæ omnia curaturo summoperè necessaria existunt, vt discat quali medicamento vtendum sit, & qualem spem de surditate curanda concipiat, & polliceatur.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio tot sortita est partes, quot causas: quarum quæ aut leues sunt, aut cum alijs morbis communes, facilè expedientur his quæ mox referam: quæ verò maioris sunt momenti, maiorem etiam requirunt diligentiam. Sic profectò (vt ab illis facilè me expediam) causa, quæ intemperie media hoc vitium gignit, vel spirituum, aut aeris quieti spurcitia, facilè his, quæ nuper diximus, & capite de visus debilitate, subsidium susceptat. Quæ verò ex phymate prodit, his quæ coquendi, ac digerendi vires habeant, vt decoctum, aut succus radicis althææ cum butyro, aut oleo susino: vel decoctum fœnugræci, seminis lini, & althææ cum butyro, aut oleo susino, vel decoctum fœnugræci, seminis lini, & althææ cum modico aceto, & melle: aut butyrum cum succo maluæ liquefactum, & alia huius naturæ. Cæterùm si à crassis recrementis surditas fiat, his quæ incidant, attenuent, ac modicè liquent vtendum est, velut existit inter alia stillatitius liquor mellis, succus rutæ cum modico aceto, maioranæ, item stœchados, porri, aut cæpæ, vel mel squilliticum cum succo raphani, aut oleum de ligno cupressi cum eodem succo raphani ad consumptionem succi feruefactum: quod cùm liquaueris, paulatim penicillo tertio quoque die, aut singulis diebus extrahes, & iterum eisdem præsidijs vteris. Primò ante omne auxilium statuendum est in surditate fugiendum esse à nimis calidis, aut frigidis medicamentis, aut alimentis. Sic Rufus Ephesius allium nocere scripsit. Item Albertus Magnus, summa de homine, statuit anfractus aurium longissimos fecisse naturam, quò minus à frigidis læderetur. Pari ratione crapulam, cruditates, & crassa cibaria fugere oportet: item & vociferationem, ac tonitrua, dum caput plenum existit: nam ipso purgato, vt ex Archigene refert Galenus, clamores, maximè tubarum, summoperè prosunt: primò, quia calfaciunt auditorium meatum, & ea ratione residuum humorum discutiunt: secundò, quia clamoris impulsus illidit humores in locis impactis. Cuius sententiæ fuerunt Epicurus, & Democritus, vt refert Lucretius 4. de natura: quorum sententiam probauerat Galenus 3. localium, dicens: In dolore aurium quiete opus esse: in graui auditu, & surditate, motu, & concussione. Insuper fugiendum esse à vomitu consulit Hippocrat. libro de locis in homine, quia maximè caput repletur, quod sursum ferantur omnia caputque repleant, vt in oscitationibus, respiratione, &

A inspiratione contingere asseuerat Aristotel. 5. de generatio. anima. capite 2. & 11. partic. problem. 42. Quòd si humorum fuerit affluxus, qui vel neruum resoluat, vel eius foramina infarciat, triplici tantùm medendi ratione vteris: prima nimirum, quæ totum corpus immune reddat ab huiusmodi humoribus (præmissa proba victus, & potus institutione. Cui vsui potum instituere oportet, ex decocto ligni guaiaci cum modica liquiritia, vel ex sarsa parilla cum ligno aloe, vel è radice chinæ cum sassaphrasa Indica, præterquam si, ventriculi, aut consuetudinis gratia, tenui, & modico vino vti concedatur, cum victu etiam omni arte exiccante) purgatione facta medicamento humorem peccantem validè seligente:

B nam cùm humores sunt crassi, & impacti, potius turbantur leui pharmaco quàm extrahantur: quippe censeo ob id Hippocrat. dixisse aluum turbatam, id est, vehementer solutam surditatem soluere, quamuis Auicenn. dixerit leuioribus esse agendum, quo materia faciliùs coquatur, si quidem Galen. 3. local. eadem ratione consuluit pilulis de colocynthide purgare, quæ vehementer aluum turbant, aut vsu balneorum ex sulphure, vel prouocatis sudoribus, quibus quod in ambitu redundat, facilè per insensilem halitum euanescat: iniectis etiam clysteribus acri, & attrahenti virtute præditis, quæ etiam humores ab alto distrahant. Secunda curandi ratio his auxilijs perficitur, quæ caput ipsum omni ar-

C te præcaueant, quo minus à ventre, aut partibus interioribus recipiant, & si quid receperit, ab humorum spurcitia liberent, quales sunt purgationes crebræ, tertio, aut quarto quoque die factæ, quæ ventrem, & primas venas tanquam crudorum succorum officinam, primò expurgent: velut sunt pilulæ mastichinæ, ex hiera, ex agarico, alephanginæ: vel hæ quæ conficiuntur ex rhabarbaro, agarico, & aloe, vel quæ formantur ex agarico trochiscato, hiera simplici Galeni, & mastiche: prodest & infusum senæ cum expressione seminis carthami, aut Mechoacanum Indicum: prosunt & pilulæ ex terebinthina abietis cum puluere hieræ. Quo facto, eis vteris quæ caput ipsum respiciunt, quemad-

D modum sunt aureæ, fœtidæ, cochiæ, Arabicæ, & huius census aliæ: vel purgationem consimilem, & non minoris momenti instítues, si affectioni consentiat vniuersum corpus, *exhibitis ℥. 5. decocti quod recipit florum stœchados ℥. 1. maioranæ ʒ. 3. turbith, & polypodij, anà ʒ. 2. & ß. agarici trochiscati ligati, & rhabarbari, anà ʒ. 2. foliorum senæ ℥. 2. bulliant in libris sex aqua ad consumptionem medietatis, & cum modico ligni aloes aromatizetur:* quod porriges *tertio quoque* die, & interim humorem, & corpus præparabis rhodomelle cum modico oxymelitis simplicis, vel compositi, vel squillinci cum syrupo de stœchade, aut de betonica, & aquis amaraci, saluiæ, hyssopi, fœniculi, calamenthi, aut origani:

E Item *excipe foliorum betonicæ, roris marini, stœchados, anà manip. 1. fiat decoctio, cuius accipe ℥. 3. oxymelitis simplic. syrupi de stœchade, & de bisantiis, anà ℥. ß. misce.* Quod si humor melancholiæ naturam, & conditionem sortiatur, syrupo vteris de Sabor, lupulorum, aut fumariæ cum decocto lupulorum, borraginis, & fumariæ. Verùm medicamentis quæ vehementer purgant, frequenter vti citra periculum non datur: ob id consultissimum est eisdem purgare, sed in minori quantitate: quippe sic consuluerat Hippocrat. dicens: In his purgandum esse cum eo quod modicum ingestum plurimum educat, cuius census sunt pilulæ cochiæ, aureæ, Arabicæ, de hiera Pachij, & de lapide lazuli, ac similes. Rursus materiam educes per ea quæ caput purgant, præsertim per masticatoria, & dentifricia: nã quod excremẽtitium est, bis terve in hebdomada expurgare oportebit;

ac mox caput roborare his, quæ capite præcedenti, & principio huius capitis exterius adhibita, id posse diximus: velut sunt lotiones ex lixiuio, ex decocto guaiaci cum aqua vitæ, aut ex vino, in quo ferbuerint flores stœchados, maioranæ, & chamæmeli, lignũ aloes, & huius census alia: sic ex vsu erunt pilei ex pulueribus sæpius adductis, aut pulueres ipsi supra caput sparsi. Tertia verò & vltima medendi ratio, per ea auxilia fit, quæ exterius adhibita, aut intra aurem proiecta validè habent discutere humores, incidere, attenuare, & extergere, dummodo sint calfacientia, quia pars abdita, & neruacea est, & humores plerunq; frigidi, incidentia, extenuantia, & altè penetrantia, vt 3. localium consuluerat Gal. velut est in humore frigido, & denso absynthium aqua decoctum, ac per infundibulum in aurem euaporatum: præstat decoctũ origani, bacearum lauri, & foliorum eius, cum modico aceto, & castorio, melle, & succo absynthij, cuius etiam nonnihil in aurem infundere prodest: itẽ succus hederæ cum vino inditus, vel decoctum aliorum, & cęparum, aut porri cum vino, aut aceto, vel succo rutæ. Fel item leporis cum pari mellis portione in cœpa feruefactum mirè prodest. Valet castorium cum oleo costino, vel amygdalarum amaratum. Fomentum autem non minus vtile hoc modo facito: *excipe rutæ, absynthij, foliorum lauri, & althææ, anà m. 1. vini albi lib. 2. aquæ lib. 4. bulliant simul ad consumptionem tertiæ partis vini, & aquæ, & spongia modicè calidum auri apposito duarum horarum spatio, & sic per interualla facito.* Prodest & aliud q. ℞. *foliorum hederæ m. 2. cęparum lib. ß. coquantur in hydromelite q. s. & contundantur donec fiat emplastrum, quod auribus apponito, foramine prius occluso.* Conficies tamen aliud, iudicio nostro maioris momenti, q. ℞. *olei amygdalarum amararum ℥. 4. succi raphani ℥. 6. moschi puluerizati ʒ. ß. bulliant omnia, ad consumptionem succi, in vase probè obturato, ac in duplici vase, & dum laborans it dormitum, infunde guttulam huius olei in aurem.* Est longè maioris momenti, & vsu probatum medicamentum, q. ℞. *olei amygdalarum dulcium ℥. 4. aquæ vitæ ℥. 2. foliorum lauri minutim incisorum numero 6. bulliant in duplici vase ad consumptionem aquę, & facta vehementi expressione, eodem modo vtere.* Eiusdem quoque nominis censeo esse oleum ex ligno cupressi: sed pretiosius ex ligno guaiaco, aut stillatitius liquor ex limatura vtriusque cum aqua vitæ, melle, & succo raphani extractus per alembicum. Prosunt & medicamenta quæ capite præcedenti ex fellibus componi diximus, ac ex elleboro, & euphorbio. Inter minora enim numeratur aqua stillata ex pane recenter cocto, cum stœchade, & modico ciclaminis. Oleum item ex pice, ex cera, ex aniso, quod maioris momenti est, & ex semine fœniculi, ex cariophyllis, & cinnamomo. Præstat & vrina capræ, & senecta anguis aceto trita, & instillata. Item stillatitia aqua ex pari portione aceti, & aquę cum coma absynthij. Præterea laudatur tabella cupressi calida, quantum ferri possit auri applicita. Sed confert non parum pinguedo quæ emanat ab anguilla cum assatur, si proprio ipsi felli admixtum vase vitreo, seruaueris, & vsu postulante vnam, vel alteram guttam in aurem infundas. Possunt etiam in aurem infundi alia, velut oleum iuniperi, ex terebinthina, aut ex amygdalis amaris, vel dulcibus, in quo madueri, & coquatur anethum, euphorbium, & castorium. Sed inter composita probatum reperio id, q. ℞. *olei veteris ℥. 2 olei porrorum, & amygdalarum amararum anà ℥. 1. succi rutę, succi raphani, anà ℥. ß. vini maluatici ℥. 1. & ß. bulliant in vase vitreo ad succi, & vini propę consumptionem: deinde adde spicę nardi, colocynthidis, castorij, mastichis puluerizatorum, anà gr. 2. posteà occluso vase bulliant in duplici vase per tres horas: auferatur ab igne, & in alio vase seruetur ad solis æstum paucis diebus, donec liquor clarescat, posteà coletur te-*

A *nui linteo, & exprimatur, & adde musci gr. 1. & ß. dissoluatur optimè, & vsui seruetur.* Aliud non minoris momenti conficies, q. ℞. *succi porrorum, succi absynthij, olei amygdalarum amararum, petrolei, hoc est olei naphthę, anà ℥. ß. misceantur, & ea mixtura impleantur cœpę duę excauatę, atque ita sub cineribus calidis coquantur, & posteà succus exprimatur leniter per colaturam.*

Maiora auxilia. Quòd si hæc & alia, quæ passim apud peritos viros reperies, non videantur profuisse, coniectabile est fixius aliquid materiæ in neruo, & partibus vicinis adhuc infartum esse, quod paulò efficaciora auxilia requirat. Quapropter oportebit per interualla corpus vniuersum, & caput purgare, & iterum per propria ca-
B pitis emunctoria quod reliquum est educere: cuius naturæ est masticatorium, q. ℞. *radicis pyrethri ʒ. 1. nucis muscatę, zingiberis, anà ℈. 2. mastichis ℥. 1. dissoluatur mastix in mortario cum pistillo calido, & cętera misceantur, ac fiant pastilli ʒ. ß.* Huius loco gargarismus fieri poterit ex hyssopo, origano, saluia admixto oxymelite, & pauco aceto. Non placet plurimum sternutatorijs vti, quippe tuta non sunt, ob incertitudinem motus humoris ex vehementi illa agitatione: cuius loco humor attrahi potest per nares succo betæ, radicis ireos, vulgaris acori cum aqua maioranæ, & melle. Quibus factis iterum ad capitis lotionem te conuerites ex lixiuio cineris sarmentorum, corticum ligni guaiaci, & lauri, caulium, brassicæ percolato, in-
C coctis absynthio, saluia, chamæmelo, maiorana, folijs senæ, rosis, agarici aliquot drachmis, quod deinde abstergatur spongia, & pannis siccioribus, vel sacculo, q. ℞. *sandarachæ Arabum ʒ. 1. & ß. thuris, nucis muscatę, maioranę, anà ʒ. ß. granorum myrti, rosarum rubearum, seminis pęonię, florum stœchados, anà ℈. 2. puluerizatis omnibus fiat sacculus interlineatus serico pro sutura coronali, cuius vsus tantùm sit interdiu,* noctu verò sola cucupha cannabina sufficiet, calfacta tamen fumo, quem sandaracha, & thus carbonibus iniecta exhalarint. Quo facto, bis, terve in hebdomada suffitibus maioris momenti vtendum erit, velut est q. ℞. *centaurij minoris, tanaceti, absynthij, maioranę, anà manip. 1. & ß. foliorum lauri, rosarum, spicę, anà*
D *manip. 1. lumbricorum lotorum in vino, & ligatorum in sindone p. ß. aquę partem vnã, vini albi partes duas, coquantur, & seruentur pro suffitu,* à quo aliquid eorum quæ dicta sunt in aurem infundere oportebit. At si bis malum non cesserit, & ex mali augmento Medicus coniecerit aliud grauius malum posse superuenire, occiput ferro candenti aperire oportet, & fontanellam in brachijs excauare: vel si placet setonem occipitio affigere, quo expiret id quod indies in cerebro aggregatur. Sed longè his maiora, & valentiora reperies tract. de tinnitu prope finem: quæ ne bis repetere videar, illic esse quærenda satius duxi.

Verùm si ex pure in aure resiccato surditas suboriatur, abstersorijs vteris, quale est hydromel ex hordei
E cremore: vel id q. ℞. *scoriæ ferri ℥. 1. decoque in vino, & posteà in aurem infunde.* At si aqua in aurem proiecta causa sit, saliat laborans capite versus illam partem inclinato, & posteà gossypio, aut spongia extrahatur: præstat & sternutatio ex oleo calido per suctũ, aut per syringam, in nares immisso. Verùm si ob vermiculos malum oriatur, amaris abstergere oportet, velut est oleum de nucleis Persici, aut succus foliorũ eius, absynthij, lupinorum, & calaminthæ cum aloe: calculos verò aut quamuis rem duram in aurem immissam, chirurgicis instrumentis committes, factis priùs fomentis, & calorificis auxilijs: verùm si alicuius seminis granum in aurem inciderit, caue ab his quæ intumescere faciunt, velut est oleum, aut aqua calida, deteriùs enim tunc extrahes.

CAPVT XXV.

De fluxu sanguinis narium.

Licet hæmorrhagia, Græcè, quamuis sanguinis profusionem designet, peculiari tamen acceptione, sanguinis è naribus fluorem importat, vt ex Hippocrat. euidenter probari potest libro 6. epid. sect. 3. text. 19. & 21. cui sententiæ Galen. adstipulatur lib. 1. popul. part. 1. comment. 9. dicens quòd hæmorrhagia per se & simpliciter sumpta, sanguinis è naribus profusionem significat, non expressa particula per quam fluit: alioqui nomen commune esse. Fluxionem autem sanguinis per nares, triplicem esse euidenter con- B stat: nam comperimus quandam esse naturalem & sanorum propriam, à copia & feruore sanguinis, qui in pueritia non solùm in alimentum, sed etiam in incrementum consumebatur. Cuius meminerat Hippocr. 3. in 6. popul. tex. 21. dicens: Vbi concubere, vel hircire incipiunt, sanguinem profundunt. Secundam verò frequentiùs conspicimus, vi febris & in certamine naturæ in crisibus commotam. Quippe sanguis calore feruens sursum rapitur, apertisque venis vnà cum calore funditur. Hæc sanè vno è tribus modis in morbis contingere potest, vno quidem criticè & natura superante: quam esse salubrem confirmat suc crescere in omni morbo acuto & bilioso, & in causo, phrenitide ac inflammationibus viscerum: minus C tamen vtilem in lethargo, & peripneumonia; medio modo ambigit pleuritis: eam quoque securiorem reddit correspondere non solùm speciei morbi & naturæ biliosæ, sed etiam ætati, temperamento, victui, & è directo affecti loci & temporis constitutioni. Nam in eodem genere causi iuuenes magis hæmorrhagia, senes magis dysenteria iudicantur: confirmat autem iudicium, conferentia & tolerantia, quod expresserat Hippoc. 1. epid. part. 3. per verba, benè & largiter fluere, ne quis deceptus fluoris copia, compescere vllo modo tentet. Cùm hoc tamen monendus mihi in hac parte lector est, ne his verbis nimium credens non prouideat immodicis profusionibus, quas (licet criticæ sint) damnauerat Hippocr. ipse. 3. prorr. 41. & 52. D dicens: In iudicatorijs perfrictionibus sanguinis eruptiones vehementes, pessimæ: & paulò inferiùs: Quibus è naribus copiosè, violenta & multa fluunt, ad conuulsiones hi interdum deducuntur, venæ autem sectio soluit. Ratio huius dogmatis est, quia grauata præ copia & ad excretionem concitata, modum tenere nequit, & supercrisim à Medicis vocatam efficit. Altera rursus est vitiosa crisis per hæmorrhagiã, quando nimirum imperfecta est, vt cùm parum fluit, & per interualla, aut modò parum, modò largiter, iteratis vicibus, vt in Metone, & in eo qui in Dealcis horto habitabat. 1. epist. Hippocr. scribit. Tertia verò est stillicidium cum paucæ stillæ fluunt sine causa manifesta, sed vi febris, frustra tentata crisi à vi morbi, E vitio sanguinis, & cerebri infirmitate in morbis malignis. Vltima verò hæmorrhagiæ sors, cuius naturam & causas in hoc cap. disputare studeo, est symptomatica nuncupata, partium interiorum malè affectarũ occasione: in primis hepatis et lienis, interdum etiam capitis. In quarum partium affectionibus per interualla stillat sanguis, aut copiosè profunditur, resoluto aut obstructo hepate, vel liene: in lienosis enim tenuis sanguis sursum abit ac defluit, crassior verò in splene relinquitur, quo & repletur, & hepar replet, quia non expurgat: primum quidem fit retentricis, secundùm expultricis, tertium attractricis infirmitate. Caput præterea sanguinem fundit cùm venæ eiusdem, suscepto sanguine è partibus inferioribus, distenduntur, acrimonia aut copia vicinæ partes irritantur, caput exæstuat, commotus sanguis & exagitatus vapores

A & exhalationes gignit, qui excitati extremas venas, & quæ ad oculos pertinent subeunt, & exitum parant, vel paratum inueniunt facultatis vitio, aut ipsarum venarum morbo. Hinc hebetudo visus, & alia quæ 3. prog. & in prorrheticis fluoris sanguinis signa scripserat Hippocrate.

Quibus suppositis statuendũ est, vt in prima fluentis sanguinis specie naturali diximus, ipsum posse fluere vel vtiliter, conante nimirum natura quod redundat aut molestat deponere, velut in crisibus efficere solet, & in febre ardente non rarò: vel prosilit ex assuetudine: aut dum vacuatio aliqua præter tempus & naturam seu occasionem suppressa est, vt his contingit, quibus menses imminuti sunt, vel non fluxe- B runt, vel intempestiuè delitescunt: sic & alijs quibus aut hæmorrhoides occultantur, vel membrum aliquod mutilatum est, vel per aluũ assueuit natura sanguinis copiam deonerare, et id iam non exequitur. In quibus omnibus, licèt sanguinis excretio toto genere appelletur præter naturam, ex vsu esse solet, sicut in alijs toto genere præter naturam & nocua, ratione materiæ quæ familiaris est, & ratione loci, quem nullum fabrefecit huic vacuationi natura: ob idque grauior periculosiorque est sanguinis profusio, & plus corpus ab eius euacuatione labascit, quàm à cuiuslibet humoris profusione, etiam si maior copia excernatur. Contingit enim soli homini inter cætera animalia sanguinis è naribus profusio, quia plus eo, & humi- C diori abundat cerebro: secundò verò, quia cutis & vasorum tunicæ in hominibus longè sunt tenuiores & rariores: quo fit, vt facilè ipse sanguis exsudet, aut per ora fluat, vel vasa dirumpantur, maximè cùm calor accedat. Ex quo etiam prodit frequentiùs viris quàm fœminis fluere, quòd hæ partibus constent inferioribus magis calidis, et per vterum sanguinem fundant: illi verò partibus superioribus calore abundent, quò frequentiùs sanguis à naribus fluat. Quo factum est, vt sanguine immodicè fluente, corpus in grauiora pericula promptiùs dilabatur: namque & malus corporis habitus, & morbosa gracilitas protinus & immedicabiliter suboriantur: quamobrem expedit paulò diligentiùs huiusmodi fluxum nosse, vt quando na- D tura agente succrescat (permittatur) aut patiente (protinus compescatur) apertum sit.

Cùm enim natura errante funditur sanguis, toto genere præter naturam efficitur excretio, & symptoma fit in genere excretorum, non solùm immodicè, verùm & præter naturam toto genere. Quod sanè non vnum videtur sectari morborum genus, sed varia iuxta Galeni placitum lib. 5. method. cap. 2. & libro 2. vlaniùs in explicatione causarum constabit: interim tamen scito, nonnunquam ad morbum in via pertinere, aliquando ad solutam vnitatem, et non rarò ad intemperiem.

Vna enim trium rationum sanguis è vena profluit: *Causa.* prima vitioso facto sanguine ipso: secunda ob vitium E facultatum, quarum munus est sanguinem continere aut distribuere: tertia verò ob vitium vasis ipsius, sanguinem continentis. Prima quidem ratione sanguis fluendi occasionem sumit ab immodica efferuescentia & calore: attenuatur enim calore, & pori dilatantur atque aperiuntur: quo fit, vt facilè per aperta foramina diffluat, quemadmodum iuuenibus æstiuo tempore, & immodicis præcedentibus exercitijs euenire solet: feruidior enim factus, promptiùs caput conscendit, & qui illuc præest, ob dictam rationem profluit. Secũda occasio, quatenus ad sanguinem attinet, est, dum aquosior, tenuior & serosior efficitur: atqui cũ naturalia foramina crassiori sanguini continendo fabrefecerit natura, factum est, vt dum tenuior fit, contineri nequeat. Defluit tertiò sanguis dum præ nimia quantitate ita vasa distendit, vt necessum sit præ distensione oscula & naturales meatus aperiri, quousq;

san-

sanguis ipse sua sponte prosiliat, vt in iuuenibus, & his corporibus quæ quotannis, aut per breuiora interualla, sanguinem fundere assuescunt: quartò verò & vltimò ratione sanguinis fit eius profusio, dum vitio aliquo ita est conspurcatus, vt vasa ipsa exedat, abradat, ac perforet, aut nonnunquam præ nimia plenitudine disrumpat: hoc quidem in athletis, illud verò in cacochymis corporibus non rarò visitur. Secunda autem ratio, ex tribus primò loco memoratis, ex facultatibus prodit, quibus datum est sanguinem regere, & gubernare: nam cùm distribuens facultas tam est valida, vt præ nimia copia luxuriet, fit vt sanguinē saltem redundantem sua spōtè è corpore pellat, quod solet in robustis corporibus non rarò accidere. Facultas etiam retentrix ob aliquod vitium, aliquando ita languida redditur, vt proprio munere continendi vti deinceps nequeat, & laxatis vasorum osculis quibus ipsa innititur, dum valens est, sanguinem liberè defluere permittit, temperamento quo id munus exequitur vitiato, vt in longis affectionibus contingere scimus. Tertia verò & vltima fluendi ratio prodit ex vasorum sanguinem continentium vitio, quod triplex esse creditur: quippe patitur frequentiùs anastomosim, hoc est reserationem osculorum ipsarum venarum, quod succedere contingit, vel sanguinis acrimonia naturam stimulante, vel nimia copia grauante ipsam, aut ex impotentia contentricis facultatis ipsarum venarum. Patitur etiam pororum, seu meatuū tunicæ ipsius venæ quæuis apertionem, qua sanguis à venis exsudat, quia vel tenuior iusto est, adeò vt eisdē contineri non possit, vel quia venarum substantia rarior facta sit, quod vitium appellatur diapedesis: vtrū que tamen malum morbus est pertinens ad figuram quatenus habet meatus ampliores quàm par sit. Tertium autem vasorum vitium pertinet ad continuitatis venæ separationem: nam aut discissa est, aut disrupta, aut contusa, aut exesa. Discissa quidem à re acuta soluente continuum: dirupta à flatu, aut plenitudine: contusa à re graui: exesa verò à re mordente, erodente, & acri.

Signa.

Signa verò quibus dignoscitur quæuis harum causarum, in promptu quidem sunt: nam sanguinis efferuescentiam monstrant anni tempus, exercitium præcedens, aut animi passio, qualis ira est. Tenuem sanguinem ostendit natura ipsius exeuntis: quippe dilutus est, & iusto tenuior. Quantitatem monstrat color optimus, rubicundior, venæ pleniores, grauitas totius corporis, & maximè capitis, corporis constitutio, seu habitus athleticus, & statura, fluendi consuetudo. Vitium sanguinis docet deterrimus eius color, & alienus à naturali: item color pallidus, flauior, vel nigrior, etiam sanguis calidior, mordacior, & quasi abradens partes. Languidam verò facultatem totius corporis pallor, & malus habitus: præterquam quòd sanguis ipse improbè etiam est confectus. Robur autem expellentis facultatis monstrant robustus corporis habitus, faciei color optimus, & in cæteris optima totius corporis constitutio, & à sanguinis excretione conferentia. Venam esse diruptam monstrant ictus, percussio, saltus, vehemens rerum difficilium conatus, vociferatio, & cætera vim, ac potestatem rumpendi obtinentia. Diapedesim, aut anastomosim ostendit sanguinis tenuitas, aut calor, & pari lege totius corporis calor, & æstus: cuius munus est poros, & ora venarū dilatare, & aperire. Exesionem quidem venæ ostendit sanguis ipse biliosus, aut deterrima alia qualitate præditus, ex qua licet colligere vitium sanguinis exesionem moliri: præterquam quòd ex modo fluendi (sumpto initio à parua fluxione, quæ posteà degenerat in vberiorem) libro 5. method. med. & 3. de causis symptom. Galen. etiam fluxionis rationem ostendere nititur.

Præsagia.

Fluxionem quidem sanguinis licet aliquando profuisse constet, cum hoc tamen neque tuta semper est, neque cùm malum significat æquale accersit. Qua in re in memoriam reuocare oportet, Galeni sententiā, qui lib. de symptomat. caus. cap. vltimo docet, vacuationem aliquam præter naturam dici, vel quatenus actio læsa est, vel quia exiens est mutatum, vel qua corporis existit affectus: ex quibus elici potest, hæmorrhagiam omnem non semper esse actionem læsam, sed aliquando vtilem, & natura vincente factam, vt crisis ostendit. Verùm quatenus consideratur vt exiens mutatum, sola menstrui purgatio naturalis est, reliquæ verò innaturales: verùm dum iungitur alicui corporis affectui, vt dum prodit ex rupto vase, semper præter naturam existit. Inter quas omnes solam narium vocauit innoxiam Galen. 5. aphorismorum 53. qua minus tuta existit quæ per hæmorrhoides fit, licet pluribus affectionibus proficua: quia periculum est, ne sanguis immodicè per eas dilabatur. Quæ verò per sedem periodice fit, à morbis etiam præcauet, sed minus tuta est, quòd soleat in intestinis concrescere. Vomitus autem sanguinis tanto cæteris deterior est, quanto vomitus omni deiectione, licet aliquando prosit, & ab imminentibus morbis nonnullos liberet. Sed omnium deterrimus est, qui tussiendo è thorace eijcitur, vt suo loco latius dictum sumus. Quibus sic consideratis, priùs ante omne consilium expendes, sit ne huiusmodi fluxus sanguinis aliquo modo permittendus, an compescendus prorsus: quod facilè disces, si expenderis criticum fluxum nullo modo esse compescendum, nisi natura præ impotentia non se possit continere, vt a principio capitis dictum est, neque consuetum, ni virium casum vereamur: neque rursus ætate iuuenili, aut temperamento sanguineo præditis, aut vbi consueta aliqua euacuatio suppressa est.

Curandi ratio.

Quòd si supprimendus sit sanguinis narium fluxus, curandi ratio quæ id præscribit, quinque consideranda esse primò docet: primùm à quo loco feratur in nares: secundò per quas vias: & vltimò nares ipsas ad quas defertur. Quippe à iecore, ab splene, à toto corpore non rarò, & etiam à capite ipso in nares defertur. Considerare etiam oportet, à quauis parte proficiscatur fluxurus sanguis, semper per venas irruere. Prætereà considerabis, necessariò ante venarum nasi ingressum, vel cerebrum, vel vicinas ei partes adire, quod periculo non vacat. Tertium verò quod consideratione dignum existit, fluxionis ipsius impetus proculdubio est: & vltimum fluxionis causa, seu occasio. Est itaque in quauis sanguinis profusione, solùm eius habito respectu, medendi quędam ratio omnibus causis, & morbis communis, quæ tantùm respicit fluxionis impetum, & ea ratione duplex existit: altera fluxioni prouidet: altera verò foramen respicit per quod sanguis erumpit. Quæ verò impetum considerat, omni diuersionum genere, & distractione ad distantem, & contrariam partem integratur, hac vnica ratione seruata, quòd si Medicus cognouerit fluxionis originem, & principium à quo sanguis mouetur ad nares, ad id reuulsio fieri necessariò debet: iecur etenim in plerisque origo solet esse fluxionis sanguinolentæ, præsertim si ex dextra nare sanguis prosiliat. Quo tempore solùm considerata fluxionis immoderantia, & vt ei subueniamus, supra iecoris regionem, præter frictiones, ligaturam, & huiusmodi alia diuersoria auxilia, cucurbitam maximam adhibere oportet, sicut si ex sinistra nare oriatur, sinistro hypochondrio. In fœminis verò, quibus maiori ex parte vteri consortio sanguis prosilit, vtero ipsi eandem cucurbitam affigere oportet, aut femoribus, & suris, si in vtero aliquod præsit vitium, cuius ratione vereamur ibidem cucurbitam affigere. Verùm si origo mali omnino Medico ignota sit, ad quàm distantissimam partem fluxionem auertere oportet. Est tamen

vulga-

vulgatum præsidium in magnis sanguinis nariū profusionibus frigida aqua testes immergere, quo protinus sanguis visus est cessare: cuius ratio haud ita facilis est: censeo tamen tam insigne cum membris præcipuis, & maximè cerebro, consortium testes obtinere, vt facilè eisdem refrigeratis, venosum arteriosumque genus protinus frigiditatem persentiat, subindeque veluti à frigidæ potu impetum compesci. Sunt etiam qui concedāt crurum lotiones ex calida aqua, quæ infernas partes aperiat, dilatet, ac laxet, quo faciliùs ad easdem sanguis alliciatur, distrahaturque à superioribus. Sic hirudines suris affigere oportet, quo longiùs suctu sanguis euocetur, vel cucurbitas cum leui scarificatione, aut ligaturas frequenter compressas, & modicè, ac per interualla laxatas. Item cucurbitæ affiguntur scapulis, & summæ ceruici, etiam cū scarificatione, sed fœminis femoribus, & suris sunt affigendæ, maximè si à puerperij, vel menstrui suppressione sanguis fluat. Quo casu nec non & alio quouis, tutum, & vtilissimum plerisque authorum visum est, in talo venam tundere, & parum sanguinis, ac per interualla extrahere, quo maior fiat reuocatio quā profusio, virium seruandarum gratia: ac si plurimum vrgeat profusio, sanguinem ex brachio per vices, & interualla mittes.

Secunda curandi ratio, vrgente etiam fluxionis indicatione, & nullo habito ad causam respectu, circa obturationem foraminis, per quod sanguis exit, versatur: quam profectò moliuntur diuersa auxilia, quæ etiam iuxta rationem diuersitatis causæ, quæ foramē adaperit, institui possunt. Nam si soluta est arteriæ tunica à re incidente, vel contundente, agglutinantibus vtendum est, qualia sunt albumen oui, thus, resina, terebinthina, succus glauci, & puluis, aut succus sigilli beatæ Mariæ, hoc est consolidæ maioris. Si verò propter exesionem foramen fiat, ea auxilia adhibēda sunt, quæ obstruendi, & obturandi foramen vim obtineant, qualia sunt amylum, farina volatilis, thus, manna thuris, terra lemnia, bolus armenus, cum mucilaginibus seminis citoniorum, album oui, charta ex papyro combusta, spongia pariter combusta, pili leporis, & coagulum eius, aloes, gypsum, gummi tragacanthæ, & lebetis terrei sæpius ignem experti rasura. Sed composita huic causæ, & præcedenti, ac sequentibus, non pauca conficies, quorum primum ℞. *boli armeni, terræ sigillatæ, lapidis hæmatitis, coralli rubei, hypocistidis, acaciæ, anā q.s. vt cum aceto, & albumine oui fiat linimentum,* cuius iuxta frontem, & in nares modicum immittes. Aliud conficies q. ℞. *succi plantaginis, aquæ rosarum, anā ℥. 2. aceti ℥.ß. ouorum albumina duo, terræ sigillatæ quantum ad inspissandum sufficiat.* Præstat & aliud q. ℞. *gummi Arabici, sanguinis draconis, acaciæ, spodij, balaustiorum, boli, lapidis hæmatitis, coralli rubei, anā ʒ. 1. & ß. cornu cerui, gallarū cupressi, anā ʒ. 1. fiat puluis tenuissimus, & cum albumine oui formentur pessaria,* quæ intra nares immittes. Valet & tela araneæ cum albumine oui, & sanguine draconis: item succus stercoris equi cum aloe, & puluere myrtillorum: ex quibus varia poteris efficere eidem vsui proficua. Quòd si ex reseratione meatuum, aut pororum fluxus suboriatur, adstringentium sylua vti oportebit: sic enim elychnium formare oportet ex succo poligoni, consolidæ maioris, albumine oui, thu, & aliarum herbarum quæ stipticitatem habent, posteà tamen elychnium aspergere oportet pulueribus farinæ volatilis, amyli, gypsi, thuris, aloes, rosarum, myrtillorum, hypocistidis, balaustiorum, mastichis, & corticum granatorum. Quòd si obturata nare prædicto elychnio fluxus quieuerit, rarò mutare oportet, donec ex toto apertum foramen coalescat: sin aliter, alia tentare oportet auxilia, ex his quæ retulimus: quemadmodum est elychnium confectum ex leporinis pilis minutim incisis, & candido oui, ad-

A mixto aliquo ex supra dictis pulueribus, vel suffumigatio ex aceto iniecto super lapidem ignitum: præstat eundem vsum puluis stercoris equi, & vt alij referūt, asini, aut succus eiusdem stercoris recenter excreti, & plures alij pulueres quos nuper memorauimus. Exteriùs verò adhibere oportet frigidam aquam fronti, radicibus nasi, & occipitio frequenter adhibitā: fronti etiam cataplasmata, quæ conficiuntur ex eisdem pulueribus, & albumine oui frequenter agitato, vt vasa quæ foramini proxima sunt, pari lege obturentur, & pressiorem reddant sanguinis viam. Præstat quidem prædictum beneficium, inter alia, id q. ℞. *mastichem, tragacantham, farinam volatilem, pilos leporis minutim incisos cum albumine oui:* valet etiam, sed ma-

B ximè vbi caloris feruor ad fuerit, id q. ℞. *succi lactucæ, semperuiui, polygoni ana partes æquales, aquæ rosarum, & aceti parum, quibus mixtis, & linteo exceptis, fronti, & prope collum adhibe.*

Quibus si fluxus non cesserit, ad causam, & ad causæ principium deuenire cogetur Medicus. Sic si feruor sanguinis, aut eius vbertas causam præstiterint, primò sedato feruore ipsius, frigidissimis potibus adhibitis, si corpus, aut corporis conditio id non vetuerit, quiete, frigido aere, ventilatione, & sparsione rerū frigidarum, abluto etiam capite frigida aqua, & eadem naribus, & pudendis partibus sæpè adhibita. Præstitis etiam iecori quæ refrigerent, quale est vnguentum rosaceum, santalorum cum aceto, & succo

C cichorij, aut rosarum: instituta etiam ea victus ratione, quæ & refrigeret, & modicè sanguinem coerceat, atque comprimat, cui vsui deseruiunt lactucæ, scariolæ, folia cichorij, carnes assæ, & aqua chalybeata, ac reliqua id genus. Quòd si prædicta non profuerint, necessum erit feruorem restinguere sanguine leuiter misso, quantum nimirum sat sit reuulsioni, & attemperamento, idque partitè, & parcè virium seruandarum gratia: postmodum verò parti prouidendum est eo auxilio, q. ℞. *argillæ ℥. 2. boli armeni ℥. ß. acaciæ, hypocistidos, anā ʒ. 2. cum albumine oui, & modico aceto fiat emplastrum, quo frons, & tempora illinuntur:* vel alio q. ℞. *argillæ, & farinæ volatilis, anā ʒ. 1. misceantur cum albumine oui, & tantillo aceti, imbuantur gos-*

D *sypio carpto naribusque imponantur:* tandem indantur in nares quę refrigerant, adstringunt, aut crustam inducunt, si id necessitas postulauerit. Quem vsum præstat id, q. ℞. *succi lanceolæ, hoc est plantaginis acutioris, bursæ pastoris, quod sufficiat, & in his maceretur sanguis draconis, & excipiatur gossypio carpto.* Eūdem vsum præstat succus plantaginis, cauium, rubi, mespilorum, cornorum, & puluis eorundem: item lanugo arboris quæ folijs populi adnascitur, vel villorum salicis, quæ macerari prius in aceto debent, & sole exsiccari. Sed præter alia non pauca compertum est prodesse athanasiam Nicolai cum succo pentaphylli: vel puluerem Alexandri, q. ℞. *consolidæ, sanguinis draconis, Karabe, anā ʒ. 1. hæmatitis, coralli, cornu cerui*

E *vsti, anā ʒ. 2. fiat puluis: cuius etiam præberi potest ʒ. ß. cum liquore conuenienti.* Sunt etiam alij pulueres adeò efficacēs, quòd in nares inditi vicem gerunt crustiferi medicamenti, cuius naturæ est, qui hoc modo paratur: *Spongia acerrimo aceto imbuitur, imbuta pice liquida circunducitur, tunc fictili vase reposita crematur, & in puluerem qui per se naribus insufflatur, aut liquidis admixtus mirè opitulatur.* Prodest equiseti radix trita, & naribus indita, radix pęoniæ, aqua panis porcini oleo, thure, terra sigillata, & alijs admixta. Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, ad validiora escharotica deuenire iubet mali vrgentia: cuius census est quod ex *vitriolo, chalcitide, gypso, & gūmi æquis partibus linimento naribus indito paratur:* quæ quidem sicut narcotica, nō nisi vrgente vsu sunt adhibenda.

Verùm si sanguinis multitudo malo causam præstiterit,

fluenti ad eius vacuationem properandum est, sanguine misso ex ea vena, quæ directiùs membrum transmittens, aut totum corpus respiciat, vel eam quæ iecur directius euacuet; inquit enim Gal. lib. de sang. miss. cap. 2. Cum me sæpenumero conspexeritis in valida sanguinis eruptione, eo visum repente fluxionem sedasse; quapropter, tunc protinus bonum habitum soluere expedit, aut consuetudini satisfacere, si laborans assuetus sit sanguinem fundere, vbi suppressa est aliqua sanguinis consueta & vtilis vacuatio; sed cauere in hoc opere vires oportet; nam satius est ab alimento aliquid demere, quàm cum virium dispendio plurimum sanguinis extrahere. A

Si verò sanguinis tenuitas fluxus causa fuerit, duobus auxiliorum generibus fieri debet; aut incrassato sanguine syrupis id valentibus, veluti myrtillorum, de rosis siccis, ac citoniorum, & apozematis ex adstringentibus ac frigidis confectis, vt eodem syrupo myrtillorum, rosarum siccarum, de papauere, de nymphæa, granatorum, citoniorum cum aquis centinodij, plantaginis, portulacæ, *arnoglossæ, vel chalybeata:* maximè si addideris *trochiscorum de Karabe, de terra sigillata, vel coralli.* ℈. 1. Idem tamen opus exequeris expurgato sanguine ab humoribus tenuibus & serosis, quibus dilutior & tenuior redditur, rhabarbaro nimirum, corticibus myrobalanorum citrinorum, agarico, carthamo, & his quæ consimilem habeant vim; & postmodum exhibitis quæ vim habeant sanguinem comprimendi, qualia nuper adduximus. B

Si verò sanguis acrior, mordacior & erodentior, propter alicuius humoris mixtionem aut exustionem vel exuperantiam factus fuerit, duplici ratione rem agere oportet; prima purgatis humoribus qui in sanguine peccant, iuxta cuiuslibet naturam & indigentiam. In qua re considerare oportet cacochymiam vel humorum vitium in triplici esse differentia, vna quidem est ex alicuius humoris (sanguine excepto) vbertate; alia ex vitio, siue in qualitate fit, siue in substantia. Tertia verò & vltima cùm tantum sanguinis fluxit, quòd reliqui humores effrænes, & sinceri in corpore supersint; quæ sanè cacochymia, potius talis censenda est defectu corrigentis & attemperantis sanguinis, quàm humoris ipsius vitio. Quo casu cauendum est à prædictis purgationibus; quippe tunc & furiosius fluit sanguis & minus leuatur æger, potius enim & tutiùs alimentis quam pharmacis res agitur. Secunda, victus ratione probè instituta his alimentis, quæ optimi sint succi & nutrimenti, vt humoribus deinceps mitioribus factis, sanguis purior efficiatur. Purgatio tamen per epicrasim facta tutior mihi semper visa fuit, vt & pars renutriatur, & humoris vitium simul expurgetur, ac ne grandis fiat in humoribus agitatio. Quem vsum præstat *rhabarbari dilu-* C D

tione in aqua lactis aut chalybeata, plantaginis, vel expressione rosarum, maximè si addideris *foliorum sennæ* ʒ. 1. ß. præstat *rhabarbarum ipsum masticatum*: aut semel in die cum saccharo rosaceo dosi ʒ. ß. præstitum. Prodest & cassia fistula cum rhabarbaro aut puluere corticum myrobalanorum chebulorum & citrinorum, aut puluere foliorum sennæ, sicut confectio Hamech simplex.

Secunda verò causa quæ hunc fluxum excitare solet, facultas robusta existit, dum aliqua occasione excitata eum concitat. Quem sanè compescit parcior victus, cibaria quæ facultatem obtusiorem reddant, exercitium solito maius, & sanguinis detractio.

Si verò ob debilitatem retentricis suboritur, cautè res agenda est: namque facultatem reuocare his quæ calida sunt, periculo non vacat. Quamobrem moderata esse oportet in primis qualitatibus omnia, frigidiora quidem moderatius quantum imbecillitas maior fuerit, admistis tamen quæ adstringendi vires obtineant: vt si facultas reuocari facilè nequeat, eius actus ad minus roboretur: aut medicamentis suppleantur: ob id victu pleniori, vini potu, & quiete res agenda potius est, quàm præsidiorum turba facultas lacessenda. Dimitto hac in parte auxilia ruptioni vasis proficua, quòd superiùs abunde adduxerim.

Considerare insuper opus est, accedat ne aliquod symptoma prædictis sanguinis profusionibus, quod vel grauius reddat negotium, vel euidentiùs facultatem prosternat. Quippe vel febris succrescit, quæ ob id diligentiùs sanguinem esse mittendum consulit, & liberaliùs alimentum esse ministrandum, quo vires firmiores sint, & laboribus sufficientes. Quòd si in morbi principio aut statu res accidat, exequi quæ dicta sunt facilius possumus: verùm si inclinato affectu & viribus collapsis succrescat, solùm prouidendum est viribus cibo & potu, ac fluxio compescenda. Cæterùm si cum alui profluuio sanguinis fluor coniungatur, prouidendum magis est sanguinolento fluxui, quàm reliquo, nisi accidat vtrumque ab vno & eodem humore prodire: quo tempore, facta humoris peccantis purgatione, vtrique medeberis. Verùm si menstruæ purgationes accesserint, compescere sanguinis fusionem semper opus est, & menses citandi, nisi copiosior sit ipsorum profusio: hoc vno in omni complicatione seruato, quòd si sanguinis narium fluxus, vel modicus, vel parcus fuerit, omnino eius indicatio post habenda est, exequendaque ea quam alter morbus expostulat. Verùm si rem contrario modo accidere comperiamus, huic plurimum est innitendum, tanquam ei quæ maius facessit negotium: sic etiam eadem ratione, vbi licet parca sit profusio, grandior videtur ob virium iacturam, aut alterius magni affectus præsentiam.

Finis Libri Primi.

DE



DE INTERNORVM MORBORVM CVRATIONE.

LIBER SECVNDVS.



Differit Liber hic Secundus affectiones omnes, quæ pectori, pulmoni,& cordi insident,& earum omnium curationem diligenter expendit.

CAPVT PRIMVM.

De grauedine, catharro, & raucedine.



Mnium ferè malorũ quæ corpori. succrescunt, caput velut radicem, ac fontem dici debere, ab Hippocra. & veteribus haud immeritò proclamatum est, cùm defluxus qui ab eo fiunt, multorum sint causæ: cæterum eorum omnium solùm hac in parte raucedinis, grauedinis, & catarrhi meminisse est in animo. Sunt quidem hæ affectiones de genere earum, quæ non in parte affecta, sed aliundè nanciscuntur causam,& principium: nimirum à capite ipso delabentibus superuacuis humoribus in nares, guttur, os, thoracem,& asperam arteriam (præter succos perperam aliundè transmissos, qui non rarò horum, & maiorum affectuum existunt causæ) quarum quidem ratione eadem mala haud rarò succrescere scimus: quo fit, vt catarrhus propriè, & peculiariter sit fluxus humoris excrementitij à capite ad subiectas partes, propter vitiatam capitis coctionem, aut intemperiem ipsum alijs modis imbecillitantem. Sed à cerebro nosse oportet duplex oriri excrementorum genus: vnum ex optima cerebri nutritione quod per aures expurgatur, flauum, crassum, & amarulentum: aliud rursus ex improspera eiusdem coctione, dum alimenta quæ caput ascendunt, nullam, aut debilem, vel deprauatam perpetiuntur alterationem, siue naturæ defectu, siue alimentorum vitio, siue vaporũ crassorum, aut vitiosorum illuc ascendentium copia, id accidat. Quibus hac ratione superabundantibus in cerebro, facilè à quauis morbosa occasione humorũ defluxus ad prædictas partes concitatur. Nam aut humor qui profluit delabitur in nares,& subortur affe-

A ctio, quam Græci appellant coryzam, & Latini grauedinem: aut in os,& asperam arteriam,& succrescit affectio quæ appellatur catarrhus, seu destillatio: aut procidit in fauces, vel laryngem, vt placuit Gal. lib. 6. de sanitate tuenda, & appellatur raucedo, seu bronchos. Atqui licet catarrhus communi significato omnem à capite defluxionem, quæ in pulmonem per asperam arteriam, aut ad subiectas partes per venas defluit, designare habeat, vt placuit Galen. 3. aphorism. 12. cum hoc tamen nomen hoc propriè apud Græ- B cos, vt ex eodem colligitur 3. de causis symptom. pro defluxu à capite in os prolabente accipi freqnenter colligimus, quem etiam Latini propriè destillationẽ appellant. In qua re Paulus lib. 3. cap. 8. statuit, dum fluxio in fauces vergit, catarrhum quoque nominari; & branchum, dum in guttur,& asperam arteriam irruit: cum hoc tamen Paulus optimè conciliari potest cum Galen. quòd de fluxione ab ore incipiente, ac desinente in fauces loquatur: sæpè enim vel complicantur hæ affectiones, vel ab vna in aliam facillimè C fit commeatus.

In his sanè affectionibus, vt probè cognosci,& curari possint, quatuor expendisse oportet: nimirum symptoma, quo vnaquæque insignitur: morbum quẽ sequitur: item causam,& materiam, ac vltimò locũ, seu causæ principium. Sic profectò omnium principium, & origo caput existit: materia pituitosus, seu crudus ab eo defluxus: morbus verò in coryza obturatio pororum ossis cribriformis, ac viarum quæ ad nares conscendunt spongiositas ab humore, cuius D crassa pars nequit permeare, tenuis verò & aquosa instillat, & quo magis laborans nititur nares emungere, eo minus fluit, quia euocat ad prædicta foramina quod crassius est: symptoma verò existit difficilis efflatio per nares. In raucedine idem humor causa est, morbus in asperitate situs, & symptoma rauca vox. At in catarrho morbus est in via, quia aspera arteria, vel viæ respiratione seruientes prædicto succo irrigantur: symptoma verò præter difficilem respirationem,

atbi-

arbitrandum est russim quoque esse. Hæc quidem breui hac methodo dixisse sit satis, nam causas, & earum principia, vt quæ ad curationem probè exequendam magis conducant, diligentiùs expendere est in animo.

Causa. Hæ sanè omnes affectiones à duabus tantùm causis originem trahunt: quarum altera est morbosus ex prædictis excrementis, aut succis in capite, apparatus: altera rursus est causa quæuis externa, aut interna, quæ mouere morbosum apparatum nata sit. Sic profecto in cerebro, huic affectioni gignendæ apto, duo potissimum sunt præmittenda: alterum sanè est, quatenus consideratur vt simplex particula: alterum verò quatenus organi officio fungitur: & vtroque modo coniectandum est in quauis defluxione caput affici, vt ex Galen. constat lib. de causis symptom. cap. 4. dicente. Tum destillationis, tum grauedinis, & coryzæ ipsum cerebrum statim causa est, vt pars quędam similaris, vel à frigore, vel à solis ardore ad intemperiem reductum, vt instrumentum verò quatenus à plenitudine infestatur. Sed habent se ad concitãdam fluxionem hæ duæ causæ longè diuerso modo: nam altera materiam substernit, & præstat: altera verò velut mouens, & immediatè fluxionem concitans existit. Omnia itaque quæ possunt cerebrum refrigerare, id nata sunt efficere: quod in vniuersum nobis insinuare volens Hippocrat. aphorism. 24. dixit: Quæ frigida sunt, vt nix, & glacies, destillationes mouent. Item 3. aphorismor. 23. scripsit: Ex anni temporibus hyems maximè grauedinum, & raucedinis ferax est: cùm vt ait Galen. eo tempore caput frigori sit obnoxium. Præterea, ver quando fuerit Aquilonium, & siccum, præcesseritque hyems Australis, & pluuiosa, fluxiones quoque succrescunt. Distemperies enim vel exurens, vel frigida quæ crudum relinquit alimentũ, facilè caput humore, vel excremento superfluo replet: caput autem vt instrumentum plenius quàm par sit factum, vel acrimonia, aut pondere irritatum ad pulsum, vel defluere permittit impotens, & imbecillum factum, & vltimò à causa aliqua externa compressum, aut nimium calore dilatatum. Prętereà morbosus ille apparatus fieri etiam potest ex deprauatis alimentis, seu ex habituali cerebri intemperamento, aut vltimò ratione causarum, quæ coctionem cerebri interturbare possunt, & aliquid trahere ad ipsum, qualis est calor ipsius capitis, cuius ratione humores plurimos, aut vapores facilè suscipiat, quos neque coquere, nec conterere potest, sed necessariò ob id expellere cogit. His quidem accedit altera, & non minoris momenti causa ex his quæ apparatum suppeditat, nimirum halituosus aer, cuius per hæc verba meminit Hippocrat. lib. de flatibus. Cùm venæ capitis aere implentur, primùm grauatur caput flatibus incumbentibus, tum spiritus inuoluitur per sanguinis locũ, propter viarum angustiam, & sanguinis pars tenuissima per venas exprimitur: ea igitur humiditas collecta, tunc sic fluit per alios meatus, ad quamcunque autem corporis partem coniunctim peruenerit, ibidẽ ægritudo constituitur. Postquam igitur ad superficiẽ dolor ex ea euaserit, si aures petat, ibidem ægritudo: at si ad nares accesserit, pituita fit: sed si ad pectus deueniat, raucedo appellatur. Qua sanè sententia nihil aliud persentire videtur, quàm copiosam in capite humoris quantitatem ex flatu aceruari, & fluxionem in subiectas partes concitare. Certum enim est, ventos caliginosos caput replere, ex cuius repletione mirum non est si humiditas expressa confluat, & aliam denuo ibidem efficet concretus: præterquam quòd dissoluendi etiam contentos in capite humores præcalore vires habet. Alio etiam modo ex flatu fieri fluxionem est credibile, nimirum cùm spiritus, qui caloris innati fulcimentum est, deterior factus, non amplius probè, & vt par est, sua munia exequitur: siquidem

A internus spiritus dum ex naturæ lege se habet, omniũ actionum opifex est, earum verò quæ præter naturam sunt, idem non secundùm naturam existens, ac proinde flatus nomen accipiens, etiam si prorsus spiritus exter, vt cùm dicimus febrem esse innati caloris in igneam naturam commutationem. Quo quidem significato censeo Hippocr. inscripsisse, & intellexisse lib. de flatibus, hoc est de vitiatis spiritibus, qui ob id omnium ferè morborum soboles, & principium existunt: qua item ratione ex flatu, hoc est, ex spiritu præter naturam reddito, defluxionem fieri non rarò credendum est: nam cùm flatuosus redditur spiritus, alienam substantiam, & qualitatem vsurpans, non solùm intemperatus efficitur, sed præ ipsius intemperie
B imbecillum cerebrum reddi, ac plurimis oppleri succis cogit, cuius etiam prouidentiam habere oportet, ne in præsidiorum adhibitione nobis turpiter errare contingat.

Prætereà causæ mouentes, seu excitantes morbosum quemuis apparatum, in duplici etiam sunt differentia: nam quædam sunt internæ, qualis naturæ est calor febrilis, aut cuiusuis alterius rei calidæ, cuius ratione liquatis humoribus, & apertis meatibus, facilè humores prolabuntur: aut sunt externæ, & hæ rursus duplices existunt: nam aut est caliditas quæ extrinsecus humores fundendo, & vias, ac meatus reserando, facilè fluxiones concitat: aut frigiditas, quæ cerebro perfrigerato idem molitur. Cæterùm iudicio nostro,
C non vt vulgus Medicorum existimat, deceptum sententijs quibusdam Hippocrat. lib. de locis in homine, & Galen. lib. 3. aphorismorum 12. quibus monstrant, fluxiones à frigido per compressionem cerebri fieri, quemadmodum manibus expressa spongia facilè aqua intus ad sexuata prolabitur. Nam licet id re vera asserant huiusmodi authores, contrarium tamen esse verum videtur posse probari ex eorum sententijs. Namque capere intellectus nequit, qui possit cerebrum tantam viuente animali sustinere frigiditatem, quantam par est, vt partes præ congelatione condensatæ intra cranium expellant: ratio difficultatis est, quia minorem nequit sustinere citra maiora mala, ergo neque hanc: nam ex minori frigiditate
D lethargus, melancholia, somnus profundus, & huius census pleraque perpetitur: qui ergo fieri potest, vt & maiorem sustineat, & compressionem ex congelatione, quin totus calor extinguatur, aut aliquod graue malum fiat. Prætereà si negat Galen. loco nuper citato excrementa in ventre posse præ frigiditate, qua nã ratione cõcedet, posse cerebrum frigidum fieri adeò vt præ nimia frigiditate comprimatur, & exprimat quod in se comprimit. Insuper si (vt verum est) frigiditatis munus existit condensare, & per cõcretionem exprimere, qua nam ratione magis concrescit cerebrum à frigiditate, quàm congeletur humor ab eadem? siquidem promptius est aquosæ substantiæ congelari, quàm eius quæ crassior est: quòd si ita res con-
E tingat, vt necessum est, tantum abest vt hac ratione fluxus concitetur, quòd potiùs si quis est, subsideat protinus: quod monstrant refrigerantia, & comprimentia auxilia, quæ statim fluxionem compescunt. Quapropter alia via incedendum est in hac difficultate, nam optima ratione constat, ex frigiditate ambientis cutim, & partes extimas densari, partes verò interiores, sicut ventres, hyeme, & vere, calidiores tãto plus iusto fieri, quanto frigiditas supra naturalem fuerit maior (dum modò ex toto calorem non superet) ex quo calore facilè commotis, & liquatis humoribus, & adapertis vijs, fluxiones concitari æquum est intelligere. His suppositis, diligenter considerare oportet, varijs modis posse prædictas causas complicari, & confundi, adeò vt sæpè Medicos, vel peritissimos decipi videamus. Quippe contingit aliquando morbosum apparatum calidam, & acrem humorum

copiam

copiam præstare: cæterùm causam mouentem & occasionem fluendi frigidam esse: aliquando verò contrario prorsus modo, materiam fluentem frigidam existere, & fluendi occasionem calidam: plerumque verò occasionem & materiam esse frigidam. Quæ sanè omnia expendisse ante curationem magni est momenti & vsus: nam sæpe causa mouens fluxum, humori fluenti contraria, ad sui considerationem euocat artificis animum: aliquando verò adeò viget praua humoris fluentis conditio, vt posthabita causa mouente, omnis cura habenda sit humoris fluentis.

Signa. Dignoscere autem vtra harum causarum sit, ex relatione & diligenti inspectione licebit Medico prudenti colligere: nam causæ externæ rarò fiunt ignotæ, interna verò, si alimentum fuerit, vita præcedenti monstrabitur. Sit ne causa aliqua interturbans coctionem, ex priuatione alterius & interrogatione innotescet: verùm si habituale capitis intemperamentum præfuerit, id monstrabit facilè frequens lapsus in huiusmodi affectum, sicut humoris conditionem accidentia quæ succrescunt ipso fluente. Verùm verò ex frigido cerebri intemperamento malum oriatur, tum ex quantitate excrementorum copiosiori, tum ex qualitate, quæ frigida apparebit, liquido constabit, sicut ex capitis grauitate & faciei subalbido aut plumbeo colore, & grauiori somno: item meatus à capite ad palatum & nares adeò clauduntur, vt nec vox liberè & vt par est, proferri possit. Insuper præcesserunt nonnulla, à quibus caput repleri est coniectabile: quòd si non præcesserint, credibile est frigidum intemperamentum repletionis illius esse causam, quòd crudos sua sponte congreget humores, & minimè illos dissoluere ac fundere, aut dissipare possit, vt ex Galen. apertè colligitur lib. 1. popul. part. 2. comm. 7. Accedit crudorum & frigidorum alimentorum esus, maximè si diu in ventre morata sint, & potissimum si hyems sit, per nullam enim partem digerit hyems, vt Galen. placuit. 3. aphor. 13. Calidi item intemperamenti notitiam, si extrinsecus accedat, ex relatione perdisces: si verò intrinsecus, nosces quia tactu caput calidum cognoscitur, & quæ fluunt calida, tenuia, acria & mordacia visuntur per nares & os: facies & nasus rubent, hos febris etiam inuadit, à qua nihil iuuantur, vt reliqui: item nasum & os exulcerari conspicimus: adest vigilia, sitis, ora amara, & reliqua quæ calidum intemperamentum attestantur. Cui quidem fluxioni apti sunt qui calidum habent caput, sed hi frequentiùs ab externis causis calidis vel frigidis offenduntur, & ocyùs fluxionibus corripiuntur: sicut qui frigido fruuntur capitis intemperamento, aptiores fiunt vt ab internis causis in destillationes procidant: qui si seniores sint, tardius ad sanitatem redeunt.

Docet tamen Celsus, grauius esse fluxionem in pulmonem irruere, leue si in fauces, ac longè leuius si in nares: medio tamen modo inter fauces & pulmonem res se habet, si in asperam arteriam decumbat humor, & non omnino tutum existit si caput asperæ arteriæ exulcerari contingat. Vtcumque tamen sit, cauendum est ne nimium protrahatur affectio: quippe si consuetudinem capesseret, grauissimos & difficiles morbos sequi necessum erit, omnium tamen grauissimos, si quæ fluunt acria, mordacia, salsuginosa, nitrosa vel nimis tenuia fuerint, aut viscida, & plurimum adhærentia: quippe in exulcerationem protinus ducit partem ad quam fluit, & maiora mala accersit.

Ante tamen quàm curationem aggrediar in memoriam reuocare oportet, quod in hoc morbo nostris temporibus contigisse Hispanis omnibus compertum habemus. Aggressa itaque est vniuersum ferè orbem semipestilens quædam constitutio, quæ in eodem tempore, & eadem ferè die omnes simul corripuit, vt ex fidissimis relationibus haberi potuit. Anno à natiuitate Domini 1557. ante autumni ingressum catarrhosa quædam defluxio maiorem hominum partem inuasit, secum adiunctam afferens febrem, tertianæ duplicis naturam referentem, symptomatis adeò perniciosis comitatam, vt parum abfuerit, quin maiorem laborantium partem perderet. In cuius curatione & præcautione non parum dubitatum fuit, quid nam circa sanguinis detractionem & expurgationem agere oportuisset, cum vtroque auxilio adhibito, vel nullo, non pauci deteriùs se habuissent, ita vt quam partem Medici exequendam tenerent, minimè intelligerent. Parum etiam dissimilis constitutio anno 1580. grassata est per vniuersam ferè Hispaniam toto æstatis tempore: quæ sanè defluxio plerosque cum grauissimis febribus & aspectu grauioribus corripuit: alios cum ventriculi maximis accidentibus: nonnullos cum pleuritide, angina, vel difficillima respiratione, ita vt suffocari laborantes iam iam viderentur, & non paucos torqueri grauissimis capitis, totius corporis, & articulorum doloribus: denique adeò maligna apparuit prædicta constitutio, vt non paucos perijsse constiterit. Cœpit etiam inter Medicos vagari contentio, liceret ne sanguinem detrahere, vel expurganti medicamento vti, aut neutro. Ratio tamen contentionis orta fuit, quòd primo morbi accessu plures interierint ex his quibus sanguis mittebatur: item in alijs ciuitatibus & locis plures ex his quibus non mittebatur: sicut accidit pleris que eorum qui medicamentum sumpserunt, aut secus. Ratio autem huius euentus orta fuit ex ignoratione naturæ mali, & morbosi corporis affecti apparatus: nam qui harum rerum nullam notitiam obtinuerunt, adeò proteruè nitebantur laborantes cauere à sanguinis detractione & purgatione, decepti catarrhosa fluxione, vt etiã si angina, difficili respiratione, pleuritide, sanguinis sputo, aut fluxu sanguinis narium laborantes premerentur, eligebant tanquam tutius, certum ex morbo præsenti periculum, quã dubiam salutis spem ex præsidio. Alij rursus adeò licentiosè (ne dicam temerariè) vtroque auxilio vtebantur, decepti forsan febris magnitudine, quæ cum ephemera esset, primo die grauissima apparebat, vt neque humorum cruditas, neque quoduis aliud grauius accidens illos retrahere vsquam potuit à sanguinis detractione, aut expurgatione: quo profectò factum fuit, vt plures interficerent imprudentes & imperiti Medici, quam mali sæuitia & inclementia. Qua quidem in re (si forsan iterum reuertatur consimilis affectio) considerare diligenter oportebit morbosum corporis apparatum, & affectum, quem comitem habet defluxio, & an febrem secum habeat adiunctam; & rursus, cuiusnam conditionis fuerit febris illa. Quippe non paucos decepit grauis quædam febris quæ primo accessu apparebat, non considerantes de genere esse diariarum ex cruditate, quæ licèt ad 3. vel 4. dies sese protrahebat, sola proba victus institutione cessabat, citra sanguinis detractionem aut expurgationem. Alios etiam fefellit mitissima quædam febricula, quæ à secundo tertioue die magis ac magis inualescebat, donec in continuã aut malignam commigrabat, quòd neglecta primis diebus, nec præpedita sanguinis detractione aut purgatione, liberè depascebatur vniuersam massam sanguinariam. Quapropter, si febris primo aspectu grauior apparebat, quiescendum omnino erat, cùm de genere esset vel diariarum, vel earum quæ decrescentes appellantur. Verùm si à primo secundoue die fluxionis, aut vltra succrescebat, verendum erat continuam futuram, & protinus vel purgandum (si ventrem excrementis scatere certum esset) vel protinus sanguis mittendus, considerata priùs totius corporis habitudine. At si nulla aderat febris, neque aliud succrescebat accidens, sola vitæ institutio satis erat, nisi morbosus præfuisset corporis apparatus, iuxta cuius

idæam,

ideam, vel sanguis mittebatur, vel expurganti medicamento vti opus erat. Verùm si aliquod succrescebat ex prædictis accidentibus, etiam si catarrhosa illa dispositio stetisset, liberè sanguinem mittebant artis peritiores: denique dum solum cruda aderat destuxio, neq; venam incidi erat opus, nec vsus fui vsquã expurganti medicamento, in cæteris verò auxilijs, vt mox scribam, eam insistens.

Est insuper præter dictas catarrhi sortes alia non minoris momenti, quam Medici suffocatiuum nuncuparunt catarrhum, eiusdem naturæ, & sortis cum præcedentibus, quatenus ad causas tam motiuas, quã antecedentes, sola dissidens ratione maioris, & pressioris fluxionis, adeò vt caput asperæ arteriæ præ copia obstruatur, quod periculum sit subitæ suffocationis, nisi citò ad asperam arteriam, vel sensim destuat, vt postmodum sensim quoque tussiendo reijciatur. In qua re statuendum est subitam hanc suffocationẽ rarò, aut nusquam succrescere, nisi vel cor fuliginum euacuatione (ob leuium arteriarum pulmonis obstructionem, aut compressionem grandiorem) priuetur, aut caput asperæ arteriæ subitò succorum affluxu obturetur (nam diuerso modo per syncopes fiunt subitæ suffocationes, vt suo loco latiùs explicatum reperies) quippe asperæ arteriæ vitio rarò subitæ succrescunt mortes: quod pulchrè insinuauerat Galen. 4. aphorismorum 34. dicens: Repentè autem strangulari soli summo gutturi inest. Morbus enim quem peripneumoniam vocant, non repentè strangulat ægrotantes, verùm paulatim ab initio incrementum suscipiens, vsque ad propriam consistentiam, in qua talem casum affert. Et si quod tuberculum, & abscessus in pulmone fit, hæc quoque passio diuturna est: sicuti & spatium inter pulmonem, & thoracem purè repletum sæpius hominem strangulat abscessu in ipsum disrupto, qui longo tempore fuit constitutus. Nam asperæ arteriæ inflammatio difficultatem quidem spirandi efficere potest, strangulationem verò non potest, propter magnitudinem meatus in ipsa latioris, & tunicæ tenuitatem: impossibile quidem est corporis adeò tenuis inflammationem spatium efflatu dignum replere. Reliquum igitur est, summum guttur subitam posse efficere strangulationem, quoniam in ipso angustatur ad pulmonem meatus. Verùm quia musculi laringis inflammati suffocationem quoque efficere assolent, quam anginam Medici appellant, seiungere à suffocatiuo catarrho licet, ob dolorem qui in hoc nõ apparet, in angina verò non leuis. Itaque si cui accidat summi gutturis foramen occludi præ fluxionis magna vbertate, mirum non est si subitò etiam intereat: cuius rei, & aliarum, quæ ei similes sunt, ediscere quoque prouidentiam oportet, ac distinguere, vt cuique subsidium legitimè adhibere possis. In qua re curabis in accessione, & sanguinem mittere, & cucurbitas affigere, & eas scarificare, & omni diuersionis genere vti: extra accessionem verò, veluti leges in omni catarrhi curatione.

Curandi ratio. Curandi verò communis ratio tam est varia, quantum sunt causæ, & occasiones, quibus hoc affectu homines ægrotare cœperint: namque sat non est Medico docto morbosum apparatum nouisse, neque causam quæ ipsum in morbum migrare coegit, ni exactè noueris occasiones quibus in huiusmodi apparatum corpus delabi potest, & assolet. Sed vt à primis rei principijs exordiamur, considerare in hac curatione primò oportebit particulam in quam fluxio prolabitur, fluxionis impetum, fluentis humoris naturam, occasionem quæ ipsum coegit fluere, & locum à quo procidit humor: in quo rursus considerare oportebit, fluat ne motus ab externa aliqua occasione, vel ex humorum ibidem existentium copia, aut acrimonia, vel tenuitate: quippe hæc omnia curaturo diligenter examinare incumbit. In qua re primò videndum est, an ab aliqua causa externa quę calfaciat, aut refrigeret, fluxio prodeat: nam protinus ab eius prouidentia incipiendum est: vel si affectum impressit aliquem, omnino contrarium auxilijs leuibus concitare oportebit. quippe hac lege intelligendus est Rasis 9. ad Almans. dum statuit, initio cùm ab externa occasione excitatur catarrhus ex balneo, insolatu, aut quauis alia occasione calfaciente, & liquante, si aer accesserit frigidus, qui capitis distillationem eo tempore magis necessariam præpedierit, caput calidis linteis, & vestibus inuolue, donec constet constrictionem externarum partium abijsse. Cauendum tamen ne causa excitans fluxum, fluenti materiæ contraria sit, vt sæpè contingit: nam ex solis æstu non rarò frigida, & densa pituita liquatur, quæ fluens frigidos parit affectus: & pari prorsus ratione, ex frigido aere calidam, & salsam materiam prolabi contingit, quibus opus est prouidere, dum aduersus occasionem fluendi auxilia adhibemus, ne vnum nitentes auferre vitium, & mali principium, aliud grauius accersire contingat. Sic etenim, quando ex calore fluxio concitatur, siue frigidus, siue calidus profluat humor, frigidiori, aut saltem temperato oportet laborantem recondere loco, saltem primo mali accessu, donec externæ capitis partes ad antiquum redeant statum, & temperamentum: & eodem prorsus modo in frigida causa calfacere aerem suffitibus, & alijs oportet, atque eò magis, quò fluens materia frigidior fuerit. Dum verò alimentorum vitium affectus causa est, mutare oportet vniuersam victus institutionem, vt particula optimum nutrimentum suscipiat, & quod deterrimum in corpore superest, optimo corrigatur. Quamobrem omnino contrariam victus naturam copia, & conditione instituere oportebit, maximè eã quæ ad siccius inclinet, & adeò moderata copia, quòd facilè à natura vincatur, cauentes somnum à cibo, & imminuta eius quantitate noctu. Si verò externa causa coctionem interturbauerit, ipsa ablata, totum negotium naturæ erit committendum, corpore quieti, & otio dedito.

Verùm si non ab externa causa, sed à morboso apparatu intrinsecus existente, siue à se ipso, siue ab externa causa leuiori moto, fluxio dilabatur, tunc quidem diligenter rimari oportet, qualis præfuerit, aut præsit morbosi illius apparatus causa: nam præter externas (quæ coctionem cerebro necessariam interturbant) vt studium intempestiuum à cibo, somnus immodicus mox à copiosa cœna, intempestiuum exercitium, meditatio intenta à cibo præsertim crasso, est etiam vitiosum cerebri intemperamentum, maximè frigidum, præsertim si habituale sit, & adeò à naturali alienum, vt ex laudabili nutrimento vitiosum succum facilè generet, vel naturalis excrementi plus iusto congreget, ita vt ex vitio, aut redundantia in fluxionem prolabatur caput. Quibus consideratis, ac seclusis (vt dictum est) causis externis, diligenter exquires, à quo nam ex propositis principium curationis, aut prouidentiæ auspicandum sit: à partibus nimirum catarrhum, coryzam, aut branchum patientibus, à fluxu, à fluente humore, an à capite transmittente, nam hæc omnia huiusmodi curationem respicere oportet. Cuius controuersiæ grana statuendum est, veram curandi rationem auspicãdam esse à principio, & origine causę, hoc est ab intemperie cerebri: verùm quia id commodè fieri erat impossibile, citra humorum fluentium diuersionem, aut euacuationẽ, videbatur ab his primò esse incipiendum, idque vel lentè, & paulatim, vel maioribus auxilijs, aut maiorẽ diligentia, vel celeritate. Quæ sanè dubia vt exquisitiùs dilatantur, asserendum iudico, ab hoc vel illo ex propositis membris esse incipiendum, quod maius fecessit negotium, ac vitę dispendium promiserit. Nam si nullum periculi vestigium subsit, à materię præparatione,

tione, & vacuatione incipiendum foret, & posteà ad distemperiei medelam deueniendum. At si periculum adsit, ab eius prouidentia docet vrgentiæ ratio esse incipiendum. Sed vt clariùs constet quid agendum sit, nosse oportebit, triplicem in hoc affectu periculi rationem posse succrescere: primam quidem ratione plenitudinis corporis, & capitis, vel copia destillantis materiæ, quæ strangulatione perimere potest, vt in suffocatiuo vocato catarrho non rarò contingere scimus: secundam verò, ratione malæ eiusdem materiæ qualitatis, quòd ita sit acris, & mordax, quòd exulceret, ac erodat quamcumque partem attigerit, siue nares sint, siue columella, fauces, aspera arteria, pulmo, gula, aut ventriculus: vltimam tamen ratione membri in quod decumbit stillatio, vt contingit in angina, pulmone affecto, aut thorace, vel pleura, ex quorum morbis periculum vitæ impendet. Quibus addenda venit impetuosa fluxio tenuis, & fluxilis naturæ, quæ non minus solet negotium facessere. Quapropter in his omnibus (excepta crassa, & copiosa fluxione, quæ si lentè moueatur, validis auxilijs agitanda mouendaque repentè non est: nam cùm commodè vniuersa confertimque purgari non possit, quia cruda est, & lenta, facilè commota ad ventres cerebri, aut pulmonem, & thoracem defertur, & grauius malum accersit: quapropter præparanda educendaque sensim, & paulatim est) pronnus maioribus vtendum est auxilijs, quæ vel diuertant fluxionis impetũ, vel simul fluentem materiam euacuent, tum sanguinis detractionibus pro virium ratione, tum maioribus purgationibus: hæc enim duo auxilia sunt, quę sola potenter reuellere, & vacuare nata existunt: etiam si interdum alijs vti oporteat, quæ vim solam reuellendi sortiuntur, vt cucurbitis, frictionibus, & ligaturis, quæ eo magis prosunt, quo corpus euacuatum extiterit. Copiosiora quidem præsidia reperies tomo 2. capitu calfaciendo, aut refrigerando idonea, cap. de præsidijs attemperantibus caput.

Verùm quia plerique Medicorum abdubitant de sanguine extrahendo in catarrhis, expendendum est, vnam è quinque conditionibus id posse optimè mõstrare: prima sanè est natura, & qualitatis fluentis materia: secunda, dignitas partis in quam decumbit fluxio: tertia, status corporis catarrho affecti: quarta, si quis sit alius affectus ei adiunctus, qui ipsum exacerbet: quinta verò, impetus fluxionis qui adeò est celer, & subitus, quòd sputitioni locum non cedat. Sic profectò si fluxio calida, acris, aut mordax fuerit, & in motu adhuc sit humor, optimè sanguinem detrahes, non quidem solùm humoris ratione, sed ob impetum fluxionis: nam ob id in raucedine ab impacto humore frigido, optimè consuluit Auicenn. sanguinem non esse mittendum: vereri enim oportet ne exesio maioris sit momenti: quod nosces si sanguis tussiendo reijciatur, maximè cum sputo semicocto, quod ex mora contracta ad coctionem constet exesionem fecisse: nam, si aliter exeat, credendum est ex tussiendi impetu potius, quàm exesione, prouenire. Item si fluxio eat in partem, cuius malum vitæ asportet periculum, si corpus plenum sit, ac si febris, maximè continua, adsit, cunctandum non est protinus sanguinem detrahere, nec non si interpolata fuerit, dum ex putredine oriatur. Plerunque enim sic affectis ephemeræ febres nocturnæ motum, & calefactionem pituitæ sequentes potius, quàm putredinem, succrescunt: quod nosces, quia febris, quæ concitat maiorem fluxionem, dum crescit, de genere est putridarum: quæ verò fluxione præeunte subsequitur, ephemera: in qua vereri oportet sanguinem detrahere. Mittendus etiam est dum fluxio impetuosè dilabatur: diuertitur enim sanguine misso, & auarior redditur natura, quo minus ad partem affectam mittat. At in omnibus alijs corporibus, quæ prædi-

A ctis contraria existunt, formidare, ac vereri oportet ipsum fundere. Cæterum licet sanguis mittendus sit, tamen neque temere, neque confertim, aut liberè, vt in reliquis affectionibus, quæ ex defluxione catarrhosa non sunt: nam considerare oportet, & vires, & cacochymiæ præsentiam, & pro maiori eius copia, vel virium iactura, ita longè minus sanguinem demes, & per vices ad longiora interualla, nisi suffocationis periculum instet: quo tempore supplere oportet cucurbitis cum scarificatione, & alijs auxilijs.

Cæterum de purgatione in his affectionibus, quæ ex catarrho fiunt, non satis quid agendum sit, constat ex authorum sententijs: quippe statuit Galen. 5. method. quòd dum calida, & acris est defluxio, corpus illis medicamentis purgandum est, quæ vires habeant educendi diuersos humores. Quod sanè iuxta optimam rationem censeo factum, quia coniectabile est, aliquid esse calidorum succorum cum pituita admixtum, vel salsuginem ex putredine contraxisse, quod non minus diuersæ naturæ pharmaca expostulet. Quòd si corpus, & caput iuxta prædictam rationem, aut humoris peccantis ideam purgatum sit (pilulis cochijs, aureis, Arabicis, de agarico, vel rhabarbaro, aut alijs pharmacis, quæ præcedenti capite adduximus) verendum non est, masticatorijs quod fluxionis superest ad os euocare (maximè si materia crassa sit, nam dum tenuis est, per se ad os mouetur; ac si conciteur, forsan delaberur ad asperam arterià & pulmonem, quod cauere diligenter oportet, vt monuit Galen. 6. popu. par. 2. commen. 32.) Cauentes tamen, ne vel sternutatorijs, vel gargarismatis vtamur, dum caput adhuc plenum steterit, & materia nõ probè cocta. Verùm si periculi nullum subsit, aut leue vestigium, longè mitiùs incedendum est: quippe tunc considerare oportet, an habituale intemperamẽtum mali causam præstiterit. Nam tunc duplex erit curandi ratio: altera quæ quod genitum est, paulatinis euacuationibus auferat: altera rursus quæ cerebri intemperiem ad pristinum statum redigat; atque hoc modo pugnandum est aduersus apparatum, & fluendi occasionem. Verùm indicatione sumpta ab humore lentè, & paulatim fluente, si calidus, acris, & mordax fuerit, attemperandus mitigandusque primò est, ne partes per quas defluit, aut in quibus recipitur, exedat & abradat, exulceretque. Qua ratione ea medicamẽta sunt adhibenda, quæ refrigerandi, & modicè densandi vires obtineant, vt simul attemperentur humores, & ineptiores fluxui reddantur: in quibus nulla lege licet ea præsidia adhibere, quæ comprimẽdi eosdem, vel compescendi fluxum vires obtineant, ne fixiùs in capite, & partibus per quas prolabitur humor, vlterius exedat, & longè maius efficiat malum: sed vel lenire partes, & mansuetiores reddere humores præcisè est necessum, admixtis quæ contrariam humori conditionem sortiantur, velut est syrupus violarum, ex mucilaginibus, aut ex nenuphare: præstat prætereà exhibere syrupum ex borragine, ex cichorio, & ex rosis. Præcauere tamen oportet partes quas supergreditur humor, aut in quibus recipitur. Sic profectò, si in nares defluxerit, coryzamque concitauerit, fueritque mordacis, & calidæ naturæ quod influit, in nares immittere oportet vaporem, aut aquã, vel decoctum, vel succum violarum, vel rosarum, aut iuiubarum, decoctum lactucæ, vel portulacæ, aut aquam hordei cum saccharo, aut syrupo rosarum. Extrinsecus verò nares illinire oportet oleo amygdalarum dulcium, violarum, seminis cucurbitæ, aut butyro, vel vnguento rosaceo. Prosunt odoramenta per euaporationes, aut vtcunque aliter, velut est semen lini infusum in aceto, & arefactum, vel hordeum ex aceto, vel euaporatio decoctionis maluarum, rosarum, seminis lini, & similium, dum aceti aliquid recipiant. Verùm si frigida sit materia fluens, prodest

K deco-

decoctum maioranæ, pulegij, & ipsum pulegium odo- A ratum: item decoctum chamæmeli, nigellæ & similium: prosunt etiam prædicta semina torrefacta & ligata atque odorata: sic & inunctio ex oleo chamæmelino, anethino & amygdalarum amararum. At si ad fauces defluat, his præsidijs vteris, quæ vires habent obliniendi & obducendi easdem, veluti est amylum, tragacantha, farina volatilis, terra lemnia & mucilago omnis, sicuti & portulacæ, violarum, & papaueris syrupus: quibus & partes præmuniuntur & humores etiam attemperantur. Quòd si coquere vel acrem fluxionem attemperare velis, potibus aquæ ferudæ bis, terue in die vel prope somnum vteris. At si sistere ac frænare magis fluxionem in animo est, prodest in calida decoctum rosarum, coriandrorum, len- B tium sine cortice, lactucæ, portulacæ, aut seminis papaueris. Verùm si frigidior sit materia, vteris rhodomelle, oxymelite, syrupo de liquiritia, de betonica, & de hyssopo. Purgare tamen oportet hos humores, acres quidem lenientibus medicamentis, quæ parum purgent & plurimum attemperent, veluti cassia sæpius exhibita & masticata. deinde post diuturnam correctionem per seligentia medicamenta peccantem humorem extrahes. Quem vsum præstant, primò pruna ex senæ folijs condita, item pilulæ de rhabarbaro, aggregatiuę, & rhabarbarum ipsum varijs formis exhibitum; item pilulæ ex agarico, aloe & mastiche, aut ex agarico & rhabarbaro. Materia verò frigida con- C trario modo est præparanda, frequentiùs quidem, setiùs tamen purganda, vt sicut lentè concoquitur, similiter paulatim educatur; paratur tamen eo modo quo dictum est, sed purgatur agarico, pilulis mastichinis, cochijs, sine quibus & de agarico. Verùm ad membri patientis præcautionem, præstabit quidem omni ingenio fluxionem aliò trãsferre cucurbitulis, frictionibus & ligaturis; tandem præmunire membrũ oportet, gargarismatis, oris collutionibus & narium inunctionibus, per ea auxilia quæ temperamento & substantia contraria sint humori fluenti. Cæterùm si harum fluxionũ, aliqua febrem, cuiusuis sit naturæ (præter ephemeram) sibi habeat comitem, cunctandum non est sanguinem mittere, quàtum febrem expostu- D lare cõstiterit, habito tamen respectu ad humoris vel partis mandantis cruditatem; si verò febre careat affectio, fugiendum est à sanguinis detractione, tanquã à præsidio maiorem cruditatem progignente ob refrigerationem & imbecillitatem; nisi vel fluxio nimis calida sit, vt dictum est, vel caput aut iecur, quorum occasione & calore fluxio concitatur, feruore nimio afficiantur; tunc enim sanguinem mittere fas erit, parciùs tamen & ex cephalica aut iecoraria, prout hoc vel illud membrum affectum fuerit; in alijs verò casibus, vel nimirum sanguinis detractionem vereri, vel intrepidè aggredi, periculo non vacat. Quo factum est, vt iterum consulẽdum sit de pharmaco exhibendo; maximè per epicrasim vt anteà dixeram. E Quòd si neque his omnibus, neque alijs quæ facilia sunt & consultò prætereo, quieuerit affectio, antequàm fluxio in pulmonem dilabatur, aut aliud malum consimile efficiat, setonem in occipitio, aut fontanellam in altero, vel vtroque brachiorum affigere oportet, per quam sensibiliter expiret humor defluẽs. Cauere tamen consulo in hac re à capitis vstione, etiam si plures consuluerint: mihi enim semper visum fuit graue & periculo plenum, nisi fluxio ab externis vasis capitis ad eius intima fiat, quo tempore paruas vstiones in circumferentia capitis infigere non est præter rationem. Sunt etiam, qui cum Galeno synapismis, & emplastro ex columbino stercore vtuntur: in quibus adhibendis non minus errant multi ex Medicis, qui solùm fluxionem intuentes, fluentis humoris conditionem negligentes, non sine magno laborantium discrimine eis vtuntur, cùm certum sit solùm prodesse frigidis, tum humoribus, tum intemperantijs. Nam licet resolutionis gratia ea consulat Galen. præterquàm quòd difficile est ad extimam capitis partem reuellere, non rarò maius concitant damnum. Quippe in calidis maiorem fluxionem, & intensius moliuntur intemperamentum. Cuius auxilij loco in hac & reliquis fluxionibus quæ à capite fiunt, vteter hoc puluere, q. ℞. *rosarum, santalorum citrinorum, corallorum præparatorum, spicæ celticæ, vernicis. anã. ʒ. ß. misce & fiat puluis*, qui quarto quoque die supra caput rasum spargatur. Quem quoque vsum præstabit, lotio capitis ex lixiuio facto ex ligno guaiaco ad medietatem decocto. Prosunt et balnea sulphurea, dummodo defluxio non sit ex salsa pituita, aut nimis fluxili & acri. Cui etiam vsui, maximè materia existente frigida, summoperè prosunt sudationes ex ligno guaiaco, aut radice Chinæ: in calidis tamen intemperantijs neutrum: in humidioribus quidem, decoctum ligni aut sarsæ, vel herbarum siccantium & calidarum: item prosunt sacculi ex prædictarum herbarum pulueribus, & cerata ex oleis calidis, cum cera & ladano, & alia quæ capite de dolore capitis huic vsui proficua abundè adduximus.

CAPVT II.

De angina, & reliquarum partium oris inflammatione.

DVm eædem fluxionis differentiæ quas præcedenti capite memorauimus, ad oris, laryngis aut pharyngis partes prolabuntur, sed non, vt in præcedentibus affectionibus, per irrigationem aut leuem imbibitionem, sed per venas ipsas in carnosas earum procidunt, licèt eadem sit materia quæ defluit, & eadem etiam pars quæ afficitur, longe tamen diuersus succrescit affectus: quippe inflammantur, si per venas irrinat, apostemosa inflammatione eo tempore, tum columella, tum amygdalæ appellatæ: tum verò laryngis, aut pharyngis musculi, in quibus solis anginam fieri arbitramur. Verùm quia inflammationes prædictarum partium consimilem ferè sortiuntur curationem: ob id vno hoc capite institui omnium meminisse: curatione tamen vna solùm præscripta, eaque anginæ proficua, quibusdam additis considerationibus ad aliarum curationem necessarijs.

Est quidem inter prædictas particulas gurgulio seu columella, pars quædam, quæ in fine summi palati carnosa appendens, aperto ore & lingua depressa conspicitur: quæ sanè ob diuersas dispositiones, quibus insignitur, diuersis nomenclaturis describitur: multi enim vuam appellarunt, quòd acino vuæ persimilis existat. Quinimò huius partis inflammationem Hippocr. vuam appellat, vt ex Galen. colligitur lib. de tumoribus præter natur. dixerat enim Hippocrat. lib. de morbis. Fit autem vua cùm pituita de capite ad gurgulionem descendit, & gurgulio præceps dependet, & fit rubicundus. Sed huius vuæ aliam generationem constituit. 2. de morbis dicens: Vuam fieri cùm summa gurgulionis pars aqua impletur, & rotunda fiat ac pellucida, & respirationem interdicit. Sed hanc affectionem statuit Galen. 6. local. gurgulioni rarò accidere, & longe rariùs aliam, quam lorum appellant Medici, quæ fit cùm nimium ignitus gurgulio ipse gracilescit, & loro similis propendet. In qua re expendendum est, nomen huius partis solùm esse gurgulionem; columellam verò eius laxitatem; & vuam tumorem in rotundum factum; lorum, angustiam & extensionem: cùm verò inflammatur prædicta pars, & versùs omnes dimensiones cum dolore & rubore crescit, dicitur inflammatum esse gurgulionem.

Præ-

Præter hanc partem inflammari etiam dicimus glandulas, quarum varias differentias sortitur os: quippe earum triplex reperitur in prædictis partibus sors, officium, & natura. Quædam enim in faucium, & palati confinio positæ, vtrinque ex gargareonis latere assistunt, paristhmia, seu antiades, tonsillæ, aut amygdalæ vocatæ. Item aliæ in capite arteriæ ad laryngem positæ sunt: reliquæ verò ad linguæ radicem pertinent. Cæterùm primum illud glandularum genus non fruitur tot nominum varietatibus, nisi dum aliquo insignitur affectu: quippe antiadas eas partes Galen. lib. 3. de symptom. causis appellat, cùm tumore, aut inflammatione, maximè fluxione à capite delabente, tentantur: & Paulus lib. 6. cap. 26. & 30. per antiadas intelligit scirrhosum tumorem paristhmiorum: maximè si contiguas partes fluxio apprehēdat; nam tunc paristhmia appellat: quod sumpserat ex Galen. 3. aphorism. comment. 26. dum asseruit, paristhmia, quæ Latini tonsillas vertunt, inflammationes esse locorum ad isthmum attinentium, & intelligit per isthmum partem illam, quæ inter os, & gulam interiacet. Itaque antiadas tonsillarum inflammationē appellare licet, paristhmia easdem, cum ad isthmum, & vicinas partes perducitur extenditurque inflammatio. Ex quo venari oportet has inflammationes solius tunicæ esse ventriculo, gulæ, faucibus, totique ori communes, nonnunquam verò subiectorum ipsi musculorum: quibus sanè dolentibus, rubicundis, inflāmatis, & tumentibus, non leue periculum impendet difficilis respirationis, aut deglutitionis, vt in anginæ speciebus conspicimus.

Angina verò grauissima quædam morbi species existit, quæ præter grauitatem, & periculum quod infert, difficilis quidem cognitu, & curatu existit, propter diuersas quas obtinet species: cuius tamen naturam in tres partes iure optimo diuidere studuimus; omnes tamen vnica communi ratione conuenientes, quòd suffocari in omnibus laborantes periclitentur, ac nonnunquam difficulter etiam deglutire possint. Est tamen prima huius mali species, quæ per primogeneam affectionem musculorum mouentium laryngem fit: secunda quæ per consensum ex colli vertebra intro luxata: tertia verò & vltima ex vitio aeris inspirati. Huius autem vltimæ meminit Aretæus libro 1. acutarum passionum, quæ quidem constat ex aere quem inspiramus crassiori facto, caliginoso, densiori, & fuliginoso, quem dum facultas per respirationem attrahit, nequit præ crassitie aspera pulmonis arteria capere, aut forsan quia adstringentis, & compressiuæ est naturæ: quo factum est, vt nihil minus suffocare possit, quàm angustia meatuū à quauis alia causa facta: præterquam quòd attractus nec ventilationem efficit, nec refrigerationem, quin eius consortio spiritus suffocantur, quia compressi, & coerciti manent, ac quieti: quæ causa est potissima suffocationis, quemadmodum probari potest in feruidis succensis carbonibus, dum conclaui vndique conclusa via coercentur: nam halitus ille caliginosus fumosusque facilè prædictis modis inspiratus suffocationē efficit: haud secus quàm si quis inspiret vaporem ex musto feruenti (Hispani tufo appellant) eleuatum: incredibilis enim est efficaciæ ad efficiendam suffocationem, vel momento temporis.

Illa verò anginæ species, quæ vertebra luxata intrò prolapsa œsophagum comprimit, adeò laryngem coarctat, vt linguam ex ore prosilire coerceat, & laborantes aperto ore respirare. Cæterum ea quæ ex musculis laryngis inflammatis suboritur, faucium procul dubio, aut musculorum qui ad fines asperæ arteriæ siti sunt, inflammatio est præter naturam cum rubore, dolore, calore, & fluxu coniuncta; quam sæpè affectionem musculis externis ceruicis contingere scimus. Verùm cùm prædictus tumor sensui conspicuus non sit, grauis incumbit de vita suspicio, ita vt si quis euaserit, peripneumonicus fiat, & intra diem septimum pereat, vt placuit Hippocrat. 5. aphorismorum 10. In qua re primò sciendum est, per fauces intelligendam esse eam partem quæ gulæ, & gutturi præiacet, quæque ore aperto conspicua est, continēs duo prædicta ostiola. Per ceruicem verò intelligimus id spatium quod est à capite in thoracem, quod septem vertebris comprehenditur: guttur asperæ arteriæ caput. Sed hanc inflammationem prædictarum partium, & anginæ sortem in quadruplici esse differentia, consensu ferè omnium constat: in qua re expendendum est, nihil in medicis disputationibus difficilius, nihil confusius, & magis inconstans, ac omnibus minus commune vnquam repertum esse. Nam præterquam, quòd citra musculorum considerationem, multi ex conspicuo, aut occulto tumore, vel rubore in faucibus, & gutture, has quatuor anginæ differentias venentur (& alij solùm musculis annumeratis) in præsagio, & periculi ratione longè dissident: quibusdam asserentibus maius periculum esse in gutturis inflammatione: alijs in inflammantis faucibus. Quæ sanè res magni est momenti, tum ad cognitionem, tum ad æstimationem affectus, tùm etiam ad veram, & genuinam curationem: nam sæpè leuius, aut grauius præstamus auxilium, prout affectio difficilior, aut periculosior sese nobis ostendit, quod profectò Medicum nosse perdifficile existit, ni exactè comperit qualis naturæ, & officij sit pars quæ inflāmatione tenetur. Qua ratione expendisse oportet, in ceruice, faucibus, gutture, & ore ipso, præter glandulosum genus, musculorum quoque reperiri varias propagines, & sortes: nam ex his quædam conspicuæ sunt, aliæ omnino delitescunt, & intrinsecus suis muneribus assistunt. Quod sanè venantur Medici, quia ex harum partium inflammationibus, quædam aperto ore conspicuæ sunt, quædam iuxta collum, & ceruicem supereminēt, & rursus aliæ omnino delitescūt, ita vt neque aperto ore, neque extrinsecùs quidquam effatu dignum appareat. Ex quo vnanimi plurium consensu constat, veræ anginæ, & quæ peculiares sibi abrogat differentias, quatuor esse proprias species. Nam vbi gutturis musculi interni inflammantur, cynanche appellatur: si verò in faucibus fuerit inflammatio, synanche: si tamen in exterioribus gutturis musculis fuerit, paracynanche, si in partibus faucium exterioribus, & mento, parasynanche: omnes tamen inflammationes sunt, præsertim per defluxum, maximè à capite. Neque obstat Hippocr. 6. popul. par. 7. tantùm tres anginæ species numerasse, dum inquit: In summa, qui solùm deglutire non poterant, his valdè mites, ac toleratu faciles erant; qui verò etiam insuper obscurè loquebantur, iis molestiores, ac diuturniores: quibus verò etiam venæ circa tempora, & ceruicem attollebantur, his aliquantulum malè erant: pessimè verò his quibus spiritus sublimis eleuabatur. Quæ sanè tres tantùm reputantur à Galeno species; nam sub prima, altera latet, in qua sine difficultate respirandi, & sine dolore vehementi inflammatio ad ceruicem, & pectus extenditur, quæ videlicet leuem admodum efficit in gutture, & faucibus morbum, seu spuriam anginam, vt mox leges.

Sed expendendum est, has tantùm mensum fuisse Hippocrat. penes periculi, aut securitatis vehementiam, licet 6. aphorismorum 37. & 7. aphorism. 49. ex alijs signis eas venari doceat. Nam speciem primam, grauissimam esse ostendunt tria: primum, ne quid conspicuum inflammatio in faucibus efficiat, vel in ceruice, quod internos gutturis musculos inflammari ostendit: secundum vt dolorem inferat, acerbissimum: tertium verò, quòd difficillimam respirationem pariat: quæ sanè omnia magnam inflammationem attestantur, & magnā etiā asperæ arteriæ com- Præsagiū

pressionem, adeò vt secundo, tertio, aut quarto die interimat. Secunda anginæ species minoris est malitiæ quàm prima, sed diuturnior, & cum hoc periculo nō vacat, quia rubent fauces, & in tumorem attolluntur, simul & ceruix ob gutturis inflammationem. Tertia verò anginæ species à prima duabus differentijs distinguitur, siquidem in ea non admodum dolore vexantur, & quoniam non spirant difficulter: qua de causa hæc reliquis diuturnior existit: inflammantur autem in ipsa ceruix, & fauces: quo fit, vt nec difficilem accersat respirationem, quia musculi gutturis, neque inflammantur, neque impediunt viam respirationis. Præterea nec vehementer dolens, quia partes quæ inflammantur adenosæ sunt. Quarta verò eisdem rationibus, omnium mitissima existit: in omnibus tamen tantum periculi expectare oportebit, quantum deglutiendi, aut respirandi munere magis, aut minus destituantur laborantes, idque magis delitescente tumore, cùm etiam grauissimus dolor est, intensa febris, cùm os hiat, lingua exerta apparet, intercepta deglutiendi via, aut potus ob œsophagi obstructionem per nares refluit: sic dū laborans nullo corporis situ respirare potest, idem periculum est. Itaque & species anginæ, & periculi pondus ex differentijs symptomatum, partium laborantium natura, causæ distinctione facilè venaberis, vt Hippocrat. docet text. 16. & 17. lib. 3. prognost. & lib. 2. Coac. sect. 2. aphorismorum 1. & Galen. lib. 4. de locis affectis capite 4. & 4. aphorismorum 34. C Sciendum tamen est, hunc acutissimum morbum, primo, &, vt dictum est, secundo, vel tertio die ob respirationem interceptam interficere, diutius tamen protrahi, vbi solùm deglutiendi munere laborans destituitur. Expendendum insuper est, quod Galen. 4. de caus. puls. aduertit, nimirum anginam mutari semper in peripneumoniam, transacto fluxionis impetu ad pulmonem, & nonnunquam in conuulsionem, conuersa fluxione ad musculos, & medullam spinæ. Præterea ea angina, quæ ab aere caliginoso prodit, citò interimit, nisi aeri lucido, & puro laborans exponatur. Item ea quæ ex luxatione vertebræ colli fit, tanto erit periculosior, quanto vertebra ex superioribus colli fuerit: ea tamen luxatio quæ ab ictu, D vel casu prodit, omnino incurabilis existit, quæ verò ex tuberculo, vel phymate, non omnino, licet difficilis exista curationis.

Causa. Causas verò habet prædictarum specierum quælibet, iuxta sui naturam, & differentiam varias quoque: alia quæ verior est, & ex inflammatione, vel affluxu prodit, ex sanguinis fit vbertate, siue ex crapulis, siue ex otio, siue ex intermisso exercitio, aut suppressa vacuatione succrescat: item prodit ex feruido, & calidiori sanguine, maximè pituitoso, qui ea ratione tenuior efficitur, & fluxui paratior: sic quiuis alius humor dum calidus, fluidus, tenuis cum modica tenacitate à capite prolabitur, vt Galenus 3. prognosticorum testatus est, nec non & 4. de ratione victus, E & 4. de caus. puls. & 4. aphorismorum 34. tandem omnis fluxus, qui cum fluibilitate humoris visciditatem aliquam sortiatur, his affectionibus efficiendis idoneus existit. Est tamen in hac re consideratione dignum, quòd licet dictum sit, anginam tumorem esse prædictarum partium cum dolore, cum hoc certum est aliquam succrescere anginæ sortem citra dolorem, quæ ob id non est minoris periculi: Quæ sanè prouenit ex humiditate pituitosa madefaciente internam gutturis tunicam, aut implente musculos ipsum guttur aperientes: ex quo etiam generatur lenis quidam tumor, citra dolorem tamen, & cum strangulatione, vt aduertit Galen. libro 4. aphorismorum 34. Sic & aliam tex. 35. addit speciem ex nimia musculi interni gutturis siccitate, quàm grauiorem esse arbitratur ea, quæ cum tumore, si cum febre mu-

A dit. Alia etiam non rarò visitur ex puluere, fumo, vel ex multi feruentis vapore, quæ ferè subito interficit: Quibus causis sic consideratis addere oportet modum quendam lædendi, summo perè ad curationem necessarium: nam quemadmodum humores tenues, quia angustiores venas facilè penetrant, in eas quæ guttur ambiunt, potissimum decumbunt, quòd tales sint: ita crassiores, frigidi, viscidique cùm non ingrediantur vniuersas venas, quemadmodum adstrictæ sunt, in capacioribus detenti, quales sunt quę in gula positæ sunt, in ipsis impacti in tumorem eas attollunt. Quo fit, vt musculi gutturis à succo bilioso, & sanguineo, musculi verò gulæ à sanguine pituitoso, & melancholico potissimum inflammentur; B quod ad cognitionem, & curationem maximè conducere arbitramur.

Dignotio. Signis monstrare nunc incumbit, & anginæ species, & causarum differentias, vt subsit expeditior curandi ratio: sic anginæ omnes differentias distinguere, & nosse facilè cuiuis est: nam ea quæ ex vertebra luxata prodit, ipsa se ostendit, quòd in collo appareat locus cauus ex luxatione vertebræ ad œsophagum cum dolore. Musculorum circumiacentium tumorem respiratio difficilis, hiatus oris, lingua exerta, & à sua radice mota: cuius etiam meminit Aetius sermo. 4. tetra. 1. cap. 47. quod desumpserat ab Hippocrat. 2. popu. par. 2. Quæ verò ex fumo prodit nulli est ignota: ex quibus constat, quòd priuatione horum signo- C rum reliquas facilè possis cognoscere. Qua verò in parte sit angina, multa monstrant: nam licet in quauis parte sit, duo hæc signa assident, deuorandi, & respirandi nimirum difficultas, cum dolore acerbo fauces occupante, & difficili deglutitione, vt ob id potus in nares resiliat: ea tamen magis minusve hoc quàm illud præualere, prout in pharynge, aut larynge fuerit inflammatio, comperies magis: nam musculi gutturis interni inflammatis difficillimam efficit respirationem, adeò vt referat Hippocrat. 4. de ratione vict. 34. fieri spiritus reuulsionem, hoc est, fieri frequentem, & violentam respirationem recta ceruice, & abrupta voce, cum acerbissimo dolore, & febre admodum acuta: nihil apparet intra os, aut exteriùs in collo. Si D verò sit paracynanche, respirabunt quidem difficulter cum dolore, sed apparebit circa fauces color mutatus in rubrum. Cæterùm si sit synanche, deglutiendi difficultas maior erit, quàm respirandi: in ceruice nihil apparet mutatum: in parasynanche verò, color in collo mutatus apparet, & ipsæ partes tumidiores, & noxa respirationis minima est, præterquam quòd gulam esse inflammatam, monstrant potus per nares excretus, & dolor in dorso, qua parte incumbit œsophagus. Sed non est minoris momenti ad curationem, humoris fluentis naturam nosse. Sic sanguis dum fluit, omnium grauissimam infert anginam, quia tumorem efficit durum, & dolentem in parte, quæ distensionem minimè pati potest: quo fit, vt grauior E hæc sit, cùm propter duritiem nequeant distendi partes ad moliendam respirationem, neque comprimi ad deglutitionem: quo fit, vt vehementiorem ferant dolorem in deuorandis rebus liquidis quàm solidioribus, quòd faculas non audeat plurimum comprimere musculos, vt opus est in deuoratione liquidorum: sic etiam maior est respirandi difficultas, quia licet periculo suffocationis deterrita natura maiorē respirationem efficere conetur; nihil tamen prodest, quia tumor durus est, & minimè cedit. Hanc autem causam cognosces ex grauitate totius corporis, & partis illius, ex rubore in faucibus, ex venarum oculorum, & totius capitis plenitudine, & tensione, vel ex suppressione alicuius sanguinolentæ fluxionis: Alio prorsus modo periculum minatur flaua bilis: nam licet tantum non comprimat respirationem, neque maximum efficiat tumorem, cum hoc tamen

peri-

periclitatur laborans, ne facilè mutetur humor ille tenuis à partibus externis ad internas: nam id damnauerat Hipp. 4. aphor. dicens: Quicumque tumores in faucibus repente occultantur, periculum maximum portendunt. Cognoscitur tamen biliosus hic fluxus, ex punctione partis affectæ, ex ingenti calore, ex mordicatione, & ex parum mutata respiratione, solùm enim instar pali infixi dolorem se persentire laborantes referunt: prætèrquam quòd quæ ex bile aut tenui sanguine fiunt, maiori ex parte in internis fiunt musculis: quia cùm externæ, & conspicuæ partes maiora habeant vasa, faciliùs pituitam susceptant: quinimo si bilem receperint, aut tenuem sanguinem, facilè defluere permittunt, & in tenues venas internorum musculorum prolabi sinunt, in quibus diutius immoratur & inflammationem efficit, quod expendisse non est parui momenti, vt anteà retuleram. Pituita enim diuersam periculi rationem habet: nam licèt crassior sanguine sit, & tumorem quoque efficiat, is quidem neque durus est, neque renititur tangenti: laxum enim & indolorosum efficit tumorem: quo factum est, vt liberaliùs respirare possint laborantes; cæterùm alia lege periclitantur: nimirum quia pituita crassa, dum à medicamentis agitatur, modò crassis attenuantibus, modò frigidis adstringentibus & comprimentibus, facilè ad infernas partes dilabitur; quo factum est, vt laborantes periclitentur pleuritide, peripneumonia, aut alio thoracis, vel pulmonis grauissimo affectu, qualis colli peruersio & conuulsio est, vt latiùs lib. nostro de pulsus arte & harmonia exposuimus. Verùm si mixta fluxio fuerit ex vtrisque, permixta quoque aderunt prædicta indicia. Quale præsagium ex angustia per pulsum liceat proferre, reperies eodem lib. de pulsu, cap. de angina.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio duplex existit: altera, quæ in communi omnibus anginis, sub hac tertia specie contentis, conueniat (nam de alijs inferiùs differam) altera verò, quæ cuiq; pro ratione humoris & sedis affectæ ex æquo debetur. Conueniunt autem hæ omnes in hoc, quod est humorem redundantem primò vacuare, deinde fluentem aliò transferre, mox verò fluxum quàm citissimè à parte affecta remouere: cuius curationis seriem elegantissimis verbis adduxit Gal. 4. de rat. vic. 30. Cæterùm quia symptom. maius in angina facessunt negotium, ob id administrare oportet ea auxilia, quæ vtrumque simul respiciant. Sed antequàm ea aggrediar exponere, oportet loco satis amplo laborantem adducere, vt liberè aerem respiret, qui temperatus etiam sit, ne compressus meatus ampliùs constringatur: sic etiam ipsum in lecto residere oportet, & caput altiùs attollere, quo faciliùs respirare possit. Quibus etiam liquida cibaria porriges, quæ qualitate & consistentia humida sint, velut pullorum carnes, carnium iuscula, prisanam colatam cũ cinnamomo, & mulsa, atque si febris adsit, saccharatam ex hordeo ouorum lutea, aut ea iure panatellam factã, vel si affectio vrgentissima sit, per dies aliquot, omnino à cibo abstinebis, ni vires vetuerint: tandem ab omnibus quæ aromata aut piper, vel sal recipiunt, omnino abstineant, sicut à crassis & quæ difficilem concitant respirationem. Item parcè bibant, & à vino & potibus calidis fugiant: somnum vitare quàm maximè oportet, quia internis inflãmationibus summoperè officit. Qua sanè victus & vitæ ratione instituta, omni diligentia curandum est, ventrem lubricũ & omni excremento exortem, reddere, imò angina alui fluxum perpetuo desiderat. Sic primo accessu aluus mollienda est clysteribus quæ emolliendi vires habeant, velut est, q. ℞. *cassiæ fistulæ.* ℥. *i. vel catholici.* ℥. *ß. aut hiera (ni febris vetuerit) tantundem.* Quo facto considerabis primò, quam occasionem sortita fuerit angina: plenitudinem ne, an alicuius consuetæ, vel inconsuetæ vacuationis intempestiuam suppressionem: item quantum periculi minetur mali sæuitia.

A Quippe si ex suppressa aliqua vacuatione malum oriatur, & periculum non plurimùm vrgeat, rationi videtur consonum, à reuocatione consuetæ euacuationis auspicandum esse, reuulsione facta ad distantes partes, ex talo quidem sanguine misso in mensibus, aut hæmorrhoidibus suppressis, vel diminutè fluentibus; idque semel facies, & mox vespere aut sequenti die, si affectio sæuior fiat, ex brachio & cephalica sanguinem mittes, nõ omnino deinceps posthabita præcedentis occasionis indicatione, sed cruribus ablutis, fricatis, & quandoque scarificatis, aut affixis in eis cucurbitis. Verùm si vrgentior sit affectio, & periculum instet, à brachij venis protinus sanguinem B detrahes, non solùm quidem in mensium aut hæmorrhoidum suppressione: nam tunc temporis dubium non est, sed fluentibus adhuc mensibus, dummodò, interim dum sanguis extrahitur, cucurbitæ affixæ inhæreant femoribus, quo minor fiat ad superiora retractio: in puerperio verò maior diligentia adhibenda est: quippe si casus vrgentia adeò grauis sit, quòd protinus ex brachijs expostulet detractionem, facies quidem, sed paucis interpositis horis talum incides, & parum sanguinis extrahes ac lentè, quò fiat maior ad talum reuocatio, quàm ad superiora ex detracto sanguine à brachio: scito enim in grauissimis affectionibus, & quæ ingens periculum allaturæ sunt, reuulsionem non esse moliendam ex loco à C quo confluit humor, sed prope eum ad quem fluit, vt deriuationis quoque munus adimpleat. Præterea in grauida muliere cunctandum non est sanguinem detrahere, quòd ita comparata sit mulierum natura, vt sanguine abũdet adhuc vtero gerens: quo fit, vt dum parcè & prudenter fiat, abortus periculum omnino fugiant. Præterea sanguinis detractio in anginosis non confertim & copiosè, vt multi falsò existimant, fieri debet: tum quia laborans periclitaretur animi deliquio, quo nihil est in hac re grauius & periculosius: citius enim hac lege suffocantur laborantes: tum verò quia euacuationes paulatinæ & per epicrasim factæ, citiùs & commodiùs partem affectam respiciunt & euacuant, in quibus tantum sanguinis extrahere D oportet, quantum particula & partes vicinæ susceperint, nulla facta distantiùs attractione.

Quòd si sanguinis detractiones sufficere non videantur, & vlteriores natura ferre non possit, ad cucurbitas deueniendum est, primò suris, natibus & scapulis affixis, postmodum verò brachijs & prope ceruicis radicem, ac si ex capite fluxio prodeat, occipitio cum scarificatione: tandem omni arte reuellere & deriuare ab affecto loco, & humorem auertere opus erit. Quo facto, exhibere oportet expurgans medicamentum, quod ex propria natura respiciat humorem peccantem, vel si sanguinem solùm abundare constiterit, leniens ex cassia, aut manna porriges: catapotia verò, & alia deuoranda, minus proficua experimur, E licet antiquiores consuluerint. Verùm si pituitosior materia fuerit, quod ex doloris mansuetudine venaberis, pauco sanguine detracto (nam cunctandum non est ipsum parcè mittere, licet Auicen. 9. 3. cap. 11. in quadam specie anginæ ex pituita à cerebro descendente supra amygdalas & ad partes faucium & colatorij, vetuerit sanguinem mittere ante declinationem; quoniam, vt ipse inquit, plus de pituita influit, & hominem præfocat: nam huius authoris locus suspicione non caret) purgabis si expedit eadem die diluto agarici ex infusione rosarum Persicarum, vel pilulas cochias, sine quibus, aut ex agarico liquore aliquo dissolutas porriges: nã deuorare aliter innocuè laborans nequibit. Paulus verò et ex Medicis nõ mediocris prudentiæ aliqui, loco vtriusq; auxilij, dum fluxio pituitosa subita non est, nec; copiosior, actiori vtuntur *clysmate, quod* ℥. *ß. hiera diacolocynthidos recipiat,*

& alio etiam eiusdem naturæ. Sed antequam hæc adhibeantur, & interim dum vel sanguis mittitur, vel expurgans medicamentum porrigitur, ex vsu erit, ad fluxam in parte inflammata, & contentam materiam deuenire: circa quam duo sunt exequenda munia: primum est influentem humorem à parte repellere, ac forsan influxum: secundum tamen si id fieri non possit, aut discutiatur impacta hærensque humoris portio, aut suppuratio iuuetur. Primum sanè exequeris iuxta vrgentiam mali: nam vbi multus non fuerit impetus humoris fluentis, neque magna inflammatio, mediocria satis esse possunt: cuius naturæ est gargarisma, q. ℞. *aquæ hordei lib. 1. aquæ rosarum, & plantaginis, anà ℥. 2. succi granatorum ℥. 1. et ß.* facta verò sanguinis detractione, lacte calido vteris, & mox adhibere oportet quæ à parte affecta humorem contentum repellant gargarismatis, quæ fiunt iuxta rationem humoris peccantis: in frigido humore ex aqua hordei, & melle rosaceo cum sufficienti aceti quantitate: in calida verò materia cum syrupo rosaceo, rob de moris, & alijs quæ passim reperiuntur. Sed quia non semper humores qui continentur in affecta particula possunt repellentibus extrahi, necessum est, vbi periculum suffocationis imminet, aut cucurbitulas cum multa flamma adhibere, aut venas sub lingua rundere, ac si probè non fluxerit, hirudinem ibidem affigere ex vsu erit: cucurbitulas tamen sæpius scarificabis, quo impacta materia per proximum locum euacuetur. Atqui licet topica hæc auxilia intus adhibere iubeat Galen. varijs in locis, varia iuxta ipsius affectionis tempora, & varietatem considerare oportet, ita vt in principio alijs vtendum sit; & crescente malo alijs, in hoc tamen affectu donec ex toto, vel resolutione euanescat, vel suppuratione colligatur, semper repulsorijs vtendum esse, ex Galeno, & ratione colligi posse videtur: non quidem inflammationis communis ratione, in qua vsque ad statum semper aliquid influit, quod repulsu indigeat, sed & partis affectæ ratione, nimirum, quia vt princeps robur sibi seruari desiderat: qua occasione in omnium viscerum inflammationibus adstringentia admittit: & vltimò, ac maximè, quia cùm partes angina tentatæ laxæ sint, & imbecilles, medicamentis laxantibus promptè excrementa iterum suscipient; (licet affectus iam inclinet) & morbus denuo augebitur: quo fit vt pharmacis illis adstringentibus, quibus ad anginam scripsit Galen. 6 localium semper toto morbi processu sit vtendum, admixtis tamen quæ vim habeant discussoriam; apparentibus signis statûs. Quapropter peculiari methodo, & indigentia adstringentibus in angina vtendum esse arbitror, quod in alijs inflammationibus non esset tutum. Scribit enim Galen. communia, & generalia quædam ad anginosos pharmaca, quæ veluti basim, & fundamentum cæteris constituunt: vt est illud quod ex rosis, & succo vuæ acerbæ conficitur, quæ quidem ad solem siccare licet atque alijs medicamentis quæ lambendo sumuntur admiscere: quippe gargarizare omnes non possunt, neque si possint, innocuè faciunt. Par etiam beneficium præstat hypocistidis, mororum, & acaciæ succus, & myrtillorum vinum, quæ illata per fauces cum syrupo de rosis siccis, aut myrtillorum, mirum in modum prosunt. In principio tamen eo vteris, q. ℞. *plantaginis, oxalidis, & portulacæ, anà manip. ß. corticum mali granati, rhu. anà ℥. ß. rosarum rub. p. 1. coquantur in aqua ad tertias, & colaturæ adde diamoronis ℥. ß. syrupi myrtini, & de papauere, anà ℥. 1. aceti ℥. 1. misce.* Aliud item conficies, q. ℞. *lentium, rosarum, palmularum, anà quod satis: coquantur in aqua vt supra, & fiat gargarisma.* Alia etiam fiunt ex aqua solani, plantaginis, caprifolij, & syrupo rosaceo: item ex succo cotoneorum, & mali granati cum aqua, vel cum aqua capitum rosarum,

A caprifolij, & plantaginis cum aceto. Aliud etiam non minoris momenti conficies gargarisma, q. ℞. *spinæ Aegyptiæ ʒ. 1. iridis ʒ. ß. glycyrrhizæ ʒ. ß. furfuris, frumenti p. 1. palmularum numero 6. coquantur, & inri adde mellis rosati quod satis.* Aliud conficies q. ℞. *diamoronis ℥. 1. & ß. mellis rosati, aquæ plantaginis, & caprifolij, anà ℥. 4. misce.* Valentiora item sunt quæ parantur ex succo corticum nucum viridium: est enim adeò validum medicamentum, quod vsui sat est eius modicum reliquis admiscere: penetrat enim non solùm superficiem, sed & altas illarum partium particulas. Componuntur quoque ex rubi fructu, ac punicorum generibus, pirorum, aut pomorum adstringentium, & ex pampinis vitis. Sed præ-

B ter has Galeni, & antiquorum compositiones, alias non minoris momenti vsus probauit, quarum meminisse, censeo proficuum esse. Dum modò hæc sit adhibendi eadem præsidia lex, & ratio, quòd initio refrigerantibus quæ lenia sint, & merè repellentibus vtamur, mox admisceamus quæ vim detergentem habent, posteà quæ resoluendi: tandem, si opus fuerit, suppurantia. De quorum auxiliorum vsu dubitatum fuit à Galeno, & veteribus, an liceat solis vti adstringentibus, vel solis extergentibus, aut discutientibus. Quippe grauissimum fuit Galeno, & Alexandro (licet ratione varietatis temporum aliquando liceat plus repellere, nonnunquam magis digerere, aut abstergere) solis vti adstringentibus: nam

C qui solis, vel adstringentibus, vel digerentibus anginam curare tentarunt, in graue suffocationis discrimen ægros duxerunt: quo fit, vt tutius sit semper ea admiscere: nam, vt Galen. visum est 6. localium, raro inuenitur affectio, quæ vno duntaxat medicamentorum genere indigeat, siue repulsorium sit, siue discussorium.

Verùm si dolor vrgentior sit, & exulceratas partes sentiamus, admiscere oportebit quæ lenire idonea existunt. Conficies quidem pharmacum primo vsui proficuum, *ex decoctionis rosarum siccarum ℥. 4. cum ℥. 2. diamoronis*: idem facies ex sorbis, cornis, moris rubr, & granatis acidis, decoctis cum ea sacchari quantitate, quæ medicamentum gustui gratissimum

D efficiat: quod in prædictarum partium affectionibus summopere est curandum. Idem facies ex succis eorum cum quarta sacchari, aut mellis parte, prout fluxus humoris calidior, aut crudior fuerit, quæ omnia dissoluere oportet decocto hordei, rosarum, plantaginis, aut myrtillorum. Sed reprimendo, & leniendo proficuum reperi id, q. ℞. *succi expressi ex ℥. 1. cassiæ fistulæ, decocti rosarum, aut plantaginis ℥. 2. aquæ è sorbis, aut mespilis destillatæ ℥. 4.* Præstat & id q. ℞. *medicamenti ex moris, aut corticibus nucum ℥. 1. aquæ hordei lib. 1. aquæ rosarum ℥. 4. aceti albi ℥. 1.* Benefaciet etiam aliud, q. ℞. *aquæ hordei lib. 2. in qua rhois ʒ. 4. decoquantur, cui adde aquæ myrtillorum lib. ß. medicamenti ex moris rubi, aut ex malis puni-*

E *cis ℥. 4. aceti albi ℥. 1.* interdum tamen ore diutiùs teneat laborans syrupum rosarum, violaceum, aut iujubinum. Quo etiam tempore, & eiusdem vsus gratia, parare oportet ea medicamenta, quæ ore diu tentata, & solidiori consistentia efformata sensim deglutiantur, velut est q. ℞. *diacodij ʒ. 2. pulueris hirundinis præparatæ ℈. 1. seminis coriandrorum præparatorum ʒ. 1. sacchari dissoluti in aqua rosarum quod sufficiat diamosci dulcis, aut pleris arcoticon ℈. 1.* à cuius medicamenti vsu gargarizare oportet eo, q. ℞. *hordei decorticati, & lentium, anà p. 1. plantaginis, & lactucæ, anà p. 1 fiat decoctum, cuius excipe lib. 1. diamoronis ℥. 2. syrupi rosarum, & oxisacchare, anà ℥. 1.* præstat alter gargarismus, q. ℞. *aquarum plantaginis, & rosarum, anà lib. ß. syrupi acetosi simpl. ℥. 1. rob de moris ℥. 1. misce.* Externis verò nulla lege repellentibus vtendum est.

Verùm

Verùm si morbus augeatur, neque repellentium vsu mitescat, quòd materia quæ fluit crassior sit, & frigidior, tunc quidem (nam in calida, & erysipelatosa, vel vbi sanguis plurimum abundat, cauendum est ab his) hæc repellentia adstrictione nimia admiscenda sunt his quæ resoluendi vim habent. Quapropter vtendum est gargarismate, q. ℞. chamæmeli p. 1. dactylorum, vuarum passarum, & fœnugræci, anà p. ß. ficuum numero 10. fiat decoctum, cuius, facta colatura, accipe ℥. 8. diamorrhonis, rhodomellis, & oxymellis, anà ℥. 1. Verùm, si alicui ex supradictis repellentibus addideris aliquid ex albo canis stercore, scito mirum in modum resoluere: quod pari lege facies cum hirundinum cinere, humano stercore, & alijs quæ copiosiùs Galen. annumerat 6. simplic. Præstat eundem vsum gargarisma, q. ℞. ficuum pinguium ℥. 3. hyssopi p. 1. passularum sine acinis ℥. ß. fiat decoctio, qua laborans colluatur: cui vero sicut & alijs admiscere oportet croci, aut myrrhæ tantùm, quantum in animo fuerit resoluere, à modico facto initio; sulphuris verò & nitri longè minus adijcies, quod Galen. aduertit. Sed mitioribus tutius est vti (nisi dum sæuitia mali valentiora expostulat) huius naturæ est, q. ℞. decoctum furfuris, caricarum, glycyrrhizæ, hyssopi, thymi, calaminthæ, pulegij in aqua mulsa ex hordeo: vel excipe vuarum passarum ℥. 1. palmularum, & caricarum, ac myxarum, anà numero 5. glycyrrhizæ ℥. 4. hyssopi ʒ. 3 coquantur secundùm artem in libris duabus aqua ad medietatem, cui facta colatura adijce mellis rosati ℥. 2. syrupi granatorum ℥. 1. oxymelitis ℥. ß. prodest & hydromel in quo inspersus fuerit puluis hirundinis combustæ, post colaturam exhibitum. Ex quibus varia est fingere poteris efficaciora, vel leuia, prout necessitas postulauerit.

Verùm si doloris vehementia nimis vrgeat, ac prædictis auxilijs cedere non videatur, lenientibus protinus vteris, quæ & dolorem sedent, & asperitatem compescant. Cuius naturæ lac est, & mucilago seminis eitoneorum, seminis lini, & althææ: præstat & furfuris, ac tritici cremor: item id q. ℞. glycyrrhizæ recenter rasæ, & conquassatæ ʒ. 3. mellis rosati ℥. 1. decoctionis, & expressionis hordei lib. 1. & ß. post coctionem iterum fiat colatura. Præstat & penidias lacte dissoluere: item ptisanæ succus, lac amygdalarum dulcium; vel seminum maiorum. Si verò iam abstersionis indicatio accesserit, quæ vel pituitam adhærescentem abradat, vel pus exsudans abluat, eo vteris q. ℞. hordei p. 2. lentium p. 1. rosarum p. ß. coquantur, & colaturæ adde sacchari q. s. aut syrupi glycyrrhizæ, vel quoduis horum addes his quæ nuper diximus lenientia esse.

Exterius verò eis vteris medicamentis, quæ, præter hoc quòd leniant, vim habeant humorem fluentem à partibus internis ad extimas trahere, reuellere, discutere, & vltimò coquere. Cuius naturæ est oleum calidum, vel chamæmelinum, anethinum, liliaceum, irinum, cum oleo amygdalarum dulcium, de semine cucurbitæ cum axungijs, dialthæa, & vnguento resumptiuo. Præstat etiam id, quod fit ex radicibus liliorum, & althææ, caricis pinguibus cum butyro, farina seminis lini, oleoque liliaceo: valet etiam inunctio ex œsypo, dialthæa, & butyro. Quem quoque vsum præstat cataplasma, quod fit ex seminibus althææ, maluarum, & lini cum cremore fœnugræci, & hordei, ac decocto chamæmeli, meliloti, & caricarum. Valet non minus cataplasma, q. ℞. farinæ fœnugræci, seminis lini, & chamæmeli, anà p. 1. pulueris vnius nidi hirundinis (dum modò terra diligenter separetur, quia vim habet repellendi, vel sat est stercus caninum adijcere, quod resoluendi vires habet) omnia simul decoquantur cum sapa, & adde olei anethi, & liliorum, anà ℥. 1. croci puluerizati ʒ. 1. & fiat cataplasma, vel hac lege facito: ℞. nidi hirundinis ℥. 3. sapæ ℥. 1. & ß. floris cassiæ ℥. 1. misce. Probantur etiam quæ parantur ex pane, lacte, & luteo ouorum, additis pulueribus rosatum, & chamæmeli: item aliud, q. ℞. dialthææ, & œsypi, anà ʒ. 2. nidi hirundinis ℥. 3. radicis iridis ʒ. ß. cum oleo liliorum fiat vnguentum. Præstat & aliud q. ℞. stercoris hirundinum ℥. 1. farinæ fabarum ℥. 2. olei chamæmeli, & liliorum ℥. 1. & ß. butyri recentis ℥. 2. fiat cataplasma. Præstat etiam emplastrum ex medulla cassiæ fistulæ cum oleo communi, vel chamæmelino, adiecta quantitate dialthææ, vel emplastri de mucilaginibus, seu meliloti: dissipat etiam cataplasma ex farina hordei, & succo apij, sicut caput viperæ collo filo laneo appensum. Quod si resolutione maiori vti velis, ad mel anacardinum deuenies, & cum eo admiscere oportet resoluentium aliquid. Quibus omnibus cataplasmatis addere poteris gallinarum stercoris, vel farinæ fabarum furfurum modicum. At si constiterit inflammationem augeri, & accidentia non mitigari, curandum est iuxta indigentiam, & indicationem temporum ipsius cataplasmata adhibere. Sic etenim augescente inflammatione ab eo cataplasmate incipies, q. ℞. rosarum rub. p. 2. chamæmeli, meliloti, anà ℥. ß. semperuiui, cucurbitæ, parietariæ, lactucæ, anà manip. 1. corticis mali punici, rhu. anà ℥. ß. farinæ hordei p. 2. ex aqua coquantur omnia ad cataplasmatis spissitudinem. At cum in statu fuerit, eo vteris q. ℞. lapati, parietariæ, chamæmeli, meliloti, anà manip. ß. rosarum p. 1. palmularum numero 10. farinæ hordei p. 2. contusa decoquantur in aqua ad spissitudinem. Morbo autem eunte in declinationem, eo vteris q. ℞. althææ, maluæ, anà m. 1. florum chamæmeli, meliloti, & rosarum, anà p. 1. radicis liliorum alborum, & althææ, anà ℥. 1. seminis lini, & fœnugræci, anà ʒ. ß. ficus pingues numero 10. furfurum, & farinæ triticeæ p. 2. contusa decoquantur in aqua ad crassitiem, deinde adde olei chamæmeli, & adipis gallii, anà ℥. 1. & ß. quibus omnibus si nihil resoluatur, aut imminuatur, suppurationem quoque molieris.

Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, sed suffocationis magnum instet periculum, maximè cùm rupto abscessu in pulmonem, & corpus irruere veremur, repetenda iterum est venæ sectio sub lingua, aut cucurbita magna in occipitio, sub mento, aut in maxillis: vel si fluxio adhuc perstat in futura coronaria. Quo tempore gargarismate vteris acriore, velut si in oxymelite incoxeris pulegium, hyssopum, origanum, radices gentianæ, vel cucumeris agrestis, aut semen sinapis conquassatum cum aceto: vel si suffocatio nimis vrgeat, lingua depressa guttur scalpello, aut acuto penicillo scindatur, vt sanies prono capite effluat. Quòd si tumor conspicuus non sit, spongiæ quantitatem ad magnitudinem auellanæ filo appende, & ægrum deuorare iube: intumescit enim spongia, & dum vi extrahitur, tumor abrumpitur: cuius loco carnis assæ portiunculam filo etiam appende, & idem facito. Quibusdam placet locum scarificare sub maxillis, sub mento, & collo: alijs etiam, custoditis semper neruis, & arterijs, collum extrinsecus perforare è regione partis dolentis, ac si sua sponte sanies non effluat, cucurbitis facilè extrahes, & posteà ex nido hirundinum in aqua decocto, aut oleo communi, chamæmelino, aut liliaceo emplastrum confice, & parti adhibe, vel lanam succidam infuscatam aliquo ex prædictis succis, quibus materia facilè exteriùs euocetur: sed præsidia hæc maioris momenti prudenter facito, non eadem die, & inordinatè, ac tumultuosè. Multi insuper venas tundunt quæ in ceruice sunt è Hippoc. lib. 3. de morbis, eas quæ sub mammis: Archigenes, & Asclepiades venam frontis: tutius tamē est, vt Celius Aurelianus in Hipp. taxat, eas quæ sub lingua sunt aperire.

Sed in ea angina quæ ex caliginoso aere fit, purissimi aeris inspiratio medela est: in ea verò quæ ex vertebra colli intro luxata prodit, vulgare est remedium cucurbitæ parti affixæ: veterum id damnauerat Hippocr. lib. de articulis: nam visum est maiorem efficere luxationem: quapropter digitis comprimere per partem anteriorem iuxta latera arteriæ asperæ, vertebram illam & extra pellere necessum est, atque hæc mihi de hac re sufficere videntur.

CAPVT III.

De tussi.

CVm ea quæ à capite defluunt (vel vbicumque sint) vias pulmonis ingressa exasperant, & inæqualem earum superficiem vitiant, aut aeris ingressui, & egressui officiunt, vel facultatem sensu acri, mordaci, & doloroso afficiunt, tussis proculdubiò excitatur. In cuius affectionis enodatione, multa profectò difficilia, & magni momenti sese offerunt expendenda: primum quidem, qualis naturæ symptoma sit tussis: secundum, quos morbos sequatur: tertium cuiusnam partis proprium symptoma existat: tandem à quibus causis concitetur, & signis internosci possit: ac vltimo qua via & ratione commodiùs curari expostulet. Circa primum sciendum est, tussim à Galeno diffiniri per efflationem, in qua cum plurimo spiritu celerrimè ex thorace erumpente, conatur natura noxam illam ex pectore trudere. Sic enim. 2. de causis sympt. cap. 4. Galen. statuit, eam nihil aliud esse, nisi vehementissimam efflationem, quã natura molitur, vt plurimus spiritus celerrimè erumpens exturbet ea quæ insident eius itineribus. Quippe natura sagax, præter id quòd asperam arteriam, & eius veluti ramos ex substantia cartilaginea composuit, veluti quibusdam annulis interstinctam, vt patentior semper seruaretur meatus, leui etiam illã quasi subliniuit membrana planissima, vt facillime præterlaberetur spiritus, neque vlla inæqualitate asperitateue ex allisione impediretur. Vnde cùm aliquid accidit, siue ab interna, siue ab externa occasione id euenerit, quod aliquam asperitatem, & inæqualitatem meatibus arteriarum asperarum inducere possit, spiritus eminentes partes offendens, illisq; illidens, concutit & quasi contundit eas, siue in faucibus & gutture, siue in asperis arterijs sit inducta asperitas, qua tussis concitatur. Ex quibus constat, symptoma esse ad vitiosum attinens motum, qui profectò eatenus vitiosus est, quatenus causam præter naturam habet adiunctam: aliàs esset naturali similis. Cui vsui in memoriã reuocare oportet, vt Galen. docet. 2. de causis sympt. symptomata quædam prorsus à morbo prouenire, vt dolor, abolitus motus, & vox deprauata: quædam morbum velut occasionem habent, causam verò naturam, quæ à morbosa illa causa violenter mouen cogitur, velut in singultu, sternutamento, & tussi accidere cernimus; alia verò medio quodam modo se habent, velut tremor. Quapropter videtur constare, tussim symptoma esse ex morbo & facultate simul factum; differt tamen natura à reliquis eius motibus, dum tussim efficit, instrumento, facultate, & excernendi modo; facultate, quia voluntaria est ea quæ tussim molitur; instrumentis, quia per musculos fit; & per vias quæ coarctari, & comprimi minimè patiuntur; nam expulsiones quæ naturali potentia fiunt, ipsa sese comprimente, ac veluti exprimente à se quod sibi est molestum, operatur. At animalis potentia in tussi, tantum abest vt instrumenta comprimat, quòd ob id ea cartilaginea, & dura (vt semper patula sint) fabrefecerit, cùm potiùs expellere teneatur aperto existente foramine & itinere, quàm per compressionem; tanto enim magis in re-

A spirationis canalibus, vt aperta sint, prouidens, quanto eius in eorum occlusione præceps est, & repentinum vitæ discrimen. Mirabile quidem inuentum est, & naturæ artificium, quo vasa hæc singulariter muniuit, principio constituens ea maiori parte cartilaginea, neque enim tota poterat ob distensionis contractionisque varietatem, sciens cartilagines in se conniuere concidereque non posse. Alterum etiam subsidium ex innata comparauit doctrina, tussim docens animalia, cuius ratione respirationis musculos pulmoni connexuit, vt quàm primùm in pulmone vndique noxa sentiretur, contractis pectoris & septi musculis, celerimè multus aer, & confertim per asperam emissus, expurgaret quidB quid noxium in ea vasa incideret; sic profectò differt modo excernendi; nam animalis potentia vehementissima quadam efflatione, vi & impetu pellit, naturalis vero compressione.

Secundum, quod dignum etiam maiori diligentia esse diximus, est, à quonam morbi genere, si symptoma est, proficiscatur; quippe cùm id vnum non sit, sed varium expendisse etiam oportebit, quodnam eorum sequatur. Primum enim & frequentissimum est, arteriarum pulmonis obstructio, puluere, vel quouis alio corpusculo facta; ac si id, quod in eam partem influit, mordicet quoque & exedat, duplex iam succrescit morbi genus; alterum ad morbum in via, & reliquum ad vnitatem solutam attinens. Quòd si C aliquando in prædictas arterias aliquid incidisse constet, & tussim non mouere, vt quotidiano experimento comperimus, id proculdubiò tria faciunt; primum, quòd non confluit confertim; secundum, quòd parum sit & meatum non vitiet; tertium verò, quòd lateri arteriæ fixiùs adhæreat. Quo fit, vt bibentibus nobis, si gutta in asperam arteriam irruat, tussim moueat, & in asthmate, thorax excrementis scatens, minimè tussim excitet. Solet insuper ipsam excitare intemperamentum inæquale, idque duobus modis; vel facta asperitate in prædictis vijs pulmonis, vel solùm ex distemperie, quæ irritet ac mordeat; si primum, efficit veram tussim, quia viæ pulmonis exasperatæ animal irritant ad pulsum nocui, licèt tussis fiat sicca; si verò secundum, non erit vera tussis, sed tussiendi cupiditas; quo D tempore morbum ad musculos attinere est credendum, in quibus sola viget distemperies, quæ ob frigiditatem mordet & irritat ad expellendum. Quippe cùm noxam inferat thoraci, natura gliscit ad eam expellendam, quo tempore potius eam tussiendi cupiditatem, quàm veram tussim, dixeris, quam Galen. chernon appellat. Fitque id tussiendi genus refrigeratis spiritus instrumentis, vt. 2. de causis symptomat. & 5. method. & 4. de locis affectis Galen. recenset. Fiat ne etiam hoc tussiendi genus ex calida causa, sicut ex frigida, non est præsentis considerationis enodare, ni velis dicere, calidas intemperantias maioE rem accersire mordacitatem. Tertium verò morbi genus asperitas est, quæ ex siccitate ortum habere potest; fit quidem aliquando in summo gutture solùm, aliquando in tota arteria ex causis quæ bronchium efficiunt; fit & ex asperis corpusculis cum aere subingressis, quo tempore ad obstructionem reduces, sicut asperitatem ad qualitatem mutatam; quòd si ad figuræ vitia reduxeris, non omnino errabis; nam prædictæ partes in superficie lenitatem obtinere tenentur, & sic cùm exasperantur, in asperitudinem illam impingitur spiritus, & tussim concitat; atque hi sunt morbi quibus tussis excitatur in vniuersum, nunc ab vno, nunc verò ab alio, & sæpe ab omnibus.

Tertium, quod proposuimus disceptãdum, est, quæ sit particula cui tussis primò & per se attineat; ac ne longiùs in hac re abeam, sciẽdum est, tussim duplicis

esse

esse naturæ, vt latiùs mox sum probaturus: alteram veram genuinam, & animalibus instrumentis propriã: reliquam verò spuriam, & illegitimam, & quæ potiùs naturalibus potentijs, & instrumentis accedit, quam Galen. appellat leuem tussim, seu tussiendi desideriũ. Hanc enim statuit Galen. solis musculis thoracis propriam esse: in cuius concitatione opus non est aliquid esse præter naturam in vijs respirationi seruientibus; sed sat est musculos prædictos, vel inæquali frigiditate affici, vel aliquo modo molestari, ita vt naturalis eorum potentia nitatur molesta expellere, vt in rigore, in quo sanè motu prædicta apparet tussiendi cupiditas, & veluti conatus ad violentum motum, quem voluntariè mouet animal in vera tussi, licet motus in ea voluntarius non sit, etiam si ob id videatur tussi simillima actio, differt tamen eo modo quem nuper diximus. Neque eo inficias aliam esse tussis siccæ, & nó genuinæ sortem: nimirum ex spiritalium perfrigeratione, asperæ videlicet arteriæ, pulmonis, & intimæ thoracis tunicæ: verùm eam arbitror ad asperitatem earundem partium reducendam potiùs fore, quàm ad aliam causam. Quòd si asperitatem non moliatur, verè erit spuria, quia solùm partes à naturali potẽtia mouentur vt in rigore, quantumuis dictum sit spuriam solis musculis thoracis accidere. Quapropter statuendum est leuem illam tussim musculis attinere, at reliquis partibus spiritui seruientibus, non quidẽ quatenus instrumenta sunt spiritalia, & voluntati seruientia (quia tunc, si asperitate afficiantur à prædicta intẽperie, vera tussis excitatur) sed vt partes naturales, & vegetatiuis potentijs subditæ, quibus sat est quoduis irritamentum ad expellendum quod sibi est molestum. At veram, & genuinam tussim accidere testis est Galen. 4. de locis, cum pulmo læditur, vt via est spiritui: nam licet certum sit spirituum instrumentis accidere, proculdubiò vera tussis nequaquam excitabitur, nisi dum ex vijs huic ministerio seruientibus aliqua oblæditur: cui sanè thoracis musculi subseruiunt ad pellendam noxam in via immorantem. Sic neque in pleuritide, neque in difficili respiratione tussis succrescit, donec pulmonis aliquod vas, aut fauces, vel aspera arteria oblædatur. Qua in re sciendum est, motum qui in tussi reperitur, non fieri à parte affecta, sed ad aliam partem attinere, nimirum ad musculos thoracis, cùm vitium insit in spirituum canalibus. Itaque vera tussis ex vehemẽtia motus musculorum thoracis prodit, cæterùm in subsidium viarum spirituũ, quo minus pereat animal; at spuria citra vitium viarum spiritus accidere potest, musculis affectis, vt dictum est, aut ipsis canalibus, vno ex assignatis modis: nam alterũ ad veram tussim attinet. Expendendum tamen est quòd in vera tussi symptoma, hoc est vehementissima efflatio, propria est musculorum affectio, seu actio si mauis: morbus verò est solùm viarum pulmonis: at in sicca tussi, & quæ spuria est, morbus ad prædictos musculos attinet, utpote qui intemperie afficiuntur, symptoma verò ad asperam arteriam, quia perperam spiritum emittit.

Causæ.

Qui causas huius affectus curiosiùs scrutari velit, proculdubio reperiet, præter genera morborum quæ diximus, assistere, vel defluxum à capite, copia, aut vitio humoris lædentem, vel aliquid quod præter naturam incidat aeris, pulueris, vel fumi: succrescit, & ex tuberculo intrinsecus in arteria adhærescente, vel extrinsecus comprimente. Sic & ex intemperie, externa quidem ab his quæ refrigerant, & exasperant, siccant & extergunt natiuam humiditatem, & ex cibis, ac potibus, vt ex Hippocr. constat 6. popul. par. 2. cuiusmodi sunt præter refrigerantia, acerba, austera, mordentia, & acria, ac incidentia, vt acetum. Intrinsecus verò ab omni intemperantia inter actiuas qualitates, frigida præsertim: nam humida ob inæqualitatem, tussim excitare nata est, sicca verò ob asperitatem: de ca- A lida verò licet Galen. 6. popul. par. 2. 24. id videatur asserere, non ita euidenter probari potest, nisi interuentu siccitatis, quantumuis Paulus ex calore posse prouenire etiam statuat. Itaque causas omnes tussis facilè reduces ad quinque tantùm: nimirum ad humorẽ à capite fluentem, secundò ad collectum in aspera arteria, vt in pleuritide, & peripneumonia: tertiò ad cõpressionem septi transuersi: quartò ad asperitatem faucium: quintò verò & vltimò, ad inæqualem intemperiem instrumentorum respirationi seruientium, dũ inæqualitatem, seu asperitatem concitat. Nec deest sexta causa, nimirum lumbricorum prouentus: nam licet hi spiritalia non adeant instrumenta, ex halitu putrilaginoso ab eis elato, & prædictas partes ferien- B te, optimè succrescere potest tussis sicca, & molesta; quantumuis Galen. 6. popul. parte 2. comment. 24. statuat non posse experimento, aut ratione probari, ex lumbricis tussim fieri, cùm lege statuta, facillimum sit creditu.

Causæ eiusq; differentiæ tussis.

Licet apud Neotericos reperiantur plures tussis differentiæ, placuit solùm Celsi, Galeni, & priscorum diuisionem sequi, qua diuidunt tussim in siccam, & humidam: meminit autem siccæ Hippocr. libro 1. de morbis vulg. par. 1. tex. 12. & lib. 3. aphorismorum dicens: Erant autem aliquibus tusses siccæ, in quibus nihil excernebatur: alterius autem meminerat 1. sect. aphorism. 12. dicens: Quòd si statim sputum appareat, morbum breuiat: quibus tertiam addere licet, C quam refert idem Hippocr. 6. popu. par. 1. text. 24. dicens: Et infestabant plerosque tusses ferinæ, ferinam appellans tussim pestilentem, quam nobis clarioris doctrinæ gratia, placet ad humidam referre. Fit itaque humida tussis ex his causis, quæ inæqualem vtcũque reddere possunt asperam pulmonis arteriam, vel quamuis ex vijs respirationi seruiẽtibus redditur quidem inæqualis via irrigata humore aliquo defluente à capite, aut aliundè transmisso, vel ibidem præter naturam congesto. Siccam verò tussim duobus modis considerare licet: vno quatenus nihil excernitur ob eius ineptitudinem: alio verò quatenus nihil in via est, quod excerni possit. Primo enim modo, tussim efficiunt fumus, aer, vel humorum summa cruditas, D quæ humores sortiatur nimis tenues, vel crassiores iusto: illos quòd aer discindat, & permeet: hos verò quòd separare à locis vbi sunt, aut dimouere non possit: quam etiam præter id quòd siccam esse scimus, vehementissimam quoque experimur. Eam verò tussim in qua nihil excernitur, quòd nihil sit quod excerni possit, fieri tantùm à perfrigeratione, vel æstu à circumfuso aere mordente, & ab omni inæquali intemperie, certissimum est. Qua igitur in re sciendum erit ex distemperie molestari plurimùm naturam, atque sic tussim mouere, naturali ipsa potentia lacessita ad expellendum quod sibi nocet: hique eo tempore illa tussis species, quæ cherion appellatur, hoc est cupiditas, & desiderium tussiendi, haud secus quàm in vo- E mitu, quem præcedit nausea.

Signa verò quæ defluxum obstruentem spirituum vias ostendunt, sunt vehementissima tussis, & perseuerans impetuosè: quibus accedunt alia signa ex palato, naribus, faucibus, oculis, aut toto capite. Si verò ab intemperie prodeat frigida, quæ sæpius fit hyeme, tussim leuiter irritantem, quæ tacendo cessat, cohibito spiritu, & calido domicilio, subortam compescies. Quòd si à puluere, fumo, vel quauis alia causa externa fiat, ex ipsius laborantis relatione disces. Verùm cùm tussis sit in duplici differentia: altera humida, quam ex his quæ excernuntur distingues, si salsum sit, si amarum, si acidum, si erodens, aut alterius deterrimæ conditionis: altera verò sicca, quam tribus ex causis oriri fassus est Galen. 4. aphorism. 54. nempe ab intemperie instrumentorum spiritus, aut ex faucium asperitudine, vel aliquo tenui, & pauco humore

destillante, vel nimis viscido crasso & adhærente. Primum dignosces ex tussis leuitate, & ex his quæ præcesserunt: secundum ex asperitatis vlcerisue sensu; tertium verò, ex eo quòd aliquid excernatur tenue aut quàm minimum, vel crassum & diutina tussi excretum.

Præsagiũ. Præsagium verò cùm multiplex sit, incertum profectò est: quippe in pueris, & senibus tussis periculo non caret: in his quòd non maturetur, in illis verò quòd in grauiores affectus facilè commigret. Præterea tale etiã futurum damnum; qualis natura humoris qui fluit, aut pars in quam humor prolabatur: tussis item grauidis admodum est difficilis; cum febre periculo non vacat; reliqua verò ex capite de catharro venaberis.

Curandi ratio. Qui tussim curaturus est, tria necessariò considerare tenetur: primum, qualis efficaciæ & periculi sit symptoma ipsum, hoc est tussis: nam sæpe vertit ad se omne curantis consilium: secundum, morbi viarum respirationis naturam: tertium verò qualis naturæ & conditionis sit causa quæ morbum ipsum excitat: nam iuxta hæc tria curationem ipsam instituere oportebit. Sic etenim circa primum considerare oportet, consimilem huiusmodi affectum exposcere curandi viam & rationem, ac dolores & reliqua symptomata, quæ non rarò vniuersam curationem sibi adsciscunt, posthabita omnino eorum causa: nonnunquam verò à causa initium curationis auspicari iubent, si mites sint. Sic etenim vniuersa curandi ratio, dum symptoma omnem sibi atrogat curationem (vt sæpe in infantibus & grauidis fœminis nobis vsu venit, ne hæ abortum patiantur, pueri verò rupturam, vel vtrisque capitis repletiones aut vasorum apertiones succrescant) sita est in cognitione modi quo natura mouet tussim, vt iuxta ipsum compescatur. Id quidem fit asperitate aliqua media in vijs pulmonis, quæ animal irritet ad eius expulsionem. Quo fit, vt via mitigandi tussim duplex tantùm in genere existat: vna quæ asperitatem leniat, leuigetque quod inæquale in spirituum vijs existit: altera verò quæ sensus acrimoniam retundat, facultatemque quodammodo sopitam reddat, quo minus læsionem persentiscat: hæc quidem auxilia appellarunt antiqui paregorica, seu lenientia, quæ æqualitate partium & lenitate leuigant partes spiritui seruientes. Sunt autem huius naturæ ptisana, chondrus, amylum, lactis omne genus, butyrum ex lacte, vel ex amygdalarum expressione, oleum amygdalarum dulcium; mucilagines cotoneorum, psyllij; tragacantha, & deniq; omnia quæ huius naturæ existunt. Somnum verò conciliant, & sensum obtundunt syrupus violaceus, nenupharum, & papaueris: item ea omnia pharmaca, quæ opiata vtcumque sint.

Quatenus verò ad secundam considerationem attinet, quæ docet causas rimari, considerandum est, sitne tuberculum aliquod, vel phyma crudum prædictis locis adnascens: sitne puluis, fumus, caliginosus aer; aut aliquid extrinsecus accedens, nam eorũ quoque habenda est prouidentia. Quippe aerem inspirare liberum oportet, sicut dum frigida distemperies viget, respirationem cohibere, & calorificis tegumentis corpus fouere: & pari ratione dum puluis causam præstiterit, abluere asperam arteriam oportet aqua tepida, vel mulsa aut mucilaginibus, & his quæ resiccatam arteriam & exasperatam leuigare habent. Verùm si tussi causam præstiterit inæqualitas & asperitas viarum respirationis, ab humore ibidem præter naturam immorante (præter vlcus, quod ad phthisis curationem attinet) considerandum tunc est, an ab instrumentis respirationi seruientibus in prædictos canales transmittatur pus, vel pituita, aut humor aliquis: nam eo tempore tussim compescere per diuertentia & expurgantia medicamenta est perdifficile

A (verùm suis locis instituam quomodo id euacuari debeat, vt in pleuritide, peripneumonia, & asthmate plerumque contingit) vel rursus an à toto corpore in caput mittatur aliquis vitiosum succorum, aut ab ipso capite per palatum, os & fauces defluat in asperã pulmonis arteriam, & in reliquos ipsius pulmonis canales. Quo tempore duplex extat medendi ratio: quarum altera humorem, cuiusuis naturæ sit, vel aliò transferre, vel per aliam regionẽ euacuare necessum est, quod primo loco in hac curatione exequendum venit: altera verò est, humores ipsos & vias respirationis, ad faciliorem eius eductionem, per tussim euacuare atque disponere. Sic enim si humor, qui fluit à corpore, vel à capite, acris sit, mordax, tenuis, calidus & qui exulcerationem minetur (maximè si febriculam

B sibi adiunctam obtinuerit) curandũ est protinus sanguinem detrahere, non quidem copiosè, sed per interualla & parcè, ab ea tamen parte, quæ cum principio & origine fluxionis consortium aut colligantiam habeat. Nam si caput calidum fuerit, ex cephalica sanguinem mittes: vel si iecur sanguinem vsserit, genueritque, aut calidum cum sit, pituitam è capite (ob eius frigidum intemperamentum ibi genitam) defluere cogit; quo tempore licèt caput frigidum sit, & crudis succis plenum, cassia & temperatis pharmacis purgabis, non calidis & capitalibus: nam satius est, causam mouentem fluxus, videlicet calorem aut bilem iecoris compescere ac frænare, quàm excitare calidioribus medicamentis: quia maior eo tempore conciraretur

C fluxio; sicut sedata excitante causa, plerumque fluxiones cessasse comperimus. Quo tempore eiusdem occasionis gratia à basilica dextri lateris, vel saluatella eiusdem partis sanguinem mittes. Verùm si vniuersum corpus eodem calido intemperamento affectũ, fuliginosos aut acres reddiderit succos, ex communi vena & copiosius sanguinem fundes: sicut si ex hæmorrhoidum, aut mensium suppressione, ex talo, non semel sed bis, præsertim si reuocandi menses fuerit animus. Quòd si sanguinosus fuerit humor, non omnino desistes à sanguinis detractione, sed parciorem facito.

In sicca verò tussi, quæ à distemperie, puluere, fumo, aut paucissimo humore non fit, sed à tenui vel

D crasso madis, dubitatum est à Medicis doctissimis, an liceat, ea ratione sanguinem mittere. In qua re statuendum est, mittendum esse, si febrem accersat, si intra venas sit mordens, vitiosusue humor, si iecur sit calfactum, halitumque aut tenuem saniem in asperam arteriam fundat: si iecur in tumorem eleuetur, & ob id ipsum concitet: si à capite tenue quid & mordax profluerit: si testes afficiantur, & ob id tussis fiat sicca; nam his venam tali incidere iusserat Hipp. 4. pop. tex. vlt.

At si materia frigida fuerit, siue tenuis fluxilisq; pituita, siue crassa, & tussis non sicca, fugiendum omnino est à sanguinis detractione. Cæterùm curandum est, in eo & reliquis succis, quorum occasione sanguis

E missus fuit, cucurbitulis, ligaturis, frictionibus, clysmatis acrioribus materiam aliò transferre & diuertere ab affecto loco quantum possibile fuerit. In omnibus tamen diligenter studebis purgantibus medicamentis vti, quæ è directo humori peccanti ex vsu sint, ea lege quam adduximus præcedenti capite; dũ modò in tussi lenta, per vices & interualla ac mitioribus medicamentis, vel saltem his quæ refractas quodammodo habeant vires, id facias, ne maior acrioribus concitetur fluxio. In frigidis verò tenuibus, nulla præmissa præparatione, frequentiùs purgabis: at in crassis diutiùs præparabis, & seriùs purgantibus vteris. Quòd si his, vt statutum est, factis, accessionem non quiescere comperiamus, credibile est, vel caput iam illius intemperamenti habitum contraxisse, vel in vniuerso genere venoso, & capite plurimum abundare

cru-

crudos succos, ex vigilia, labore, aut externa occasione genitos, quibus necessum est peculiariter prouidere, his quidem, qui in toto ambitu sunt, & in capite, per sudationes ex sarsa parilla, aut radice Chinæ, vel, si morbi Gallici suspicio sit, ligni guaiaci, quod fore magni momenti proculdubio arbitror: sicut si ex capite fluxio prolabatur, fontanellam in altero, aut vtroque brachio aperire, quod præsidium radicitus solet caussam, & morbum deuastare. Secunda tamen consideratio, quam circa prædictos succos proficuam esse diximus, docet eosdem, & vias paratiores ad expulsionem per tussim reddere. Præparantur quidem humores expulsioni (vt paulò inferiùs in tertia consideratione latiùs sum monstraturus) vno è tribus modis: per coctionem nimirum, per reductionem ad mediocritatem; & si illud fieri mali vrgentia non permiserit, vias ipsas leniendo reddendo mulcebres. Sed coquuntur humores si crudi sint, frigidi, & crassi, calidis potibus, & sirapijs, vt melle rosaceo: & si crassi etiam sint, ac viscidi, oxymelite simplici, syrupo capillorum veneris, de liquiritia, de hyssopo, & similibus. Verùm si tenues existant, acres, & mordaces, nulla alia lege faciliùs concoques, quàm retusa, & attemperata eius praua qualitate, vt capite præcedenti abundè monstrauimus. In qua re maiori diligentia studebis prædictorum succorum fluxionem compescere: nam aliter occultè, & sensim tabem fabrefaciunt. Quæcunque enim destillationes a capite tussiculosos C & raucos homines reddunt, nisi tempore conquieuerint, difficilem faciunt tabis speciem, vt Hippocr. dixerat. Sic enim ex vsu est syrupus violaceus cum rosaceo, mucagines psyllij, & cidoneorum cum sacchаro, & aqua rosacea, dilutum amyli, syrupus papaueris, & portulacæ cum decocto papaueris, rosarum siccarum, & hordei: præstat & ipsius hordei cremor cum sacchаro: prodest omnis confectio ex diatragacantho, & medicamentum q. ℞. *mucaginis tragacanthi in aqua rosarum ʒ. 6. incorporetur in succo glycyrrhizæ*, & si vrgeat vigilia, aut ingens tussis, *adde pilularum de cynoglosso ʒ. 2. & infunde hordei aquam, quantum sit satis, vt cum sacchаro syrupum conficias.* Præparatis humoribus, & vijs, his quæ nuper diximus, per inter- D ualla humorem superuacuum purgabis, quo natura faciliùs per tussim quod superest expellat.

Tertia verò & vltima consideratio, quam diximus versari circa morbum in vijs pulmonis tussim concitantem (quem inter alios dixit Galen. lib. 2. simp. capite 17. esse asperitatem in tunica arteriæ ob resiccationem, aut inæqualitatem eius à corpore aliquo ibidem præter naturam contento, siue id sit ex humore crasso, siue tenui) docet resiccata, exasperata ve lenire, & humectare, ac humores expulsioni aptos reddere, & vias huic muneri disponere, quo faciliùs educantur, & minori thoracis impetu. Quibus sanè muneribus duorum generum medicamenta adinuenit ars medica: quorum alterum arteriacum: & reliquum E peculiari officio dicatum, bechicum, seu tussiculare dictum: hoc quidem quod sopitam naturam, aut imbecillam ad expurgandum per tussim excitat, & lacessit: licet Galen. etiam tussim lenire referat 5. simpl. cap. 19. illud verò, quod præparat, expulsioniq; reddit aptum, quidquid tussi reijcere natura studuerit, præterquã quòd & vias simul disponit: id verò quod tussiculare dicitur, licet alijs thoracis, & pulmonis affectibus proficuum existat, dum mordax est, vt acetum, vel oleum vetus, tussi quidem aduersum omnino est, quia maiorem, & citatiorem concitat motũ, vt ex Galen. constat 5. simpl. 19. sed causam citius pellit, & vehementiùs. Cæterùm id quod arteriacum dicitur, cùm multiforme existat, iuxta varias asperæ arteriæ affectiones, quibus tussire contingit, ob id maioris est momenti, & vsus: quippe ex his, quædam sunt quæ resiccata leniunt: alia exasperata leuigant: nonA nulla leuigata persanant: item quædam fluxionem cohibent, alia dolorem sedant, aut inflammationibus prosunt: quædam partem eluendo persanant, vel humiditatem resiccant: adstringunt item alia, ac sanguinis fluxum compescunt. Quæ sanè munia licet arteriaca medicamenta præstent, hac in parte ea tantùm prodesse comperimus, quæ siccitatem, asperitatemve, aut inæqualitatem ab humore inductam, leuigant: nam de ea tussi quæ ab vlcere, pure, & tumore prodit, capite de phthisi scripturus sum. Quapropter cõsiderare oportet in humore asperitatem, & tussim molliente, qualis naturæ, & conditionis sit, & quale damnum inferat, & rursus an oporteat vias etiam aliquo modo disponere, quo facilior fiat materiæ exaspe- B rantis eductio. Quæ omnia exequeris, si anteà fluxum compescueris, aut aliò transtuleris, quod primo loco esse exequendum docuimus. Quo facto, si constiterit, tussim proficisci ab asperitate ob tunicæ arteriæ resiccationem; tunc certè ex vsu erunt medicamenta simillima ei quod scripsit Galen. 6. simpl. fit autem decocto buglossi ex aqua mulsa: maximè saccharata: sed prodest cum eadem aqua, aut hordei decocto, syrupus violaceus, vel de iuiubis: item diatragacanthum; saccharum violaceum, & penidiæ: prosunt & mucagines psyllij, & seminis citoneorum cum saccharo, aut syrupo violaceo: item radicis glycyrrhizæ cum aqua hordei, aut decoctum iuiubarum, prunorum, hordei, & radicis borraginis cum lotura amyli, C vel lacte amygdalarum dulcium. Verùm si asperitas, aut inæqualitas prodeat à tenui, calido, mordente, vel salso humore (quod intelliges ex oculorum, & faciei rubore, titillatione, aut mordicatione gutturis, ac ex oris percepto sapore) tunc quidem eis vteris, quæ præter id quod fluxum aliquo modo coerceant, refrigerent etiam, ac mulcebres reddant succos, oblimentque asperam arteriam. Huius conditionis primo accessu præstabis aquam hordei cum syrupo violarum, nenupharis, portulacæ, papaueris, cum mucagine psyllij, & seminis citoneorum: vel decoctum papaueris, vel hordei cum sacchаro. Vlteriùs tamen præstabis amylum, mucaginem gummi tragacanthi, & gum- D mi Arabici cum aqua rosarum, & succo iuiubarum, aut prunorum, quibus ad putilaginem coctis, & percolatis, admisce sacchari, aut mellis quantum sat sit, vt noua coctione ad spissitudinem ducantur. Prodest decoctum, q. ℞. *hordei ab exteriori cortice mundi p. 1. seminis melonis, & citruli, anà ʒ. 1. & ß. liquiritiæ ʒ. 1 iuiubarum, numero 4. prunorum, numero 6. fiat decoctio secundùm artem, & coletur, & colaturæ ℥. 16. adde syrupi papaueris, & violarum, anà ℥. 2. & tepidum præbeto.* Confert electuarium, q. ℞. *diatragacanthi frigidi ʒ. 1. & ß. puluerîs diapenidion sine speciebus ʒ. 1. seminis papaueris ℈. ß. conseruæ violarum ʒ. 3. misceantur, & fiat electuarium.* Magni etiam est momenti looch, q. ℞. *mucilaginis althææ, & psyllij, anà ℥. ß. amygda* E *larum dulcium mundatarum, pinearum, anà ʒ. 3. penidiarum, candi, amyli, anà ʒ. 2. puluerîs liquiritiæ ℈. 1. gummi Arabici, & succi eiusdem liquiritiæ, anà ʒ. ß. quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum, anà ℈. 2. seminis papaueris, lactucæ, anà ℈. 4. seminum citoneorum, & bombacis mundatorum, anà ℈. 1. cum syrupo violarum fiat in modum loch.* Sed condensat tenuem, & mulcebrem reddit acrem, & fluxilem humorem syrupus, q. ℞. *radicis buglossi ℥. 1. iuiubarum, numero 20. quatuor seminum frigidorum maiorum, & seminis maluarum, anà ʒ. 2. seminis papaueris albi ℥. ß. florum violarum, & buglossi, anà p. 1. fiat decoctio in aqua hordei mundi, & in lib. 1. & ß. dissolue sacchari quod sit satis vt fiat syrupus.* Inspissat etiam humorẽ semen papaueris albi cum pari sacchari portione, vbi per interualla sumatur cochleare j. maximè iuxta sõnum. Eundem vsum præstat id, q. ℞. *mucaginis gummi tragacanthi extractæ in aqua rosarum ʒ. 6. incorpo-*

rentur-

ventur in succo glycyrrhizæ pondere ℥.1.& ß. Præterea si vigilia vrgeat, misce prædictis ʒ.pilularum de cynoglosso ʒ.1.& infunde aliquid syrupi papaueris. Prosunt & prædictæ pilulæ ore detentæ ℈.1.pondere: vel dissoluantur prædictæ pilulæ in syrupo de rosis siccis, & violarũ, & capiat laborans cochleare vnum, dum it dormitum. Quòd si siccior sit tussis, & irritamentum validum, prodest cremor hordei cum multo sacchato: prodest & diacodion, nec non & philonii ℈.1. tertia quaque nocte. Externùs tamen partem illinire oportet vnguento, q. ℞.olei sesamini, & amygdalarum dulcium, anà ℥.ß.butyri recentis ʒ.3.abluantur in lacte mulieris, & cũ modica cera alba fiat vnguentum, quod iterum eodem lacte lauare poteris. In hac tamen causa vtendum est frequentiùs his quæ dilutiora sint, & abluendi vires habeant, potiùs quàm siccis, & solidis.

At in causa frigida, siue crassa, siue tenuis, & fluida sit, primò curabis, nullo facto sanguinis dispendio (ne ad expulsionem imbecillior fiat animalis facultas, & ineptior crudiorve expulsioni materia) quodammodo ipsam densare, si tenuis fluxilisque nimium sit, quo minor fiat fluxionis impetus, & faciliùs quod influit pellatur: idque facies viscidis, & resiccantibus sine mordicatione: cuius naturæ est oui albumen fortiter agitatum cum amylo, & sacchato, syrupus de iuiubis, diacodion Galeni, puluis tragacanthi, & gummi Arabicum: prodest & syrupus rosarum viridium, & siccarum: item tabellæ ex pulueribus rosarum, & amylo, aut ex tragacantho cum sacchato rosarum rubearum vetustiori. Præterea easdem tabellas conficies additis pulueribus margaritarum præparatarum, corallo, ac terra lemnia, & liquiritia. Verùm si conspexeris necessum esse eductionem iuuare, (& coquere, quod vtilius fore arbitror,) tunc quidem id facies liquidioribus, & his quæ vel tenuent, vel humectent, & fluidam reddant materiam, quæ crassa est, quo faciliùs vi à partibus separetur pellaturque. Sed mox à principio melle rosaceo, syrupo de radicibus, capillorum veneris, de glycyrrhiza materiam præparabis, & facta leui purgatione, hydromelite ex infuso, aut decocto squillæ veteris: vel porriges, q. ℞. penidiarum, succi glycyrrhizæ, anà ʒ.1. rhodomellis quod sufficiat ad modum loch. Sed efficacissimum experimur, dum materia crassissima est, electuarium, q. ℞. succi tussilaginis ℥.3.radicis pulegii ℥.1. apii viridis m.1. infundantur hæc in lib.1.mellis optimi, aceti lib.ß. coquantur lento igne, & facta expressione, adde prædictum succum, & fœnugræci sæpius antea loti decoctum, pondere ℥.10.mithridatii, aut theriacæ ʒ.1.& ß. porrige summo mane, & ante cœnam cochlearia duo: quibus admiscere oportet, vel syrupum de prassio, de hyssopo, loch de pino, & de liquiritia. Sed huic tenui pituitæ dum crassior facta est, & crassiori ex propria natura, vt coquantur, & eductioni promptiores fiant, ex vsu est id q. ℞.pulueris diamusci dulcis ʒ. 1.diatris simpl.℈.3. pulueris diapenidion cum speciebus ʒ. ß. sacchari liquati in aqua hyssopi quod sufficiat, vt fiat electuarium in tabellis: superbibat autem laborans lambendo parũ mellis rosati cum modico oxymelitis: ac si pituita nimiũ sit crassa, & viscida, oxymel sit squilliticum. Confert loch sanum, & expertum, de pulmone vulpis, & electuarium diairis admixto aliquo ex prædictis serapijs. Parabis autem vtilissimum medicamentum ex prædictis serapijs, & electuarijs, extracta stillatitia aqua arte chymica, quam admiscere oportet ex prædictis serapijs alicui, aut melli rosaceo, & censeo fore magni momenti. Præstant etiam eundem vsum alia medicamenta, quæ ab authoribus passim probantur; velut est id q. ℞.syrupi de hyssopo, de glycyrrhiza, & mellis rosati, anà ℥.ß.aquarum betonicæ, vngulæ, adianti, anà ℥.1. misce, & vtere. Neque erit ab re iterum corpus purgare, & posteà per interualla vti terebinthina lota cum aqua adianti: quem vsum præstat id quod

A ℞.prædictæ terebinthinæ ℥. 3. caricarum pinguium ℥. 1. penidiarum ℥.4.olei amygdalarum dulcium ℥. 1. misce, & fiat electuarium, cuius porrige ʒ.8.

Quibus factis, conterere deinceps oportet humoris reliquias, theriaca, mithridatio, diairide, & similibus: sed maximi arbitror fore momenti puluerem q. ℞.cinnamomi, liquiritiæ, ana ʒ. 3. florum hyssopi, & prassii, & anisi, ana ʒ. 1.granorum paradisi ℈.ß.sacchari ℥.ß.misce, cuius sumat laborans post pastum cochleare vnum. Thoracem quidem, sed maximè asperam arteriam inungere oportet vnguento Agrippæ, vel alio, q. ℞.mucilaginis altheæ, & fœnugræci ana ℥.ß.butyri recentis, axungiæ gallinæ, ana ʒ.1. & ß. bdellii, styracis, ana ʒ.ß.croci ℈.ß. olei liliorum, & amygdalarum

B dulcium, ana ℥.1.ceræ quod sufficiat vt fiat vnguentum: Quòd si causa calida sit, vteris eo, q. ℞.olei amygdalarum dulcium, & violarum, ana ℥. 2. butyri loti in aqua hordei ℥.1.misce: Quibus addere poteris axungiæ anatis ℥.ß. Verum si causa frigida sit, recipies olei liliorum, vel irini ℥ 2.axungiæ gallinæ ℥.1. mucilaginis seminis lini, & fœnugræci cum modico vino ℥.ß. croco addito fiat linimentum. Quòd si copiosiora desideraueris auxilia, lege tomo 2.cap.de temperantibus caput: nam ea parte multa, & vsu probata reperies. Atque hæc de tussi dixisse sit satis.

CAPVT IIII.

C *De difficili respiratione, & de hydrope pulmonis.*

NOn satis conuenit inter authores, quid per hoc verbum, dispnœa, seu difficilis respiratio intelligat Galen. cùm variè prædictum nomen vsurpet lib. 1.de difficult. resp. cap. 1.& 2.atque lib. etiam 3. eiusdem operis cap. vltimo, & 6. popu. pat. 3. text. 9. Sed prætermissis his locis, quæ ansam dubitandi præstiterunt, certum est, & ex eiusdem authoris sententia colligitur hoc nomen duo significare: primum quidem, vt videre est apud Galen. omnem difficilis respirationis speciem, ita vt iure optimo sortiatur naturam generis ad omnes difficiles respirationes, & sic habet contrariam aliam affectionem, quam apnœam appel

D lant Medici, quasi nullam respirationem dixerit. Secundum verò significat quandam signatam difficilis respirationis speciem, quæ peculiari ratione dispnœa, seu difficilis respiratio nuncupatur: cuius solùm hac in parte meminisse studemus.

Sed priùs expendisse oportet, quid per difficilem hanc respirationem intelligendum sit, vt contrahatur ad hoc speciale genus, separeturque ab omnibus alijs differentijs, quæ generaliori significato comprehenduntur. Est itaque dispnœa, seu difficilis respiratio, creber anhelitus, nomen ab hoc symptomate, & peculiari hac frequentis respirationis conditione desumens: vitium quidem ad deprauatam actionem respirationis pertinens, haud secus quàm in tussi, & ster

E nutamento contingit. Mouet enim se natura irritata à causa præter naturam, aliter quàm secundum naturam assueuerat, præcauendi maius damnum occasione. Quo fit, vt crebrum efficiat anhelitum, hoc est, quòd parum in quietibus immoretur. Denique huius symptomatis natura, non in magnitudine, aut velocitate motus, vt multi censent, sed in crebritate solũ sita est: quia licet alicui succrescat maior, aut velocior respiratio, nondum difficilis hoc peculiari significato debet censeri, donec accersita sit crebritas, quæ veram huius affectus constituit rationem: nam etiam si reliquæ differentiæ difficilem quoque respirationẽ efficiant, non tamen hanc specialem, sed illam in cõmuni difficilem appellatam: nam hæc crebritas est quæ contrahit dispnœam ad constituendam hanc peculiarem speciem, vt in explicatione causarum clariùs constabit, & ratio etiam huius dogmatis. Interim

rim tamen sciendum est, ob id Galen. solùm hanc crebritatem, vt formalem rationem huius affectus constituisse, & in reliquis differentijs varium stetisse, vt constat 3. de diff. resp. cap. 7. quo loco paruam densamque sic affectis adesse respirationem asserit, et lib. eodem cap. 5. non paruam, sed simul magnã & densam esse portendit. In qua sanè controuersia arbitrandum est, per paruam respirationem ipsum intelligere paruam aeris quantitatem, nam maiorem nequit capere pulmo coarctatus & obstructus, quamuis plurimum dilatetur thorax. Præterquàm quòd per magnã respirationem subintelligere oportet quod authores non contemnendi (licèt mihi non plurimũ placeat) nimirum id quod per multum spiritum intelligitur: nam licèt multus spiritus aliquando significet magnã respirationem, cum hoc tamen non rarò significat ex multis paruis coaceruatum & copiosum, & qui vicé magnæ respirationis præstat: vt apparet in pleuriticis, qui magnum spiritum simul ducere non possunt ob dolorem, quamuis plurimo aere ob febrem opus habeant, continuitate verò actionis æqualem multitudinem spiritus magnis respirationibus coaceruant: quod enim paucæ magnæ, idem multæ & paruæ possunt, quod in asthmaticis contingere scimus: & si hac acceptione magnitudo sumpta sit, conciliantur Galeni loca, nam idem est paruam & frequentem respirationem dicere, ac pluribus paruis multum aerem trahere, quod appellat Galen. magnam respirationẽ. Sed cum hoc arbitrandum est (nisi quid aliud verius rit) ex propria difficilis respirationis natura, ex parte affecta atque affectu prodire, aerem trahi copiosum per frequentiam, paucum per vnam attractionem, cæterùm thoracem plurimùm dilatari, quantumuis parum aeris trahatur: quia cùm receptacula sint coarctata aut impedita, licèt magna fiat distensio, parum aeris pulmo capere potest, & ob id frequentia adimplet quod magnitudo illa inutilis præstare nequit: ac ex consequenti notandum est, in his tribus difficilis respirationis speciebus, respirationem non esse minorem naturali, quinimo aliquando maiorem, esse tamen frequentiorem: quod est constitutiuum naturæ eius. Atque hæc est huius symptomatis concisa ratio: quam vt quis clariùs & copiosiùs discat, expendere tenetur, hanc difficilem respirationem, quæ hoc genus ab alijs distinctum coulbuit, ob ingenitam inseparabilemque crebritatem, id habere proprium & peculiare, vt eam sortiatur citra febrilem calorem: nam ob id definita est à Galen. per difficilem respirationem citra febrem. Hanc tamen in tres pouissimas species tripartitam esse iuxta diuersitatem symptomatum, quæ vnicuique accidere compertimus, certũ est. Sic prima constituitur, cum laborans citra febrẽ densè respirat, vt faciunt qui à citatiori cursu excitantur, qua difficili respiratione affectos, dispnœicos, seu difficulter respirantes inter optimo appellamus. Cui proximè accedit secunda species, quæ eandem habet difficultatis in respirando rationem & crebritatem: sed additum habet stertorem et anhelationem, quod est veluti ratio formalis, qua distinguitur à prima & tertia, & propriè asthma dicitur. Tertia verò differentia, quam constituit respiratio ob crebritatem, difficilis etiam est, habetque illud proprium ex sua ratione peculiari, quòd nequeat fieri nisi recta ceruice & erecto corpore, quam orthopnœam Medici omnes appellarunt. Quæ tres species licèt maioris aut minoris ratione inter se solùm videantur differre, vt multis placuit, cum hoc tamen longe aliter constat distingui, vt apertissimè probatum est penes accidétia quæ diximus. Constat etiam aliud omnibus commune succrescere symptoma, sed orthopnϾ magis proprium, nimirum, siccam esse respirationem, ac sine excretione notatu digna plerumque, quam affectionem Hippocr. lib. de diæta peculiarius siccam orthop

A nœam appellauit, quòd sine sputis vel tussi adeò vehemens sit, vt inclinari citra suffocationis periculum æger non possit, propter angustiam viarum pulmonis à crassis & lenis humoribus, aut aliquo tuberculo, si absque febre fuerit, aut à tumente pulmone, vel bronchia coarctante, vt in peripneumonia: dimitto iam à pulmone & fumo fieri etiam posse, vt mox probabo. Quibus constat symptomata esse in genere noxæ functionum deprauatarum, ad respirationis organa attinentium, sequuntur morbos in via eorum canalium, quæ egressui & ingressui aeris subseruiunt: quo etiam à plerisque difficilium respirationum differentijs videntur distingui.

Causas habent quidem differentiæ omnes diffici- *Causa.*
B lis respirationis, tres potissimas: quæ omnibus videntur communes esse, flammeam nimirum in corde & pulmone caliditatem: facultatem animalem (cuius munus est thoracem dilatare, & comprimere) impotentem & languidam: vltimam verò coarctationem viarum respirationi seruientium. Quæ sanè vltimã multò plures sub se complectitur: nam spirituum organa coarctant crassus humor, vel tuberculum in caui tatibus asperæ arteriæ, vel in quauis pulmonis parte dum asperas eius arterias coarctet: item bronchia aliquando intercipiuntur multa & viscida materia: est etiam causa reficcatio vehemens, maximè pulmonis abscessus, structura pectoris, & pulmonis compressio: tuberculum in spina, siue sponte natum, siue à cau
C sa externa ortum, id quoque etiam esse posse arbitramur flatus etiam multos septum transuersum distendentes aut comprimentes, vt in hydrope contingit: ex quibus profectò sequitur vijs interclusis, neque inspirationem, neque exspirationem satis conuenienter fieri.

Ad hanc quidem causam referre oportet nouam quandam huius affectionis speciem, quam iure optimo hydropem pulmonis appellare possumus. Cuius profectò natura (vt ex Hippocr. lib. de morbis constat, nec non & Auicen.) sita est in aquosæ seu ichorosæ substantiæ in thorace, & pulmone, collectione: haud secus quàm in ventre ad hydropis constitutionem colligitur, quapropter hyderos, seu hydros pul-
D monis ab his authoribus nuncupatur. Nec notum videri debet hoc morbi genus: siquidem. 2. de morbis, hydropis cerebri meminisse constat Hippocr. & eodem lib. thoracis hydropis recordatur, nec non & veteri. Sed peculiariùs huius affectionis meminit lib. de Coacis præd. dicens: Orthopnœam afferunt hydropici, affectus duri: quo loco de hydrope pulmonis sub audienda est Hippocr. sententia. Est ergo hic affectus suppurationi affinis, in quo magna thoracis capacitas, nec non & pulmonis, seroso humore ac tenui scatet, qui aut à cerebro per asperam arteriam & pulmones tenuitate sua affatim irruit, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis cauitate in hydropicis, cæcis ductibus eò penetrauit. Quippe dum ob aliquam oc-
E casionem aut causam (vt mox referam) in corpore maior succrescit huius serosæ substantiæ copia, quàm ab innato calore, aut quouis alio dissolui, aut dissipari possit, fit profectò facile, vt valido pulmonis motu ad ipsum alliciatur, aqua ipsa, præ tenuitate substantiæ admotum aptæ, cedente: qua quidem cum thorax inundat, aut pulmo est plenus per venæ arteriosæ propagines illuc fluentibus humiditatibus, conijcetabile est, difficiles fieri respirationes, inanes tusses (quòd aegri egredienti cedat tenuis eius substantia) & pulmonis grauitates, quibus huius affectus natura integratur, & causæ ac modo & terminationis conditione & euentu ab alijs, quæ communes sunt, & quorum authores hucusque meminerunt, longissimis interuallis differt. Habet quidem præter hæc omnia hoc peculiare pulmonis hyderos, quod eius causa, postquam semel recepta est in pulmone, neque discuti interno aut

2. de morb. 59

n° 59.

aut externo calore possit, neque in pus verti; quo etiã ab alijs causis non parum differt: nam talis est aquosæ, & ichorosæ humiditatis conditio, quòd nullo præsidio, neque naturæ opem pus verti possit, vt quæ à capite, & aliundè in pulmonem defluunt; vt statuerat Hippoc. 7. aphor. 38. quo loco censuit viginti diebus suppurari quæ in pulmonem procidunt: nec rursus à pulmone discuti: quia longè citatior calidorum, & resoluentium adhæsu efficitur pulmo, ac ex consequenti plus trahet quam calorifica hæc discutere possint: quo fit, vt summè periculosa, & grauis sit affectio. Habet insuper causas peculiares, & proprias non quidem à cerebro pituitosum, & crassum defluxum, vt in reliquis respirationis difficultatibus, sed semper fit cùm in corpore aliqua occasione congesti ichorosi serosique succi fuerint: maximè si pulmo, vel imbecillus fuerit natura, vel morbo, aut principium contraxerit difficilis respirationis. Tunc etenim cùm imbecillus est, facilè ab alijs partibus transmissos succos susceptat: cùm verò breuispirus, aut citatior, eosdem vbicunque sint allicit, & ad se trahit, quibus longè magis difficilem edit respirationem. Congregatur autem, & superabundat ichorosus aquosusque succus in corpore, cum quis nutrimentalia viscera frigida imbecilliaque habet, aut nimis obstructa, quibus necessum est tenues crudosque succos abundare: fiunt etiam ex frigidis humidioribusque cibarijs, ex dimisso exercitio. Quapropter huiusmodi pulmonis hydropes, plerunque succrescit hydropi ascite, malo corporis habitui, & his omnibus, quibus aliqua prædictarũ causarum, aut quauis alia pedes intumescunt, aut venter. Conspicimus enim frequentissimè, facillimum esse ab hydrope in difficilem respirationem commeatum, vt suo loco latius etiam probaui. Occupato enim diaphragmate à ventris mole, & bronchijs pulmonis, tum plenis, tum coangustatis à circumfuso quodam sero, orthopnœa superuenit cum suffocatione. Est autem morbus siccus, quia nihil educitur, nisi quod in fauces è cerebro descendit: nam nec facultas thoracis satis valida est, vt aquam sursum compellere queat, neq; quod tenue multum est, & aquosum subleuari potest, quia circum spiritum defluit. In quibus affectionibus suppurationis simulantia signa, atque symptomata, non rarò apparere solent; nisi quòd neque febris affligit, aut lenta admodum: neque suppurationis euidentes causæ, vt rupta vena, venæ erosio, acris destillatio, neque antecedit purulentum sputum, vel cruentum: sitis interdum maior viget, tussis, & difficultas respirandi. Accedunt & deliquia animi, & ciborum corrupta appetentia, strepitus etiam aquæ, & fluctuatio, cum in alterum latus vertitur laborans. Sed inter huius affectionis causas potissimã arbitror esse eam vrinæ suppressionem, quæ fit ex obstructione, quæ supra renes existit: nam cum vrina tunc per vniuersum venosum genus vagatur, facilè pulmonis motu allicitur, & tanta succrescit ea ratione vrinæ copia in pulmone, quod ocyssimè laborantem suffocatione interimat. Quas sanè huius affectionis causas nos in praxi non rarò conspeximus. Nosces autem affectionis naturam ex signis adductis: hanc verò causam, aut illam (ex his quas memorauimus) esse, dignosces facilè ex his quæ præcesserunt, aut adsunt.

Dubium. Sed ex prima quidem causa suboritur difficultas non leuis, nimirum qui fieri possit illud Galeni, quo asserit totam rationem horum affectuum esse, febre carere, cùm vna eorum causa sit flammea in corde, & pulmone caliditas, quæ citra febrem consistere nequit, cum potissima febris ratio sit ipsa cordis præter naturam caliditas. Cui dubitationi dicimus, Galen. duobus modis protulisse sententiam difficilis respirationis, inter quas iure optimo annumerat flammeam cordis, & pulmonis caliditatem: alio modo dum tan A tum recensit harum trium differentiarum causas, & naturam, quas febre carere est necessum, saltem quæ sequuntur prædictum affectum, etiamsi antecedat aliquis calor, qui nondum habeat febris rationem. Sic enim flammea caliditas, vt in febribus, difficilem inferts respirationem, non tamen hanc specialem, cuius meminimus in hoc capite, sed illam genericam, quæ omnes differentias complectitur: nam hæc à peculiari prodit affectu instrumentorum respirationis, non à febre quæ communis est morbus: & ob id statuendum est, quamuis harum trium differentiarum à vitio prædictarum viarum fieri: cæterum hanc primã à minori, vt in tussi, catarrho, raucedine, & reliquis constat. In qua quidem mirum non est, si magnitu B do quoque atque celeritas adsint: cæterum non constituetur huiusmodi peculiaris species, neque degenerabit à communi difficilis respirationis sorte, nisi per acquisitam crebritatem, quæ vitio viarum fiat. Necessum enim fuit, vt prædictæ tres difficilis respirationis species à summa, & grauiori differentia inciperẽt (idque citra febrem) vt iuxta aliquod accidens fierẽt diuersæ species, in ea extrema differentia omnes existentes: quippe differunt ratione febris qua carent, à communissimo illo differentiarum respirationis genere, & inter se differunt ratione accidentium, quæ ante memorauimus.

Sed maior adhuc est difficultas iuxta secundam causam, nimirum animalis facultatis impotentiam, *Dubium.* C siquidem nullum languidæ facultati superest subsidium, quàm diutius in quietibus immorari, ac ex consequenti videtur necessarium, respirationem fore raram, non frequentem. Cui dubitationi dicendum est, longè minùs laborare naturam in crebritate quã in celeritate, & ob id, dum sana est, celeritatem accersit voluntariè, & dum languida est, crebritatem, ex indigentia: verùm dum citra indigentiam, & vsum languescit, verum tenet argumẽtum: nam rarior fiet necessariò, ex impotentia facultatis: secus res se habet, si accedat vsus indigentia, quia licet minus quiescat, minus tamen laborat quàm in celeritate, ad quã efficiendam robustioribus viribus opus habet. Constat igitur, quòd licet Galen. & reliqui has tres causa D rum sortes constituerint, vt difficilis respirationis authores, id tamen intelligendum esse de omni difficili respiratione, non tamen de ea, quæ sita cùm sit in crebritate, has tres solum continet numeratas species. Quippe certum est, quòd etiam si flammea caliditas nata sit respirationem euertere, non tamen efficiet, neque adhuc primam harum specierum dispnœam appellatam: quia prærequiret aliquod vitium permanens in vijs respirationis, præter id quod eo tempore à febre proficiscitur, ac ex consequenti non carebit febre, vt Galen. statuit. Præterea neque imbecillitas animalis potentiæ causa vnica alicuius harum haberi debet, tum quia fiet citra stertorem difficilis respiratio inde orta, & citra id quòd laborans recta ceruice E cogatur respirare, tum etiam quia potius esset eo tempore rara quàm crebra respiratio, aduersus naturam huius difficilis respirationis, quæ has tres asthmatis species constituit. Quapropter statuendum arbitror, solam vltimam causam, nimirum coarctationem viarum respirationi seruientium, esse potissimam, & germinam omnium trium specierum, quæ sub hoc speciali genere dispnœæ continentur. Quippe licet densa respiratio vitio etiam musculorum costalium, & septi fieri possit, ablegan da iure optimo est à prædictarum consortio, quia sic affectis semper adiungitur parua respiratio, quòd instrumenta hæc inflammatione oblæsa, vel quouis alio modo affecta, nequeant plurimum distendi, & magnam efficere respirationem, quæ plerumque affectionibus asthmatis adiuncta est, & cum hoc (quinimo propter hoc) densè respirant, quia licet plurimum thorax distendatur, aeris tamen

par-

paruissima attrahitur copia. Quo fit, vt vitia prædictorum instrumentorum spumam orthopnœam efficiant, quia frequens efficitur respiratio, non legitimã, quæ solum sita est in repletione cauitatum pulmonis, aut thoracis. Sic enim dum adeò creuit viarum coarctatio, quòd laborans citra febrem densè respiret, tũc quidem dispnœa simpliciter nuncupanda venit: cùm verò præter id quòd ab eadem causa densè respiret, ob causæ vbertatem, & situm, vtpote penitius in aspera arteria, & germinibus vasorum eius locatam, cum stertore, & sonitu respiret, asthma inscribitur: sic pari ratione cùm adeò causa eadem bronchiosa vasa ipsius pulmonis, per quæ permeat aer, obturat, vt nulla lege pulmo, vt liberè aerem susceptet, possit alicui thoracis parti incumbere: tunc quidem præter stertorosam, & crebram respirationem, nequeunt laborantes nisi erecta ceruice, & erecto corpore respirare: atque hæc est mea mens de causarum huius affectionis natura, & operandi modo.

Signa. Signa verò quæ hanc, aut illam huius difficilis respirationis speciem ostendunt, in promptu sunt: nam primam speciem designat respiratio adeò difficilis, quòd vsque ad crebritatem perueniat: secundam stertorosa respiratio, & cum sibilo, & suno: tertiam verò necessitas respirandi erecto collo, vt amplior, & expeditior fiat spirituum via: nam si decumbant, vt inquit Galen. 2. de locis, totus thorax supra spinam ipsam concidit: quo fit vt strictius reddatur spirituum iter, & ob id lectulum oportet ad dormiendum erectum sic affectis parare. Communicant autem omnes hæ tres differentiæ in hoc quod est febre carere, & densè respirare, vt patet 3. popul. part. 2. tex. 4. & 6. par. 4. tex. 4. Scire tamen oportet, quòd licet alicui ex prædictis difficilis respirationis speciebus febris adsit, ob aliquam peculiarem causam, non ob id statuendum est à febre difficultatem prouenire: nam eo etiam dissident hi affectus ab alijs respirationis vitijs, quòd hi solum à viarum angustia, vt dictum est, prodeunt, reliqui verò ab vsu adaucto, vel à distensione, aut contractione diminuta defectu potẽtiæ animalis: at in his ob id laborantes suffocantur, quòd licet magna fiat respiratio, paucissimus trahitur aer ob receptaculorum coarctationem, in alijs verò, quia non trahitur, etiam si instrumenta quamuis quantitatem capere possint. Quapropter nos hac in parte solum eas causas inuestigare nitimur, quæ coarctationem in vijs respirationis efficiunt, maximè in ipsa aspera arteria, tam ea quæ in collo, & thorace cõtinetur, quàm dum inseritur in pulmonem, quòd frequentiùs hæ partes obstruantur, vel ex thoracis vitio comprimantur, vel satis distendi non possint, vt constat 4. de locis affect. & 7. de compos. pharmac. local. & 3. aphorism. comment. 27. Sed constat necessariò asperam arteriam debere oblædi, quia etiam si thorax maximè dilatetur, & maxima fiat subinde respiratio, quòd quantitas aeris quæ necessitati satisfaciat, non trahitur, ob id laborantes crebro respirare cogũtur, quod non fieret si arteria coarctata non extitisset: nam hæc est magna respiratio, quæ non ex copia attracti aeris, sed ex magna distensione considerata est, vt aduertit Galen. 4. de locis, & 1. de difficult. respi. Vias autem esse obstructas à crassis, viscidis, multis, & adhærentibus succis, à sanguine, pure, grumo, tuberculo, & grandine inde disces, quòd necessariò præcesserit pleuritis aliqua cruda, aut diminutè expurgata: nam verenda eo tempore suppuratio est: sic si pulmonia adest, cruenta sputitio, aut diuturnior à capite fluxio; quòd si ex his nihil adsit, tuberculum vereri oportet, maximè si sputi nihil appareat, & in cæteris laborans bona fruatur valetudine, & non stertat inter respirandum, sed cum ponderis sensu, maximè cùm leues arterias occupat tuberculum: qua grauitate carent fœminæ, quæ ab vtero suffocantur, qui-

A bus etiam tussis non adest, neque sputum, sed sicca orthophnœa ab omnibus nuncupata. Præterea considerabis, si aliarum causarum signa non præsint, fit ne affectio à tenui defluxione, non enim semper verum est à crassis fieri succis, siquidem ea omnia quæ replent, spiritum impedire possunt: nam & qui metalla fodiunt, & carbonum fumum susceptant, vel vini nouiter feruentis halitum, non minus suffocantur: & licet his quoque accedat ipsius substantiæ attracta qualitas, quæ vel astringens est, vel deleteria, interdũ etiam media siccitate pulmonis fit: quod ex siti dignosces, quæ potius aere frigido, quàm potu sedatur. Verùm si cum stertore fiat respiratio, lentorum crassorumque humorum pertinaciter impactorum mul-

B titudinem, pulmonis bronchia molestare indicium est. Quòd si præcedat angustiæ sensus, & cum hoc laborans in cæteris sanus difficulter respirauerit, fluxionem à cerebro, aut vicinis partibus irruentem conijcere licebit, præsertim si præcesserit defluxio à capite ad nares, fauces, vel palatum, è quibus locis facilis fit ad asperam arteriam commeatus. Si tamen repentè accidat suffocatio, à causa fiet manifesta, aut externa, quæ vel compressionem, vel oppressionem in ipsum pulmonem inferat, ita vt impediatur signatum eius spatium: siue fiat à flatuosa substantia idem malum mouente: inquit enim Auicen. 1. 3. 10. cap. 14. Et quandoque accidit propter multitudinem vaporis quando coarctatur in pulmone, & propter ventosita-

C tem coarctatam in membris anhelitus, & quandoq; causa generationis in ipso est frigiditas: qua vltima sententiæ parte videtur addere aliam causam coarctationis prædictorum instrumentorum, nimirum frigiditatem. Alia insuper causa non rarò visitur, quã diligenter considerare maximi est momenti, nimirum ex hydrope frequentissimè anhelationem sequi: facilè enim est, existente in venis, & vniuerso corporis habitu tenui pituita, aut serosa substantia, ipsam pulmonem allicere continuo motu: ex qua difficilem sequi respirationem euidentissimum est: præterquam quòd ex compressione, quam tumidus venter infert in septum transuersum, difficulter quoque respirant sic affecti.

D *Præsagiũ.* Præsagium in hoc malo cautè proferre oportet, nam & qui optimo fruuntur pulsu, ocyssimè commotiuntur, ac subitò suffocantur, & qui prauo sunt pulsu, & praua, atque difficili respiratione oppressi, leui auxilio, vel nullo, aut solo flatu excreto superstites euadunt: quo fit, vt non rarò accidat, vel peritissimos Medicos vtroque modo falli. Quapropter occasionẽ, & causam occasionis rimari diligenter oportet, & iuxta eius magnitudinem potius præsagium proferre, quàm ob solam difficilem respirationem quæ saluti, & morti ambigua est. Cum hoc tamen ad mortem, aut salutem aliarum facultatum læsionem rimari oportet: nam si euidens fit in aliqua earum damnum, certius est periculum, quàm si nulla oblædatur: neque

E ob id omnino fidendum est præsagio salutis, aut mortis: nam morbi qui suffocatione interimunt, nullam de euentu certam notam proferunt. In quibus omnibus qui sic conflictantur vehementi angustia pressi prope suffocantur, altoque & suspirioso spiritu multum, & frigidum aerem ducere contendunt, nec præ oppressione, aut obstructione quidquam, nisi paucũ, & refrigerio impar, spirant, & ob id recta ceruice coguntur respirare: tum, quia bronchia pulmonis magis hiant erecto collo quàm decumbenti: tum quia minori difficultate distenditur pectus. Quòd si vsui vitæ hæc sufficere non videantur, cum angore, pulsus interceptione, & inæqualitatibus omnis generis, breui intereunt laborantes.

Curandi ratio. Medendi autem via in huiusmodi affectionibus duplex existit: altera debetur huic affectui dum in accessione est, altera verò tempore quietis: vtraque

tamen

tamen maximum facessit negotium. Nam in accessione, suffocatione periclitatur laborans, extra ipsam verò ne affectus degeneret in grauius malum, aut iterum accessio reuertatur: itaque in accessione maturo est opus consilio, ne prætermissa auxilij occasione, suffocari laborantem permittamus, aut nimia audacia tentatis grauioribus auxilijs citiùs intereat. Quapropter considerare oportet accessionem succrescere his qui difficilis respirationis aliqua specie laborant, vna è tribus causis: nimirum ex commota aut rare facta materia, quæ in pulmonis vijs, aut in thorace quieta & adhærescens præexistebat: vel ex aliqua denuo in ipsos canales aut thoracem defluente, vel ex flatu ad partes respirationi seruientes aliunde transmisso, qui comprimens vel coarctans prædictas partes, difficilé mouent respirationem, donec dissipatus euanescat. Cui sanè motioni vel nouæ fluxioni occasionem præstant duo causarum genera: alterum quidem extrinsecum, & intrinsecum reliquum. Sic profectò præexistentem materiam mouet & rariorem efficit ac prauè disponit, vt cauitates impediat ira, vociferatio insolita, exercitium, aut odoratus rerum calidarum, vel aromatum quæ vim habent tenuandi & fundendi. At nouam fluxionem concitant insolatus, ignis accessus, ebrietas, aut frequentior & copiosior vini vsus, vel crapula & esus ciborum crassorum. Quibus sic consideratis, necessum est expendere, dum ad accessionem compescendam accedimus, à qua nam ex prædictis causis accessio suboriatur: quippe si ab his quæ solum natæ sunt materiam præexistentem mouere & agitare, prodit, opus non est frictionibus, ligaturis, vel cucurbitis plurimum inniti: mouetur enim longe citius materia, & cùm ab illis locis ad extimas partes prædictis auxilijs non diuertant, fit facile vt laborans deteriùs se habeat commota in eisdem materia. Quapropter potibus aquæ modicè frigidę, si opus est condēsare, vtendum est, vel calidis, si resoluere, quod tutius fore arbitror: maximè si flatibus thoracem abundare constiterit, aut alijs quæ per externa digerant, vel vias leniendo & calfaciendo aperiant, vt paulò inferiùs referam. At si causa fuerit ex his quæ nouam materiam præstant, considerabis à qua nam causa, parte, vel modo fluat: quippe vel profluit à capite, vel à toto corpore, vel ventris vitio: quo tempore distrahere omni ingenio humorem aut flatum oportet, vt vijs respirationi spatiosioribus factis promptius animal respiret. Quòd fit, vt dum affectus prodit ex causa aliqua manifesta, quæ fluxionem concitando accessionis principium præbuit, cucurbitulis, frictionibus, & ligaturis, facilè affectus subsidebit. Quòd si totius corporis vitio fiat, sanguinem protinus demes, aut medicamento expurganti vteris, hoc quidem dum crudus sanguis, aut crudis succis plenus existit, illum verò dum sanguinolenta vacuatio suppressa est, posteà verò si plenitudini satisfactum est, inclinante accessione medicamento vteris purgante. Verùm si ex suppressione alicuius vacuationis consuetę, aut ex capitis defluxu, insolatu, aut alia calorifica causa prodeat, necessum est mox ineunte accessione, sanguinis missione vti, modò per sectam venam, modò per scarificationem, quæ dum modica est, ne laborās decidat in animi deliquium, triplicem præstat vsum: nam primò euacuat materiam vacuari solitam: secundò distrahit fluentem longè ab affecta parte; tertiò verò inanitis vasculis locum cedit aeri: quod etiā præstant cucurbitulæ scarificatæ, maximèque ad discutiendos flatus. At si nuper suppressio facta sit, ipsam reuocare prius studebis, vel à parte illi proximiori sanguinem fundens: cæterùm si diu iam suppressa sit, à parte quæ thoraci propinquior sit, sanguinē mittes, dum fluxio, vel copiosa, vel sanguini admixta, aut calida vel acris à capite profluit: & rursus copiosiùs vbi totum corpus malo consentit, aut (vt dictum est) maioris ventilationis gratia. Fugies tamen omnino à sanguinis detractione in frigidis fluxionibus, in crassis, in his quæ impactæ sunt, & in his etiam quæ à diutinis affectionibus prodeunt, aut viribus iungūtur infirmis. Sed iuuat aduersus flatus etiam aqua feruentissima; in qua re cauere oportet à calfacientibus auxilijs exteriùs subitò & affatim adhibitis, si præesse crassam materiam à qua flatus oriantur, constiterit, ne aut vsus respirationis augeatur calore externo, aut humores liquentur, vel flatus attenuatione fiant plures. Sed in omnibus accessione correptis, parco vtendum est cibo & facilis coctionis, sed largiori potu (nisi materia tenuis, fluida & copiosa sit) ne nimis materia exsiccetur, maximè ex hydromellite cum cinnamomo. Item leuioribus vtendum est purgationibus, ne citatiùs materia in pulmonem irruat, aut quæ in ipso continetur ex agitatione penitiùs sese inserat & difficiliorem reddat respirationem; quibus autem fieri possit mox scribam. Quod si ventriculi vitio malū oriatur, vomendū protinus est, purgandum deinceps, si quid in visceribus adhærens remanserit. At laborantem hoc affectu apprehensum, loco modicè lucido & temperato iubeto locari, quo minus rheumatismo corripiatur; habeat insuper thoracē & caput subleuatum, mollibus stragulis situm. Huic prosunt mellita alimenta, vel condita his quę leniunt, vel incidūt, vt iuscula ex hyssopo, thymo, satureia, coriandro; itē ijs quæ detergunt citra manifestum calorem. Est insuper omnino abstinendū à frigidis adstringentibus, nec minus à modicè calfacientibus, flatum enim copiosiorem gignunt. Vitanda etiam acria, flatuosa, & cacochyma, vt consilium est. 6. popul. parte. 3. Cauere etiam oportet quò minus laborans animo perturbetur, excandescat, aut vehementibus motibus agitetur. Præterea aluus clysmatis frequenter mollienda est, primò emollientibus *cum.* ʒ. 5. *cassiæ*. postea (maximè si materiæ aliquid iam vacuaris) addes *diaphœniconis*. ʒ. 5. & vltimò *benedictæ*. ʒ. 6. *aut hieræ diacolocynthidos*. ʒ. 4. Quibus factis, antequam thoracis humorem expectorare aggrediaris, ventrem inferiorem & primas venas purgabis, vbi flatus non abundent. ℥. 1. *cassiæ cum.* ʒ. 3. *pendiarum dissolutis in iure galli veteris*: quòd si flatus adsit, *in decoctione, quæ recipit glycyrrhizæ.* ʒ. 2. *passularum sine granis.* ℥. 1. *iuiubarum. num. 6. florum anthos & borraginis. p. 1. fiat decoctum; vel in ipso dissolues manna electæ.* ℥. 2. A purgatione porriges melicratum hac lege confectum; *excipe fœnugræci. p. 1. hyssopi. m. 1. ficuum num. 6. fiat decoctio ad lib.* ß. *ex vna & semisse, in colatura dissolue mellis crudi.* ℥. 2. Prodest & hydromel ex decocto radicum enulæ, hyssopi, tussilaginis, scabiosæ, passularum, & florum cordialium. Idem fieri potest cum stillaticijs aquis prædictarum herbarum, & melle.

Quòd si his factis difficilior adhuc perstet respiratio, aduersus materiam mali deinceps pugnandum arte & prudentia est; in qua re considerabis, sit ne materia ex his, quæ in thorace & pulmone præfuerant ante accessionem; nam eo tempore, citra vllam sanguinis detractionem, purgandam esse consulit rei naturæ præmissa præparatione leui, cæterùm non expurganti pharmaco, vt malè plures Medicorum consulunt, (velut cùm materia quieta est, accessionemque non efficit, & præcautionis gratia purgamus, quia tunc non per bechica medicamenta, sed per expurgātia rem efficere oportet: nam in accessionis curatione secus res se habet) quippe id quod ibidem infartum est, & ad vias iam commeauit, nequit medicamento purganti cedere, quinimò vel citatiùs ab agitatione mouetur, vel ex materia in venis commota, frequentissimo pulmonis motu, plus quàm par sit, ad ipsum allicitur, quo maius efficitur damnum. Et ob id solùm per sputum eam educere opus erit, his quæ

tussim

tussim irritent, & simul materiam eductioni præparent, qualia adduximus præcedenti capite. Adseruabis tamen id præceptum in hecticis administrandis, quòd in asthmate efficaciora adhibeantur quàm in tussi: nam hæc est differentia inter asthmaticos & tussientes, quòd ij ex ratione mali tussim habeant adiunctam, qua thorax expurgetur, & ob id mitiora sufficiunt: illi verò ea carent vsquequò materia contenta in vasis minoribus pulmonis prodeat ad maiora, & asperam ipsam vbi tussis excitatur: quo fit, vt hectica efficaciora esse debeant, quibus prædictam materiã, & præter id crassam ac viscidam ab illis vasculis ad asperam pellere cogant naturam: hanc tamen legem adserua his, quòd primò lenientibus vtaris, mox incidentibus, detergentibus, & vltimò siccantibus. Sed B expende in crassa materia à lenientibus & detergentibus esse incipiendum, in tenui verò & fluxili à siccantibus. Leniunt quidem passulæ, ficus, sebesten, iniubæ, glycyrrhiza, penidiæ, saccharum, semen altheæ, & lini: Quæ primò in hoc malo attenuant, ab his quæ vrinam mouent, quæ etiam siccandi vim habent, differre necessariò tenentur, quia hæc acria etiam sunt, & siccandi vim habent: quæ verò pectori profutura sunt, attenuare quidem tenentur, sed cum lenitione, alioqui non parum nocebunt. Incidunt & detergunt, aristolochiæ radix, gentianæ, enulæ, centaurij, semen melanthi, irionis, vrticæ, origanum; satureia etiam, calamenthum, pulegium, brassica, absynthium, abrotanum, hyssopus, squilla, serapinum, C pulmo vulpis, erinacei, stercus lacerti, & desiccat etiam lignum guaiacum, sulphur viuum, sarsa parilla, cinnamomum, radix Chinæ, & anisum. Conficies tamen prædicto vsui medicamentum vtile ex melicrato facto ex decocto prædictarum rerum, & addito primò modico oxymelite, postea syrupo de hyssopo, ac vltimò oxymelite squillitico. Prodest melicratum hyssopi, aut melicratum ex melle squillitico, aut ipsum mel squilliticum cum decocto pectorali. Mirum etiam in modum prodest *per interualla theriaca, aut mithridati.* ʒ. 1. *cum modico aquæ scabiosæ aut vngulæ caballinæ:* ore insuper laborans teneat quæ sensim & paulatim deglutiatur, vim habentia attenuandi ac detergendi crassos, frigidos, ac lentos succos, D quæ hoc modo parari possunt, *excipe diapenidy & dia hyssopi Nicolai.* ℥. 1. ß. *syrupi de glycyrrhiza & iniubinu. anà.* ℥. 2. *mellis rosacei.* ℥. 1.

Quòd si periculum suffocationis vigeat, præter cucurbitas, frictiones ac omne aliud diuersorium auxilium, curandum est, vt laborans ore teneat huius decocti calidi aliquid: *aquæ hordei* ℥. 6. *sacchari.* ℥. 1. *croci. gr.* 4. aliud ℞. *oxymelitis* ℥. 1. *prædicti decocti.* ℥. 3. *sacchari candi.* ʒ. 1. *croci. gr.* 3. vel sumat *salis ammoniaci, seminis nasturtij, pulueris pulmonis vulpis. anà.* ℥. 1. *croci. gr.* 4. *dissolue in syrupi violacei.* ℥. 4. Sed referunt authores non contemnendi multis profuisse incredibili efficacia hoc præsidium, quod paratur ex animalculis, quæ appellantur mille pedes, & aselli, & E sub aquarijs stabulantur, panno lineo exceptis, & in vino albo maceratis, & citra expressionem vinum potui datum. Prodest & tabella vna ex tragacantho, irrigata oleo saluiæ, anisi, aut roris marini arte chymica extracto: ex vsu quoq; est id q. ℞. *glycyrrhizæ mundæ.* ℥. ß. *radicum fœniculi, & hyssopi. anà.* ʒ. 1. *capillorum veneris, vngulæ caballinæ. anà.* ʒ. 6. *seminis carthami.* ℥. 1. *seminis anisi.* ʒ. 2. *bulliant ad medietatem, & colaturæ adde pulmonis vulpis crasso modo triti.* ℥. 1. ß. *misce & iterum bulliant, & facta colatura adde mellis & sacchari quantum sit satis vt fiat serapium, cuius.* ℥. 2. *sumat laborans summo mane cum* ℥. 2. *decocti capillorum veneris:* confert non minus abrotani puluis cum melicrato & oxymelite. Benefacit etiam syrupus sic confectus, ℞. *succi enulæ, & hyssopi. anà.* ℥. 2. *aquæ vngulæ caballinæ lib.* 1. *bulliant & cum sacchado* A *fiat serapium, cuius laborans mane, et cum it dormitum capiat.* ℥. 1. ß. *cum aqua scabiosæ aut borraginis.* Sed si exsiccare copiosè humiditatem, vt in hydropicis, aut alijs, in quibus abundat, studueris, vtitor hoc electuario, q. ℞. *sulphuris viui.* ℥. ß. *puluerizetur, & infundatur in aqua vngulæ caballinæ per diem, demum abluatur, & iterum cum saccharo & aqua borraginis fiat electuarium, cuius laborans sumat.* ʒ. ß. *superbibatque aquam hordei cum syrupo violaceo.* Præstat & oxymel ad incisionem viscidi succi: quo exhibito, prodest electuarium, q. ℞. *mannæ electæ.* ℥. 3. *floris cassiæ.* ℥. ß. *penidiarum.* ℥. 2. *olei amygdalarum dulcium.* ℥. 1. *pulueris pulmonis vulpis.* ʒ. 2. *misce & cum syrupo de hyssopo fiat electuarium, cuius mane & noctu capiat laborans* B ℥. ß. præstat & mucilago radicum altheæ, vel eius decoctum cum melle, aut oxymelite squillitico. Extrinsecus verò eis, quæ thoraci apposueris, discutientibus & attenuantibus addes succum squillæ, fæcem vini, æruginis & consimilia.

Quibus sanè curationis legibus ac præsidijs prorsus vtendum est, cùm præcautionis gratia quietam quoque materiam niteris extrahere, quo minus incidat laborans in accessionem: hoc vno in memoriam reuocato, quòd eo tempore non opus est à purgatione per sputum initium curationis sumere, sed à præparatione & purgatione materię ea lege, quam adduximus, dum iam in declinationem ducitur accessio. Posteà tamen si quid in pulmone hæreat, vel pellere C tussi, vel per discutientia purgare. Itaque in accessione instituenda est primò purgandi per sputum ratio: secundo loco per ea quæ simul id efficiunt, & per aluum nonnihil purgant: vltimò verò per ea, quæ solùm vim habent purgandi. At in curatione quæ fit extra accessionem, è contra, à præparatione materiæ, & purgatione per aluum, initium curationis sumere oportet: posteà vtendum est his quæ simul præparant & purgant vtramque partem: vltimò tantùm per ea quæ à parte reliquias conterunt, ea lege qua dictum est.

Verùm si accessio succrescat à nouæ materiæ affluxu, non licet ab his quæ tussim mouent, initium curationis auspicari in mitigatione symptomatis, sed D ab his quæ vim habeant humorem fluentem auertere, reuellere, deriuare, ac per infernam aluum purgare, & si sanguis iam missus est, mittere post purgationem non licebit. Ob id quidem præmissa sanguinis missione, qua plerumque opus est, in his qui nouam patiuntur fluxionem, ni crudior admodũ sit humor, & adhuc in ipso si impetuosè fluat, vel à toto corpore, omni diuersionis genere vtendum est, ac protinus expurgãn pharmaco. Quo facto, ad ea, quæ ex pulmone per tussim purgant, deueniendum est, & tantò magis ac vehementius, quantò fluxionem cessare nobis compertum sit: nam cessante fluxione, non opus est frequenter aut plurimum purgare, conuenit tamen quod iam fluxit omni studio à pulmone educere.

E Verùm si curationem præcautoriam instituere velis, ac studere ne in accessionem ita facilè laborans incidat, primò, cuius membri consensu pulmo afficiatur, considerabis, ac ab eius prouidentia initium curationis auspicari oportebit. Sic si ex ventriculo aut totius corporis consensu malum oriatur, ter quaterne in mense proficuum erit vomere, aut per epicrasim vomitibus factis expurgare agarico, lacte seminis carthami, terebinthina abietis, hiera Gal. & similibus: si tamen vniuersum corpus consentiat, facta sanguinis detractione & purgatione sufficienti, sudandi rationem institues, quod materia existente in pulmone non facies: liquata enim citius in periculosam accessionem laborantem deduces: posteà verò fontanellis in crurum altero vteris. Cauendum insuper est, si vomitibus vtaris, ne capite malum oriatur, quippe eo tempore nõ solùm inutile, verùm & perniciosum

Curandi ratio extra accessionem.

anhelosis existit, quia & caput replet, & humores in thoracem mouet. Item tentare etiam erit proficuum, humorem, vel fluxurum, vel iam fluxum, suffumigijs extenuare, & resoluere, sed cautè facito, ne pulmonē reficces (difficilius enim respirabit homo) aut humores plus fundas, quàm vel tussi possint expurgari, aut vi medicamenti digeri: tunc enim non rarò suffocatione periclitantur laborantes, cùm non nisi aere libero manere possint qui sic affecti sunt, idque maximè cùm materia multa sit, & difficillima respiratio. Verùm dum vsu venit suffumigium, parari potest ex sandaracæ fumo, non eius quæ hoc nomine venditatur, sed resinæ è iunipero acceptæ, quod parabis hoc modo: *℞. styracis, mastichis, terebinthinæ, anà ℈ 4. misceantur vitello oui, & adde ligni iuniperi ramenta.* Præstat & solum sulphur cum mastiche, terebinthina, & styrace: non desunt qui arsenicum modicum addant, sed non displicet ab eo supersedere. Pectori verò extrinsecus addenda sunt quæ materias exsiccent, priùs tamen quæ leniant, & incidant sunt intrinsecus propiuanda: illa autem sic conficies: *excipe succi hyssopi, succi althææ, butyri recentis, olei amygdalarum dulcium, anà ℥. ß. croci ℈. ß. ceræ quantum sufficiat vt fiat vnguentum molle.* Præstat & aliud, q. *℞. olei iasminorum ℥. 1. & ß. mucaginis seminis althææ ℥. 1. mucaginis fænugræci extractæ aqua scabiosæ ℥. ß. fiat linimentum lana molli exceptum.* Interim tamen thoracem fricabis oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, anethi, iasminorum, de lilio, laurino, costino, aut de spica, cum aliquo ex prædictis mucilaginibus, & modico emplastro filij Zacharie. Exsiccat tamen & abstergit efficaciùs id quod conficitur ex pumice, vini fæce, & farina lolij cum melle. In abscessu tamē aut tuberculo prodest farina triticea cum marrubij decocto, & oleo dulci. Huius tamen tuberculi curationem institues, non per ea quæ crudis humoribus proficua esse diximus, vt quibusdam visum fuit, sed per magis resiccantia, & calidiora, vt aduertit Gal. 7. localium cap. vltimo.

Verùm si à capite malum oriri comperiamus, post eorum vna, aut pluribus per purgantia pharmaca purgationibus eductionem, vt cap. de tussi dictum est, contentos in ipso humores discutere, & exsiccare oportebit, lotura, q. *℞. foliorum hyssopi, betonicæ, & saluiæ, anà m. 1. florum chamæmeli, rosarum rubearum, granorum myrti anà p. 1. bulliant in sufficienti quant: tate lixiuij dulcis, & eo caput ablue semel in hebdomada.* Prodest puluis inspersus, q. *℞. florum chamæmeli, meliloti, sampsuchi, anà ʒ. ß. rosarum rubearum, granorum myrti, anà ʒ. 1. thuris, mastichis, sandaracæ iuniperi, corallorum rubeorum, anà ℈. 2. cariophyllorum ℈. 1. puluerizentur omnia subtiliter.* Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, fontanellam in altero brachiorum, aut in vtroque aperire oportebit, sicut si totum corpus causam malo præstet, aut suppressa ex inferioribus vacuatio sit, tutius erit in cruribus aperire: nam pectus ferro candenti vrere, aut aliud crudelius exequi opus, vt ab Aetio scribitur, non probo: satius enim arbitror in hac, & reliquis causis facultatem tueri, & somnum conciliare exhibito modico philonio, quàm in dubia spe salutis laborantem auxilijs certò perdere.

Est tamen consilium doctissimorum virorum in omni asthmatis specie, dum accessio non plurimum vrget, eis auxilijs vti, quæ vim habeant cum expectoratione purgandi etiam per aluum: nam credibile est, ex nimio pulmonis motu aliquid in ipsum trahi, & contineri: cuius gratia purgantibus, licet leuioribus, vtendum sit. Sunt enim inter purgantia medicamenta quædam, quæ vnà & meatus pectoris expurgare solent, & aluum mouere: sic enim refert Galen. *terebinthinam* omnia viscera elegantissimè repurgare, vis enim eius purgatoria in primis venis, & vsque ad

A iecur, & venam cauam sese extendit. Cuius sanè præbere oportet ℥. ß. *aut quartas 3. cum oleo amygdalarū dulcium, aut saccharo violarum.* Quòd sanè aliter conficies, si excepens *terebinthinæ optimè lotæ aqua vngulæ caballinæ lib. 1. caricarum pinguium lib. ß. penidiarum ℥. 4. olei amygdalarum dulcium ℥. 3. misce simul omnia in mortario, eo vsque contundendo, donec fiat ad formam electuarij, cuius laborans sumat ʒ. 6.* Hunc quoque vsum præstat celebre illud ius ex gallo veteri confectum, quem gallum Oribasius infarcit sale, & concoquit cum porro, & anetho, oleo aut butyro: frequentiùs tamen eum coquimus cum hyssopo, polypodio, semine carthami, cumino, thymo, aniso, satureia & alijs huiusmodi, addito melle, aut saccharo. Sed
B vtiliùs multo incoquitur cum folijs senæ, prunis, iuiubis, passulis sine granis, floribus violarum, & borraginis, semine carthami, & saccharo: multi tamen addunt mercurialem. Pretiosius tamen conficitur hoc modo: *excipe seminis carthami ℥. 1. anisi, & seminis anethi, anà ʒ. 2. radicum enulæ, radicum hyssopi, & radicum prassij, anà ℥. ß. liquiritiæ mundæ, passularum sine granis, anà ʒ. ß. pulmonis vulpis triturati ʒ. 2.* Ac si affectio flatus quoque particeps fuerit, *addito fœniculi, ameos, dauci, calamenthi montani, pulegij, cinnamomi, macis, anà ʒ. 1. contusa in ventre galli suantur: demum gallum in 15. lib. aquæ apponito, & coquito ad medietatem, aut donec caro ab ossibus separetur, deinde forti facta galli expressione, proijciatur gallus, &*
C *decoctum colato, & aeri exponito, vt iterato residentia separata, demum quod clarum est vsui seruetur, cuius sume ℥. 6. oxymelitis simpl. ℥. 1. & mane laboranti porrigito, & vespere ex residentia galli clysma infundito cum hiera, oleo commum, & sale.* Sic quoque per interualla iterum corpus purgare oportebit apozemate, q. *℞. radicis petroselini, fœniculi, asparagi, seminis carthami, anà ℥. 1. radicis ireos ℥. ß. thymi, epithymi, hyssopi, tussilaginis, capillorum veneris, scabiosæ, buglossi, & borraginis, anà m. ß. iuiubarum, sebesten, anà num. 12. passularum sine granis ℥. 1. foliorum senæ ℥. 1. & ß. coquantur ad tertias, & facta colatura adde in ligatura agarici trochiscati ʒ. 4. cuius porrige ℥. 2.* Per interualla etiam hoc porriges q. *℞. styracis ℈. 4. terebinthinæ ʒ. 1. & ß. spicæ*
D *℈. 1. cum melle despumato fiat electuarium.* Quem quoque vsum præstant pilulæ ex hiera, & agarico, ex mastiche, de assaiereth, & cocchiæ formatæ oxymelite squillitico: vel si inueterata fuerit affectio, ʒ. ß. *hieræ diacolocynthidos, cum ℈. 2. agarici trochiscati.*

Cæterùm si ex luxatione, aut dearticulatione alicuius ossis sit coarctata respiratio, aliam exposcit curandi rationem, quæ os in pristinum locum redigat: quippe aliter curari nequit.

Dum verò ex tuberculo crudo fit, vt cruda pleuritis curari desiderat: si verò ex impotentia animalis facultatis, roborantibus tantùm vires reficere oportet: verùm si ex flammea in corde, & pulmone caliditate, veluti in febrium curatione dictum est, curari
E desiderat.

Pulmonis verò hydropis curationem hic attexere nō institui: tum, quia thoracis sectionem, quam Hippocrat. loco citato consulit, nulla lege mihi visum est tentare, quòd periculosum sit, & insufficiens, quia adhuc aqua extracta, remanet causa quæ iterum eam congregare potens erit: tum verò quia in hydropis curatione mille modis aquas educere à corpore docuerim: tum vltimò, quia vrinæ suppressioni illi, ex qua hic oritur affectus, integrum dicaui caput: quo etiam docui ex pulmone aquas educere. Interim tamen aquam à pulmone educere poteris succo radicis sambuci ad ℥. ß. cum melle rosaceo: idem facies succo ireos in minori dosi, aut granis tribus succi radicis cucumeris agrestis. Sed hæc locis citatis latiùs leges.

CAPUT V.

De sanguinis sputo.

NOn quæcunque excretio sanguinis per os facta, appellari potest sanguinis sputum: interest namque differentia non leuis inter sputum, & fluorem sanguinis: nam fluor excretio est, subita, & copiosa citra actionis animalis imperium facta, sputum verò nequit citra voluntatis imperium fieri. Est itaque sanguinis sputum, crebra, & parua per os facta sanguinis reiectio, quæ aliquando simplex est affectio, aliquando verò cum phlegmone adiuncta, vt pleuritide, vel peripneumonia: aut fit sine his, vino aliquo interiori. Prosilit quidem sanguis per os, aut ex capite, aut ex gingiuis, & palato, aut ex faucibus, & columella, aut ex œsophago, vel ventriculo, aut ex iecinore, & mesenterio, vel ex aspera pulmonis arteria, pulmone ipso, aut thorace. Quod profectò tantam infert in curandi munere varietatem, quanta est loci affecti diuersitas: distinguere tamen oportet affectam particulam à qua sanguis prosilit, & rationem qua fluit. Nam licet symptomatis ratione hæ omnes excretiones conueniant, dissident tamen ratione morbi à quo vnaquæque prouenit. Qua ratione symptoma hoc in genere est excretorum immoditè à toto genere præter naturam: nam sanguis propriæ substantiæ ratione, vtcunque excernatur, est præter naturam, sed in hac affectione, ratione etiam loci, per quem excernitur, præter naturam efficitur. Nam quæ tam est nobis familiaris substantia sanguis, vt nullum illi præstiterit natura ad excretionem locum. Morbus tamen, à quo prodit prædictum symptoma, duplex existit: nam aut est reseratio, aut apertio pororum, & propriè est morbus in vias aut est solutio continui, & ad id genus pertinet affectio. Verũ quia vniuersa curandi ratio in quauis sanguinis profusione, ab ipsa particula affecta, & à morbo ipso petẽda est, nec non à sanguinis conditione natura, & impetu, necessum quoque erit exquirere à quo loco, & ex quo morbo sanguis prodeat.

Signa. Ostendunt id quidem multa signa, cæterùm nobis placuit clarioris doctrinæ gratia ad quatuor potissimum capita ea omnia reducere: sunt hæc, excernendi modus, quantitas excreti sanguinis, substantia item, & eius quod cum sanguine excernitur, & vltimò dispositio corporis affecti præsens, aut præterita. Dignoscendi quidem ratio prima sumitur ab excernendi modo: nam quæ tussi excernuntur, proculdubio ab aliquo ex instrumentis respirationi seruientibus prodire est compertum: sunt autem hæc, arteria aspera, pulmo, thorax, ac septum transuersum. Quæ sane demonstratio licet Auerr. placeat, & Auicen. fallit non raro, vt ex Galen. constat 4. de locis, siquidem interdum, qui ex capite defluit, paucus prodit, cum screatu, sine tussi, rubeus, venis membranarum cerebri vi frigoris compressis, aut nimio humore laxatis, aut calore, & sanguinis tenuitate reseratis. Interdum multus, atque etiam cum tussi, quod præclaris etiam Medicis sæpè imposuit, vehementer affectum pulmonem, ex tussi, & copia, falsò conijcientibus, cum è cerebro confertim, & multus in fauces, & gutturis partes interiores irruens, tussim etiam concitet. Quamobrem vt id clariùs interstinguere possimus, considerare quoque oportet, an per nares aliquid simul fluat, vel screatu prodeat, signum quidem tussim per consensum ab illis partibus potius fieri, quàm propria spiritalium passione. Verùm quia signum hoc, & ea, quę ex rubore, calore, & dolore capitis desumuntur, non minus infida sunt, necessum est, conijcere in defluente sanguine à capite vehementiorem tussim moueri in principio fluxionis, dum transit per caput asperæ

A arteriæ, quàm dum aliquid quod confluxit, tussi excernitur: præterquam quòd qui à capite defluit, & nigrior, & crassior, & copiosior est, quam qui ab aspera arteria: & præter id, is qui primò excernitur, omnino spuma caret, reliquus verò leuiter spumosus excernitur, vt qui arteriam ingressus, agitationem patiebatur ab aere egrediente, & ingrediente. Probat hanc veritatem priuatio signorum, quæ thoracem affectũ monstrent: item probat palati titillatio, crebra sputio, à qua caput leuatur, cum sanguine, & sorditie in gutture apparentibus. Quòd si screatur, aut vomitu excernatur, certò scimus ex pulmone, aut thorace non prosilire: verùm quòd sit ex ventriculo, certius colligitur, quia nil sine vomitu ab eo pellit natura. Quæ verò
B simplici sputione excernuntur, ab ore proficisci est compertum: atqui quæ per screationem, à faucibus, maximè si in considerationem duxeris dolorem, pruritum, titillationem, quæ in prædictis partibus plerunque conspiciuntur, modo ab ijs, modo à capite fluat, sed id alijs signis distingues. Cæterùm quia partes spiritales in multiplici sunt differentia, necessum est nosse à qua earum proficiscatur sanguis, si quidem nota, quæ ex læsione actionum sumitur, non adeò firma est. Nam si leuissima tussi excernitur, & leuiter spumosus, ab aspera pulmonis arteria; si verò vehementiori tussi, & maiori spumæ copia, à pulmone: maximè si grumosus exeat, & cum vehementi tussi, ac dolore excluditur, siquidem extra vasa in loco repenti
C concrescit, & concretus in asperam arteriam difficilè commigrat, ac non nisi concitatiori tussi: maximè si spumæ nonnihil accedat. Sed de sanguine spumante maximè dubitatur, sit ne proprium pulmonis læsi signum, an alijs commune: nam Galen. 4. de locis efficacissimum arbitratur signum læsi pulmonis, & Hippocr. 5. aphorism. 13. At 7. aphor. 30. statuit idem Galen. pulmone exulcerato, non necessariò spumantem expectorari, nimirum cum è vasis effunditur, non è substantia. Præterea idem Hippocrat. lib. de Coacis scribit hæc verba: *Quicunque spumosum sanguinem expuunt, & à dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuunt, & ferè moriuntur:* quibus videtur probare,
D non solum, nec semper è pulmone spumosum fundi: præterquam quòd pleuritici etiam interdum spumosum expuunt, & peripneumonici, calore immodico, & igneo in partibus affectus collecto: item Paulus ex gutture spumosum sanguinem prodire profert, & Auicen. ex pectore, propter commercium respirati aeris. Quibus constat spumantem sanguinem posse prodire ob externas causas, pulmone nequaquam affecto. Quæ omnia facilè intelliges, si expenderis sanguinem è pulmone fundi spumosum vna è duabus causis, altera ob aeris, & pulmonis motum, ipso nequaquam læso, vt his accidit, quibus in asperis ipsius vasis aliundè colligitur, ob aeris motum, & commercium cum ipso sanguine, qualem cõspicimus in his, quibus
E à capite in pulmonem decidit: altera verò ex propria ipsius pulmonis natura, & sanguinis substantia, quando videlicet ex ipsa pulmonis substantia exulcerata, vel dirupta prodit: quo tempore vniuersus est spumosus, & spuma rotundior, quia spumosior quoq; est visceris caro, cuius sanguis induit similitudinẽ (est enim pulmo coagulata spuma) qui feruidior efficitur, si in bronchiosa vasa migret, ibique maneat, ob aeris accessum. nam sic duplici causa spumosus efficitur: tum natura propria: tum aeris vicinia, & miscella. Effunditur etiam non spumosus, vt locis citatis statuerant Hipp. & Gal. cũ ex vasis, non ex substantia pulmonis excernitur, nec non cũ extima pulmonis superficies vlceratur, vt videtur ex Gal. posse probari 5. apho. 13. sic profectò non spumosus funditur ab his, qui vel ab alto ceciderunt, aut percussi sunt, ita vt vas aliquod ipsius visceris diruptũ sit, citra substantiæ pulmonis diruptionẽ. Itaq; quod ad spumã pertinet, vndecunque

fluat sanguis, nonnihil habere permistum potest ex viscida & aerea substantia secũ admixta: at ex toto spumescere, solius substantiæ pulmonis propriũ est, & ob id iure optimo spumã in tres veluti gradus distinguere conuenit: nam cum leuiter spumæ permiscetur sanguis, ex gutture, thorace, et hepate prodire potest: cum verò plurimum spumat, è pulmonis vasis bronchiosis effunditur (sicut cum nihil spumat, ex reliquis, vt dictum est) cum vero totus spuma est, ex visceris carne, cuius induit similitudinem, cui accedit spumæ rotunditas tanquam carnis pulmonis læsæ inseparabile signum. Nosces præterea clariùs à qua nã ex prædictis partibus is spumosus sanguis prodeat: quòd si id diligenter inspicias, facilè disces ex excreti spumosi sanguinis colore: nam sanguinem è pectore latum, necesse est liuidum spui, & admodũ alteratum, quòd à longinquis adueniat: etenim extra vasa fertur, & in bronchijs diu manet, vnde trumbosus fit, & color mutatur: sanguinem verò è pulmone discernes quòd tenuis sit & floridus, ac citò educatur. Item flauus & spumosus maximè est, nullum dolorem afferens nisi ponderis quendam sensum præ se ferat. Ostenditur etiam id magis præter dictum colorem, ex calore, vt 5. meth. Gal. aduertit, quòd è vicinis cordi vasis egrediatur. Nosces autem è membranis, vt succingente & mediastino, quia paucus exit, tenuis, vehementer permixtus sputo, cum molesta tussi, & dolore membranis proprio: ab arterijs flauus exit, tenuis, spumosus, valde calens, cum pulsatione cordis, & inseparabili febre. Ecce qualiter ex spuendi modo, & natura excreti sanguinis facilè venamur affectam particulam. Quod etiã monstrat excreti sanguinis copia, nec non affectum ipsum: nam si plurima quantitas sanguinis excernatur, ex rupto vase prodire comperimus: si verò parua, ab exesa, licèt postmodum maiorem proijciat copiã. Sic è pulmonis vasis amplis copiosior prodit multò, quam è thorace: è minoribus paucus, per interualla, cum exigua respirationis difficultate, tussi non multa, calore exiguo intus percepto, qua parte colligitur. In senibus, in quibus sanguis crassior est, glutinosior, frigidior, ruptis venis potius quam apertis: in iunioribus, in quibus vel serosus magis, vel tenuis, acris & biliosus, apertis aut rarefactis. Item è magnis vasis prodire testatur, non solum copia, sed & frequentia, ac difficilis respiratio, maior calor intus perceptus, feruor, & pondus à sanguine effuso & suppresso. Quòd si grauans dolor & extendens ad nothatum costarũ regionem sentiatur, ad septum portionem aliquam peruenisse constabit; quæ in vapores & flatus conuersa molestiam affert, & inflammationis aut putredinis periculum. A substantia quæ excernitur, affectus, & affecta pars noscuntur: nam tenuis sanguis ab apertis & reseratis vasculis prosilit, crassior à ruptis. sic substantia quæ excernitur cum sanguine, particulam affectam commonstrat: nam tunica tenuis cum sanguine excreta asperam arteriam erosam docet, sicuti crassa epiglottidem: eodem modo ex dispositione præsenti, aut præterita id licebit cognoscere: nam præsens dispositio si athletica sit, ruptionem designat; si vitiosa, exesionem; si casus præcesserit, ictus, aut percussio, ruptionem commonstrat.

Causæ. De causis verò habenda etiam notitia est, quarum numerum breui in memoriam reuocabo, siquidem capite de fluxu sanguinis narium, earum abunde meminimus. Profluit enim sanguis, vt nuper diximus, vel apertis vasorum osculis, vel rarefactis tunicis, aut ruptis, vel exesis; priores morbos ad cauitatem pertinere & morbum esse in via dubitauit nullus: reliquos verò ad solutam vnitatem. Apertionis verò causa est copia irruens & vasis impotentia. Irruit copia fusione succorum, aut excernente natura; humores fundunt ea omnia quæ calfaciunt; sic etenim diapedesis ex causis prouenit calidis; maximè si sanguis tenuis sit; accidit etiam ruptio, item & erosio ab acribus, vt incidentibus & quæ vim habent erodendi. Quibus consideratis, quis horum affectuum sit, distinguere oportebit; pendet enim maxima curationis pars ex eorum notitia. Solutionem igitur continui, primùm dolor, si adsit, commonstrat; plenitudinem id facere prægressæ causæ designant, maximè si accedant causæ quæ fundunt & in flatus aut vapores ducunt sanguinem; sic enim quæ efferuescunt, vasa rumpunt, aut anastomosim efficiunt; verùm si accidat cum hoc maior copia, & extrinsecus aliquid adsit, quod rumpere possit, vt tussis valida, vomitus vehemens, aut acres defluxus, dubium non est, quin solutio continui fluxionis causa sit; cæterùm, si hæc absint, suspicandum est de anastomosi, cui accedit sanguinis fluentis consideratio; nam intueri oportet impetum, vt dictum est, copiam, substantiam, & qualitatem. Per exesionem fieri sanguinis sputum disces ex fluendi modo; quippe primo mali accessu pruritus titillationem sentiet laborans, & veluti pruritum in thoracis cauitate; mox verò sanguinis ramentum leue sputo admixtum conspicies; tandem vt erosio crescit, ita & sanguinis copia, quod diruptioni aut apertioni non contingit.

Præsagiũ. Ex his enim metieris periculi rationem; nam erosio grauior est cæteris morbis, sicut resudationis affectus minor, medium tenet osculorum apertio; nam vacuato humore multo sistitur fluxio ipsa; sic diuisio continui media quoque est; quippe neque adeò periculosa vt erosio, neque adeò tuta vt exudatio. Verùm affectus omnis simpliciter periculosus est, maximè si vulnus inflammationem contraxerit; quippe illatum partium perpetuus motus inflammationem exasperat. Sic etiam ex sede affecta magnitudo periculi metienda est; nam si ex pectore fluat, minus est graue, quòd venæ minores sint & facilius coalescant, quia non impedit sanguinis copia, & sic magna pectoris vlcera sanantur & caro restituitur; vlcera arteriæ ob innatam siccitatem, etiam sanitati restituuntur, quia putredini quæ erosionis est causa, obsistit; ex pulmone verò omnium pessima sunt, & difficiliùs sanantur. Dimitto consultò hac in parte sic affectos, ni citò sanitati restituantur, ocyssimè in phthisim migraturos.

Curandi ratio. Curationem verò aggredieris, expendens primò & partis & sanguinis naturam; vtraq; enim harum considerationum peculiarem præscribit medendi rationem, & peculiarem etiam materiam. In huius enim affectus curatione multa profectò sunt, quæ communi quadam efficacia omnibus causis & morbis proficua existunt; alia verò cuique morbo & causæ peculiaria. Commune quidem est in hoc affectu, auxilia calidis & tenuium partium semper esse admiscenda; nam varias & dissitas partes medicamentum transire debet, priùs quàm in pulmonem deueniat, præter ea quæ lambendo sumuntur. Quapropter, & vehementiora esse quàm affectus postulet, necessum est, & his quæ tenuium sint partium admixta. Verùm quia medicamenta quæ per fauces pulmoni cõmunicantur, celeri motu irruunt, necessum erit ea admiscere quæ lentorem præstent, quo diu in parte moram trahant, vt sensim aliquid eius percoletur in arteriam, sed penetrationis gratia addere iubet Galen. mellis momentum.

Sumendum profectò est curationis initium (licèt ars doceat à morbo partis affectæ) ab humore ipso qui fluit; namque tantum sæpe facessit negotium fluentis humoris impetus, vt sibi omnino adscribat curandi rationem. Sic & impetus fluentis sanguinis vbicumque fluat, reuulsionem sibi iure optimo expostulat; nam hæc est vnicum fluentis humoris præ-

præsidium, præsertim dum ad distantes à parte affecta sanguis distrahitur in vehementibus, & robustis corporibus, & sanguine etiam misso ex dicta parte distante: in debilibus verò & his quibus multus sanguis profluxit, aut vitiosus est, ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, & alijs quæ citra vacuationem, & virium dispendium, commotum sanguinem retrahant: nam hac ratione dictum est ab Alexandro, Paulo, Aetio, & Hippocrat. 6. popul. parte 3. comment. vltimo, sanguinem spuentibus non esse mittendum sanguinem, hoc est vbi paucitas sanguinis affuerit, & vitiosi humoris multitudo, in quibus vires esse languidas necessum est. Sistitur denique sanguis, vel quia non amplius ad eam partem fluit, vel quòd vulnus occlusum est, vel quia ambo simul fiunt: nam altera earum causarum deficiente, facilè refluit: confluere enim prohibetur prædictis auxilijs, quæ vel distrahant, vel reuellant, vel euacuent quod redundat, tum etiam quæ refrigerent, quia vel immobilem efficiunt materiam, vel à parte in proximas repellunt. Quapropter siue ex pulmone, aut thorace effluat, vel ex aspera arteria, viribus constantibus, copiosè sanguis mittendus est, idque tanto audaciùs, quanto affectio recentior fuerit, corpus plenius, vel suppressa vacuatio diuturnior: sic si menses desint, ex talo: languentibus viribus, per cucurbitulas femoribus, & suris affixas; sin aliter, ex brachio mittendus sanguis est; ac si vires non tolerent, hirudines pectori affigendæ sunt. Et quia adstringentium vsus ad repellendum medius est inter hoc officium, & foraminis coalitum, ob id ab eis incipiendum: nam vulnus clauditur, quo citius cesset fluentis impetus partium coalitu, quem neque glutinantia, neque adstringentia, vel quæuis alia præsidia exequentur, nisi fluxio subsideat his quæ mox diximus: à quibus, quæ repellant compressione media, sunt adhibenda: velut plantago, polygonum, omphacium, sumach, galla, cortex glandium, radix rubiæ, consolida, hæmatites, electrum, corallum, balaustium, & rosa. At si apertio sit ab exesione, præsidium quæres à bolo Armeno, portulaca, terra sigillata, sanguine draconis, gummi Arabico, tragacantho, thure, mastiche, melle cocto, & reliquis huius naturæ. Exteriùs tamen alia appones, quæ frigida sint, & adstringentia, nec nimis tamen actu calida, ne copiosiùs sanguinem fundant, aut nimium frigida, ne intrò violenter pellant, quorum maiorem syluam inferiùs reperies. Sed dum foramen apertum est, non leue stat periculum in quauis auxiliorum administratione: quippe quæ nimium adstringunt quodammodo tussim mouent, qua vehementer dirumpitur quod dissolutum est: præterquam quòd effusum sanguinem à vase concretione indurant, quo & accidentia non leuia momenti succrescunt, & sanguinem difficiliorem reddunt expulsioni: præterquam quòd extrinsecus repellentia thoraci affigere periculo non vacat repulsionis ad interna, quo maior fiat sanguinis profusio, vt insinuauerat Galen. libro 5. method. cap. 6. Quapropter euacuare, deriuare, ac reuellere à thorace priùs humorem opus erit, vt tutò hæc adhibeantur: quemadmodum idem author docuerat: & ea lege intelligendi sunt authores repellentia hæc consulentes, non ante. At si velis, quæ effusum sanguinem tussiendo purgant, porrigere, longè maius, vt dictum est, efficies vlcus. Quapropter in sic affectis eis solùm vti mihi semper visum fuit, quæ foramen obturando claudant, velut sunt crassa, glutinosa, & mucilaginosa, quæ licet occasione tussi data dilatent quod perforatum est, eadem tamen etiam sistunt, ac obstruunt, impediuntque quo minus sanguis effluat è venis; reliquas autem vias leniendo dilatant, & tussim faciliorem faciunt, vt quæ antea erant fusa, tenuia, acria, iam moderatè coacta, incrassata, retusa, & temperata leuiore negotio excernantur, & sic ab vtroque periculo, tum iacturæ sanguinis, tum erosionis, aut serpiginis in pulmone, liberentur laborantes.

Secunda consideratio versatur circa quãtitatem; quæ si propter maximam copiam vasa diruperit, extrahenda protinus sanguine misso est: quod egregiè Hippocrat. 1. sectio. aphorismorum statuerat; dicens, his de causis bonum habitum statim soluere expedit: tantumque eo tempore sanguinis extrahere, quantum tolerauerint vires. Quòd si laborans copiosam vacuationem ferre nequiuerit, paulatim sanguis mittendus est, & ciborum parsimonia rem perficere oportebit, neque compressiones ad extremum ducendæ.

Tertia consideratio commonstrat, docetque considerare sanguinis fluentis substantiam, quæ si tenuis fuerit, omni ingenio incrassanda est: quod sanè opus præhabita distinctione perfici debet: nam si ex efferuescentia, & calore in tenuitatem degenerat, potibus aquæ frigidæ, quiete, & aere frigido compescendus est. Verùm si ex propria natura vitiata existat, crassioribus alimentis, ac solidioris substantiæ, & potus parsimonia crassare ipsum oportet: quem vsum etiam præstant pleraque medicamenta ex his quæ frigidæ, & adstringentis substantiæ sunt. Verùm si in bronchijs sanguis à vasis effusus crassescat in grumosque cogatur, cùm difficulter expelli ob id possit, variaque subinde conciter accidentia, his oportebit vti præsidijs, quæ cum minori tussi (quod summopere exequendum est in hac curatione) ipsum educant, vt quàm minimus motus fiat. Poscam igitur dilutam, & tepidam adhibere conuenit, ne acetum protiret, ac suauiùs tepore operetur, quæ sensim immittenda est, vt in viscus aliquid eius penetret. Neque formidandus est eius vsus ob acetum, cùm in hunc vsum ea mixtio profutura sit, quæ potui iucunda existat, idque maximè si ei ex agglutinantibus aliquid miscueris. Est cum hoc posca vtendum, cùm iam aliquo modo fluere cessat sanguis: quod cognoscitur, quia rariùs fluit, & iam colore non adeò florido est. Sed in pectoris, & asperæ arteriæ profusionibus liberaliùs ea, sed maximè diluta vti concedit Galen. quod neque Auicen. negauit. Laudatur etiam in hunc vsum plerisque hædi sanguis nondum concretus cum pari mensura aquæ cinnamomi, aut poscæ elixatus, pondere duarum vnciarum. Præstat coagulum cerui, hædi, & leporis, sed hæc coagulatum sanguinem liquant, & liquatum coagulant. Quapropter studendum est, solam ciceris magnitudinem porrigere, idque certa habita de concreto sanguine coniectura. Dissoluatur autem in oxymelite, vel posca, quo minus concrescat quod concretum non est, & faciliùs concretum dissoluatur.

Quarta, & vltima consideratio petitur ex sanguinis qualitate: nam si acris fuerit, mordax, & erodens, ipsum purgare priùs decet his medicamentis quæ è directo respiciant humorem in ipso sanguine peccantem, veluti rhabarbaro, si flaua bilis, aut folijs senæ, si exusti humores fuerint, aut agarico, si pituita. Præterea corpus alere oportet alimentis optimæ substantiæ, & multi nutrimenti: tandem corpus humectare oportet iuribus pinguioribus, & purissima aqua, & rursus medicamentis quæ ex natura sua pugnent aduersus sanguinis acrimoniam, veluti est amylum, tragacanthum, succus granatorum dulcium, & acrium, vel syrupus acetosæ, portulacæ, borraginis, papaueris, & similium, quibus sanguine frænato fluxus plerumque sistitur.

Altera verò curandi ratio sumitur à vena, à qua sanguis prosilit: quippe fluit aliquando ex vena exesa, nonnunquam ex dirupta, ac sæpius ex aperta. Exesa

quidem difficilis sanationis existit, quia cùm causa erodens citò auferri non possit, quòd alteratione, tenuitritione, & vitiosi succi euacuatione infirmetur, frustra proculdubiò pleraque auxilia administrantur, cùm longe plus præualet causa exulcerando, & maximè si fluxio aliqua persistet. Quamobrem antequam adsit vlcus, ne fiat, vel eo adhuc minimo existente, ne crescat, præcauere oportebit, acrem fluxionem aliò transferendo, aut attemperando, ac vitiosam cacochymiã expurgando his quæ acria excrementa educant, siue biliosa sint, siue exusta, aut serosa. Quibus prodest purgationis modus, quem capite de fluxu sanguinis narium scripsimus: ac præter dictam prouidentiam fiens, & factum vlcus eam desiderat curandi rationem, quæ ex duplici constat methodo, quarum altera docet tenuitritionem perficere in vena exesa alimentis optimæ, & glutinosæ substantiæ: altera quidem his quæ emplasticam habent virtutem citra adstringentium administrationem: emplastica enim medicamenta perforatam partem obstruunt, & obturant, quo minus deinceps sanguis liberè profluat. Atqui dũ obstructio durat, facilè renutritur exesa substantia: prosunt autem portulaca, vel masticata, vel aliter præparata, & ex polygono, equiseto, amylo, tragacãtha, terra Lemnia, bolo Armeno, mucilaginibus, & alijs, quæ huius sunt naturæ, forma liquida, solidaque composita remedia.

Quòd si in aspera arteria vlcus sit, non adeò sanitati resistit, quia & pars siccior est, & locus suscepitandis præsidijs promptior: sic enim ea medicamenta, quæ nuper adduximus, proficua sunt.

Dum verò vena violenter rumpitur, agglutinantia medicamenta ex vsu esse comperimus, vt quæ coniũctis partibus, atque in vnum cohærentibus, facilè vnionem moliantur, quæ mox leges.

Dum verò aperta sua spontè est, ea medicamenta sunt adhibenda, quæ adstringendi facultatem obtineant: nam in sanguinis profusionibus quæ ex hac causa prodeunt, tantùm proficua existunt. In qua re primò abdubitare oportet, an ante adstringentium, & refrigerantium administrationem, sanguinem oporteat attenuare concretum, & à pectore repurgare, ne calfactus in febriculam, & phthisim facilius ægrum deducat, & adstringentium adminiculo pressiùs inhæreat, & longè maius malum efficiat: cum hinc tamen ex altera parte vrget sanguinis fluxus, qui vtcunque à pulmone, vel thorace exiliat, grauis est, In qua hæsitatione rimari oportet, sit ne solutio continui in vasis pulmonis, quo tempore minoris momenti est sanguis concretus, & longè maioris soluta vnitas, cui nisi ocyssimè occurramus, inflammatio protinus succedet: quo fit, vt tutius sit agglutinare, & claudere discissam, & apertam partem, & feruorem remittere, quod fit adstringentibus, & agglutinantibus: posteà verò concretum sanguinem, (aut interim dum hæc adhibentur) posca exhibita attenuare, & repurgare. Cæterum si vas diruptum sit in thorace, eo quòd huius ratione non immineat phthisis, vrget magis sanguis concretus: quo fit, vt primò illum expurgare oporteat, deinde apertum vas agglutinare. Quod etiam sanguine fluente ex pulmone, cæterum per anastomosim, licet pariter obseruare: quia cùm nullum sit inflammationis periculum, vrget magis sanguis concretus, cui primò subueniendum erit, & posteà reserationi vasorum. Verùm ex qua materia hæc omnia medicamenta constent, dictum est abunde capite de fluxu sanguinis narium. Interim tamen scito omni diligentia studendum esse, omne quod apertum existit occludi oportere: & vt commodè medicamentis huic vsui proficuis vtaris, scito, quòd licet emplastica medicamenta, & adstringentia id beneficium præstare possint, cũ hoc tamen inter se longè differre, quoniam emplastica

A siccant solùm sine euidenti adstrictione, cuiusmodi sunt multa terrarum, & lapidum genera: adstringentia verò id munus exequuntur citra euidentem siccitatem, nisi ex accidenti succrescat. Scito insuper adstringentia, vulnera quoque glutinare, item & emplastica, quoniam sine morsu siccant: Verum in hac curatione necessum est omnia adiungere, præterquam vbi vlcus cacoethe, & succis acribus exacerbatum fuerit, tunc enim adstringentia plus obsunt, quia fixiùs tenent parti adhærescentem materiam, quo vehementiùs partem erodunt. Sed auxiliorum exemplum primum ℞. *albumen oui vnius, aquæ rosarum ℥. 2. aceti modicum, mixta conquassataque omnia paulatim sumuntur.* Conficitur etiam aliud *ex rhabarbari* B *puluerizati, & spicæ, anà ʒ. 1. ex mumia gr. 3. rubia tinctorum ℈. 1. cum vino rubro adstringenti, aqua plantaginis, exiguo aceto iniecto, & ex syrupo portulacæ quod sufficiat, fiat ad modum linctus.* In eundem etiam vsum eclegma paratur, q. ℞. *syrupi myrtini, & de portulaca, anà ℥. 2. sacchari, & mellis rosati, anà ℥. 1. tragacanthi, & amyli, anà ʒ. 1. & ß. pulueris radicis symphyti, terræ Lemniæ, boli Armeniæ, lapidis hæmatitis, anà ℈. 1. misce.* Insuper fluxum compescit aliud q. ℞ *coralli rubri torrefacti, & in aceto extincti, ac terræ sigillatæ, anà ʒ. ß. succi portulacæ, aut polygoni, vel vini granatorum, aut lactis vstulati quod sufficiat vt fiat potio:* ex eisdem quoque cum syrupo C rosarum siccatum, myrtillorum, aut portulacæ non minoris pretij paratur medicamentum. Præstat etiam eundem vsum commanducatum rhabarbarum, superbibita aqua plantaginis, aut portulacæ: vel sic confectio ℞. *rhabarbari electi ʒ. 2. torrefiat parum, & subtiliter puluerizetur, & dissoluatur cum decoctione seminis portulacæ, & endiuiæ.* Ex vsu quoque est ipsum in puluerem redactum cum saccharo rosaceo admiscere, & summo mane porrigere: cuius efficaciæ est frequenter saccharum rosaceum vetustioris ætatis præbere, vespere, & mane solum, vel cùm puluere coralli, aut terræ Lemniæ, vel margaritarum præparatarum, aut electuarij de gemmis. Vti etiam poteris hoc q. ℞. *succi portulacæ, & plantagi-* D *nis, anà ℥. 1. corallorum rubeorum ʒ. ß. lapidis hæmatitis ℈. 1. puluerizentur, & mixta mane, & vespere præbeantur.* Prodest id q. ℞. *conseruæ symphyti, & rosarum antiquæ, anà ℥. ß. gelatinæ cidoneorum conditorum saccharo ℥. 1. trochiscorum de terra sigillata, vel de Karabe ʒ. 2. cum syrupo myrtillorum fiat ad modum loch.* Item aliud parabis q. ℞. *gelatinæ cidoneorum, vel succi eorum ℥. 1. amyli, tragacanthi, anà ʒ. 3. terræ sigillatæ, sanguinis draconis, anà ʒ. 2. Karabe ʒ. 1. lapidis hæmatitis ʒ. ß. fiat loch.* Aliud etiam non minoris momenti parabis, q. ℞. *sanguinis draconis ʒ. 2. amyli, tragacanthi, anà ʒ. 1. seminis portulacæ, papaueris, vuarũ, anà ʒ. 1. terræ sigillatæ, rosarum rub. anà ʒ. ß. fiat puluis tenuissimus, qui albumine oui crudo fortiter agitato* E *excipiatur, sumaturque eclegmatis modo, addito saccharo rosa. tabulato.* Est etiam magni momenti præsidiũ, q. ℞. *carnium limacum coctarum in vini austeri, & aquæ plantaginis lib. duabus, consolidæ maioris, & conseruæ rosarum anà lib. s. cum decoctione limacum fiat instillatio: posteà sume prædicti instillati lib. 1. coletur per manicam Hippocrat. cum sacchari rosati dissoluti in aqua plantaginis ℥. 2. santalorum, spicæ, anà ℈. ß.* Benefacit puluis è limacibus in tegula siccatis, trochisci de Karabe, de terra sigillata, de spodio cum succo portulacæ, & plantaginis: item *lapidis hæmatitis, boli Armeni, coralli rubri, mumiæ, aut pulmonis pulmonis vulpis sicci cuiusque ℈. 1. seminis botryos, cinnamomi, anà gr. 15. sacchari rosarum ℥. ß. cum mucilagine tragacanthæ extracta aqua myrtillorum, fiant trochisci.* Licebit etiam parare syrupum è succo plantaginis, vngulæ caballinæ, scabiosæ, & pimpinellæ: sic & illud, q. ℞. *gummi Arabici, tragacanthæ, cornu*

cerui

cerui vsti, lapidis hæmatitis vsti, coralli rubei vsti. anã. ʒ. ß. *boli Armeni.* ℈. 2. *puluerizentur subtiliter, & cum albumine oui crudi misceantur, & patienti quauis hora prabeto.* Benefacit etiam id q. ℞. *testarum oui detractã membrana interiori.* ℥. 2. *in puluerem reducantur; & adde succi saluiæ.* ℥. 2. *aqua plantaginis.* ℥. 3. *sacchari rosati.* ℥. 1. *Actur teiuno.* ℥. 1. *& ß. sic mumia.* ʒ. 2. *mastichis.* ℈. 2. *cum mucagine tragacanthi fiant pilulæ, quarum vna ore contineatur.* Præterea conficies vtile medicamentum, q. ℞. *mucaginis gummi Arabici & tragacanthæ collectæ in aqua rhois, anã.* ʒ. 2. *mumiæ, mastichis, anã.* ʒ. 1. *sacchari rosati quod sufficiat vt fiant pilulæ, quarum vna sub lingua immoretur.* Item alias non minoris efficaciæ conficies, q. ℞. *lapidis hæmatitis, boli Armeni, coralli rubei, mumiæ, pulueris pulmonis vulpis anã.* ʒ. 1. *sacchari rosati.* ℥. ß. *cum mucagine tragacanthi formentur, & prædicto vsui seruentur.* Sed probatum etiam reperio apud plerosque præsidium, q. ℞. *rhabarbari.* ʒ. 2. *seminis portulacæ, coriandri præparati anã.* ʒ. 1. *facta torrefactione in puluerem redigantur, &* ʒ. 1. *sumito cum succo portulacæ.* Ferunt quoque maximi esse momenti id, q. ℞. *stercoris muris.* ℈. 2. *aniforum.* ʒ. ß. *puluerizentur subtiliter, & cum aqua plantaginis detur patienti:* sed maioris est efficaciæ id q. ℞. *scoriæ ferri præparatæ* ℥. 1. *cornu cerui vsti.* ℥. ß. *bulliant in.* ℥. 10. *aquæ plantaginis vsque ad consumptionem medietatis, & facta colatura, adde succi portulacæ.* ℥. 1. *& porrige.* ℥. 3. *& postridie summo mane idem facito.* Sed alimenti vice, & etiam ad compescendum fluxum Celsus herbas edendas sic affectis porrigebat, velut sanguinariam & plantaginem ex aceto. Item ex vsu est, vbi viribus metuitur, expressionibus carnium vti ex perdicibus & turturibus, quarum ventres adstringente materia farciantur. Præterea stillatitijs aquis etiam vteris, vt plantaginis, ex quercu, ex rubo, aut hi, q. ℞. *conseruæ rosarum & symphyti anã.* ℥. 1. *electuarij diarrhodonis, diamargaritonis frigidi, triasandali, aromatici rosati. anã.* ʒ. 2. *spica, cornu cerui, coralli rubei puluerizatorum. anã.* ʒ. 1. ß. *trochiscorum de terra sigillata, de Karabe, de spodio anã.* ʒ. 4. *seminis acetosæ, portulacæ & plantaginis, anã.* ʒ. 1. *aquarum portulacæ, rosarum, plantaginis & vini granatorum, anã.* ℥. 4. *decoctionis duarum turturum & vnius perdicis lib.* 4. *cum mica panis albissimi infusa in vino granatorum, & carnibus vnius caponis fiat instillatio, & coletur per manicam Hippocrat. cum.* ℥. 1. *conseruæ rosarum liquata in aqua portulacæ.* Præstat & ptisana, & aqua hordei cum saccharo, lac item capræ vstulatum, vel cum amylo feruefactum ac cum bolo percolatum; quod grandis solet esse momenti. Nec desunt qui in venæ erosione lac vaccæ calidum, aut si febris adsit, refrigeratum consulant. lac etiam amygdalinum cum amylo: nam sæpe ad lenia iterum est in hoc affectu confugiendum, cùm constet adstringentium vsu sputum sappuratum & difficultatem inspirandi succrescere: ob idque lenia ipsa semper est vtendum, quæ vtrumque scopum adimpleant, vt de tossis ficcis, de papauere, de cidoneis & myrtillorum cum aqua plantaginis & portulacæ, & lotura amyli.

Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videatur, confugiendum esse ad narcotica consilij vrgentæ ratio. Sic etenim tussis sedandi & conciliandi somnum gratia, *philonij.* ʒ. ß. *ex aqua portulacæ porrigere opus erit, si antea tentaueris syrupum papaueris noctu porrigere:* scito tamen narcoticis non esse vtendum nouiter confectis, sed ad minus post sex menses, neque statim à principio mali, sed tentatis alijs præsidijs, & vbi robusta fuerit laborantis natura. Porriges tamen philonium Persicum his qui sic affecti sunt, quippe id est, quod in sanguinis immodicis fluxibus, & qui cum periculo casus virium sunt, ex vsu existit: *Quòd si Romano vti volueris, id porriges dilutum in succo*

A co[n] *sanguinaria*, idque maximè vbi adiuncta est crassæ pituitæ fluxio. Exhibetur autem *vespere theriaca recens crassioris fabæ magnitudine*, gratia conciliandi somnum, & siccandi atque crassandi fluxiones, vbi caloris præter naturam suspicio non sit, sed iterum medicamentum porrigere oportebit quod leniendi vires sortiatur.

Exteriùs tamen thoraci (& quod magis probo) dorso, ob magnam venam ea parte per reptantem, admouebis vinũ adstringens cum oleo rosaceo, myrtino aut cidoneorum, cauens semper quæ vehementer adstringunt, hæc enim potius pellunt sanguinem in pulmonem, quàm quod præsidium præstent. Vulgò enim paratur huic vsui vnguentum, q. ℞. *trochiscorum*

B *de Karabe.* ʒ. 2. *olei cidoneorũ & rosati omphacini. anã.* ℥. ß. *misce, & cum cera fiat ad modum vnguenti.* Sed mirum in modum prodest id, quod fit ex thure, terra sigillata, bolo Armeno, oui albumine incorporatis. aliud etiam paratur, q. ℞. *seminis portulacæ, acetosæ & plantaginis. anã.* ʒ. 2. *coralli rubei & rosarum rubearum. anã.* ʒ. 1. *hypocistidis, acaciæ, granorum myrti, balaustiorum. anã.* ʒ. 2. *& ß. gummi Arabici, tragacanthæ. anã.* ℥. 1. ß. *mastichis.* ʒ. 2. *omnia torrefiant & subtiliter puluerizentur, & misceantur succo plantaginis, & cum oleo rosaceo omphacino & cera, fiat vnguentum*, vel fiat emplastrum, addita farina hordei; aut puluere thuris, malicorij, acaciæ, foliorum plantaginis, radicis symphiti, vel hæc eadem vino austero aut

C nigro decocta. Item ex vsu est q. ℞. *gallarum, corticis. castaneæ, vel polygoni, & corticis mali granati, vel balaustiorum. anã.* ℥. ß. *boli Armeni.* ℥. 1. *sanguinis draconis.* ʒ. 3. *cum albumine oui fiat vnguentum.* Eiusdem vsus est, q. ℞. *olei myrtillorum & rosati omphacini. anã.* ℥. 2. *succi bursæ pastoris & polygoni. anã.* ℥. 1. ß. *gallarum, balaustiorum & bistortæ. anã.* ℥. ß. *ceræ albæ quod sit satis, vt cum modico aceto fiat vnguentum.* Iubet item Aetius, dum sanguinis copiosa fit profusio, spongiam posca imbutam thoraci adhibere. Aliud etiam paratur emplastrum incredibilis efficaciæ, q. ℞. *ceræ, picis, resinæ pini, bitum minis anã. lib.* ß. *manna thuris.* ℥. 3. *cerusæ.* ℥. 2. *opopanacis* ℥. 1. *olei.* ℥. 4. *aceti sextarium, ceram, bitumen, oleum*

D *& maiorem aceti partem in vaso colliquato, deinde picem & resinam adijcito, & vbi semicoctum fuerit medicamentum, vas subducito; & vtcumque refrigeratis atramentum sutorium purgatum, & ex aceti sextario le[uigatum] siccatumque paulatim inspergito; & commoueto, ne quid efferuescat, & cum non inquinas pharmacum vas deponito, opopanacem in reliqua aceti parte* (nam maior pars statim initio cum alijs in vas data est) *maceratum immittito: vbi dissolutus fuerit, cerussam & mannam tritas inspergito; & paulatim tepefaciens agitato ve coeant, & ne opopanax nec manus adhæreant: hinc in mortarium transfusa circumagito, misceto, at tandem vsui reponito.*

Quòd si ex erosione ob capitis destuxum malum

E oriatur, ad fontanellam in altero brachiorum confugere tutissimum & vtilissimum fore arbitror. Nec minoris momenti est distantissimam loci mutationem tentare, præsertim ad maritimum aut pinife[r]um solum, vel ad siccam & temperatam regionem maximè si natiua sit: nam hæc maioris solet esse momenti.

CAPVT VI.

De pleuritide & de cæteris thoracis doloribus, ac de pericardij & membranarum interfepientium thoracem affectionibus.

DEcreueram integrum caput pericardij & mebranarum thoracem interfepientiũ affectionibus dicare, Posteà quàm melioris gratia visũ fuit hoc vno

vniuersa vitia tunicis thoracis attinentia complecti, ante pleuritidis tractationem. Credibile profectò est prædictas membranas non minus posse inflammatorijs affectionibus, & quibusuis alijs affici, & ab eisdem caussis, ac pleura, vel quæuis alia thoracis particula: solùm enim certo scio, vt rem difficilem, & signa sortitam obscurissima, authores non sine magno laborantium incommodo, rei difficultate perterritos prætermisisse, aut simulasse. Quapropter primò constituere oportet signa, quæ prædictarum partium affectiones distinctiùs patefaciant, & inter se distinguãt. Cùm enim inflammatorio aliquo affectu pericardion, aut membrana thoracem intersepiens corripiuntur, protinus laborans acuta corripitur febre, cũ ingenti siti, inquietudine, spiratione celerrima, & frequenti, ac thoracis incendio: cum hoc tamen nullus apparet in thorace dolor, aut quàm leuissimus, & is in thoracis medio ad sternon, vbi angustia potius, & offendiculum in inspiratione apparet, quàm dolor, quod solet esse deceptionis occasio. Adest etiam tussis siccior omnibus à principio, posteà verò cum sputis rubris, aut flauis: item pulsus qualis pleuriticorum, durus, & inæqualis, non tamen æquè manifesta inæqualitate, sed aliquando maiores. Quibus profectò signis quis facilè adduci potest vt credat pericardium, aut membranas intersepientes inflammatorium aliquem affectum pati: nam licet sputum pleuriticorum sputis simile existat, non tamen pleuritidem conijcere licebit, cum dolor lateris, isque pungens non sit, neque adhuc peripneumonia censenda est, cum pulsus durus insit, & difficilis respiratio, & angustia non ita pressa, & grandis sicut in ipsa. Verum præter dicta signa, si in pericardio affectio fuerit, aderit æstuatio, & phlogosis maior, ad syncopim laborans facili occasione, & frequenter accedit: dolor nullus adest, licet in membranis intersepientibus aliquis eluceat, nõ tamen ita grauis, ac pleura inflammata: nam hæc costis alligata læditur facilè, & maiores ob id concitat cruciatus, illæ verò cum ossibus non ita facilè accedant, non æquè dolent: offendiculum tamen maius, & angustiam persentiunt sic affecti, sortientes inculpatam vrinam, ac forsan non improbè se habebunt ad oblationem. Huius affectionis arbitrati sunt nonnulli Auicen. expositores, ipsum meminisse, sub nomine inflammationis velaminis distinguentis: ex cuius authoris verbis euidenter constat, ipsum non intellexisse nisi inflammationem septi transuersi. Sed his missis, arbitrandum est, hunc affectum, pleuritide esse grauiorem, tum propter cordis viciniam, tum verò ob maiorem febrem, & difficiliorem curandi aditum, quia venæ illarum partium minorem longè, quã pleura, habent cum communibus venis, quæ scindi possunt, communionem. Vtcunque tamen sit, quia sequiora accersit accidentia, quibus vires longè citius labuntur, præter id quòd remedijs grandioribus non subest locus, celeri motu laborantem (ac forsan inopinatò) interimit. Curatio his partibus affectis dissimilis plurimum non est ab ea quæ pleuritidi profutura est. Cum hoc tamen sanguinis detractio, saltem quæ primò efficitur, copiosior futura est, vt & partem affectam refrigeret, & sanguinem ab affecta parte, quæ recondita est, alliciat: nec cunctandum est, iterum & tertiò sanguinem detrahere, quinimo arbitror vtiliores esse nouissimas sanguinis detractiones. Interim tamen dum sanguis mittitur, thoraci quæ attemperent, leniant, mulceantque partem ipsam, adhibenda sunt: huic ministerio incumbit oleum violaceum pannis eo madidis adhibitum. Ac si pericardium inflammari constiterit, præterquam quòd frigida actu, aut saltem tepida præsidia adhibenda sunt, admiscebis mucagines psyllij, aut seminis citoneorum, vel muliebre lac cum aqua intybi, vel, si placet, eis admiscebis farinæ hordei modicum. Mox tamen à principio ex pectore instirues materiam educere his; quæ mox leges in pleuritide: minus tamen sacchari recipiant, ne ingenti calore citius bilescant. Quibus factis corpus purgabis cassia, aut manna, serapio ex infusionibus violarum, aut rosarum: item ad materias reliquas emplastris vteris maluarum, althææ, & violarum cum caricis, & passulis, cum farina seminis lini, & fœnugræci, ac mucilaginibus althææ, & seminis citoneorum: & de his hæc sufficiant.

Huic etiam capiti reducere institui septi transuersi inflammationes, & vitia. In qua re statuendum est, septum duobus modis posse inflammari: vno frigida ac pituitosa inflammatione, & alio calida, & acutissima, quarum omnium essentiam, & signa ca. de phrenitide latius scripta reperies in explicatione pseudophrenitidis, quam septo transuerso inflammato succrescere diximus, differentes curatione vsque in hunc locum. Septi transuersi frigidus, & diuturnus abscessus eam curationem omnino desiderat (præmisso difficultatis curationis præsagio, maximè si vetustior fuerit) quam scripsimus curantes obstructionem leuium arteriarum ex tuberculo, cap. de inflammatione pulmonis: quibus adde (præmissa purgatione, & nullo sanguine misso) per interna, quæ discutiant, & emolliant, vt butyrum, & pinguedines omnis generis cum iure pulli: exterius verò fouebis partem lixiuio cum modico aceto, & oleo chamæmeli, & anethi, liliorum, & similium. Formabis etiam emplastra cum radicibus althææ, maluæ, liliorum alborum, seminibus lini, & fœnugræci: quibus addere poteris styracem, terebinthinam, ammoniacum, & cætera gummosa: item ex vsu est emplastrum meliloti. Quòd si hæc profuisse non constet, sarsæ parillæ decoctum cum iure pulli præbebis, aut ad sudandum dabis, maximè si admiscueris theriacæ modicum, aut instillationem ex ea, & decocto sarsæ extraxeris: reliqua verò vt in difficili respiratione, tam in victu quã in medicamentis institues. Verùm si tumor sit ex tenui sanguine, vel bile, vereri profectò oportet, ne citò æger in extremum vitæ discrimen procidat, cum ex delirio minus ad ea, quæ offerũtur, obsequentior fiat: nam præter morbi vehementiam, vires citissimè exoluuntur: quo fit vt diligentiùs rem tractare oporteat. Curandi igitur ratio pleuritidis curationi omnino similis existit: præterquam quòd mox à principio quæ modicè refrigerent anodynis, & resoluentibus admiscenda sunt: huius naturæ est oleum rosaceum, cum axungia gallinæ, & oleo amygdalarum dulcium, vel cum vnguento pleuritico: profunt & perfusiones ex violis, maluis, lactuca, & chamæmelo, quibus addes fœnugræcum, melilotum, & semen lini: ex quibus etiam emplastra conficies. Quibus factis, & præmissis vniuersalibus, si hæmorrhoides innatæ sint, sanguinem ab eis hirudinibus fundes, & postmodum emplastris vteris modicè attemperantibus, & posteà discutientibus, & capiti etiam prouidebis oxyrrhodino, & balneis extremarum partium.

Pleuritis, quæ à pleura membrana succingente costas, nomen susceptat, & lateralis morbus à Latinis appellatur, inflammatio est membranæ quæ costas succingit, aut musculorum intercostalium. Qua in re subaudire oportet inflammationis nomine, phlegmonem, siue tumorem durum, & dolentem, cuius occasione, & ob naturam, ac situm particulæ affectæ, accidentia succrescunt, quibus mille modis à morbis instrumentorum respirationi seruientium dissidere constat. Sed antequam ea, quæ ad notitiam, & curationem huius affectionis proficua sunt, scribam, nosse oportet, quanam ratione pleura, quæ membrana est, velut quæ ventriculum constituunt, septum transuersum, intestina, & vesicam, adeò frequenter hoc malo corripiatur, cæteris (quæ eiusdem sunt conditionis, & magis fluxionibus obnoxiæ) rarò, aut nunquam

quam

quam inflammationem patientibus. Huius euentus ratio ea est, quam Galen. assignat obscuris quibusdã verbis lib. 4. de locis affect. cap. proprio: nimirũ quòd hæc venis careat grandioribus, & quæ in minimas alterius partis degenerent venulas. Est quidem omniũ fluxionum ratio hæc, videlicet quod à venis maioribus ad minores perpetuus fiat humorum commeatus: quo fit, vt cum pleura minimis tantum venis scateat, quæ à maioribus aliarum partium disseminantur, & in ipsam desinunt, comparatum habeat aliarum partium fluxionem suscipere, qua semel habita ob rationem adductam, necessum est pati, quòd non habeat venas, per quas alteri parti communicet susceptum vitium, quia solum extremitatibus venarum intertexta est. Quòd si aliquando constet ex pleuritide peripneumoniam fieri, credendum quidem est, susceptum in pleura humorem non illuc migrare, sed aliam eius portionem quæ casura erat in prædictam pleuram, misisse in pulmonem naturam ipsam turgentem. Ac ne nos decipiat pleuræ dolor, qui subitò cessat, succrescente peripneumonia, arbitrandum est, naturam per insensilem halitum discussisse breui tempore quod pleura admiserat. Quo fit, vt mox à principio resolutionis necessum sit dolorem cessare: tum ob adductam rationem: tũ verò quia præexistens affectus altero maiori denuo succrescente obscuratur: quo sanè fit, vt supernæ partes, vel inferiores, & aliæ quæ venas habent maiores, difficilius inflammationibus corripiantur, quòd habeant proximas venas minores in quas sese exonerent: cæterum pleura, quæ venis scatet paruulis, cogitur, quod aliundè transmittitur, suscipere: & cùm non sit vnde transmittat quod semel suscepit, constat necessum esse frequentiùs inflammationibus tentari.

In quo sanè affectu tanquam in re grauissima, multa forent expendenda, ni docendi ratio, & methodus coegisset omnia quadrimembri diuisione complecti: quorum primum monstrabit differentias, quibus mira, & inextricabili varietate hic affectus Medicos, vel peritissimos deludit: secundum signa omnibus in genere communia, & cuique speciei propria, & peculiaria, vt ignorantiæ omnis desit excusatio: tertium causas docebit motiuas, & quæ omni fluxioni occasionẽ præstant: differentiam item fluentis ad particulam humoris: variant enim hæc sicut affectus tempora curationem: quartum verò & vltimum curandi rationem, & viam præscribit.

Circa primum, posthabita Barbarorum omnium inutili huius affectionis diuisione, placet Galen. sectari, qui pleuritidem dissecat in legitimam, & illegitimã ac notham (liceat mihi sic loqui distinctionis gratia) legitima quidem est, quæ ex solius pleuræ inflammatione proficiscitur: illegitima quæ ex musculis intercostalibus internis inflammatis principium sortitur, dum pleuræ etiam damnum commune efficitur ob resudationem ad ipsam: notha verò quæ ex inflammatione quoque musculorum intercostalium fit, cæterum externorum, quæ visu, & tactu haud obscurè distinguitur. Sed legitimè addenda est, iudicio nostro, alia species longè à prædictis diuersa, quæ ex inflammatione membranæ costis adhærescentis suboritur, quam membranam Græci periostion appellant: ex cuius inflammatione dolor proficiscitur cognitu, & curatu adeò difficilis, vt & laborantis salutem, & Medici gloriam non rarò perdat. Huic etiam accedit alia, dum humor, videlicet, in pleuram confluens non colligitur apostemosa collectione, sed solùm copiosius in aliquibus venis ipsius pleuræ immoratur. Tertia verò his adiungitur, pleuritidi etiam veræ finitima, nimirum dum membranæ thoracem intersepientes inflammantur: quippe hæ per negotium vitæ facessunt, ac verus morbus lateralis: ita quidem vt arbitratus fuerit Musa in aphorismis, inflammationem hanc mediastini, veram esse, & legitimam pleuritidem, eam tamen quæ in pleura fit, saltem in eius superiori parte, notham, & spuriam: sed figmentum hoc est: nam ratio maioris, aut minoris periculi, non efficit verum, aut spurium affectum. Est itidem alius pleuritidi finitimus affectus, nimirum, dum inferioribus costis inflammatis septum transuersum, & ventriculum compati contingit, non sine magno laborantium dispendio, ni rem magna diligentia distinxeris. Accedit etiam alia pseudopleuritidis species, quæ ex iecoris inflammatione orta, finitima est prædictis: nec tamen intelligendum est, hanc fieri ex quauis iecoris inflammatione, sed in his tantum corporibus, quibus natura comparatum est hepar fibris quibusdam alligari costis inferioribus, in quibus laborante hepate imago quædam pleuritidis repræsentatur, dolore plerumque costas inferiores, & iugulum simul occupante.

Pleuritidi etiam illegitimæ alia succrescit species, nimirum, cùm materia quædam crassa, & viscida, in membranis pectoris colligitur per totum thoracem, vnde dolor grauis, tussis, difficilis respiratio, & ficta pleuritis succrescit: quæ sanè neque materia, neque loco, neque morbi specie vera est, cùm neque dolor pũgens sit, neque febris ardens, haud secus quàm dum flatus membranis, aut musculis intercostalibus impacti pseudopleritidis spuriam aliam speciem progignit. Quarum sanè omnium naturam, signa, & causas ante auxiliares manus venari studebis: alioqui multus sanguinem detrahes, aut non detrahes, quibus plus damni quàm commodi subsequi comperies, idque non sine magna admiratione Medici, decepti sub specie pleuritidis.

Signa.

Secundum huius capitis propositum continet signa quibus affectus huiusmodi notitiam in genere venari possumus, & rursus ea quibus vnamquamq; eius speciem. Quæ considerare oportet in triplici esse differentia: quædam enim speciem morbi declarant, ab eaque sunt inseparabilia, quæ pathognomonica nuncupantur. Secundi generis sunt quæ assidentia nuncupantur, non semper quidem morbum comitantia, sed sæpè cum illo accidunt, ac differentias distinguũt ab affecto loco, & affectus specie, aut affectionis natura: suntque pathognomonicorum effecta, vt sputũ cruentum, flauum, lingua arida, ad iugulum, vel ad hypochondrium inclinans dolor, in hoc latus facilior, quàm in alterum, decubitus. Tertio loco sunt mox apparentia in triplici contenta sorte, nimirum coctionis, & cruditatis in sputis, deiectionibus, & vrinis: salutis, & mortis ex his quæ toto corpore apparent, & in excrementis etiam: vltimo loco critica. Sed his omissis, sunt hæc quæ à Medicis vulgari nomine pathognomonica appellantur. Quæ sanè apud Galen. & Hippocrat. lib. 1. aphorismorum 12. numero tantùm existunt quinque: quorum primum dolor est lateris pungens: nam licet affectum constituat tumor præter naturam: cùm habeat abditam, & reconditam corporis sedem occupare, fit profectò, vt non possit cognosci, nisi ex doloris modo, & grauitate. Expendere tamen circa hoc signum oportet, primò cuiusnam conditionis, & naturæ dolor sit: quod venari docuit Galen. 2. de locis affect. ex affecta particula: quo fit, vt constet eum debere esse pungenti similem: nam cùm inflammata particula membranosa sit, & ex neruea substantia contexta, fit dolorem pungentem inflammatam producere: ex quo etiam prodit non rarò, dolorẽ ad distantes partes extendi, quòd membrana omnem thoracis cauitatem obducat. Atqui licet huiusmodi dolor ex inflammatione prodeat, non ob id sequitur debere esse pulsatorium, siquidem pulsatorius proprius est partibus arteriosis inflammatis, loco tamen pulsationis punctionem sentit laborans,

rans, ex humoris natura, & affectæ particulæ conditione.

Dubium.

Sed dubitare hac in parte licet, qua nam ratione pleura arterijs careat: quod factum esse suspicor, quia calorem à corde sibi vicino susceptat, & ventilationem à pulmone, quemadmodum gibba hepatis ob septi transuersi viciniam arterijs orbata est: nam & vesica fellis venis alimentalibus caret, & interna cordis ob sanguinis copiam qua fruitur: quo fit, vt pari lege hæ partes. Cum hoc tamen conspicimus non raro adesse lateralem dolorem, cui pulsatio adiuncta est: sed expendendum est, id non accidere veræ pleuritidi, sed ei tantùm quæ obsidet musculos inter costales internos, quòd arterias sortiantur, & etiam plures ea parte qua subiacet musculis, nam tantùm eis orbatur ea parte qua ossa attingit, ne in perpetuo esset dolore, aut pulsationis sensu ex ossium vicinia: quippe credendum non erat vniuersam pleuram omnino arterijs orbari, sed solùm qua parte ossa attingit: qua ratione exquisita pleuritis, etiam dum ingenuissima est, & in suppurationē degenerat, pulsatoriè dolet, quòd musculos prædictos, hoc est pleuram ipsos cooperientem inflammatio præ magnitudine comprimat, & ipsa tunica inflammata extensa ad musculos quoque pulsatoriè doleat.

Dubium.

Rursus consideratione hac in parte dignum est, qua nam ratione ex laborantibus pleuritide, quidam grauiùs doleant cubantibus supra latus contrarium, quidam verò supra affectum: quod obscura quadam sententia explicuerat Galen. lib. de constitutione artis med. cap. 18. dicens, ob id fieri, quia membrana appellata pleura, erat duplex: non quòd re vera talis sit, sed quòd eius exstat crassitudinis, quòd altera eius pars per se inflammari possit, citra alterius vitium, & iacturam. Sed huius historiæ ratio est duplex: altera quæ exquirit quanam ratione quibusdam magis supra idem quàm supra contrarium latus cubantibus doleat: secundum verò cur doleat magis cùm decumbit laborans supra sanum, & cur dum supra ægrum. Primus quidem enodatio est, quia in sanum latus conuersus tumor suspenditur, atque ita distenditur membrana quæ patitur, qua occasione necessum est dolorem exasperari. Verùm cùm ægro lateri incumbit, quia subiecto corpore supprimitur, pars ampliatur, & dolor exacerbatur fusa latiùs materia: præterquam quòd pulmo lateri affecto innititur, quapropter minus semper molestantur sic affecti ex supino decubitu. Secundi enodatio est, quia dum laborantes sentiunt dolorem supra sanum latus cubantes, ob id est, quia membranæ pars quæ exterior est (hoc est quæ respicit cauitatem thoracis) inflammatur, appenditq; inflammatio, & ob extensionem maiorem infert dolorem, quàm cubantes supra idem latus. Cæterùm cum cubantibus supra latus affectum maior succrescit dolor, eo est, quia inflammata est interior tunicæ pars, qua parte costis adhæret: quippe eo tempore procumbit inflammatio supra osseam duramque substantiam: quo fit, vt grauius dolere sit necessum. Qua etiam signi conditione secernes veram pleuritidem à reliquis omnibus, in quibus nulla, aut quàm leuissima in decubitu supra hoc, vel illud latus subest differentia ratio.

Secundum signum quo huius affectus noticiam venamur, febris quidem est, necessariò huic affectioni adiuncta, quia affectio phlegmonosam naturam sapit; cui procul dubio proprium est calidam intemperiem esse, quod œdemati, & scirrho non contingit. Prodit insuper hanc febrem de genere ardentium fieri, non quidem ex affectus conditione, & natura, sed ex affectæ particulæ situ: nam prope cor sita est pleura. Et cùm ardentis febris ratio sit locum putredinis iuxta cor situm habere, hinc est, inflammatam pleuram necessariò ob dicti visceris viciniam, febrē

A ardentem sibi comitem habituram. Quo etiam signo ab alijs huius mali speciebus vera pleuritis dissidet: nam in nulla aliarum febris ardens reperiri potest.

Tertium verò signum, respirationis est difficultas, quæ multis profectò rationibus prædictum affectum commonstrare valet: nam cùm pleura quoque respirationi ob costarum motum videatur subseruire, certum est cùm læditur, lædi quoque respirationem ipsam. Qualis autem futura sit, docuerat optimè Hippocr. lib. 1. prognost. 27. dicens: *Spiritus frequens dolorem significat, aut inflammationem, &c.* quo loco euidenter monstrat difficilem respirationem constare ex frequentia, & paruitate ipsius. Parua quidem fit respiratio, quia præ nimio dolore partis affectæ animal B non audet tantum distendere thoracem, quantum necessum sit pro vsus indigentia: quapropter necessū est fieri paruam, & ex consequenti frequentem, quia id quod à magnitudine detrahit natura propter dolorem, adimplet frequentia, vt vsui satisfaciat, qui magnam, & celerem respirationem postulabat: præterquam quòd morbus ille in figura impedit quo minus thorax tantam susceptet aeris copiam, quantam par erat: quo fit, vt frequentia compenset magnitudinis defectum. In quo sanè signo ferè omnes pleuritidis sortes conuenire videntur: quippe omnes difficilem respirationem sibi comitem habent, ea excepta quæ in tumicis ossium reperitur.

C Quartum signum constituit pulsus, qui serræ similis efficitur: cuius signi gratia tria expendisse oportet primum, quanam ratione pulsus fiat durus in quibusuis pleuræ inflammationibus, siquidem non fit omnibus communis influxus, & æqualis: cui dicimus duplicem esse duritiei naturam, & causam, quarum altera dependet ex inflammatæ partis conditione: altera verò ex affluente humore. Sic partes laxæ carnosæ, & pingues licet inflammentur, non protinus pulsum durum efficiunt: remittit enim particulæ mollities duritiem, quæ ex affluenti humore contrahitur, vt in pulmonis inflammatione Galen. accidere statuit. Sic prorsus contrario modo partes membranosæ, & neruosæ suaptè natura maiorem ex quouis humore contrahunt duritiem, D velut pleura inflammata efficere creditur, licet longè maiorem duritiem contrahat septum transuersum. Habet tamen pleura aliud peculiare propter propriam naturam, quò possit duros efficere pulsus, quòd ob ascendentes arterias, tunica quadam vestiatur sibi simili: sicut descendentes arterias alia ex peritoneo: quo quidem fit, vt dum inflammatur membrana illa propter sympathiam, & consortium, longè maiorem inferat duritiem: nam tensa parte inflammata ex affluente humore, facilè tenduntur reliquæ cum illa connexionē obtinentes, quibus tensis necessariò suboritur quoq; tensio in arterijs, tum ex natura partis affectæ, tum ex connexione illa. Altera verò durities proficiscitur, nō E solùm ex natura humoris (vt in flaua bile, & melancholia contingit) sed ex vberiori copia; quæ nata sit duritiem media tensione efficere: quibus constat, quanam ratione membrana inflammatione affecta, dura reddatur. At inæqualitas quæ pulsum serrantem efficit; ex inæquali duritie, & tensione ipsius tunicæ quæ in consensum arterias trahit, suboritur: tum propter villos, quibus hac in parte colligantur, seu vestiuntur arteriæ, quibus tensis ob inflammationem, necessum est arteriam quoque distendi, idque inæqualiter, enim arteria ex parte non omnino, & æqualiter prædictis villis cooperiatur: quo fit vt partes quæ liberæ manent à compressione villorum altiùs eleuentur, compressæ verò villis depressæ maneant, figura quidē dentibus serræ persimiles. Cui causæ accedit quòd partes inflammatæ non replentur omnes ex æquo, vt fiat æqualis extensio, fieret enim eo tempore gangræ-

na

na ob caloris suffocationem, qui nullibi ventilari potest. Sic profectò inæqualis efficitur pars quædam ex inflammatione ampliùs repleta, altera verò minus: quæ sanè plenitudinis ac duritie inæqualitas pariter reperitur in arterijs, siquidem per consensum patiuntur, & cùm compassionis ratio eadem teneatur esse, sequitur pulsum fieri serræ persimilem: nam altera arteriæ pars quæ duritiem repræsentat, tactum acutiùs ferit, altera verò mitiùs. Pertinet autem huiusmodi differentia ad eam pulsus inæqualitatem quæ fit in vnica pulsatione, cæterùm in diuersis partibus arteriæ. Tertiò expendisse oportet circa huius signi enodationem, qui fiat quòd Galen. aliquando pulsum pleuritidis paruum, nonnunquam mediocrem, & aliquando magnum appellet: quod factum esse suspicor, quia poterit pulsus varias differentias sortiri, iuxta id quod in inflammatione præualet: nam si superat phlogosis, seu incendium, tensionem ipsam à qua durities prodit, necessum profectò est pulsus fieri magnos: cæterum si hæc superatur à tensione & duritie, fieri quidem paruos necessum erit: nam quod tensum durumque efficitur, minimè potest plurimum distendi. Verùm si vtraque causa ex æquo se habeat, certum est pulsus fieri mediocres: quantum enim caliditas nititur magnos efficere (vt sic loquar) tantum resistit durities & paruos reddit.

Quintum & vltimum signum suboritur ex tussi, quæ necessariò huic affectioni succrescit: cuius occasione duo addubitare oportet: primum an tussis necessarium sit pleuritidis signum: secundum, an huiusmodi tussis necessariò sicca teneatur esse à principio. Circa primũ dubitandi ratio hæc est, cùm enim constet tantùm posse tussim excitare quæ liberum aeris ingressum prohibent, & vix huic actioni dicatæ tantùm in pulmone existant, ac pleura longè distet ab eius situ, dubium videtur quanam ratione eius affectiones tussim excitare possint. Crescit dubitandi occasio, quòd hac sola ratione natura fabrefecerit asperam arteriam cauam & bronchijs solidissimis intertextam, ne conciderent & protinus obstruerentur: quòd si aliquando contigerit aliquid ibidem incidere, tussim machinata est, qua facilè illud excerneret, Sed ratio potissima est, quia cùm in principio pleuritidis adeò cruditas vigeat, vt nihil resudare cõtingat, quod ad tussiendum lacessat naturam, ob id videtur tussim necessariò pleuritidi nõ succrescere. Cum hoc tamen statuendũ est, eam esse necessariam, cùm thoracis caro nitatur expellere quod sibi molestat: & sic in principio, dum nihil resudat à parte inflammata, potius videtur tussiendi cupiditas, quàm vera tussis. Sed videndum est, an necessum sit pleuritidi à principio inesse semper tussim siccam: ratio dubitationis est, quia contrarium videtur Hippocrat. in sinualle. 4. acutorum, quo loco inquit: *At si os madescat*: & rursus prima aphor. 12. *Quòd si statim sputum appareat*: qua parte ostendit sputum apparere in principio, hoc est statim, & intra tres primos dies, quibus constat necessarium nõ esse, tussim fore in pleuritide siccam. Cui dubitationi dicimus, sex causis in pleuritide tussim apparere siccam: prima ob membranę ipsius densitatem soliditatemque, cuius substantiam permeare nequit protinus humor intra ipsam contentus: secunda ob humorum crassitiem, viscidiratem, & lentorẽ: tertia verò propter humorum cruditatem, quos esse à principio coctos est impossibile: quarta ob facultatis animalis, et musculorum thoracis infirmitatem: quinta ob dolorum vehementiã: & vltima propter bronchiorum obstructionem. Quibus aliam addit Hippocrat. in prognosticis, nimirum, dum nihil expurget pulmo plenus, sed in gutture ferueat, cũ stertore quodam, humore per vim diuiso ab aere inspirato. Quibus adhuc omnibus aliam cõsiderationem adijcies, nimirum idem posse accidere dum inflammatio est

A in musculis intercostalibus. Quippe hęc omnia distinxisse oportebit, nequis decipiatur aut in præsagio, aut in curatione, cum quæuis prædictarum causarũ longè diuersam ab alia expostulet medendi & mitigandi rationem: quæ quidem non solùm est pleuritidis, sed crudæ pleuritidis signum. Quapropter credendum est, non esse verè pathognomonicum signum; designat enim potius pleuritidis tempora, quàm ipsam pleuritidem.

Superest quidem nunc docere, qua via pleuritis vera à reliquis dissideat, & quomodo quæuis spuria dignoscatur: sic profectò si dolor extensus sit, conijcere oportet inflãmationem non esse in mediastino. Præterea dolor, qui fit ex imbibitione humorum, nõ erit B pungens, sicut dolor veræ pleuritidis, quòd porositates, quas replet, tendat potius, non dilaceret, quia non efficitur abscessus, & ob id dolor erit extensus & tensiuus magis. Sic pari ratione distingues copiam humoris in venis pleurę existentem, ac nondum efficientem abscessum, à vera pleuritide, quia dolor grauatiuus est magis. Item à musculorum inflammatione seiunges, tum quia dolor est magis circumscriptus, tum verò quia minimè erit pungens. Itaque in notha pleuritide tussis nulla est, nisi fortassè à destillatione à cerebro: pulsus nec durus nec tensus: febris non æquè acuta, nec ita difficilis spiratio. Præterea dolor pressu contactuque exacerbatur, isque pulsans est, non pungens propter musculorum intercostalium inflamma- C tionem: pleura enim qua parte costis subest, arterias non habet: qua vero arterias recipit, vt in medijs costarum interuallis, non comprimitur, nec proinde dolorem pulsatorium facit, quantumuis inflammetur, nisi humore eunte in suppurationem, quo tempore adeò crescit quòd à musculis ipsis comprimi possit, & pulsatoriè ob id doleat. Insuper in hac mendosa pleuritide nihil excernitur vt dictum est, et ob id nihil malignitati morbi adscribẽdum est, licèt tussis accedat, quòd pleura ad musculorum inflammationem coinflammetur: dolor neque ad iugulum neque ad costas se extendet: pulsus minus erit durus: & symptomata omnia pariter mitiora erunt. Præterea si dolor in latere oriatur, à flatu distendente simulanteque veram D pleuritidem id facilè nosces & distingues, quia hic nõ est fixus, sed varius & vagus ac per interualla repetẽs, pleuriticus verò stabilis ac perpetuus. Cui, vt vera pleuritis designetur, accedit, necessum esse prædicta signa omnia simul assistere, ita vt vno deficiente, licèt reliqua quatuor præsint, pleuritis vera non sit. At in reliquis eius speciebus longè aliter res se habet: nam vno aut altero vel pluribus ex prædictis signis apparentibus, sat est vt cognoscatur, maximè si prædicta signa aliquo modo sint mutata, vel accidenti aliquo affecta, quo videantur dissidere à signis veræ pleuritidis. Sic inflammatio iecoris cuius accidentia æmulantur signa veræ pleuritidis, dissidet ab ea loco, pulsu, dolore, vrinæ colore, & tussi: loco, quia semper dolet pars E dextra, & infra costas apparet aliqua durities vel tumor: dolore, quia grauis est dolor, non pungens: item vrina coloratior apparet; tussi, quia adest sine screatu omni morbi tempore, & cum hoc iuxta iugulum molestia persentitur. In peripneumonia pulsus adest vndosus, non durus vt in pleuritide, & pro dolore sentitur pondus mox à principio, ac tanta adest respirandi difficultas, vt laborantes non nisi recta ceruice respirare possint; quibus accedit febris maior quã pro ratione doloris. Quòd si hæc omnia adfuerint, & delirium quoque, ac in pulsu euidentior durities, septum transuersum inflammari certum est. Si verò periosthon inflammari contingat, dolor profundior apparebit, fixus ac veluti clauus parti infixus & nullibi extensus, aderit decubitus supra idem latus grauior, minor pulsus, nec durus neque inæqualis: tussis leuior, aut nulla, & in qua nihil excernitur: leuamen à sangui

nis

nis detractione, vel nullum, vel paruum. Cum tamen ex crassa pituita, quæ tumorem præter naturam fabrefacit, dolor oritur, ipse nullam habet acutiem, sed grauatiuus potius est, febris nulla, tussis intensior, qua post longum tempus parum, & crassum excernitur, à quo nihil leuatur laborans (nam in vera pleuritide quantumuis crassa sit materia, quod in principio spuitur tenue est, quia veræ coctionis principium crassorum est attenuatio, donec ad mediocritatem procedente coctione reducatur) respiratio veluti in asthmate grauis, & quæ difficilior est quàm doloris conditio expostulare videatur, veluti si intercostales musculi inflammationem paterentur: sed dissident, quia in horum inflammatione dolor tactu præstito supra partem dolentem percipitur pulsatorius. Contingit præterea quibusdam catarrhum patientibus costas dolere, vel à flatu simul eunte cum defluxione pleuram distendente, vel ab ipso humore fluente imbibitoque in prædictam tunicam, & sibi vicinas citra vllam collectionem: qui sanè dolor pleuritis non est, sed pleuritidis præludium, sicut dum solum viget humor in venis partis dolentis, nondum in spatia non naturalia delapsus, sed ibidem tensionem, & molestiam efficiens. Dignosces autem id ex febre, quæ vel leuissima est, vel nulla, ex dolore qui hinc inde vagatur, ac licet fixionem habeat, non magis exacerbatur cubanti supra idem quam supra contrarium latus: quod verò tussi excernitur (quod à primo die contingit aduersus pleuritidis naturam) pituitosum est, & album, minimè sapiens conditionem humoris resudati per pleuram, neque alicubi collecti.

Est alia præter dictas pleuritidis sortes, quam pseudopleuritidem licet appellare, quæ more veræ pleuritidis quinque signis nuper adductis insignitur, & cũ hoc vera pleuritis non existit: nam dum ex frigore dolor alicui laterum incumbit, & ex dolore febris succrescit, & ex eodem frigore defluxio prolabitur, quæ & tussim, & respirationem difficilem, nec non & pulsus tensionem inferat, fit proculdubio vt veram pleuritidem æmuletur prædictus dolor. Interstinguet autem peritus Medicus, vera ne sit, an ficta, quia licet laborans incumbat supra alterum latus, non subinde sequitur magis dolere, neque adhuc si vehementer tussiat: præterquam quòd febris, transacta prima die, cessat tanquam ephemera ex dolore, & adhuc sputum merè pituitosum est. Quæ omnia expendisse oportet, ne perperam, & frustra sanguine misso, frigidius reddatur intemperamentum, & grauior fiat dolor.

Causæ. Causas qui exactè venari studuerit, priùs in externas, & in occasionem, & in internas, ac abditas tenetur dissecare: & deinceps externas complecti oportet bimembri diuisione: nam aut calor est, humores fundens, & liquans, ac vias laxiores reddens, vel frigiditas, quæ repulsit ab externa compressione facta, fluxionem concitat. Sic Aquilone flante ob repulsum, & compressionem fluxiones fiunt, sicut Meridionalibus ventis præ calore. Internæ verò causæ bimembri quoq; gaudent diuisione: nam vel ratio mali prodit ob membrum mandans, quale caput solet esse, vel vniuersum corpus, ob maiorem efficaciá ad transmittendum humorem nocuum: aut fit ex impotentia recipientis pleuræ, quæ ob aliquam prægressam, aut præexistentem occasionem facilior, & rarior susceptione excrementorum effecta principium malo præstat. Sed cùm raro citra tertiam causam prædictæ in affectum concurrant, ipsam diligentiùs expendisse oportebit. Est autem humoris alicuius adeò ingens redundantia, aut deterrima qualitas, quòd validæ partes sese exonerantes, in pleuram, omnium imbecilliorem violenter transmittant. Sed inter humores quibus proprium est huic malo materiam præstare, sanguis primum locum habet: est enim inflammatio, quæ plerunque ex affluente fit sanguine: sed quia pars quæ recipit, puta pleura, vasis donata est paruissimis, & solidæ substantiæ, frequentiùs contingit flauam bilem illuc migrare, aut saltem maximam eius copiá sanguini, vel pituitæ esse admixtam, quæ vehiculum solet reliquis humoribus existere: melancholia autem raro id malum excitare habet, pituita verò medio genere ambigit, sed dum bili admiscetur, frequentiores generat pleuritides, quam quiuis alius humor. Non quidem quòd tenuioris sit substantiæ, quod necessum erat, vt posset pleuram peruadere, sed quòd fluxionibus efficiendis copiosa, & promptior subsit, dum bili, aut sero aliquo admiscetur, adeò vt nullam liceat reperire pleuritidem ita exquisitam, quòd aliquid pituitæ admixtum non habeat. Sed in hac re controuersia Galeni dirimenda est, qui licet libro de const. artis Medicæ cap. 3. asseratit, iuxta adductam methodum, posse pleuritidem à quouis humore fieri, lib. tamen de loc. affect. probat melancholicum humorem non posse pleuritidi materiam præstare. Multi verò illius loci expositores censent, secundo loco Gal. non negare pleuritidem non posse fieri ex melancholia, sed non posse fieri primò, & per se, sed cum vasa musculorum, & partium pleuræ vicinarum scateant melancholico sanguine, ex quo potest resudare aliquid in pleuram, & melancholicam efficere pleuritidem: non quidem primò vt ex reliquis humoribus, sed modo nuper adducto. Ego tamen arbitror, verum esse vtrunque Galeni dictum: nam lib. de locis patientibus, probè asserit melancholicum, & pituitosum humorem per se non esse aptos ad penetranda vasa, & foramina pleuræ, & ob id iure optimo negat posse pleuritidem efficere: lib. tamen de constitutione artis Medicæ, & 6. aphor. 33. docet posse fieri ex prædictis humoribus, cæterum concurrentibus sanguine, aut flaua bile, quorum adminiculo crassi humores prædictas partes peruadere possint, & inflammationem efficere. Verum quia cuiusque humoris pleuritidem efficientis seorsum meminisse studui, hac ratione supersedendum est hac in parte ab eorum signis; quia incumbit monstrare cuiusuis pleuritidis futurum euentum, tanquam id, sine cuius cognitione impossibile est rectam instituere medendi rationem.

Nosse enim in hac re oportet magnitudinem pleuritidis, conditionem, & impetum, vt cuiuis facilè constet quantum, quale, & qua diligentia tenetur præstare auxilium; nec non & prædicens coram ægris præsentia, præterita, & futura, vt (sicut Hippocra. docet) mortis, aut alterius cuiusuis sinistri euentus culpa carere videantur. Qua in re expendere oportet, summam huius rei pendere ex tempore futuri status, & robore virium: hoc verò nosces ex actionibus, & pulsu: illud quidem ex natura excrementorum, quæ præ se ferunt conditionem humoris peccantis. Quippe hunc vsum præstant signa mox apparentia, nimirum salutem, mortem, breuitatem, aut diuturnitatem significantia: iuxta illud Hippocr. *Sed ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur, &c.* Sic & signa assidentia morem morbi monstrantia magnum in hac re præstant vsum: & vt ad pensum redeam, biliosum, & rubrum sputum breuitatem morbi pollicentur: securius tamen est rubrum: & diuturnitatem pituitosum, ac melancholicum proferunt, sed hoc cæteris est perniciosius: cæterum neque id semper infallibiliter verum comperimus, sed facta collatione ad vires vel naturales, quæ ante decimum quartum diem (tempus sanè pleuritidi ad expurgationem, & salutem dicatum) ad materiam concoquendam adniti consueuerunt, vel ad animales, quibus incumbit secernere quod natura concoxerit, & suppurauerit: vtriusque enim actionis defectu, vel alterius succumbit laborans, quantumuis humor benignus existat: sicut dum robustæ sunt ambæ, & indomitum humorem euincunt, & laborantem ad salutis portum deferunt. Et licet plura sint signa quibus *Præsagia.*

bus

bus ars docet cognoscere humorum, & morbi prædi- A ctum statum, quæ firmiora, & fideliora existunt, coctionis sunt, aut cruditatis: illa enim celeritatem iudicij, & morbi securitatem ostendunt, sicut hæc è contra. Ne tamen decipiamur in iudicio coctionis, aut cruditatis in pleuritide, expendisse oportebit, quid cruditatis, & quid coctionis nomen importet. Cruda enim apud Hippocra. tria significare euidenter constat ex sententia illa: *Cruda verò & incocta, & quæ in malos abscessus abierunt.* Primùm cruditas se tenet ex parte naturæ non agentis: secundum verò ex parte humoris qui suaptè conditione coctibilis non est: tertium quidem, & vltimum corruptum humorem designat, qui nullam vsquam à natura gratiam suscepture voluit. Quæ sanè qui non exactè calluerit, fateatur se neque præsagire, neque curare in prædicto morbo probè posse. Cruditas enim qualis in principijs morborum visitur, sæpè simpliciter cruditas censenda est, quia nondum natura aggressa est materiam ipsam: incocta verò materia, ea quæ licet à natura aliquam actionem recipiat, nihilominus tamen ipsa incocta, & incoctibilis manet: incocta quidem sicut prima cruditas: incoctibilis verò non defectu naturæ, sed sui. Ex qua dum pleuritis suboritur, sicca ab authoribus nuncupatur: nam ea in qua nihil spuitur in principio, quòd natura nondum aggressa sit coctionem, sicca censenda non est, sed ea in qua post actionem naturæ, tanta est peruicacia, & incoctibilitas materiæ, quòd nihil excernatur notatu dignum: quæ C mortem, si citò morbus iudicetur, portendet; sicut diuturnitatem, si natura iudicium differat. Sicca etiam pleuritis efficitur, quòd in suppurationem tendat: quod censeo Hippocra. in malos abscessus abire dixisse: fit enim est in pleuritide prauus, malusq; abscessus, qui suppuratione finitur. Insuper his accedit alia pleuritis, quæ siccæ nomen meretur, facta quidẽ ob mutabilitatem, & turgentiam materiæ, quæ ob prædictam mutabilitatem neque coquitur, neq; quidquam per resudationem transmittit. Quibus cognitis, non erit difficile iuxta cuiusque cruditatis differentiam, & naturam coquentia adhibere auxilia, aut prædicere quo se vertet morbus: crudæ enim pleuritides nihil aliud quàm morbi diuturnitatem ostendunt: incoctæ verò, si ex virium defectu prodeant, mortem: si ex renitentia materiæ, morbi diuturnitatem, & tandem suppurationem, ex qua etiam mortẽ vereri post varios labores, non est abs re. Sic profectò coctiones, quas multis modis docuit cognoscere Hippocr. 1. aphor. 12. mille etiam modis salutem, & breuitatem morbi ostendere habent: salutem quidem, quatenus coctio est, breuitatem autem quatenus hoc vel illo tempore apparuerit, iuxta illud Hippocr. *quòd si statim sputum appareat, morbum breuiat*: & tertio popul. *Coctiones celeritatem iudicij, & morbi securitatem ostendunt.* Sed materiam non esse incoctam cognoscimus eo quòd per tussim aliquid excernatur, cuius etiam conditiones attentè intueri licet, vt quantũ præualeat natura noscamus. Spuitionem etiam, & sputum appellat Hippocr. illud, quod tussi reijcitur: spuitionem quidem cruditatis indicium: sputum verò simplici, & primo significato, maturum, & perfectum intelligitur, nisi aliqua imperfectione insigniteris: nam solet, dato quòd natura excernat aliquid, tã esse crudum, crassum, aut summè tenue, quod licet non indicet summam cruditatem, vt nihil spuere, indicat tamen maximam, nisi aliquid inæqualiter coctum secum tulerit, quod iam principium coctionis ostendat. Quòd si flauum, & crassum fuerit, si viscidum, si liuidum, aut nigrum, si sincerum, aut varijs coloribus permixtum, si difficulter, & tardè ob visciditatem, vel defectum naturæ excretum sit, proculdubio signa sunt hæc contrariæ coctionis, & quæ difficile iudicium, ac non rarò mortem ostendunt. Su- A perest adhuc dubitatione dignum, si verum est, vt nõ rarò conspicimus, pleuritim in pulmoniam, aut phrenitidem mutari, quę nam sit via, per quam id fieri possit, cum videatur impossibile: siquidem pulmone trahente quod resudat ex pleura, solum fiet difficilis respiratio ob asperas arterias eo humore plenas, non inflammatio. Cui dubitationi dicimus, tribus modis posse pleuritidem in pulmoniam migrare: vno sugente pulmone, & humore permeante ex arterijs asperis in leuiores, & reliquam carnem, qua efficitur pulmonia: secundò dum è toto corpore confluit in pleurã, & quod in venis illi proximis inest, remeat ad pulmonem antequam in pleuræ carnem dilabatur: & est mutatio pleuritidis in pulmoniam, quatenus ad causam B attinet: nam quod semel in ipsam confluxit, rarò migrat in pulmonem, sed per resolutionem euanescit, materia illuc fluxura ad pulmonem recurrente, vt dictum est in prima parte huius capitis: & quia scatet minoribus venis à quibus non est ad aliam partẽ commeatus, nisi modis dictis, non autem per defluxum ex pleura ad dictas partes: tertiò cùm idem fit, materia à cerebro in pleuram delabente: quippe resoluitur quod confluxit, & fluxurum procidit in pulmonem. Quod etiam de commeatu huius affectus in pleuritidem subaudire oportet, ac addere quartam causam, nimirum euaporationem eius, quod vel in pleura, vel in pulmone continetur, ad caput, in quo densari oportet, & calfieri, ac ex consequenti, vel deli- C rium effici, vel inflammari, & phrenitidem gigni: præsagire insuper licet de doloris exacerbatione quinto, aut sexto die facta, si mitior eo vsque apparuerit, malũm: sic enim in Coacis statuerat Hippoc. quippe vbi molliter cœpit, & latenter paulatim augetur, ac vehementissimus efficitur, periculosus censeri debet: tum propter sexti diei perniciem, in quo bona signa nõ fida sunt, & mala perniciosa: tum verò quia quinto die exacerbari, signum est victoriæ supra naturã, & innuit materiæ potentiam, atque efficaciam. Secus res se habet dum pus conficitur, quòd eis diebus fieri est impossibile. Præterea mediastini dolorẽ grauissimum, & periculosissimum arbitramur, tũ quòd tunica ea parte densissima sit, & resudationi inepta, D tum verò quia proximior est cordi.

Curandi ratio. Cognitis, & diligenter consideratis quæ hucusque dicta sunt, vt clariùs adhuc innotescat curandi ratio, hoc vnum præ oculis semper habeto, quòd ratione particulæ affectæ, & situs eiusdem, multa sunt auxilia huic affectioni proficua, quæ nulla lege adhibenda sunt, vt de repellentibus auxilijs parum inferiùs monstrabimus.

Dubium. Sed antequam huius grauissimi affectus curationem aggrediar, in dubium vertere studui, an semper liceat à sanguinis detractione initium curationis auspicari. Et primò videtur posse ab vsu discutientium pharmacorum initium sumi: nam in hoc affectu materia in affecta parte contenta tantum facessit nego- E tium, quòd ferè cæteras indicationes obumbret, vt visum fuerit Hippoc. lib. 2. de ratione victus, à fomentis resoluentibus incipiendum fore. Quibus proculdubio vti docet primo loco, docens calida adhibere fomenta, quæ non tentandi gratia, vt falsò vulgo fertur, adhibenda sunt, sed ad moliẽdam resolutionem eius quod in parte contentum erat. Nam sunt inter pleuritides nonnullæ adeò leues, & citra alium morbosum apparatum, vel in corporibus adeò extenuatis, vt solum sufficere videantur prædicta fomenta: præterquam, quòd mox à prima adhibitione, vim habent monstrandi, sit ne corpus plenum, aut secus: quippe in plenioribus corporibus, eis adhibitis exacerbatur dolor, & euidenter monstratur à sanguinis detractione esse incipiendum. Cum hoc tamen si eis opus habuerimus, neque temere, neque vt sors tulerit, adhibenda veniunt, sed in ea pleuritide, quæ ex le-

tissima prodit plenitudine, aut eadem iam deposita, A considerare oportet materiam peccantem, & iuxta eius ideam fomenta parare. Nam si materia pituitosa sit & fluxilis, ex siccis medicamentis ea constituere oportebit; si verò biliosa, ex humidis & quæ anodynam habeant virtutem: quòd si eis adhibitis perstiterit dolor, innitendum non est, sed ad alia auxilia protinus properandum. Nam adeò graue periculum impendet à prædicta affectione, vt tutius mihi & omnibus videatur, semper à sanguinis detractione incipiendum fore, nisi vel corporis macies, vel virium imbecillitas, vel affectionis paruitas contrarium instituerint. Quod multis rationibus verum esse suspicor, licèt id quoque cum distinctione debeat intelligi: nam cùm humores per venas confluant ad affectam parB ticulam, tutius est sanguine extracto per venam scissam, eundem reuellere & euacuare, quàm euocato maiori defluxu calorificis auxilijs, aut pharmaco purganti adhibito, maiorem efficere tumorem.

Dubium. Liceat ne aliquando principium curationis auspicari ab exhibitione purgantis pharmaci, in dubium quoque vertitur: nam constat ex Hippocr. in descendente pleuritide, & ea quę ad costas vergit mendosas, initium curationis ab expurganti pharmaco esse sumendum: præterquàm, quòd statutum est, si humores sinceri sunt, & ab alijs segregari, purgandos fore. Quibus etiam accedit, humorem ad pleuram fluentem vicem turgentis sortiri, quòd ad partem principem confluat, ac ex consequenti eadem die oportebit purgari, C cui non æque subuenit sanguinis detractio. Sed contrariam sententiam tueri magis hac in parte placet: tum quia affectus vrgentia & conditio maius suscepta levamen sanguine misso (quia quod in parte continetur, eo auxilio euacuatur commodiùs) tum quia impetum humorum promptiùs detrahit sanguinis detractio: tum etiam quia Hippocr. non renuit sanguinem mittere in descendente, sed statuit quo prædictorum auxiliorũ vtendum sit magis: præterquàm quòd ea sententia non omnibus viris doctis recepta habetur. Expendere insuper in hac re oportet, quòd licèt Hippocr. cum dolor ad hypochondria descendit, laxantia præscribat, ad materiæ tantum antecedentis eductionem Galen. ea concedit, siue ab splene, siue D cauis hepatis educi oporteat: non quidem à thorace, idque non semper: quippe sanguinis detractione opus est, vt Soranus in Hippocr. taxat, & Galen. etiam tacitè. Quamuis enim minus (inquit) proficiat in dolore inferiorum partium, attamen eius vsus securior est quàm purgationis, ob multa incómoda quæ possunt in purgando euenire, quæ etiam ibidem enumerat. Et Rasius quoque eius sententiã sequitur, dicens meliorem esse phlebotomiam. Cum hoc tamen si quando purgatione vtendum est, eius indicationem auget dolor si leuis sit, si æger gracilis & non plurimo sanguine abundans: item si vires sint infirmæ, si difficultas expectorandi adsit, si pleuritis coctionem susciat, & si laborans sanguinis detractionem vereatur: E nam si hæc non adsint, loco sanguinis detractionis purgatione vti suspectione non caret. Præterquam quòd pharmacum maiorem infert turbationem in crudos & motos humores: nam quod commotum est, & iam iam in particulam irruit, citatiùs ad eam mouetur. Huic rationi adstipulatur alia, nimirũ quòd in principijs tumorum præter naturam nihil ab affecta parte purganti medicamento extrahitur, sanguinis verò detractione plurimum. Ex quo constat, in quauis pleuritide à quouis succo oriatur, etiamsi ipsi debeatur expurgans medicamentum, principium curationis semper auspicandum fore à sanguinis detractione, habito tamen respectu ad humoris ideam: ità tanto minus sanguinis est detrahendũ, quanto vnius humoris redundantia apparuerit: nam si flaua bilis, pituita salsa, vel quiuis alius sincerus redundauerit, A parciùs sanguis mittendus est, quantum sat sit, vt fluxionis impetus compescatur, mox verò purganti pharmaco vtendum, vt quod per corpus vagatur, seligenti medicamento expurgetur, ne doloris ratione & fluxionis impetu in partem dilabatur: frustra enim arbitror esse in pleuritide alia ratione vti expurganti medicamento: nam hac indicatione in principio & in omni pleuritidis tempore vti conceditur: siquidem quod inflammatione continetur, supputatione, vel insensili resolutione ac resudatione, & tussi euacuari potiùs debet, quam purganti pharmaco. Materiæ tamen antecedentis occasione in sanguinea pleuritide, nulla lege purgandum censent sapientiores, in alijs verò, quæ ex prædominio alicuius humoris concitantur, purganB dum est: neque plurimum differre oportet prędictum auxilium, sed prima, aut secunda, vel ad summum tertia sanguinis detractione facta, prout purior vel sanguini admistus apparet humor peccans: insuper nec vereri oportet in biliosissima pleuritide rhabarbari modicum adijcere, non quidem in substantia, ne viæ thoracis arctiores fiant, miscere tamen semper oportet aliquid cassiæ, vel syrupi ex infusionibus violarum cum prædicta rhabarbari expressione, vt vtrique scopo satisfactum sit, lenitioni quidem partis, & superflui excrementi eductioni.

Verùm si his præmissis, Medicus cognouerit affectionem adeò esse duræ ceruicis, quòd nec calidis fomentis, nec expurganti medicamento cedere videaC tur, arbitrari eo tempore tenetur, maiorem esse vasorum plenitudinem, & maiorem etiam fluentium humorum ad particulam impetum. Quapropter vniuersum negotium committere tenetur sanguinis detractioni, cui tanta inest vis & efficacia, vt non solùm humorum copiam minuat, & impetum retrahat, sed quod in affecta parte contentum est etiam deriuatione, dum in venis partis adhuc viget, & nouo retrocessu ad venas, si iam delapsum est, euacuat. Sed vniuersalis huius curationis gratia expendere oportet, hunc affectum tumorem esse præter naturam, cuius curationem scribens Galen. licèt ex distemperie, mala figura, & soluta vnitate constet, in quatuor partes dissecat lib. de constit. artis medicæ, & lib. 13. meth. ca. 9. D quarum quælibet ex fluentis conditione sumitur. In qua re iubet considerare quantitatem humoris per vniuersum corpus vagantis, & copiam ad particulam affectam irruentem, tertiò quantitatem eius quod delapsum iam est in partem affectam, & vlnmò qualitatem ac dispositionem eiusdem humoris, tam delapsi & contenti in parte inflammata, quam eius qui fluxurus est aut fluit. Quibus è directo respondet reuulsio, euacuatio, repulsio, deriuatio, & resolutio, vt placuit Galen. loco citato. *Sanguinis detractio.*

Verùm quia harum indicationum nullam optimè poteris exequi, quin priùs sanguinem miseris, perdiscere anteà oportet, ex quo loco, quantum & quòmodo eum extrahere opus sit. Ante omnia tamen considerandum & statuendum est, aliquando eò rem deueniE re, quòd sanguinem mittere opus nõ sit, quippe in debilibus, & his, in quibus frequenter defluxiones à capite delabuntur, ob cruditatum abundantiam, mittendus non est statim primo mali accessu: maximè si sputum facilè exeat, album sit, vel sanguinolentum, & dolor leuis: nam flatuosa substantia adeò pleuræ venas distendere assolet, quòd rarefactis poris sanguis cum dolore exiliat, & per sputum excernatur, simulãs pleuritidem, in qua si sanguinem miseris, non minus lædes quam in debilibus, & catarrhosis, qui leuẽ patiuntur febrem. Sed caue, ne te hæc, quæ diximus, decipiant, & sanguinis missionem differas, si res aliter se habet, & vera sit ac fraudulenta pleuritidis conditio: quapropter nisi euidenter cognoueris aliquam ex prædictis causis pleuritidem simulare, qua re vera tamen non sit pleuritis, consulo ne sanguinis detractionem

nem differas: quippe longè maius damnum sequitur ex prætermissa vacuatione vbi opus est, quàm ex ea facta vbi necessaria non existit.

Quibus suppositis, vbi cognitum fuerit sanguinem esse mittendum. Primò sciendum est, dubitatum fuisse apud antiquos omnes, nec non & Neotericos, ex quanam parte sanguinem in morbo laterali extrahere liceat, à parte affectæ proxima, an à distanti, cùm certum sit reuulsionem fieri non posse nisi à distantiori, deriuationem verò expediri à proxima. Cuius dubitationis alteram partem Medici omnes ex Arabum familia tuentur, asserentes in primis necessum esse à distantissimis partibus sanguinem extrahere: verùm cùm falsum semper varium sit, & multiplex, constat ex eorum scriptis, alios ex vena tali eiusdem lateris, alios etiam ex talo contrario, plures tamen ex opposito brachio sanguinem primò mittendum, & mox accedendum ad affectam particulam, statuisse. At Græci omnes, & Latini, vni veritati consentiunt, nimirum sanguinem esse extrahendum potius è directo partis affectæ ab ea parte quæ proxima sit affectioni. Arabes tamen fulciunt suam opinionem sententijs quibusdam Hippocr. perperam intellectis, quæ si probè expendantur, nihil minus probant quã eorum decretum. Est tamen tanquam fundamentum, quòd in omni tumore præter naturam, siue affectu, qui ex defluxione humorum ad aliquam particulam concitatur, necessum est sanguinem mittere ab ea parte, quæ tutiùs, & citiùs reuellat humores fluentes, quo lõgiùs distrahantur à loco affecto. In cuius rei probatione innumera Hippocr. & Galen. loca adducunt, quæ primo accessu id videntur sonare, sed aliquid illis deest, cuius ignoratione longè distant à veritate.

Cæterùm ne nobis idem vsu veniat, quod multis accidere solet, nimirum frustra tempus conterere in refutandis futilibus rationibus, & fundamentis perperam intellectis, hoc vnum liberè audeo asserere: nimirum totam Barbarorum errandi occasionem stare in deprauato intellectu naturæ reuulsionis, quæ necessaria est in curatione huius affectus. Cuius gratia expendere oportet, qua via fieri possit, quòd facta reuulsione, quam Barbari primò moliendam esse adstruunt, necessum cum hoc sit, & possibile, ab eodem latere sanguinem extrahere. Est itaque (vt res à primis principijs expendatur) in quauis euacuatione triplex intentio, seu finis, qui reuulsionem, seu retractionem fluentis materiæ, aut eductionem à parte intendit: & cùm hæc ratio tripliciter contingat, hinc etiã fit triplicem esse retractionis speciem. Prima sanè est, dum ad distantissimas partes fit humorum euocatio; secunda dum ad contrarias: tertia verò & vltima, dũ humoris fluentis euocatio fit ad originem fluxionis. Præstat quæuis harum reuulsionum suam gratiam, & vsum immutabilem quidem, & necessarium, promanantem à diuersitate status, seu conditionis materiæ, cuius ratione, & occasione adhibetur: nam aliquando præcautionis gratia reuulsionem molimur, quo tempore dubium non est, quin necessum sit ad distantiores partes fluxionem reuellere, præsertim cũ totius corporis consensu affectus fit. At verò dum humor iam moueri ad particulam aliquam cœpit, æquũ profectò est, & necessarium, ad contrariam ei ad quã fluit, contrario excitato motu fluxionem diuertere: quo sensu arbitror Hippocrat. dixisse, posteriora capitis dolenti recta vena frontis inscisa iuuat. Verùm dũ fluxionis origo cognita fuerit, neque ad contrariam partem, neque ad distantem reuellere opus est, sed vnde humor digreditur, eodem retrahi debet: sic profectò in fluxu sanguinis narium cucurbita iecori adhibita, si ex dextra nare profluat, summoperè conducit. Atque hæ sunt reuulsionis species, quarum Galen. expressè meminit lib. artis medicinalis cap. 85. Quibus eodem loco, & pluries alibi duas addidit peculiares

A conditiones, quibus necessum est omnem reuulsionem fieri, nimirum seruandam esse hanc legem in quauis, vt cum rectitudine, aut connexione partis affectæ fiat, si profutura est. Quam sanè rectitudinem non, vt Fernelius, arbitrari oportet, sed his figmentis omissis, per rectitudinem, seu cathixim Hippocr. subaudire eam rectitudinem oportet, quæ est inter dextram partem cum partibus eiusdem lateris, & inter sinistram cum sinistris. Monstrat quidem fidissimũ experimentum eodem modo semper contingere in his vacuationibus quæ secundùm naturam fiunt: sic enim altera totius corporis pars paralysi affecta, reliquam incolumem relinquit: sic sanguinis fluxus, qui per nares fiunt è directo partis affectæ, laudat Galen. contrarios verò damnat: nam rationabile est, partẽ

B dextram sese in eandem exonerare, si quid illi superest, & nocet: nam faciliùs dextra pars per dextrum latus, quàm per sinistrum expurgatur. Hac enim lege fabrefecit natura in animalibus, & plantis bina omnia, vt altero læso reliquum euaderet incolume: signũ profectò diuisionis membrorum. Sic & in plantis semini dicauit geminum situm, quem septo quodam medio diuisit, vt si altera pars seminis læderetur, altera incolumis speciei propagandæ superesset. Quibus rationibus cõiectabile est, dextram partem cum dextra & sinistram cum sinistra maiorem societatem habere in affectionibus suscipiendis, & propellendis, quàm dextra cum sinistris, aut è contra.

Secunda verò reuulsionis conditio est, partium cõ-

C mercium, & communitas: nam licet sæpè conueniat rectitudinem prædictam seruare, tantæ efficaciæ est connexio, seu communitas partis affectæ, cũ ea à qua sanguis extrahendus est, vt sæpè potiorem sui præstet indicationem: quinimo vt verum fatear, arbitror hanc esse in omni vacuatione seruandam (maximè si affectio vrget) potius quàm ex reliquis aliquam. Est tamen prædicta communio duplex: vna quæ consistit in vno communi venarum trunco à quo disseminantur venæ partis affectæ: sic altero crurum male habẽte, alterum scarificare iubet Galen. quia vtrumque crus in vnico communicat trunco venæ cauæ descẽdentis. Secunda communio ea est quæ fit inter venarum oscula: nimirum cùm oscula vasorum eiusdem

D lateris cohærent: nam coniectabile est vnius lateris venas societatem maximam, & communionem habere cum venis eiusdem lateris, ita vt communi quodam consensu vena scissa in eo latere, quod in eodem superest, per venam scissam faciliùs, & promptiùs extrahatur, quam alterius lateris vena aperta. Quod hac ratione euidenter constabit, supposito priùs fundamento, nimirum satius esse in pleuritide à parte affecta sanguinem mittere (etiamsi à vena sine coniuge, quæ dextram habitat corporis partem, octo, aut nouem costæ inferiores vtriusque lateris alantur, quo videbatur semper à dextro latere in quacunque parte sit dolor, sanguinem esse mittendum: quam dubitationem tollit secunda communionis ratio) ac etiam

E si in principijs inflammationum decretum sit apud omnes Medicos, necessum esse à distantioribus, & contrarijs partibus sanguinem detrahere. Sed huius controuersiæ hæc est potissima decisio, nimirum aliud esse sanguinem mittere in pleuritide, & membrorum principalium inflammatione, & longè aliud in quouis alio affectu cuiusuis alterius partis: nam in alijs affectibus ob partis naturam, & securitatem, cõstat solam reuulsionem posse fieri citra vitæ, aut alterius periculi crimen. At in pleuritide tantum facessit negotium, quod in particula colligitur, etiam si parũ sit, quòd necessariò mixtam præstet indicationem, ac celerius expostulet auxilium, quàm id, quod per distãtes, aut contrarias fieri potest. Quamobrem consulit vrgentiæ ratio ab ea parte, per quam reuulsio, & deriuatio ab affecta parte fiat, sanguinem esse mittendum:

nam

nam ab ea reuellimus, vt principium inflammationis expostulat, & denuamus, vt affectus sæuitia, & efficacia desiderant. A

Sanguine itaque misso ex hac parte, coniectandum est, minimè tantum eius extrahendum esse quantum superare, & affectum exposcere compertum fuerit: sæpe enim ob immodicam sanguinis detractionem, quantumuis necessaria existat, labascit in opere expulsionis facultas, &, quod superest intra tumorem præter naturam, expellere minimè valet, adeò vt cocta, & superata materia laborans intereat. Quod sanè licet in alijs morbis non contingat, in pleuritide verò frequentiùs euenisse comperimus. Ratio quidem est, quia facultas cuius munus est expellere, diuersa existit specie à facultate coquente: hæc enim de genere B est naturalium, illa verò animalis, & voluntaria existit: quamobrem satis est infra subsistere, quò expulsioni potentior supersit facultas. Prouidendum etiam est, ne confertim, & semel sanguis extrahatur: vacuationis enim modus ex pulsu, sanguinis motu, colore, & corporis habitudine metiendus est. Sic sanguinem inspicere oportet: nam si initio purus, ac ruber fluxerit, cùm tamen liuidus, aut aliter viciatus excernitur, sistendum est: si verò à principio aquosior, & crudior videatur, claudenda vena est dum rubicundior apparuerit. Sed expendendum est, prædictum præceptum de mutatione coloris non semper obseruandum esse, non modo ob vires, quæ periclitari videntur, larga sanguinis detractione ad mutationem vsque coloris C facta, sed quia interdum in phlegmone impactus est humor adeò, vt inde nihil trahi possit, quin priùs totius corporis sanguis excernatur: solùm enim locum habet prædictum præceptum, vbi Galen. insinuat li. de sanguinis missione: nimirum secta vena parti affectæ propinqua, & in magnis inflammationibus. Præterea institues sanguinem extrahere quouis tempore, si haberi non possit leuior accessionis hora: quòd si remisso iam dolore (vt sæpè contingere solet) subitò noua succrescat affluxio, ita vt symptomata quoque reuerti videantur iterum, & sputum recrudescere, tùc profectò constat optimum fuisse, confertim non fecisse vacuationem, sed partitè, vt de Anaxione retulerat Hippocra ita vt sanguis iterum mitti tutò possit, D quòd viribus collapsis ex copiosa vacuatione fieri nequit: cum hoc tamen in recrudescente hac pleuritide, cautè hoc vel aliud opus aggredieris, ac si salutem prædixeris, ignorans futuram recrudescentiam, prudenter te retrahes, maximè si corruptione periclitari phlegmone, ac vires labi, & spirandi difficultatem adesse, aut stertorem apparere conspexeris. Præterea considerabis laborantis ætatem: nam in pueris præsertim pinguioribus, quibus vires debiles sunt, & venæ inconspicuæ, hirudinibus vtendum est in curuatura brachij: item considerabis, sit ne suppressa aliqua ex consuetis, & vtilibus vacuationibus: tunc profectò si affectio firmata in latere fuerit, à venis ipsi proximioribus sanguinem detrahes; sin aliter, aut solùm incipiente inflammatione, non erit citra maximum beneficium à venis ani, in hæmorrhoidibus, aut mensibus suppressis, incipere, & tandem ocyssimè ad venas brachiorum deuenire. Quòd si æchi aliqua ex prædictis vacuationibus adiungatur, quæ satis non sit naturæ, aut consuetudini, quantumuis vrgentissimus sit affectus, à venis talis curationem auspicaberis, dummodo eadem die sanguis è brachio mittatur. Verùm, dum affectus est vrgentissimus, adeò, quòd procrastinationem hanc citra periculum non admittat, aut vires adeò proiectæ, quòd tantam vacuationem ferre non possint, etiam si menses, vel hæmorrhoides fluãt, à vena brachij sanguis extrahendus est, dummodo, interim dum fluit, vinculis, & constrictis femoribus, & suris affixis, prædictam vacuationem veluti manu contineas, quo minus impetu fluentis sanguinis illuc irruat, vt abundè dictum est lib. nostro de fœminarum morbis, cap. de menstruorum cum morbis implexu, & prouidentia. A

Pleuritide affectis eam victus, & vitæ rationem institues, quæ à principio admodum sit tenuis, & parca ac pauci nutrimenti: sat enim est iuscula carnium, oua sorbilia, & fructus alios, vel hordei decoctum cũ saccharo præbere: ni vetens vinum casum extrema autum, vel gallinæ hepata præstiteris. Posteà verò dũ laborans copiosius expuere cœperit (signum profectò fluxionem cessare, & victoriæ naturæ supra causam morbificam) tunc quidem maiorem alimenti copiam porrigere studebis: formam tamen victus non mutabis, donec naturam cognoueris, vel immunem, vel maiori ex parte liberam ab accidentibus, & opere coctionis existere. Quibus autem id fieri debeat, facilè discet Medicus, si præ oculis habuerit humectationi thoracis innitendum esse iusculis, & humidis cibarijs, nec non & moderatione lenioris sputi, amygdalato, amylo, & alijs huius census: Item viribus reficiendis innitatur etiam, donec expurgationi necui sufficiant: quo tempore vtendum est ouis sorbilibus, panatella, & carnibus pullorum, vel alterius auis, quæ teneræ sit substantiæ. Potus ex aqua sit, hordeo, vel saccharo, aut glycyrrhiza decocta, aut aliter, quo gratior gustui fiat: vinum verò omnino in hac affectione interdicere oportet, nisi vel in perfecta declinatione, aut virium roborandarum gratia, quod rarò venit in pleuritide, præterquam in ea, quæ alicui alteri morbo succrescat. B C *Victus ratio.*

Sanguine igitur misso, & vita hac lege instituta, mox curandum est, vt quam celerrimè humor intra membranam delapsus indidem pellatur. Quod sanè opus cum per repellentia auxilia fieri nequeat, necessum est per discutientia fieri, aut per ea quæ coctione præmissa, sensibiliter facta resudatione tussiendo pellant. Cæterùm coctio hunc ministerio proficua non est de genere suppurationis, sed tantum est humoris præparatio, & veluti via ad coctionem: suppurare enim in pleuritide nefas est, mouet enim natura humorem ibidem contentum, attenuat, aut saltem prima caloris rudimenta præstat, ac per tunicæ poros quasi D digerens sensibiliter transmittit. Quod sanè opus in nulla ferè corporis parte, in nulloque alio tumoris genere exequitur natura, sed solum suppurationi, aut resolutioni intenta est, nisi in pleuritide, quia sensibiliter excernit à parte intra ipsam contentum. Quamobrem Medicus idem opus æmulari tenetur iuxta humoris peccantis conditionem, attenuatis nimirum humoribus crassis, incisis qui viscidi sunt, reductis ad mediocritatem qui tenues existunt, & tandem vijs parationibus factis ad expulsionem. Fit quidem hoc opus duobus modis, nimirum medicamentis intro sumptis, & extra appositis: extra verò adhibentur ea auxilia, quæ triplicem obtinent facultatem. Prima quidem & quæ primò adhibenda sunt, anodyna existunt, vt sedato dolore nihil, aut parum deinceps ad E particulam fluat: sunt autem huius generis vnguentum pleuriticis appellatum, quo mox à sanguinis detractione vti oportet: fomenta item parantur, humida quidem vesica, aut spongia excepta ex oleo dulci, violarum, sesamino, cum modico decocto maluato, violarum, & fœnugræci, ac seminis lini. Quem quoque vsum præstat illud, q. ℞. *olei violarum, & amygdalarum dulcium, anà ℥. ß. mucaginis seminis citoneorum ʒ. 6. mucaginis seminis psyllij ℥. ß. ceræ albæ quod sufficiat, vt fiat linimentum* æstuanti, & bibosissimæ pleuritidi proficuum. Præstat & aliud, q. ℞. *mucaginis seminis citoneorum, & althææ, anà ℥. 1. mucaginis fœnugræci, & seminis lini, anà ℥. ß. olei lumbricorum, & medulla crurum vituli, anà ʒ. 3 æsypi ʒ. 2 ceræ quod sufficiat vt fiat vnguentum,* minus calidæ pleuritidi vtilissimum. Eundem vsum præstat imbuta lana in oleo lilio-

liliorum, sesamino, & amygdalarum dulcium, cum axungia gallinæ, maximè si flatuosum aliquid præfuerit: mucagines verò extrahendæ sunt in aqua vngulæ caballinę, violarum, saluiæ, aut hyssopi. Rursus quędam habent resoluendi virtutem, ac pleuram aperiendi, quo facilius ibidem contentum exsudare possit, quibus vtendum est mox, prædictis adhibitis, & simul cum ipsis: nam & suo modo anodynam quoque habent facultatem. Sunt autem hæc quæ nuper diximus, additis paulò calidioribus, & diaphoreticis: cuius conditionis est chamæmelum, anethum, hyssopus, vngula caballina, saluia, folia lauri, maximè si addideris puluerem ireos, sicut prædictis vnguentis prædictum puluerem, & hyssopi, chamæmeli, anethi, cumini, thymi, marrubij, brassicæ, & aliorum quæ consimilem habent virtutem. Præstat eundem vsum emplastrum filij Zachariæ: ac si resoluere in animo sit, ei vel vnguento pleuritidis addes (maximè, si, vt sæpè solet, maligna sit pleuritis ex corruptione, vel natura) oleum naphthæ, iasminorum, &, quod experimento felici non rarò probaui, oleum Matthioli, aut theriacæ modicum. Vsus etiam docuit profuisse plurimum emplastrum, q. ℞. *axungiæ porcinæ* ℥.4. *succi caulium* ℥.2. *pulueris cymini* ℥.1. sic & aliud magno pretio habitum apud nostri seculi prædictos viros, q. ℞. *de radicibus althææ coctis, ac pistatis, & extractis per setam lib ß. farinæ fabarum, fænugraci, & seminis lini, anà* ℥. *ß. pulueris chamameli* ʒ. 3. *axungiæ gallinæ, & anatis, anà* ℥. *ß. vitella ouorum numero duo, croci* ℈. 1. Præstat & idem beneficium folium caulis contabefactum, & axungia sine sale inunctum, superspartis cymini pulueribus, & calidum parti dolenti adhibitum: sed vtilius parabitur, si partem priùs inunxeris oleo amygdalarum dulcium, in quo ferbuerit althęæ radix minutim incisa. Maioris efficaciæ esse creditur, q. ℞. *dialthææ* ℥. 2. *cum oleo amygdalarum dulcium, & sesamino, ac medulla crurum vituli facto vnguento, & addito puluere radicis ireos.* Quem quoque vsum præstat ex Pauli decreto præsidium ex cineribus caulium mixto adipe, & facto linimento. Cùm verò vsu venit vias lenire partesque extrinsecas dilatare, necessum est præsidia adhibere citra ceteræ, aut alicuius glutinosæ substantiæ admixtionem: sat enim est partem fouere, quo faciliùs ad intima permeet medicamenti vis: cuius naturæ est id, q. ℞. *olei amygdalarum dulcium, butyri recentis, anà* ℥. 4. *axungiæ gallinæ* ℥. 2. *iridis, croci, anà* ʒ. 1. Verùm si frigidior sit materia, addes oleum liliorum, radicem enulæ, hyssopum, mucilaginem fœnugræci, seminis lini, dialthæã, & sulphur.

Interim tamen dum hæc extrinsecus adhibentur, per interna præbere oportet ea quæ aduersus humoris inclementiam, & viarum inceptitudinem pugnare nata sint. Docent enim authores humores crassos extenuare, viscidos incidere, adhærentes abstergere, aut abluere, & eos qui præ nimia tenuitate tussis impetum subterfugiunt, ad mediocrem consistentiam reducere, & tandem vias expulsioni aptiores reddere, aliaque opera exequi, quæ siccitatem tussis omnino adimant: varia profectò, vt variæ sunt causæ, quas tussim siccam efficere posse diximus: quippe iuxta cuiusque naturam, & conditionem necessum erit sputum mouere: nam dum pleuritis sicca efficitur ob membranæ densitatem, fomentis mollissimis, & vnguentis, vtendum erit: si ob humorum crassitiẽ, quæ attenuent (vt mox specialiùs referam) si propter humorum cruditatem, coquentibus: si ob animalis facultatis impotentiam, roborantibus: si propter doloris sæuitiam, lenientibus, mitigatorijs: si propter obstructionem, his, quæ vias reserare nata sint: & pari ratione, si ex plenitudine pulmonis, his quæ tussim moueant, quo faciliùs natura gliscat ad expulsionem. Quæ omnia distinxisse oportebit, ne incognita cau-

A sa, inutile, aut forsan contrarium, adhibeatur auxiliũ, quod non rarò accidere imperitis comperimus. Attenuant quidem, & incidunt crassos, & viscidos humores, vt ab his initium sumam, quæ suaptè natura humida sunt, & tenuium partium, aut incisoriam habent facultatem. Sed expendendum est, hæc omnia crassis, & viscidis omnibus citra distinctionem adhibenda non esse: crassum enim sæpè tale efficitur ob impensam assationem, aliquando verò ob coctionẽ, nonnunquam tamen sua natura tale existit: his verò proficua sunt medicamenta, quæ incidunt, & attenuant: adustis, quæ humectant, & madefaciunt: crassis verò ex coctione, quæ abluunt, & abstergunt. Neque inconuenit omnibus crassis largam humectatio-
B nem porrigere: sic enim aliquid humidum serapijs admiscere oportet, velut hordei, aut glycyrrhizæ decoctum, vel purissimæ aquæ modicum, cuius tanto plus adaugebis, quanto magis ex assatione crassitiem proficisci constiterit: potus enim largior eo tempore medela est. Quòd si hæc prodesse non videantur, addere serapijs oportebit acetosi modicum, maximè si calor nimius fuerit, sin aliter, aut frigida sit, & crassa ex natura sua humoris conditio, oxymelitis simplicis: & multi addunt squillitici: quo casu admiscere oportet syrupum de hyssopo, glycyrrhizæ, aut capillorum veneris, quibus addere oportet modicum acetosi, quantum sat sit, vt humorum crassities frænetur, excitetur que ampliùs homo ad tussiendum. Nam solùm tussi-
C cularibus, & bechicis vtendum est in pleuritide, cùm animalis facultas adeò languida est, quòd expellere nequeat: quia ipse affectus, & causa ipsa, vicem habẽt tussicularem, & facultatem irritant, si quidem morbum constituunt in via. Et ob id, dum tussis deficit, ipsam syrupo de prassio, & acetosis excitare oportebit. In quo sanè opere lentè, & sensim progrediẽdum est, ne maior fiat humoris extenuatio, aut tussis irritamentum, quàm par sit, maximè verò in pueris, corporibus macilentis, genere neruoso affectis, fœminis vterinis affectionibus molestatis, & quibus asperior tussis, aut vigiliæ grandiores apparuerint: quibus sanè supplere oportet aceti defectum decocto cardui sancti, vngulæ caballinæ, saluiæ, aut aliarum herbarum
D quas paulò inferiùs recensebo. Confert mirum in modum laboranti præbere ℥. 4. aquæ stillatitiæ per balneum Mariæ extractæ ex floribus chamæmeli: partem enim lenit, resoluit, aperit, & sudorem mouet. Prodest & serapijs omnibus admiscere modicum olei de semine lini, aut ipsum oleum cũ pauco saccharo, aut si fuerit pleuritis nimium biliosa, loco eius oleũ amygdalarum dulcium.

At cùm præ nimia tenuitate sputum subterfugit naturæ impetum, ipsum ad mediocritatem reducere studebis, & fluxionem quoque compescere: vtrumq; tamen facies syrupo violaceo, addito nenupharino, aut rosaceo: maximè si grande sit incendium: quo casu præstantius est syrupum de papauere admiscere.
E Hunc etiam vsum præstat cassia aqua hordei, & violarum liquata, sicut tragacantha, & saccharum aqua dissolutum, additis pulueribus amyli, seminis papaueris, florum rosarum, borraginis, & buglossi. Præstat & amylum aqua sacchari dilutum: sed cũ fluxio præualet, dolorque non est tanti momẽti, serapij loco vti consulunt doctores conserua rosarum, violarum, aut buglossi, cum pulueribus rosarum, coralli, aut tragacanthi, & glycyrrhizæ. Sic initio, fluxione vberiùs prolabente, eclegmata adhibenda sunt ex tragacantha, & syrupo rosarũ: quòd si vigilia, & tussis præualuerint, vt sæpè solet, plantaginis, capitũ rosarũ, & hordei decocto syrupũ rosarum, aut papaueris admiscebis, vel ablues in prædictis aquis amylũ. Quẽ quoq; vsum pręstat lac amygdalarũ dulciũ extractũ decocto hordei, vel ricæ torrefactorum, aut aqua chalybeata, vel deaurata: quo etiam casu sæpè contingit cõfugiendum

fore ad ea quæ fluxum *sistere* nata esse diximus capite de tussi. Verum quia in plerisque pleuriticorum non raro vsu venit, lenientia, detergentia, incidentia, & repurgantia admiscere, ob id aliqua scribere oportet, quæ mixtas habeant vires. Cuius census est hydromel, vel aqua hordei saccharata, cum pistillo glycyrrhizæ sumpta: syrupus item capillorum veneris incidit, & detergit sine manifesto calore, sicut glycyrrhiza. Præstat & melicratum ex aqua, in qua radix violæ purpureæ, stœchas, chamædrys, vel chamæpitys incoxerint. Verùm si abstergendum est, aquam ex integro hordeo parare oportet, sicut vbi leniẽdum est, aut sitis extinguenda, fricare hordeum oportet asperiori linteo, & exteriori tunica expoliare: si verò nutrire sit in animo, proportio hordei ad aquam augenda est, eoque coquendum, donec frangatur hordeum: *constat enim ex viginti partibus aquæ, & vna hordei.* Aqua enim sacchari detergit, & coquit, si calidior sit pleuritis: lenit & nutrit, *si ℥. 1. sacchari coquatur in viginti aquæ ad medietatem: potest tamen sacchari portio augeri ad ℥. 3. facta colatura cum modico cinnamomi.* Quòd si sitim extinguere velis, & amplius lenire, *serapij violacei modicum addes:* faciliùs enim sic sputum educimus, *maximè si modicum syrupi iniubarum addideris,* qui coquit, & lenit in biliosa pleuritide, sicut in pituitosa melicratum, in quo radix althææ, hyssopus, & thymus coquendo maduerint. Præstat etiam aliud q. ℞. *sarsæ parillæ ℥. 1. & ß. radicis enulæ campanæ: & ireos, anã ℥. ß. saluiæ, & betonicæ manip. 1. coquantur, & in colatura dißolue mellis quantum sufficiat vt fiat hydromel non admodum dilutum.* Conducit etiam hyeme, & frigidis temporibus, sicut reliqua medicamenta, quæ capite de tussi adduximus.

Sunt etiam inter pharmaca huic affectioni proficua, quædam peculiari proprietate efficacia, velut *rasuræ dentis apri ʒ. 2. in vino albo tenui, aut oleo amygdalarum dulcium, vel sesamino,* præterquam quòd confert ad cohibendam fluxionem ob innatam adstringendi efficaciam. Prodest etiam id, q. ℞. *radicis lappæ siccæ, quæ purpureum florem gerit, aut floris eiusdem ʒ. 2. mulsæ quantum sat sit ad potum.* Valet etiam id, q. ℞ *coralli rubei ʒ. 1. mulsæ ℥. 3. item ius serpylli expreßi cum aqua cardui benedicti:* nec non *pudendum ceruinum tostum, & in tenuißimum puluerem redactum ad ʒ. 1. cum oxymelite, aut vino:* sunt qui summopere laudent oleum ceræ arte chymica extractum cum vino albo, aut aqua cardui benedicti, vel vngulæ caballinæ, aut decocto capitum, & seminis papaueris.

Quòd si ne hæc omnia prodesse videantur, verendum profectò est, ne in suppurationem commigret affectio, & curandum omni diligentia est, si in id malum vergat affectio, vt quam citissimè per partem ipsam affectam materiam extrahamus. Cui operi celebrauit antiquitas duo auxilia: primum, & quod periculo non vacat, est ante initium suppurationis inter costas pleuritidi respondentes foramen ferro candenti, aut incisorio aliquo ferramento, efficere, quo sensibiliter totum illud materiæ, quod migraturum est in pus, expurgetur, antequam rupto abscessu pus in cauitatem thoracis prolabatur. Verum neque vsu, neque felici experimento, adeò creuit vtilitas huius præsidij, quòd cogamur in graue hoc periculum laborantem ducere: quapropter securitans gratia ab vsu prædicti auxilij semper supersedeo: nisi transacta decimaquarta die, dum adeò crescunt suppurationis accidentia, quòd longè certius est periculum ea facta, quàm thorace perforato. Secundum verò auxilium, quod magis proficuum, & securum exilbt, est cucurbitarum vsus: de quarum adhibitione, & vsu diuersa proferunt authores, licet omnes consentiant pleuritidi supra partem affectam fixas, & scarificatas, summoperè prodesse. Verùm qui exactè mentem authorum calluerit, comperiet prædictam varietatem non contradicendi studio, seu maioris, aut alterius vsus gratia scriptam fuisse. Sunt enim qui post principium morbi prædictas cucurbitulas affigunt: sunt qui post decimamquartam diem: sunt etiam qui in leuiori pleuritide, & vetustiori eis vtantur: sunt qui & in acutioribus, sed parua existente materiæ copia. Sed expendendum est, quid vnusquisque velit. Celsus enim libro 4. capite 6. arbitratur, tantùm earum opus esse, vbi lenior, aut vetustior fuerit lateralis dolor, quasi volens in pituitosis, & quæ ægrè coquuntur, pleuritidibus, proficuas esse ad materiæ, quæ difficilis exislit supputationis, ita vt neque per resudationẽ, neque per insensilem halitum digeritur, extractionem: verùm cutim priùs incidit, posteà verò cucurbitulas adhibet. Hanc tamen sententiam sequuntur alij authores, diuerso tamen modo: nam Alexander eis vtitur in debili pleuritide, & in corporibus, quæ parua abundant humorum copia, & quæ maiorem euacuationem ferre nequeunt. Paulus verò libro 3. capite 33. tantùm docet post 14. diem affigendas esse cucurbitulas, & postmodum scarificandas. Aetius verò postbabitis omnium sententijs, ad discutiendum humorem, qui fomentis, & cataplasmatis non cessit, eis vtitur, quas posteà scalpello scarificat, & oleo sale, aut nitro perfricare iubet, vt facta per oleum penetratione, salis beneficio, materia tenuior facta, promptiùs, & vberiùs expiret. Quibus exactè pensatis facilè erit cuique nosse, quo in casu prædicto auxilio liberè vti possit.

Verùm licet spuria, & illegitima pleuritis non tantum facessat negotium, necessum tamen erit docere, qua methodo, & quibus auxilijs Medicus teneatur vti in eius curatione. In primis si doloris vrgentia postulauerit, aut corporis morbosus apparatus, ne vera fiat pleuritis, sanguinem etiam demes, sed parciùs: auxilijs tamen vtendum est, quæ discutiendi, & attenuãdi materiam, & aperiendi externos meatus vires habeant: sic enim fomenta quæ veræ pleuritidi prodesse diximus, & cataplasmata quæ resolutoriam, & diaphoreticam vim habeant, ex vsu esse comperimus.

CAPVT VII.

De pulmonis inflammatione, ac de leuium arteriarum eius obstructione.

PLacet hac in parte peripneumoniæ meminisse, nam licet morbus sit eiusdem speciei, & naturæ cum præcedenti, est tamen affectus loco dissidens: nã pulmonis est inflammatio, cum acuta febre, ac spirãdi difficultate, cui & angustia, & grauitas coniuncta est, (ob id peripneumonia dicta) ex quouis humore ibidem confluente orta, etiam si tanquam certissimũ habeatur, à pituitosiori sanguine frequentiùs oriri.

Sed antequam eius naturam, & causas aggrediar, studui leuium pulmonis arteriarum obstructionis rationem reddere, ac periculi grauitatem ostendere. Reduximus hanc affectionem ad præsens caput, quia plerumque solet esse inflammationis præludium, nec vllam infert in respiratione difficultatem, ni si malum asperas arterias coarctet. Cuius rei gratia statuendum est, contrario propagationis, & insertionis modo se habere asperas, & leues arterias in pulmone, sicut diuersum perficere officium, ac diuersis facultatibus, & membris inseruire. Quippe asperas pulmoni inseruire, & animali potentiæ aerem trahenti, & à summo gutture, & aspera arteria per vniuersum pulmonem disseminari euidentissimum est: leues verò contrario modo à cordis sinistro ventre oriri, vel ibidem implãtari, & per pulmonis lobos disseminari, suscipiẽtes aerem ab asperis, & cordi solũ referentes, & inseruiẽtes, re

ceptan-

ceptantes etiam ipsius fuliginosum recrementum, vt Galen. placuit 7. de vsu partium: quibus constat, earum læsionem potius subitum interitum, aut suffocationem innati calidi defectu prædicti otheij, quàm difficilem respirationem posse inferre, siquidem e nô seruiunt, sed cordi. Est igitur hæc affectio leuium arteriarum pulmonis obstructio, quam grauissima sequuntur symptomata, nimirum syncopis, & suffocatio subita: ex cuius rei ignoratione sic affectos arbitramur apoplexia interemptos: & si de cordis angustia conquerantur, conijcimus non rarò, vel oris ventriculi consensu id eos pati, vel generali nomine affectionis cordis respondemus affectos esse, cùm ad veram præcautionem oportuisset locum primò affectũ, & affectionis modum nouisse. Est itaque (vt dictum est) obstructio leuium arteriarum: quibus coarctatis, aut quomodolibet obstructis, cùm fuliginosis cordis recrementis non subsit liber exitus, neque tutus liber aeris in cor ingressus, mirum non est, si subita suffocatione periclitetur homo: idque magis, aut minus prout pressior, aut maior, vel minor fuerit obstructio: nam ijs obstructis, cordi tandem grauissima succrescit affectio, quòd fuliginosa recrementa expelli non possint, aut caliditas refrigerari, ac ventilari: quo fit, vt vel in syncopim, aut mortem inopinatò procidant sic affecti. Est quidem hæc perniciosa, & fraudulenta affectio ob adductas rationes: fraudulenta verò, quòd nullum subsit ante signum, quo prænosci possit imminens malum: quippe nec difficili respiratione, nec grauitate, nec dolore, aut quouis alio symptomate, quod molestiam inferat, premuntur huiusmodi laborantes. Solum enim angustia, ac si manibus comprimatur cor, per interualla torquentur: nonnũquam saltum in corde persentiunt, sed omnia hæc velut leuia contemnunt, adeò vt postmodum, malo ingrauescente, & obstructione facta maiori, subita morte corripiantur, Medicis statuentibus malum leue futurum, aut parui momenti. Causas habet hæc affectio duplicis naturæ: alteram flatum, vel succum (cuiuscunque conditionis) in prædictas leues arterias prolabentem; reliquam verò tuberculum, aut phyma crudum easdem comprimens, & coarctans: nam licet in pulmone nullum sensibile subsit vitium, in corde verò cuius ministerio subseruiunt, grauissima fiunt (vt dictum est) quippe non omnia quæ præter naturam in pulmone congeruntur, protinus ipsum lædunt, aut eius actiones vitiant, sed quatenus asperas arterias, vel coarctant, vel obstruunt: tunc enim difficiles fiunt respirationes, & alia suffocationis pericula ob respirationis defectum, aut vitium: nam suffocatio, quæ leuium arteriarum obstructione fit, citra respirationis iacturam fit, solo cordis calore suffocato, & veluti obruto fuliginum copia. Nosces autem imminentem, & futuram accessionem (nam id solũ est, quod ad præcautionem nosse oportet) ex accidentibus quę retulimus: verùm quia hæc fallacia sunt, & mille alias causas monstrant, ob id solùm pulsus differentijs fidendum esse arbitror. Sic enim pulsus fiunt (corpore apparente 10 reliquis sano) omni inæqualitate insigniti, & aliquando interrupti: maximè si compressis leuibus arterijs fiat, idque cùm iam iam instat affectio. Hoc tamen vnum noo licet silentio præterire, quòd prædictæ inæqualitatum sortes longè firmiùs perseuerant, & perstant, cùm tuberculum, aut phyma causa est mali, quàm dum succus aliquis arterias prædictas replet, vel crassus aliquis flatus: quo signo causas inter se seiunges, ac distingues facilè. Sunt igitur ex obstructione pulsus inæquales collectiua inæqualitate, quæ decurtatos, seu myuros efficit: nam cũ vitalis facultas, sibi cor obruti fuliginibus agnoscat, dum primo impetu vincitur, decurtatos efficit, postea verò fuliginibus resolutis (quia obstructio omnimoda non est) paulatim reciprocus efficitur pulsus, & ad antiquum statum paulatim increscendo, vt paulatim descenderat, regreditur, nisi myurus efficiatur deficiens, quod summum est mortis instantis indicium, etiam si aliquàdo iterum natura in se redeat, viresque colligat, ac inimicum pellat, donec iterum congestis nouis fuliginibus ad deficientiam reuertatur, aut tuberculo crescente, ac suppurato, malum iterum crescat, nouis, & maioribus differentijs præstitis. Præterea phymate affectis, ob caloris perfrigerationẽ & extinctionem à copia fuliginum, nõ rarò secut perfrigeratur, ita vt in hydropem immedicabilem migret affectio. Plerumque verò cordis succrescunt palpitationes adeò grandes, quòd laborantes summopere anxios reddant, & cùm in deterius malum vergit, premuntur lipothymia, ac syncopi lethali: quæ omnia expendisse oportet, vt antequam in hæc accidentia commigret malum, præueniatur. Atque hæc de arteriarum pulmonis obstructione dixisse sit satis, cutationem tamen inferius leges.

Pulmonis verò inflammatio fit ab humore, non ad vasa hæc aut illa confluente, ibidemque immorãte, sed ad carnea spatia: quæ cùm laxa admodum sint ob caruis mollitudinem, & spongiositatem, facilè humorem à vasis exsudantem suscipiant. Quod sanè expressit Galen. lib. 4. de præsagitione ex puls. cap. 12. dicens: Quia laxum, & molle viscus pulmo est, & vndique vacuum, à pituitosiori, atque crassiori sanguine inflammatur, cùm subtilis biliosusque fluat ferè, neque eum viscere vlla ratione cohærere valeat. Dubium tamen leue plerisq; ex hac sententia succreuit, cùm mille in locis à Galeno dictum sit, à solo vel quà minimum permixto sanguine phlegmonem oriri. Ex quorum sententijs euidenter constat, omnino ignorasse rarò solùm sanguinem esse reperibilem, sed frequentissimè tumorem phlegmonosum spurium mixtumque succrescere. Quod his verbis Galen. expressisse constat lib. 2. de different. feb. cap. 12. *Necessum igitur est, sanguinem in partibus contentum, vnà cum superfluitatibus influentibus plerumque putrescere.* Quæ verba clariùs expressit lib. de sanguinis miss. capite 5. & lib. 2. de inæquali intem. cap. 5. apertiùs eadem refert dicens: *Iam ipsa phlegmone laborans particula, vel propè, vel longè sita est à multi sanguinis visceribus, totusque sanguis, vel biliosus est, atque hæc omnia magis minusque: quare necessum est multiformes fieri alterationes, siue alterum alteri sit collatum, siue idem sit.* Ex quibus euidenter constare arbitror, inflammatorium affectum fieri posse, sed non sine bilioso, melancholico, aut pituitoso humore admixto. Quo etiam fit, vt si mixta aliqua affectio pulmoni cõtingere possit, maximè fit ex sanguine pituitoso, ob adductam à Galeno rationem lib. 4. de cauf. pulf. & 2. de locis affect. & 6. aphorismorum 33. qua parte comparans pulmonis inflammationem pleuritidi, hæc verba scribit: *Non æquè profectò membrana, ac pulmo sunt natura apta humores suscipere: densa siquidem est membranarum substantia, pulmo verò laxus admodum, & rarus: quare huic proprium est pituitosos suscipere humores, membranæ autem succingenti, plus biliosos.* Quod sanè dogma videtur suspectione non carere: nam licet pulmo laxæ mollisque substantiæ existat, & propterea aptiùs in ipso crassus viscidusque cohærescere succus valeat, proinde tamen in foraminosa, & cauernosa substantia, non minus, ac in spongia aqua immoratur, tenuis biliosusque humor potest contineri. Qua ratione videtur, non minus erysipelate posse inflammari, quàm inflammatione œdematosa: cum hoc tamen, quia ob viscidam consistentiam pituitosos ampliùs locus ipse recipiat humores, quàm maximè suæ substantiæ similes, ideò verum est prædictum axioma, adhibito etiam in considerationem visceris calore, quo humores funduntur, quan tũuis crassi existant. Quapropter cen-

censeo à Galen. & veteribus dictum fuisse, pulmoniam non à bile, sed à pituitoso sanguine fieri: tum ob loci naturam: tum verò, quia verior inflammatio potius ex sanguine pituitoso, quàm bilioso adnascitura est: nam si perfectam phlegmonem ex optimo sanguine fieri dicebamus, & pituita magis quàm cæteri succi ad naturam sanguinis accedit, imò crudus dicitur sanguis, ex ea meritò veram pulmonis inflammationem, sicut & cæterarum partium fieri credendum est. Cum hoc tamen inflammationem erysipelatodem in pulmone non negauit Galen. quinimo pituitosam subiicuit: & lib. 4. de loc. affect. eius reminiscitur dicens: *Sine intolerabile fuerit incendium, angustia grauitatisque sensus minor, erysipelas ipsum pulmonem vexare censendum est.* Etiam apud Hippocrat. scriptum reperimus libro de affect. text. 8. & libro de morbis capite 6. & libro 2. de morbis cap. 17. sed expressiùs libro v. de morbis cap. 26. quę sanè omnia in prædicto sensu subaudienda veniunt. Sic profectò Aliabbas in praxi inquit: *& hoc apostema aliquando fit à materia sanguinea, aut cholera quæ ad pulmonem incurrit, nonnunquam à catarrho à capite descendente, interdum à pleuritide.* Eadem refert Paul. sed clariùs Auicen. 1. 3. capite 10. dicens: *Et peripneumonia fit ab omni humore, sed vt plurimum fit à phlegmate, quoniam in membro raro non continetur humor subtilis.* Itaque præstant huic affectioni materiam, vel angina, vel pleuritis, vt ex Hippocrat. constat 7. aphorismorum, vel catarrhus, vel quæuis alia corporis particula, quæ plena cùm sit, vehementior ad transmissionem existit, maximè si ob aliquam occasionem pulmo præter naturam incaluerit, vehementiùsque moueatur. His suppositis statuendum est, huius affectionis triplicem esse generationis modum: quippe interdum statim inuadit, nullo antecedente affectu, sed sanguinis biliosi, ac tenuis collectione per totum visceris corpus, qui à dextro cordis sinu continuò effluit per venam arteriosam. Et dupliciter huius venæ vitio pulmo in tumorem attollitur: vno modo sanguinis parte aliqua vitiosa in pulmonem vniuersum dilabente, & aliquando in partem eius quamuis: & vtcunque sit, verè pulmo inflammatur, & pulmonia fit: illa quidem maioris momenti, & summè grauis: hæc verò non ita: licet in vtraque pulmo per totum, aut ex parte in tumorem eleuetur. Alio verò modo in longè maiorem mollem attollitur aquosa serosaque substantia plenus per eandem venam, dum in his qui malo sunt corporis habitu, aut hydrope laborant, aqua pulmonis motu attracta ibidem colligitur, & per vniuersum visceris corpus spargitur: quem affectum multi pulmonis hydropem appellarunt, vt cap. de difficili respiratione latiùs docuimus. Interdum etiam à destillatione è cerebro confertim in pulmones elapsa ortum habet, quam pulmo, tum propter laxitatem, tum verò propter trium facultatum imbecillitatem, facillimè excipit: quem generationis modum plerumque à pituitoso sanguine fieri arbitror: quippe tunc duobus modis fieri hunc affectum posse constat: vno plenis asperæ arteriæ ramis feruido spumosoque sanguine, quo & febris, & difficilis respiratio succrescit, & præsidia, quæ caput respiciant potius, quam pulmonem, adhibere oportet. Alio verò cùm à prædictis vasis aliquid exsudat in pulmonis carnem inflammationem efficiens: quod nosces quia minus spuitur, & intensiùs febrit, ac minus difficulter respirat laborans. Sæpius verò alijs morbis succedit, vt pleuritidi, anginæ, asthmati, dum è dictis partibus humor repentè rapitur in pulmonem, siue idem humor sit, siue qui fluxurus iam iam erat, & qui præfuerat, resolutus euanuit. Quæ sanè permutatio duplex est: vna in qua priore morbo cessante nouus oboritur: altera verò cum ad præexistentem morbum morbus alter acce-

A dit. De qua permutatione sic scriptum Hippocr. reliquit. *Si qua mala supra mala necessariò euenerint, eius rei causam qui ignorant, Medicum arguunt.* Vtcunque tamen sit, peripneumonia pleuritidi, vel superuenit, vel succedit multo frequentius, quam pleuritis peripneumoniæ: idque tribus rationibus: vna, quia si facilis sit peripneumonia, humor ante expurgatur quá in latus diffundi queat: si verò vehemens sit, prius ægrum suffocat quam costæ coafficiuntur: quibus accedit tertia, nimirum quòd licet pulmo in dilatatione trahat à partibus vicinis, & leuibus arterijs, non ita cùm expellit, reijcit in easdem, sed per asperas arterias foris expellit, non ad reliqua vasa, à quibus dilatatione traxerat, & ob id nequit ita facilè pleuriti-

B dem excitare. At in pleuritide humoris ferocis materia, quæ costis contineri nequit, facilè pulmoni communicatur.

Verùm cùm à principio dictum sit, finitimum esse hunc affectum pleuritidi, & ferè eisdem signis demonstrari, necessum profectò erat, signa referre, quibus possimus pleuritidem à peripneumonia seiungere: nam licet vtrique insint eadem signa, dissident tamen quibusdam accidentibus, & conditionibus peculiaribus, quibus longissimis separantur interuallis. Dolor itaque in vtroque affectu iuxta thoracem adest, sed in pleuritide acutior, in peripneumonia verò solùm ponderis sensus, nisi pellicula ipsius thoracis simul inflammetur: tunc enim dolor etiam in toto *Signa.*

C ferè thorace percipitur, quo tempore dolor eximius ad ipsum peruenire, & ad spinam, & pectus compellitur, vt Galen. 4. de loc. affect. Nam doloris efficitur particeps non sui ratione, sed per tunicam, quantum obducitur aliqua sui parte, tunc vertebris, & pectoris ossi tanquam vinculo committitur, à succingente costas membrana accepta (parte sui superiore, non in lobis) cui à sexta coniugatione nerui inseruntur. Quo quidem fit vt pulmo doloris sit expers, prætérquam grauis, quem tumens excitat in membranis intersepientibus, potissimum eis partibus quibus pectori, & dorso alligatur, vt diximus. Viget enim in vtroque acuta febris, sed in peripneumonia ardentior ob cordis viciniam: tussim insuper cùm incipit,

D vterque habet, sicciorem tamen pleuritis, humectiorem verò peripneumonia, præsertim cum in vijs magis viget humoris redundantia: sputum etiam apparet spumosum, biliosum, & quandoque cruentum, ex quibus sanè peripneumoniam, & humorem ipsam efficientem venamur. Difficulter quoque in vtroque affectu respirat laborans, sed longè difficiliùs in peripneumonia, quia cùm pulmo, & thorax, quantum sat sit, dilatari possint, quòd dolore non impediantur, vt in pleuritide, fit profectò vt promptè moueantur, adeò vt præ magnitudine, & frequentia suffocari laborantes videantur, quia inflammatus pulmo, & subinde humore plenus, quantum par est, aerem capere non potest, etiam si plurimum dilatetur, præter-

E quam quòd calidissima pulmonis, & cordis affectio citatiorem expostulant respirationem, tantoque magis, quanto inflammatio erysipelatis fuerit magis particeps, & quia bronchia angustiùs coguntur quàm in pleuritide, & in supino decubitu anteriores thoracis partes considentes pulmonem arctant, & sufficientem aeris attractionem impediunt. Sed ex pulsu euidentior succrescit differentia: nam pulmonis inflammatio pulsum habet magnum, celerem, crebrum, languidum, mollem, vndosum, & aliquando dicrotum, quem ratò accidere arbitror: cui omnino diuersum pleuritidem obtinere certum est. Habet igitur peripneumonia magnum, & celerem ob febris vehementiam, & cordis viciniam, crebrum verò non semper eodē modo habet, sed aliquando minus, prout incendiū, aut soporosam affectionē, quæ frequenter peripneumoniæ comes est, postulare visū fuerit: languidus

effici-

efficitur ob contractam impotentiam ab ingenti intemperamento: mollis verò ob partis affectæ naturam. In qua re mihi parum immorandum est, cùm multa (vel Galeno docente) Medici de his differentijs in peripneumonia loquantur. Quippe magnum statuunt, aduersus inflammationis naturam, & facultatis impotentiam, quæ causæ paruum tiatæ sunt efficere: sed maioris est momenti arteriæ mollities ad magnum efficiendum, quàm prædictæ causæ ad paruũ, ob ingentem vsus vrgentiam. Sed de mollitie longè grauius succrescit dubium: nam vnanimi omnium consensu constat, id esse ob partis affectæ naturam; quæ mollissima est, & nos etiam lib. de puls. eiusdem in iuuentute fuimus sententiæ, sed nunc maturiori consilio rem agitantes censemus partis affectæ naturam non posse inflammatam (cuius ratione duriorẽ oportebat efficere) molliorem reddere pulsum, quàm ipse esset secundum naturam, licet ob id, cùm pulmo inflammatur, durior non fiat; at molliorem fieri ea ratione est impossibile: sed arbitramur mollitiem fiari ex pituitoso sanguine inundante atque humectante arterias: cùm certum sit, mollitiem esse propriam arteriarum mollium differentiam, sed arteriæ non redduntur molliores, quàm anteà, quia pulmo inflammatur, sed quia ipsæ ex materia antecedente, & coniuncta humectantur. Quo fit vt rarò fiat vibratus, quia rarò inflammatio pulmonis particeps fit flauæ bilis, nam dum sic accidit, vibratus redditur, quia tensio est euidentior, & arteriæ sicciores siccitate, & calore bilis. Fit insuper intermittens ob languidam facultatem, sed id non protinus à principio, sed posteà, essentialiter languente facultate: nam morbo incipiente, aggrauatione potius languet, quàm re vera. Fit intercurrens etiam posteà, dum vel pus conficitur, quia vsus supra modum augetur: quæ in principijs accidere non possunt. Habet insuper peripneumonia, præter hæc signa pleuritidi communia, alia non pauca, quæ illi peculiariùs pertinent, velut est maxillarum rubor, vt Galen. placuit lib. 3. de loc. affect. cap. 3. Quia ex feruore sanguinis in pulmone vapor sibi similis exhalat, & cùm ob innatam leuitatem ad malas sese extollat, consistit ibidem, & per cutis tenuitatem veluti per vitrum colorem suum ostendit. Sed & linguam pulmoni rectà superstantem, tum per amplitudinem asperæ arteriæ, tum per membranæ continuitatem, idem excrementum petit, & calidiorem reddit: quo fit vt in peripneumoniæ principio rubescat lingua, deinde in vaporum, & seri vbertate intumescat, & vltimò exasperetur albidiorque fiat, si pituitosior sit affectio. Præterea considerandum est, dolorem non semper in medio thoracis apparere, quantumuis pulmo ibidem vigeat. Nam cùm pulmo bifidus sit, pars dextra intersepientium membranarum interuentu distincta ab altera, dextram thoracis cauitatem implet, sinistra verò læuam: quo fit, vt altera magis plena, & inflammata, alteram linguæ partem magis exasperet, & colore afficiat, & rursus ponderoso dolore altera thoracis pars magis reliqua afficiatur, & si vtraque vniuersus etiam lædatur: sic ex altera clauicula condolente, idem venaberis: aut si in altero hypochondriorum, vel in vtrisque ponderis sensus vigeat, maiorem totius, aut alterius partis pulmonis inflammationem conijcies. Comatosior insuper efficitur homo, nasus efficitur simus, venæ temporum eleuantur, & appetitus deijcitur cum linguæ siccitate, & rubore, qui posteà, vt inquit Auicen. in nigredinem migrat. Vigiliæ etiam laborantes infestãt, licet comatosi sint: delirium quoque adest ex vstilaginibus caput inuenientibus: extremitates frigescunt, & vngues apparent liuidi, & incuruantur, morbo in deterius vergente.

Præsagiũ. Qui tamen sic affecti sunt, quarto, vel septimo die pereunt, nisi sanguine per nares superueniente præ-

A ueniantur: ac licet prædictum periculum effugiant, non omnino tuta est salus: nam ocyssimè suppurantur; vel adeò affecto pulmone supersunt, vt corde simul coaffecto lentè moriantur. Quantum enim ex hoc morbo periculi laboranti succrescat, nemo est qui dubitet, & omnes vereri tenentur: ferè enim sic affecti à principio in agone adesse conspiciuntur, oppressis viribus, & fatiscente natura, vel respirationis vsu intercepto, vel æstuante thorace, & acrimonia puris commorsis partibus, quæ sensu præditæ sunt, vel denique destillatione à capite, quæ in ventriculum feratur, & illius orificium mordeat. Præterea expuunt aliquid ob laxitatem partis affectæ, & calidius spirãt. Verùm disputatione dignum sum arbitratus, vtra
B peripneumonia deterior existat, pituitosa ne, an biliosa: nam hæc periculo carere videtur, quòd similis sit membro affecto, iuxta illud Hippocrat. *In morbis minus periclitantur: &c.* illa verò longioris est conditionis: sed cùm biliosa videatur esse acrioris materiæ, quæ citissimam minatur excesionem membri huic affectioni obnoxij, & pituitosa difficilioris coctionis, & durationis diuturnioris, adcò vt vrgentissimum respirationis, & cordis symptoma diu ferri posse, videatur perdifficile, sit profectò vt iudicare vtra sit deterior, non sit ita facile. Cui dubitationi respondet Auicen. dicens: Summum verò in biliosa discrimen, bilis enim cordi vicina in inflammatione congesta periculosissima est, idque plus momenti habet,
C quàm proportio, & familiaritas bilis ad pulmonis tẽperamentum: nam licet temperamenti innati gratia proportionalis habeatur pulmoni, est tamen aduersa mille alijs rationibus naturæ, & substantiæ ipsius. Ac licet pulmoni minus noxia extitisset ob aliquam similitudinem, certè bilis succensa cordi adiuncta aduersissima est: præterquam quòd tumores pituitosi à toto genere biliosis salubriores existunt. Quam doctrinam professus est Auicen. dicens: *Peripneumonia quę à colera rubea fit, secundum plurimum sua acuitate interficit, cùm sit vicina cordi, & appositio cum refrigerantibus non peruenit ad locum:* vtraque tamen vt ex Mesue colligitur difficilioris est curationis quàm pleuritis, & aptior ad interficiendum, quòd solutio con-
D tinui in pulmone vnionem non admittat, & quia cordis vis plerumque in huiusmodi affectu deficit ob ingens incendium. Qua sanè ratione permutatio à pleuritide, vel angina, aut quouis alio affectu in peripneumoniam periculosissima habetur, vt Hippocrat. refert 5. aphorismorum 10. dicens: *Quicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt, & si hos effugiant, suppurantur.* Septima etiam aphorismorum 2. *A morbo laterali*, inquit, *inflammatio pulmonis, malum:* deterior tamen est in phrenitidem commeatus, vt ex eodem Hippoc. constat 7. aphorismorum 12. sicut laudabilis in abscessum post aures, aut ad crura inflammationem abire: maximè si abscessus fistulentur, vt Hippocrat. re-
E fert 2. prognost. 64. Cum hoc tamen peripneumonici omnes *plus periculi quàm doloris habent*, vt refert Celsus: & qui eorum breuissimus est, iudicatur, vt inquit Hippocrat. 2. & 3. de morbis, & lib. de affectionibus die septimo, aut quatuordecimo: longissimus verò in viginti diebus, & qui hunc transeunt diem, suppurati fiunt, & si ex his aliquis expurgetur, securior est, maximè si excreatio flaua, non multo sanguine permixta, inter initia excernatur: & eò magis certior erit salus, quò aliquid notatu dignum natura excreuerit: nam si ad salutem commigraturus est morbus, vt Aretæus fatetur, sanguinis eruptio ex naribus sequutura est, aut alui exturbatio, multis exeuntibus biliosis, & spumosis humoribus: quam salutem non minus promittit, morbo iam vetustiori facto, pus per ventrem, aut vrinam excretum. Cum hoc tamẽ sciendum est, nullius esse momenti signa quæ salutem pol-

liceri possunt, nisi virium robur firmissimum admodum extiterit: id enim profitetur expressè Gal. 3. pror. comment. 4. & 10. method. cap. 5. namque vna talis, tum pleuriticis, tum peripneumonicis est ipsum viriú robur: quod sanè in hac affectione considerasse ad quantitatem vacuationis moliendam, & ad optimam crisim expectandam, summopere expedit. Premuntur insuper alui profluuio: quod in declinatione & statu ferè semper lethale est, sicut in principio vt plurimum salubre: nam hic materiæ antecedentis nonnihil detrahit, ille verò nec eius, nec coniunctæ quidquam, quinimo vires iam fractas prosternit. Damnat insuper Hippocr. in Coacis præ. 70. in pulmonia pauca & cocta spuere, quia sputum in statu debet esse multum, coctum, & facile excretum: sæpe enim in pleuritide & peripneumonia iuuat magis facilitas & copia expulsionis, quàm coctio, cum qua, defectu copiæ, mille laborantes pereunt. Item per abscessum post aures peripneumoniam terminari, aut ad crura, prædicere quoque docuerat Hippocrat. in Coacis. 40. dicens: *Sed abscessus fiunt quidem hi in partibus inferioribus, quibus circa hypochondria calor vehemens mouetur: in superioribus verò quibus hypochondrium molle & indolens fuerit, difficilisque spiritus ad tempus citra causam euidentem acquiescit.* Prætereà nihil spuere, signum suppurationis existit, nisi ad aliquam partem arte aut natura pellatur. Si tamen suppuretur, quatuor modis post ruptionem salutem aut mortem prædices: duo quidem sunt ad salutem, nimirum puris repurgatio per sputum, vrinas, aut aluum: totidem ad mortem, suffocatio propter puris copiam, & phthisis corrupto pulmone propter copiam. Præter quæ sunt etiam alia, bona quidem, si protinus cesset febris; si cibi appetentia reddatur, si pus reijciatur album, læue, inodorum: si aluus pauca & cocta excernat: quibus contraria lethalia etiam existunt.

Curandi ratio.

Cùm verò peracutus, lethalisque affectus sit pulmonis inflammatio, repletioque (quòd breuis strangulatus protinus subsequatur) ob id profectò æquis resistentia viribus, vt Aretæus refert libro 2. morb. acu. capit. 1. matureque ferenda subsidia sunt, nam cum viribus robustis adeò nobis sit opus in eius curatione, ex quouis errato vel negligentia, verenda est virium iactura.

Primò igitur cibi formam institues, quæ præter id quòd tenuis sit substantiæ, vires citra maximum laborem reficiat, & cum hoc aduersus materiæ inclementiam & vitia ex opposito pugnet. In qua sanè re, non satis inter veteres authores conuenit: quippe Celsus inquit: *Nec salsis opus erit, neque acribus, neque amaris, neque aluum adstringentibus, sed paulò lenioribus.* Aretæus verò loco citato hæc verba scribit: *Alimenta verò huiusmodi esse debent, acria videlicet, tenuia, crassitudinem dissipantia, & extergendi facultatem habentia:* quæ duæ sententiæ contrariari omnino viderentur, nisi Aetius vno verbo conciliasset, dicens, cibum debere esse extenuatorium: ex cuius sententia sentiendum arbitror, minimè esse vtendum his quæ acria sunt & incidentia, licèt certum sit opus esse humores extenuare & extergere: nam prædictum opus duobus modis citra acrium & mordacium vsum fieri posse arbitror: vno parcissimis alimentis exhibitis, hanc enim extenuantis victus formam non rarò authores appellant, maximè si fiant ex tenuissimis edulijs: alio verò ex his quæ tenuissimæ sunt substantiæ, quibus ob id vis inest attenuandi ea quæ crassiora sunt. Primo modo attenuantur humores calore liberè agente in ipsos: secundo modo per succi tenuioris admixtionem: quamobrem tutius arbitror esse in hac curatione Hippoc. consilium lib. 3. de morbis, vbi potiones dulces statim à principio porrigendas esse consulit, hæc scribens verba: *Sic enim id quod consedit ac compactum est, potissimum elueris ac commoueris, quarta autem die, & quinta, & sexta non amplius dulces, sed pingues, nam ad sputum sursum excreandum conducunt.* Qua sententia euidenter constat, non esse vtendum acrioribus neque incidentibus, sed pinguioribus, quæ præter id quod sputum sursum educunt, ac separant, vias quoque leniunt, quo faciliùs excernatur. Quo fit, vt optimè consultum sit Medicis nostri temporis, mox à principio vti iusculis pullorum aut gallinarum, modò per elixationem, modò per expressionem extractis: sed maximè conducit cremor ptisanæ cum saccharo ex aqua lupulorum: confert butyrum vaccinum, vel iusculum ex eodem butyro, aqua, & saccharo mediocriter coctis: loco tamen aquę adijcere poteris ius pullæ. Pręstat etiam ptisanam conficere, nó hyssopo, & alijs quæ gustui ingrata sunt, sed cinnamomo vel semine fęniculi, quæ suauiora existunt. Pari ratione prædictam ptisanā conficere poteris iusculo aliquo ex prædictis, & cibaria omnia calidioribus, aut temperatioribus magis minusue admiscere, prout humorem cognoueris magis ad naturam bilis, aut pituitæ accedere: in reliquis verò, vt in pleuritide dictum est, rem moderari oportet: similiter et in vino porrigendo, quo vel inclinante affectu, vel solū roborandarum virium gratia, vtendum esse consulit affectus natura. Potum insuper consulit Aetius parcum fore: item & Gal. lib. 7. localium cap. de orthop. vbi his qui in pulmone abscessum habent, conuenire paucitatem potus statuit. Verùm si rem diligentiùs consideres, posthabita Aetij sententia, & ea quæ Gal. est, quia loquuntur de frigidis abscessibus, non de affectu inflammatorio, qualis peripneumonia est, in qua Hippocr. lib. 1. de morbis copiosum porrigit potum, necnon & lib. 2. cum pulmo resiccescat calore, rationi consonum videtur largam potionem plurimum profuturam: præterquam quòd ablutionis gratia, vt dictum est, proficuam fore arbitrandum erit.

Præmissa debita victus institutione, nulli rei tantum Medici consilium inniti debet, quàm sputorum eductioni, longè quidem magis quàm in pleuritide, quòd affectionis causa in vijs pulmonis grauiùs vrgeat. Sed vt id tutiùs & commodiùs fieri possit, plenitudini totius & partis affectæ prouidendum est protinus: sanguine videlicet extracto, prout vtraq; plenitudo postulauerit. Quæ sanè res vt magni est momenti, ita profectò perperam, aut vltra citraue modum adhibita, magnum facessit negotium: sed coniectandū primò est diligenter, an peripneumonia incipiendo processerit, vel ab alio graui affectu degenerauerit: nā tunc rationi consonū videtur, sanguinem fuisse missum, quantum sat fuit pro vniuersali plenitudine deponēda. Tunc sanè sanguis nec liberaliter, nec copiosè est mittendus, sed parcè & per interualla, & ab ea parte, quæ ocyssimè pulmonem exoneret, citra viriū & sanguinis totius corporis dispēdium: grauius enim impendet periculum ex virium iactura, quàm ex non vacuata aliqua materiæ parte, cui vires non deiectæ sufficere vidētur. Quo casu sanguine misso ex cephalica vena semel, sat est, vel brachijs cucurbitulam primò affixam scarificare, aut dorso è regione pulmonis: maximè si ex malo corporis habitu in pulmonem repentino casu mutato, affectio oriatur: quo tempore ad crura malum habitum reuellere sat erit, vinculis, frictionibus, lauacris, cucurbitulis siccis, aut cum scarificatione, si malum vrgeat, & omnis crurum tumor euanuerit. Verùm si ex suppressione alicuius consuetæ, vel inconsuetæ vacuationis affectionem oriri compertum sit, & ipsam reuocare studueris vt par est, copiosiùs sanguinem mittere opus erit: maximè in fœminis, quibus ob mensiuum, puerperij, vel hæmorrhoidum suppressionem, recursus ad pulmonem creuerit: quippe hirudinum vsus in pulmonia non solùm in suppressis hæmorrhoidibus, sed et asso sanguine redundante summopere apud plerosque do-

doctores probatur: in quibus si sanguis menstruus affectu fluit, a talo primò, & mox intra sex horas à brachio sanguinem mittes, nisi adeò vrgens sit periculũ, vt cogaris primo accessu sanguinem ex brachijs fundere: quo casu, toto tempore, quo sanguis extrahitur, & parum ante illud, cucurbitulæ femoribus sunt affigendæ. Verum si ex defectu mensium qui statuto tempore non fluxerunt; affectio oriatur, à brachijs primò, id consulente vrgentiori indicatione, & postmodum modicè sedato affectu, ab inferis partibus sanguis detrahendus est, si nihil obstiterit ex his, quæ diximus, aut quæ succrescere possunt, quæ vel vires prosternant, aut venæ sectionem interdicant. Cæterum si ex corporis, & capitis abundantia succrescat, protinus vena secanda erit in cubito, dummodo vires constent: nam hac lege licet intelligere verba Pauli, qui solùm iubet sanguinem mittere, vbi incipiendo procedit, non tamen cùm ab alio affectu suboritur: nam arbitratur necessario virium adesse imbecillitatem ob affectionis longitudinem. Cui profectò sententiæ adstipulantur Celsus, & Aetius, nimirũ sanguinem non esse mittendum, si satis validæ vires non sunt: nam affectus natura, & situs sua spõtè summoperè ipsas, & spiritus vitales discutiunt, & infirmant: quo fit, vt necessum sit eas esse validiores, vt & morbum, & auxilia ferre citra lethale dispendium possint. Quapropter etiamsi sanguinem liceat mittere, non tamen copiosè, ne subsequatur animi defectio, quæ in his profectò qui suffocatione periclitantur, summopere verenda est: tum vt iteratò possit mitti sanguis, tum verò vt vires eductioni sputorum sufficiant. Cum hoc tamen si ex vbertate sanguinis prodeat affectio, copiosior admittẽda est eius detractio: si ex bile, parciùs sufficiens erit: si verò ex pituita, vel in senibus, verenda est, non tamen omnino auferenda, sed vel parciùs, aut cucurbitulis exercenda: in nullo enim vitanda est omnino sanguinis detractio, ob impensum sanguinis, vel alterius humoris defluxum, quem ob mille causas ad eam partem fieri, potiùs quàm ad aliam, comperimus, ita vt maius periculum necessariò sequatur ex non misso sanguine, quá si extrahatur adhuc frigida existente causa. Quòd si pro ratione copiæ fluentis, sanguis mitti non possit, cucurbitas inanes, aut cum scarificatione, id posse supplere refert Aretæus dicens: *Inanes præterea cucurbitulæ egregiè faciunt, si tergo, dorso, præcordijs. vbique adhibeãtur: quòd si pectus carnulentum sit, quo minus circum ossa cutim cucurbitula incumbens affligat, ibi eam affigito: nam sic ad quamcunque partem corporis humores distrahentur, & spiritus ad extima euocantur, quibus pulmo opprimitur.* Nec probo eorum sententiam, qui, viribus deficientibus, ad sanguinis detractionẽ mox à principio moliendam, eius defectum supplent scarificatis cucurbitis in pectore, & dorso, cùm 11. meth. cap. 17. & 13. cap. 19. id omnino tenuat Galen. Sat enim erit eo tempore musculis brachiorum primò affigere, quo aliquo modo euacuetur diuertaturq; fluẽs humor, ac posteà pectori, si, vt dictum est, carnulentum fuerit. Interim tamen eandem rem agere instituet frictionibus iuxta crura, & brachia, ac partes dorsi, & hypochondriorum: præterea clysteribus acrioribus reuocandus est materiæ impetus, & copia succorum crudorum minuenda. Sed cauendum est, ne nimis aluum turbemus, periculosa enim, vt Hippoc. refert, est in pulmonia alui fluxio, nisi spumosum sit quod excernitur: quapropter Auicen. non laudat humorum purgationem in hoc affectu, exagitatur enim furiosiùs motus humor, & vlteriùs confluit in affectum locum; præterquam quòd ab eo qui in parte inflammata continetur, nihil trahit medicamentum. Verùm si humorem furere, aut corpus nimia spurcitia abundare cognitum fuerit, sanguine sufficienter misso, non erit abs re ipsum purgare leui pharmaco,

A aut acriori, sed in minori copia. Quòd si affectio per defluxum crudioris sanguinis dilabentis in pulmonẽ fiat, curandum est capiti prouidere his auxilijs quę caput euacuent, & reliquias aliò transferãt, ac è pulmone, quod fluxum est, educãt facilè. Ob id sanguinem quidẽ mittes ex cephalica, aut ex vena carpi manus: item cucurbitis vteris cum scarificatione brachijs affixis: nec erit ab re, velut in angina, venas, quę sub lingua sunt, scindere. At si per venam arteriosam sanguis in pulmonem irruat copiosus, aut vitiatus, tunc quidem satius erit ex communi vena sanguinem copiosiùs fundere ex vtroque brachio, & posteà pectori prouidebis vt mox referam, & huic vsui proficua longè plura reperies tom. 2. cap. de præsidijs pulmoni re-B frigerando, & calfaciendo idoneis.

His tamen factis, curandum est summopere expectorare quod pulmonem mundat: si calidum fuerit, & æstuans, decocto, q. ℞. *radicis liquiritiæ, & radicis maluarum, anà ℥. 1. violarum manip. 1. prunorum numero 10. iuiubarum, numero 20. quatuor seminum frigidorum maiorum, anà ʒ. 3. anisi ʒ. 1. fiat decoctio in aqua cucurbitæ, & in lib. 1. colaturæ dissolue syrupi violarum ℥. 4.* Item calida existente causa, curandum est, vt laborans semper ore teneat electuarium tragacanthæ frigidum recenter paratum, vel loch hac via confectum: *Excipe mucaginis seminis cidoneorum extractæ cum aqua violarum, aut cucurbitæ, vel hordei ℥. 1. emulsionis seminum frigidorum maiorum ℥. 2.* C *sacchari albi, & penidiarum ʒ. 1. fiat ad modum loch.* Frigida tamen existente materia, ac viscida, ea sunt vsui proficua, quæ capite de pleuritide dicta sunt, quibus addi possunt, vt Celso, & Paulo visum est, aqua mulsa, hyssopo, vel fœniculo incocta, vel ea in qua ferbuerit iris sicca, & in puluerem redacta: addes insuper iuxta humoris redundantis ideam, vel miscellam, hordeum, vuam passam, adianthum, violas, iuiubas, glycyrrhizæ radicem, marrubium, aut origanum: affectio enim hæc valentiora non fert: præter oxymel, quod omnibus admiscendum venit. Interim tamen dum hæc fiunt, pectori extrinsecus adhibenda sunt ea, quæ dolorem sedare D possint, licet non plurimum vrgeat, sed quia calida cùm sint, digerendi quoque, & discutiendi vim habent, quorum abundè meminimus capite de pleuritide: interdum tamen thoracem irrigabis oleo amygdalarum dulcium, sesamino, butyro, axungijs gallinæ, & anatis, in quibus incoxeris hyssopum, marrubium, vel origanum: alijs item valentioribus vteris: nam pulmo extrinsecus sic expostulat, vt constat ex Galen. 2. ad Glau. cap. 2. Verùm si calidior æstuantiorque fuerit affectio, vteris vnguento, quod paratur ex oleo violaceo, de semine cucurbitæ, melonis, aut cucumeris, cum butyro vaccino, aut oleo amygdalarum dulcium: quòd si hæc laboranti tædio sint, ceratum conficies *ex butyri recentis, & axun-*E *giæ anseris, anà ℥. 2. olei rutacei, & vtriusque amygdalæ, anà ℥. ß. pulueris iridis, & hyssopi sicci, anà ℈. 2. œsypi humidæ ʒ. 3. ceræ quod sit satis vt fiat ceratum, addito aceto gratia penetrationis:* ex quibus etiam cataplasma, (quòd forma emplastri longè magis prosunt quàm linimenta) parare poteris, additis pulueribus fœnugræci, & seminis lini, cum radicibus, & folijs maluarum, & althææ: quibus tamẽ addes aliquid acre, & calidum, ac discutiens medicamentum ad euocandam materiam ad extimas partes, vt consuluerat Hippoc. lib. 1. de morbis in curatione erysipelatis pulmonis: item & Galen. 11. method. ca. 17. quòd si non profuerit, solis vteris pinguosis, & anodynis. Prodest non minus fomentum, ex decocto althææ, maluarum, fœnugræci, & similium. Valet & emplastrum, q. ℞. *radicum, & foliorum althęę, & maluarũ, anà m. ß. contundantur, & adde cremoris seminis lini, althęę, & fœnugręci, anà ʒ. 2. iridis, hyssopi tenuissimè*

tritorum, anà ℥. 1. butyri, pinguedinis gallinæ, anà ℥. ß. A *chamæmeli, & rutæ, anà ℥. 1. cum poſca, mulſa, vel cum terebinthina lota cum aceto fiat emplaſtrum.* Verùm ſi materia bilioſa fuerit, fomentum paretur ex aqua violacea cum modico aceti, & inunctiones fiãt poſtmodum cum oleo violaceo. Balneũ autem quale Hipp. & Gal. 3. de ratione vict. commét. 57. parare docent, ſic affectis inſtitues: quo præſidio vtendum eſſe arbitror, cùm affectio in ſuppurationẽ migrat, vt ſi aliter fieri non poteſt citius perficiatur, licet tutius ſit humorem contentum reſoluere, aut per ſputũ mouere.

Curare autem leuium pulmonis arteriarum obſtructionem, neque ita facilè, neque tutum ſemper eſt: ſcito enim in primis, quòd ſi affectio communis efficiatur aſperis arterijs, præter prædicta pericula, etiam dif B ficilem reſpirationem ſuccreſcere neceſſum eſt: quod non minoris momenti exiſtit. At tuberculi, & crudi phymatis curatio, penè eſt impoſſibilis: nam reſoluere validis medicamentis non admittit partis præſtantia: leuibus id tentare, nullius eſt momenti: item ſi ſuppurare ſtudueris, præter id, quòd vlcus relictum incurabile efficitur, ob perpetuum pulmonis motum, dum rumpitur, pus in cor abiens, ſubitam, & innpinatam accerſit mortem: quæ omnia & noſſe, & prædicere, & quantum poſſibile fuerit, præcauere curaturo ſummopere incumbit. Verùm obſtructio, quæ à prædictis tumoribus prodit, præſertim ſi crudi ſint, non omnino ob prædictum timorem deſtituenda auxilijs eſt: ſed à principio corpus per interualla (ſangui C ne bis in anno miſſo, cum diutina ſit affectio) purgare phlegmagogis medicamentis oportet, quo diuertatur fluxurus ad partem humor, & tandem fluxus, in tuberculoque contentus per attenuantia, & reſiccantia diſcutiendus eſt. Huius naturæ ſunt medicamenta, quæ aromatis naturam ſortiuntur thoracicis pharmacis admixta, vt coſtus, zedoaria, cinnamomum, galanga, cardamomum, macis, cubebæ, & aniſum, diagalanga item, ireos, diamoſc. diambar. diacalamentum, & reliqua id genus, velut quæ è ſulphure viuo conficiuntur. Sic ex vſu eſt aqua arte chymica extracta, ex theriaca, mithridato, vngula caballina, & prædictis puluëribus, & aqua mulſa, vbi priùs ſimul D omnia ferbuerint leuiter: quibus admiſcere oportet viuum ſulphur. Verùm quia hæc non ſemper ſufficere poſſunt, ad ſudationes ex ſarſa parilla, corticibus ligni, & ſaſſafraſa Indica, deueniendum eſt. Item ſi hæc non profuerint, non erit ab re, ſuffumigijs ex prædictis aromatis vti. Cæterùm, ſi ex pituitoſis, vel quibuſuis alijs ſuccis, obſtructio prædictarum arteriarũ ſuboritur, curatio omnino inſtituenda eſt ea lege quam adduximus cap. de difficili reſpiratione, qualia Galen. in Antipatro, conſimilem obſtructionem patiente, adhiberi iuſſit, licet Aetius iudicauerat in Antipatro obſtructionem fieri à tuberculo, aduerſus mẽtem, & curationem Galeni, vt eius verba monſtrant. Hoc tamen habet huius affectionis curatio peculiare, nimirum paulò vehementiora præréquirere medi- E camenta ob ſitus reconditam ſedem: verùm ſi ſubita fiat humorum liquatio, ſatius dixi, diutius vti paulò leuioribus, quàm ob prædictam rationem in repentinam ſuffocationem laborantem ducere. Sic profectò huic vſui proficua eſt, helenij aqua ſtillatitia alijs admixta, maximè hydromeliti: præterea medicamenta quæ aut ex ſulphure deſtillantur, vel cum eo componuntur: item ea, quæ ex ſquilla confici poſſunt: maximè ſi theriacæ modicum admiſcueris, aut aquæ, quam ſuperius ex theriaca, & reliquis inſtillari iuſſimus. Præſtant & medicamenta ex chalybe confecta, aut ſyrupus ex ſcoria ferri: maximè ſi admiſcueris gentianæ, aut helenij aliquid cum thymo, ariſtolochia, & pulegio. Profunt & ſudationes, balnea ſulphurea, & tandem fontanella brachijs affixa.

CAPVT VIII.

De ſuppuratione.

LIcet hoc nomen empyêma, pro cuiuſuis tumoris ſuppuratione vſurpari conſpiciamus, proprius tamen accipitur (vt conſtat 5. ſect. aphoriſm. 8. & 7. 45.) pro his ſolùm quibus in pulmone, & thorace tumores ſuppurantur: vt ſuppuratio tantum dicatur transmutatio, ſeu alteratio prædictarum inflammationum ad pus: cum hoc tamen, vt ex prædictorum authorum doctrina euidenter colligitur, ſuppuratio propriè ea cenſeri debet, in qua non ſolùm conuerſio B fit inflammationis in pus, ſed dum effunditur, ſeu colligitur prædictum pus in ſpatio thoracis, atque pulmonis intermedio, poſt abſceſſus diruptionem, vt euidéter ex Galen. colligitur 4. de locis affect. & ex Hippocrat. 5. aphoriſmorum, & 2. prognoſt. 72. Sed clariùs id exprimit Aretæus dicens: *Quibus hominibus in cauis locis è regione pectoris, aut inferiùs ſub tranſuerſo ſepto, puris abſceſſus fiunt, ſi per os id excitur, purulenti vocantur, ſed quocunque modo ex prædictis locis pus colligatur, concluſumque intra vomicam ſit, ſuppuratio cenſeri debet, ſed propriùs cùm dirupto abſceſſu, pus in aliena aliqua cauitate colligitur.* In qua re expendiſſe oportet, quamuis inflammationem, quæ in collectionem commigrauit, in thorace, aut pulmone, vno è C tribus modis terminum ſuſceptare: primo quidem per reſolutionem, non vt cæteræ inflammationes per inſenſilem halitum, ſed per ſenſilem aliquam euacuationem, educto humore intra ſtatutum morbi tempus, reſudatione facta per tunicam tumoris, & mox per ſputum excreto: ſecundo verò per corruptionem prædicti humoris, quo breui moriuntur homines humore vincente naturam: tertiò autem & vltimò per ſuppurationem, in qua magna ex parte moriuntur etiam laborantes, ſenſim tabeſcentes: cum hoc tamen ſuperſtites euadunt aliqui. Ex quo triplici ſtatu, primus optandus, ſecundus prorſus tanquam pernicioſus fugiendus, tertius verò præcauendus, ac ſi id fieri non poteſt, ſtudendum omni diligentia eſt, qua via D tutiùs laborantes eruere ab eius ſæuitia poſſimus.

Sed dubitare hac in parte primò oportet, cũ idem appellaſſet Galen. coctionem in humoribus intra vaſa putreſcentibus, aut aliter alteratis, dum ad benignum reducuntur, ac in tumoribus præter naturam ſuppurationem, qui factum ſit, coctionem in reliquis morbis venoſi generis ſalutare eſſe beneficium, in internis autem inflammationibus pernicioſum, ac formidabile. *Dubium.* Cuius dubij gratia expendere oportet, coctionem omnem cuiuſuis partis, aut humoris, ſalutare eſſe ſignum, & certam ſalutem polliceri, quatenus ad propriam naturam, & cõditionem attinet: *Solutio.* cum hoc tamen, triplici de cauſa non ſemper id conſequitur natura: prima ob ſitum, & conditionem lo- E ci qui abſceſſum patitur, quantumuis ſuppuratio laudabilis exiſtat: cuius naturæ eſt pulmo, in quo vlcus vtcunque fiat, nunquam coaleſcit ob frequentem, & magnum motum. Huic finitimum eſſe thoracem conſtat, cuius pleura cùm dilatari, & comprimi ad ipſius motum teneatur, inflammata neque magnam reſpirationem admittit, neq; exulcerata facilem coalitum. Secunda verò cauſa eſt, dum facultas cui munus eſt expellere quod ſuppuratum coctumque fuerit, alterius ordinis, & naturę exiſtit. Sic interni tumores dum ſuppurantur, graues quidem ſunt, & periculoſi: nam quod excernitur ab eis, nec expelli poteſt citra opem animalis potentiæ, quæ defeſſa ex graui morbo, nequit munus perficere, maximè cũ id opus fieri teneatur non per inſenſiles, ſed conſpicuos meatus, & communes canales, quibus purè, aut quauis alia re oppletus, ſuffocatione periclitari animal nemo

eſt

est qui ambigat, cùm defessa animali potentia, neque alio modo aut alia facultate excerni sit possibile. Tertia autem & vltima ratio est, quòd rupto abscessu, difficillima ad puris exitum extet via, qua ad thoracis cauitatem prolabitur pus, à quo difficulter ex pectorari potest: præter quam quòd tussis, difficultas respirandi grauissima, animi deliquium, angor, & vltimò suffocatio frequenter subsequuntur: ac licèt vita aliquantulum protrahatur, corpus tamen miserè ad tabitudinem ducitur. Ex quibus euidenter constat, quòd licèt coctio suapte natura salubris existat, ex accidenti tamen coctus affectus perniciosus efficitur.

Sed sciscitabitur fortassis quispiam, quænam sit ea sputorum coctio, quam Hippocrat. in hac affectione laudat, si quidem ea, quam diximus, perniciosa ab omnibus iudicatur. Cuius dubij gratia dicimus, duplicem esse in internis inflammationibus coctionis naturam: alteram qua perfectè superatur deuinciturque vitiosus ille humor, & transit in puris naturã, cùm in membri substantiam verti nequeat, ob vitiosam & repugnantem conditionem: alteram verò, qua solùm attenuatur contentus humor, adeò vt facilè possit, non quidem insensibiliter resolui, vt in externis inflammationibus plerumque contingit, sed per tunicã inflammatæ partis resudare, aptumq; expulsioni reddi: & quanto hoc vacuationis genus præstantius est ruptione abscessus, tanto is coctionis modus dignitate & securitate puris confectionem superat. Quippe coquens natura primò humorem liquat, quo tempore coctionis est principium, tum in venis, vt nebula vrinarum monstrat, tum in internis inflammationibus, si statim spuere incipiat laborans, licèt tenue aliquantulum sit, dum modò facilè excernatur. Præterea coquendo pergens incrassat, vt partis cuius beneficio coquit, figuram & naturam faciliùs susceperit: in quo statu ad resudationem vltimus & præstantior terminus est mediocritas, & id appellatur perfectius coctum sputum: nam si impensiùs crassescat, suscipiet facilè partis coquentis similitudinem, & id est in pus verti: quod omnino fugiendum esse in his arbitramur. Et ob id iure optimo id sputum quod mediocris est naturæ & consistentiæ, laudabile censet Hippocr. & perfectè coctum. Nam vt contentus intra membranam humor, vt salubri coctione confectus dicatur, primã tantùm & secũdam suscipit naturæ præparationem, hoc est attenuationem, vt si fieri possit resoluatur per insensilem halitum, quod efficacius & perfectius est naturæ opus, quàm sit ipsa suppuratio: & cùm id munus exequi ob humoris crassitiem & lentorem est impossibile, postmodum leuem quandam ad mediocritatem susceptat reductionem, quæ præterquam quòd coctionem attestatur, expulsioni per tussim aptissima efficitur: & is est modus resolutionis internis inflammationibus proficuus & proprior, ac si id natura nequeat per tunicam transmittere, in pus ocyssimè degenerat.

Diffinitio. His habitis, cùm tumores præter naturam interni in pus commigrant, dirupto abscessu, & in cauitate thoracis collecto pure, sic affecti suppurati dicuntur. Ita vt suppuratio sit collectio puris intra thoracis cauitatem: quam quidem puris collectionem, licèt ex varijs suboriri causis certũ sit, vno tamen è duobus modis fieri comperimus: ex dirupto nimirũ abscessu pulmonis aut thoracis: altero verò ex defluente pituita à capite aut alia parte in pulmonem aut thoracẽ ipsum: quæ quidem postmodũ caloris præter naturam actione in pus commigrat. In qua quidem disputatione non satis compertum est, quid tenendum sit, cum inter neotericos sint qui omnino negent ex pituita alicubi pus fieri posse, cum id tantùm ex contusa carne vel ex sanguine fieri assuescat: vnde cõstat, necessum esse pituitam vel in sanguinem priùs verti, vel in abscessu colligi. Alij verò referunt pituitam in prædictis

A partibus faciliter in pus mutari absque alia ipsius alteratione: cum hoc tamen asserunt numquam tale pus posse perfectum euadere, sed vt Galen. docuit 6. sect. aphor. 8. quid puri proportione respondens. Vtraque tamen authorum classis Galen. sibi authorem aduocat. 5. simpl. & 1. de diff. feb. & 7. aphor. 30. præsertim cùm constet, prædictum pus citra maiores dolores ac febres contra Hippocrat. decretum plerumque fieri. In qua quidem re si quis legat Hippocr. diligentiùs, reperiet prædictum pus veri puris naturam referre, licèt ob pituitam sibi admixtam, quæ perpetuò fluit, aliquando iudicium euertat. Inquit enim Hippoc. lib. 3. de morb. tex. 16. *Fit & suppuratus si pituita è capite in pulmonem destillet, & primum quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amarius solito, & tenuis aliquando adest calor, sed non adurens.* B Et paulò inferiùs inquit, *Pus crassum ab accessoria & intus putrescente pituita:* quo constat nõ obstare argumenta de febre quæ non apparet: nam sat est, hos numquam febre carere, licèt admodum conspicua non sit, neque semper putrida, quia pituita non est in abscessũ collecta. In quo sensu censeo Aetium dixisse, absque febre nonnullos suppuratos vidisse, hoc est, putrida & euidenti, non tamen sine habituali vel lenta: & ob id priùs dixerat indesinenter hos omnes febre hectica laborare. Quo etiam sensu Galen. 4. de caus. pul. dixit suppuratos semper habere hecticos pulsus. Verùm hæc est differentia inter suppuratos ex pleuritide vel peripneumonia, & inter C eos, qui ex defluxu suppurantur, quòd illos calor apprehendit interdiu, noctu verò maior vehementiorque fit: quod reliquis non contingit, nisi febricula lenti contabescere: quippe augetur in instrumentis respirationis calor, ob cohibitam ventilationem, & spiritus sub thorace violenter oppressos: occasio profectò succensionis deterioris caloris, & putredinis ac febris, quo huiusmodi pus non minus fœtore & reliquis accidentibus insignitur ac alterum: quibus constat, pus esse, & verum, sed vt dictum est, pituita denuò aduenienté adulteratum. Has omnes differentias, nec non & cuiusque signa complexus est Hippocrat. pulchra quadam & longissima oratione libro primo de morbis, qua etiam explicat modum, quo quæuis harum D causarum phthisim efficere habeat, quod maximi est momenti ad curationem. Quicumque (inquit) suppurati fiunt pulmone aut superiore vel inferiore ventre, aut tubercula habent, aut vlcera intrinsecus, aut sanguinem vomunt, aut spuunt, aut dolorem aliquem habent, vel in pectore, vel in dorso: hæc omnia habent, ex his quidem quæ in corpore sunt à bile & pituita, ab externis verò ab aere insito calori admixto, sed & à laboribus ac vulneribus. Et quicumque quidem pulmone suppurati fiunt, ab his fiunt, si peripneumonia correptus in iudicatorijs diebus non purgetur, sed relinquatur in pulmone sputum ac pituita, suppuratus fit, & siquidem statim curatus fuerit, vt plurimum effugit, si verò neglecta fuerint illa in pul- E mone corrumpuntur, illis, & inhærentibus ac putrescentibus, vlceratur pulmo, & suppuratus fit, & non ampliùs intrò ad seipsum nutrimentum memorabile trahit, neque quidquam expurgatur ab eo sursum, sed suffocatur, & semper ampliùs difficulter spirat, & respirando stertit, & respirat illinc sursum ex pectore, tandem verò obturatur ab sputo & moritur. Fit autem & suppuratus, si pituita ex capite ad pulmonem destillet, & primum quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amarius solito, & aliquando tenuis adest calor: temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur à pituita inhærente ac putrescente, & grauitatem exhibet pectori, & dolorem acutum ante & retro, caloresque acutiores in corpore incidunt, & pulmo à calore trahit pituitam ad se ex toto corpore,

&

& maximè ex capite, caput verò excalfactum ex corpore, & hanc putrescentem subcrassam spuit: quanto verò magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequentior, ac fortis, & inedia vexat, & tandem aluus infernè turbatur à pituita, pituita verò de capite descendit. Hic cùm ad hoc peruenerit, perit quemadmodum dictum est in superioribus, purulento, ac putrido pulmone facto. Cùm venula videlicet aliqua in ipso fuerit rupta: rumpitur autem à laboribus: & vbi rupta fuerit sanguinem fundit, si crassior fuerit, ampliùs, sin tenuior, minus: & sanguinem quidem ipsum partim confestim spuit, partim verò nisi vena adstringatur, in pulmonem funditur, & in ipso putrescit; & vbi putrefactus fuerit, pus facit: progressu verò temporis, aliquando pus sincerum, aliquando pus subcruentum, aliquando sanguinem, & si magis repleta fuerit vena, ipsam sanguinis copiam aceruatim à se ipsa reuomit, spuiturque pus crassum ab accessoria, & intus putrescente pituita. Hic si anticipetur incipiente morbo, priùs quàm vena sanguinem fundat, ac fortiter laxetur, & prius quàm attenuetur, & in lecto decumbat, & caput corrumpi incipiat, & reliquum corpus colliquari, superstes ab hoc morbo euadit: si verò neglectus fuerit, & hæc occupatint, vt eam perpetiatur, aut omnia, aut plurima: perit autem hic aut ex eisdem quæ superiùs dixi, aut à vomitu, sanguine multo multoties per vomitum reiecto. Si verò C vena omnino quidem rupta non fuerit, verùm acutus tractus in ipsa fiat: fit autem maximè velut varix: qui autem statim factus fuerit, dolorem quendam tenuem inducit, ac tussim aridam, si verò diu durauerit, & neglectus fuerit, primùm quidem sanguinem modicum, ac subnigrum dimittit, ac reijcit, deinde verò copiosiorem, & sincerissimum, deinde pus, patiturque quæcunque in superioribus dicta sunt. Conducit autem talibus si ab initio curandos suscipias, vt & venæ de manibus sanguinem emittant, & diæta, à qua quàm siccissimus, & exanguissimus fiat. Eodem porrò modo etiam venæ in latere afficiuntur, quæ intus in superficie sitæ sunt. Cùm igitur affectæ fuerint, varicosæque effectæ, & intus eleuatæ, & neglectæ fuerint, hæc perpetiuntur, erumpunt, & spuunt à se sanD guinem, & aliquando etiam vomunt, suppurati fiũt, & vt plurimum pereunt: si verò curentur incipiente morbo, rursus in loco venæ concidunt ad latus, humilesque fiunt: primo quidem ab his suppuratus redditur, & ab ipso etiam talia perpetiuntur, & sic moriuntur. Cæterùm superiori ventre suppurati multipliciter fiunt: nam cùm pituita de capite copiosa, & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, putrescit, & in pus vertitur in viginti diebus, & intus fluctuat, & concutitur ad latera allabens: hic si vratur, aut secetur priùs, quàm diuturnum fiat pus, sanus euadet. Fiunt autem, & superiore ventre suppurati ex pleuritide, cùm fortis fuerit, & in iudicatorijs diebus, neque puttuit, neque sputo reiecta est, sed latus exulceratum E fuerit à pituita affixa, & bile, & cùm vlcus factũ fuerit, reddit ex se pus, & ex vicinis locis præ caliditate in se ipsum pituitam adducit, & hæc vbi computruit, pus spuitur. Aliquando verò etiam ex venis sanguinem vlcus ingerit, & putrefactus pus fit. Fiunt prætereà suppurati, si pituita de capite delapsa, ad latus agglutinata fuerit, & putruerit: tunc enim latus vt plurimum inflammatur, & patitur eadem quæ ex pleuritide: & cùm præ labore, aut exercitijs, aut alio quopiam modo, vena anteà aut retro fuerit rupta, & sic rupta, vt non statim spuatur sanguis, sed in carne acutus tractus, siue varix fiat, & caro tracta, ac conuulsa humiditatem modicam traxerit, & sublиuida facta fuerit: & statim quidem sic affectus non percipit præ robore, ac bona habitudine, aut si etiam sentit, nihil molesti esse putat. Hic vbi deprehenderit, cùm iam

A præ febribus, aut potu, aut venere, aut aliqua alia re correptus, fuerit attenuatus, caro sauciata subresiccatur, & subcalescit, & humiditatem in seipsam à vicinis, tum venis, tum carnibus trahit: vbi autem attraxerit, intumescit, & inflammatur, & dolorem exhibet tenuem, & tussim raram, & siccam primum, deinde adhuc magis trahit in seipsam, & dolorem inducit vehementiorem, & tussim frequentiorem, & primum quidem subpurulentum spuit, aliquando verò liuidum, & subcruentum, & quanto magis tempus progreditur, amplius in seipsam trahit, ac putrefacit, & de ipsa carne quantum ab initio liuidum erat, hoc pus fit, & dolorem exhibet acutum, & febrem, & tussim multam, ac frequentem, & spuit pus sincerum.

B Ex hac quidem Hippocrat. sententia diligenter animaduersa, facilè colligi possunt quinque morborum, ac symptomatum genera ex pectoris partibus, causa tabis laborantibus, sumpta: suppurationem nimirũ, vlcus, sanguinis sputum, tubercula, aut varices, & dolores: ex quibus omnibus triplicem suppurationis explicuit modum. Primum in pulmone: secundum cũ vlcere aliarum partium pectoris, non tamen pulmonis: tertium verò qui neque in pulmone, neque cum vlcere aliquo fit. Postea verò eadem parte, vt verioris tabis speciem, causas, & rationem inueniat, statuit, vlcus in pulmone fieri, & suppurationem primæ speciei ex tribus memoratis, quatuor modis: primo ex peripneumonia rupta non purgata: secundo ex piC tuita à capite descendente, ac in pulmone putrescente: tertio ex vena rupta in pulmone, siue magna, siue parua: item vltimo ex genita varice in pulmone, ac postmodum rupta. Addit insuper quintum modum, licet citra pulmonis vlcus sit, dicens: *At verò suppuratio in superiore ventre*, id est in pectore, non in pulmone, *quæ non per se lethalis est, fit quinque modis: ex defluxu pituitæ à capite dum putruerit, ex laterali morbo dum non repurgatur, ex vena in pectore aperta, ex morbo laterali pituitoso, & ex varice in pectore:* quibus exactè pensatis, diligens lector reperiet nihil deesse ad veram causarum cognitionem: nam licet authores annumerent inter causas, aeris, aut regionis, vel externarum causarum accessum, potiùs occasiones quã cauD sas libet appellare.

Est itaque quouis ex prædictis modis suppuratio verè dicta morbus ex numero eorum affectuum, qui toto genere præter naturam alicubi continentur, aut si mauis in excessu, vt ex Galen. constat lib. de differẽt. morb. reliquæ verò suppurationes, quæ nondum abscessum ruperunt, morbum in magnitudine constituunt. Affecta verò pars ea censenda est, quæ priùs abscessum passa, & ex consensu puris thorax etiam: sic enim si suppuratio in altero latere solùm fit, in altera quoque parte thoracis, dextra videlicet, aut sinistra potiùs, quàm in vtraque, collectum erit: nõ enim facilè migrat à dextris ad sinistra, & è contra. Vtra verò pars sit, præterquam quòd præcedens dolor mõE strauerit, cognoscetur, quòd calidior existat ea quæ affecta præfuit, præterquam quòd dolor, & grauitas maximè cubanti supra incolumem partem id promptè ostendunt.

Præstant huic malo causam, vt Aretæus refert, *plaga, casus, cruditas, frigus, & id genus alia: porrò in quibusdam in pectore diuturna tussis incumbens, & lateris inflammatio, & vomica pulmonis, & fluxio longinqua, &*, vt idem author refert, *serosa à toto corpore fluxio, nec non & acuti morbi in aliquo istorum decubitus purulentiæ originem præbent. At humor aliàs inhæret, aliàs acris, & mordax, & ad mortem vsque putrefaciens:* quem sanè locum ad verbum transcribere placuit, quod omnem causæ modum, ac differentiam complectatur. Cui etiam addere cruentam spuitionem, iuxta Pauli, & Aetij doctrinam opus est: nec non & anginam Aretæi quoque decreto. Addit etiam Auicen.

Causa.

gen. 13. 3. cap. 15. *Et causa extrinseca est, sicut casus,* A *& percussio, aut multiplicatur cum æstati Boreali sicca succedit autumnus pluuiosus, à quibus defluxio erodens aut copiosa in pus versa succrescit:* item cibi, aut potus salsuginosi idem malum assuescunt fabrefacere. His habitis colligere oportet (vt ex Hippocra. constat primo de morbis) triplicem esse suppurationem loco, & causa longissimè dissidentem: primam quæ fit in pulmone: secundam quæ cum vlcere aliarum partiũ pectoris, sed non in pulmone: tertiam verò quæ non in pulmone, neque cum vlcere aliquo fit. Præterea ex eodem Hippocrat. loco etiam colligitur, suppurationem primæ speciei ex tribus dictis, fieri posse vno è quatuor modis: primo quidem ex peripneumonia in pulmone rupta, & non purgata: secundo ex pituita B (vt dictum est) à capite descendente, ac putrescente in pulmone: tertia ex vena rupta in pulmone, siue magna, siue parua sit: vltimo verò ex varice, vel tuberculo aliquo dirupto in ipso pulmone. Item suppurationem quæ fit in thorace, statuit idem author quinque posse fieri modis: vno quidem ex pituita defluente à capite, & prolabente in ipsam thoracis inanitatem, dum ibidem putrescit: secundo ex laterali morbo dum non repurgatur: tertio ex vena in thorace aperta: quarto ex morbo laterali pituitoso: vltimo verò ex varice in eodem thorace, vel resudante sanguine, vel aperta. Præter quas sextam addit Hippocra. in Coacis par. 28. dicens: *Quicunque verò seruantur ex lethargicis, vt plurimum suppurati fiunt.* Contingit C enim, licet non admodum frequenter, lethargum materiæ decubitu, ac diffusione in thoracem, nonnunquam phrenitidē, rarò autem materiæ coctione, sed per suppurationem, vt dictum est, rariùs, & ob id nullus, quod ego legerim, huius mutationis meminit, nisi velis eam Hippocr. quoque intelligere, dum 3. de morbis scribit, *qui è desperatione euadunt, suppuratos fieri.* Quibus profectò colligere licebit, non semper à puris sputo conijciendum esse phthisim superuenturam, vt latiùs inferiùs sumus probaturi. Inter quas omnes suppurationis species alia non minoris momenti annumeranda est, quæ ex pure nimirum inflammato succrescit: ac licet sic affecti verè suppurati non appellentur, quia in thorace pus non colligitur: cũ hoc D tamen non minus malum solet ipsis succrescere, tum quòd rupto abscessu exolutio virium subsequatur à puris illuuie, quæ tetro vapore cor obruit, & ægrum sæpè de medio tollit: tum quòd partes corrumpantur, maximè ex quibus, & per quas pus effluit. Nam cùm substantia hepatis ab abscessu scissa, vel alio modo corrupta maneat, vitiari omnem visceris actionem necesse est, vnde & hepaticas dysenterias suboriri, & hydropes succrescere oportebit, præterquam, quòd corpus haud secus, quàm in quauis alia suppuratione, non alitur, sed verè contabescit, & moritur, excretis substantia saniosa, nigra, & putrida. Ad hanc quoque suppurationis sortem reducere oportet vteri suppurationem, vt Hippocrat. etiam in Coacis refert: & E aliam etiam quæ minoris non est momenti, nimirum cùm ventriculi, aut alicuius intestinorum abscessus foras rumpitur, sic enim facilè homines suppurati fiunt, licet spuria suppuratione, quia non fit in thorace, & ratio est, quia cùm harum partium abscessus extra rumpuntur, hoc est ad tunicam externam, non est locus per quem pus expurgetur, & sic ipso collecto in loco vbi continentur venter, aut intestina, cùm expurgatione, & loco per quem fiat careat, suppuratus interoptimo dicetur homo: in quo sensu censeo Hippocrat. 1. prorr. tex. 37. dixisse: *Quæcunque verò intrò rumpuntur, optima sunt:* ratio quidem iudicio nostro est, quia rupta ad interna fundunt pus ad inanitates intestinorum, & ventriculi, per quas, & à quibus per propria emunctoria facilè ipsum expurgari posse constat: quòd si extra rumpantur, est impossibile.

Tanti est periculi facta puris in thorace, vel quauis *Signa.* parte quæ exitum non habeat, collectio, tantæque difficultatis, vt omni diligentia studendum sit, id omnino præcauere: nam factum collectumque pus hæc, & grauiora mala proculdubio accersit. Quamobrem signis distinguere oportet fientem suppurationem, si fortè impediri possit, & factam ocyssimè cognoscere, & diligenter expectorare. Item sunt alia, quæ iam effusum commonstrant pus, & etiam alia, quę ipsum inueterascere, & ad tabem accedere declarant. Colligitur enim pus, cum morbificus humor intra quatuordecim dies repurgatus non est. Vomica autem rumpitur, ab his diebus si supputes, frequẽtissimè quidem circa vigesimum diem: interdum circa trigesimum, aut circa quadragesimum: nonnunquam etiã circa sexagesimum, pro natura partis affectæ, & redũdantis humoris qualitate. Cognoscitur itaque pus dũ fit, ex signis decreti illius Hippocra. 2. aphorismorum 47. *Dum pus conficitur, &c.* nam eo tempore febres, &, quod magis est, præmissis euacuationibus, maiores fiunt, & maiores labores. Ratio profectò dependet ex maiori naturæ pugna quam morbifica causa infert, & ex maiori molestia ob maximam plenitudinem, quæ, licet vacuationes præcesserint, eo tempore viget, à qua etiam maximum oritur incendium. Sed huius euentus causa est, quia in morbis duplex reperitur plenitudo: altera quidem in principijs ex immodica materiæ copia: altera verò in morborum statibus, non quidem ex materiæ copia sicut prima, sed ex materiæ extensione, & rarefactione, quæ ex efferuescentia eo tempore maiori à calore præter naturam vigente proficiscitur: calore enim tunc efferuescente, magis materia rarefit, & ex rarefactione partes, quæ ipsam continent, extenduntur, & ex distensione sequuntur maiores dolores, & pari ratione maiores febres, quòd eo tempore minus ventiletur calor ob nouam plenitudinem: quo fit vt necessum sit, dum pus conficitur, labores, febres, ac dolores magis adesse, quàm ipso pure confecto. Quibus adiunges rigorem, qui insolitus, & citra ordinem hominem apprehendit, ex materiæ in pus migrantis acrimonia, quæ partibus sensu prædiris communis efficitur, ob vapores illuc conscendentes. Adest etiam tussiendi cupiditas, qua nihil notatu dignum excernitur, quia materiam seruat natura, vt in febribus ad vnam expulsionem; sic enim in his morbis ad vnam suppurationẽ, & diruptionem.

Est & aliud efficacissimum signum, dolor nimirũ pulsatiuus, qui proprium est symptoma inflammationis quæ in suppurationem commigratura est: nam cùm pleuritidi ex propria natura non accidat pulsatorius dolor, nisi ratione magnitudinis inflammationis, cui proprium frequenter est suppurari, ob id magna inflammatio pulsatoriè dolet: nam ob magnitudinem pars inflammata attingit partes arterijs circumsitas. Addit etiam his signis Hippocr. aliud, nimirum pro dolore parti inflammatæ succrescere pondus: quòd quidem licet ab omnibus tanquam notum sit receptum, non nihil difficultatis obtinere videtur. Nam antequam pus fiat, pondus fieri est impossibile: quo fit, vt pondus pro dolore non sit signum fientis, sed factæ suppurationis. Cui dubio dicimus, dum pus conficitur, dolores, & febres simul sentiri, pure verò iam facto mutatur dolor in ponderis sensum. Itaque ex his omnibus intensionibus factis, pus fieri euidenter colligitur: maximè si accesserit tussis valida, & sicca, aut cum leui humiditate, qua leuati videntur laborantes, sed non leuantur, vt ex Paulo colligitur cap. 22. lib. 3.

Instante insuper tempore diruptionis, vehementiùs cum horrore quodam iterum sic affecti febricitant, ac in sermonis proprietate conturbantur, offenduntur que spiritu, adeò vt difficiliùs quàm antea spirent.

rent. Pulsus verò his, quibus pus conficitur, apparet inæqualis, inordinatus, in omnibus hecticans, aut si tēsio præualuerit manifestè serrans, tandem pulsus fiunt quales in inflammationum statu fieri dictum est libro nostro de pulsus arte & harmonia: facto tamen pure paulò æqualior in omnibus efficitur pulsus, minusque fatiscit natura, & quodam modo videtur iam à pugna desistere, iuxta illud Hippocr. *quàm ipso pure confecto.*

Pus autem iam effusum & in thoracem elapsum monstrant dolor remissior, vt diximus, febris reddita minor, sed facta habitualis: remanet etiam intus in thoracis fundo grauitatis quidem sensus, & fluctuat thorax, dum laborans hinc inde recumbit, ab vno videlicet in aliud latus, & sonitus quidam persentitur, & putum eo tempore excernitur, aliquando fœculentum, vt ex Galen. constat 4. de locis affect. cap. 7. & 8. Sequuntur etiam anxietas & cibi fastidium, ex putredinoso halitu à pure illuc transmisso: quo tempore prodeunt magis sudores & febres, quæ naturam hecticæ referunt. Effluxo iam intra thoracem pure, pulsus fiunt latiores, tardiores, rariores, & languidiores, ob facultatem ex certamine defessam, & ob caloris efferuescentiam, atque corporis extenuationem. Quo quidem tempore copiosior erumpit inutilis sudor, oculi caui fiunt, febris noctu exacerbatur, genæ rubēt, vngues curuantur, digiti incalescunt & aluus turbatur, & in pedibus tumores apparent ac cibi fastidium inualescit, & pustulæ circa corpus erumpunt. Quæ omnia complexus est Hippocrat. mirum in modum lib. de Coacis præ. 49. quamuis in prog. sparsim scripserat, dicens: *Qui suppurati fiunt maximè ex pleuritide & peripneumonia,* (quod etiam subaudire oportet ex angina, cuius suppuratio cæteris omnibus periculosior existit) *eos calores comitantur interdiu tenues, noctu vehementes, & nihil memoratu dignum spuunt, sudantque circa collum & claniculas: & his oculi cauantur, maxillæ verò rubent, peius autem calent digiti extremi, & exasperantur: curuantur vngues & refrigescunt, & circa pedes tumores excitantur, & circa corpus pustulæ: abhorrent à cibis: quæ igitur longius durant suppurata, ea signa habent.*

Præsagiū. Quibus profecto visis, plura potiùs dicenda & præsagienda, quàm exequenda sese offerunt. Quippe si cùm abscessus diruptus est, febris eadem dimiserit, euasurum iudicabis laborantem, vt ex Hippocr. constat 2. prognost. 53. maximè si cibum citius appetierit, & sitis fuerit expers, ac venter exigua & consistentia deiecerit, & pus album, læue, concolorque & pituita vacans, & absque labore & valida tussi expurgetur. Aegrum verò moriturum arbitraberis cùm hæc omnia vel magna ex parte contraria acciderint. Quæ si partim prosperè successerint, partim verò secus, moriturum aliquem, & alium euasurum, licèt longo tempore, prædices. Est tamen hoc discrimen ex suppurationis occasione, quòd ex angina semper grauissima existat. Præterea ex pulmoniæ pure vt Hippocrat. docet 2. prognost. 69. faciliùs liberantur qui natu sunt minores & iuuentutem agunt, quòd viribus, ad expurgationem puris, sint robustioribus, quàm senes. At in suppuratione alterius tumoris, minores natu moriuntur magis, ob vehementes dolores, labores, & febres, quibus in suppuratione fatigantur, adeò vt ante puris excretionem morte præueniantur. De suppuratione verò pleuritidis 5. aphor. 15. inquit Hippocr. *quòd si in quadraginta diebus purgantur à die à qua fit ruptio, liberantur: si verò non, ad tabem transeunt:* in omnibus tamen, vel horrores post puris eruptionem manere, vel accidentia non protinus cessare, grauissimum est & periculo plenum, ingentē, & intolerabilem puris corruptionem, quæ nullis auxilijs emendari possit, arguit. Vtcumq; tamen sit, si ruptio abscessus per partem fiat superiorem, vomica pure scatente, tabidi &

A morti proximiores euadunt laborantes: at ex rupto abscessu per internam partem pure protsus per ventrem, vrinam aut sputum expurgato, multi superstites euadunt. Quo autem modo per ventrem aut vrinam pus ex thorace expurgari possit, iam satis expositum est lib. nostro de recto præsidiorum vsu: & ne quis miretur, qua via tussiendo reijciatur pus quod in thoracem deciderat, expendat Galen. doctrinam lib. 5. de locis affect. & 5. method. cap. 8. qua docet, expirationis tempore, thorace vniuerso per validam tussim vehementer compresso, pus inter ipsum & pulmonem contentum, compressione media ad pulmonem adigi, cedente ipsius pulmonis substantia ascendenti puri: & cùm ora & corpora vasorum quæ cartilaginea sunt, comprimi non possint, fit facile, vt quod thoracis B compressione illuc conscendit, pulmonis extrema vasa faciliùs suscipient, licèt Erasistratus contrarium videatur fateri, vt ex Galen. constat lib. 5. de locis affect.

Curandi ratio. His habitis, curandi rationem diuidere est inanimo, iuxta tempus in quo pus conficitur, & confectū iam est, & tandem in quo abscessus dirumpitur. Nam. 14. die translacta in pleuritide, si aliter colligere non valueris, tumorem non posse resolui, sed in pus adire sciro: quo tempore studendum est, quam cytissimè ad suppurationem festinare, antequam quod ibidem continetur, corruptionem subeat.

Dum enim pus conficitur, ea præsidia sunt adhibenda, quæ licèt pus maturent, semper tamen admixta C habeant quæ resoluendi vires sortiantur: cuius censsus plura diximus capit. de pleuritide; nam quo citiùs pus conficitur, eo pars affecta minus læditur, & promptiùs abscessu dirupto ad pristinam reducitur sanitatem: exeditur enim plurimum particula, dum pus lentè fit, & tardè rumpitur. Huius autem conditionis sunt, ad q. ℞. *radicis maluarum.* ℥. 2. *ficuum, num.* 10. *passularum enucleatarum.* ℥. ß. *florum chamæmeli & meliloti, anà. par.* 1. *coquantur & colentur per cribrum subtiliter, & adde farinæ seminis lini. fœnugræci, & tritici. anà.* ℥. 2. *olei amygdalarum dulcium, butyri recentis & terebinthinæ, anà.* ℥. 1. ß. *misceantur & fiat cataplasma;* Prodest emplastrum diachylon magnū malaxatum D oleo anethino, vel amygdalarum dulcium. Benefacit quoque per interualla parti fomenta adhibere ex aqua temperata, vel aliquo ex his quæ ex decoctis herbarum remollientium confici possunt: sed potissimum præstant vsum fotus ex hydræleo: maximè si super posueris cataplasma ex farina triticea & eodem hydrelæo: item adeps suillus cum radice althææ, farina triticea, & oleo amygdalarum dulcium, facto cerato. Prosunt etiam eclegmata ore sumpta, quale est q. ℞. *mucaginis ficuum pinguium.* ℥. 1. *butyri recentis* ℥. 2. *sacchari candi* ℥. 1. ß. *amyli.* ʒ. 2. *misce & lambendo sumatur.* Iuuat & decoctum q. ℞. *liquiritiæ rasæ, & radicis maluarum, anà.* ℥. 1. *scabiosæ. m.* 1. *coquantur, & facta colatura extrahe emulsionem quatuor seminum frigidorum maiorum, & hordei, & cum sac*E*charo fiat serapium.*

Facto iam pure, necessum est abscessum protinus dirumpere, antequam aut pus ampliùs exedat corrūpatque particulam, ac maiorem febrem succendat: quod facies corpore validiùs commoto & maiori tussi irritata: præterquam quòd attenuatur pars, quæ dirumpi debet, ex frequenti hydromelitis potu, & cremoris ptisanæ cum melle. Idem præstat decoctum hyssopi & epithymi cum melle: verum quia hæc rarò prodesse solent, satius est extrinsecus adhibere quæ diruptionem maturent, quale est emplastrum ex stercore caprino cum aliquo ex prædictis decoctis & melle. Cæterùm quia abscessum rumpi ad interna, graue est, ob suffocationis & phthisis periculum, ob id apertionem ad externa plerique commendant; quod ob id rarò vsu venit peritis in arte, quia paucis datum est

pus

pus confectum collectumque intra vomicam nosse: quod si aliquis id diligenter scrutatus fuerit, mihi non est dubium, tutius, & certius esse præsidium, quàm disruptionem spontaneam ad thoracem expectare, cum certiori periculo suffocationis, & phthisis. In qua quidem re expendendum est, sectionem non debere fieri in parte qua verè suppuratis fit, hoc est, quibus pus in thoracem iam cõfluxit; quippe efficitur inter quartam, & quintam costas; sed iuxta partem abscessu affectam, quo loco vomica continetur, & adhæret, ne nobis accidat aperto foramine longiùs ab abscessu, pus nullum exire, & non curato antiquo malo, aliud denuo efficere. Itaque diligenter considerabis doloris, & ponderis locum, & partem, quæ maiori calore in thorace pollet, & iuxta eam inter duas costas ferro inscindes lentè, & paulatim, quousque pus exire cõperias, & mox subsistes à scissione, ne internam tunicam simul perfores: priùs tamen de viribus facto diligenti examine, ne grandi remedio, & vtili vires non sufficiant, & ob id succumbat laborans: hæc tamen necessariò candenti ferro debet fieri, vt paulò inferiùs leges. Huius præsidij primus omnium meminit Galen. post Hippoc. 6. aphor. 16. nam vtroque ruptionis modo videtur Hippoc. vsus fuisse lib. de internis affectionib. dicens: *Si in latere tuberculum nascatur, & suppuratio fiat, quod in quadraginta diebus, aut paulò priùs accidit, atque ex eo dignoscitur, quòd, cùm suppuratus sit, non tamen pus reuomit, neque spuit, hunc, cũ sic habuerit, vbicunque tumor de se significationem præbuerit, secato, aut vrito, & posteà pus paulatim emittito.* Qua autem lege debeat fieri, & quibus præsidijs vlcus, & abscessus ablui possunt, non est præsentis instituti. Cum hoc tamen, nec pus totum effluere permittere par est, & ægrum cogere supra idem latus cubare, & tandem siringa lauacrum per factum vlcus in abscessum infundere ex aqua hordei cum saccharo, si pars calore æstuauerit, vel ex hydromelite, aut sero lactis cum saccharo, vel melle: tandem omni studio abstergere, euacuare, & mundam reddere vomicam oportebit.

Dirupto quidem abscessu, & ad internam thoracis cauitatem pure collapso, res maius facessit negotium: nam promptissimè ipsum expectorare oportet: quòd raro per secessum proijcies, & longè rariùs per vrinam: sed frequentiùs, & tutiùs per sputum, aut per sectionem, vel vstionem in thorace factam. Itaque duplex erit indicatio agendorum, pure iam in thoracem profuso: altera, quæ ex diruptione vlcus factum curet, quæ potiùs ad caput de phthisi pertinere videtur: altera quidem, quæ pus ex thorace trahat, vt abundè diximus capitibus de tussi, & pleuritide: cæterùm huic vsui pauca quædam scribere studui. Exequemur enim hoc ministerium his, quæ recipiunt attenuantia, & extergentia, vt si laboranti summo mane porrexeris mel despumatum, aut puluerem indis cũ mulsa, vel ptisanam cum melle optimo permixtam. Item hyssopi, iridis, liquiritiæ, & hordei decoctum, ex quo mulsa vsui proficua parari poterit: valet & liquiritiæ succus cum melle, & aqua hordei: præstant prædictarum herbarum pulueres cum melle: item syrupus de prassio, de hyssopo, de glycyrrhiza, de marrubio, & adiantho. Mirabilis insuper efficaciæ est aqua mulsa, in qua lota sit terebinthina abietina: vel aqua mulsa ex decoctione ficuum pinguium: iuuat etiam non parum terebinthina abietis cum puluere liquiritiæ, aut saccharo cando, pondere duarum drachmarum. Prodest etiam aliud medicamentum, q. ℞ *syrupi de hyssopo* ℥. 3. *syrupi violarum*, *& oxymelitis squillitici* ℥. ß. Item aliud q. ℞ *loch caulinum* ℥. 2. *succi liquiritiæ* ℥. ß. *pulueris diairis, & diapenidionis, ana* ʒ. 1. *conseruæ capillorum veneris* ʒ. 3. *cum oxymelite squillitico, & syrupo violarum fiat loch.* Quòd si quæ excernuntur per tussim, sordida, fœdique fuerint odoris, tunc fœnugræci, & ficuum pinguium decoctum admiscere oportet, sicut mulsam ex hyssopo, aut origano.

Verùm, si in ventrem pus irruere cognoueris, emollientibus, & his quæ aluum ducant vtendum est, quibus ad eam regionem pus cum reliquis excrementis deferatur. Quapropter clysteribus aluus solicitanda erit, & cibarijs, quæ ipsam lubricam reddant: cui sanè vsui censeo, quibusdam nostræ ætatis Medicis visum fuisse, singulis diebus aliquod porrigere medicamentum, quod vim habeat aluum soluere. Sic à plerisque datur medulla cassiæ fistulæ masticanda, quæ sanè thoracem leuire, & quod mouet, in ventrem deferre nata est: sic multis placuit pilulam ex optima terebinthina cum modico agarici offerre: maximè in his, quibus suppuratio ex pituitosa defluxione oritur: quibus etiam ex vsu est, eandem terebinthinam rhabarbaro admiscere: nam præter id quòd non minus expurgat, & abstergit, mirum in modum fluxionem roborando sistit.

Cæterùm licet aliquando natura necessitate coacta, per vrinam huiusmodi pus pellere soleat, admiratione quidem dignum est: nam id non nisi intermedio maximo discrimine fieri potest: transit enim pus per præcipuas cordis cauitates: quod nisi natura fecisset, carere periculo esset impossibile. Cuius rei primus nonniam præstitit Galen. lib. 4. de loc. & nos lib. de præsidiorum artis med. vsu, rationem euentus adduximus. Quem sanè euentum licet fieri posse fateantur Medici cum Galen. nihilominus non citra magnum discrimen, propter cordis præstantiam, & fœdissimum puris contactum. Cum hoc tamen tunc naturæ motum sequi Medicus tenetur, non quidem quatenus pertinet ad motum puris per cor, sed vt renes per quos id pus defert natura ad vesicam, ope Medici auidiores fiant ad trahendum quod illis purulentum obtulerit natura. Nam primus motus puris per cordis sinus, salubris efficitur, quòd actio sit naturæ, non artis, & à membro secundum naturam existente non morbido, & quia noxium expellit natura, non quia suscipit: quo fit, vt quę naturaliter fiunt, licet grauiora nobis videantur, leuiora sint, & nobis amica magis, quam quæ leuia sunt, si nobis præter naturam succrescant. At secundus puris motus per arterias ad renes, excitandus iuuandusque est his, quæ vrinã moueant, siue cibis admixta, siue per se adhibita: non tamen his quæ verè vretica censuit Galen. & ob id thoraci, & pulmoni aduersa arbitratur, sed ijs quæ vel extergendo vrinæ meatus repurgant auidioresque tractioni reddunt, aut ijs quæ multam serosamque humiditatem suppeditant: quæ sanè & pus attemperãt, & vias abstergunt, & ad vrinam, quod superest in vasis, euocant. Primi gradus est terebinthina, secundi verò multa ex his quæ diximus, velut lac quatuor seminum frigidorum, & alia quæ abundè scripsimus lib. de præsidiorum vsu.

Quòd si nec omnia hæc prodesse videantur, ad maiora deuenire consulit vrgentiæ ratio, antequam ex pure, & vlcere corpus habituali febre corripiatur, aut vlcus fiat cacoethicum. Huius generis est sectio, seu apertio thoracis: in qua quidem re consulendus mihi venit Hippoc. lib. 6. aphor. 26. qui in hunc modum scribit: *Quicunque suppurati, aut aquam intercutem patientes, vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.* In quo sanè opere tria considerare, vt rectè cedat, mihi visum est: primum, qui sint ex suppuratis, quos secare, aut vrere oportet: secundum, an indistinctè eiusdem sit vsus, & momenti vstio, ac sectio: tertiò & vltimò, quo loco sectionem moliri oporteat. Circa primum expendendum est, non quosuis suppuratos secandos vrendosque esse, sed eos solùm, quibus tantum puris in thoracem confluxit, vt periculum sit, ne vel suffocentur, vel statuto à natura tempore purgari nõ possint:

nam

nam in quibus puris parua colligitur copia, faciliùs, A & promptiùs natura quamuis vacuationem aggreditur, secus quidem efficit, dum copiosius est, maximè si nullibi expurgationem moliatur, aut si ea quam tentat, non satis sit. Quod insinuauerat Galen. 6. aphor. 26. dicens: Vstione igitur indigent qui plurimum habent pus, adeò vt non sperent per sputum posse expurgari: hos verò ipsos, & difficultas anhelitus vehementer infestat ex loci angustia, quæ nos cogit vt eos vramus. Nec minoris est considerationis sic affectis (siquidem Hippoc. consulit loco citato, suppuratos, aut aquam inter cutem patientes secare, aut vrere) quoduis auxilium ex his indistinctè præstare. In qua re sciendum est, suppuratos in thorace vstione non omnes esse curandos (qui verò, posteà leges) sed satis quibusdã B est scissio quæ penetret: tum ob puris naturã, ne igne desiccetur: tum maximè ob ipsius thoracis compositionem, ex tot ossibus, cartilaginibus, neruis, & membranis constantem, quæ adeò sunt igni aduersa, dum sana existunt, quantum illis, cùm corrupta sunt, ignis vtilior est ferro. Nec impedit, quo minus hæc vera sint, Hippocr. dictum indistinctè prolatum: nec Galen. qui in commento refert vstione indigere magis, qui in thorace plurimum habent pus, sectione verò qui aqua intercutem patiuntur. Nec minus probat eiusdem Hippoc. dictum lib. 3. de morbis vbi scribit de suppuratis loquens, *secato, aut vrito:* nam præter rationem videtur adductum, siquidem ipsemet lib. 2. de morb. firmiter, quid agendum sit, statuit, dicens: *Suppuratos non esse vrendos, sed solùm secandos*, & lib. de C internis affectionibus, aqua inter cutem laborantes non secat, sed vrit. Verùm si fluxum sanguinis vereamur, securius est in vtroque vrere, quàm secare. Prætterquam, quòd verba illa, *secato, aut vrito*, non vt iacent sunt intelligenda: ego quidem arbitror per vstionem non esse intelligendam eam quæ vrendo penetret vsque ad pus, sed solùm quæ efficit exteriùs vlcuscula manantia, per quæ sensim pus expiret: & hac lege hydropicorum vstiones censeo esse intelligendas, potiùs quàm eas, quæ penetrare possint: sic enim ventrem hydropicorum circa vmbilicum varijs vstionibus leuiter perforamus, non sine magno eorum commodo, quòd sensim, & paulatim aqua expiret. Cùm D tamen aqua effundi debet copiosiùs, quod raò vsu venit, sectio exequenda venit. Verùm qui voluerit adhuc clariùs hoc difficillimum opus perpendere, vt exequi liberè possit, expendat, quòd vt triplex est puris collectionis in genere occasio, ita & triplex erit eductionis modus. Quippe primus est, dum ex defluxa pituita in thoracem pus efficitur: quo tempore neque scalpello, neque candenti ferro scindere vlla lege licet: sat enim tunc est (si fluxio compressa est, aut distracta per fontanellam, & cum hoc si, quod fluxum est, nequit natura sufficienter tussiendo expectorare.) locum exteriùs vna, aut pluribus paruibus inurere, ea vstione, quæ non permeet ad interna, sed solùm cutẽ vrat, & nonnihil carnis, vt tradunt etiam Celsus lib. E 3. cap. 22. & Aetius. Quæ sanè curandi ratio vt tutissima, ita & vtilissima haberi debet. Secundus autem est, cùm colligitur in aliquo abscessu copiosa materia, vel pituitosa sanguini admixta, vel sanguis ipse, quæ in pus versa exitum expostulant, dummodo nullum præsit in thorace vlcus: quo tempore tutissima est scissio solo scalpello extrinsecus inter costas facta, qua pus educatur citra vllam vstionem, quæ eo tempore formidanda erit. Tertius verò & vltimus est, dum pus ex pulmonis vlcere colligitur in thorace, quo casu ipsum eduxisse minimè sufficit, manente adhuc in pulmone causa, quæ illud sit denuo coaceruatura. Quo sanè casu non sat est pus eduxisse, vel vssisse exterius, sed etiam oportebit ad vlceratos vsque pulmones candenti ferro inurere, priùs vniuerso pure educto. Quibus, si exactè perpendisti, reperies, hãc vstionem verè ab Hippoc. fuisse vstionem appellatã, non illam primam solum extrinsecus vrentem: nam dum 3. de morbis Hippoc. dixit, *secato, aut vrito*, solũ intellexit de sectione citra vstionem, aut de vstione citra sectionem, vel penetrationem: & 6. popul. vbi scripsit *tabescentes statim vrere*, intelligendum est de penetranti vstione. nam talis proficua est vitiosis, & antiquis pulmonis vlceribus. Atque hæc ad vnguem expendere tenetur, qui studuerit aliquod ex his auxilijs tentare: nam graue est, & periculo plenum in grauioribus auxilijs errorem committere. Tertium verò & vltimum, quod scitu necessarium proposuimus, est, scire qua parte eos liceat secare: quod fieri debet secundum longitudinem costarum inter quartam, & quintam, aut, vt alij referunt, inter quintam, & sextam, vbi iam pus prolapsum est. Sic enim Aetius lib. 6. cap. 44. ex Leonide refert: *ferro mucronato candenti per medium spatium, vbi abscessus est, adducto vsque ad pus, vstionem moliri oportet:* sed id de abscessu nõ rupto intelligitur. *Nonnulli etiam hos curare ausi sunt, transuersa linea inter quintam, & sextam costam ducta, & cute paululum obliquè diuisa, deinde sic scalpello membrana, quæ costas succingit, perforata, pus excreuerunt:* cum hoc tamen non omnino probat prædictũ opus. Quod sanè vt certiùs aggrediantur audaciores Medici, probatione priùs facta id tentant: nam decumbat ne pus iuxta illam partem, filo actu humido, & supra locum affectum apposito, id venantur, quem si exsiccauerit parus calor, arbitrantur ibi colligi, & immorari copiosum pus. Prætereà si oportuerit thoracem perforare, sciendum est, non esse simul, & confertim vniuersum pus extrahendum: moriuntur enim vel spiritu copiosiori dissipato, vel ex frigidioris aeris subingressu, quo forsan halitus in cor, & arterias fugantur. Vulnus tamen fiat exteriùs patentius, intro verò quàm minimum. Vlcere verò facto, curandum est thoracem syringa abluere, & pus extergere aqua hordei, & syrupo rosaceo, vel hydromelite, si pituitosior fuerit affectio: item sero lactis, vel decocto cariophyllatæ herbæ, aut agrimoniæ, quod magni solet esse momenti.

CAPVT IX.

De Tabe.

PHthisis, seu phthoei, nam vtroque modo refert Galen. 7. aphorism. Græcos Athenienses appellasse id quod Latini tabem nuncuparant, affectio quidem grauis in vino nutrimouis consistens, quæ generali quodam significato complectitur omnem corporis consumptionem, vt ex Galeni doctrina euidenter constat, qui tabidos eos omnes appellat, quos (vtcunque sit) extrema macie consumptos vidimus: interdũ verò eos, qui peculiari corporis, & naturæ promptitudine apti sunt ex leui occasione in tabem prolabi. Quanquam tabes communi significato accipiatur (maximè à Celso) pro atrophia, cachexia, & phthisi. Frequentiùs tamen & propriùs eos appellat tabidos Galen. quibus pulmo est exulceratus. Ex quo febris lenta in corde accenditur, cum totius corporis extenuatione, & consumptione, non modò humorum, atque carnium, sed etiam partium solidarum, vt æger paulatim intabescens, tandem ossibus, & pelle solùm videatur constare: quod sanè vlcus propter malignitatem ab Hippoc. interpretibus θηρίωμα dictum est, vel quia feræ cuiusdam more grassatur in corpus, vel quia ægros aduncis vnguibus feris similes reddit. Verùm vt quis exactè intelligat quid per tabem propriè subaudire oporteat, sciendum est, consumptionem, seu marcorem, aut marasmum (vt latiùs exposuimus lib. febrium, & secundo pulsuum) esse corruptionem, seu consumptionem viuentis à siccitate: cuius sanè

con-

consumptionis loco citato, tres addiximus species: vnam ex sola siccitate prodeuntem, partium frigiditate, & calore secundum naturam manentibus: secundam quæ duplex est, vel ea siccitate calori adiuncta, vt in vltima hecticæ febris parte conspicimus: vel ex eadem siccitate cui frigiditas quoque associatur, qualis senibus succrescit secundùm naturam, frigiditate mixtionis dominante: tertiam cùm alicui ex prædictis adiungitur defluxus aliquis, aut tumor præter naturam, qui syncopœsis appellatur marasmus. Quibus marasmi speciebus corpori succrescit id vitium, quod Medici appellant atrophiam, hoc est, nutritionis defectum. Cui quoque affectioni non pauci, neque contemnendi authores reducunt cachexiam, hoc est defectum veræ, & optimæ nutritionis, licet corpus, aut eius partes in maiorem molem augeantur. Præter quas omnes accedit maioris momenti alia, quæ consumptio etiam est cum febre ex vlcere pulmonis (vel, vt quibusdam placuit, cuiusuis alterius visceris, aut magni alicuius articuli proueniens) quam profectò veram, & præcipuam phthisis rationem constituere, nemo est qui ambigat. Cæterum inter has atrophiæ, & consumptionis differentias hoc interest discrimen, quòd atrophia sic propriè dicta, à quacunque sit causa, in omnimoda nutritoriæ facultatis ablatione sita est: cachexia verò, actio vitiosa eiusdem facultatis existit: at tabes consumptio est ab extraneo calore facta, consumente proprium cuiusque corporis humidum: qui calor non solùm vitium infert in nutritoriam facultatem, quo minus possit corpus reficere, vt in alijs speciebus, verum & proprium, ac peculiare membrorum humidum depascitur. Tabis itaque tres distinguit Hippoc. differentias, vnam à defluxione è cerebro copiosa, & non expulsa, mollem pulmonis carnem putrefaciente, aut acri, & exedenti, vel salsa, ac biliosa: alteram verò ex succeßione pleuritidis, anginæ, aut peripneumoniæ: tertiam frequentissimam ex apertione, vel ruptione vasis alicuius, ex qua superest in pulmone vlcus: tanto curatu grauius, & difficilius, quanto vas ex grandioribus fuerit. Quibus tabis speciebus Aretæus quartam addit, vt censeo desumptam ex Hippocrat. lib. 1. de morbis, quæ ex siccitate pulmonis proficiscitur, cum leui tußi, in qua nihil excernitur, vniuersum corpus etiam contabefaciens: ad quas quoque facilè est reducere alias phthisis species, quarum meminit Hippocr. lib. de internis affect. dicens: Tabes alia ex labore, alia ex defluxione pituitæ à capite, alia verò ex dorso: quæ nouiter vxoratis frequenter contingit: quas quidem potiùs modos ex diuersa occasione, & causa, quàm veras differentias dixeris. Est itaque tabes ea affectio, quæ ex vlcere pulmonis suboritur, cum corporis consumptione, ac lenta febricula: quam sanè nuncupant tabem exquisitam authores omnes, licet non desint, qui eam, quæ ab vlcere thoracis, asperæ arteriæ, renum, vel magni alicuius articuli prodit, veram quoque appellent: re tamē vera qui hoc morbo laborant, verè tabidi non sunt, quia cùm princeps aliquod viscus non læditur, nequeunt omnes partes simul verè tabescere, & totum simul animal lædi, vt Galen. placuit lib. de marasmo, licet temporis tractu ex eo affectu simul cor in tabem deferatur, ac ex consequenti corpus vniuersum.

Dubium.

Sed prodit ex præfata doctrina non leue dubium, nimirum quanam ratione phthisis non reducitur ad eam siccitatem quæ cum calore adaucto simul adiungitur: siquidem in idem videntur coincidere, sola vlcerisratione, quod in phthisi succrescit, dissidentes. Cui dubitationi, quæ non leuis est momenti, dicimus longissimis dissidere interuallis: nam hectica febris habitualis cùm sit, independens necessario existit: at phthisis, licet habitus etiam sit febrilis, ex calore, & siccitate adiunctus, atque factus, cum hoc tamen dependens est: quod habitibus nulla ratione conuenire A videbatur. Quippe vt in fieri, & conseruari ab vlcere dependet, ita profectò citra vlceris curationem, curari minimè potest. Neque mirandum est, habitum esse, & dependentiam sortiri: nam hæc est differentia inter febrem hecticam, & phthisim, quatenus ad eius febrem attinet, quòd habitus hecticæ cùm independens sit, vnus, & idem & eiusdem gradus existit à principio ad finem, licet possit magis eradicari, & ob id vnica erit curandi ratio, quæ calorem compescat, & humidum reficiat: at in phthisi habitualis etiam calor est, & independens, quoad illum gradum in quo est habitus, aut habituatus ille calor: cæterùm cum hoc dependentiam trahit ab vlcere, non quoad illum gradum in quo est habituatus, sed quoad inten- B siorem, quem nititur calor vlceris introducere, & habitualem facere, vt re vera efficit. Nam calor phthisicorum non est eiusdem gradus in fine, ac in principio, vt verè est in reliquis febribus hecticis. Quo fit, vt curari phthisis non possit sola caloris attemperatione, & humidi refectione, quia adest perpetuò causa fouens, & nitens non solùm tueri præexistentem habitum, & calorem, sed vlteriorem, & intensiorem inferre: & hac ratione, nisi remoueatur hoc prohibens, refici, ac attemperari nequit phthisicorum corpus. Quapropter optimè factum esse arbitror distinctas constituisse siccitates hecticorum corporum ab his, quæ reperiuntur in phthisicis.

Causæ.

Causas omnis tabitudinis mihi hac in parte referre C in animo est, licet propria tabes solùm pulmonis vlcus pro causa peculiariter sortiatur. Ante tamen quàm causas recenseam, in animo est triplicem ad tabem apparatum recensere: quod non minoris momenti est ad curationem, quàm causæ cognitio: quippe vna est vitiosa corporis constitutio: altera est ætas, & reliqua aeris constitutio, primò Austrina, deinde Aquilonia. Constituunt itaque tabificam constitutionem tria, caput nimirum, pulmo, & thorax, & in singulis triplex dispositio. In pulmone quidem mollities natiua: cauitates multæ excipiendis fluxionibus idoneæ, excernendis ineptæ, & ab ortu quasi hæreditarium vitium. In thorace vero angustia io latum, & profundum: collum oblongum, & gracile: extantes D scapulæ retrorsum in modum alarum, & excarnes. In capite autem imbecillitas quacumque ex causa, propter quam facilè impletur: intemperies, quæ calidior trahit ex toto instar cucurbitæ: & meatus patentiores, quo faciliùs expellit quidquid receperit: frigidior, multa excrementa congerens: vitiosa denique conformatio collo gracili respondens. De paratiore ætate sic sentiendum, tabem nimirum fieri, maximè in ætatibus à decimooctauo anno ad trigesimūquintum, vt ex Hippocrat. constat 5. aphorismorum 9. & 3. 29. præterquam quòd alibi statutum est, *iuuenibus fieri sanguinis eruptiones, & tabes*, forsan ob sanguinis vbertatem, ob vitæ intemperantiam, & intempestiua exercitia, quibus vel venarum fiunt ruptiones, E vel sanguinis feruores, ac defluxus acres, & mordaces: aut ex nimio calore contabescentia. His suppositis, licet communiter tabitudinis omnis causa habeatur ex præcedente hæmoptoide ob apertum vas, ruptum, vel erosum, aut ex suppuratione, vtcumque facta sit, aut ex acri defluxu, incumbit profectò alias nō paucas recensere, quæ vel his principium præstant, vel per se idem possunt efficere, vlcere in spiritalibus vel alijs in partibus facto, haud secus, vt ex Gal. colligi potest 4. de locis affect. capit. vlt. nimirum propter humiditatem calori coniunctam, quæ ad putrefactionem visceris mollissimi satis esse potest: aut propter immodicum calorem ex corde, qui pituitam exacuit, & adurit, vt per moram erodat pulmonem meatibus effluxui excrementorum aptis ferè destitutum. Nonnulli tabem quoque asthmaticam faciunt, in qua infartis asperæ arteriæ ramis glutinosissima pituita ob

respi-

respirationis noxam consumptio totius corporis sequitur. Tabescunt insuper homines ex defluxione cuiusuis humoris a capite: inquit enim Hippoc. lib. de locis in homine. *Si pulmo humidus fuerit ex copiosa defluxione, fit suppuratio, si autem siccus, tabes.* Addit etiam eadem parte tabis aliam differentiam dorsalem appellatam, quæ fit cùm fluxio in dorsum incubuerit: cuius signa sunt lumborum dolor, & quòd caput parte anteriori vacuum esse videtur. Item lib. de internis affectionibus, renum exulcerationem tanquam causam alteram tabis annumerat, atque etiam coxendicis, vt lib. de Coacis præ. inquit enim. *Quibus ex intermittentibus febribus sæpius fiunt recidiuæ, his in coxendicum lenem tabem deriuantur.* Cuius etiam meminit lib. de glandulis dicens: *Pituita si per spinalem medullã defluxerit in coxendicem, tabescatq;, ex coxendice morbus fit longus, sed insanabilis, ex quo deflorescit totus vigor hominis, & moritur tandem.* Succrescit non minus ex defluxione ad pulmonem alia tabis species, vt eodem loco scribit Hipp. dicens *Si vero pituita defluxerit ad pulmones ex capite, fit pus & erodit pulmones, & fit tabes.* Cuius etiam fluxionis meminerat lib. 2. de morb. quòd sanè phthisis genus Serapio appellat phthisim similem, in qua non est vlcus in pulmone, sed fiunt purulenti quòd pituita crassa corrumpatur in pulmone, & septem annorum spatio finitur. Est etiam alia causa, quam recensuerat Hippocrat lib. prædict. dicens: *Quæ autem specialiter sanationem prohibent, sunt similiter, vt virgo si ex suppressione mensium in tabem deueniat:* item ex curatis hæmorrhoidibus, si ex toto supprimantur, tabe mori dixerat idem Hippocr. 6. aphorism. 12. *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur, periculum est aquam intercutem, vel tabem aduenire.* Cui simile damnũ creditur inferre hæmitritæi quoddam genus, ex continua pituitosa & quartana intermittẽte conflatum, est enim tabificum genus febris, & occidit per hydropem. Fiunt etiam nonnulli ex metu tabidi, dum sensim & nõ subitò causa ingruit, quæ sanè mœrore confectos tabificat: sic & ex fascinatione & maleficio multi tabescunt. Præterea temporum tempestas sicca post acutos morbos diu durans, tabitudines generat, vt ex Hippocrat. constat. 3. aphorism. 16. Pari lege & copiosus cibus tabem efficit, vt Hippocrat. docuerat lib. de veteri medi. dicens: *Copiosior cibus, quàm conueniat, ægro exhibitus morbum auget & corpus tabificat:* & libr. de locis in homine inquit: *Quòd si corpus superat cibos ingestos, floret, sed si vincatur atque succumbat, corpus gracile efficitur.* Varios etiam alios modos delabendi in tabem, suppuratione mille modis facta prægressa, annumerat longissima oratione Hippocrat. libr. 1. de morbis, qua parte incipit: *Quicunque suppurati fiunt pulmone, aut superiore vel inferiore ventre,* &c. Tandem vltima parte sententiæ inquit, vlcus in pulmone fieri vno è quatuor modis: primo ex peripneumonia rupta non purgata: secundo ex pituita a capite descendente, & in pulmone putrescẽte: tertiò ex vena rupta in pulmone: quarto ex genita varice in pulmone & postea rupta: & quintũ addit eadẽ parte, nimium ex his omnibus, cæterùm in thorace damnum inferentibus; nec non & ex pleuritide aut alio tuberculo ibidem rupto. Quorum omnium prouidentiam ad exactam curationem ediscere oportet.

Signa.

Signa verò quibus huiusmodi affectus mõstratur, in triplici sunt differentia: quędã enim affectus ipsius principiũ monstrant: quædã eius magnitudinẽ & sæuitiã: & vltimò quædã causas & differentias ipsius tabis. Quę verò affectũ mõstrant, diuisa quoque sunt in ea quæ affectũ docẽt, & in ea quę particulam affectã, nam cùm non vnica sit, sed multiplex, vt superiùs dictum est, eius quoq; habere notitiam conuenit.

Ante tamen quàm peculiaria signa aggrediar, necessum iudicaui esse, docere potius signis principium affectionis huius monstrare, quàm dum iam in vetustatem, & habitum deducta est: quippe capillorum defluuium, vnguium curuitas, & reliqua huius naturæ, solùm præsagio proficua existunt, non curationi. Nam cùm hæc affectio rarò curationem admittat, firmato malo, sed mox incipiente, ob id eis, quæ id monstrant, solùm opus habemus. Sic etenim diutina tussis cum leui sanguinis ramento, corporis extenuatio, lenta febricula, & ab ingesto cibo corroboratio nulla, signum est instantis, aut incipiẽtis phthisis, maximè si id accidat corporibus alatæ naturæ, &
B quæ promptitudinem habent huic habitui suscipiendo aptam. Præterea, si constiterit præfatis signis, phthisis præesse principium, sciscitandum est vlterius, an ea febricula, eaque siccitas, quæ tabem primò manifestant, ex vlcere pulmonis, vel alterius partis prodeat, an ex febrili calore, vel diuturno aliquo fluxu. Cuius rei gratia præcedentes causas primò considerabis, nimirum si sanguinem excreauerit laborans, nec citò sanitati fuerit restitutus: tunc enim coniectabile est, vlcus posse in pulmone, vel in scissa parte relinqui, cuius spurcitia, & purulentia corpus contabescat, idque maximè si ab eo tempore pusilla quędam febris adhæsent. Item si præcesserit praua pleuritis, quæ in suppurationem migrauit: si præcessit ictus, ca-
C sus, vel aliqua ex prædictis causis, hæ etenim citra sanguinem, saniem primò ostendunt.

Præterea his consideratis, primum signorum genus, quod affectum, & affectam partem mõstrare habet, triplicia complectitur signa, nimirum quæ excernuntur, doloris proprietatem, & locũ, & vltimò corporis habitum. Quæ verò excernuntur, varie possunt id monstrare, ex tussi nimirum, & modo quem in excernendo seruat natura: nam cùm vlcus in aspera pulmonis existit, leuissima admodum tussi excernuntur quæ in eadem præsunt, & mox à tussi, quantumuis leuis sit, fit excretio: quæ verò in pulmone existunt, præter id quòd sine dolore excreantur, maiori tussi opus habent: quæ verò in thorace, longè ma-
D iorem requirunt naturę diligentiam, & laborem, quo fit vt ipsa non excernantur, nisi post longam, & vehementissimam tussim, & dolor insuper in parte vlcerata persentitur. Secundò id etiam monstrat quantitas eius quod excernitur: nam quæ ab aspera pulmonis arteria prodeunt cùm abraditur, parua quidem sunt, quòd à paruissimis vasis discindantur, & cum leui dolore. Quæ verò ex pulmone, longè sunt copiosiora, ob magnitudinem vasorum, quia copiosiori indigebat alimento ob motus perpetuitatem. Thorax quidem mediocriter excernit, nam vasorum pulmonis extrema nequeunt à thorace sugere maiorem copiã, ob idque sputa sunt mediocria, inter ea quę prodeunt à pulmone, & ab aspera arteria. Qualitas verò eius
E quod excernitur, & locum affectum, & vlceris conditionem proculdubio ostendit. Sic quæ purulenta, & sordida sunt, vlcus esse cacoethe monstrant: item dum in aquam profunditur, & deorsum vergit, solidam partis vulneratæ substantiam putredine excisam monstrat: nec placet eorum sententia, qui pus esse probant affuso in aquam sputo, nec rursus Atreço placuit: nam pituita crassa etiam in aquam proiecta descendit. Verùm id profectò distingues, quia pus primò per aquam spargitur, posteà verò deorsum vergens iterum colligitur: at pituita licet descendat, etiam ob innatum lentorem, & visciditatem proiecta in aquã non spargitur, neque disgregatur, sed conglobata descendit, quod est certius huius probationis signũ. Item si sanguis tenuis, & cum saltu excernatur, arteriosum vas esse diruptum monstrat: si verò spumosus sit qui excernitur, pulmonem esse affectum monstrat. Præterea si aliqua tunica cũ tussi excernatur, &

ea

ea crassa sit, epiglottidis & partium uicinarum esse ulcera conijcito. Verùm si bronchium aut pars eius magna excreta fuerit, ex magnitudine licebit rimari, asperam pulmonis arteriam esse læsam; nam bronchia quæ ex pulmone prodeũt, minora quidem sunt. Verùm cùm quadruplex sit pulmonis substantia, bronchiosa nimirum, qua uasa constituuntur; ligamentosa etiam, quæ uasa pulmoni connectit, & brõchia etiam inter se coniungit; pulmonis etiam parenchyma, seu caro; & quarta, quæ ex leuibus cõstat arterijs; hinc fit ut bronchia exeãt à pulmone, ligamentis ipsis putrefactis præ humiditate: quod monstrat mucilaginosa excretio cum ipsis ligamẽtis admixta, aut excesis prę acrimonia & mordacitate humorum: reliquas uerò substantias, ut dictum est, facilè nosces.

Tabidorum uerò pulsus neque certus est, neq; semper idem omnibus incidit, nã cùm tabis tot sint species & modi, fit procul dubio ut qualibet iuxta sui rationem pulsum immutet, & sic marasmus in genere, quatenus corruptio est à siccitate, solùm habet efficere pulsum paruum & languidum: uerùm marasmus, cui adiungitur calor, paruum etiam ac debilem efficit pulsum, celerem tamen & crebrum, decurtatum, & eminulum atque prominulum, licèt cùm iam ad solidorum consumptionem est peruentum, hecticus fit & æqualis, ut lib. de pul. arter. abundè exposuimus.

Magnitudinem quidem huius affectus, & ipsum affectum monstrant pectoris grauitas, angor, cibi fastidium, uespertina extremorum frigiditas, & matutina (ut inquit Aretæus) caliditas, sudor usque ad pectus caliditate molestior, uox raucescit, ceruix nonnihil tortuosa est, gracilis, non uersatilis, sed uelutirigẽs atque intenta: digiti tenues & articuli crassi, ꝙ carnes extabuerint digitorum: ventres rugosi, buccarũ tenuia dentibus inhærent, vt ridere videantur: apparet insuper capillorum defluuium, ob inopiam & consumptionem alimenti; succrescit rubedo maxillarum ob acres & calidos halitus maxillas ascendentes: vnguium appatet curuitas, propter consumptionem carnis subtus iacentis; succrescit & fluxus alui, quibusdam ex substantiæ colliquatione, alijs ex impotentia naturalis roboris, multis verò ob vtramque cãm: vltimò quidem monstratur hoc malũ ex totius corporis cõsũptione, & facie illa Hippocr. appellata.

Quo autem modo interstinguere oporteat tot causarum tabis differentias, facilè quis discet, si eas, quæ præcesserunt, causas & occasiones percontatus fuerit, ac si expenderit defluxiones, quæ adhuc præsunt, & præcesserunt, sanguinis reiectiones, suppurationes, peripneumonias aut pleuritides.

Ante tamen quàm præsagium ex hoc malo explicandum aggrediar, expendisse erit operæpretium (cùm thoracis omne vlcus graue sit & periculo plenum, & variæ sint partes quæ thoracem constituunt & in ipso continentur ac ipsi adhærent) vtrum horũ grauius sit & periculosius, dum vlcere afficitur. Cuius dubij gratia statuendum est, ex his omnibus plurimam præbere salutis spem pectoris vlcera, minus laryngis: deteriora sunt ex vasis pulmonis: pessima ex substantia: terret enim ex copia fluxionis magis vlcus quod in vasis est: sed si ante inflammationem subueniatur, glutinatur non rarò: at ex pulmonis carne parcior fit fluxio, sed immedicabile vlcus, quoad firmã cicatricem attinet. Sed huic rei addit Gale. 5. metho. cap. 18. incolumius rumpi simul cum sanguineo vase ramum iunctum asperæ, quam seruetur integer: nam propter liberum commeatum defluentis sanguinis in asperam, expurgatio integra aditum præbet sananti naturæ: retentus enim dum per anastomosim asperæ transcolatur, parte aliqua abit in grumum per moram putrescentem, & pulmonem putrefacientem. In pulmonis verò carne, licèt contra-

A ctum vlcus sanari possit, vbi extrorsum pus expurgationem habeat, quod in vulneratis secundum pectus in pulmone visum est; integro tamen pectore, ob causas nuper relatas, ferè insanabile est: cæterùm in larynge & aspera arteria, ob id securius est, nec multò quàm in pectore deterius, quia vlcus breue est, & pus facilè spuitur, & membranæ crassities præsertim ad laryngem faciliùs coalescit. Verùm in eius capite ferè vlcus incolume est, nisi imprudenter agatur: cui etiam Aretæus maturè subuenire monet, ne per palatum ad pulmones, sanguine inter dormiẽdum defluente putrescenteq; hominem tabescere cõtingat. Nec minus magnitudinem periculi metieris, si ex-B penderis humoris fluentis conditionem, & puris naturam, vt superiùs dictum est.

His habitis, ad duo capita reducere oportet præsagiendi ministerium in hoc malo: primum nimirum, quod contineat eos qui sanari possunt, cùm Hippoc. forsan citra aliorum mentem, velit etiam exquisitissimum tabis genus sanari posse. Cui vsui proponit secundo prædict. septem signa, quæ significant ægrum euasurum: primum, si album sit sputum, æquale, & ab inflammatione liberum: secundum, quod ea, quæ ex capite defluunt, per nares educantur, quo minus præexistens affectio ex fluxione augeatur: tertium, vt non adsit febris putrida, quæ noctu erescat, & necessariò cœnam interdicat: quartum verò, ꝙ sitis sint C expertes, quo apertè scimus febre carere putrida, febre enim hectica affecti parum sitiunt: quintum, vt nondum ad maximam extenuationem deuentũ sit, impedit enim summopere curationem: sextũ, vt aluus deijciat, durum tamen & pro ratione assumptorum: septimum verò & vltimũ, vt pectore sint quadrati ipsumq; habeant hirsutum, carnosum, & non è magnis ossibus, quod indicat naturam membri patientis esse validam. Quos autem mori cogit mali sæuitia, multa etiam monstrant signa: primum, si affectio ex suppressione mensium intempestiua, & quæ reuocari non possit, prodeat; vel si ex defluxu incõpescibili humorum; aut ex repetitis suppurationibus; & sic pari censura de singulis causis, quas numerauiD mus. Cæterùm, siue à leui, siue à vehementiori causa malum oriatur, signa quædam scribit Hippocr. quæ futuram & proximam mortẽ certò attestantur, quale est fœtidum & saniosum sputum, quod fœtorẽ super prunas iniectum non leuem referat: sed intelligendum est, non id solum sufficere ad mortem prædicendam, nisi simul capilli à capite defluant, etiam si lib. 2. de morb. dixerit, sputum graueolens sufficere. Cuius rei occasione sciendum est, ꝙ in suppuratis ob puris maximam copiam, quæ sola sufficit interficere, solus fœtor sat est, non autem in tabidis: tum quia puris adest minor copia: tum verò quia aliunde, quàm ex pectore & pulmone, pus confluere potest: sed signa hæc potius mortem quàm eam breui fore E ostendunt; verùm si his accesserit alui fluor, mox laborantem mori certum est, iuxta illud Hippocrat. 5. aphorismor. 12. cuius signi & aliorum pulchra oratione rationem reddit lib. 1. de mor. dicens: *Cùm pus ipsum in ventre moram traxerit, totum corpus ab ipso calescit, tum maximè vicinissimæ partes: calescente autem corpore humidum maximè eliquatur, & quod quidem à supernis partibus eliquatur, in superiorem ventriculum defertur, & quandoque aluus ab ipso turbatur & hominem perimit: nam cibi ingesti succedunt incocti, & alimentum ab ipsis corpori non accedit, & sputi sursum purgatio non æqualis contingit, aluo nimirum calefacta, & omnia deorsum trahente in seipsam; & ab sputo quidem suffocatur, & stertit, dum non purgatur; à ventre verò fluente debilitatur, & plerumque perimitur.* Et paulò inferius (vt præsagium concludam) scribit: *Hunc si iam è capite capilli defluant, & nudum sit caput, velut ex morbo; &*

si in primis spuenti, saliua graue olens sit, intra breue tempus moriturum prænuncia: maximè si vnguium curuitas, & inter nodiorum digitorum, & iuxta vngues extuberantia, & pedũ tumor accesserunt; præsertim cùm certum sit ex omnium consensu, vlcera pulmonis difficillimæ esse curationis, eò quòd citra tussim non repurgentur, & cum tussi mutuò corrumpitur pulmo, & exulceratur: quo fit, vt etiam si cicatrice obducantur, leui occasione recrudescant; & iterum pus & sanguis prodeant, vt experimento constat quotidiano: maximè cùm vires medicamen totum vlcus pertingere non possint.

Cùm certum sit, pulmonis id vlcus, quod alicuius magnitudinis existat, curari non posse, ideò non studui hac in parte plurimum inniti in vlceris curatio- B ne. Verùm quia id, quod vel paruum est, vel nondum inflammationem contraxit, vel in thorace aut aspera arteria viget, curari non rarò conspiciamus, ob id profectò vniuersam huius mali curationem in duo potissimum capita diuidam. Primum quidem quod circa tabificum corpus versetur, studens ipsum ad pinguiorem statum reducere: alterum verò quod parti vlcere affectæ incumbat, curetque quantùm possibile sit, sanitati restituere. Sed cùm primum opus citra vlceris curationem fieri sit impossibile, ob id ab eius prouidentia initium sumens, præmitto curationem in his vtilem fore, qui licèt pus iam exereent, in via sunt vt tabidi fiant: nam spes subest, siccato debitis præsidijs vlcere, febrem cessaturam, & consum C ptionem, vt multis euenisse Galen. testatur. At eos, qui iam ad tabem peruenerunt, licèt difficile sit (ne dicam impossibile) sanitati restituere, cum hoc tamen omnino deploratos relinquere, æquum non est: nam fieri potest, ne in extremam illam tabem transmigrent, & diu detineantur in vita, causis siccitatis diligenti præcautione obsistendo: cõtingit enim callosum fieri vlcus, & siccum quoad labia ipsius, ita vt nec sanguis profluat, nec sanies, nisi recrudescat occasione aliqua. Curandi igitur ratio magis in præcauendo quàm in curando sita, vtriusq; prouidentiam cõmendat: quo fit, vt partim renutritioni incumbat, partim verò exsiccationi vlcens, præmissa eiusdem repurgatione. Atqui cùm has duas actiones omnino D cõntrarias esse constet, & vnam alteri nocuam, prudenter censeo factum esse plerisq;, si eas ad inuicem admisceamus, vt quod siccat earum vna, repurgatq; & abstergit, id reliqua renutritione reficiat.

Sed antequam aliquod ex his operibus aggrediar, disputatione dignum iudicaui, an tabidis aliqua occasione æquum sit & præcisè necessarium, expurgãs medicamentum porrigere, vel sanguinem mittere: nam iuxta optimam rationem videtur plerisque Medicorum lege inuiolabili sancitum, nullo modo corpus tabidum inanire sanguine misso, aut expurganti medicamento. Quod facilè quis confirmare poterit ratione status corporis, qui in inanitione & indigentia situs, omnino adiectionem expostulat, & pror E sus vacuationem renuit. Prætetquam quòd Hippo. 4. aphorism. 8. tabidos monet cauere à purgationibus per superiora, tum ob partium respirationi seruientium imbecillitatem, ne eo motu rumpantur dilacerenturq; magis, præsertim si ex sanguinis eruptione sequatur tabes: tum ob acrium humorum affluxum, quem ea medicamenta facilè concitant. Neq; minus veteri oportet vacuationem per infernam aluum, cùm certum sit, arte aut natura innocuè fieri non posse, vt testatur Hippoc. 7. aphoris. 16. Et licèt huiusmodi euentus & ratione & experimento confirmari videantur, eum hoc tamen authorum decreta & medendi ratio, atque tabidorum corporum dispositio consuluit, & non rarò cogunt, non sine magno laborantium commodo, ad purgãtia auxilia, & ad reliqua quæ corpus euacuant deuenire. Cui rei

A primum Hipp. lib. de locis in homine sententia 31. & 35. principium præstitit, & rationem adduxit dicens: *Qui tabe affectus est, ei purgandum est caput debili medicamento.* Sed quod mihi magis subit mirari, est quod paulò inferiùs scribit: *Prabe elaterium deorsum purgans, & infernè aluum lacte infuso ablue.* Item 2. de morb. de tabeloquens, veratrum pro vomitorio ipsis concedit, maximè si ægri robur id admittat, cùm omnino tabidos purgare per superiora cauendum in aphorismis dixisset. Verùm ne quis Hipp. præceptis prauè intellectis, licentiosiùs quàm par sit, hoc auxilij genere vtatur, in præfata cõtrouersia sentiendum arbitror, tabidis neque omnibus esse negandum expurgans medicamentum, neque vllis B validum & effrene, aut vtcunque turbans porrigendum: nam cùm tabes, siue cum vlcere, siue secus, vel ex fluxione capitis, aut totius corporis prodeat, vel ex causa quæ aut tumorem suppuratum efficiat, aut cõtinuum soluat, originem trahat, in his profectò, quibus fluxio acrium, mordacium, & exedentium humorum adiuncta est, maximè si succorum accedat ebullitio & efferuescentia, non omnino posthabita consumptionis indicatione (nam exquisita tabes, neque in his quibus adhuc fluxio perstat, vacuantia admittit, sed solùm diuertentia) purgare tutissimum & necessarium fore certum est, maximè his medicamentis, quæ & thoraci & vlceri prodesse possint, & fluxionem auertere, atque minuere ant compescere. Huius C sanè conditionis esse creditur rhabarbarum, nonnũquam torrefactum, nardo Indicæ admixtum; & infusione rosatum, ac sero caprino dilutum. Eundem vsum præstat manè sumere coghleare vnum passularum Corinthiacarũ cum puluere rhabarbari & saccharo, *ita vt pro libra passularum, sit rhabarbari ℥.ß. & sacchari ℥.4.* Item prodest saccharum rosaceum cum modico rhabarbaro; vel idem saccharum, cum bolo Armeno, & succo agarici; aut bolus ex puluere rosarum cũ succo seminis carthami, aut agarici, aut rhabarbari extracto aqua lactis. Quòd si acris sit materia quæ fluit, frequentiùs lambendo cassiæ fistulæ medullam, aut eandem in conserua factam, leniter aluum citabis, & fluxionem illuc auertes, thoracemD que & asperam arteriam lenies & sputum faciliùs reddes, maximè si aqua hordei liquaueris: cui admiscere poteris, vel liquiritiæ, vel rosarum puluerem, aut si mauis rhabarbari, quia vna salus phthisicis superest, dum materia aliò reuocatur: nã dum prohibetur aliquo ex prædictis, maioris est incõmodi & periculi.

Sanguinis verò missione rariùs in tabe opus habemus, maximè vlcere iam facto, nisi noua succrescente fluxione, aut nisi adsit venæ alicuius recens apertio, vel ubi feruens admodum fuerit defluxio, & iecur calidum aut feruidum, uel pulmo aliqua occasione diruptus, quibus casibus ex Hipp. decreto sanguis mittendus est. Duobus enim modis à uena rupta, uel in uaricem degenerante pulmo læditur, nimirum san E guine in pulmonẽ profuso ac in ipso putrefacto, quo temporis progressu pus excernitur sincerum, & nonnunquam subcruentum, & aliquando sanguineum. Verum si uena omnino rupta non sit, sed ut Hipp. refert, acutus tractus in ipsa fiat, prorinus in uaricem degenerat. In quibus affectionibus lib. 1. de morbis dissertissima oratione hæc scribit: *Patitur quæcunq; in suppurationibus dicta sunt: conducit autem talibus si ab initio curandos susceptas, vt & venę de manibus sanguinem emittant, & diæta sis qua siccissimus & exanguis fiat.* Quibus euidenter constat, uerendum non esse sanguinem detrahere, uiribus ferentibus aut omnino non collapsis, maximè si accesserit uiri alicuius docti consilium, tanquam in re graui: quo casu tutius sum arbitratus, ubi id non audemus, uel aliquis tenuit, cucurbitis, frictionibus, & alijs præsidijs fluxionem auertere

potiùs,

potius, quàm cum graui discrimine grande auxilium tentare: cum hoc tamen prædictis casibus non omnino est à sanguinis detractione fugiendum, incipiente tamen malo, & dum tabitudo adhuc sub dubio est.

Quibus sic consideratis, tabidorum corporum & vlceris, non posthabita causæ prouidentia, si adhuc præest, sin aliter citra ipsam, curationem aggredieris, studens quæ cruda sunt, vt vlcus aut defluxionis materia, coquere, tenuare, diluere, expurgare, detergere, siccare, glutinare, & corpus tabefactum diligenter instaurare. Ob id primo accessu, & habita iam fluxionis prouidentia, sic affectis eum victum institues, qui sorbitionibus plerumque constet; velut est qui conficitur ex ptisana, oryza, amylo & alica, adiecto lacte vel iure pullorum confecta. Paratur etiam non mediocris commodi cibus ex iure extremitatum bœdorum, aut vitulorum, piscium, testudinum, cochlearum, vel conchiliorum. Exhibentur prædictæ carnes contusæ vel earum succus cum ptisana: quem quoque vsum præstant cancri fluuiatiles, maximè lacte confecti: multa etenim ex his & alijs parari possunt cibariorum genera huic vsui proficua: verùm vtcunque parentur, hoc vnum adseruare oportebit, vt parum & sæpius ipsis præstetur alimentum: multis enim indigent, & vires conficere nequeunt: quo fit, vt paucis, & sæpe opus habeant. Quapropter, ter eos singulis diebus cibare conueniet, quemadmodum in refectoria victus ratione Galen. 7. metho. cap. 6. scripsisse legimus. Quo etiam fit, vt alimentum eius naturæ esse teneatur, quod sine magno negocio trahi possit, & ocyssimè alendis partibus assimilari. Cui sanè vsui, & vlceri etiam curando inter omnia, tum alimenta, tum medicamenta phthisicis proficua, vtiliùs & securiùs exhibentur ea omnia cibaria, quæ ex lacte parantur: quæ sanè & gustui gratissima, & laboranti proficua comperimus. Huius naturæ est id, q. ℞. *caudarum cancrorum fluuiatilium lib. 1. lactis vaccini vel ouini lib. 4. bulliant ad medietatem, demum caudæ optimè contundantur, & cum nouo lacte dissoluantur, cui adde farinæ hordei. p. ß. lactis amygdalarum dulcium. ℥. 4. vitellum oui, sacchari albissimi. ℥. 2. misce & lento igne conducantur vsque ad veram coctionem, & laboranti mane & vespere porrige.* Nec minoris momenti sunt cibaria, quæ ex hordeo semifracto, aut hordeacea farina parantur: hoc vno in huius cibi vsu adseruato, quòd si cum tabe alui fluxus adiungatur, farinam torrefacere modicùm oportebit. Hæc enim vt magis roborat, & adstringit, ita minus alimenti præstat: nam sat est ad vires reficiendas substantiæ effluxum prohibere: at dum in animo est vberiùs alere ac temperare cum modica adstrictione, vt opus plerunq; existit in tabidis cum defluxu à capite, integrum hordeum torrefacere antequam in farinam commutetur oportet: quippe sic minus resoluitur nutritiuæ humiditatis, & dum in pollinem versum est, longè magis, quia minus igni resistit. Paratur etiam aliud alimentum non minoris momenti, q. ℞. *carnem testudinis, quam cum aqua calida oportet separare ab externis ossibus, ac mox eam euiscerare, & cum aqua violarum & seminum frigidorum calidis optimè diluere: demum prædicta caro in lac vaccinum infundatur per noctem, post verò cum portionibus cucurbitæ in eodem lacte coquatur, & cum saccharo quantum sit satis, fiat condimentum.* Item parabis alium cibum q. ℞. *limacum nemoralium mũdatorum optimè à suis mucaginibus lib. 1. vngulæ caballinæ tritæ. ℥. 1. & ß. lactis pinguis lib. 2. bulliant simul vsque ad perfectam limacum coctionem, posteà facta expressione, & adiecto saccharo, fiat condimentum.* Fiet etiam non ingratus cibus ex sola limacum carne cum lacte & saccharo. Parabis non

A minoris momenti alium, q. ℞. *medullam panis, quam in lacte vaccino vel caprino per sex horas infunde, mox coque in lacte amygdalarum dulcium, & inter coquendum adde emulsionis seminis papaueris albi, & seminũ frigidorum maiorum, ana. ℥. ß. & cum saccharo fiat ferculũ.* Sed maioris est nutritionis alter cibus, q. ℞. *caponis carnium citra pinguedinem lib. 1. infundatur in lacte vaccino per sex horas, & post optimam coctionẽ laboranti sumat carnis quantum par fuerit, & iusculo admisce farinæ hordei. p. ß. lactis amygdalarum dulciũ. ℥. 2. emulsionis seminis papaueris albi. ʒ. 2. sacchari quod sufficiat vt fiat cõdimentum, quod gustui solet esse gratissimum.* Item parare poteris sorbitiones ex amylo & lacte, vel ex farinæ erui, hordei, & fabarum cum saccharo: ex vsu etiam est aliud, quod recipit

B cãcros priùs aqua feruefactos & repurgatos, ac postmodum lacte vaccino coctos ad dimidias, quorum caudas laboranti porrige. Parari etiam sine lacte potest ferculum aliud, q. ℞. *carnium gallinarum vel caponum. ℥. 2. amyli & tragacanthi. ℈. 1. electuarij de gẽmis. ℈. 1. seminis melonum. ʒ. 4. cum saccharo diluto in aqua rosarum fiant morselli.* Vires etiam egregiè roborat stillantius succus, q. ℞. *conseruæ borraginis, violarum, & rosarum, ana. ℥. 1. ß. conseruæ ireos, & enulæ, ana. ℥. ß. electuarij de gemmis, diarrhodonis, tria sandali, diamargaritonis frigidi, ana. ʒ. 2. margaritarum præparatarum, coralli, & electri, ana. ʒ. 1. passularum, ficuum, glycyrrhizæ, ana. ʒ. 6. nucleorum pineorum amygdalarum dulcium, ana. ℥. ß. tragacanthæ. ʒ. 3. seminis a-*

C *nisi, fœniculi, vrticæ, quatuor seminum frigidorum communium, seminis papaueris albi, ana. ʒ 1. terræ sigillatæ, boli Armeni, rosarum siccarum, ana ʒ. 3. aquarum pimpinellæ & vngulæ caballinæ, an. ℥. 4. decoctionis limacum, cancrorum, gallinarum lib. 1. cum carnibus vnius caponis iuuenis & pinguis, & vnius perdicis, & cum mica panis vino odorifero infusa, & libra vna sacchari albissimi fiat destillatio,* quam profectò viribus reficiendis & vlceri curando summopere esse proficuam arbitror, sicut illud præsidium, q. ℞. *amygdalarum dulcium mundatarum. ℥. 2. nucleorum pini, passularum mundatarum & in aqua rosacea contusarũ, ana. ℥. 1. pulpæ carnis caponis, vel coxarũ ranarum aut can-*

D *crorum fluuiatilium, vel testudinis. ℥. 1. ß. medullæ quatuor seminum frigidorum maiorum, althææ & bombacis, ana. ʒ. 2. anisi. ʒ. 1. cinnamomi. ʒ. ß. amyli parũ, sacchari quod sufficiat, vt fiat pasta panis, cũ vino, vel iusculo caponis, & fiant placentæ coquendo.* Mirabilis ẽt efficaciæ est ea compositio, q. ℞. *pinearum, & amygdalarum dulcium maceratarũ in iusculo, ana lib. ß. carnium testudinum perfectè coctarum, vel ranarum aut cancrorum fluuiatilium. ʒ. 3. medullæ quatuor seminũ frigidorũ maiorum, ana. ℥. ß. anisi. ʒ. 1. cinnamomi. ʒ. ß. amyli parum, sacchari quod satis, fiat pasta cum pauco iure testudinum & vino, ac fiant morselli, qui in furno coquantur.* Præter quæ sanè cibaria, alia non pauca conficies ex piscibus, cancris, testudinibus, ranarum, limacum, vel pullorum carnibus, maximè si pullos

E nutriueris lacte, & farina hordei. Sed ad lactis per se vsum tempestiuum est deuenire.

De lacte.

Constat profectò ex Homero, & alijs veteribus, tanti esse momenti lactis vsum tamq; proficuum, vt plerasq; gentes solo lacte vixisse, & hodie pariter viuere, Galactho pocas, aut Galacthophagos dictos, scriptum sit. Dimitto varios cuiusq; rationis parandi modos: nam quidam coagulatum diu adseruant, secumq; in bellum sic deferunt: alij verò eo instillato vtuntur, & multis cibarijs admiscent: nos tamẽ hac in parte eius solũ in vsum phthisicorũ meminisse studemus. Sic profectò omnem in tabidis recuperandæ salutis spem inter cætera nostræ artis auxilia, præstantissimè vendicauit lac: variè tamen præparatum, vt ex Tralliano, Aetio, & alijs veteribus euidenter constat. Sed in vniuersum phthisicis, vna è tribus causis

parari conspicimus: nam aut pus abstergit: aut solutam vnitatem coniungit: vel partem aut vniuersum corpus reficit. Quæ sanè beneficia præstare habet iuxta tres partes, quibus ipsum lac constare scimus: nimirum serosa, quâ abstergit & abluit: caseosa, per quam agglutinat & distitas partes vnit: vltimò butyrosa, qua & vlcus & corpus vniuersú reficit. Sic profectò eius facultates exquiri debét, & augeri pro vario eius vsu in medendo vlcere: quo fit, vt nunc hordeum, nunc mel, nunc saccharum, aliàs mel rosaceú, vel sal, vel amylum ipsi admiscebimus. Atque vt ex eius varia conditura, varium beneficium consequimur, ita prorsus ex varia lactis sorte, varia quoque efficere possumus opera. Sic posteritas lacte vsa est B asinino & caprino, quòd sero abundent, cùm detersionis vsus vrget magis: ouillo aut vaccino, cùm refouendum est: vstulato, vaccino, aut cum aqua pluuiali cocto, ad conglutinandum. Ob id profectò initio curationis, cùm abstergendum maximè est, asinino, aut caprino vti oportet, modico tamé mellis admixto, ne cogatur aut acescat in ventriculo, vel, si placet, salis modico: procedente verò malo, vbi vires reficere necessum est, lacte muliebri vteris, quod laborans ab vbere sugat, vt pariter spiritum & calorem vitalem sibi comparet. Sed in hac re breuiter disserendum est, quodnam lactis genus cæteris præferatur: quippe si vlceris curationem abstersione facta quæras, proculdubiò asininum præferendum est C (mox caprinum) maximè asinæ herbis nutritæ siccitati & detersioni aptis, velut est rubus, arbutus, lentiscus, myrtus, abrotonum, hedera, & cytinus. Qui tamen Galen. leget. 7. metho. & sæpe alibi, reperiet muliebre lac omni alio esse præferendum: verùm qui ipsum curiosiùs euoluerit, discet dum nutritionis vsus præualet, tunc muliebri esse maximè vtendum, quòd natura familiares succos celerius trahat & vniat: quo fit, vt cùm Galen. de vlcere agit, humani lactis non reminiscitur, sed solùm cùm de siccitate & corporis refectione disserit. Vtcunque tamen sumatur lactis vsus, solùm concedi debet si nulla sit febris accessio, si non sint flatu viscera distenta, D & æger non sit ventriculo frigidiori, aut oimis vrente, neque sit cephalalgicus. Quibus diligenter seruatis, mirum non est, si plures phthisicos solo lactis vsu seruari conspiciamus, ante, inquam, quàm ipsum vlcus callo obducatur, vel maius fiat. Quantitas verò lactis quæ assumi debet, primo accessu trium tantú sit vel quatuor vnciarum, tamen adaugere deinceps oportebit, quantum ægrotantis ætatem, naturam, & tolerantiam ferre posse cognoueris: à cuius potu quiescat citra somnum, qui capite grauatur, aut vlcus ex destuxione passus fuerit: verùm si laborans vehementer febricitauerit, quartam aquæ partem vel sacchari modicum adijcies, aut in ptisanam, vel lac quatuor seminum maiorum, mutabis.

E Præter dicta beneficia, quæ lac præstare dictum est, vt alimentum, alia vlceri curando non pauca, dum medicamenti vires gerit, largiri scimus. Sic dum vlcus agglutinare, & foramen quodammodo comprimere, cùm partis refectione, intendimus, vtile paratur præsidium, q. ℞. *lactis lib. 1. aquæ pluuialis in qua rosæ siccæ maduerint.* ℥. *4. simul bulliant, subinde ferrum ignitum in eo ter quaterve extingue.* Idem beneficium præstat, q. ℞. *lactis, à quo butyrum extractum sit, lib.* ß. *nocte vna sub dio sit, & deinde fortiter agitetur, & detracta spuma, adde sacchari rosati.* ℥. ß. *boli Armeni.* ʒ. 1. Præstat eundem vsum lac vstulatum, vel admixtum terræ Lemniæ, aut aquæ chalybeatæ, præmissa coctione ad tertias, quo serosior lactis pars absumatur. Idem beneficium præstat cum amylo vel farina volatili leuiter feruefactú. Mirum in modum præstat id, q. ℞. *cineris cancrorum lotorum in aqua rosarum, & priapi tauri, ana* A ʒ. *2. boli Armeni, terræ sigillatæ, gummi tragacanthi, & Arabici, ana.* ʒ. *1. seminis papaueris albi, & quatuor seminum frig. mai. ana.* ℈. *1. liquiritiæ.* ℈. *2. sacchari rosati siccæ ad pondus omnium fiat pulvis, quem capiat cum lacte capræ aut asinæ.* Quod si partem abstergere opus sit, *lacti admiscebis quartam aquæ hordei, vel lentium partem, & facta agitatione spumam detrahe.* Idem beneficium præstat lac rosacco saccharo in puluerem redacto admixtum, & leuiter agitatum vel decoctum. Item lac idem cum aqua sacchari, vel, si affectio fuerit frigiditatis soboles, hydromelite admixtum: quinimò, vt multis placere video, vtcunque lac paretur, semper sacchari, vel mellis B modicum admiscere est opus, & eò magis, quò vsus abstergendi est vigentior. Tandem huic ministerio abstersionis lac exhibeatur præualente in eo magis serosa parte, vel adrecta aqua, vel caseosa detracta aut butyrosa. & de lacte hæc sint satis.

Summopere probârút Antiqui balneorum vsum in huiusmodi affectione: sic enim inquit Hippocrat. lib. 2. de morbis de tabe loquens: *Lauandum tepida tabidum, excepto capite, quod quàm rarissimè lauari debet:* quapropter, vt recta ratione hoc præsidio vti possis, expendas, non esse balneo in omnibus tabidis vtendum, cùm tabis multiplex sit ratio: nam vbi sanguis fluit, fluxit, vel fluxurus timetur, balneum administrare periculo non vacat: & pari prorsus ratione, C vbi à capite fluxio incumbit: nec non vbi pulmo admodum scatet excrementis: solum enijs proficuum arbitramur, cùm tabes totius tantùm corporis extenuatio est absque vlla defluxione proueniens, vel cùm tabe corpus afficitur ob pulmonis vlcus, quibus profectò balneum mirificè confert, quòd inditam locis omnibus siccitatem, & similem naturæ humiditati madorem humiditatemque ipsis adhibeat, & præter naturalem calorem contemperet, natiuum autem velut connutriat: sint autem huic vsui ea balnea proficua, quæ ex sola aqua dulci, vel lacte calido conficiuntur. Quo sanè auxilij genere, nec diutiùs, nec frequentiùs, nec vtcunque vti teneris, sed pro corporis natura, & statu: quippe hi D qui rarò sunt habitu, tardiùs & rariùs lauandi sunt, nec diutiùs in balneo continendi: sic pari ratione qui admodum contabuerunt: exoluetur enim facilè pusilla eorum vis. Pari ratione eos frequentiùs & diutiùs lauabis, qui ex vlcere pulmonis tabescunt: idque tanto diutius & frequentius, quanto in principijs fuerit affectio: in reliquis verò eas leges adseruabis, quas scripsimus lib. febrium, cap. de hectica febre.

De balneis.

Ante tamen, quàm solius vlceris curationem aggrederer, necessum esse duxi, prouidentiam quoque habere humorum qui in thoracem vel pulmonem confluxerunt. Quamobrem considerandum, an fluxio, à qua malum incepit, adhuc perstet, vel E suppressa, finitave iam sit: nam si fluit, siue à corpore, vel à capite vel aliunde, perperam & inutiliter tempus in curatione conterimus, ni priùs fluxionem restrinxerimus, vel aliò traductam esse compertimus. Quapropter necessum erit, vel præsidijs auertere, vel leuibus vacuationibus finire, vel in membrum mandante compescere. Compescimus enim reducto capite ad natiuum temperamentum, vel finito dissipatoque ibidem humore, vt de emplastro ex thapsia Galen. 5. metho. retulit: cuius neque temerè, neque vbique, aut vtcunque vti tutò datur, sed capite frigido & pituitosiori existente: tunc enim & calorem euocat sopitum, & frigidum corrigit intemperamentum, & pituitosam fluxionem ob id sistit, quòd discutiat, vel concoquat: cui vsui ex stercore columbino, pulueribus maioranæ, stœchados, chamæmali, vernicis, rosis & ladano conficere poteris. Verùm si calida,

acrisve, aut mordax fluxio fuerit, tepidis balneis, vel pulueribus frigidioribus, & adstringentibus, aut oleis, velut de papauere, de nymphæa, rosarum, myrtillorum, de omphacio & similibus rem agere oportet. Pulueres verò, sacculos, cerata, & emplastra huic vsui proficua, reperies confecta capite de cephalæa. Materiam verò genitam, & quæ ex facto capitis intemperamento in dies progignitur, nullo alio auxilio tutiùs auertes, quàm fontanella altero aut vtroque brachiorum adaperta, qua per experimentũ fidissimum scio, non paucos phthisis feritate affectos, liberatos fuisse. Dimitto quibusdam profuisse vsum pillularũ & paulannæ purganonis, quemadmodum Arabicarum, cocchiarum, sine quibus, aurearum, fœndarũ, & similium, quarum modum, & quantitatem, ac varietatem adduximus cap. de dolore capitis: sed periculo non caret huiusmodi curandi ratio, & ob id tutius fore arbitror experto vti præsidio, licèt primo accessu videatur difficile. Cæterùm his qui iam tabe laborant, caput neque ferro neque potentiali caustico vrere opus erit, pro tabis curatione: incipiente tamen malo, & fluxione à capite delabente, ex vsu esse solet iuxta sagittalem suturam caput inurere, vel in occipitio inter primam & secundam vertebram, sed magis probo eidem parti setonem affigere, quo tutiùs & commodiùs malum imminuitur.

Auxilia verò, quæ soli vlceri prodesse scribitur, initio ichorem, & saniem abstergere, atque resiccare tenentur, & vbi iam satis detersum est, ita vt nihil saniosum expurgetur, glutinandi virtute esse prædita oportet. Initio igitur si laborans biliosus non sit, vtendum est *mulsa ex aqua potabilis lib. 1. & mellis.* ℥. 1. sed mox a principio melle crudo vtendum est, postea verò vbi glutinandum magis est, cocto. Præstat & decocto fœnugræci cum saccharo & melle vti: quò quoque vsum porrigit *mulsa saccharata ex decocto seminis lini leniter torrefacti, cicerum rubrorum nucis pineæ resinosæ, hordei non decorticati, iridis Illyricæ, aristolochiæ*, vel si placet, *aduce mellis rosacei modicũ*, quibus insuper *addes pulueris cicerum rubrorum.* ʒ. 2. *succi marrubij, caulium aut hyssopi.* ℥. 1. *pro libra, & cum melle fiat ad modum eclegmatis, cui item* (si velis sputum incrassare, lenire, & coquere) *addes,* ʒ. 1. *pulueris de pulmone vulpis, nucis pineæ resinosæ.* ℈. 1. *succi glycyrrhizæ.* ℥. 1. Ex vsu quoque est serum lactis cum melle vel syrupo rosaceo, aut decoctum hordei cum eisdem syrupis vel de glycyrrhiza. Quòd si post abstersionem exiccare vlcus volueris, theriacam & mithridatum aqua hordei vel sero lactis dissolutum porriges: tutius verò Gale. visum est porrigere decoctum ambrosiæ & athanasiæ, vel puluerem earum cum aqua mulsa. Quem vsum præstat id, q. ℞. *pimpinellæ siccæ* ʒ. 2. *ireos florentinæ.* ʒ. 2. ß. *sacchari rosacei.* ℥. 2. Quem quoque vsum ferunt præstare suffumigium ex folijs nicotianæ herbę, quam Indi tabacum appellant. Ferunt quoque non contemnendi authores, eundem vsum præstare incredibili efficacia suffumigium ex arsenico, grauissimum alioqui venenũ, sed robustum expostulat laborantem, & cum præsagio futuri periculi ex natura mali, nisi magnis auxilijs præueniatur. His tamen factis, si constiterit, vlcus repurgatum esse, vnire & agglutinare, aut (vt rectiùs loquar) renutrire partem vlcere affectam oportebit: sed primam indicationem præstat id, q. ℞. *eclegmatis è pulmone vulpis & è pino. ana.* ʒ. 1. *syrupi de hyssopo, myrtini, glycyrrhizæ ac mellis rosacei an.* ℥. 1. *boli Armeni, terræ Lemniæ & lapidis hæmatitis an.* ℈. 1. *radicis symphyti.* ʒ. 2. *diatragacanthi.* ʒ. 3. *misceantur & fiat eclegma.* Præstat etiam puluis qui fit ex vulpis pulmone præparato, cum saccharo rosaceo, & syrupo de glycyrrhiza, aut marrubio admixtus. Consolidat itaque in vniuersum lac vstulatum, bolus Armenus, caseus recens, testæ cancrorum, terra sigillata, trochisci de Karabe, mastix, sanguis draconis, gummi Arabicum, balaustium, rosæ, corallum & myrrha, quæ vsui parari possunt vitellis ouorum, lacte vstulato, succo granatorum, cytoniorum, rosarũ, syrupo myrtillorum & de rosis siccis. Prodest mirum in modum syrupus hac lege confectus: ℞. *hordei torrefacti.* ℥. 6. *cancrorum fluuiatilium crasso modo contusorum, abscissis priùs partibus extremis, & lotorum cum lixiuio calido, furfure grosso, & modico salis, & vltimò cum aqua frigida ter quaterue, num.* 12. *capillorum veneris, polytrici priùs benè contusorum, ana. m.* 1. ß. *parietariæ, verbenæ, hyssopi, enulæ campanæ, tapsi barbati, foliorum vrticæ, ana. m.* 1. *baccarum lauri, seminum papaueris albi, ana.* ℥. ß. *iuiubarum, sebesten, passularum, acetosæ ana.* ℥. 1. *carnis testudinis priùs lotæ in vino albo.* ℥. 2. *bulliant omnia secundum artem, ad perfectam decoctionem, ex qua sume lib.* 3. *sacchari albi lib.* 2. *fiat serapinum, cuius laborans capiat iteratus.* ℥. 3.

Extrinsecus verò per initia cataplasma adhibeatur ex altheæ folijs, semine lini, ac tenuissimo polline rosarum, quæ cum decoctione fenugræci, altheæ, vel maluæ, oleo, ac melle misceantur: posteà ad cerarum transeundum erit ex butyro, oleo laurino, ac cera paratum. Item, dum repurgare est opus, ex terebinthina conficies, & oleo cyperino, butyro, & medulla ceruina, & adipe taurino, iridisq; & hyssopi puluere, æqualibus partibus. Tempore tamen cicatricis oleo veteris myrtino aut rosaceo, adiectis alumine, acacia, malicorio, hypocistide, aut galla cum pice, ammoniaco, visco quercino, & cera.

Verum quia ex phthisicis non pauci febre, & siti torquentur cum ventriculi æstu, quæ maiorem colliquationem portendunt, ob id præter dicta instaurãtia, prædictis accidentibus subuenire oportet: huius naturæ est diamelon Alexandri ex succo cytoniorũ vel ex cydonijs incoctis aqua rosata, aut vtrisque seminibus frigidis, additis rosis, santalis, & succo glycyrrhizæ: vel sic confice: ℞. *aquæ rosarum.* ℥. 4. *malorum dulcium lib.* 5. *sacchari lib.* 1. *santalorum alborum & rubrorum, ana.* ʒ. 1. *succi rosarum & glycyrrhizæ, ana.* ℥. 1. *succi quatuor seminum frigidorum.* ℥. 2. *syrupi rosarum quod sufficiat: mala intus & extra purgentur, & cum aqua rosarum lento igne coquantur ad tertias, posteà misceantur cum reliquis, & laboranti porrige.*

Verùm si hæc omnia adhuc non prodesse videantur, consulendum est ægro maritima & pinifera loca adire, ibidemque diu habitare.

CAPVT X.

De syncopi, & de venarum interceptione.

EST quidem syncope grauissimus cordis affectus, in quo vitales vires (& ad earum casum, vt quæ aliarum sint fundamentum, reliquæ) repente prolabuntur, vt ex Galen. 12. metho. cap. 5. apertè constat: nec non ex Auice. qui syncopen destructionem plurium virtutum motiuæ & sensibilis, ob cordis debilitatem, definit, ita vt sic correptos imaginem mortis representare sæpe conspiciamus. Cuius naturam duplicis sortis esse coniectandum est: quippe altera est legitima & exquisita, reliqua verò illegitima & spuria, vt latiùs inferiùs constabit. Quarum gratia & vt earum natura satis elucescat, necessum est expendere, cor esse viscus quoddam adeò insigne, quòd sedes sit vitalis potentiæ, quæ duplici in animantis corporibus fungitur munere, præter irascendi actum: altero quidem, quo dilatationem & compressionem sui & arteriarum molitur, quibus impartitur vim & efficaciam singulis

corporis particulis; altero verò, quò spiritus vitales in A ipso corde fiunt, actionibus viuentium perficiendis idonei: sic profectò iuxta duo hæc officia, duo patitur symptomatũ genera, mille modis grauissima. Primum quidem est syncope, ad spirituũ harmoniam, concentum, & naturam attinens, licèt nõ desint, qui syncopem ad pulsanlem facultatẽ attinere statuunt, quæ protinus pulsũ mille modis immutet. Sed hæc ratio inualida est, cùm ea motus pulsus vitia per consensum à vitio & passionibus spirituum potius, quàm essentialiter, succrescant. Quippe in ea affectione ob calorismnan suffocationem aut corruptionem animal perit, & propriùs ad generatiuam spirituũ, quàm ad pulsatilem, quæ secundariò læditur, pertinet: secundum verò pertinens ad motum cordis, ex quo palpi- B tatio & tremor suboriuntur.

Subit tamen in examen syncope primo loco, quæ nihil aliud est, quàm subitus virium omnium casus. Verùm, ne quis nominum æquiuocatione deceptus turpiter erret, expendat differentiã non leuis momenti, quæ versatur inter has affectiones, quæ quodãmodò similes videntur, nimirum inter animi deliquium & syncopem, quæ etiam varijs nominibus insigniuntur. Nam animi deliquium appellatur apud Græcos lipothymia aut lipopsychia: quæ nomina licèt quid diuersum sonẽt apud aliquos authores, idem re vera significant, nimirũ animi defectionem seu deliquiũ, præludium profectò syncopes, aut, vt alij interpretantur, (quia propriè cordis passionem significat) paruã syncopem; & quæ à minoribus causis incipiens, in animi deliquium terminatur, non valens ad syncopem vsque peruenire, quantumuis cordis sit affectio. Quem quidem affectum his tribus nominibus insignitum plerique Medicorum confundiunt cum syncope, cùm longissimis dissideant interuallis. Nam animi deliquium tantum significat subitum casum animalis potentiæ, qui fit retrocedentibus spiritibus animalibus ad cerebrum ipsum: quo fit, vt desertis sensorijs, & citra spiritus manentibus, nulla possit fieri eorum actio. Sunt tamen multi, qui solum differre maioris minorisve ratione proferant, eò quòd vtrumque affectũ cordi tribuant, animi deliquium, in quo laborantes se sentire animo deficere referunt: syncopem, in qua ob affectus magnitudinem subitò citra præludium aliquod procidũt. Verùm, si quis rem diligentiùs consideret, reperiet longè magis inter se differre: nam in syncope necessum est semper pulsum mutari, tanquam in symptomate à propria cordis passione prodeunte, cuius occasione vires omnes etiã animales prolabuntur: at in animi deliquio, cùm solum sit cerebri & animalis potentiæ passio, pulsus plerunque manet illæsus (nisi affectio adeò grauis sit, quòd in consensum alliciat cor) quibus constat longè inter se differre: quinimò censeo syncopẽ includere animi deliquium, non tamen è contra: nã animi deliquium fit per primariam cerebri affectionem, spiritibus retroeuntibus in ipsum: at syncope E oritur quòd vitales non eant in cerebrum. Constat etiam ex Aetio lib. 5. dissidere, quoniam deliquium solos vigilantes occupat citra sudorem, syncope verò dormiẽtes etiam & cum syncoptico sudore, deficiente præ magnitudine symptomatis retentrice.

Cuius doctrinæ gratia nosse oportet, verum & legitimum animi deliquium nunquam fieri posse, nisi retrocedentibus spiritibus ad cerebrum, nonnihil etiam dissipatis aut consumptis, vt in syncope; etiam dissipatio & consumptio spirituum animalium sola, potius languorem & imbecillitatem in actionibus, quàm animi deliquium nata sunt facere. Aut arbitrandum est maximam dissipationẽ esse veluti causam, qua se sic retrahit in cerebrum natura, verens ne omnino spiritus dissipẽtur, qua retractione in animi deliquium laborantes procidunt, & huiusmodi deliquium ex spirituũ consumptione factum, forsan Medicorum nonnulli animi defectum nuncuparunt, licèt hoc nomen propriùs syncopi quàm deliquio cõgruat. Itaque superest retrocessionem spirituum tantùm esse animi deliquij causam: ratio est, quia cùm spiritus animales perpetua propagatione ex vitalibus generentur & reficiantur, & vitalis potentia perpetua transmissione foueat, hinc est, quod licet animales dissipentur, cùm protinus à vitalibus foueatur laborans, non possit ex dissipatione spirituum immediatè in animi deliquium incidere, nisi præ defectu nimio cogantur in cerebrum retroire, & tunc fit animi deliquium ab spirituum retractione immediatè. Quòd si quis dixerit, in sanguinis missionibus & va- B cuationibus & alijs quæ subitò & affatim fiunt, laborantes frequentissimè animi deliquio corripi, non quidem est credendum fieri ob spirituum dispendiũ, sed ob eos qui ad cerebrum retrocedũt, fugiente natura eorum dispẽdium; qui sanè ob subitum motum ad interiora, id symptoma efficiunt; & forsan quia vitalis potentia non suppeditat cerebro vberem eorum copiam ob dispendium ex vacuatione grãdiori factum: quo fit, vt ad sensoria non perueniat quantum ad munia exequenda opus est: ac si vacuatio vltra pergat, non solùm sequitur animi deliquium, sed & syncope etiam, quòd vltra modum dissipentur spiritus vitales, orbeturque eis cor, quo frigidũ manet, & sensoria, quo citra propria munia supersunt: C quod frequentissimè in largioribus sanguinis profluxionibus accidere solet.

Dubium.

Sed dubitabit quispiam forsan & meritò, si retroeuntibus spiritibus ad cerebrum, nouitate rei alicuius tristantis, animal in animi deliquium agitur, quænam interest differentia inter retrocessionem spirituum, qua fiunt somnus, apoplexia, caros, & catoche, & aliæ soporiferæ affectiones, & inter retrocessionẽ, quæ inducit animi deliquium, siquidem in omnibus sensus omnes orbantur spiritibus, ac per consequens nequeunt operari. Cui dubitationi dicimus in omni deliquio subito & affatim recurrere spiritus ad cerebrum, fugientes nouitatem rei præter naturam, quæ animal contristat: in somno quidem ociantur D etiam sensus; non tamen retrocedentibus spiritibus violentia, sed naturali quodam motu ad perfectiores naturalis potentiæ actiones obeundas: rursus in somno non confluunt subitò, sed sensim & paulatim, quia sua sponte se se recondunt potiùs quàm retrocedant, citra causæ præter naturam actionem. At in apoplexia & similibus morbis, spiritus nec naturaliter nec præter naturam occurrunt ad cerebrũ, sed in eodem ligantur vinciunturque, & detinentur, præter naturam tamen à causa morbosa cerebrum obstruente, vt pateat etiam differentia, quæ est inter hos affectus & somnum naturalem: nam aliud est quòd retrocedãt spiritus, aliud verò quòd impediantur: retrocedunt quidem sed subitò & affatim, vt in animi de- E liquio, & ob id censenda est passio: impediuntur verò in somno naturali & sese colligunt, cæterùm lentè, sensim & paulatim, atque impediuntur à causa secundùm naturã: at in reliquis affectionib. vinciũtur, vt dictum est, à causa præter naturam & morbosa.

Hæc itaque est affectio quã animi deliquium appellant, at syncope subitus etiam casus est, cæterùm non vnius facultatis, vt animi deliquium, sed omnium simul: ratio quidem differentiæ est, quia in animi deliquio cerebrum primò & solum patitur, in syncope verò, quæ proprius est cordis affectus, cor primò patitur, sed non solùm, quia simul compatiuntur reliquæ totius corporis potentiæ. Ratio huius est, consensus, & sympathia, & (vt rectiùs loquar) dependentia, quam oẽs à corde habent, præterquam quod cor spirituum materiam cerebro suppeditat ac præstat illi; iecori & reliquo corpori vim, calorem & effi-

& efficaciam, singulis caloribus necessariam: quo fit vt læso corde, & retractis, aut dissipatis eius spiritibus, protinus omnes potentiæ corruant: itaque differentia inter hos affectus stat & in membro affecto, & in modo affectionis, & in facultatum læsarum diuersitate, præterquam quod syncope includit in se animi deliquium, quòd subitus sit omnium virium lapsus, ob id quòd cordis sit propria passio, & affectus ipse in genere noxæ functionum omnium, primò tamen vitalium: quæ læsio sita est in diminutione actionum, aliquando verò in ablatione, saltem quoad sensum, nisi morte corripiatur laborans.

Causæ. Causæ verò quæ hunc affectum excitant, vt ipse duplex est (nimirum spurius alter, & alter legitimus) ita consignandæ sunt duplices: spuriæ autem syncopis, & illegitimæ, variæ sunt species & causæ, quæ vt rarò accidunt, & alios affectus plerunque simulant, ita nouitate rei & accidentium frequenter ignorantur & nos deterrent. Inter alias potissima differentia est, nec non & causa venarum interceptio ab Hippocra. & Galen. assignata. 4. acut. à com. 23. in 27. quæ duplex haberi debet: vna ex copioso sanguine in maioribus vasis, reliqua in solis carotidibus, & iugularibus. Prima quidem vulgarior est & ex totius abundantia oritur: nam cùm in vasis maioribus, in vena scilicet caua, & arteria magna (vt Aretęo placuit, & Galen. loco citato com. 27. quo statuit, per venam intelligendum esse venam cauam, qua cor & pręcipua membra communicantur) sanguis ea abundantia colligitur, quòd vasa ruptione periclitentur, aut calor vniuersus extinctione, & adcò pressè obstruit prędictas partes sanguis ibidem firmatus, quòd spiritibus & calori nulla subsit motus via, tunc quidé suffocato calore, subitò perit animal. Quapropter céseo Hippocrat. dixisse, habituum exercitatorum esse summè periculosum, quòd prædicto modo mortem accersat: nimirum suffocato totius corporis calore, & facta huiuscemodi syncopis specie, & ob id iubet statim habitum illum soluendum esse. Reliqua venarum interceptio fit carotidibus obstructis: quippe aliquando sanguis ibidem præ nimia copia coercitus, concrescit præ frigiditate spirituum, qui ibidem extinguuntur, & longè maior efficitur coarctatio, quo citius succrescit mors, tanto quidem citiùs, quanto arterię, quę cerebrum conscendunt, plexumque ibidé constituunt oppilatum reticularem, susceptione spirituum vitalium destituuntur. Calor enim natiuus cũ spiritu in illa plenitudine suffocatur, & cùm motu intro forasque priuetur, torpet, ac refrigeratur, sanguisque coalescit & concrescit: non quidem frigore vehementi, aut siccitate, vt in catalepticis, sed suffocato calore, & intercepto spiritu, quo liquidus erat & fluxilis. Quàm sane affectionem syncopem frigidam licet appellare, diuersam ab apoplexia, quòd omnino careat pulsu & respiratione: nam apoplexia difficilé habet, & pulsum euidentem, hæc verò nequaquam. Ob quam sanè causam, &, vt verè dissideat ab apoplexia, constat, plurimis succrescere faciei ruborem ob sanguinis copiam: oculorum immobilitatem, & veluti quendam functionum torporem, læso neruorum principio: manuum porrectiones, & stridores déntium propter viciatam motionem conuulsionemque coniunctam: extimarum partiũ refrigerationes oppresso calore ab humorum copia: fiunt spirituum in prædictis mébris præcipuis interceptiones impedito transitu: sequitur & sensuum omnium ob id ocium: nam cùm in cerebro fiant ad omnia sensuum munia animales spiritus, & vitales, qui illorum sunt materia, ad plexum non permeent, ob prædictam transitus interceptionem, fit facilè vt laborans ante vitæ discrimen sensibus orbetur: illud quia suffocantur & extinguuntur vitales: hoc verò quia non fiunt animales. Verùm ne quis arbitretur me de plexu reticulari indistinctè loquutum fuisse, existimet mihi nó placere primum Gal. plexum infra duram meningem constitutum, qua parte prolabuntur ad palatum & nares cerebri excrementa: esset enim à ratione alienum arbitrari spirituum animalium officinam adnexam esse excrementorum emunctorio: præterquàm, quòd nullus ex peritis dissectorum eum plexum in homine adinuenire huc vsque valuit. Placet tamen (quia dissectorum peritiores id dissectionibus plurimis factis ita esse adinuenerunt) alterum etiam à Galen. adinuentum plexum intra cerebri cauitates a natura constitutum & medullari substantia præmunitum ex ramusculis arteriarum caput ascendentium, maximè carotidum textura mirabili fabrefactũ, probare, in quo spiritus vitalis ex accidenti commodior efficitur susceptioni formæ spiritus animalis. Nec arbitrandum est me dixisse ex accidenti, temerè, & inconsultò: quippe authorum plures arbitrati sunt ibidem spiritus disponi attemperatione quadam facta ad susceptionem formæ spiritus animalis; alij verò statuunt ibidem eam recipere. Nos tamen censemus vtrumque esse falsum; primò, quia in officina spirituum vitalium, qualis naturæ arteriæ existunt, nusquàm fiet spiritus animalis; cuius officina tantum est cerebri substantia, vt omnes vnanimiter fatẽtur. Nec rursùs in eodem plexu pręparari possunt spiritus nisi ex accidenti; ratio est, quia præparatio ad aliquá formam, maximè accidentalem, fit ab introducente formá per inchoationem eius, si futura est accidentalis, aut per requisitas dispositiones; neutrum possunt arteriæ plexus efficere; ergo; & probatur minor, quia spiritus animalis fit aliquo modo crassior, temperatior, & firmior vitali, existenti in plexu, sed arterię plexus longè magis attenuant spiritum vitalem, feruidiorem, & ad motum aptiorem reddunt, ergo non præparant de per se ad spiritum animalem, sed ex accidenti. Ratio est, quia cum spiritus animalis futurus sit longe tenuior vitali, splédidior, & à fuliginibus expurgatior, oportebat, ne coctione & attemperatione quá susceptat in cerebri substantia, crassior fieret, à plexu reticulari, adeò attenuari, & pręcaliditate à fuliginibus expurgari, quòd, etiamsi accedente cerebri coctione aliquátulũ crassesceret, longè tenuior tamé & purior euaderet reliquis omnium arteriarum spiritibus. Ex quibus cóstat, præparationé quæ fit in plexu, esse ex accidéti, quia non est inchoatio formæ, vt in reliquis pręparationibus cótingit, & Galé. sumpto exemplo ex vasis spermaticis, arbitratur. Sed his missis, quæ de hac re sufficere videntur, dum animal prędictis spiritibus orbatur, ob eorũ congelationem & carotidũ obstructioné, dormientis animalis effigié repræsentat, quia nihil ad sensoria trásmittitur spiritus; & licet apoplexiæ simillima fiat affectio & catalepsi, mille modis ab eisdem dissidet, periculo, causis, & modo. Est quidem grauissima hæc affectio, non solùm quia prædictis simillima est, sed etiam quasui ratione grauior existit. Nã cũ venarũ interceptione habet spirituũ vias claudere; cũ apoplexia sensu et motu orbare; cũ catalepsi hominé ea figurá, qua apprehédit córinere. Cęterum sua propria ratione habet pulsu & respiratione ferè homines priuare; spiritus sortiri extinctos, quó iure optimo sibi vẽdicat nomé syncopis, frigidæ tamen, quia ipsos & sanguinem frigidissimos obtinet non quidem positiua frigiditate humorum, vt in catalepsi, sed priuatione & extinctione proprij caloris, quo veluti congelati, detenti & coerciti superfunt, cum extremorum frigiditate. Placuit hanc affectionem inter syncopis species numerare, quòd spirituum vitalium vitio & passione fiat, licet ob subitam sensus & motus priuationem inter apoplexias numerauerim.

Illegitimæ ét syncopis alia succrescit species, & aliæ subsunt causæ; quippe aliquando ex vitio oris ventriculi

triculi vehementer dolentis ab acri, venenoso, aut crudo adhærente, vel salso, & pungente humore, adeò præ dolore dissipantur spiritus, vt in syncopim acerbissimam, ac non rarò in mortem ocyssimè prolabãtur laborantes. Quam sanè syncopis speciem, inter eas quæ per consensum fiunt annumerare licet, sicut quæ ab vtero, vel quouis alio modo succrescunt; corde non læso primario affectu: quòd si quis inter legitimas velit numerare, nullum erit inconueniens.

At legitimæ syncopis, modò per consensum fiat, modò per primogeneam affectionem in corde præsit, quatuor sunt numero causæ, iuxta partes, quæ in corde affici possunt. Fit namque ex spirituum vitalium vitio, ex substantiæ cordis, aut totius corporis dispendio, ex deprauato etiam eiusdem visceris temperamento, aut mutata aliquo vitio decente cordis figura. Sunt itaque primo loco spiritus multis rationibus huius affectionis causæ, quibus vtcunque vitiatis, protinus facultates concidunt collabunturque omnes. Non quidem (vt multi falsò censent) quia spiritus facultatum sunt delatores, siquidem facultates in instrumentis, & proprijs sensorijs resident: sunt enim spiritus facultatum instrumenta, quibus partes quo ad innatum calidum reducuntur in actum per vitalem spiritum à corde transmissum, quo etiam omnes facultates exequuntur, ac perficiunt suum actum. Quod nequeuntes antiqui distinguere, decepti sunt existimantes prodire facultates omnes à corde, cum earum quælibet suam habeat sedem, & peculiaria instrumenta: cum hoc tamen habent omnes hoc commune, quòd calido innato, & spiritu vitali vtantur tãquam concausa ad proprias actiones obeundas. At spiritus multis modis vitiari possunt: nam aut alterantur, aut distrahuntur, aut suffocantur, vel intercipiuntur, aut corrumpuntur. Alterantur quidem ex venenosa aëris qualitate, aut cuiusuis alterius putridæ, vel corruptæ substantiæ, quibus spiritus infecti retrocedẽtes in cor ipsum, facilè syncopem inducunt, propter venenosam qualitatem à re extranea contractam, vel ab alia excedente qualitate extrinsecus, aut intrinsecus occursante: item ab aëre corrupto, venenoso, pestilenti, siue ab externo veneno, siue à corruptis humoribus intrinsecus vigentibus, vt in vterinis affectionibus accidere conspicimus: sic & à materia putri retenta in ventre, & aliqua occasione commota. Distrahuntur tamen spiritus à varijs alterationibus diuersarum partium, vt in animi perturbationibus, vel impedita eorum generatione, aut ob nimiam eorum vacuationem, quoties natura per diuersas partes lacessita affligitur varijs doloribus, & accidentibus. Sic enim propter ingentem, & diuersam spirituum distractionem, minori facta facultate vitali (iuxta illud vulgare: Pluribus intentus minor est ad singula sensus) laborantes inopia spirituum in syncopem incidunt, sed maximè cùm à corpore aliquid immodicè excernitur, non solum ob doloris grauitatem, aut morbi vehementiam, sed ob famem, aut abscessum, & maximè diruptum in parte principe, aut iuxta ipsam, vel partem neruosam, vt contingit iuxta magnos articulos, in pulmonis vomica, aneurismate rupto, hepatis vomica, vacuatione repentina hydropis, aut empyematis. Suffocantur quidem insignium vasorum obstructione, difficili respiratione, vaporibus crassis, & caliginosis ascendentibus cor ipsum; quibus spiritus prohibita difflatione suffocantur. Sic à multis, & crassis humoribus syncope etiam oritur, veluti in febre syncopali humorosa frequenter conspicitur: pari etiam lege ex eisdem spiritibus præter naturam subitò, & affatim cor irruentibus, velut in quibusdam animi passionibus contingit, ita nimirũ, mœrore, & tristitia, quibus subitò confluentibus, syncopes periculum minantur. Intercipiuntur autem, vt monstrant venarum interceptiones iuxta cor, adeò

A vt spiritus non permeent ad consueta loca. Corrumpuntur quidem spiritus ex ardentissima aliqua febre, aut alio grandi laboratoris pathemate, quibus facilè est spiritus euanescere, quo promptè syncope accersitur. Vnum tamen habet hæc causa proprium, & peculiare, quod semper necessum sit, siue spiritus suffocentur, siue vtcumque lædantur, fieri vt in syncope fiat recursus eorum ad cor, subitò tamen & affatim factus, alioqui syncope non erit. Nam cùm cor, siue animi pathema, siue quoduis aliud vitium patitur, protinus ad se aduocat spiritus tanquam vltimum subsidium, & valida attractione (ex caloris dilatatione ipsius, & arteriarum, & ob sympathiam, quam habet cum spiritibus) facta prædictum symptoma con-B citat, nisi protinus ad sensoria redeant.

Secunda causa, cuius interuentu immediatè hoc symptoma suboritur, est substantiæ cordis, aut totius corporis dispendium: quod fieri est necessum vna è tribus causis: aut ab exurente, colliquanteve febre, seu calore aliquo, cuius munus est tenuiorem corporis substantiam depopulari, qua dissipata vires collabuntur: aut ab humorum tenuitate, aut acrimonia, qua quidem facilè per totum corpus expirant, & in diaphoreticum sudorem degenerant: tertia verò causa est, cùm cõ miseriæ deueniunt facultates naturales, vt nõ substantiam quidem optimam corporis cõtinere queant, sed liberè fluere permittant: ex cuius substantiæ defluxu non solùm syncoptici sudores C suboriuntur, sed & omni actione animal priuatur. Solidarum quidem partium substantia multis modis labefactatur, ob defectum nutrimenti alimenti, ob consumptionem proprij humidi, & ob refrigerationem calidi innati, vt in longissimis morbis ex atrophia, & in febribus acutis ex colliquatione non rarò conspicimus. Quo fit, vt duo symptomata perpetuò syncopi accedant: frigus nimirum totius corporis à calore exoluto, & sudor diaphoreticus, aut syncopticus, quorum vterque pessimus est, & alter ab altero distinctus: nam diaphoreticus plerumque calidus erumpit, referens quidem naturam causæ corpus deuastantis, est enim hæc calida, erodens, & mordax, ex qua sudores erumpunt, non quidem vitio facultatis D contentoriæ, neque caloris innati, sed propter efficaciam, & vim causæ corpus in sudorem colliquantis. Sudor verò syncopticus frigidus oritur, qui à vitio facultatis contentoriæ prodit: atqui cùm hæc defectu innati calidi imbecillitetur, fit quidem, deficiente calido, sudores esse frigidos. Itaque substantia hæc perit, aut propter humorum tenuitatem, qui facilè spirant, aut propter facultatis contentoriæ vitium, & expultricis irritamentum, aut propter vitium aliquod humoris, aut caloris præter naturam corpus deuastantis.

Tertia verò causa, qua laborantes in syncopem incidunt, est ingens, aut valida cordis, aut totius corporis, vel principiorum distemperies. Cuius gratia addu-E bitare oportet, qui fieri possit, cùm syncope sit subitus virium casus, quòd ex distemperie suboriatur; siquidem distemperies, quæ motu alterationis acquirũtur, nequeunt quidquam efficere, nisi sensim, & paulatim: qua ratione credendum est, syncopem quæ subitus est casus, à distemperie non posse fieri. Cui dubitationi dicimus, distemperiem esse duplicem: fieri tem vnam, alteram factam: facta quidem nequit syncopem inducere, neque fiens, quæ lenem habet causam, hoc est leniter operantem. Quamobrem moriẽtes etiam si spiritu, & viribus careant, ob distemperiem in syncopem non incidunt: fiens verò, vt quæ multos simul habeat dissipare spiritus, plures, inquã, quàm generet, facilè syncopem affert, non quidem ex calore qui introducitur, sed ob spiritus qui resoluũtur ratione caloris nitentis suam formam introducere: quod nequit, nisi dissipatis spiritibus, & proprio

calore,

calore, quibus actiones vitales fiunt, quo fit, vt his deficientibus subitò etiam vitales vires concidant.

Quarta verò & vltima causa est vitiata cordis figura, quæ aut ex tumore præter naturam, aut ex soluta vnitate, vel obstructione originem trahit: quæ vitia ne leuia quidem vix cor patitur, maiora autem minimè. Atqui, quò membrum principaliori actioni dicatum est, eò à facilioribus causis alteratur corrumpiturque: quo fit, vt affectus quos cætera membra corporis patienter ferunt, nequeat, vel minimo temporis spatio cor pati. Qua ratione dubitatione dignum est, qui fieri possit, quòd à syncope excitetur, qui aliqua ex his tribus causis eo affectu laborat, siquidem semper, & in eodem loco perstat, vel obstructio, vel tumor, vel solutio continui: nam videtur quoque syncopem eo vsque duraturam, quò causa perstiterit. Cui dicimus, inter hos affectus, quos in hoc genere memorauimus, quosdam esse, qui eam magnitudinem semel sunt adepti, quæ morti efficiendæ sufficiat; quosdam verò eam, quæ solum syncopem, quo tempore suscipere poterunt magis, aut minus: nam cùm ob aliquam internam, vel externam occasionem creuerint exacerbatique fuerint, tunc quidem ad syncopem ducēt laborantem, siue occasionem præstet calor, siue animæ passio, siue noua fluxio: tunc quidem natura, calore reuocato, conterit, & resoluit quod denuo succreuerit, & laborans, licet tumor maneat adhuc, quia minor redditur, resipit ab accessione, licet adueniente iterum occasione in eam prolabatur. Atque hæ sunt in vniuersum causæ quę hunc grauissimum affectum excitant, qui sanè duobus modis in humano corpore suboritur: vno modo per primogeneam affectionem affecto corde: alio modo cæteris partibus illi consentientibus, quod facilè distinguitur ex symptomatis partium affectarum, quarum consensu cor patitur.

Signa. Quibus autem signis, per essentiam ne sit, an per consensum, prædictus affectus, legitimusve aut spurius, non satis constat, nec rursus qua via quæuis causarum dignosci possit, & ob id, & quia curandi ratio maximè ab his petenda est, seorsum meminisse oportebit. Illegitimam esse syncopem, & à venarum interceptione, ex sanguinis vbertate, aut congelatione, proficisci nosse, potius arbitror garrulitati, & inani loquacitati, post laborantis obitum esse proficuum, quā quòd quid commodi laborantibus afferre possit. Quapropter (siquidem hæc facillimè præcaueri potest, cum imminet, curari verò cùm iam adest, difficulter) satius esse duxi imminentis signa monstrare, quibus præuisa faciliùs præcaueri possit. Monstrant quidem eam futuram signa, non quæ ab Hippocr. 4. de ratione victus adducta fuere: nam ea iam præsentem ostendunt, sed quod laborantes ante casum, quādoque patiantur veluti præfocationem quandam, nō iuxta fauces, neque ad partes spiritui seruientes, sed in partibus internis, & in visceribus, velut si cor manu constringatur: præterea nonnunquam animo deficiunt, & viuidus color ipsis in pallidum mutatur cū leui sudore iuxta frontem: ac licet facilè ab hoc symptomate reuocentur, subsequitur lassitudo adeò magna, ac si è grauissimo euasissent morbo. Subsequitur etiam his pulsus intermittens, qui si frequenter appareat, iam iam syncopem instare constat: statuerat enim Hippoc. lib. de Coacis præ. 17. cordis dolorem senioti sæpius consuescente repentinam mortem significare. sic profectò, qui hoc malo periclitārut, semper vel tristes incedunt, vel melancholicis imaginationibus premuntur, vel animo sunt deiecti, & grauē ac difficilem ex leui causa patiuntur respirationem: item his omnibus accedit capitis grauitas, in somnū promptitudo, anxietas, & citra euidentem causam exsolutio, & animi angor, atque angustia. Verum si legitima fuerit syncope, nosces ab aliarum partium vitio cor affici, ex cuiusque proprijs accidentibus, quæ necessariò syncopem ipsam antecedunt. Exempli causa, si oris ventriculi morsus præcesserit, vomitus, nausea, & reliqua huius naturæ, certum est consensu eiusdem membri malum oriri. Nam qui sic in syncopem procidunt, ante ipsam animi deliquio corripiuntur, & venter grauiter premitur, maximè à cibo: dolor adest in propria eius regione, &, vt Aurelianus refert, adest nausea, vomitus liquidorum, atque cibi. Item sudor apparet tenuis, & aquosus, longè quidem diuersus ab eo, qui in syncope ex primario cordis affectu orta prodit, qui crassius plerunque est, & malè olens, saniem, vel cruorem simulans. Præterea, si ex ventriculo prodierit affectio, vrgebit magis in principio, & si ex corde, grauior fiet desinente, vt idem Aurelianus aduertit: quo fit, vt ex cordis syncope plures mori cōtingat. Verum si ob flauæ bilis copiam os ventriculi infestantem syncope accidat, cognosces quidem ex maiori dolore oris ventriculi, atque ex anxietate, & vellicatione, nec non ex oris amarore, siti, & siccitate: & sic de reliquis partibus quibus cor consentit, iudicium facies. Quòd si nullum præcesserit partis affectæ signum, nullusque alius affectus accedat, conijcere oportebit ex cordis primaria affectione syncopem prodire. Quòd si solum cor pati constiterit, ex defectu signorum affectionis aliarum partium venaberis. Cognosces iterum cor pati ex totius corporis perfrigeratione, & solidæ substantiæ dispendio, & quia nullum præcessit, neque apparet in eo caloris, aut frigoris à manifesta causa signum. Tunc rursus sciscitaberis, sit ne ob spirituum vitium, aut cordis intemperiem, vel substantiæ eius deperditionem: an ob aliquod figuræ vitium: nam vt causæ diuersæ sunt, ita & diuersam expostulant medendi rationem. Nosces autem id ex laborantis effigie, ex modo quo in syncopem procidit, & vltimò ex his quæ præcesserunt. Sic spirituum alterationem ex putredinosa, aut venenosa contagione ortam nosces, quia sic affecti in liuorē, & ingentem frigiditatem habent mutata extrema: facies pallida, aut plumbea est citra collapsionem; respiratio nondum mutata, licet frigida: præcessit subitus laborantis casus cum leui molestiæ sensu, & tandem non erit ignotum, vel venenum sumpsisse, vel à fera clam fuisse demorsum. Ob spirituum dissipationem syncopem prodite, constabit ex præcedenti, & ingenti, ac insolito labore, ex varijs vacuationibus, aut vna grandiori, & subita, ex diuersis partibus vehementer dolentibus: maximè in his qui cor habent deiectum, aut os ventriculi nimis sensile. Ob spirituum suffocationem fieri, ex priuatione, & defectu prædictarum causarum disces, & quia ex anteacta vita cōstabit, prædictum corpus crassis, & plurimis abundasse cibis: item ex ventriculi anxietate, & nausea inani, cum præcordiorum tensione, & dolore, ac totius corporis insolito tumore, colore subalbido, aut nigriore, vel liuido: pulsu existenti minore, obscuro, inæquali, maximè inæqualitate congestica (systematica) deficiente etiam in vno pulsu ea, quæ interceptos in vno pulsu efficit. Interceptos verò esse vitales spiritus disces, quia laborans subitò, & citra causam aliquā concidit, maximè si præcesserit frequens, & fortis exolutio, vt Hippocr. refert. Corrumpi autem spiritus disces, quòd necessariò in corpore conspicua sit dissipationis causa, velut ingens calor, ac subitus, & grandis labor, & alia, quæ spirituum substantiam dissiparē, & contererenata sint. Quòd si cordis, aut totius corporis substantiam dissipari contingat, id quidem ex corporis extenuatione, facie Hippocratica, & summa corporis, ac faciei collapsione colliges. Verum quia prædictam substantiam vno è tribus modis abire contingit, ob id quidem cuiusque notionem præstare oportebit: colliquari autem ex ingenti calore, vt in ardentibus febribus, & malignis tertianis; disces ab excrementis: quippe in vrina supernatantes

pin-

pinguedines, & in excrementis quid opimum & pingue comperies, quo proferes syncopem à prędicta colliquatione prodire. At contabescit corpus etiam humorum acrimonia & mordacitate, quæ sudoribus diaph. reticis substantiam conterit, irritata adeò expellente potentia, vt quod laudabile est, etiam non sine magno peoculo pellat: quod dignosces ex calidis & glutinosis sudoribus, qui ex calore arguunt causæ naturam, & ex consistentia dissipatam substantiam. Cæterum si syncopticus frigidum exsudauerit, cum frigiditate etiam & liuore extremorum, certum est syncopem prodijsse ex grandi caloris innati extinctione, & contentricis facultatis exolutione. Disces autem ex grandiori & vehementer agente intempe- B ramento malum fieri ab eodem, siue calidum, vt in vehementibus febribus, siue frigidum, vt in hydrope, fit: ipsa enim intemperamenti natura facile se se ostendet: prætetquam quod qui sic afficitur, nec subito casu corripitur, neq; subitò interit. Fieri tamen ob figuræ virium disces, si tuberculum aliquod prope cor steterit, ex tabitudine quæ mox succrescet: si obstructio, quòd subitus fiat casus citra manifestam causam: si verò solutio continui causa sit, ex his disces quæ præcesserunt, vt si ictus, casus, aut percussio præfuit.

Præsagiū Præsagire enim frequentiùs malum ex hoc symptomate licet, maximè si frequenter irruat, iuxta illud Hipp. 2. apho. 41. *Si quis absque causa manifesta:* C sed longe certiùs licet mortem prædicere si ex sanguinis vbertate spuria fiat syncope. Sed vtcunq; accidat, censenda est perniciosior ea, quæ faciem reddit cadauerosam, maximè si non præcesserit aliqua ex causis ab Hipp. ea parte scriptis, quod Galen. arbitratur. 12. metho. nec non & Aetius lib. 5. cap. 98. Verùm, vbi cor proprio laborat affectu, periculum non leue imminet, minus tamen ex cerebri damno, & adhuc minus ex iecore, vt ex Paulo cap. 38. lib. 2. & ex Aetio lib. 5. cap. 99. apertè colligitur. Syncope verò quæ ab instrumentali cordis affectu prodit, pręter id quòd grauissima est, citiùs interimit, vt ex Galeno constat libr. 5. de locis cap. 2. sic & illa quæ ex attenuatis spiritu & sanguine prodit, maximè si acce D dat virium imbecillitas. Item perniciosa est, quæ ex crudis succis totum corpus grauantibus oritur, aut biliosis os ventriculi infestantibus: & sic iuxta causæ dignitatem & sæuitiam, eam iudicabis periculosam omnino, aut prorsus periculo vacare, vel solùm timorem incutere.

Curādi ratio. Quibus cognitis, curandi ratio duplex erit: altera quæ accessionem prospiciat, & laborantem ab ea eruat: altera verò quæ præcaueat, quo minus laborans in syncopen incidat: hæc quidem fit per ablationem causæ, quæ affectum mouet, iuxta cuiusq; naturam, vt antea retulimus. Quippe in spuria, quam licet prædictis signis prænosse, sanguis protinus demédus est, antequam spiritibus orbatus concrescat & E immedicabilior fiat affectio, idque ex basilica dextri lateris, quantum patsit pro virium robore & plenitudinis magnitudine, vt Hippoc. consuluerat. 4: acuto. tex. 25. Quo facto, & instituta parca victus ratione, omnino diuertere ad inferas sedes quod in imo corpore continetur oportet, ac posteà potibus calidę, quod sanguinis iam concreuerat fundere, nec non & frictionibus molliter per vniuersum corpus factis. Verùm in huius causæ accessione, rarò datur sanguinem fundere, ni vires longè magis, quàm anteà, constiterint: nam si minus, signum est (aut si pulsus adsit deterrima aliqua conditio) sanguinem iam concretum esse: quo casu omnino à sanguinis detractione erit abstinendum, solùmque vti licet laxantibus fundentibusque præsidijs, nec non & ijs quæ concretum sanguinem fundunt, vt leporis coagulo in aqua mulsa, vel eadem mulsa, in qua ferbuerit amaraci coma, maximè addito oxymelite: *Item theriaca, aut mithridato in eadem aqua dissolutis quantitate. ʒ. ß.* Verùm si constiterit, sanguinem concretum non esse, nullo alio auxilio citiùs & tutiùs ab accessione laborantem reuocabis, quàm sanguine misso, quod quidē tentans primò facito, ac si probè successerit, laboransq; probè se habeat, & sanguinis impetus fuerit grandis, iterum id tentabis auxilium, donec aliquantulum leuioré persentias laborantem: quòd si vel nihil exeat, concretum iam iudicabis, & nullo modo id ampliùs tentabis. Altera verò curandi ratio, quæ accessioni debetur, in reliquis syncopis causis fit per cōtraoperationem causæ quæ agit in spiritus, in substan- B tiam solidam, in cordis temperiem, & eius situm. Sic enim distractis ad diuersas partes spiritibus, ijs quæ congregandi, introque pellendi vires habeant, rem ages, & vltimò alimentis quæ citissima altione reficiant. Circa primum expende, non vno & eodem modo reuocandos esse eos, qui ob spirituum dispendium syncoptici fiunt, cùm necessum sit, modum quem causa imprimit, considerare, & aduersus ipsum præsidijs pugnare: nam licèt vacuationes, quæ immodicæ sunt, spiritus dissipent, alio modo eorum dispendium compesces, si sudore nimio id fiat, alio si alui fluxibus, alio si sanguinis profusione, & alio rursus si vomitu. Nam qui per sudorem aut ingentem calorem exoluuntur, debilemq; habent retentricem, facilè ex- C citantur aqua frigida vel rosacea sola, aut cum modico aceto desuper sparsa, non quidem in tota cute, sed in facie & manibus, idque subitò, affatim & inopinatò, tum vt cute densata minus dissipetur spiritus, tum vt subito spirituum retrocessu faciliùs excitetur laborans. Pari etiam ratione curandum est aerem prædictis aquis refrigetare, & flabellatione facta linteis aqua frigida madidis attemperare, quo & cutis adstrictior facta sit, & spiritus densior & crassior. Vteris etiam frigido epithemate, quod *Recipiat aquæ rosarum, acetosæ, scabiosæ & borraginis, ana. ʒ. 3. vini odoriferi. ℥. 1. diamargaritonis frigidi. ʒ. 1. ß. misce & adbibe panno serico.* Prosunt & inunctiones ex vnguento rosaceo, & oleo violarum, cum tribus granis D camphoræ: vel ex oleo rosarum, & cydoniorum, cū gossipio, & guttulis vini rubri, cordi admoto. Pręstat & *syrupi limonum, cum aqua, in qua aurum sit sæpius extinctum, ℥. ß. cum eadem quantitate oxysaccharæ simpl. syrupi acetosi, violarum, aut de pomis.* Hunc etiam vsum præstant ex odoratis quę frigidiora sunt, aut reficere possunt. Quibus sanè præsidijs non vteris, si alui fluxus syncopi causam præstiterit: frigidis enim aspersionibus facillimè intro pelluntur humores, quos ne ad aluum fluant, opus erit ad extima euocare: nec rursus id facies, si ex plenitudine, aut obstructione laborans animo deficiat. Verùm si ex aliquo animi pathemate, quod vim habeat extra spiritus euocare, id accidat, eodem poteris vti præsidio, sicut E si ex varijs doloribus aut euacuationibus suboriatur. Eodem etiam modo ægrum excitabis, nares vehementer comprimens & dimouens, maximè si per infernas sedes humores effluxerint: quòd si ex vomitu sit, crura ligabis, calfacies & fricabis: si verò aluus fluat, brachia. Sanguinis verò fluxionibus languentes excitabis eisdem distractionibus, & vino calido testiculis, si vir fuerit, aut mammis si fœmina, admoto: sed hos & reliquos omnes tutiùs reuocabis his quæ spiritus reficiant, cuius naturæ vinum est album, tenue, odoriferum & aqua ferrata dilutum, si sudoris occasione malum oriatur, maximè si odoriferis vtaris, vel panem recenter coctum his irroratum naribus admoueris: at in alui fluxionibus rubrum pane admixto recenti maioris est momenti, si neq. interna sit inflammatio, neque dilirium, vel ardor pręsint. Ex vsu etiam sunt iurulenta omnia, siue stillatitia, siue decocta, siue prælo pressa, quibus admiscere oportet

tet puluisculum, q. ℞. *margaritarum præparatarum* ℈. *2. rasura eboris, ossis de corde cerui, ana* ℈. *1. cornu monocerotis* ℈. *ß. sacchari violarum* ʒ. *2. misce, & porrige* ʒ. 1. Præstat per se, aut prædictis adiunctum modicũ huius aquæ, q. ℞. *aquæ rosarum, & naphthæ, ana* ℥. *2. vini optimi, & succi pomorum, ana* ℥. *ß.* & si velis id odorandi gratia conficere, *addes musci, & ambræ gr. 4.* Quibus ardens febris causa fuit syncopes, prosunt epithemata, & aspersiones frigidæ per vices, & internalla, ne prohibeatur omnino effluxus vstilaginum: prodest tum frigidæ, tum frigidorum, & adstringentium vsus, qualis est succus mali punici acidi. Verùm qui ob sudores labuntur, à frictionibus, & vino abstineant, nisi odoramenti gratia: quibus prodest puluis supra lectum sparsus, q. ℞. *florum rosarum rubearum, nymphææ, labruscæ, ana* ℥. *2. myrtillorum, coralli, & rasura eboris, ana* ℥. *ß. diambra gr. 4.* Vomitu confectos excitabis, præter ea quæ dicta sunt, posito supra ventriculum cataplasmate ex pane tosto, vino rubro, & pulueribus diarrhodonis: cui etiam porriges vini albi, aut nigri vetustioris haustum: maximè si ex crudis, aut viscidis succis malum oriatur; sicut frigidæ, aut calidæ aquæ, si biliosus, aut aeris, vel salsuginosus sit humor: quæ omnia etiam facies (exceptis distractionibus) si ex impensa caliditate laborans corripiatur.

Quòd si spiritus suffocatione periclitentur, laborantem excitabis contrario prorsus modo, nimirum ad cutim eis euocatis, frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, & calorificis auxilijs, extremis partibus sæpius appositis, vt humores, & spiritus foras euocentur, siue ex mœrore malum oriatur, siue ex obstructione, aut humorum copia, crassitie, vel lentore. Si tamen ob impensam alicuius visceris frigiditatem, crudorumve succorum copiam, præter eã caliditatem, q̃ excitandam extremis partibus fore diximus, curandum est, alimentis etiam admiscere puluisculum, q. ℞. *corticis citri* ʒ. *1. margaritarum* ʒ. *ß. citri conditi, seminis melonum, & acetosæ, ana* ℈. *2. limatura auri, fragmentorum smaragdi, hyacinthi, & sapphyri, ana* ℈. *1. sacchari* ʒ. *3. misce, & porrige* ʒ. *ß.* Alius etiam paratur puluisculus, q. ℞. *electuarij de gemmis, confectionis AlKermes, aromatici rosati, ana* ℈. *2. macis, cinnamomi, ana* ℈. *ß. sacchari in aqua borraginis dißoluti, & exsiccati* ʒ. *2. misce.* Præstat vini odoriferi haustus, vel Hippocras appellati modicum, ac sæpè mirum in modum iuuat parum aquæ vitæ. Quòd si ex venefica qualitate à veneno quod in corpore gignitur, affectio sit, factis distractionibus, cucurbitam è regione cordis ante, aut retro affiges, ac si sanguinem redundare constiteris, & veneno esse admixtum, scarificabis, & iterum eidem parti affiges epithemata, quæ calfaciendi vires habent, atque euocandi ad extimas partes, aut ibidem dissipandi veneficos spiritus, aut halitus: verùm si venenum sit assumptum, vel à fera eiaculatum, alexipharmacis rem ages, vel parti demorsæ cucurbitulam affiges. In substantiæ autem deperditione, vires, & amissam substantiam potibus, iusculis, & tenuibus cibis reficies. Situm cordis ex statu mutatum, & euersum, vini, aut aquæ calidæ potu emendabis: quòd si ex alia causa sit, ipsam omnino infirmare curabis.

Sed in omni syncopes curatione, & in reliquis cordis affectionibus summopere obseruandum est, cordi esse maximè prouidendum, tum per ea, quę contraria sint affectui, tum verò per roborantia, quæ vel à tota substantia id efficiunt, vel adstrictione si dissipatio spirituum, aut substantiæ causa est, vel, vt ferunt, peculiari quadam similitudine, & moderatione substantiæ, quemadmodum sunt appellata alexipharmaca, quorum omnium non leuem copiam adduximus lib. de curatione febris malignæ. Dum modò neque frigida cordi intus, aut extra adhibeantur sine calidis, spirituum gratia, neque calida sine frigidis, quo A minor fiat spirituum dispendium, & hac lege epithemata adhibenda sunt, & non aliter.

Altera vero curationis via, quæ syncopes causam respicit, & ab ea initium sumit, non animi deliquio præsente, aut imminente exercenda venit, sed absente diu, & cum timore ne iterum redeat: quod solet esse grauioris periculi causa. Habet profectò tot curationis vias inter se adeò dissidentes, ac sunt causæ, quas nuper retulimus: nam qui ex inanitione, aut substantiæ deperditione in hunc morbũ incidunt, haud secus quàm hectici præcauendi curandique sunt: sic & ijs quibus spiritus desunt, dum modò iuxta causæ differentiam, & modum, prouidentiam instituamus. Qui verò ex obstructione, tuberculo, inflammatione interna, vel humorum abundantia, crassitie, acrimo- B nia, vel tenuitate in syncopem frequenter incidunt, tractandi præcauendique sunt, iuxta cuiusque prædictarum rerum diuersitatem: nam, si præsit interni alicuius membri inflammatio, sanguis mittendus est, parcè tamen & prudenter, ne vires adeò collabantur, vt, redeunte iterum syncope, minus resistere possint: sed eò copiosiorem extrahes copiam, quo magis cognoueris, vel ex copia spiritus suffocari, vel calorem extingui, præsertim si ex suppressis hæmorrhoidibus, aut menstruis, vel varicibus malum oriatur, tunc quidem ex talo, saltem semel ex brachio sanguine misso. Quapropter sic affecti tractandi præcauendique sũt, vt in capite vniuscuiusque harum affectionum abundè dictum est, & maximè capite de tertiana pernicio- C sa, vbi hæc omnia diffusiùs scribuntur, præsertim de sanguine extrahendo, ac de exhibendo pharmaco. Qui verò ex doloribus, animi pathematis, ac diaphoreticis vacuationibus in syncopem parati sunt iterũ incidere, ijs, quę dolorem leniant, causam auferendo, vel paregoricis, & his, quæ verè dicuntur anodyna, vtendum est. Sed, quod magis ex vsu in his esse solet, id est quod stupefacere aliquo modo natum existit: hoc enim vel sensum stupefaciendo, vel somnum cõciliando, fluxum perplures compescit, quo vires reficiuntur, ac à dolorum, & accidentium inclementia laborantem tuentur. Sed cùm in huiusmodi laborantibus plerunque vires deficiant, cautiùs, & parciùs eis vtendum consulo, & pari pensu de euacuationibus, D quæ causas illidunt subaudiendum est: nam licet aliquando purgare sit opus, id quidem leuissimis auxilijs, & maxima consideratione præhabita exequendum est. Quæ verò stuporem inducunt, sunt velut *pilulæ de cynoglossa ad* ℈. *2. vel philonium vtrumque eadem quantitate, aut paulò minori:* valet & theriaca recens, aut syrupus papaueris, vel de portulaca cum modico eiusdem papaueris. Venenatos verò curabis, vt capite de febre maligna dictum est. Secus res se habet, si extrinsecus venenum accedat, nam iuxta cuiusque naturam alexipharmacum illi institues. Verùm si solidæ substantiæ dissipatione animus deficere soleat, causam coniicere oportet: primò si humoris sit tenuitas, & defluxus, his oportet vti præsidijs, quæ vi- E res habeant condensandi humores, reddendiq; eos motui ineptiores. Sunt autem hæc frigida medicamenta, aut alimenta crassioris substantiæ, aer frigidus, qui pororum reclusione dissipationem inhibeat. Verùm si humoris acrimonia expultricem lacessierit, temperatis medicamentis, & alimentis res agenda est: sic & potibus calidis, ac, si vires tulerint, frigidis indulges. Si tamen inedia sit, aut atrophia, alimentis vberioris substantiæ, & facilis nutritionis malo prouidebis. Si verò frigiditas ex caloris innati defectu malum conciter, circundabis hominem recenti pane, vino odoratissimo, & aqua naphthæ irrorato: frictionibus etiam, & calorificis auxilijs extrinsecus calorem cunctis partibus euocabis. At si sudor adsit syncopticus, alimentis compesces: si diaphoreticus, temperatis aspergini bus: at dum mali causa intemperies

est,

est, protinus contrarijs compescenda: si verò figuræ vitium, curabis velut solutio continui, tumor præter naturam, vel obstructio curari desiderant: in quo casu potiùs bona spe alere ægros oportet, quam miserè, & inutiliter eosdem auxilijs frustra torquere. Sed in omnibus bis causis quatenus pertinet ad euacuationem per sanguinis detractionem, aut expurgans medicamentum, recurrendum est ad caput de tertiana perniciosa, vbi hæc copiosiùs tractantur. Quòd si particularia auxilia cordi refrigerando, aut calfaciendo idonea copiosiora desideraueris, lege tom. 2. capit. de cordis attemperatione.

CAPVT XI.

De palpitatione, & tremore cordis.

ACcidunt quidem cordi præter dictum symptoma, alia duo non minus toleratu grauia, eum hoc non minus periculosa, licet non omnino desperata. Sunt autem hæc tremor, & palpitatio: hæc quidem palmos appellata à Græcis, & à nonnullis veterum cordis saltus, ab alijs verò formido. Quæ sanè affectio motus est præter naturam à flatu in corde incluso, qui exitum quærens, agitat secum continentia membra tandiu, donec vel resoluatur, vel violenter explosus in cognatum sibi aerem spiret. Accidit verò hæc affectio cuti, & subiectis ipsi musculis: præterea ventriculo, vesicæ, vtero, intestinis, septo transuerso, iecori, atque, vt summatim dicam, omnibus quæ distendi possunt, vtpote arterijs, & ipsi cordi, ac nonnunquam toti corpori. Tremor verò inuoluntarius est, & præter naturæ motum, & ordinem sursum, & deorsum motus partium, quæ per se motum habent. Circa quæ verò symptomata, duas, etsi vtrasque falsas, licet reperire opiniones: prima quidem asserit, nihil differre tremorem à palpitatione: altera rursus existimat, tremorem cordi nulla lege posse accidere. Quarum gratia naturam vtriusq; symptomatis priùs expendere oportet: secundò differentiam inter vtrunque: tertiò omnia posse cordi accidere: quartò verò à quibus causis quoduis originem trahat, & qua medendi ratione auferri possit.

Circa primum nosse oportet, inter plerosque scriptores statutum iam esse, nihil differre inter se hos affectus, sed solùm maioris minorisve ratione. Nam palpitationem constituunt esse debilitatem virium cordis: ac si vires ampliùs labantur, cor tremere: si adhuc ampliùs, in syncopem prolabi. Sed re vera si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet proculdubio differre natura, modo, & causa: qua in re dicimus, præmissa diuisione symptomatum à Galen. signata lib. 2. de causis symptom. (nimirum symptomatum quædam esse quæ prodeunt à solo morbo, citra alterius causæ interuentum, vt palpitatio, & conuulsio: quædam à sola facultate licet irritata, vt tussis, sternutamentum, & rigor: quædam ab vtraque causa simul, vt tremor) non minus differre, quàm quòd palpitatio à solo morbo efficiatur, tremor verò à morbo, & facultate simul. Secundò differunt, quia palpitatio quibusuis partibus propria est, præterquam duris, & quæ flatui se mouenti cedere non possunt: at verò tremor, vt Galeni est mens, lib. de rigore, solis partibus voluntariè se mouentibus proprius existit: ratio huius est, quia cùm constet ex facultate quæ conatur membrũ mouere, & grauitate eiusdem, quæ præ pondere ruat, necessum est his tantùm partibus accidere, quæ voluntario, aut inuoluntario fruantur motu.

Quibus sic constitutis (vt respondeamus secundæ dubitationi, qua quæritur, possit ne tremor cordi accidere) stat vtrumque symptoma posse illi optimè succrescere. Primò quidem de palpatione nullus dubitat, non tamen vt in Praxagora, & Herophilo Gal. lib. de trem. & rig. cap. 5. reprehendit, quòd statuerat Praxagoras solis arterijs palpitationem accidere, nec non præter pulsum etiam earum affectus esse tremorem, & conuulsionem; in qua re, excepto tremore, arterijs conuulsionem, & palpitationem conuenire statuit eodem loco: quem quoque taxat cap. 9. quòd arteriarum affectum tremorem effecerit, cùm solis partibus voluntariè se mouentibus accidere statuat. Cũ hoc tamen de cordis tremore nil ad mentem Galeni probari potest, cùm statuat nullum membrum tremere posse nisi motu moueatur voluntario: aliquid tamen ex eius scriptis elici potest, quo probetur cor tremere posse. Et primò videtur posse ex Galen. id colligi lib. 2. de cau. symptom. cap. 2. quo loco trementis pulsus meminit, quippe statuit pulsum formicantem partium tremori persimilem esse, quem iure optimo nos trementem quoque appellare possumus, quamuis Galen. nomine formicantis ipsum insignierit, seiunxeritque à partium tremore quietum paruitate. Præterquam quòd nomine etiam palpitationis tremorẽ constat voluisse exprimere, lib. 2. aphorism. 41. dicẽs: ob imbecillitatem facultatis cor vehementer palpitare, quo loco verbum illud palpitare, non de palpitatione, sed de tremore venit exponendum, cùm palpitatio non sit motus à facultate effectus. Cæterum ratione sic probatur. Motus pulsus constat ex facultate mouendi, vsu & instrumento: sed ad tremorem tantùm requiritur facultas quæ mouere conetur, & instrumentum quod motui resistat: hæc reperiuntur in pulsu, & corde: ergo & tremor. Dicet aliquis, forsan verum esse, cor facultatem obtinere, & instrumentũ, cæterum carere voluntate, quę motum imperet, & sic potissima conatus causa. Cui dicendum est, verum esse, cæterum loco voluntatis inesse vsum qui facultatem cogit irritatque ad motum. Itaque quemadmodum in voluntarijs motibus præest voluntas, ita in vitalibus vsus, ac per consequens in vtrisque reperitur tremor, quantumuis Galen. alijs solùm accidere statuerit. Quinimo si quis rem diligentiùs pensitet, reperiet in quibusdam tremoribus nullum esse voluntatis imperium, sed esse motum quendam motui conuulsiuo persimilem. Probatio huius veritatis sita est in distinctione tremoris, qui duplex proculdubio existit: alter legitimus, & exquisitus, qui fit ad mentem Galen. ex debili facultate, & grauitate membri, vt videre est in senibus, & in conualescentibus: alter prorsus omnino morbosus existit, ex causa quę animalem potentiam cogit ad motum (inuoluntariè tamen, vt in motu conuulsiuo contingere scimus) & ex grauitate membri, quæ contrarium omnino motum cogit fieri, ita vt hic motus ex motibus contrarijs constitutus. Cuius veritatis probatio est, quod multi ex his qui hoc morbo laborant, etiam si velint quiescere, & membrum supra rem aliquam firment, membrum ipsum præter voluntatem tremens mouetur. Qua probatione videtur euidentissimum, non omnem tremorem constare ex motu imperio voluntatis facto (nam id solùm senibus, & imbecillimis proprium est) & membri grauitate, sed aliquando fieri à motu præter naturam, & à grauitate præter naturam, vt in morboso tremore dictum est: aliquando verò à facultate quæ non sit subdita imperio voluntatis (vt vitalis est) & à membri grauitate: qua motionis forte mirum nõ est si pulsus tremulus fiat, facultate nimirum dilatare conante, & grauante membro.

His iactis fundamentis, facilè erit cuiusq; horum symptomatum naturam nosse: sic palpitatio in commotu sita proculdubio est in eleuatione, & depressione partium, quæ distendi, & rursus in se se residere possunt, vt in cute, musculis, corde, ventriculo, vesica, vtero, intestinis, diaphragmate, & reliquis non rarò conspicimus: cæterum non in omnibus eodẽ modo, nec eadem causa; nam flatibus alicubi interclu-

sis

ſis exitum quærentibus, vniuerſam membranam diſrumpere conantibus, ipſa eleuatur, ac reſolutis, mox ipſa ex ſe concidit. At in corde palpitatio quam ſaltum vocant, duabus potiſſimum de cauſis incidit: nã altera (vt Galen. 1. prorr. 29. ſcribit) ſolùm fit ob congeſtum ſpiritum ex frigore, idque alio modo quã muſculorum palpitatio, nimirum ſubito aliquando, & ſine alio manifeſto accidente, propter ſanguinis feruorem (vt inferiùs referam) cuius præſidium ſtatuit Galen. 5. de locis affect. eſſe ſanguinis detractionem: de qua etiam palpitatione ſtatuerat Hippocra. lib. de Coacis hoc verbo: *Ventris palpitationes in febre inſaniam mouent:* & Galen. ſtatuit huiuſmodi palpitatione affectos, vel ſyncope, vel repentina morte vt plurimum corripi: ac licet non ſemper fiat in corde, ſed in vehementi motione arteriæ quæ iuxta dorſum ſita eſt, frequentius tamen ex cordis motione ſubaudiri oportet. Secundo autem modo fit, dum in pericardio, aut prope cor humor aliquis præter naturæ modum mouetur, ita vt cor ipſum variè etiam moueri cogat. Itaque cordis palpitatio in hoc ſita eſt, non quidem in actione facultatis nocuum expellere conantis, vt multi falsò ſunt arbitrati, ſed in motu quodam cordis, & arteriarum interturbato, & aberrante, à flatu effecto, qui diſtendens, & mouens præter naturam cor, & arterias ipſas ab eodem corde ſic commotas, palpitationem, & inordinatum motum fabrefacit, haud ſecus, quàm ex ſolo flatu in muſculoſis partibus contingere ſcimus: credendum enim eſt, motu huiuſ quem in cordis regione palpitationi ſimilem conſpicimus, non ſolùm eſſe à flatu factum, eſſe tamen palpitationi ſimilem effectum à flatu interturbante motum naturalem cordis, & arteriarum, cùm ſeſe mouent ad dilatationem, & compreſſionem efficiendã. Quo ſanè fit, vt multi hunc motum palpitationis ſaltum dixerint, quia ob inordinationem motuum, qui nunc maiores, nunc minores fiunt, quaſi ſaltum efficiunt, non quidem omnino palpitationem, ſed quodammodo illi ſimilem, quia compoſitus videtur à flatu diſtendente, & vitiante naturalem cordis, & arteriarum tonum, & ex ipſa cordis motione: eſt enim veluti accidens motui pulſus ſuccreſcens, à ſolo morbo, hoc eſt à flatu diſtendente, & conante exitũ quærere, factum. Ex quo prodit palpitationem eſſe elationem quandam præter naturam, atque depreſſionem, in quibus cor non ſeipſum dilatat ea differentia motus, ſicut in pulſu, in quo motus ille verè eſt operatio ipſius ſecundùm naturam: at motus, qui fit in palpitationibus, affectio eſt, & accidens motui ſuccreſcens, vt ex Galen. conſtat 6. de Hippocr. & Plat. decret. ita vt ſit ſymptoma in genere deprauati motus toto genere præter naturam: inſequens tamen morbum in intemperie, aut in ſolutæ vnitate, dum partes diſcedunt ob flatus ſubingreſſum in partes cauas, aut poroſas. Fit autem palpitatio cordis, ſæpè nihil mutatis arteriarum pulſibus, ac è diuerſo palpitant ſæpè arteriæ, corde neutiquam palpitante, quia ſolùm palpitant partes, quibus flatus includuntur, cæteris manentibus illæſis. Motiones denique cordis præter naturã veteres, duplices (præter pulſus differentias naturales, aut non naturales) conſtituerunt, vtraſque tamen nomine palpitationis comprehenſas: vnam quidem ſaltum, ſeu palpitationem veram, & legitimam nuperà nobis expoſitam: reliquam verò ſpuriam, quæ tremori potiùs quàm palpitationi affinis exiſtit, vt paulò inferius referam, ſi prius vtriuſque cauſas recenſuero.

Palpitationis cauſa.

In qua re neceſſum eſt expendere palpitationem eſſe in duplici differentia, alteram legitimam, & ſpuriam alteram. Legitimam verò arbitrandum eſt fieri ex motu cordis, à nulla alia cauſa concitato, quàm à præter naturali, & morboſa, facultate cordis, & arteriarum nihil agente, ſed præter vitalis potentiæ motũ, in hac legitima palpitatione, ſuccreſcere alium extra-

A neum, & præter naturam, à ſola cauſa morbificà, vel à ſolo morbo, vt Galen. ſtatuit 2. de cauſ. ſymptom. cap. 2. Quippe plerumque contingere conſtat, ex craſſo nebuloſoque aere, vel caliginoſo ſpiritu. Quo fit, vt frigidiores corporis naturæ, & ætates, palpitationibus frequentiùs corripiantur, maximè anni tempore, & regione frigidis, potiſſimum ſi præceſſerint vita ocioſa, ſatietas, & temulentia, ac reliqua, quæ cor, & corpus refrigerare nata exiſtunt. Vtcumque tamen ſit, ſi flatus generentur, vel prope cor, aut aliundè illi (vt ex vtero, ventriculo, aut vaſis maioribus) accedant, palpitatio fiet: per eſſentiam quidem, ſi ex humoribus cordis, aut pericardij in ſiniſtrum eius ventrem irruat flatus: per conſenſum verò, ſi aliundè in ipſum conB ſcendant. Nec mouent rationes neoterici cuiuſdam arbitrantis cor palpitationem legitimam pati non poſſe, quòd calidiſſimum ſit, & ob alias non maioris momenti rationes, quas in corde affecto, & malè ſe habente vim habere credendum non eſt. Scribit etiam Galen. 5. de locis pa. cap. 2. & neotericorum nõ pauci, fieri alia de cauſa palpitationem legitimæ finitimam: quippe ſcribunt plerumque fieri ex aquoſo humore, vrinæ perſimili in pericardio, tunica cor ambiente, collecto: qui cùm ſiniſtrum ipſius ſinum mouere non ſinat liberè, fit vt, dum facultas valida eſt ad pellendum quod grauat, concitetur, & tunc vehementiùs motum exequatur, licet inordinatè, quod palpitare quodammodo dicitur: quippe vt reſarciat C impeditum motum, alterum maiorem mouet, ad modum caprizantis pulſus, quem quoque palpitationi ſimilem arbitramur. Item eadem parte ſcribit, plerumque hoc malum accidere iuuenibus, & adultis integra valetudine fruentibus, forſan ex feruido ſanguine: id quod à frigida etiam cauſa fieri, arbitrati ſunt neotericorum plures, cum ſibi perſuaſum habeant, ex calore non poſſe hoc malum oriri, ſiquidem neq; ardentibus febribus, neque hecticis, aut alijs huius cenſus euenire vſquam viſum fuit. Quorum contrariam ſententiam tuentur ex iunioribus etiam alij, & probant experimento à calore id poſſe fieri. Ego tamen arbitror, hanc palpitationis ſortem à calore oriri poſſe, ſicut in iunioribus ſcribunt Galen. & Pau. libro 3. D capit. 34. qui validiores cordis palpitationes, ſæpè ex ſanguinis in eo concepti copia, aut feruore contrahi, expreſsè aſſerunt. Quod etiam arbitror intellexiſſe Galen. 4. aphoriſm. 65. nam ſtudens exponere, quid ſibi voluiſſet intelligere Hipp. per verbum cardiogmos, ſcribit, bifariam eſſe accipiendum; vno modo pro cardialgia: alio verò pro motu quodam cordis, palpitationi perſimili: quem arbitrandum eſt, eſſe motum cordis vehementem, & inæqualem, ex facultate excitatã à cauſa calfaciente, ac feruida. In quo ſenſu credo Auicennam dixiſſe, plurimis cordis affectionibus ſanguinis miſſionem prodeſſe, ob feruidũ, & craſſum ſanguinem iuxta cor ebullientem. Quod profectò à Galen. acceperat lib. 5. de locis cap. 2. qui E omnibus palpitatione affectis ſanguinis detractioné iuuare ſcribit. Palpitat non minus cor, & periclitatur, ex obſtructione leuium pulmonis arteriarum: tũ quia fuliginibus non ſatis purgatur: tum verò quia nõ capit quantum aeris par eſt: cuius affectionis notitiã qui maiorem deſiderauerit, legat initium cap. de pulmonis inflammatione. Monendus mihi tamen hac in parte lector eſt, pleraſque palpitationes, quas ſpurias nuncupamus, ad cordis tremorem facilè poſſe reduci, vt motus, qui non à ſola cauſa morbifica ſicut legitima, ſed à facultate, quæ motum naturalem pulſus vitiat citatioremque efficit, vt de caprizante, & intercurrente pulſu dictum eſt, quos potiùs palpitationi ſimiles, quàm veram palpitationem cenſemus, aut (vt rectiùs loquar) verè ſaltum cordis, in quo extra corpus cor proſilire clamant: ſiue id, quod natura ſtimulata, & impulſa pellere ſtudet, aura ſit venenata,

nata, aut ater vapor opprimens, siue cordis intemperies calida, frigida, humida, vel sicca, siue humorum, vel vaporum confluxus, vel obstructio, & spirituum interceptio, aut paucitas. Appellamus tamen hũc cordis motum ab his causis effectum spuriam palpitationem, quia mixta est hæc affectio ex motu facultatis irritatæ, & ex causa quæ aliquo modo turgens, effervescens, & mota, motum quoque adiuuat: cuius naturę plures ex fœminis, quæ ex vtero malè se habent, iuxta mammam sinistram, motum quendam vehemẽtem palpitationi similem persentiunt, & aliquando perpetuum, in quo à vera palpitatione dissidet, quia perpetua non est, sed per interualla repetens.

Dubium. Cæterũ cum inter spuriæ palpitationis causas dictum sit à Galen. & alijs aquam pericardij non esse minoris momenti, & ab Hippoc. lib. de corde statutum sit, pericardium aqua abundare, videbatur verisimile cor semper palpitaturum, quod experimentum non probat. Cui dubitationi dicendum est, aquosum illum humorẽ per sanitatem non inundare, neque colligi intra pericardium, quinimo veluti humiditatem copiosam, solùm adesse tantam, quanta innati calidi temperiem, & cordis humiditatem natiuam tueri sit potens: nimirum quòd tunica ipsa per se vniuersa madore perfundatur, vsui prædicto sufficiente, & ob id non est coniectandum, ibidem per sanitatem colligi. Quòd si aliquando colligatur in ipso pericardij cauo, aut in tumore aliquo hydratode appellato, vt de simia tabescente retulerat Galen. id quidem morbosum est, & palpitationis grauioris, & spuriæ causa. Quippe studens natura molestam illam causam pellere, maiores efficit pulsationes, varias, & inæquales; licet aliquando flatus ab eadem aqua excitatus legitimam palpitationem efficere assuescat, item hanc spuriam, & mixtam ex flatu per se eleuante, & ex facultate irritata, & coacta amplius eleuare. Vltimò tamen expendendum est, has spurias ab omnibus humoribus posse fieri, vt docuerat Auicen. lib. 3. fen. 11. tract. 1. capite 6. quæ sanè de palpitationis natura, & causis sufficere videntur.

Tremoris igitur natura, & conditio composita est ex motu, siue voluntario, siue inuoluntario, modò fit præter naturam, & ex altero motu à sola membri grauitate effecto. Cuius profectò non ita facilis est cognitio, neque vna est, & simplex natura, & ob id maiori diligentia inuestiganda. Reperiuntur enim tremoris variæ sortes: nam trementes dicuntur, vel qui contremiscunt, vel qui subsultant ad Medici tangentis manum, vel qui vtrumque simul patiuntur (quantumuis hoc postremum simul fieri Galen. posse neget) ita vt constet, quendam esse tremorem legitimum, & propriè sic nuncupatum, & reliquos esse illegitimos, & spurios: Est itaque legitimus tremor motus musculorum præternaturalis cum voluntate (ad differentiam conuolsionis, quæ citra volontatem fit) nitente membrum dimouere, & membro renitente, atque prę grauitate deorsum vergente: qua contentione motus subsequitur tremulus. Illegitimus verò tremor est, in quo manus non tremunt, sed dissiliunt, & quodammodo conuelluntur contremiscendo. Sed ad verum tremorem redeuntes, dicimus veram tremoris rationem compositam, & mixtam habere, tum causam, tum naturam, membrum videlicet deprimens, & facultatem voluntariè sursum mouentem, ex quibus veluti pugna quædam emicat, ex inuicem vincente, & victa natura, quæ motum constituit tremulum, mutuò succedentibus contrarijs motibus. Non quidem sicut motus pulsus sursum, & deorsum, vterque enim motus ab vna facultate, & natura fit, in tremore verò nequaquam. In quo etiam à palpitatione dissidet tremor, quia in tremore sursum, & deorsum feruntur partes: in palpitatione verò sursum partes solùm eleuantur: dissident enim inter se, sursum ferri, & disten-

A di & deorsum ferri, & contrahi: nam quæ sursum, ac deorsum feruntur, priore loco relicto, in alterum transeunt, quæ verò distenduntur, ac contrahuntur, veterem sedem seruantia loci circunsitu aliquid occupant, aliquid relinquunt: Scilicet vtrisque commune sit pręter naturam moueri, cum hoc tamen dissident, quia in palpitatione maior, & minor locus occupatur, non relicto primo: in tremore verò adeò loca mutantur, vt in eadem sede non maneant. Itaque palpitatio fit facultate, & instrumento nihil per se agentibus, cum actio à solo morbo ibidem proficiscatur: in tremore verò facultatem, & membrum arbitrandum est per se affici: quo fit, vt Galen. aduertat 2. de caus. symptomat. cap. 5. hæc symptomata differre affectus natura,
B loco affecto, accidentibus, & causis, siquidem palpitationis causa est repletio instrumenti flatuosa, tremoris verò facultatis impotentia, & insolita, ac præter naturam instrumenti grauitas. Quo fit vt cor rarò contremiscat ex insolita grauitate, sed ob aliam causam, vt mox referam, si priùs dixero cordi rarò accidere verum tremorem; siquidem is solùm partibus se mouentibus imperio voluntatis succrescit, tremit tamẽ, cæterum spurio tremore, in quo partes quæ tremunt debiles quoque esse oportet, & aliquid simul, quod facultatem ad motum lacessat. Sic enim cor, & arteriæ debiles facilè tremore corripiuntur ob vehementius morbum qui viribus incommodet, quo pulsus fiunt formicanti persimiles. Aliter etiam, & multis modis cor-
C di succrescere possunt huiusmodi tremores (quos licet spurios nuncupemus facta collatione ad legitimũ tremorem, cordi tamen proprij, & legitimi sunt habendi, quandoquidem aliter cor tremere nequit) vt mox à principio dictum fuit, vno è tribus modis, nimirum contremiscendo, vel subsultando, vel vtroq; modo: obtremiscendo verò fit velut in his qui rigent in principijs accessionum contingit: subsultando autem fit per motum compositum ex tremore, & motu conuulsiuo, cuius similis motus in piscibus videtur, aut moribundis, aut vibratione resilitioneve molientibus exhalationem, cum partes neruosæ auferre se à suo contrario mordente, aut opprimente nituntur: subsultant igitur, & subsiliunt, haud secus, ac si iacentis cor-
D pus pungatur, quod vniuersum simul attolli non potest. Quo fit vt non sit à ratione alienum aliquem cõstituere tremoris modum, ex tremore, & motu conuulsiuo conflatum: siquidem in eadem parte optimè potest esse, & facultas infirma ab oppressione materiæ grauantis simul, & mordentis, ita vt membrum contremiscat ob facultatis infirmitatem, desiliat etiã ob conatum à morsu concitatum: non enim facultas est quæ tremit, vt in vero tremore, sed membrum, & substantia neruosa, cuius causa est imbecillitas: hæc enim affectus est facultatis: tremor verò partis ipsius. Sic enim cùm manus ægri subsiliunt, aut partes aliæ ad manum Medici subsultant, imbecillitatẽ
E facultatis subesse, & partes neruosas affici necessum est, vel per sympathiam cerebri, vel per primogeneũ affectum: quod pari ratione de cordis tremore subaudiendum est.

Sed huius symptomatis triplex potest esse causa: nam partes desiliunt oppressæ à copia, & malignitate materiæ, sub qua vnico tractu se se conantur excitare, nec possunt: qui motus in corde propriè tremor est, non qualis senum, sed morbosus, medius inter verum tremorem, & motum conuulsiuum. Succrescit non rarò hæc affectio incendij febrilis acrimonia, quia vellicantur neruosæ partes vehementer resiccatæ, atque reuelluntur, quia motum habent nerui quo se retrahant, & veluti dissiliant: facultas enim ab eadem causa lacessita, dum noxam pellere nititur, partem mouere nitens, tremulum tantum præ infirmitate motum excitat: quo fit, vt pars quodammodo contremiscat in se se contrahens, & conuulsiuo motu sub- *Causa tremoris cordis.*

subſultet. Itaque fiunt huiuſmodi tremores, vel à copia humorum, vt in morborum initijs: vel ab ſpirituum agitatione, & collectione, vt in animi affectibus: vel ab intemperie magna partium neruoſarum, vt in ſtatu febrium ardeoouum, ex quo phrenitidem, & connulſiooem ſequi comperimus: vt noo raro cõtingit febrientibus febre maligoa, ſicut lingua tremula oſtendit. Tremit itaque cor ob febris incendium (vt dictum eſt) ſpiritus conterens, & facultatem, vt dixerat Galen. 2. aphoriſm. 41. licet apertè palpitare vehementer dixerit: quod verbum de tremore ſubaudiendum eſt, ſiquidem palpitatio non prodit à facultate, ſiue deiecta, ſiue ſecus, ſed tremor. His habitis, arbitrandum eſt, huiuſmodi tremoris naturam, & condioonem ab imbecilla fieri facultate: & cum vires in ſpiritu, humore, & ſolidis membris conoͤneantur, interdum ſpirituum diſſipatione, aut collectione tremor fit, vt in affectibus animi comperimus: interdũ humorum, ac ſpirituum reſoluoone, aut euacuatione, vt in fame, laſſitudine, vigilijs, curis, & immoderata venere: in acutis verò ſæpius, vel oppreſſione à materia, vel vehementi ſolidarum partium intemperie, vt ſiccitate in phreniocis. Depique tremoris cordis pooſſima cauſa eſt, omnis quæ ipſum imbecille reddere poteſt, & cum boc ipſum excitare ad pulſum aduerſarij ſucci, fuligiois, ſpiritus, aut cuiuſuis alterius venenatæ ſubſtantiæ, quibus ſæpè pulſus fit tremulus, & formicaou ſimilis, vt io febribus malignis non rarò conſpicimus. Quibus raoonibus arbitraodum eſt, quod licet legitimi, & mixò tremores grauiſſimis morbis ſuccreſcaot, ſalutis tamen aliquando poſſunt eſſe cauſa, & ſigna: cum videlicet à cerebro ad neruoſas partes, & ſenoͤntes, mordaces, actes, & malignos mittit natura humores, vt Hippocr. ſcribit in frigido, & humido ſtatu 1. epid. qui conuulſiones multis contigiſſe innoxias retulit: cum hoc tamen cordis tremores à quacunque cauſa oriantur, non leue periculum minari eſt credendum.

Signa verò barum affectiooum vanum eſſet ſcribere, cùm ipſa ſymptomatis raoo facilè ſeipſam oſtẽdat: cum boc tamen cauſarum ſigna docere, non erit ab re, cùm id curaturo vtilius exiſtat. Palpitationem itaque fieri à flatu diſces, non ſolum ex anteacta vita, ſed ex flatu ante acceſſionem per diuerſas corporis partes vagante, ex leuamine eo excreto, ex ventris præcedente murmurio. Conſtat etiam, quia ex leuiſſima corporis motione in palpitatiooem procidit laborans, cum difficili reſpiratione, & palpitatione in temporibus, apparentibus etiam paroͤbus oculorum cauis: quibus accedunt repentini dolores, qui ſtanm ſua ſponte ceſſant, & accedit oculorum obtenebroſitas, & ſonitus, ac ſibilus aurium. Sed à qua parte flatus oriantur (quod ad curationem tanti eſt momenti) à cuiuſque partis ſymptomatis facilè diſtingues, & diligenter venaberis. Fieri tamen ab aquoſitate in pericardio contenta conſtat, quia ſic affecti ſine cauſa manifeſta contabeſcunt, cum cor videatur vehementer pulſare, & cum hoc febricula hecticæ ſpeciem referens ſuccreſcit, quòd ventilare cor liberè, vt par eſt, nequeat. Feruorem ſanguinis noſces ex ætate, ex ſuppreſſa ſanguinis vacuatione, ex ſiti, ex difficili reſpiratione, & thoracis anguſtia, ex oculorum inſolito rubore, & tumore, ac rurſus ex ſubſidio à frigidis. At in tremore cordis, pulſus arteriarum inæquales fiunt magnitudine, celeritate, crebritate, & vehementia: qua lege id ob alias cauſas fieri diſces lib. ooſtro de pulſus arte, & harmonia. At ſolent (licet rarò) arteriæ tremore affici, corde nequaquam læſo, quod diſces altera mano carpo adhibita, altera verò thoraci, quibus diſparem motum comperies, aut eiuſdem ordinis, ſi vtraque pars afficiatur.

Præſagiũ. Præſagium quidem docet formidabile membri affecti præſtantia, & dignitas, in quo ſanè oulla affe-

A ctio leuis eſt, neque contemni debet, quamuis primo acceſſu mitis, & parui momenti videatur. Tremores enim à quauis oriantur cauſa (niſi ex animi perturbatione fiant) cũ ex imbecilla facultate vitali prodeant, iam ſola hac ratione vereri oportet, nedum cùm cauſa adeſt cor, & arterias præter oatuiam grauans, quæ iuxta cor exiſtens periculum minatur ſyocopes. Sic profectò palpitaoo pari ratione idem malum portendit, & maximè cùm ex aqua in pericardio contenta, aut ex feruente prope cor ſanguine ootur, facilè enim cordi iofidiantur huiuſmodi humores: maximè ſi flatuoſum quid acceſſerit, oam inopinatò hominem interimit, vt Gal. aduertit 2. aphor. 45. & experimento quotidiano comperimus.

B Quibus exactè penſatis, medendi ratio io palpitatione duplex exiſtit: altera quæ palpitationi ipſi proficua ſit: altera verò quæ cauſæ, quæ flatum mouet, aut illi materiam ſuppeditat infirmando, prouideat. *Curandi ratio.* Palpitaooni verò, dum viget, duplex auxilij genus ex vſu eſt: vnum quod cauſam illidat, hoc eſt flatum diſcutiat: alterum verò quod cordi prouideat. Nam vt anteà dictum eſt, licet plerumque flatus in boc malo reperiantur, cum hoc tamen in ſpuria palpitatione, quæ ex ſanguinis feruore, aut pericardij inundatione prodit, tutum oon eſt primo acceſſu quæ calida ſunt adhibere. Quapropter, ſi ex ſanguinis feruore malum oriatur, primitus vt Galen. eſt conſilium 5. de locis, nec oon Auicen. & aliorum ex eius familia, ſanguis

C mitteodus eſt ex dextro brachio: verum hoc facto, aut ſi craſſum ſanguinem redundare ſit compertum, & ex eo craſſum vaporem eleuari, ex ſiniſtro, aut ex ſaluatella eiuſdem manus, ſicut dum menſes, aut hæmorrhoides ſupprimuotur, ex talo, aut per cucurbitas ſuris affixas, & ſcarificatas, vel per hirudines hæmorrhoides ſugentes. Sitous tamen duxi, ſi morbus per anni tempora ſtatuta reuertatur, maximè tempore hyberno, ante tempus conſuetum ſanguinem mittere, cauſa præcautionis. Quòd ſi ne hæc quidem prodeſſe videantur, vt aliquantulum ceſſent palpitatio, & anxietas, ſcapulis cucurbitas cum ſcarificatione adhibebis, quibus à parte affecta humor deriuetur, aut vapor euaneſcat. Pręterea iuuenibus, & alijs qui ex ephe

D bis exceſſerunt, vel ſuppreſſione ſanguinolentæ vacuaoonis ſic afficiuntur, aut ijs qui vino, & caroibus ſe inuitarunt, aut rurſus fœminis ipſis, præſertim iuuẽculis, vel nuper viduis, plus quam mediocrem ſanguinis copiam demere non erit ab re, dum modò id per interualla duorum triumve dierum fiat, & dum laborans palpitaoone non premitur, ſed in hora quietiore. In alijs verò qui pericardij inundatione laborant, nuſquam, ſi macie iam affici inceperint; ſin aliter, parciùs, & rariùs, ſolùm vt, quod vires cordis premit, modicè diſtrahatur, minuſque febricula (quæ forſan ob defectum commodæ ventilationis ſuccreſcit) vigeat: atque hoc eſt quod primò exequendum venit in ea palpitaoonis ſorte, quam ſpuriam, aut illegiti-

E mam cenſemus ex prædictis cauſis ortam. Qualiter verò extrinſecus vtrique liceat ſubuenire, paulò inferiùs leges, dummodo ſtatuas in ea palpitaoooe quæ à ſanguinis feruore, & vbertate prodit, neque calidis, ne maior fiat efferueſcentia, vtendum eſſe, neque frigidis, ne effluxu vaporum prohibito, vehemenoor ſuccreſcat palpitatio: ſat enim eſt in his, temperatis, roborantibus, & odoriferis vti, quorum infra laoùs meminero.

Secundò verò his, & reliquis omnibus qui ex frigida cauſa prodeunt, & flatum authorem immediatũ habent legitimæ palpitationis, ex vſu ea auxilia ſunt, primò quæ auertant à corde, & diſtantiùs pellant qđ cor labefactat, & perdit. Id enim perficit cucurbitarum vſus in dorſo è regione cordis: in fœminis verò in femoribus, aut ſuris frictiones, & ligaturæ, lauacra, atque id genus alia, quibus flatus aliquo modo diſcutiantur,

tiantur, distrahanturque ad extima. Quem vsum præstant extrinsecus etiam adhibita, quæ flatus discutiũt, qualia sunt modicè calida, veluti vinum, aqua vitæ, aqua naphthæ, trifolij, & aliarum herbarum calidarum, aut aromatum, quibus epithemata confecta, interim dum maioribus datur locus, non parum prosunt: cuius naturæ etiam sunt olea, aut inunctiones cum diambra, aut diamusco, item & sacculi ex floribus, & herbis calidis. Verùm quia raro his & alijs, quæ inferiùs scribam, quis tutò vti potest citra vniuersalem prouidentiam, ob id si constiterit, frigidum crassumve humorem flatibus materiam præstare, & cum hoc cor frigida intemperie affici, primo accessu victum porriges humiditatis immodicæ, ac flatus expertem, boni nutrimenti, & facilis coctionis, qualis est auium, vitulorum, arietum, cuniculorum, & capreolorum caro, plerumque assa, & nonnunquam elixa, sed aromatis, & his herbis, ac seminibus, quæ bonum conciliant odorem præparata. Potus sit vinum tenue, aquosum, sed vetus, & optimi odoris, dilutum tamen aqua melissæ, cinnamomi, corticum citri, aut sassafrasæ Indicæ, vel cuiusuis alterius rei aromaticæ, & calidæ, ac flatus discutientis, vt ligni aloes, & radicis Chinæ. Caueat insuper laborans à perturbationibus animi: sit in aere lucido, cubiculo sicco, & aromaris olfactus gratioribus suffumigato. Tandem facta sanguinis detractione (nam in his quoque Galen. sanguinem mittere iubet, si casus nimis vrgeat, cantè tamen, & viribus constantibus, ac parcè) curandum est humorem purgationi parare, & simul eisdem præsidijs flatus discutere: id quod facies melle rosaceo cum modico oxymelite, syrupo de corticibus citri, aut hyssopi, addito modico oxymelite squillitico. Poteris etiam conficere serapium (maximè si ex aqua in pericardio malum oriatur) ex decocto capillorum veneris, cariophyllorum, & ligni aloes, brassicæ marinæ, thymelææ, seminis carthami, graminis, rusci, asparagi, rubiæ maioris, seminis anisi, & petroselini cum melle, & saccharo, cui addes oxymelitis modicum. Verùm, quia tutius longè est in huiusmodi affectionibus sæpius, & leuiter purgare, quam raro, & cõfertim, tunc quidem huic syrupo addere oportebit *seminis carthami conquassati, pro libra, ʒ. 7. foliorum senæ ℥. 1. & ß. facta ebullitione colentur, & laboranti præsta ℥. 3 summo mane.* Purgabis pituitosum humorem infuso, q. ℞. *agarici ʒ. 1. foliorum senæ ʒ. 2. turpeti ℈. 2. facta colatura adde mannæ electæ ℥. 2. vel syrupi ex infusioni bus rosarum ℥. 3.* Item vteris pilulis mastichinis, de rhabarbaro cum modico agarici, alephanginis, & aggregatiuis, aut alijs quæ *conficiuntur ex agarico, mastiche, & aloe pari pondere cum succo brassicæ marinæ.* Sed vtiliores conficies ex terebinthina abietis cum puluere hieræ simpl. Galen. ac si laborans nimis anxius sit, cum puluere diamargariti frigidi, vel electuarij de gemmis, superbibito decocto ex radice carlinæ, vel scorcioneræ. Melancholicum item humorẽ præparabis his, quæ sæpissimè retulimus, syrupis, vt borraginis, buglossæ, violarum, de pomis, & corticibus citri, ac fumariæ cum aqua mellissophylli, lupulorum, & borraginis. Quem etiam purgabis *ex sero lactis caprini, aut asinæ, in quo maduerint foliorum senæ, & epithymi, anà ʒ. 2. corticum mirobalanorum Indorũ ʒ. 3. colaturæ adde syrupi solutiui rosarum, aut syrupi D. Augustini ℥. 3. vel mannæ ℥. 2. aut syrupi infusionũ violarum ℥. 4.* Cuius efficaciæ sunt pruna damascena saccharo, & decocto senæ confecta: tandem curatio omnis instituenda est ad modum curationis melancholiæ. Hoc vnum habet huiusmodi affectio peculiare, quòd maximum suscepret leuamen ex clysterium purgantium, & resoluentium vsu. Quapropter, omni diligentia curandum est, flatuum materiam minuere, distrahere, & ad intestina clysteribus diuertere.

Quibus factis, resoluentibus vteris, & his quæ vim

A habent conterendi humorum, & flatuum reliquias; ac roborandi cor ipsum. Sed vt his securiùs, & vtilius vti possis, expende, frigida existente causa, aut copiosiori existente flatu, primò corpus oportere disponere vsu aquæ calidæ ante prandium, & summo manè sumpta, frictione etiam deinceps per vniuersum corpus leuiter facta: à quibus cor ipsum intus, & extra roborabis auxilio, q. ℞. *corticis citri conditi, mirobalanorum conditorum, nucis muscatæ conditæ, conseruæ anthos, violarum, & buglossæ, anà ʒ. 2. specierum diamargaritonis calidi, aromatici rosati, lætitiæ Galeni, anà ℈. ß. sacchari rosati ad pondus omnium, fiant trochisci, quorum bis die exhibe ʒ. ß.* Eiusdem efficaciæ est illud, q. ℞. *theriacæ de citro ℥. ß. diamosci dulcis ʒ. ß. confectio*B*nis alKermes ʒ. 1. conseruæ buglossæ ℥. 2. pulueris electuarij de gemmis, & diamargaritonis calidi, anà ʒ. ß. syrupi buglossi quod sufficiat vt fiat confectio.* Prodest & id, q. ℞. *corticis citri conditi, conseruæ borraginis, & melissæ, anà ℥. 1. alKermes, mithridatij veteris, anà ʒ. ß. fiat bolus, & manè sume ℥. ß.* præstat etiam *mithridatij, aut theriacæ ʒ. 1. cum modico vino, aut aqua melissæ, naphthæ, scorcioneræ, aut cardiacæ. Ex quibus etiam efformantur morsuli cum ℈. 1. diambræ, aut diamusci, vel confectionis xiloaloes, aut cinnamomi, addita ℥. ß. seminum melonum cum saccharo aqua rosacea diluto.* Sed inter omnia auxilia huic affectioni proficua, incredibilis efficaciæ existunt *rhapontici ℈. 2. ex vino*: aut vinum in quo maduerit idem rhaponticum, panax, ari- C stolochia rotunda, aut fœnugræcum. Item parabis aliud, q. ℞. *confectionis alKermes ℥. ß conseruæ radicũ buglossæ ℥. 1. conseruæ florum anthos ℥. ß. pulueris diamargaritonis frigidi ʒ. 1. cum syrupo de pomis fiat opiata.* Quòd si ex flatu malum oriatur, id conficies, q. ℞. *aromatici rosati ʒ. 2. diarrhodonis, & alKermes, anà ʒ. ß. corticis citri saccharo conditi ʒ. ß. conseruæ buglossæ, & anthos, anà ʒ. 3. fiat cum syrupo de pomis electuarium.* Mirabilis etiam est efficaciæ aqua arte chymica extracta, q. ℞. *cordis porci, num. 2. cordis cerui, vel bouis, numero 3. cariophyllorum, galangæ, seminis basiliconis, anà ʒ. 4. & ß. macis ʒ. 3. florum buglossæ, & borraginis, anà p. 1. florum anthos p. 3. temperentur in vino per noctem, & destillentur in alembico, & dosis* D *sit ℥. ß. ex qua etiam cum saccharo fiat iulep, addita aqua rosacea, vel hordei*: nam hac lege proderit etiam causæ non frigidæ: nec minoris momenti est idem cor porci assum, & cum cariophyllis comestum. Maximi etiam est vsus stillatitia aqua ex cinnamomo, ex aniso, ex liquiritia: aut aqua in qua hæc & cortices citri incoxerint, feruens exhibita: *vel aqua naphthæ, aut scorcioneræ, cum granis quinque diamusci, aut dianison, vel diacimínon.* Tandem hunc vsum præstant calida omnia, non solùm per se exhibita, aut ad inuicem commixta, vel aqua liquata, aut conseruis rosarum, & borraginis exhibita, sed etiam cum caponibus, perdicibus, aut columbis assis inspersa, ita vt lardo aliquo prædictis carnibus adhæreant, quantum E sat sit vt vires, & odorem eorum concipiant. Quem quoque vsum præstant gallia muscata, alipta muscata, pliris arcoticon, diamargariton calidum, electuarium de gemmis cum speciebus, lætificans Galeni, theriaca, mithridatium, cubebæ, rosmarinus, galanga, amomum, cardamomum, fœniculum, anisum, ambra, styrax, calamintha, moscus, lignum aloes, cariophylli, cinnamomum, cortex citri, nux muscata, semen basilici, & vinum Hippocras appellatum, è quibus mille modis effingere poteris huic vsui medicamenta proficua. At vbi venenosæ auræ ab vtero, aut ab alia parte, elatæ suspicio est, prodest confectio de aromatibus: conferunt & trochisci moscati, quorum descriptio talis est. *Excipe mastichis, spicæ, xiloaloes, cinnamomi, cariophyllorum, galliæ muscatæ, cubebarũ, cardamomi, granorum paradisi, corticum citri, anà ℈. 4. cum vino odorifero fiant trochisci ponderis ʒ 1.* Exte-

tiùs

tiùs tamen cordi prouidebis fotu, quo flatus cor affligentes securè discutias: q. ℞. *foliorum borraginis, cichorij, melissæ, & oxalidis, anà m. 1. carnis pomorum dulcium odoratorum ℥.4. corticum citri. ℥.ß. cinnamomi. ʒ. 3. bulliant in lib. 3. aquæ rosaceæ ad consumptionem tertiæ partis, & adde vini albi. ℥.3. aceti rosati. ℥.1. & hoc calido partem iuxta cor foueбis filtro serico*. Quo facto, cor inunges vel vnguento naphthæ cum pulueribus electuarij de gemmis, vel linimento q. ℞. *vnguenti rosarum. ℥.1. vnguenti naphthæ. ℥.ß. cinnamomi. ʒ.ß. corticis citri puluerizati. ℈. 2. musci, ambræ anà ℈.ß. flores nenupharis & violarum, anà ʒ.ß. misce & fiat vnguentum cum modico oleo rosaceo.*

Verùm si cordis intemperamentum, siue calidum sit, siue frigidum, ab alicuius visceris obstructione B prodierit, consensumque traxerit, nullo alio auxilio causis, morbo, & symptomati ociùs subuenies, quàm præstito syrupo de scoria chalybis, cuius efficacia fidissimo experimento probatissima est, siue laborans exercitio vti possit, siue secus. ℞. *quidem aquæ lupulorum lib. 4. extinguantur quater sex vnciæ chalybis igniti, & posteà aliæ sex vnciæ chalybis pari ratione quater extinguantur in prædicta aqua, & facta colatura adde scoriæ chalybis præparatæ aqua rosarum ℥.6. passularum sine nucleis. ℥. 4. macerentur per tres dies in prædicta aqua chalybeata, & postea bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta iterum colatura adde radicis rubiæ & rumicis, anà ℥. 2. radicis cichorij & fœniculi, anà ℥. 1. ß. agrimoniæ & capillorum veneris, anà m. 1. iterum bulliant, & post separationem ab igne, adde foliorum senæ. ℥. 2. seminis carthami conquassati. ℥.4. & facta post refrigerationem mediocri expressione, adde sacchari quantum sufficiat vt fiat syrupus, cui adde, antequam refrigeretur, syrupi de duabus radicibus & cichorij, anà ℥. 2. Huius autem medicamenti singulis diebus. ℥. 2. summo manè porriges.* C Verùm si adstrictioris ventris laborans fuerit, satius censeo esse vti chalybe præparato eo modo quo dictum est latiùs lib. de fœminarum morbis cap. de febre alba, quia prædictus syrupus commodior est his qui solutam habent aluum, aut oportet addere nonnihil foliorum senæ, aut seminis charthami.

D Si tamen cordis intemperamentum calidum fuerit (nam de frigidis satis hucusque dictum est) ferbueritque sanguis plurimum, tunc opus est frigidis præsidijs rem agere, adhibitis primò syrupis granatorum, de succo acetosæ, rosatum & borraginis, cum aqua buglossæ, borraginis, scorcionetæ, cardiacæ & similium. Sed præstat, cùm laborans in accessione est, ob prædictam causam, breuiter stillatitiam aquam in duplici vase parare ex iure pulli infarti floribus & radicibus cordialibus, cum pulueribus margaritarum, & rosarum. Parabis etiam syrupum, q. ℞ *succorum depuratorum borraginis, acetosæ, endiuiæ, citri, pomorum olentium, anà ℥. 3. aquæ scorcioneræ & borraginis, anà ℥. 4. pulueris electuarij de gem-* E *mis. ʒ. 3. confectionis AlKermes. ʒ. 1. ß. bulliant leniter, & facta colatura, adde sacchari quod sufficiat vt fiat syrupus, quo vtatur bis die cum aqua stillatitia cardiaca, aut acetosæ.* Prosunt & trochisci, q. ℞. *spodij, seminis cucumeris & citrulli, endiuiæ, lactucæ, portulacæ, santalorum alborum, pulueris rosarum, anà ℈.4. camphoræ. ℈.1. cum modico succo citrulli fiant trochisci pondere. ʒ. 1. quem sumat cum modico vino, aut aqua in qua maduerit lignum aloes.* Ex vsu quoque est potus aquæ rosarum, vel aquæ frigidæ, in qua sæpius aurum sit extinctum. Prodest & saccharum rosarum album, aut rubrum, cum pulueribus margaritarum, aut diamargaritonis frigidi, vel electuarij de gemmis sine speciebus, cum aqua cucurbitæ, aut stillatitia ex decocto hordei & ramentorum cucurbitarum cum saccharo: ad cuius pensum alia auxilia non tpitoris momento parare poteris, licèt exteriùs in hac

A æstuosa causa tantùm liceat quæ temperata sunt adhibere, intus verò frigida, quibus feruor & exustio compescatur refrigereturque, ac minus subinde flatus concitentur.

Nec omnino posthabenda est in reliquis causis externorum auxiliorum commoditas: nam causa existente frigida, primò è regione cordis ea adhibebis, quæ præter id quod flatus discutiant, cor ipsum calfaciant & roborent, quale est vnguentum naphthæ aut oleum eiusdem, vel oleum extractum arte chymica ex cinnamomo, aniso, semine angelicæ, vel oleum Mathioli, cum ambra, mosco, diambra, vel diamoscho, cum pulueribus ex cortice citri, cariophyllorum, electuarij de gemmis cum speciebus, ligni aloes, seminis angelicæ, & aliorum quæ superiùs sæpissime retulimus, maximè si desuper pulueris pomum assum vino odorifero irroratum, aut aqua naphthæ vel trifolij, limoncellæ, aut aqua vitæ. Prosunt & epithemata, quo fiunt ex aqua melissophylli, calendulæ, cardamomi, vino odorifero, cinnamomi, cariophyllorum, vel ex eisdem pulueribus oleo irino vel iasminorum excerptis, & facto linimento. Ex vsu etiam sunt inunctiones, fotus, & sacculi, qui parantur hoc modo: *Excipe cariophyllorum, rosarum, florum anthos, anà ʒ.2. corticis citri, macis, ligni aloes, santali albi & rubei, seminis ocymi, & angelicæ, anà ʒ. 1. spicæ celticæ & lauendulæ, foliorum lauri, anà ʒ.ß. pulueris diamargaritonis calidi. ℈.2. puluerizentur omnia, & cum vino aut aqua naphthæ cordi applicentur, aut ex eisdem fiat sacculus in in seruo rubro.* Alter verò ℞. *florum buglossi, citranguli, & seminis angelicæ, anà ʒ.2. corticis citri, cinnamomi, cariophyllorum, zedoariæ, doronici, anà ʒ.ß. rosarum & croci, anà ℈.1. musci & ambræ, anà gr. 5. pulueris granæ. ʒ.2. misce, & fiat sacculus.* Ex quibus etiam facto decocto in aqua naphthæ, cardiacæ, aut scorcionetæ, cum modico vino, fotus parari possunt cum filtro serico. Verùm si ex pericardij seroso humore malum oriatur, eidem subueniendum est incremento mali & accessionibus eius: nam radicitus id extirpare, difficile iudico. Verùm, si ex calore & feruore iuxta cor palpitatio fiat, ipsius regionem inunges vnguento rosaceo, aut santalino, vel oleo rosaceo, adiectis tamen quæ modicè calfaciant, velut est oleum naphthæ, vel iasminorum, cum pulueribus granæ, diamargaritonis frigidi, & parum seminis basiliconis: reliqua verò, quæ frigidioris sunt conditionis, extrinsecus fugienda esse arbitror. Plura tamen huic muneri apta reperies tom. 2. cap. de præsidijs cordi calfaciendo, aut refrigerando aptis.

Tremor verò duplicem etiam habet medendi rationem: prima quidem est, dum tantùm aut sua sponte aut ex morbosa causa labitur facultas, quòd citra membri sibi commissi vitium, nequeat ipsum, vt fas est, mouere, ita vt naturale membrum illi graue efficiatur. Quo tempore ea præsidia ei sunt adhibenda, quæ senibus & conualescentibus proficua existunt. Cæterùm, dum cor ob aliquem tumorem in maiorē molem crescit, aut aliqua occasione maiorem congregat humorum copiam, ita vt eo facultas vti liberè non possit, sed illi existat veluti onus & impedimentum; eo tempore, antequam facultatem roboremus, necessum est copiam deponere, si plenitudo sit, sanguine misso: si cacochymia, expurganti medicamento. Quòd si mordax aut venenatus aliquis halitus cor aliqua causa delectum ad tremorem lacesserit, verendū est ne maius aliquod malū succrescat, ac protinus subueniendum est, vt diximus in syncope debere fieri: si verò in solidis partibus cordis aut corporis imbibita sit extranea aliqua substantia, rem agere oportet his præsidijs intus & extra adhibitis, quæ paulò ante palpitationi conuenire diximus: nam hæc præter naturam quam habent discutiendi, firmant roborantque viscus ipsum, nisi humoris abundantia ex calidorum

sit succorum: nam eo tempore, temperatioribus epi- A themati, rem agere oportebit, vt abundè antea dictum est in curatione palpitationis: nam, quatenus ad indicationem attinet, consimilia expostulant præsidia, quæ bis in tam breui spatio repetere non licet. Habet insuper huius affectus curatio hoc peculiare, quòd si tremor sit ex communi causa ortus, vt in senibus, & conualescentibus contingit, refectoriam artis partem exoptat: verùm si ex causa sit morbo- B sa, haud secus, quàm paralysis, curationem institui desiderat. At ea tremoris natura, quæ mixta est ex tremore, & conuulsione, quam plerumque alijs morbis grauissimis succrescere scimus (vt malignis febribus, & omnibus alijs morbis quorum humores, aut halitus caput feriunt) eam curandi rationem sortitur, quam & morbum, cuius est accidens, expostulare constiterit: quippe præmissis vacuationibus curandum est lenire neruaceam substantiam, maximè iuxta dorsum, ac resoluere quod ibidem naturam lacessit, his quæ mollia sint, & modicè resoluentia: cuius naturæ est oleum de semine cucurbitæ, & sesami, amygdalarum dulcium, irinum, liliorum alborum, & in senibus, & diu patientibus hunc tremorem costinum, de flore roris marini, de lauendula: sed maximè oleum theriacæ, aut balsami, vel petrolei, quibus aliquid emollientium addes. Prosunt & balnea, maximè sulphurea in inueteratis affectionibus. Atque de neruorum tremore hæc dixisse hac in parte satis sit, quia reliqua non pertinent ad hoc caput.

Finis Libri Secundi.

DE INTERNORVM MORBORVM CVRATIONE.

LIBER TERTIVS.



Differit hic Liber Tertius affectiones omnes, quæ ventriculo, & intestinis succrescunt, & earum omnium curationem diligenter expendit.

CAPVT PRIMVM.

De cardiaca passione, seu oris ventriculi dolore.



St profectò ventriculus ratione officij, vna ex præcipuis corporis particulis, nam & toti corpori apperit alimentum, & cóficit: ac licet non sit ex tribus partibus, quas Medici appellant principes, vnam habet tamé peculiare quoddá munus, quo æquari reliquis videtur: ná & sensu pollet, ita vt nulla corporis particula exactioré obtineat, & naturali etiá potentia viget, adeò vt solus alimentú perficiat primam sui cófectione. Quippe liquat, mutat, & feculentú omne, ac excrementitiú propria actione ab optimo secernit alimento: denique sensu tactus cerebri dignitaté æmulatur, coctione facultaté iecoris, ac distributione, & separatione excrementorú reliqua mébra excellit. Expédisse tamen oportet, hæc omnia opera nó fieri in om- A nibus ipsius partibus: sed appetentia animalis cibi, & potus quæ illi soli præstita est (qua nomen etiam principis meretur) in eius ore viget, & propria munia exequitur; coctio verò elucet magis in vniuerso eius corpore; sicut excrementorum eductio in ea parte, qua intestina disseminantur; & alimenti distributio ope mesaraicarum perficitur. Quamobrem necessum est partiri vétriculum ipsum in tres potissimas regiones: nimirum in osculum, cui exactissima inest sentiendi potentia: in œsophagum, quod veluti delatorium via que est alimenti: vltimò tandem in fundum, receptaculum quidem, & officinam alimenti. Prima quidé B pars appetitui deseruit: secunda vorare, & vomere præstat: tertia confectioni alimenti est dicata. Quamobrem affectiones huius membri in tres potissimú partiri oportebit: in eas quidem quæ ei accidunt vt parti sentienti, & ob id appetitui destinatæ: & in eas quæ officio œsophagi aliquando succrescunt: tandem vltimò in eas quibus frequentiùs corpus ipsius ventriculi afficitur: initio tamen sumpto ab his, quæ ventriculi ori, non sine periculo, succrescere conspicimus.

Accidunt quidem ori ventriculi duo morborum genera: primú quidem quatenus particula est sensus

particeps: secundum quatenus appetendi præstat munus. Sic profectò dum sensus particeps est, insigne quoddam patitur symptoma, nimirum dolorem: nã propria passio est sensus tactus: cuius tãtùm toto hoc capite meminisse institui. Est itaque cardialgia Græcè id, quod Latinè cordis dolor: nam apud Medicos veteres os ventriculi cor nominabatur, ad differentiã alterius visceris in medio thoracis siti, speciali nomine cor etiam appellati. A quo sumpsit antiquitas occasionem vsurpandi speciale nomen, tribuendique ori ventriculi, ob grauissima symptomata, quæ ex huius visceris affectionibus suboriri solent, simillima his quæ vero cordi accidunt. Quæ omnia illi euenisse cõstat ob exactissimam sentiendi potentiam, per sextã neruorum coniugationem illi à cerebro præstitam, qua sensu pollet. Quam huic visceri præstitisse naturã constat non dignitatis gratia solum; quippe alia sunt ipso digniora; sed quia famis erat futurum instrumẽtum: nam vt ex naturali suctione molestiam, dolorẽ, & famem persentiret, oportebat exactissimo pollere sensu, alioqui id erat impossibile. Quo fit vt cardialgia à fame hac ratione dissideat (licet vterq; affectus sit in ore ventriculi, & ob eius exactum sensum) quia cardialgia fit à causis omnino præter naturam, & cũ sensus illius partis sit exactissimus, grauissimi succrescunt dolores; fames vero à suctu, qui causa est naturalis, & ob id non acerbissimus dolor, sed molestia fit, quæ fames dicitur, & alimento sedatur. Præterea efficitur in hac parte acerbissimus dolor, & mille periculis expositus, ob consortium, & colligantiam quã obtinere comperimus cum præcipuis membris: nam præterquam quòd cordi non parum accedit, arterias ab eo recipit, per quas mox in quouis affectu ipsum in consensum trahit, ac syncopen accersit: cerebrũ quidem, per insignes has neruorum propagines, & epilepsiam, aut animi deliquium, & vertiginem: iecur per venas, ac æruginosos accersit vomitus: splen per venam aliam, à multis coronalem appellatã: ita vt hac parte patiente necessum sit prædictas compati: & ob id meritò dictum est à Philosophis cor, ad pensum salrem affectionum eius. Appellatur enim prædicta affectio cardialgia ob dictam rationem: cum hoc tamen tria hæc accidentia, nomine, & natura illi simillima, apud Medicos (præsertim Græcos) reperiuntur: cardialgia nimirum, cardiogmos, & cardiace, quæ licet idem sonare videantur, & quodammodo assimilari inter se, longè tamen differunt, quibus profectò perperam vtuntur Medici, confundentes, & nomina, & res ipsas. Quippe cardialgia, nullo renuente, oris ventriculi dolorem significat, quem affectum multi cardiogmos appellant: tamen Galen. quarta sect. aphor. 5. cardiogmon significare tantùm veri cordis motũ palpitationi similem, palam ostendit, & text. 17. cardialgiam cordis (hoc est oris ventriculi) morsum: ex quo loco constat cardialgiam, & cardiogmon differre nomine, affectu, & particula affecta. At cardiaca, non dolorem oris ventriculi, sed languorem, resolutionem, & summam totius corporis impotentiam ex oris ventriculi vitio: itaque constat differre nomine, & re: nam aliud est os ventriculi dolere, & lõgè aliud exolui. Verùm licet inter neotericos non desint qui hæc etiam omnia animaduertant, nequeunt tamen constituere differentiam, quæ est inter exolui, & dolere: namque os ventriculi nulla alia ratione pati põt, quàm ea, quòd sensu tactus participet, ob idque dolere necessum est, & molestari, quia alio modo pati nõ potest nisi medio dolore: qua ratione necessum est differentiam constituere inter dolorem, & exolutionem. Est namque dolor passio ex soluta vnitate prodiens, in qua partes, quæ separantur, manent; & hac sola ratione, cardialgiam constituit, vt 2. metho. & 2. de Hippoc. & Plat. placit. apertè colligitur: quo fit vt iure optimo dictum sit à Galen. 5. de vsu part. cardial-

A giam esse mordicationem oris ventriculi. At verò angor, seu exolutio est dissipatio solidæ substantiæ oris ventriculi citra vllum doloris sensum: quia fit ab intemperamento sensim, & paulatim dissipante, ac discutiente substantiam, quæ separatur: quippe non manent separatæ partes, vt in cardialgia. Præterea in cardialgia fit passio subitò, & affatim, quod non paruam affert affectus differentiam, etiamsi ab vna causa proficisci possint. Ex qua affectus differentia prodit, cardiacam semper habere comitem febrem: cuius ratione, & ex materiæ venenositate, aut acrimonia, proficiscitur prædicta illius partis resolutio, & partium etiam, quæ illi propiores existunt: quam affectionem sæpè sequitur sudor diaphoreticus, in quem abit soli-
B da corporis, & illius partis substantia: quem affectum sic exprimunt Alexander cap. 11. lib. 7. & Celsus lib. 3. cap. 19. At hæc accidentia in cardialgia subesse nõ est necessum: caret enim febre plerumque, caret etiã sudore diaphoretico, nisi in fine mali. Quinimò sanis hominibus ob diutinam famem, mœrorem, & alias animi affectiones, vbi plurimum laborantes sese defatigant, non rarò succrescere scimus. Quibus constat, quatenus inter se differant: siquidem alter ex dolore prodit, alter verò ex dissipatione solidæ substantiæ, in qua calor naturalis subijcitur: itaque aliud est affectum esse cardiacum, aliud verò cardialgiacum: hic sanè noxa est functionis sensoriæ facultatis oris ventriculi: cardiacus verò affectus solùm est grandis
C exolutio eiusdem partis, & aliarum.

Causæ verò quæ prædictos affectus excitant, licet aliquo modo similes videantur, eas tamen inter se differre, & certo etiam numero contineri constat: nam cum ex dolore oris ventriculi cardialgia suboriatur, certum est illi causam præstare continui diuisionem, quæ vel à re prodit distendente, vt à flatu, vel soluente ipsum, vt ab acri, & mordaci humore, vel à phlegmonosa affectione, quam biliosus, calidus, & æstuosus humor plerumque molitur: qui licet tumorem præter naturam non efficiat, soluit tamen partiũ continuitatem. Itaque cardialgiam efficit humor acris, erodens, & mordax, aut venenosus, qui deueniẽs ad os ventriculi, solutionem continui molitur, siue bi- *Causæ.*
D liosus, siue adustus, pituitosus, salsus, aut acidus sit, & qui vehementer impactus adhærescendo mordeat, aut ex maligno halitu, siue distendente, siue morsum inferente. Prodit etiam ex corruptis edulijs, ex intempestiuo frigidæ potu, maximè si mox ab exercitio fiat, & ventriculus propria natura excarnis existat. Idem malum non rarò excitatur à purganti medicamento, maximè si ex vehementioribus sit, sin aliter ab attracto ad ipsum os ventris acri, & erodenti humore, præcipuè vbi per vomitum purgare nitimur, aut natura errans illuc humores trudit. Quòd si diu perstiterit dolor, aut reuertatur postquam remiserit, causa profectò est, quòd materia difficulter eradicatur, vel intemperamentum aliquod vitiosum ibidem
E relictum fuit, à quo iterum aggregatur similis humor, vel vtrumque simul: maximè, quia ex dolore nonnihil ad partem perpetuò allicitur, præsertim ex iecore: cuius occasione bilis retorrida in ventrem regeritur, quæ mordicationem inferendo id malum efficit. Id etiam fabrefacit animi affectus, retroeuntibus subitò prauis humoribus, & spiritibus: idem etiam fames immodica, corpore existente bilioso, quæ cogat humores acres, & biliosos in os ventriculi confluere. Cardiacum affectum excitat humor calidus, & exurens, sicut & venenosus, aut venenum quoduis, vel lumbrici ipsi, vbi ex halitu ipsorum partis substantia dissipatur: nec non id efficiunt animi passiones, non quatenus intro reuocant humores, sed quatenus spiritus dissipant, & os vẽtriculi ea ratione dissoluũt. Quibus sanè causis dissipata solida substantia, & calore etiam innato, frequenter prædictus subsequitur

affectus: quo fit, vt cardiacus affectus febribus malignis, æstuosis, aut pestilentibus non rarò succrescat.

Signa ex causæ diuersitate prouidentia.

Sunt tamen aliæ causæ, quibus vice signorum vtimur, quia aliquid efficiunt peculiare in hoc symptomate, & etiam in eo aliquid peculiarius ostendunt: huius naturæ est per interualla repetere, & à cibo vel potu excitari aut ledari. Primum quidem vno è duobus modis certum est posse succrescere, nimirum causa externa & euidenti denuo accedente, aut causa interna: nam ingenti dolore quandoque premuntur sic affecti à cibo, nunnunquam citra ipsum, aut forsan à dolore liberantur cibo aut potu accepto. Primum quidem contingit, quia biliosi, crudi, & mordaces humores ventris tunicinis adhærescentes, cibo ingesto mouentur, agitantur & denuo incalescunt ad cibi coctionem: quo fit, vt eo tempore ipsis commotis vehementiùs dolor affligat, quàm interim dum quieti erant. Aliquando enim extra cibum, aut causam aliam extrinsecus occursantem, prope meridiem dolor grauior efficitur, aut denuo recrudescit, quod iecore in ventriculum reiectante, aut ventre à reliquis partibus trahente, facilè fieri conijcimus: sicut dum calor aliquis putredinosus aut vstiuus cibo communicatur. Sedatur quidem dolor cibo ingesto, vel quia humor est melancholicus, vt Auicen. refert, vel quia ex cibi ipsius admixtione minus mordax & acris euadit peccans humor, & ob id minorem dolorem infert. Sunt item alia signa causam mali monstrantia, quæ maioris solent esse momenti ad tutam & certam curationem moliendam: sic enim causæ quæ distendunt vt flatus, facilè distinguentur ex tensione in parte affecta, & toto ventre percepta: ex crepitu & flatu cum conferentia excreto: ex difficili respiratione, ex dolore aliquando vsque ad respirationis instrumenta extenso: nec non ex eo quòd subitò soluatur ac redeat per inordinata interualla: quòd si dolor aliunde per interualla fluens mali causa sit, dum dolor cessat humore non fluente, non omnino, nec subitò cessat, vt in flatu. Mordacem & acrem ac erodentem humorem cognosces ex sensus acrimonia & mordacitate percepta, ex siti, oris amarore, ructu nidoroso vel adusto: inquit enim Auicen. *Mordicatio cum inflammatione est signum materiæ calidæ propter qualitatem acutam, aut salsam*: quod etiam ostendit, dum malum vltra pergit, maxima exolutio cum diaphoretico sudore, & iam prope finem cum syncoptico. Fieri verò dolorem à causa frigida, crassa, & nimis adhærescente ostendit frigiditas, necnon & grauitas in ventriculo percepta, sitis carentia, oris insuauitas ad amarorem vergens, licèt frequentiùs salsuginosus compareat sapor. Erit insuper mordicatio sine inflammatione aut æstu, cum vomitu pituitoso, aut acido, & melancholico: aderit insuper dolor intensior (sed non adeò vrgens vt præcedentium causarum) cum extremorum frigiditate, vt Hippocrat. visum est 7. aphorismorum. Phlegmonosam autem ventriculi cognosces affectionem, ex febre continua, maxillarum rubore, anxietate & siti implacabili, sed maximè quia, crescente febre, dolorem quoque crescere comperimus, quod in alijs causis minimè accidit, eò quòd in hac causa febris doloris est accidens, in alijs verò febris præsidium existit, quia causam illidit. Signa verò quibus huiusmodi affectus cognoscuntur, sunt dolor partis supra dictę, vomitus biliosus aut æruginosus, ingens nausea, cibi fastidium, pulsus paruitas, frequentia & debilitas. In cardiaco verò affectu præterquam quòd febris adest, reperitur etiam sudor mucilaginosus in partibus circa thoracem, ceruicem ac frontem: & extremarũ partiũ adest frigiditas: itẽ angor, iactatio, inquietudo, & decubitus pronus.

Erit igitur curandi ratio in cardialgico affectu (in quo nusquã est tuta salus, neq; cuiuis alleuiationi credere opus est: nã sæpe inopinato & subito casu mortẽ solet accersire) duplex: altera quæ sensus acrimoniam minuet, si affectio adeò sit vrgens, quòd nõ præstet occasionem differendi in posterũ, neq; adhibendi mitigatoria auxilia: altera rursus, quæ causæ malũ efficiẽtẽ prouideat. Hebetatur quidem sensus his auxilijs, quæ mucilaginosa sunt, & quæ pinguem aut emplasticam virtutem obtinent, vt oleum dulcissimum epotum, quod Gal. docuerat lib. 2. simpl. c. 13. sic: mucilagines, amylum, lac, & huius census pleraq; acuitatem retundunt, sicuti dum malum plurimum vrget, narcotica medicamenta seu stupefacientia appellata; cuius census est syrupus de portulaca, de papauere, philon. Roman. nam hæc sunt quibus tutò in hoc affectu vti possumus. Sic enim vrgente affectu (qui non patitur diutiùs auxiliũ differre, neq; aduersus causã pugnare) primò somnũ conciliabis, vt qui mirum in modũ dolorẽ sedare habeat, & calorẽ reuocare, ac spiritus reficere, dum modo calore & spiritu non admodum orbatus sit laborans, et viribus imbecillibus existat, quòd vim horũ medicamentorũ, quæ nimis frigida sunt, deuincere nõ possit; quo tempore leuioribus somniferis vteris, hisq; potiùs extrinsecùs applicitis, nisi ex humorũ acrimonia & incendio malum oriatur; tunc enim vt Gal. consulit, intus sumpta præsidio sunt symptomati & causis. Primò itaq; curabis per frontis & narũ illitionem somnum conciliare; quòd si hęc non prosint, porriges papaueris syrupum, aut *Philonij Romani. ℥. ß. cum modi. o syrupo ex portulaca, aut ex borragine*, dũmodò priùs reliquis facilioribus vsus fueris.

Secunda curaodi ratio circa causã ipsam versatur, quam cum protinus extrahere (quod esset tutius) propter doloris vehementiã non datur, frænare & compescere primò oportet; quod fit duobus præsidiorũ generibus, quorum aliud id efficit manifesta quadã qualitate pugnante aduersus humoris peccantis aut cuiuslibet alterius causæ qualitatem vel copiam, quibus dolorem aut exolutionem molitur, qui si calidus fuerit, frigidis cõpescitur, sin acris aut mordax, lenientibus; qualis est aqua calida, decoctũ aut expressior quatuor seminum frigidorum, aut succus violarum & portulacæ, vel aqua stillatina ex portulaca aut ex folijs violæ. Præstat id etiam amylum cum lacte amygdalarũ; sicut dũ feruens humor est, aquæ frigidę potus aut mali punici acidi succus cum saccharo ingestus. Si tamẽ frigidus sit humor, flatuosaue aut nebulosa substãtia, ex potu meracioris vini vel aquæ vitæ, aut stillatitię ex cinnamomo præsidium fiet; item ex aqua feruentissima, vel decocto chamæmeli, anisi, fęniculi, roris marini, corticũ citri, naphthæ aut limoncellæ. Quòd si ex salsa pituita à cerebro delabente malum oriatur, tunc quidem eisdem vteris, quæ leniẽdi & cõpescendi acrimoniam vires habeant, verum non vtcũq; & temere sunt adhibẽda; quippe in hac causa, mox ab exhibito cibo præsidia sunt adhibenda, sicut in frigidæ & acidæ pituitæ imbibitione in ipso ventriculi ore; at in reliquis quę vel à iecore in ventris os regurgitãt, aut ibidem generantur, ventriculo ieiuno adhiberi debent. Sedat tamen phlegmonosam ventriculi affectionem aquæ frigidæ, vel cucurbitæ, aut ptisanæ, vel aquæ ipsius hordei vel cichorij cũ saccharo potus exhibitus.

Mitigato his auxilijs dolore, curatio ea lege instituẽda est, qua causas diuisimus in flatuosam, acrẽ et mordacem, frigidam, & phlegmonosum, quibus aliquando accedit venenosus halitus aut humor, cuius non parua habenda est prouidentia. Sic dum flatus vigẽt, non tamen in doloris vehementia, sed post aliquam remissionem, ventriculo fomenta adhibebis (si flatus crassæ materiæ sit exors) tum sicca ex milio, sale, furfure, chamæmelo & similibus: tum verò ex decocto chamemæli, melilon, anethi, absynthij, cum vino, aut oleo dulci, vel aqua ex oleo anethino & absyothite. Quo facto, & clysmate etiam ex discutientium genere iniecto, cucurbitam parti dolenti affiges, ex

cuius

cuius vsu Galen. maximum pollicetur auxiliū: quod etiam frequens experimentum confirmauit, dum crudi, aut pituitosi parum, vel nihil in ventriculo insit, alioqui maioris solet esse doloris causa: tunc enim priùs vti oportebit his quæ pituitam educant, & residuum extenuent, ac digerant, & coctioni paratius reddant. Quòd si purgationi per pharmacum vrgentia mali locum non præstiterit, clystere ex rutaceo, & hiera simplici, vel logodij, cum prædicto decocto, vel addita diaphœniconis semiuncia, ventrem à crudis succis liberabis, vt posteà modicè sedato dolore, in prædicta causa picra vtaris, agarico, pilulis masthichinis, vel his quæ ex aloe, agarico, & rhabarbaro conficiuntur: quem vsum etiam præstat terebinthina, maximè si eam dissolueris oleo amygdalarum dulcium, & priùs eam laueris decocto aliquo aromatico, quo & gratior fiat, & præter abstersionem, flatus quoque resoluendi vires nanciscatur. Præstat & theriacæ veteris vsus, & ius galli cum anetho, & sale decoctum: item diacyminon, vel diamison cum vino, vel decocto absynthij, vel corticis citri. Iuuat non minùs decoctum spicæ cum vino ventri apponere, vel cataplasma aliquod, quod vires habeat discutiendi, & roborandi calorem: huius pretij est oleum de aniso, vel de theriaca. Quòd si probè laborans se gesserit, corpus fricare oportebit, ac modicè exerceri: à quo ventri panem recenter coctum vino irroratum, ac respersum cinnamomo, & cariophyllis, apponere erit necessum.

Purgandi ratio.

Quòd si ex acida pituita crudisve succis ventris ori impactis (non in cauitate existentibus, vt nuper diximus) affectio suboriatur, priùs quàm purgatione vtaris, consilium est bis terve vomere, ac posteà hiera, & agarico, aut terebinthina per epicrasim purgare, & reliquias conterere, vt paulò anteà dictum est theriaca, stillatitia aqua ex cinnamomo, vel theriaca, & corticibus citri, aromatico rosaceo, & similibus, & prædicto oleo ex aniso ventris regionem inungere, quod incredibilis est efficaciæ.

Verùm si ex delabente à capite falso humore fiat, non protinus est ad pilulas, quæ à capite purgant, confugiendum: vereri enim oportet, ne euocato nouo efluxu, maior & periculosior conciteretur dolor. Quo casu per ea quæ per os caput purgant, prædictum humorem detrahes, & euacuabis, ac postmodum frænata humoris acrimonia, & maiori parte deposita, ad vsum pilularum te conferes, dum paulatinam instituas purgationem, non confertam, aut copiosam, ob adductam rationem.

Quòd si calidus sit humor acris, & mordax, primò inclementiam ipsius compescere, & mitigare studebis, tum his quæ lenia esse retulimus, tum verò alimētis, & alijs quæ paulò inferiùs referam. Posteà verò vētriculum purgabis, tempore maioris remissionis, rhabarbari infuso ex aqua portulacæ, aut sero, vel aqua hordei: item manna sero liquata, vel pilulis ex aloe lota, aut syrupo ex infusionibus violarum. Quo facto, & ventriculo extrinsecus præmunito oleo omphacino, aut rosaceo, cum pulueribus coralli, margaritarū, & rosarum, ad secundam indicationem te conferes, quæ admixtis alimentis optimæ substantiæ, & nutrimenti, id docet exequi: nihil enim citiùs venenosam, & aduersam compescit qualitatem, quam admistio optimæ substantiæ: vel si mauis, vtere his quæ alexipharmacam habent virtutem, cuius census est lapis bezoar, electuarium de hyacintho, de gemmis, & alKermes, quæ humoris malitiam frænent, & simul viribus prouideant.

Verùm, quia aliquando iecur in doloribus, quæ à bilioso prodeunt humore, & caput in pituitosorum redundantia, & splen, cùm atra bilis causam malo præstat, culpam obtinere assolent, horum quoq; prouidentia habenda est: nam corroborare eorū quodlibet oportet, ac redundantiam alio transferre cucurbi-A tis scapulis, & brachijs affixis, ligaturis, & frictionibus: tandem eis vteris, quæ capite de catarrho copiosè adduximus. Iecore etenim affecto regurgitanteque bilem in os ventris, non est plurimum cunctandum (si vires admodum deiectæ non sint) sanguinem, saltem ex saluatella dextræ manus, mittere: quinimò sæpè solet esse præsentaneum auxilium, maximè si icteri aliqua sit suspicio. Posteà verò vtendum est frequēter infuso rhabarbari, quo id quod bilis quotidie gignitur, antequam in ventriculum irruat, expurges: itē rosaceo, aut refrigerante, & santalino vnguento iecoris regionem inunges, & curabis lacte seminum frigidorum extracto aqua cichorij, vrinas mouere, & iecur ipsum attemperare. Splenem etiam purgabis con-B fectione Hamech simplici, superbibito sero lactis, aut infuso foliorum senæ, & epithymi ex eodem sero facto, vel prunis damascenis cum decocto senæ, & saccharo conditis: tandem vnumquodque membrū roborabis iuxta eius indigentiam. Quòd si in ventriculo ob imbecillitatem contractam ex præstantia cū iusuis prædictarum causarum, cruditates copiosiùs generentur, quibus dolores frequenter exacerbantur, tunc profectò, præter purgationem, & vomitum tertio quoque die factum, proficuus erit potus aquarum sulfurearum, aut nitrosarum: extenuant quidem hæ omnes, siccant, & fundunt humores, ac flatus etiam dissipant.

Cæterùm in apostemosa oris ventriculi affectio-C ne, cui plerumque febris adiuncta est, sedare dolorem oportebit potu aquæ, vel decocto maluarum, & hordei, aut ipso hordei cremore: item inunctionibus oris ventriculi ex oleo rosaceo, aut mucagine psyllij, & oleo omphacino cum rosaceo, adiecto modico papaueris, si doloris vrgentia postulauerit. Quo facto dolore vtcunque sedato, verendum non est modicum sanguinis extrahere, aut, si vires id non patiantur, cucurbitas brachijs scarificatas applicare, cauens ne vllum expurgantis pharmaci genus adhibeas, sed lenientibus, & temperatis, ac paulò frigidioribus vti esto contentus.

Quòd si ex venenosa aliqua substantia, siue intus D genita, siue extrinsecus præstita, malum oriri comperias, alexipharmacis, & alimentis; ac potibus tem primo accessu agere oportebit: postmodum verò admixta, retusa, frænataque venenosa substantia, purgare eam aggredieris, quod anteà dum effræne venenum vagatur, agere vetitum est in optima medendi ratione.

Necessum prætereà est, in quauis causa, & quouis modò vires dissipentur, ipsas reficere, & tueri mox primo mali accessu, si velimus occasionem non amittere ad auxilia administranda. Quod facies vno è duobus modis: primò his quæ dissipationem innati calidi, & solidæ substantiæ impediunt: quæ sunt in duplici differentia: nam quædam cutim densant, meatusque coarctant, ne facilè corporis substantia E euanescat: sunt autem hæc adstringentia medicamēta, veluti oleum omphacinum, myrtinum, & citoniorum, quibus obturatis meatibus, facilè inhibemus corporis dispendium: secunda verò docet extremas partes calfacere euocareque incendium illud ad easdem. Secundus verò completur alimentis, & odoramentis tenuis substantiæ, & optimi nutrimenti, quibus quod quotidiana dissipatione perit, reficiatur. Exteriùs tamen ventriculum fouere oportet, in mali principio ante vacuationem causæ, temperatis, vt antea dictum est; materia tamen facta minore, prædictis oleis modicè adstringentibus, additis pulueribus ex corallo, rosis, & diarrhodone: prodest & mica panis tosti imbuta succo mali punici acidi, agresta, aut vino. Quòd si æstuosa, acris, ac mordax, & biliosa fuerit causa, dubiū non est conuenire eis omnibus, & reliquis emplastris maluam decoctam, & pistatā cū bu-

cyro recenti: item emplastrum ex mucilaginibus cum eiusdem maluis, farina hordei, & rosis, quorum syluam reperies tom. 2. cap. de attemperantibus præsidijs, tit. de ventriculo calido. Pari lege emplastrum quod conficitur ex crusta, aut mica panis, & id quod fit ex malo cydonio vino nigro madefacto pistatoque cum prædictis pulueribus: ad quorum pensum, habito respectu ad dolorem, vel ad causam, vel gratia virium seruandarum, varia effingere poteris topica auxilia ventriculo proficua, quorum copiam maiorem reperies tomo 2. cap. de præsidijs ventriculo calfaciendo, aut refrigerando idoneis.

CAPVT II.

De canina appetentia, & de bulimo.

SI quis diligenter examinet famis, seu cibi appetitus naturam, & differentias, reperiet procul dubio quinque esse in vniuersum genera eius: primum quidem, cùm homo consueta hora famescit, cibumque ingerere appetit: secundum, cùm vltra statutum tempus ingerendi cibum fame corripitur, quas iure optimo fames naturales appellabis, aut appetitum potiùs, non famem, quia in prima alimento orbatur ventriculus quod illis horis consuetis ipsum habeat in chylum vertere: in secunda quidem chylo orbatur. Tertium est, cùm non solùm chylosa substantia ventriculus orbatur, sed etiam propria humiditate: in quas omnes famis sortes corpora athletarum incidere solent: in quibus omnibus etiam venter corrugationem patiens molestatur, in cuius subsidium appetitus excitatur. Quartum quidem famis genus est, dum corpus inanitur, & ob veram indigentiam in famem incidit, non quidem ex consuetudine, vt in primo famis modo, neque ob dissipationem chyli, vt in secundo, neque ob defectum substantiæ ventris, vt in tertio, sed quia (vt dictum est) membra commodo alimento orbantur. Quam sanè famis sortem multi cum Galeno naturalem appellarunt, nos verò non naturalem esse censemus, cùm semper à causis non naturalibus proficiscatur, licet naturali ordine, & modo actionis fiat, quo potiùs censeo naturalem fuisse appellatam, quàm quòd re vera talis existat: quippe ab inanitione, & molestia prodit. Quòd si aliquando naturalem appellare libuerit, scio id posse fieri, quia non intendit natura dolorem illum, & molestiam, tanquam finem, sed tanquam medium prohibens grauius malum, puta marcorem: nam ea ratione sensu os ventriculi muniuit prædicta potentia, qua præcaueret à consumptione ob defectum alimenti animal, cùm hoc tamen prædictum famis genus sumpta ratione à causa, non naturale censeri debet. Vltimò tandem famescunt homines, dum à causa præter naturam fames excitatur, quæ caninus appetitus, aut fames vaccina dicitur, quorum duorum hac in parte solùm meminisse studeo.

Vterque hic affectus ad animalem appetitum oris ventriculi hac occasione excitatum, citra dubitationem pertinet. Dictum est præcedenti capite os ventriculi sensu tactus maximè pollere: quod haud temerè fecisse naturam est coniectandum: ratio tamen facti est, vt in ea parte appetitus quidam excitaretur ex cibi indigentia in famis subsidium. Cuius gratia expendisse oportet, famem quam non naturalem appellamus, præcedere quinque motus: quorum primus est membrorum inanitio, cui mox sequitur naturalis quædam appetentia, (licet solito maior) ad refectionem deperditi: tertius est tractio minorum vasorum à maioribus, & maiorum à iecore, & ventriculo: quartus est quædam sensatio, quæ ex suctione soluente, & dilacerante os ventriculi suboritur, dolo-**A**ri quidem persimili: quintus verò & vltimus est appetitus quidam ad prosequutionem cibi, in subsidium tristis illius sensationis. Quorum sanè motuum primus homini inest, quatenus calido constat, quo calore necessum est dissipari: secundus verò & tertius illi insunt, quatenus vegetatiua plantarum facultate fruitur, plantis enim appetitus inest trahendi naturalis: Quartus verò, & quintus, quatenus sensitiuus est, ex sensu quidem molestiam, & ex molestia appetitum præsidij obtinet, non quidem naturalem, sed animalem, longè diuersum à primo: quia appetitus naturalis ventriculi ad alimentum, non est aliud quàm tractus alimenti, & perpetuò operatur præsente obiecto: appetitus verò animalis fertur quoque in **B** cibum dum famescit homo, sed multò magis absentem quàm præsentem, & non perpetuò adest, sed deficiente tantùm in ventriculo alimento, si naturalis futura est fames: nam dum fit ex suctu ab inanitione, aut à re præter naturam in ventriculo existente, non est absolutè, & propriè naturalis: licet non desint qui statuant, quòd licet nulla sit membrorum inanitio, nihilominus tamen subsequutura est tractio: nam cùm membra sint agentia naturalia, semper debent esse in actu secundo, & eo magis, quo præsentius fuerit obiectum, hoc est alimentum: nam arbitrantur has potentias adhuc acquisito fine non cessare. Quibus omnibus dicendum est, id verum esse de sola concoctrice, seu nutritoria fa-**C**cultate, non de reliquis, quæ ex indigentia, & appetitu solùm operantur. Namque appetitus naturalis solùm in opus dirigitur in absentia alimenti vt trahat, aut in præsentia excrementi vt expellat. Quo fit, vt necessum sit alternatim operari, & pro indigentia: quippe neque semper adest alimentum, nec superest excrementum, & ob id non semper coguntur operari: quo fit, vt athletæ non possint incidere in famem à Galen. naturalem, & à nobis non naturalem appellatam, sed eam solùm, quæ deficiente in ventriculo alimento succrescit, quam nos naturalem nuncupamus.

His habitis statuendum est, os ventriculi esse præcipuum huius actionis organum, quia licet in reli-**D**quis membris fiat etiam indigentia præsitque sensus, cum hoc tamen non est in eis suctus, quia facilè cedunt venæ, & eis iecur, atque ei ventriculus: sed is à venis necessariò patitur, & ob id in ea solùm parte sita est famis ratio. Cæterùm ad prædictam cibi appetentiam moueri (exceptis tribus primis eius speciebus) dum præter naturam futura est, animal non potest, nisi accedente causa aliqua, quæ circa motus illos quinque (quos præcedere famem non naturalem diximus) inducere famem habeat. Huius naturæ sunt quædam causæ præter naturam, quas mox recensebo, si prius dixero cibi, aut potus appetitum longè differre à fame, licet ab Aristot. & plerisque fames per appetitum definiatur: nam fames, iudicio nostro, **E** in tristi illa sensatione, quæ quartum motum constituit, sita est: siquidem hac lege eam definierat Galen. libro 1. symptom. dicens: *Fames tristis quidam sensus est; appetitus verò in subsidium est famis ipsius.* Quo fit, vt salsamenta illa, & acetaria, quæ cibum fastidientibus porrigimus, appetitum, non famem excitare habeant: famem enim eo tempore patiuntur laborantes, licet non appetant, aut famescant, quia non sentiunt: ars verò nititur sensum tristem inferre, vt inde appetere gliscant.

Cæterum solet hæc fames, & huiusmodi appetitus, cùm naturæ modum excedit, ob causæ vehementiam, eò crescere, & deuenire, vt præter naturam multis modis fiant: fit autem id aut diminuta facta appetendi potentia, aut deprauata: deprauatur quidem vbi modum excedit, vt in canina fame, & bulimo, aut dum res appetit laborans ab omni alimonia,

&

& communi hominum natura alienas, vt in picaceo appetitu.

Est itaque canina appetentia (simul & bulimos) deprauatus cibi appetitus, in intensione, seu magnitudine peccans, prodiens quidem ex oris ventriculi vitio. Quæ sanè duo nomina ingentem famem, & omnino præter naturam significant, licet bulimos à varijs authoribus diuerso modo vsurpetur. Gaza quidem bulimon caninam appetentiam vertit: Aristot. in problemans famem à frigore, intro pulso calore, vertit: Aphrodisæus confundit cum pica. Communiùs tamen vsurpatur, vt Galen. docet 2. aphorismorum 21. pro defectu animi ex inopia alimenti in partibus corporis: quæ sanè penuria fit, quoniam corpus non assumpsit, quia non appetebat, emortua à frigido facultate. Sic enim 1. de symptom. caus. inquit Galen. *bulimos est, cùm penuria, & frigiditate, ac imbecillitate laborat corpus*: ex frigiditate inquam ventris, penuria verò & imbecillitate totius, vt optimè exponit Aetius: quo fit vt facilè in deliquium animi incidant sic affecti, ob resolutionem, & frigiditatem cordi communicatam. In quo sanè symptomate initio multa appetunt laborantes, cùm nondum naturæ modum refrigeratio excessit: nam tunc robur ventriculi dissoluitur, & leuissima appetentia sequitur, & (vt multi statuunt) cibi fastidium, etiamsi corpus multis indigeat. Ex quo proculdubio suboriuntur ventris imbecillitas, & animi deliquia, quæ paucissimo ciborum subsidio cessant: & ob id corpus inanitur ob diminutam appetentiam, & ea ratione diminutum subsidium, quod sanè leuissimum est, quia paucis ingestis cessat deliquium, & sic semper est in perpetua esuritione. Quapropter necessum est frequenter incidere in deliquium, quantumuis citò reficiatur, quia licet spiritus restaurentur, inanitum superest corpus, & illis succrescit virium exolutio, color fœdus, torsio stomachi, cordis, & extremarum partium frigus, & pulsus obscurus. Ex quibus constat, bulimon esse casum appetentiæ à frigiditate exteriori, cum indigentia totius corporis, & imbecillitate stomachi, qui refrigeratus, & resiccatus extitit: & ob id debiliter appetit, ita vt non sufficiat quod resolutum est reficere, quo cogitur semper appetere accedente etiam ventriculi frigiditate, quæ appetitum etiam licet non intendit, protrahit tamen, & cum hoc rarò sentiunt famē, quia ferè semper sunt in perpetuo deliquio. His non obstantibus, Trallianus, & Auicen. ex calore etiam fieri fatentur: quos arbitror fefellisse, hunc affectum aliquando febribus succrescere. Sed verior est Galeni sententia, quantumuis Arnal. & Aristot. 8. proble. 7. statuant ex calore oris ventriculi ad animi deliquiū ducente nasci: nam in febribus, vel nimia adest caloris dissipatio, quæ corpus inanit cogitque appetere, ob spirituum dispendium, tamen id leui subsidio, vt dictum est, reficitur; vel succrescit in prædictis febribus ob ingentem acidorum copiam. Finitimus huic affectui est canina appetentia, quia neuter ex inopia alimenti immediatè prodit, sed ab ore ventriculi affecto, puncto, ac lacerato à causa præter naturam, vel summè languido.

Distinguuntur inter se hæc duo accidentia, natura, causa, & modo: natura, quia canina fit ab oris ventriculi punctione, & mordicatione, idque aliquando ab acidis, & frigidis succis; bulimos ab ingente frigiditate, non mordente, sed imbecillitante, ac deijciente ipsius vires, ferè vt in syncope, aut deliquio animi contingit: item canina appetentia à causa interna, bulimos ab externo frigore, quatenus ad vitium ventris attinet: præterea illa degenerat in vomitum, & maciem (quo fit vt meritò dixerit Galen. caninam famem in bulimon degenerare aliquando) licet nonnūquam à macie proficiscatur: bulimos incipit à frigore, penuria, & à macie, ac degenerat in animi deliquium, quia licet continua videatur fames, dum animi deliquium succrescit, ampliùs non sentitur fames in ore ventriculi, sed indigentia in vniuerso corpore superest, qua occasione huiusmodi affectus per famē definitur, licet cibos aliquando fastidiant, vel non ampliùs, aut debiliter appetant qui sic affecti sunt, vt placuit Galen. comment. illius sententiæ 21. aphoris. 2. Canina verò fames contrario modo ingens appetitus existit, maniens, & insatiabilis, quia mox à saturitate euomitur cibus, & superstite eadem appetentia, amplius denuò ingeritur: nam, cum causa, quæ pungendo excitat, fixa ventriculo adhæreat, imbecilliores reddit vires, ita vt copiam alimenti sustinere nequeant, quo fit vt necessariò sequatur vomitus: nam perseuerante affectu tanta imbecillitas succrescit, vt nihil amplius ventriculus contineat, sed alui profluuium, cœliacæ affectiones, & hydropes protinus subsequantur, nullo accedente animi deliquio, vt in bulimo, quo constat, non solùm causa, sed quoque symptomate, ab eo differre.

Causæ. Causarum verò in his affectionibus, & omni fame non paruam comperimus differentiam: plures enim sunt, quæ præter naturalem famem excitare natæ existunt. Nam primò adest corporis inanitio, quā fieri mille causis est arbitrandum: quippe vel ab impensa, & extrinseca fit caliditate, qualis balneorum est, & qualem concitat exercitium, maximè tempore æstiuo: sic victus, vel parsimonia, vel diutina famis tolerantia, superflua quoque vigilia, & nimius veneris vsus: item retentricis facultatis vitium, seu impotentia, corporis raritas, & occulta perspiratio, aut vacuatio aliqua insignis vtcumque fiat, vermes, maximè grandiores, detergentium pharmacorum imprudens & excedens vsus, febres colliquantes, & denique quiuis calor dissipare natus: non quidem ventriculi, vt arbitratus est Auicen. nam hic potiùs deijcit appetitum. Quibus sanè omnibus facilè inanitum corpus in caninum procidit appetitum, spurium tamē: nam legitima fames canina iure optimo haberi nō debet, quousque ventris os simul afficiatur, vel frigido aliquo intemperamento, quo factus imbecillior (non tamen stupefactus, vt semper appetitus crescat, & à bulimo dissideat) alimentum ingestum, nec continere, nec conficere valeat, sed protinus vomendo reijciat, quo & iterum appetat plus ingerere, & præexistens inanitio nullum suscipiat leuamen nullamque refectionem. Quapropter licet in aliquibus canina appetentia ab inanitione incipiat; nihilominus tamen, vt differre possit à non naturali illa fame quinque monibus constante, necessum est os ventris prædicta intēperie affici, & prædictum etiam symptoma perpeti: nam sic nec reficitur, quia nihil retinet, nec retinet, quia calore orbatur venter, nec desinit appetere, quia semper suctio, aut aliquid illi persimile infestat, & excitat appetitum. Quo fit, vt vera, & genuina caninæ appetentiæ ratio, & causa, potiùs sit acidorum (siue pituitosi sint, siue melancholici vt testatur Galen. li. 6. popu. par. 3. comment. 37. & 6. de locis pat. cap. 1.) frigidorum, crudorumve succorum copia os ventris, & eius substantiam permeans, vitians, ac exulcerans, inferensque accidens suctioni persimile, & intensum, quàm vera suctio. At verò in bulimo prædicta frigiditas necessariò ad impotentiam ducere tenetur ventris facultates, donec cordi communicata imbecillitas syncopen, aut animi deliquium accersat, ob consensum oris ventriculi: quippe in hac non est ingens desiderium ingerendi cibum vt in canina appetentia, sed solùm ingens necessitas in subsidiū syncopis, & impotentiæ facultatum. Itaque conueniunt hi affectus, quòd aliquando ab inanitione prodeant ambo, sed caninus spurius haberi eo tēpore debet: aliquādo citra ipsam: cæterùm cū sine inanitione fiunt, bulimos illegitimus est, quòd à sola prodeat frigiditate gran-

grandiori; canina verò appetentia non nisi ab acido succo, si legitima futura est: nam cùm ab inanitione prodit, & legitima non est, à sola frigiditate oris ventriculi suboriri potest, quo tempore leuior est intemperies, nimirum quantum sat sit, vt coctio aboleatur appetitu manente. Nam is affectus solùm sequitur frigidam intemperiem vbicumque sit, dum modò ad ventriculum perueniat, vt contingit his qui iter agũt per niuosa loca, & copioso vtuntur, ac frigidissimo potu: sequitur tamen pituitam acidam, vel melancholiam, nec non & dissolutionem totius corporis: quibus si accedant virium debilitas, & emortua facultas, vt Hippocrat. aduertit 6. popul. bulimos proculdubio succrescet.

Dubium. Ex præfata doctrina suboritur difficultas ex Gal. desumpta lib. artis Medicinalis 2. qua parte existimat ventriculum frigidum aptiorem esse ad appetẽdum: rationem quidem reddunt omnes à Galen. mente, & à ratione satis alienam: ea nimirum est, frigiditatis proprium esse comprimere, & compressione succulẽtam substantiam à parte expellere, cuius defectu fames protinus suboritur. Quam tamen parui esse momenti sic probabitur: frigiditas in tantum habet condensare, & condensando comprimere, atque comprimendo expellere, in quantum est in actu: sed ventriculus animalis viuentis nequit actu huiusmodi frigiditatem obtinere: ergo neque ob eandem rationem famescere: nam licet minus calidus quàm par est aliquando sit, non tamen sortitur tantam frigiditatem, quæ nata sit primò famem excitare, licet id etiam Galeno visum est 1. de caus. symptomat. cap. 7. dicente (etiam si sub dubio:) *Itaque non parum ad esuriem frigiditas eorum, quæ in ventre habentur, confert, cum & corpora eorum tunicasque vacuet, & cogendo constringat, constringendoque appetentiam irritet*; dixeratque parum ante, *quemadmodum (arbitror) frigiditas vacuat*. Cum hoc tamen censendum est, frigiditatem potiùs mordendo, & irritando appetentiam, & prædictas corrugationes excitare, quam præ vacuatione, quæ sequitur compressionem: siquidem non adeò est intensa viuente animali, quin potiùs ex pulsu ob mordicationem fiat inanitio, quàm ex cõpressione, quod mihi verius videtur. Sic namque credendum est ex melancholico succo secundùm naturam ab splene transmisso, animalia famescere: nam si ob id esset, cùm actio naturalis, positis præuijs dispositionibus, non possit non fieri, & aliquid melancholiæ semper in os ventriculi deferatur, famescerent profectò animalia semper. Si verò arbitreris ex melancholia famem solùm excitari, cùm venter præ indigentia cibi melancholica excrementa è vicinis partibus trahit, tunc profectò, longè minus est arbitrandum id posse fieri, quia prius est famescere quàm attrahere. Quamobrem suspicor melancholiam, si contingenter in ventrem confluat, appetitum potiùs præstare quàm famem, quæ sit vera ob oris ventriculi molestiam, sed quia persimilem infert in ipsum alterationem leniter mordendo, quantumuis venter cibis scateat, vt acida omnia inferre comperimus: quo fit, vt hic appetitus non sequatur aliquam ex inanitionibus dictis, sed moderatum acidorum vsum, & ob id non est perpetuus, sed mox succrescit à cibo incidente, & mordente, vel à melancholiæ transmissione, propter mixtionem, quæ fit cum ipsis cibarijs (quæ gustui gratiora, velut acida omnia, solet efficere) cùm moderatè confluit, & miscetur, ac ob id non famem, quæ sit tristis ille sensus, sed quid illi persimile, quod appetitum excitat, creare est credendum.

Quibus accedit alia causæ species, cuius Galen. meminit lib. de theriaca ad Pisonem, nimirum lati, & prægrandes vermes chylum depascentes: quam quidem causam ad caninam appetentiam multi (vt Auicen. Serap. & Tralian.) referunt. Itaque constat, quales sit natura cuiusuis prædictorum affectuum, & quales vnusquisque sortiatur causas.

Signa. Dignosces prædictas causas hac lege, quòd inanitio, vel à causa fit euidenti, cuius notitia facilè haberi potest ex interrogatione eorum quæ præcesserunt, vel ab interna, quæ sita est in calido intemperamento, aut insensibili euacuatione per ventrem, vomitũ, hęmorrhoides, vterum, aut diaphoreticum sudorem, vel insensibili, quòd cibo assumpto æger non corroboretur. Quòd si horum nihil præfuerit, credendum est, ex frigiditate ventriculi affectum proficisci, maximè si acidi ructus succrescant.

Præsagium. Commigrãt plerumque hæ duæ affectiones, vel in vomendi consuetudinem, vel in alui fluxum, immedicabilem dysenteriam, cachexiam, hydropem, ac non rarò in tabem, & mæstissimam melancholiam.

Curandi ratio. Plures sub se curandi ratio complectitur considerationes in bulimo, & canina fame: nam primò multa sunt vtrique affectioni proficua, & communia, velut est resolutorum, vtcumque exolutio fiat refectio: item frigidi intemperamenti, vel humoris, attemperamentum, præparatio, & eductio: quæ omnia eodẽ modo, siue in bulimo, siue in canina appetentia, fieri debent. At in bulimo peculiare est syncopem, vel inhibere, vel ab ea laborantem reuocare: in canina verò appetentia vomitui, quo nutritione laborans orbatur, prouidere. Quapropter initio sumpto à bulimo, primò expendant quod illi est peculiare, nimirũ syncopes prouidentiam, & inanitionis refectionem. In quo affectu virium resolutionem, ac ex consequenti syncopen inhibebis, si priùs consideraueris, nullum præ requirere, neque admittere vniuersale presidium; neque euacuationem aliquam, quatenus pertinet ad prædicta symptomata: solùm enim expostulat spiritus, & caloris refectionem, his quæ capite de syncope copiosiùs adduximus. Inter quæ non sunt minoris momenti pastilli ex vino, & passulis ex Corintho, cũ pulueribus electuarij de gemmis; vel ex carne pullorum cum saccharo, & nucleis pineis; aut ex carne coturniorum vino confecta aromatico; vel ex cinnamomo, sacchаro, & cariophyllis, cum eodem vino. Prodest non parum, aquæ vitæ modicum iuribus pullorum iniectum, aut expressionibus carnium, vel stillatitijs eius aquis, maximè si addideris cinnamomi, aut theriacæ modicum: neque est minoris momenti stillatitia aqua ex eadem theriaca, & confectione alKermes, dilutis vino rubro, aut aqua deaurata, vel ferrata. Quibus factis, & viribus refectis optimis alimentis, & aromatis conditis, ad externa auxilia te conferes. Nam si præfuerit ingens frigiditas, quæ potissima est huius mali causa, fomentis ex decocto absynthij, chamæmeli, cinnamomi, anisi, & seminis angelicæ, spongia, & vino exceptis mitescit: item sacculis ex eisdem herbis: inunctionibus ex oleo absynthij, menthæ, spicæ, balsami, abietis, de pipere, de aniso, de cariophyllis, & de angelica. Præstat & ventriculo sæpius adhibere panem recenter coctum vino madefactum, & calidum: sed efficacius inclementiam frigiditatis compescit meri potus, maximè si vinum sit cõditum aromatis, & melle: item aqua vitæ, vel aqua cinnamomi, vel corticum citri, quæ arte chymica extrahatur. Verùm si bulimos, vt non rarò accidit, prodierit ab acri humore dissipante, ac discutiente spiritus, & substantiam oris ventriculi, & qui implacabilem indigentiam ad cibum capessendum excitet, aut in syncopem laborantem ducat cum imbecilla ventriculi facultate, quæ ipsum conficere nequeat, & ob id non reficiantur vires, & nouo vti subsidio cogantur, duplex insurgit medendi ratio: altera quæ humorem euacuet, primò per vomitum à cibo, & per auxilia quæ vim habeant leniendi acrimoniam, & cum hoc abstergendi, & repurgandi ventrem, velut est *mulsa calida, in qua dilueris agarici* ℥. 1. *& ß. cum me-*

dico oxymelite : id quod facies bis terve in hebdomada. Quòd si laborans id promptè non fecerit, per infernam aluum purgabis medicamentis quæ ab infastu liberent, velut est rhabarbari infusum, aut dilutum foliorum senæ cum sero lactis, vel exhibita cassia, quę simul humorem retundat, & expurget: prosunt & pilulæ ex aloe, rhabarbaro, & masticbe, vel ipsum rhabarbarum singulis diebus masticatum. Quo facto, ventriculus exteriùs roborandus est in hac æstuosa causa, oleo omphacino, rosarum, & citoniorum, cum pulueribus coralli, rosarum, & santalorum. Verùm quia sæuissima hæc affectio non quouis præsidio leuatur, necessum est ad sensus vsque retusionem peruenire, his primò quæ humorum actionem compescant, ac frænent : cuius census sunt mucilaginosa omnia, nec non & narcotica, velut syrupus portulacæ, de papauere, vel de mucilaginibus: quæ dum os ventriculi attingunt, eius sensum retundunt, & humoris acrimoniam mixtione temperant, quo fit vt & minus appetant, & minorem persentiant molestiam, ac ex consequenti animo non deficiant.

Quòd si canina sit appetentia, tunc quidem iuxta diuersitatem causarum ei medeberis. Primò enim, dum ab ingenti totius corporis inanitione prodit (præter cutis densitatem, quam teneris fabrefacere, ne ampliùs dissipetur, quæ exequenda venit vt dictũ est cap. de syncope) reficere oportet diligenter quod perit, sufficiente copia alimenti exhibita, quæ dissipationem æquet, & paulò maiori : sed quia dispendium plerumque ab spiritus consumptione prodit, odoramentis, vt Hippocr. lib. de alimento consulit, rem tutiùs, & commodiùs ages, maximè si alimentosam sortiantur naturam, vt spiritibus, & solidæ substantię pariter prouideas. Cui operi quæ potantur sunt aptissima : *faciliùs enim est repleri potu quàm cibo :* sic enim alimentis boni, & facilis nutrimenti vtetis, modica tamen copia, & breuioribus interuallis, quo faciliùs coquantur, & ocyùs distribui possint. Sed inter omnia, quæ corpus breuissimè reficiunt, vinum proculdubio primum sortitur locum, nisi quis eo abutatur : & ob id ipsum porrigere oportet ventre non ieiuno, nam cùm ocyssimè in corpus eat, neruos lædit, & cerebrum. Quapropter vel cibis miscere oportet, vel à cibo præbere : id enim consuluerat Galen. 21. aphorismorum 2. sic in medio cibi commodiorem sortitur occasionem, si vniuersus venter intemperatus sit: verùm si solùm os eius frigiditate afficiatur in postrema mensa porrigendum est: ante tamen quàm cibus confici incipiat, tantum bibant, quantum par est, quia tunc efficacius os ventris calfacit. Quibus factis, eis vtendum est auxilijs, quæ capite de syncope vires posse reficere scriptum reperies, & curationis principium auspicaberis ab excalfactione ventris: nam licet inanitio mali sit principium, tamen vomitus, & ob id nouus appetitus à frigiditate vẽtris prodit, quia nequit alimenta conficere, quibus vẽter grauatus vomere cogitur, & iterum appetere. Quapropter ea auxilia quæ bulimo esse proficua diximus, huic quoque communia esse certissimum erit.

Cæterùm dum caninæ famis causa est viscosus succus, acidus, aut viscidus ori ventriculi impactus, aliundè transmissus, aut ibidem genitus, & in eiusdem substantia infartus, vel in plicaturis adhærescens, medendi ratio (præter eam quæ viribus prouidet, intemperamento, atque coctioni, vt antea dixeram) vnica tantum methodo perficitur, per euacuantia nimirum auxilia (vbi præcesserint quæ incidendi, extenuandi, atque calfaciendi vires habeant) quæ sunt in duplici differentia, quædam per vomitum euacuant, quo tempore humor in ventriculo ipso immoratur, aut in ore eius: altera verò per expurgans medicamentum perficitur, quæ (modò humor aliundè profluat, modò in eadem parte præsit) proficua est. Vomitus verò præ-

A parata priùs oxymelite materia, melle rosaceo, aut oxymelite squillitico, excitatur tepido decocto raphani, seminis eius, & erucæ, addito pauco oxymelite : quod fieri potiùs consulo ieiuno quàm saturo ventre, siquidem fieri debet his quæ vim habeant purgatoriam, velut est dilutum agarici, aut *puluis Mechoacan Indorum pondere ℥. 1. cum modico oxymelite, & copiosiori tepida,* quibus ventriculus frequentiùs ad vomendum excitatur. Expurgatio verò per imum ventrem futura hiera simplici Galeni perficitur, quæ prætorquam quòd hos humores à ventriculo pellit, eundem calfacit, & contractam distemperiem corrigit, ac insuper eodem calore humores fundit, & liquat. Purgabis etiam aloe, agarico, turpeto, ac pilulis quæ eademmet medicamenta recipiunt : eiusdem etiam census B est terebinthina sola, aut melle rosacco admixta. Prosunt quoque diuretica vino, pani, ac edulijs admixta, vel sola exhibita: huius census est melicratum ex thymo, origano, hyssopo, satureia, & pulegio. Quibus factis iterum conferunt pilulæ ex hiera, & agarico trochiscato. Magni etiam vsus est vinum generosum aromatis conditum: prodest & aqua vitæ, aut stillatitia ex cinnamomo. Quibus accedunt etiam ea auxilia, quæ exteriùs ventriculum calfacere, & fouere valent, qualia superiùs diximus. A quibus omnibus intus exhibenda sunt medicamenta, quæ humoris reliquias conterunt, ac simul partem labefactatam roborant, quale est aromaticum rosarum, diaciminon, dianison, & alia huius naturæ, sicut theriaca quæ in sa- C nandis his affectionibus miram habet efficaciam, sic & confectio de hyacintho, & reliqua quæ bulimo prodesse diximus.

CAPVT III.

De cibi fastidio.

PErtinet eadem ratione ad læsionem appetitiuæ potentiæ cibos fastidire, nam appetendi actio, quæ tribus modis potest lædi, ablatè nimirum, diminutè, aut corruptè, cùm vel ex toto aufertur, vel diminuitur, hanc cibi inappetentiam, seu fastidium generat: cùm verò deprauatur, vnum è tribus symptoma- D tis progignere valet : nam vel plus iusto appetit, vel res deprauatas exequitur, vel familiares, & amicas auersatur. Primi igitur samptomatis iam meminimus nomine caninæ appetentiæ : tertij verò iam agendi sese offert occasio, nomine abominationis, seu fastidij ciborum, si priùs de diminuta, seu ablata appetentia disseruero.

Suboriuntur itaque affectiones, quæ pertinent ad cibi fastidium vno è tribus modis: nimirum diminuto, aut ablato ciborum appetitu quod solùm quoad magis, & minus dissident, auerso, & fastidito, vel omnino abominato cibo : quippe aliud est cibum non appetere, aliud fastidire, & longè aliud abominari. Atqui licet hæc vitia vnius videantur rationis, & po- E tentiæ, cum hoc tamen non solùm distinguuntur inter se nomine, sed re & ratione vitiatę potentię. Quippe non appetere, proficisci quidem potest ex eo, quòd vel cibis, aut succis abundet homo, vel quòd nullus sit succus in ore ventriculi, vel quòd non sentiatur, aut vltimò quod deiecta sit appetendi potentia: nam his de causis animantia appetere solent, vel non appetere: at cibum abominari, aut fastidire à sola appetitiua potentia imbecilla, & errante prodit, quæ prosequitur odio alimenta, tanquam si quid alienum esset à nostra natura. Quod sanè prodit, quia potentia ipsa non solùm non apprehendit cibum, vt iucundum, verùm potiùs odore, & sapore iniucunditatem progenitam à vitio humorum, qui sunt propè os ventris, persentit. Sciendum tamen est, quòd licet cibum nõ appetere symptoma sit appetitiuæ potentiæ, cũ hoc

tamen

tamen non semper primario eius vitio prodit: nam aliquando potentia non appetit, quòd nullus sit suctus in ore ventriculi, neque in reliquo corpore inanitio: & ob id suctus, aut non fit, aut, quòd læsa etiam sit sentiendi potentia, non sentitur: quo fit, vt appetitiua non gliscat ad proprium munus exequendum, & sequatur cibi inappetentia. Prætereà (vt proposueram) aliud est amicos cibos non appetere, aliud auersari, & longè aliud eos tanquam alienos, & extraneos abominari. Haud secus res se habet, quam si quis sano homini, saturo tamen, cibos offerat, hic sanè non appetet; aut illos porrigat, quos ipsi numquam gratos fuisse constat; vel eos, quibus est satur, hos enim veluti fastidiet homo; aut rursus si quis illi contrarios omnino, & inimicos porrigat, velut serpentis, aut alterius B venenosi animalis carnem: nam hos omnino abominabitur, & eis visis, exhorrescet natura. Quippe refert sensus, appetitui similes esse cibos, & læsuros, ac sunt humores quibus læditur in ore ventriculi sensus ipse: & cùm humores sint adeò vitiosi, & tetri, sic laborãs cibos odio habet, ac si essent de illorum humorum natura, & conditione, quòd illos referat sensus esse prauæ quoque conditionis. Itaque ad quem propriè pertinet alimenti amor, & fruendi desiderium, illi profectò odium, & tristitia ex eodem alimento succrescet, atque hæc est cibi fastidij in vniuersum ratio, & differentia.

Dubium. Dubitabit iure optimo quispiam, qua nam ratione C iidem humores in eodem ventriculi ore existentes, ac lædentes eandem facultatem, tam diuersa, & omnino contraria pariant symptomata, adeò vt in picaceo appetitu res omnino à nostra natura alienas, & aduersas cogant appetere: in cibi fastidio res familiares, & amicas odio habere, & abominari. In qua etiã re aliud non minoris momenti hæsitandum succrescit, nimirum qua ratione in picaceo appetitu, semper appetitus feratur in ea quæ humoribus peccantibus similia existant; quippe appetunt carbones, qui adusta bile læduntur; terram, qui melancholiam; gypsum, qui crassam pituitam tanquam caussam sortiuntur; sal, qui salsos humores) in fastidio verò & abominatione cibi, ea aduersatur natura, & fugit, ac abomi D natur, quæ nostræ naturæ sunt familiaria, & amica, & nonnunquam quæ contraria existunt humori peccanti: quæ sanè pathemata, diuersissima admodum esse nulli erit dubium. Quarum hæsitationum gratia expendendum est, in picaceo appetitu similia humoribus peccantibus expetere naturam maiori ex parte, quia connaturales facti sunt, & eorum temperamentum factum est habituale, & cùm natura similia ad sui conseruationem appetat; sic quæ versa sunt in habitum, & facta connaturalia, necessariò similia appetent, haud secus quam dum actio fit secundùm naturam: at cùm in cibi abominatione intemperamentum sit in fieri, & in dispositione, vt aiunt, & os ventriculi nondum eorum humorum habitum contra- E xerit, aliquando potentia appetit contraria, quæ futura sunt subsidium mali, vt de ventriculi intemperantia retulerat Galen. 2. tegni: & si vltra pergat, abominatur familiaria, & amica, quia ab ipsis læditur, & alteratur summopere natura: at dum in naturam prædictorum humorum mutatur habitus, inimica insectatur, & appetit, vt cap. de picaceo appe. lib. de femi. mor. latiùs reperies scriptum. In qua re non est credẽdum, habitum illum esse omnino factum more febris becticæ, ita vt natiuus sit ex toto corruptus, sed intelligendum est, adeò esse vitiosam, atque efficacẽ qualitatem, vt posthabito natiuo temperamento, more habitus cogat appetitiuam potentiam à suo scopo aberrare. Probat hanc veritatem, non sentiri huiusmodi intemperamentum, neque aliquam inferre molestiam, sicut id quod verè fiens est, subitoque & affatim naturam vitiat, vt in cardiacis affectionibus con A spicimus. Quòd si aliquando quæ familiaria sunt, auersari videamus, illud quidem fiet, quia euersa est omnis natura, & temperies partis illius, ab humorum corruptorum labe, adeò vt externa etiam quæ similia ei naturæ erant, natura quoque hac lege euersa odio habeat: nam qua ratione naturam corrumpit humorum vitium, ita & appetitum.

Causæ. Vt triplex est fastidij sors, nimirum inappetentia, fastidium, & abominatio, ita prorsus triplex insurgit causarum differentia. Nam inappetentiæ, cuius immediata causa est, vel suctus, vel sensus defectus, præcedentes causæ esse possunt satietas, aut humorum ingens copia: item impedita resolutio, siue ab ambiente refrigerante, atque constringente, siue à demisso e- B xercitio, siue à balneo cutim densante. Sensus etiam oris ventriculi hebetior efficitur, vel vitio, aut resolutione neruí à sexta neruorum coniugatione prodeuntis, vel quia caliditas liquauit substantiam aliquam, qua obtusus efficitur, quo minus potest suctum persentire. Obtunditur etiam sensus defectu superiorum potentiarum, quarum munus est sensuum molestias, aut actiones percipere, si sit delirantes, aut ebrij, quantumuis causam habeant vrgentissimam sitiendi, aut famescendi, nihil tamen sentiunt, vt experimentum, & Hippocr. testantur, quibus modis appetitum lædi per consensum euidenter constat. Fastidium verò (quod iam non solum inappetentia est, sed vltra pergit, vt si quis velut satur cibos auersetur quibus satur C est) non quidem à nuda intemperie, neque à suctus, aut sensus priuatione prodit, sed à calore liquante, & adiuncto prauis succis, vt qui laxet, & soluat solida corpora, ac deiecta reddat; maximè si adiungatur alicui humori qui non iam per consensum, sed primariò ethici facultatem efficiat, cuius naturæ est biliosus humor, vel serosus excalfactus, vel semiputris, pinguosus; aut insipidus: quippe tunc non solum inappetentiam, verum auersionem, & tædium ciborum progignunt. Huic enim proxima est abominatio, quæ ab humore os ventriculi inundante, non vtcunque putrido, sed plurimum, ac praua putredine affecto insurgit, maximè si visciditas accesserit, dummodo acoris, D & salsedinis sint expertes, vt docuerat Galen. 1. popor. par. 1. comment. 7. Quibos humoribus, & prædictis qualitatibus affectis, adeò grandis insurgit ciborum horror, vt non solum eos auersetur laborãs, sed adeò intensè eos odio habeat, vt non solum ex eorum esu, verum ex visu, aut auditu adeò expauescat animus, vt vomitibus, & nausea frequentissimè infestetur, haud secus quàm si cibaria essent deleteria. Probat has esse veras omnis inappetentiæ causas febrilis calor, qui mox à principio cuiusuis febris, solum inappetentiam gignit, ore ventriculi laxiori facto, & humore ibidem existente modicè liquato: at crescente febre, & humoris putrescentis aliqua portione in ipsum confluente, fastidium efficitur: prætereà vlteriùs confluẽte hu E more intensiùs, & sordidiùs putrido, abominatio succrescit, quibus euidenter cõstat, qualis naturę sit quęuis prædictarum differentiarum causa.

Signa. Verùm licet affectiones hæ signa ad propriam cognitionem non requirant, eis tamen indigent ad causarum exactam distinctionem, & notitiam: primum enim causam externam secludes, & victum considerabis, nam copiosus, & crassus simul cum ocio tædiũ facilè concitant. Prætereà febres appetitum tollunt, & ob calorem, & ob humorem putridum, & saniosum: maximè dum humores in ventrem funduntur: idem contingit in mœrore, & timore. Sed præter hęc calidam ventriculi intemperiem testantur tetri, ac nidorosi ructus, & vomitio biliosorum, quos monstrat ventris erosio, & morsus. Frigidam intemperiem contraria indicant, ac si frigidi præsint humores, nausea plerunque adest, & crebra sputio, & à cibo, ventris fluctuatio, somnus profundus, ructus acidus, & reli-

qua

qua huius naturæ. Reliquas verò causas facilè venabens ex priuatione prædictorum signorum, & ex relatione habita à laborante, & assistentibus.

Curandi ratio.

Curandi verò ratio in præsenti affectu multis modis perficitur: primò quidem ablata inappetentiæ causa, iuxta trimembrem illam diuisionem. Quippe si nullus sit suctus, prohibens remouere oportet, vt si copia succorum natiualium, per inediam: si effluxus prohibitus, per frictiones, & ea quæ cutim apertant, & halitum euocent. Si verò suctus non sentiatur, prohibens quoque remouere oportet, siue humor sit, siue natiua humiditas liquata, siue intemperamentum aliquod calidum, & laxans, ac fundens. Sic enim primò causa auferenda est, quam diximus, purgatis nimirũ per alterutram aluum humoribus os ventriculi infestantibus, eo ordine, & eisdem medicamentis, quæ diximus capitibus præcedentibus. Hoc tamen obseruatione dignum est, quod si aliquod ex his tribus symptomatis alicui morbo succrescat, ratione eius, aut causæ, morbo curato, illis protinus medela subsequetur. Verùm si eorum quoduis per se à suis causis excitetur, duplex necessariò erit medendi ratio. vna quæ causam illudat, iuxta cuiusque causæ ideam, & naturam (quippe non opus est vbique docere qualiter biliosa, aut pituitosa expediat purgare, aut calida, vel frigida attemperare) altera rursus quæ appetitum ipsum excitare valeat, velut sunt quæ gustui grata, varia, & odorata existant. Quæ sanè in calidis refrigerantia esse oportet: maximè quæ aceto, aut succo limonum, agrestæ, & arantiorum acidorum parantur: quibus non rarò prodest panis posca imbutus, vel succo limonum, aut granatorum acidorum cum saccharo, vel aqua sola frigida prima mensa sumpta, si moderatè bibatur. Ex vsu quoque sunt cibaria sorbilia acidis parata, & quæ faciliter ingerantur: nam solidorum commanducatio non rarò tædium parit: odoramenta quoque adsint ex rosacea aqua cum aceto, vino, & santalis. Extrinsecus autem, quæ refrigerando roborant, sunt adhibenda: vt est rosaceum, & oleum omphacinum, cum pulueribus rosatum, coralli, & santalorum. In frigidis verò intemperamento, & humore, facta copiosiori purgatione, aut minori, & sæpius repetita, calorificis vteris, vt vino dulci, & aromatis cõdito, tum per se, tum cibarijs admixto: confert etiam cibarijs hæc eadem aromata admiscere. Prodest quoque syrupus de corticibus citri, & puluis earum cum saccharo, aut drageta ex eisdem facta. Conferũt theriaca, & medicamenta ex pipere, & zingibere confecta. Acetaria etiam conficies ex melle, & aceto cum succo pomorum dulcium addito cinnamomo. Exteriùs verò calidis inunctionibus, & fomentis vteris: maximè inunctione, q. ℞. *mentha sicca, & ligni aloes, anà ʒ. 1. mastiches ʒ. 3. aloes ʒ. s. succi absynthij ʒ. 4. olei nardini, & mastichini, anà ℥. ß. ceræ quod sit satis.* Confert etiam inunctio ex ballsamo, oleo de pipere, de cinnamomo, de abiete, de mentha, aut de aniso. Idem præstant sacculi ex galanga, cinnamomo, aniso, cariophyllis, mentha, absynthio, & ligno aloes, quos & siccos, & vino calido madidos ex vsu esse cõperimus. In vtraque tamen causa necessum est, & vtilissimum, rhabarbaro vti masticato, aut pilulis ex mastiche, aut rhabarbaro quarto quoque die exhibitis, vel terebinthina abietis eisdem dierum interuallis præstita: iuuat & oxymel squilliticum, aut medicamẽtum quod ex malis cotoneis paratur.

Verùm si ob impotentiam animalis facultatis, & virium cibus non appetatur, quattuor cibariorum, aut salsamentorum sortibus appetitum excitare oportebit, cuius naturæ sunt quæ gustui grata existunt, velut salsa, aromatica, aut acria: secundò per ea auxilia quę sua spontè excitare habent appetitum, contrariũ causæ morbificæ inducendo effectum: sunt hæc quidem in triplici differentia: quædam caliditatem, quæ sensum deijcit, compescunt refrigerantque, qualia sunt frigida omnia, tum alimenta, tum medicamenta: quædam rursus inanitionem efficiunt, veluti frigida, & adstringentia, quæ facta corrugatione, aut repulsione, humores ab ore ventriculi pellant, quibus etiam suctionem fieri, & sentiri est necessum. Tertia verò medicamentorum ratio est eorum, quæ sua spontè mordicationem efficiunt, qualia sunt salsa, acida, & acria omnia, quibus mordicatione facta, simile fit suctui accidens, ac per consequens tristis sensatio, quę appetitum præcedit. Quibus omnibus addere placet quartum aliud genus, quod continet odorata omnia, & quæ gustui, & olfactui gratiora esse solent, licet deteriora sint, vt consulit Hippocrat. 2. aphorismorum 38. & Celsus libro 3. capite 6. quibus fortasse excitatus appetitus in desiderium alicuius rei prorumpit: nam quemadmodum ex delectabilium memoria sæpè appetitus insurgit, ita ex memoria, quæ renouatur per se, aut ex odoratis, & gustui gratis, insurgit non rarò sua spontè deiectus appetitus. Cuius naturæ multa reperiuntur, sed inter ea ius glaciatum parari potest, quod vbertimè nutriat, & appetentiam inuitet, si acceperis ius decoctum extremitatibus caponis, vel gallinæ, hœdi, aut vituli, eique addas sacchari albissimi ad ægrotantis gustum, aceti, & vini albi, quantum aperte sentiatur, & santali rubei ad inducendum colorem cerasorum quod sufficiat, cui addere poteris, sicut & alijs cibarijs, cinnamomi parum, aut cariophyllorum, vel nucis muscatæ. Sunt etiam clysteria, quæ & appetentiam excitant, & vires roborant: primi vsus est, q. ℞. *vini albi lib. ß. vrinæ pueri ℥. 3. mellis despumati ℥. 2. inijciatur mane ante cibum*, quippe abstergit, & vim expellentem excitat. Quòd si gratia nutritionis conficere velis, *iuris, vel lactis caprini ℥. 6. addes vitella duorum ouorum.* Præstant tamen excitando appetui plura, quæ exteriùs adhibita magno sunt vsui: nam præter ea quæ superiùs diximus, extant cataplasmata, quæ ex pane tosto, & succo granatorum cum prædictis oleis, & pulueribus conficiuntur, nec minoris momenti sunt emplastra, & cerata, quę huic vsui copiosè scripta reperies capite de imbecillitate ventriculi. Prosunt etiam electuaria, quæ ventrem roborent, & vires habeant consumendi humorum reliquias, velut est diarrhodon, aromaticum rosaceum, & decoctum, aut infusum absynthij, & alia quæ citato capite reperies.

Cæterum in cibi fastidio, & abominatione longè aliter agendum esse arbitror: quippe euidentissimum est vtrunque symptoma vno è duobus modis posse succrescere: nimirum quatenus vtrunque, aut alterũ per se morbum constituit, & nulli alteri affectui coniungitur, vel cum febribus, aut alijs affectionibus succrescit: vtcunque sit, considerare oportet humorum ad os ventriculi affluxu id fieri: sicut in febribus, quarum humor, vt ad caput, vel ad intestina, aut quamuis aliam partem confluit effecturus phrenitidem, aut somnum profundum, vel alium affectum, ita prorsus ad os ventris effecturus fastidium. Quo tempore diligens, & prudens Medicus vereri debet, ne turgentium humorum more, vel alijs partibus communicetur, vel ibidem manens in singultum immedicabilem commigret: sæpè enim ex posthabito cibi fastidio (quod in omnibus morbis summopere damnauerat Hippocrat.) in grauiora mala delabuntur laborantes. Quapropter vt humori turgenti purgatorio subuenimus medicamento, ita profectò & longè citius, si in os vẽtriculi confluat. Hoc tamen vno adsequuto, quòd in morbis febrilibus, aut quibusuis alijs, quorum materia confluit in ventrem, purgare oportet, vel in principijs, sed eligentibus medicamentis, & his quæ à venis & corporis ambitu euacuare nata sunt, qualia præexistens affectus exposcit: at vbi nullus alius adest affectus quàm cibi fastidium, sat est ventrem purgantia

solùm porrigere pharmaca: quinimo alia quæ aliundè humores euocant fugienda, ne plus ad affectam partem trahant.

CAPVT IIII.

De siti.

CVm certum sit, corpus nostrum quotidiana dissipatione (ob substantiæ nostræ effluuiũ, quod vitari non potest) perire, ob id quidem breuiter eum casurum sperandum est, ni citò reficiatur, cibo quidem quod calidum siccumque erat, ac potu quod frigidum, & humidum. Expedit enim elementorum substantias, & qualitates in eadem temperie, & proportione seruare, si corpus à prædicto damno tueri aliquo tempore velimus. Quod sanè prouida natura, quantum potest, instituit efficere, duos in nobis excitans appetitus: alterum calidi, & sicci, in subsidium famis, & penuriæ alimenti: alterum verò frigidi, & humidi, in sitis medelam, & refrigerium. Atque licet fames solùm ex crassæ terreæque substantiæ deperditione suboriatur, cum hoc tamen subsidium calidũ, & siccum esse oportuit: cùm certum sit, ad deperditionem illius substantiæ calidum quoque innatum deperdi: sicut in siti, quæ etiam humidioris liquidioris, & roridæ substantiæ defectu fit, præsidium expostulat homo frigidum, & humidum, quod nõ solùm deperditam substantiam reficiat, verùm & calorem, quem ad humidi defectum acriorem, & maiorem fieri necessum est (si siccitas caloris est lima) refrigeret, & contemperet. Quippe naturaliter semper ea concupiscimus, quæ illis aduersa sunt quibus lædimur, nisi iam in naturam sint versa.

Sitis igitur in triplici existit differentia: nam quædam est naturalis, altera non naturalis, reliqua verò præter naturam. Ea quidem censenda est naturalis, quæ à cibo ingesto mox insurgit: nam vis ventriculi appetens nouit vsus potionis, & tunc mouet os eius, & imprimit in ipso, cum potionis vsus auctus est ex cibo, excitatque sitim, vt animal in cibi subsidium insurgat ad exquirendum potum, licet nullus adsit suctus: impletnamque eius defectum, vel gustus, vel memoria. Haud secus enim appetimus cibum, aut potũ ex memoria gustus rei delectabilis, aut vtilis, ac ex suctu, & tristi sensu: præterquam quòd etiam ab ingesto cibo conteritur, & ebibitur humiditas, quæ oblinit extrinsecus os ventriculi, quo facilè & leuiter contingit corrugari, & subinde sitire, & appetere. Ex quo dogmate diluitur controuersia non mediocris momenti, nimirum quòd licet prius deperdatur in nostris corporibus humidum roridum (in cuius defectu vulgariter fertur, sitim naturalem fieri esse) quam siccum terreum, cuius defectus famem excitat, & ex deperditione humidi, sitis primò oriri teneretur, contrarium tamen semper accidat, hoc est homines primò famescere, & mox ingesto cibo sitire, quia sitis hæc, quæ primam hanc speciem constituit, non prodit ex illius humidi roridi deperditione (licet illud etiam potulenta substantia reficiat) sed eam excitat ad vsum, & subsidium alimenti natura facessita, & irritata à leui illa corrugatione ventriculi, quæ mox ab ingesto alimento succrescit ob ebibitionem illius humidi madefacientis os ventriculi. Nóscit namque natura ipsa potum, non solum ad refectionem prædictæ humiditatis ex vsu esse, sed etiam alimento esse multis vsibus necessarium: primò vt exustionem alentis humidi ex calido remoueretur, permixtione humidæ, & potulentæ substantiæ, & vt fieret vera elixatio, nã alioqui vstio alimentis ingestis succresceret: secundò, vt cibaria etiam diuersi generis, liquari, commiscerique ad inuicem, & confici faciliùs possint: tertiò vt potus crassioribus alimentis admistus, faciliùs ab eis

A extrahat exprimatq; nutrituram humiditatem, haud secus quàm aqua calida oleum ab oliuis separat, & educit: quartò verò potus vehiculum efficitur alimenti à ventriculo in iecur, & vt ab eo in reliqua vasa pingue, & crassum deferatur. Quos sanè vsus si dempto potu dempseris, facilè inspicies homines in naturalis huius sitis modum incidere, tantoque magis, quanto cibus adauctior fuerit: quæ sanè protinus cessat à potu, & in cibi abstinentia nunquam insurgit, nisi adeò crescat inedia, & fames, vt in secundam sitis speciem laborans decidat, quæ propriè, & verè prodit ex tenuis, & roridæ substantiæ defectu.

Secunda igitur sitis species ea iudicio nostro existimanda est, quam Galen. & Medici omnes, ad pensum famis naturalis, naturalem quoque appellant, cõ-
B stitutam ex deperditione roridæ substantiæ, quam sequitur appetitus naturalis, in cuius subsidium venæ vsque ad ventriculi os sugendo sensum tristem inferunt, quem sequitur sitis, appetitus quidem frigidi, & humidi, appellatus naturalis. Hanc nos clarioris, & verioris doctrinæ gratia, non naturalem appellamus: quod facilè probari potest, si quis eius naturam modum, & causas expenderit, ac in memoriam reuocauerit, quæ capite præcedenti de fame non naturali diximus. Quippe hæc, licet ordine naturæ procedat ab inanitione ad appetitum media suctione, & sensibilitate ventriculi, nihilominus tamen semper proficiscitur à causis quæ præter naturam, & præter naturæ modum operantur. Quo factum est, vt ratione prædicta-
C rum causarum, licet more naturali procedat, non possit dici propriè, & verè naturalis, ratione tamen prædicti modi procedendi, licet causam sortiatur præter naturam, non possit integrè præter naturam nuncupari; & ob id iure optimo illi præstitum est nomen non naturalis, quantumuis reliqui authores contrarium senserint. Excitatur igitur hæc sitis in subsidium deperditionis roridæ substantiæ. In qua re expendendum est, potulentam substantiam, cuius sit naturæ, & conditionis, sit, duo præstare in nostris corporibus beneficia: primum quatenus potulenta substantia est, nulla alia habita consideratione, quo tempore in subsidium naturalis sitis ingeritur: nam & resiccatum os ventriculi madefacit, & alimentorum confectionem
D prædictis modis iuuat, ipsa potulenta substantia eadem manente: secundum verò, quatenus alterius substantia est, & roridam humiditatem propter sympathiam, & similitudinem refectura, quo tempore in subsidium sitis non naturalis præstatur. Quæ sanè rorida substantia, licet semper deperdatur sicut crassa; non tamen ideo semper sitis concitatur, nisi quando accesserit causa, quæ plus eius conterat, quàm potulenta substantia reficere possit.

Dubitabit forsan aliquis, qua nam ratione appetitus naturalis qui insurgit ex defectu humidi roridi, & animalis qui ob id concitatur in ore ventriculi, feratur magis in potum quàm in cibum, siquidem vices alimenti gerit eo casu potulenta substantia. Ratio
E est, quia cùm appetitus excitetur in subsidium eorum quæ corpus lædunt, & inanitio minimè percipiatur ab animali potentia, sed solùm caliditas, & siccitas, quas concitat prædicta inanitio, ob id appetitus indagare tenetur, & quærere frigidum, & humidum subsidium, cuius naturæ potus est, non cibus. Ex quibus euidenter constat, hanc sitis speciem à prima differre, quia sitis naturalis incipit à leui illa siccitate oris ventriculi, & nisi protinus præueniatur, degenerat in siccitatem roridæ substantiæ, & in sitim non naturalem: hæc verò incipit à membrorum inanitione, & desinit in ventriculum, & eius appetitum. Secundò, quia naturalis fit citra humidi roridi, & substantifici deperditionem: non naturalis verò minimè, nisi priùs adsit prædicti humidi exolutio. Item quia naturalis fit ne humidum dissipetur: non naturalis ve-

Dubium.

rò,

rò, vt dissipatum reficiatur. Præterea, prima fit citra suctum, secunda minimè. Item prima fit mox ab ingesto cibo: secunda verò antequam ingeratur, & à causis violentis, & non naturalibus, quæ modum excedunt, & præter naturam existunt.

Tertia verò sitis species ea est, quam sitim præter naturam appellamus, quòd natura, & causis, ac modo procedendi præter naturam existat: natura quidem, quòd à calore incipiat, & commigret in siccitatem, contrario prorsus modo naturæ consueto, & instituto. Nam cùm sitis potissima ratio in siccitate sita existat, aduersus eius naturam est à morboso calore incipere. Ratione etiam causarum præter naturam existit, quòd ab eis proficiscatur, quæ omnino sunt præter naturam: quo sanè fit, vt hæc sitis in sui subsidium primò expostulet frigiditatem, secundariò verò humiditatem. Modo etiam & loco affecto, quia plerunque incipit à vitio oris ventriculi, & non vtcunque, sed ab efferuescentia, inanitione, aut calore humidi substantifici, & roridi eiusdem oris ventriculi: quo differt à siti naturali quæ solùm fit defectu humidi extrinsecus madefacientis, aut eius alteratione: differt quoque à siti non naturali, quòd hæc non naturalis dicta initium sumit ab inanitione membrorum: quæ verò præter naturam dicitur sitis, ab inanitione roridæ substantiæ ventriculi, quæ posteà commigrat in consumptionem reliquarum particularum. Neque inconuenit, deteriorem esse non naturalem ea quæ est præter naturam, quatenus pertinet ad substantiã, C & copiam resolutæ substantiæ, licet aliquando ratione causæ deterior fiat quæ præter naturam existit. Mirari hac in parte desinat lector, si lib. de præsidiorum artis Medicæ Indicatione aliter causas, & modum cuiusuis specierum sitis docuerim, cùm mihi iam seniori verior, & vtilior videatur præscripta sententia.

Causæ.

Ante tamen quàm causarum tractationem aggrediar, institui exemplo monstrare differẽtiam harum trium sitis specierum: quippe in febre quauis, vel primo eius accessu, sitis succrescit, quam nulla lege arbitrari oportet esse primæ speciei, quæ cibo ingesto suboritur: nec rursus credendum est esse non naturalẽ, quæ ab humiditatum resolutione prodit, quia initio D febris id fieri est impossibile. Quapropter statuendũ est, solùm esse tertiam sitis speciem, quæ ex calore præter naturam orta, in efferuescentiam ducit humiditates ipsius ventriculi, haud secus quàm contingere scimus in omnibus internis inflammationibus, & reliquis morbis calorificis, vel qui ex humoribus salsuginosis, & nitrosis os ventriculi irruentibus originem trahunt, quia hi succi eodem modo imprimunt in os ventris suctum, & mordicationem, ac si vera fuisset humidi consumptio: quod pari ratione contingit dũ efficacia caloris natiua humiditas oris ventriculi efferuescit. Ex qua causarum differentia prodit euidenter cuiusuis sitis natura, & inter omnes dissidium.

Causæ etenim quæ sitim excitant non naturalem, E aut præter naturam (nam harum solum modò hac in parte meminero) plures quidem sunt, & variæ: nã quædam propriæ, & peculiares existunt siti non naturali: quædam verò siti præter naturam. Illam quidem excitant omnia quæ roridam totius corporis, & oris ventriculi substantiam dissipant, siue extrinsecus accedant, siue interiùs vigeant (ac licet in hac serie calor annumerari possit, cùm id secundariò efficiat, placet tamen calfacientem causam ad tertium genus reducere) sic labor, vigilia, indigentia cibi, aut potus, ira, & alia, quæ huius census sunt, & quæ humidum imminuere possunt, eam excitare habent. Verũ quia hæc sitis species, vel solo potu, vel alimento tenuiori tantùm sedari desiderat, placet eius tractationem silentio prætermittere. Ea enim quæ præternaturalis est, & causam habet præter naturam, siue ab alio

A morbo proficiscatur, & eius symptoma sit, siue à peculiaribus causis, nullius alterius morbi interuentu, vt quæ toleratu grauior sit, & per causæ ablationem mitigari potiùs desideret, maiorem expostulat considerationem. Itaque hæc sitis quæ à calore incipit, & mox media efferuescentia siccitatem accersit, causas habet eas omnes, quæ mediante calore vires habent mouere in feruorem humidum tenue ventriculi, siue id fit per essentiam, & primogeneam ipsius affectionem, siue ab vniuersi corporis calore, vel à vitio alicuius membri vicini, aut quòd connexionem, vel colligantiam obtineat cum ipso. Cuius naturæ sunt pulmo, gula, iecur, & renes, quibus accedunt externæ causæ, vt aeris caliditas, & æstus, ignis, fumus, vel puluis: B vsus etiam cibariorum sale, pipere, aut aromatis conditorum: & quæcunque alia quæ facilè in bilem vertuntur: item vini meracioris, aut calidioris medicamenti vsus: quibus omnibus, aut aliquo ex his, ventriculus, vel membrum aliquod ex memoratis ita læditur, vt in prædictam affectionem prolabatur, maximè si vel os ventriculi, vel vniuersum corpus, aut quęuis prædictarum particularum, humore putrescente, & feruido abundet, vt ex Archigenis mente Galen. refert 6. popu. par. 4. comment. 22. Sic etiam pulmone calfacto, & arescente, ingentissima sitis oriri assolet, quæ nullo vsquam potu sedari potest: item calfacto iecore, efferuescente, aut inflammato, ob abundãtem bilem. Pari ratione renes, maximè diabeticam C passionem patientes: sic & venter cùm hydrope laborat: sed specialiùs corpus vniuersum, vel febre, vel sicco alio intemperamento affectum, quo ob humorum calorem, vstionem, putredinem, aut acrimoniã, ingentissimam sitim concitare habet. Cum hoc tamen grauior longè, & intensior (placatu tamen facilior) ea proculdubio est, quæ ex oris ventriculi efferuescentia prodit. Reperitur insuper vitiosa sitis, & quę appetitum concitat alienorum, ob alienos, & vitiosos succos os ventriculi inundantes, picaceo appetitui persimiles. Quibus constat, sitim hanc fieri ex caloris copia, ex humidi inopia, & ex vtraque causa simul, vel ex eis quæ idem efficere possint. Vtcunque tamẽ sit, affectio hæc oris ventriculi passio est, & sympto- D ma in genere noxæ functionum appetentiæ deprauatæ: sequiturque calidam, & siccam ventriculi intemperiem, nudam, vel cum affluxu materiæ.

Signa.

Licet sitire cuique notum existat, & signis non indigeat, vt alij affectus, causas tamen eius nosse cùm difficile sit, citra signa nullus distinguere, aut nosse optimè poterit. Sitim igitur non naturalem ostendunt præcedentes causæ, quas memorauimus. Verũ quòd ex calore dissipante humidum ventriculi prodeat, vt primam causam sitis præter naturam inuestigemus, monstrat cibi fastidium, calor ipsius vẽtris citra morsum, nausea, vel sapor alicuius fortis. Nosces etiam huiusmodi sitim (quemadmodum in ardentissimis febribus comperimus, vt 4. aphor. 54. docet Galen.) ex E faucium asperitate, quam leuis tussicula aliquando sedat, sicut exacerbatur, crescit intenditurque ex febris vehementia, quam sæpè eadem tussicula concitat: illud quidem quia ad partes tussi commotas, & vicinas humoris aliquid trahitur, quo madescunt loca asperæ arteriæ, & partium vicinarum: hoc verò, quia ex valida, & vehementi prædictarum partium motione incalescunt magis loca illa, vt scribunt Hippocra. & Galen. lib. 3. popu. par. 1. comment. 5. & 11. quod inter pessima signa prædicti authores recensent. Humorem aliquem præter naturam ibidem præesse, & efferuescere, putrefieri, aut vitiari cognosces ex sapore gustui amaro, salsuginoso, nitroso, aut putredinoso, si cum tædio, aut ciborum abominatione sitis adiungatur: si verò exustus sit, ex nimia oris, & faucium exiccatione, cum grandiori siti. Quòd si ex totius corporis vitio suboriatur, considerandum tunc est, an corpus

pus febre præmatur, vel affectu alio, eo enim tempore A ſignis opus non eſt. Verùm ſi ex intemperamento ca lido et ſicco ſiti prematur homo, etiam ſciſcitari oportet, an à cauſis prodeat procatarcticis vt æſtus aut ignis: an ſolùm ab internis, vt ira eſt, & reliquæ animæ perturbationes calefacientes: vel ex vſu cibariorum calidorum, vel ſalſorum, prodeat, quo tempore ex relatione certior fies. Item ventriculum iecoris conſenſu & intemperamento pati, promptè percipitur, ex peculiaribus ipſius iecoris ſymptomatis, ex vrinæ colore flauo aut igneo, vbi intenſiores appareant, vel ex eius calore, qui dum mingitur percipitur à laborante: nec non ex colore faciei vergente ad auriginoſum vel croceum: item ex præcordiorum duritie, calore, & dolore. Verùm ſi vitio cordis, pulmonis, aut B inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium, ſitis prodeat, id noſces ex calidiſſimo ſpiritu per efflationem emiſſo, ex ſiti quæ nullo potu ſedatur, & à frigidi aeris inſpiratione protinus ſubſidet & leuatur. Multi verò ex eduliorū copia & calore ſitiunt, calfacto ipſo ventriculo, qui profectò à ſomno ſiticuloſiores euadunt, neque ob id illis vigilia medela eſt, licèt Hippocr. 6. popul. parte 4. tex. 23. videatur aſſerere, cuius contrarium ſtatuerat Gal. 5. aphor. 27.

Præſagiū. Contemnendam non eſſe ingentem ſitim, docuerat Galen. 1. de cauſ. ſymptom. cùm plures ea perijſſe, ipſe viderit, idque ob cauſarum vim & deterrimū ſitis modum. Item quia immodicè ſitientes ex ingenti potus copia quam ingerunt, & in hydropem & alios grauiſſimos affectus ocyſſimè prolabuntur: ſic enim in æſtuantibus & calidiſſimis temporibus ob largiores potus, plures in malum corporis habitum procidunt, quàm hyberno tempore. Præterquam quòd hoc habet proprium & peculiare ſitis, quòd & morbum, cui adiungitur, intendat, (ſi frigidus ſit ob immodicum potum, ſi verò calidus ob intenſiorem calorem) & vires omnes deijciat.

Curandi ratio. Cùm ſitis triplices ſint differentiæ, & diuerſas earum quæque ſortiatur cauſas, ob id profectò, licèt affectus in vtraq; vnus & idem ſit, non vna erit ſedandi ratio, neque vnicus modus. Sed prætermiſſa ſiti naturali, ea quæ non naturalis appellatur partim aut nihil ex potulenta ſubſtantia, vt potus eſt, leuatur: nā D cùm vniuerſa eius ratio ſita ſit in roridæ ſubſtantiæ deperditione, arbitror citra dubium ab alimentoſis potibus ſedari potiùs, quòd reficere vires habeant, quàm à potu vt potus eſt: nam hoc ſenſu arbitror ab Hippocrat. dictum fuiſſe: *Facilius eſt repleri potu, quàm cibo:* cuius naturæ ſunt ſtillatitij liquores, & ſucci ex carnibus, ex piſcibus, & alijs cibarijs preſſi: vinum item & aqua mulſa. Neque enim hæc ſitis aqua extinguitur, licèt aliquod leuamen ſuſceptet, quinimo & vomitum & alui fluxum ac ſæpedia betem accerſere certum eſt: quia cùm ex potu non leuentur, amplius & amplius ingerunt, donec ex leui affectu in grauiorem deuehatur laborans: itaque initium curationis ſit ab humectatione primò, cui mox ſuccedat E leuis refrigeratio. Sed expendendum eſt, hac etiam ratione differre à ſiti præternaturam, quæ nullum ſuſceptat leuamen niſi ablata cauſa: hæc verò ſolùm humidi deperditi refectione miteſcit.

Dubium. Dubitabit forſan aliquis ſi ſitis hæc non naturalis, defectu roridæ ſubſtantiæ concitatur, quanam ratione protinus ab ingeſto huiuſmodi alimentoſo potu, vel quouis alio, leuamen ſentit laborans, ac ſitis moleſtia & appetitus confeſtim ceſſant, ante deperditi refectionem: quod etiam dubitandum eſt de fame ac de animi deliquio, quod ex ſpirituum aut cibi penuria inſurgit. Quibus dubijs dicimus, id fieri ob mutuam partium connexionem et conſenſum: nam qua ratione inanitionis membrorum damnum ſentit os ventriculi, ita delectationem & leuamen ex ſuſcepto in ipſo potu aut alimento, ob voluptuoſam, vt ferunt, nutritionem, gaudet profectò magis ex ſuſcepto beneficio à cibo vel potu, quàm triſtetur à ſuctu, qui mox etiam ceſſat, quia partes inanitæ congaudent ſimul cum ventriculo: & ob id non minus ſubſidet appetitus naturalis membrorum, & ſuctio ceſſat, quàm animalis ventriculi à ſuſcepto ſubſidio.

Sitis autem præter naturam duplicem prærequirit ad præſidium ſuſceptandum conſiderationem: alteram dum alijs affectionibus tanquam ſymptoma ſuccreſcit: reliquam verò, dum ſola à peculiaribus cauſis orta in corpore viget, citra alterius affectus complexum. Præterea dum per ſe morbum conſtituit, cùm à duplici cauſa oriatur, externa videlicet aut interna, illa quidem externarum cauſarum prouidentia habita, ſolo frigidæ potu plerumque ſedari habet: hæc verò à cauſis ſit internis, & potus differentiam etiamque cauſæ peculiarem exoptat ad ſui ſubſidium, & cauſæ ablationem antè prærequirit. Sic profectò quæ ex ingenti calore oris ventriculi prodit, dum naturalium eiuſdem partis humiditatum efferueſcentiam concitat, frigidiſſimæ aquæ potus ſubſidium & cauſæ ablationem præſtat, maximè ſi cibaria eiuſdem qualitatis porrexeris citra cibi oblationem, bis terue ſolùm tribuens potum ex aqua ſola aut cum modico aceto vel ſucco granatorum acrium, pampinorum, portulacæ, & ſeminis cucumeris, lactucæ, portulacæ, & coriandri, vel adiecta modica aqua cucurbitæ aut melonū, vel ſyrupo roſarum aut de ſucco limonum, maximè C ſi niue refrigerentur. Verùm ſi iam ſiccitatem contraxiſſe os ventris cognoueris, reſolutis prædictis humiditatibus, licèt idem potus ex vſu etiam ſit, frequentiùs tamen eum porriges, ſed parciùs & non æquè frigidum, quinimo humectionibus admixtum, vt ſyrupo violarum, portulacæ, cucurbitæ & bugloſſæ, vel muci laginibus borraginis & ſimilium: vel iuruſentis, aut alimentoſis potionibus, quarum copiam nuper ſcripſimus. Quo facto & mox eadem die ſomnus imperandus eſt, & quies inſtituenda, & tandem omnis humectatio: nam huic ſitis forti proficua ſunt quæ conſuluerant Hippocr. & Galen. 6. popul. part. 5. tex. 35. quæ omnia pari penſu exequenda veniunt, dum ex immodica vacuatione ſitis ſuccreuit. Extrenſis verò in vtraque cauſa adhibere oportet oleum roſaceum vel omphacinum cum modico ſucco portulacæ, ſonchi, & intybi, addito aquæ roſaceæ modico cum guttulis aceti.

Quòd ſi aliquid humoris bilioſi, ſalſi, nitroſi aut putridi in ore ventriculi, vel confluxerit aliunde, vel ibidem vitiatum fuerit: tunc quidem primò id curabis purgare & abluere his quæ capite de cardiaco affectu diximus. Verùm ſi totius corporis conſenſu & vitio ad ventriculum aliquid confluat, vel ſitis alio modo conciteтur, conſiderandum eſt primò, ex frigido ne an ex calido proficiſcatur affectu: nam in hydrope adeò ingens ſuccreſcit ſitis, vt potu magis exacerbetur & creſcat: in febribus verò pari penſu eam ſuccreſcere comperimus. Itaque ſi febris conſenſu ſitis ſuboriatur, ſciſcitari oportet, an ex ſolo calore exſiccante, aut in feruorem agente humiditatem oris ventriculi, prodeat, vel ex affluxu eius humoris, qui vel febrem committit, vel in eodem corpore vitioſus abundat. Quod ſanè diſtingues, quia calidi intemperamenti ſitim extinguit tuſſicula: quam tuſſim, dum humores ſitum moliuntur, exacerbant & maiorem efficiūt, commotis eiſdem & ad os ventris & partes vicinas euocatis. Quòd ſi cognoueris ex ſolo fieri calore febris, nullo alio auxilio & cauſam & ſitim extingues, quàm frigidæ potu, ſi priùs conſideraueris, an ex ſola efferueſcentia humiditatum oris ventriculi calore febris concitata oriatur: vel ex humorum confluxu vt in febrium acceſſionibus confluere aſſueſcit, vel ex eorum humorum vbicumque ſint vbertate & copia, dum tamen putreſcunt. Nam ſi ſolum ex

fer-

feruore humiditatum fiat, licet in principio incremēti febris sit, paulatim frigidam porrigere oportet, nimirum quantum sat sit vt feruor aliquo modo in ore ventris mitescat, aqua non eunte ad vasa qua humores ibidem putrescentes incrudētur: quo quidem & laborantes leuantur, & nil mali succrescit. Vel iterum considerabis, si humoris aliquid ad os ventris cōfluat: nam id esse potest in rigore, & initio febris: quo tempore licet satis excitetur maxima, aquæ nihil porrigere oportet eo, vel maximè, quia crescente febre quæ humorem conterit, decrescit pariter sitis ita vt nullo indigeat subsidio: verum si vel in febre continua, vel in intermittentis incremento aliquid cōfluat ad os ventris, vel ibidem sitim efficiens immoretur, tunc potius paruissimis aquæ tepidæ potibus sitis sedatur, quàm frigidis, qui cruditatem inferant in feruescentes humores, donec inclinauerit febris, & citra periculum id, porrigi largior potus possit. In qua re tunc quidem qualis naturæ humor sit, considerandū est: quippe si adustæ, & retorridæ sit conditionis, & nimis æstuosæ, posca erit præsentaneum auxilium, maximè si ei admiscueris ex lenientibus aliquod, velut est portulacæ, & borraginis succus: prodest etiam stillatitia aqua ex cucurbita, lactuca, aut scariola, vel ex hordeo ad crepaturam cocto. Verùm si biliosus sit humor, ne aqua bilescat, tepida priùs vomendum est, si leuiter fieri possit: sin aliter hæc eadem quæ diximus porrigenda sunt, simul & aqua frigida cum his quæ lentorem, & mucilaginem ex se præstent, vt semeo psyllij, & citoniorum. Verùm si ex pituita salsa proficiscatur sitis, maximè eam extinguit succus glycyrrhizæ, aut eius aqua, cum his quæ præter id quod leniendi vim sortiantur, etiam abstergendi vires habeant, quale est hordei, & glycyrrhizæ decoctum cū saccharo. Sed cuiuis humor sit qui sitim concitat, oris magna habenda est prouidentia, siquidem potulentis plurimum inniti tutum non est, nam vt inquit Galen. 6. de locis affect. cap. 3. ex largo potu vomitus concitatur, & celerrima cibi excretio, ac nō rarò diabetica passio: quapropter os abluere oportet frigidissima aqua, lacte caprino, vel amygdalarum dulcium, posca, vino rubro dilutissimo, & aqua hordei cum saccharo: necessum etiam est linguam extergere, & vniuersum os à sordibus mundare, & omni arte madefacere. Quod sanè facies interim dum morbus occasionem præstat expurgandi prædictos humores, quippe tunc leuissimis, vel nullo auxilio sitis sedatur: sed antea vteris his quæ valdè humectent, & leniant, dummodo sapore, aut odore ingrata non sint. Talis profectò est syrupus violaceus, iuiubinus, è portulaca, vel ex cucurbita, cremor hordei, saccharum crystallinum, succus glycyrrhizæ, vel decoctum hordei, radicis, & seminis althææ, foliorum portulacæ, & lactucæ, carnes cucurbitæ, & prunorum dulcium, psyllij, & foliorum buglossi: cui decocto addes sacchari albi quod sufficiat ad conciliandam dulcedinem. Prosunt & gargarismata quæ leniant, vt lactis, vel emulsionis amygdalarum dulcium, & reliquorum quę nuper diximus.

Quòd si mendosa suboriatur sitis, qualis ea est quę ex hydrope suboriri assolet, ventriculo nitrosum, aut salsum, vel putridum halitum, aut humorem ex peritonæo suscipiante, non quidem potu sedanda venit (quòd copia salsi humoris, aut nitrosi adaugeatur, quo fit vt exacerbetur magis, & crescat) sed his quæ oris ventriculi sensum obtundunt, aut vapores, & humores leniunt, & mulcebres reddunt: sic amylum, & eius aqua, sic mucilagines, & nonnunquam quæ pinguosa sunt, mirè prosunt.

Verùm dum sitis mendosa existit ex pulmonis incendio, nihil patiente ore ventriculi, sed solùm ore, & faucibus summè aridis existentibus à fuligine, quæ assiduè per eas partes erumpit, facilè disces, quia sic A affecti difficulter loquuntur, propter asperæ arteriæ ariditatem, & etiam quia à nullo potu sedatur. Cui sanè affectioni potiùs medeberis frigidi aeris inspiratione, & frequenti oris ablutione frigidissima aqua, vel sumpto serapio violaceo cum aqua hordei paulatim, & lambendo ingesto: & tandem ea omnia prodesse poterunt, quæ tussi, resiccatis faucibus ex aspera arteria proficiscente, vtilia esse capite de tussi scripsimus.

At dum iecoris ingenti calore, aut alio simili vitio, malum hoc suboritur, tunc quidem ipsi primò prouidendum est sanguine misso ex saluatella, vel ex basilica dextra, & exhibito etiam diluto rhabarbari, si humoris aliquid affuerit: præstita etiam aqua lactis, vel B conserua rosarum cum aquis cucurbitæ, lactucæ, intybi, cichorij, vel emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum. Item facta supra iecoris regionem inunctione ex vnguento rosaceo, santalino, aut refrigerante Galeni superpositis pannis aqua rosarum, & aceto madidis, vel succo agrestæ, aut intybi. Prouidendum autem ori est ijs quæ asperitatem, & scabritiem leniant, qualia nuper scripsimus, cui etiam potū largiorem porriges, sed per maiora interualla.

Cæterum si renum vitio sitis suboriatur, vt in diabetica passione succrescit, nullo alio auxilio censeo te potiùs in hoc malo profuturum, quàm eo quod vel somnum conciliet, vel sensum stupefaciat, aut saltem leniat. Sic profectò ex vsu est in his *tertia quaque no-* C *cte syrupi papaueris ℥. 1. & ß. cum aqua hordei, aut decocto maluarum, vel althææ porrigere*: quem quoque vsum præstat eiusdem aliquid interdiu lambendo ingerere. Prodest & syrupus portulacæ, violarum, de mucilaginibus, & tandem omnia quæ sensus acrimoniam retundere nata sunt. Quòd si ne hæc quidem prodesse comperiamus, non erit ab re *tertio, vel quarto die noctu ʒ. ß. vel ℈. 2. philonij Romani præbere*, quo & sensus molestia hebetior fiat, & somnus concilietur, vt à potus damno liberetur æger.

CAPVT V.

De singultu.

D

EST quidem singultus deprauatus quidam, & contra naturam ventriculi motus, qui conuulsionis modo efficitur, cùm tamen conuulsio non sit: quæ sanè affectio licet primo accessu videatur cognitione facilis, est profectò summè difficilis, non solùm quatenus ad naturæ explanationem, sed etiam, & longè magis ad curationem attinet. In cuius affectus enodatione primò compertum est, passionem esse totius ventriculi, & nonnunquam solius eius oris, aut inferioris cauitatis, vt ex Galen. 3. de locis affect. capit. 7. & 5. cap. 6. & 3. de caus. symptoma. cap. 2. apertè colligitur. Secundò expendendum est, & ferè omnium authorum consensu constat, non esse veram conuul- E sionem, sed certum quendam motum conuulsiuo motui persimilem: cùm indubitatum sit, conuulsionem affectum esse à solo morbo exortum, nihil agente facultate cuius motus oblæditur, sed omnino patiente: at singultum euidenter constat affectum esse à facultate, irritata tamen à re præter naturam, & conante quod nocuum est expellere. Differunt insuper, quia conuulsio propria est affectio instrumentorum voluntati seruientium, solius enim musculi passio est, vt Galen. aduertit 3. de caus. symptomat. capite 2. & ob id ad animalem potentiam peculiariter pertinet: at singultus partibus solùm accidit, quæ naturali fruūtur facultate, & sic proprius est eius affectus, & peculiaris oblæsio.

Insuper nemo est qui ambigat, motum esse ventriculi deprauatum ad expellendum nocuum, & ob id persimilem existere vomitui, & nauseæ, qui etiā eius-

dem

dem finis ratione excitantur à natura : & ferunt solũ differre, quia in singultu natura nititur expellere quod infarctum est in ipsius ventris, aut oris eius tunicis: in vomitu verò & nausea, quod in cauitate abundat, & præcit. Et ob id statuunt, solùm ratione motus maioris, aut minoris dissidere, cùm vehementiori conatu quod infarctum est in singultu natura cogatur expellere, leuiori verò in vomitu. Nam cùm statutum sit, nullum motum præter naturam fieri, nisi supra eum qui secundum naturam est, & in ventre nullus alius reperiatur præter eum qui excrementa pellit, & ad eũ attineat vomere, videbatur ad eundem singultum esse reducendum, ac de sorte, & natura vomitus existere, & sola ratione maioris, aut minoris dissidere. Sed iudicio nostro falluntur qui hac sola ratione dissidiũ constituunt: nam etsi vehementia motus, & loco humoris peccantis, vt ipsi scribunt, differant, ratio tamẽ differentiæ in hoc sita non est, sed in modo quo facultas in vtroque affectu operatur: nam in vomitu totus venter simul mouetur: in singultu verò non semper vniuersus, sed aliquando eius os, aliquando corpus. Præterea naturalis potentia, quæ nocui expulsioni dicata est, duplici modo id exequitur: vno quidem compressis partibus quibus inest, qui sanè expulsionis modus communis est, & naturæ familiaris, & sic ventriculus dum se se corrugat constringitque, nauseam, & vomitum concitat. Alio verò modo partes naturales expellunt vtentes instrumentis, & modo simillimo eis quibus motiua facultas vtitur, nimirum fibris, & filamentis quibus pars constat constituiturque, & eodem prorsus modo, videlicet quoties commouent se se, haud secus quàm musculus motui locali dicatus. Sic etiam ventriculus singultum mouet, non quidem se corrugans, & constringens, vt in nausea, & vomitu, sed se se quatiens, & contorquens, vt mediante motu illo expellat quod sibi est molestum; haud secus quam cerebrum in epilepsia partes voluntati seruientes mouet, & concutit non quidem voluntatiè se mouente naturali facultate ipsius cerebri, vt etiam nocuum expellat. Itaque constat in vomitu solum contractione, & corrugatione facta, naturam expellere, at in singultu extendit natura ventriculum primò, & posteà velut se comprimit, vt cum saltu, vibratione, & concussione impetu maiori quatiat, & pellat quod sibi est molestum. Constat igitur vno motu vomitũ mouere naturam; duobus verò, extensione nimirum & contractione, singultum, quem ob id appellauit Auicen. motum compositum. Sunt tamen qui arbitrentur, primò naturam se se contrahere, & postea vibratione, & impetu dilatari, & pellere: sed falluntur profectò, quia non mutat consuetum expellendi ordinem, hoc est per contractionem, sed mutat modum, quia se dilatat, & postea impetu, & saltu (non sola corrugatione, & compressione) se contrahit, & expellit: quippe si dilatatione pulsum tentasset, vtique ad extima ventriculi pelleret, quod esset alienum à ratione, & natiuo pellendi modo, quòd nullus esset locus per quem extra corpus truderetur, & ob id priùs se dilatat vt compressione intra ventris cauum pellat. Ex quibus prodit ratio, inter alias, quare singultus dicatur potiùs motus conuulsiuus quàm conuulsio: nam conuulsio motus est, cæterùm ad vnam tantum situs positionem factus, vbi membrum quiescit, siue ante, siue retro sit: At motus conuulsiuus compositus est ex motu ad vtrasque partes, nam se se extendit membrum, & mox se contrahit, atque quatit. Ex quo enĩ coniectanda est differentia inter conuulsionem, & motum conuulsiuum, quæ magni est momenti: quia in conuulsione impeditur facultas, & solùm membrum morbidum agitur à morbo: in conuulsiuo verò motu agit facultas, & patitur membrum : prætérquam quòd facultate etiam differunt. Ex qua profectò veritate prodit non solum pulchra quædam differentia inter prædictas affectiones, verùm constat, neque singultum, neque motum alium quemuis concussiuum, posse omnibus partibus nostri corporis accidere, quantumuis expellente facultate fruantur, & acri humore irritentur, nisi tantùm his quæ villis, & fibris constitutæ sunt : quod probant partes carnosæ, adenosæ, & pinguiosæ, quas nunquam visum est à se concussiuo, & vibrato motu quidquam pellere, quòd villis careant. Quo fit, vt ventriculus in singultu, musculosæ partes in rigore, vterus in vterinis affectionibus, cerebri meninges in epilepsia concussiuo motu à se pellant, à naturali quidem facultate facto, sed nõ modo naturali, nec facta partium inter se leui compressione. Differunt tamen inter se concussio membrorum in epilepsia, & in rigore, ac singultu, licet ab eadem fiant facultate, & ob eandem causam : quia in epilepsia partes concutiuntur per consensum cerebri se se concutientis, & conantis expellere nocuum: at in rigore omnes partes sentientes primaria affectione læduntur, & concutiuntur, vt in singultu ventriculi prædictæ partes. Excogitauit enim natura nouum expellendi modum, & cunctis validiorem, tum quia humor pressiùs partibus inhæret, tum etiam quia penitiùs insertus imbibitur, adeò vt communi expellendi modo separari erat perdifficile, ne dicam impossibile, cùm solùm ea via, quod in cauitate immoratur, assuescat natura pellere : quo fit, vt maiori conatu opus sit, & noua pellendi arte, qualis in singultu, & similibus reperitur. Itaque constat singultum esse expultricis facultatis ventriculi noxam, & symptoma; quod sequitur etiam retentricis ventriculi vitium nõ potentis cibos probè complecti, & retinere : sed id ex accidenti illi succrescit, non tamen integrat eius naturam.

Sed de causis hunc affectum excitantibus, longè maius licet contexere certamen, quòd indistinctiùs earum discrimen, & naturam adduxerint authores ferè omnes, ne dicam Hippocr. & Galen. licet ij modestiùs, & oculatiùs eam rem scripserint. Constat igitur vnanimi omnium sententia, easdem singultum sortiri causas, quas conuulsionem veram, & eam quę musculosis partibus accidit, nimirum repletionem, aut inanitionem: & addunt nonnulli peculiarem etiam aliam singultum sortiri, hoc est acrimoniam, & mordacitatem humoris. Verùm si quis rem maturiùs pensitet, reperiet profectò, hac vltima excepta, singultum omni alia carere : quod ex ipsa affectus ratione, & modo quo causæ in ipsum efficiendum conscendunt facilè discet. Primò quidem, cùm conuulsio actio sit à solo morbo prodiens, & morbus sit soluta continuitas cum dolore, necessariò obtinuit causas, quæ soluere continuum natæ essent, qualis repletio distensione, & inanitio contractione (idque non vtcunque, sed vt proprio cap. de conuulsione scripsimus) efficere habent : at singultus ex his est symptomatis, quæ à sola facultate, licet irritata, prodeunt citra sensibilem morbum, sed solo irritamento vltra naturæ modum illato in facultatem, cui opus non est plenitudine, aut siccitate, sed solum causa quæ pungendo, aut mordendo facultatem vltra consuetum modum, ipsam ad vehementiorem expulsionem nocui inuitet, quantum ipsa causa naturalem excedit. Quòd si aliquando in ventrem vberius confluat, singultireq; laborantes conspiciamus, aut rursus, si accedat causa quæ inanitionem, & siccitatem moliatur, vt in grandioribus euacuationibus, aut æstuantibus, & malignis febribus accidit, existimandum quidem est, repletionem, & inanitionem illam singultum non efficere eo modo quo & conuulsionem, neque qua plenitudo, aut siccitas sunt. Nam in conuulsione lædũt, quia adeò dolorosè continuum extendunt, & soluũt, vt figuram inuertent : at in singultu, plenitudo lædere quidem potest, sed quia grauans est, & irritans pondere,

Causa.

dere, aut malignæ existit conditionis, citra id quod partem distendat, & ob id cogat ad originem verti. Siccitas verò & ingens euacuatio singultū efficiunt, non quia corrugant partē, & contrahunt, ac soluunt præ compressione, sed vno è duobus modis: primo, quia ex inanitione sequuntur suctus, & mordicatio in ore ventris, & eius corpore, quam vt fugiat natura, gliscit ad expulsionem nocui, & prædicto singultu vtitur, vt finem consequatur: Secundo verò, quia causæ quæ prædictam inanitionem, aut siccitatem induxerunt, ventris facultatem irritant, & mordēt, & rursus, quia loco eius quod vacuatur, in ventrem cōfluit flatuosum quid, aut aliud acre, vel mordax, quod prædictum irritamentum molitur, siue vacuatio per vias sit communes, siue sanguinis à venis, quo profuso copiosiùs, necessum est acres humores vberiùs abundare, & furere, ac in ventrem irruere, & ibidem prædictum accidens excitare. Sæpè tamen ex ingentibus vacuationibus, sanguinis, aut calidorum succorum, adeò intensa contrahitur in ventriculo frigiditas, vt sola nata sit singultum mouere, sicut re vera citra calidorum euacuationem solet efficere, vt mox referā. Itaque constat repletionem, aut inanitionem non posse, vt conuulsionem, ita & singultum efficere, neque vt tales sunt, sed vt citra morbum aliquem aptæ sunt naturam lacessere, & irritare: exemplo quidem sunt rigoris, & epilepsiæ motus, qui nusquam ab exsiccatione, aut repletione proficisci visi sunt, sed à causa quæ naturam irritet, licet in corpore præsit plenitudo, aut siccitas: quo fit, vt minimè credendum sit aliter accidere in singultu. Constat igitur hunc affectū eas tantum sortiri causas, quæ natæ sint citra alterius morbi interuentum mordicationem inferre, & naturam excitare. Huius sanè naturæ sunt flatus, vel humores acres, mordaces, serosi, nitrosi, aut medicamenta, seu alimenta, vt de pipere, & pharmaco ex tribus piperibus Galen. refert: huius etiam conditionis sunt frigus, calor acrior, cibus copiosus, aut mala qualitate affectus, vel in nidorosam, aut corruptam conditionem versus. Quòd verò vehemens caliditas, atq; frigiditas morsum inferant, & singultum, testimonio sunt pueri, & Galen. 4. simpl. differunt tamen quia frigiditas veluti erodendo, & caliditas diuellendo morsum inferat: at caliditas plerumque succrescit ex calidioribus alimentis, frigiditas tamen ex frigidiori potu, vel cum quis festinanter alimentum deuorare nititur, quia tunc aeris non leuem portionem ingerit, vt probat curatio, nam sola vocis cohibitione cessat. Insuper etiam alia ratione frigiditas singultum infert, nam corpora omnia neruosa ad difflationem inepta reddit, & ob id causa est, quòd acri vapore abūdent, & subinde singultus excitetur. Cuius profectò repletionis, & non eius quæ distensionem, & solutionem continui molitur, censeo locis omnibus meminisse Hipp. quod Gal. expressissimis verbis testatus est 6. aphor. 13. dicens, sternutamentum à singultu liberare, quòd sternutamentum plenitudinem euacuet: quā plenitudinem prædicto modo fieri exprimit, & ob id ex frigiditate, & ab ea orta plenitudine asserit pueros frequenter singultire: quinimo existimandū est, has solas esse veras singultus causas, plenitudinem verò ac que inanitionem non nisi metaphoricè. Sic profectò in confirmationem huius veritatis Gal. 8. pharmac. loc. c. 2. hæc scribit verba: *Ego verò in conuulsione tertiam aliquam causam citra euacuationem, & repletionē nondum reperi; singultum etiam sine his fieri video*: q; d censeo dixisse, quia illæ natæ sunt morbosam cōtinui solutionem efficere, quæ immediata est conuulsionis causa, vtpote quæ à solo morbo debet fieri; hæc verò non nisi irritamentum naturæ citra permanentem, & sensibilem morbum, sed solùm passione hac excitata, & lacessita natura, nullo morbo mediante. In febribus verò hunc affectum fieri credendum est ob

A halitus, vel humoris acrimoniā, aut venenosam qualitatem, & si quando ventriculus ex ingenti calore resiccatur, & forsan ex resiccatione mordetur, aeris enim & caloris mordacitas, cùm citra materiam facultatem expellentem lacessant, ad inanitionem reduci debent, ad differentiam alterius mordicationis quæ ex humore prodit. Sic profectò vermes mordendo partes ori ventriculi vicinas, singultum excitant: & pari ratione exquisita oris ventriculi sensibilitas, quæ vel à naturalibus, & consuetis causis, singultum ob id mouet. Præterea accidit reuulsa interiori tunica ventriculi, siue ichoribus, aut bile refluente in stomachum, quod in hepatis inflammationibus eueni- B re par est: quanquam consortio tenuium neruorum, qui ab hepate ad stomachum pertinent, videtur attribuisse Hippocrat. 1. popul. & Galen. At materia quæ aliundè regurgitat in ventriculum, irritat quidem aliquando, nonnunquam, vel inflammationem gignit, vel erysipelas, ac non rarò fluitat, & sæpè in corpore eius imbibita est.

Præsagiū Præsagiendi ratio exquirenda profectò est, vt certior euadat, ex modo inuasionis affectus: nam si incipiendo procedit à frigore, calore, cibo, potu, vel quauis alia causa, quæ nondum in alium affectum protuperit, leuior est singultus. Verùm si alium affectum sequatur, aut, vt rectiùs loquar, causam eius, vtcunque sit, longè grauior est: nam à vacuatione sanguinis, à C vomitu, ab alui fluxu, à sudore, à menstruo fluore, à febre maximè laboriosa, vel quouis alio, mihi non est dubium quin maximum portendat periculum, vt experimento confirmatum est, & Hippocrat. docuit aphorismo 3. & 4. libri 5. Pessimus etiam est ex inflammatione ilei, meseræi, ventriculi, hepatis, aut cerebri, sicut in sopore, vel animi deliquio, aut tertianis febribus, sic & in febre ardente, & quacunque continua, qualis ea est cuius meminit Galen. 4. acutorum singultuosa nuncupata, quæ summè malum portendit, nisi vomitus sequatur: nam venenosam materiā, vel internam tunicam ventris exuri proculdubio significat, aut acres, & biliosissimos humores, & quos vix superare potest natura. In hystericis verò fœmi- D nis non ita periculosus existit: in vteri inflammatione deterior, à musculis, & ossibus temporum læsis, lethalis: item in senibus ob prolapsa intestina non ita, quia sola reductione curatur.

Signa. Nosces singultus causam prægressam ex relatione: nam inanitionem præstitisse occasionem, ex præcedentibus euacuationibus disces, vel ex largiori inedia. Humorum, vel alimentorum copiam, causam præstare cognosces, quòd præcesserit multorum, aut prauorum alimentorum esus. Acrimoniam & mordacitatem disces ex oris sapore, & vomitu, ex anxietate, & mordicatione, & graui in ventriculo molestia: item ex his quæ excernuntur. Ita & in febribus ex humore peccante copioso vt in principijs, prauo, E & venefico vt post euacuationem, aut ex solo incendio, quod testatur ingentissima sitis: sic pusilla humoris portio, aut vaporis maligni noscitur priuatione prædictorum signorum.

Curandi ratio. Curationem probè institues, si diuiseris in eam quę singultui debetur, cùm per se affectum constituit, & in eam quæ ei proficua sit, cùm alterius affectionis est accidens. Huic enim medeberis triplici auxiliorum genere: vno quidem quod morbo proficiat, & symptomati, si morbi materia occasionem præstitit, vt in febribus conspicimus (nam de singultu ob inflammationem ventriculi, cerebri, vteri, iecoris, & aliorum membrorum, sat est nosse, per ablationem affectus, aut per solam sensus oris ventriculi retusionē compesci debere) quarum succi in ventrem confluentes id malum machinantur vno è tribus modis: nam aut succrescit singultus in principio febris, crudorum succorum vbertate, & à recrementis primarum

venarum: quam sanè, vel expurganti pharmaco, eoque leniente protinus demes, vel vomitu. Secundò prouenire assolet in statu, quo tempore crisis per vomitum futura monstratur, cui sane nullum præsidiũ administrare oportebit. Tertiò verò & vltimò succrescit singultus in febrium augmento, humore ob calorem præter naturam vigentem fuso, & feruido, ac ob id ad plures partes euaporante, ac forsan maximè in ventrem, & os eius. Quod sanè vt fieri assolet duobus modis, ita vtrosque seorsim ad curationem, tanquam differentes, expendisse oportebit: quippe vel refunditur vitiosus, ac feruidus humor per meseraicas à iecore, & venoso genere in ventris inanitatem, aut per venas, quibus os ventris, & venter ipse gaudent, & fruuntur, permeat ad prædictarum partium substantiam, quod grauius solet esse, & periculosius. Distingues autem ad inanitatem confluere, quia rariùs singultiunt laborantes, & leuiùs, atque ab assumpto cibo, vel potu, aut quouis medicamento leuantur. Fieri autem fluxum in ventris substantiam, aut os eius, quòd non sedetur cibo ingesto, & singultus frequenter, & importuniùs fiat, ac veluti vera ventris conuulsio videatur, quia non quiescit longiori temporis spatio, sed præ frequentia veluti suffocati laborantes videntur, quia cùm infartum sit quod mordet, difficiliùs pellitur, & pressiùs, ac importuniùs naturam lacessit. Quo fit, vt duobus etiam modis subuenire huic malo oporteat: nam præexistente in ventriculi cauo mordaci humore, vel vomendo, aut leni pharmaco expurgando, protinus demendus est, cauens ne seligentibus vtaris, ne plus humoris ad ipsum ventrem euocetur. Quippe quæ leniendo purgant, humorem euacuant, & simul residuum mitigant: sic dum vomendum est, aquæ calidæ haustum copiosum porrigere oportebit, vt & abluatur sordities, & sursum ducta faciliùs vomitus concitetur. Verùm si constiterit infartum esse in ventris substantia humorem, vt malum toleratu est grauius, ita prorsus curatu difficilius existit. Cùm hoc tamen tribus præsidiorum sortibus pugnandum esse consulit vrgentiæ ratio: nam si vel corpus purgatione iam vsum fuerit, aut ob febris inclementiam non licuerit, curabis sensum (ne laborans plurimum labatur) stupefacere, ac primò (si fortè suffecerit) à leuioribus facto exordio: nimirum à syrupo violarum, portulacæ, de mucilaginibus, & de papauere, ac vltimò deueniendum est ad philonij vsum: interim tamen alexipharmacis curabis humoris inclementiam conterere, vt theriaca, vel electuario de hyacintho, si febris incendium non vetuerit; sin aliter, ea admiscere oportet syrupo violarum, de succo limonum, & de portulaca, cum copiosioribus aquis. Exteriùs verò oleo Matthioli, naphthæ, vel de absynthio cum vino partem inunges. Verùm si febrilis feruor non vetuerit, ex re erit ante statum seligenti pharmaco purgare, vt infuso rhabarbari, vel foliorum senæ, & syrupo ex infusionibus violarum, aut manna. Vel si huic curationi locus non sit, clysmatis vẽtrem sollicitabis interim dum corpus ad maiora auxilia paratur, & pari pensu humoris, ac flatus acrimoniam retundes: quem vsum præstare possunt prisanæ cremor, lac amygdalarum dulcium, amylum, lac asininum aquæ admixtum, vel iuri pulli, aut aquę lactucę, vel portulacæ. Item emulsio quatuor seminum frigidorum maiorum extracta aqua hordei, portulacæ, aut lactucæ: cuius etiam censius est haustus aquæ feruentissimæ, aut si maximus sit feruor, & nihil aliud vetuerit, frigidissimæ. Quòd si sola sit æstuosa caliditas, mirũ in modum proficiunt trochisci, q. ℞. *spicæ nardi, rosarum viridium, & mastichis, anà ʒ. ß. aloes, & asari ℈. 1. opij gr. 12. excipiantur mucagine psyllij facta in decocto lactucæ, & fiant pastilli quantitatis gr. 10.* Prodest in vtraque causa potus aquæ alicuius ex dictis, aut plu-

A uialis frigidissimæ, si vires, aut summa cruditas non vetuerint. Verùm in hac æstuosa causa vẽter exteriùs fouendus est (non quidem vt in præcedenti, vbi resoluere, ac digerere calidis opus erat) oleo rosarum, vel omphacino, de semine cucurbitæ, aut de papauere, additis pulueribus ex corallo, & rosis cum mucagine psyllij, & guttulis vini albi.

Quòd si singultus nulli alteri affectioni, quæ peculiarem prouidentiam expostulet, adiungatur, tunc profectò à causæ consideratione, & ablatione initium curationis auspicari oportet: quippe si à sola frigiditate oriatur, sola vociferatio, vel anhelitus voluntaria cohibitio, vel cogitatio intenta, vel timore percussa sufficiens est, quòd spiritus compressus vici-B nas pulmoni partes plurimum calfaciat: idem quoque præstat aqua frigida in faciem inopinatò inspersa. Præstat etiam intus, & extra ventrem calfacere per ea quæ partem ipsam rarefaciant, facta priùs leui frictione: cui vsui summopere confert vinum Hippocras appellatum, vel ius cum cinnamomo, aut ipsum cinnamomum commanducatum, aut aqua cinnamomi, quæ feruens existat. Exteriùs verò dorsum inunges oleo naphthæ, vel de pipere, & ventrem eisdem, & balsamo, oleo nardino, & de mentha, superposito cataplasmate ex furfure, vino, aqua vitæ, & pulueribus calidis. Verùm si flatuum multitudo ventrem ad singultum lacessit, præterquam quòd nuper adducta præsidia ex vsu esse possunt, pro-C dest etiam vinum in quo maduerint anisum, baccæ lauri, ruta, rosmarinus, iuniperus, & galanga: valet vinum Hippocras appellatum, aut aqua in qua maduerit anetbum, absynthium, cariophyllus, & id genus. Præstat & leuis haustus aquæ vitæ, aut aquæ cinnamomi arte chymica extractæ: item diacyminon, dianison, & electuaria quæ fiunt ex nardo, gallia, & zingibere. Idem præstat theriaca vetus, aut mithridatum. Quòd si ex corrupto cibo flatus prodeat, maximi est vsus id q. ℞. *spicæ celticæ, zingiberis, nepetæ, seseli, rutæ, dauci, cumini, anà ʒ. 1. sacchari ℥. 6. fiat puluis, cuius ʒ. ß. porriges superbibito melicrato.* Proderit tamen priùs rhabarbaro, aut hiera ventrem purgare, vel pilulis q. ℞. *spodij, seminis intybi, portula-D cæ, ligni aloes, anà ℈. 1. pulpę tamarindorum ʒ. 1 rhabarbari electi ʒ. 2. conficiantur cum oxycrato.* Magni etiã est momenti syrupus de corticibus citri cum infuso rhabarbari in hydromelite: sicut exteriùs calidis, & discutientibus vti, sed maximè decocto chamæmeli, absynthij, & cariophyllorum, aut fœniculi: prodest & cataplasma ex furfure, vino, & pulueribus carpesiatum, galangæ, & cinnamomi.

At si ex causis prodeat, quas diximus affines esse inanitioni, tunc profectò reficientibus potiùs, & restaurantibus, quàm his quæ vel euacuent, vel calfaciant, aut digerant, res agẽda est: quapropter vtendũ erit destillatis, colatitijsq; iusculis, & expressionibus, ac cibis humectantibus. Fiunt autem hæc ex conser-E uis buglossæ, borraginis, nenupharis, & similiũ: item ex iure extremitatum capreolorum, aut auium, addito cinnamomo, & saccharo. Præstat etiam dorsum inungere, & ventriculum oleo violarum, hydrelæo, & oleo seminis melonum, cum hapsu ex gossypio carpto illis imbuto, qui perpetuò ventriculo, & dorso insideat: tandem consulendus est Galen. 7. metho. cap. de siccitate ventriculi.

Quòd si à calidorum humorum affluxu is affectus suboriatur (quod ex rosionis, & mordicationis sensu perdisces facilè) quàm citissimè curandum est ventrem à prædictorum humorum spurcitia liberare, quod promptiùs facies vomitu, exhibitis priùs quę humorum acrimoniam retundant, & aliquo modo attenuent (quia semper his adiungitur aliquis lentor, qui fixiùs adhæret) atque pariter contemperent: cuius naturæ est aqua calida cum syrupo violarum,

bor-

borraginis, & buglossæ, atque portulacæ, & guttulis oxymelitis: item panis aqua imbutus, vel aqua hordei, cum saccharo violarum, & modico aceto. Prosunt & emulsiones seminum frigidorum maiorum, & succus portulacæ, aut lactucæ, cum aqua hordei, & saccharo, vel decocto papaueris: prodest etiam lac seminis eius. Quibus factis, audaciùs poteris vomitum mouere, ac si laborans, vel tenuerit, vel difficulter vomuerit, vel factum non profuerit, his ventrem purgabis quæ superiùs diximus, infuso nimirum rhabarbari, manna, syrupo solutiuo rosarum cum decocto foliorum senæ. Prodest & absynthij decoctum, cum expressione rhabarbari, aut foliorum senæ, cum saccharo, vel syrupo portulacæ. postea verò frigidæ aquæ potus mirum in modum singultui medetur. Quibus profectò non solùm ventri beneficium præstabis, sed prouidebis etiam iecori, cuius occasione, & vitio non raro hanc affectionem succrescere scimus. Sed exteriùs quoque venter, & iecur inunges oleo rosaceo, vel omphacino, aut vnguento rosaceo, vel santalino, vel ceratum superimpones ex oleo rosaceo, & violaceo sæpius aqua rosacea cum modica cera lotis.

Si tamen ex humore crasso, frigido, & parti nimium infarcto homo singultiat (præter sternutamentum, & alia quæ authores proficua esse scribunt, quæ in vim habent calorem subitò ad interna reuocare, vt sunt subitæ animi passiones, & alterationes) primitus humores extenuare, & calfacere, ac incidere opus erit, quod facies primum melicrato, oxymelite diuretico, aut simplici: quibus factis quantum sat sit, vomitum excitabis bis terve in hebdomada, porrigens intermedijs diebus, hydromelitis squillitici modicum, aut oxymelitis squillitici cum melle rosaceo tantundem. Verùm si vomuisse non suffecerit, iterum humores præparabis, & ad hieræ simplicis Galeni vsum (quæ primas tenet in hoc affectu) te conferes, vel ad pilulas masticinas, de aloe, de rhabarbaro, & agarico, cum modico turpeto: nec non ad terebinthinæ abietis vsum, vt quæ mirè viscera omnia repurget, maximè si ex ea, & rhabarbaro pilulas confeceris. Inter vnam tamen, & alteram purgationem, modico veteris aceto squillitico, aut oxymelite cum decocto cinnamomi, hyssopi, thymi, satureiæ, & ligni aloes: quibus factis, authores consulunt *castorei* ℈. 1. *aut* ʒ. ß. *cum posca potui tribuere*, vel *theriacæ, aut mithridatij* ℈. 1. *cum vino aromatis condito*, & iterum ad purgationem ex hiera, & agarico iubent deuenire: postea tamen commendant vsum vini quod sic conficitur: *Excipe vini albi* ℥. 6. *in quo leuiter ferueat galangæ* ʒ. 1. *cinnamomi, & seminis anethi, anà* ʒ. ß. *castorei* ℈. ß. *cuius singulis diebus manè sumat laborãs* ℥. 1. *& ß.* Præstat & hydromel ex decocto squinanti, assari, maioranæ, aristolochiæ, & zingiberis: prodest & diacyminon, dianison, & diatrion pipereon. Sed mirum in modum prodesse scimus electuarium q. ℞. (maximè si quid vitiosum, & corruptum adhæserit) *seminis anethi, cardui benedicti, citri, anà* ℈. 1. *melissæ, corticum citri, anà* ʒ. ß *coralli rubei, galangæ, macis, cinnamomi, anà gr.* 10 *margaritarum, fragmentorum smaragdi, anà gr.* 8. *cornu cerui, & lapidis bezoar, anà* ℈. 1. *cum saccharo, & vino albo fiant tabellæ*: item theriacæ modicum, aut mithridatij, vel stillationis eiusdem theriacæ. Huic etiam causæ, post prædicta præsidia scimus incredibili efficacia prodesse cucurbitam ventri appositam: nam euocato calore, materiæ inclementiam, & duritiem frænat. Exteriùs verò inunctiones, fomenta, cataplasmata, & emplastra, quæ superiùs scripsimus vim habere calfaciendi, adhibenda sunt: oleum item anisi, cariophyllorum, aut cinnamomi, aut theriacæ, & alia plura, quæ huic vsui proficua leges tom. 2. capit. de præsidijs ventriculo calfaciendo, aut refrigerando idoneis. Verùm si ne hæc quidem, aut illa prodesse videatur, ad narcoticorum A vsum iterum confugiendum est ea lege quàm superiùs adduximus. Expendendum tamen est in curatione eiusmodi causæ, purgantia medicamenta non vehementia, nec copiosè, atque confertim esse adhibenda, languescit enim summopere eorum vehementia, & calore vis ventriculi, quo deterior plerumque fit affectio, sed satius est paulatim, & per interualla minutis vti purgationibus, vt citra virium iacturam sensim humores imminuamus.

CAPVT VI.

De nausea, & vomitu.

B Est quidem vomitus vna ex affectionibus quæ ventriculo accidunt, cui comites sunt consimiles aliæ, nimirum nausea, supinitas, subuersio, æstuatio, & conturbatio ventriculi, & tandem aliæ, quas stomachicas Gal. 8. pharmac. loca. appellat. Recenset namque eos sic esse appellandos, qui ab accepto cibo grauantur, & ægrè tolerabilem anxietatem habent, & qui nausea infestantur: maximè cum ciborum acore, aut nidore, vel alio vitio: & qui ructus eiusmodi cũ molestia quadam, anxietate, ac subuersione eructãt: maximè si nondum cibum acceperint, & qui in ventre diu cibum adseruant grauantem, & qui à nimio premuntur appetitu. Item eos qui fortiter exoluũtur, si citò cibũ non accipiunt, & morsum persentiscunt: tandem eos omnes, qui nauseabundi cum æstu, anC xietate, & tristi molestia existunt.

Cæterùm primò expendere hoc capite oportet, subuersionem esse laxitatem quandam ipsius ventriculi, quæ ex distemperie, aut (vt 8. pharmac. local. Galen. refert) ex copiosa, & inundante humiditate proficiscitur citra aliud vitium humoris, quibus de causis ventriculus subuertitur, & velut nausea mouetur. Cui affectioni finitima est supinitas, in qua quidem ventriculus pari lege mouetur, verùm citra ciborum abominationem, & tædium, in quibus videntur differre huiusmodi affectus. Cæterùm, quia subuersio finitima est fastidio, supinitas quidem nauseæ, ob id arbitramur differre ab æstuatione, & conturbatione, D quæ sunt quoque deprauati motus, dum ventres æstu, & calore, ac propensione ad motum nauseatiuũ mouentur, quæ sanè ab assumpto pharmaco plerumque succrescere solent, & potu frigidæ protinus subsident & quiescunt, quo differunt à subuersione, & supinitate: sed horum hac in parte seorsum meminisse nõ est opus, cùm sat sit vomitus, & nauseæ curationem, & naturam expendisse.

Est quidem nausea inanis quædam vomendi necessitas, qua ventriculus citra manifestam excretionem ad vomitum mouetur. At vomitus tantùm est expellentis facultatis motus, quo pellit quod sibi est molestum in ventriculo. Quarum definitionum gratia expendere primò oportet, quanam ratione ventriculus huiusmodi moliatur vacuationem, naE turaliter ne, an præter naturam: nam potissima ratio, propter quam toto genere præter naturam Medici eam appellarunt, est quia nullum huic vacuationi natura dicauit instrumentum: namque statutum est ventriculo per œsophagum vorare, ac per pyloron, & infernam aluum expellere: igitur nulla lege videtur posse fieri, quòd animal naturaliter vomat, etiam si Galen. dixerit œsophago inesse vorare, & vomere. Prætereà nullum esse instrumentum constat: nam per villos rectos œsophagus trahit, per circulares pellit ab œsophago in ventriculum, & nullũ aliud habet villorum genus, quo possit sursum pellere, ergo vomitioni nullum datur instrumentum. Quod secũdò sic probo: nam vacuatio quæ fit per vomitum, etiam censenda est præter naturam, quatenus id quod excernitur nõ est residuũ optimæ coctionis, sed quid

superuacuum, & excrementitium, alienum quidem A ab his quæ secundùm naturam solent fieri. Insuper præter naturam efficitur, non quòd ope naturæ non fiat, neque quòd subito naturæ instrumento careat, sed quia natura ipsa peruertit agendi antiquam consuetudinem. Ratio huius rei stat in hoc, quòd, vt alimentum ab ore in ventriculum deferatur, necessum est fibras oblongas moueri primò, ac motum incipere à parte œsophagi suprema, & ministerio transuersatum, quæ comprimunt alimentum, ab eadem parte incipientium deferri deorsum. Itaque cùm motus fibrarum principium sumit à parte superiori œsophagi, deuoratio perficitur: cùm verò principium prædicti motus fibrarum fit à parte inferna œsophagi ad supernã, & os ipsum, efficitur vomitus. Quo fit, vt hac B ratione aliquo modo constet vomitum non omnino subuertere naturæ leges, neque omnino esse præter naturam: quippe abutitur ipsa villis oblongis, & circularibus, vt vsus tempore hunc motum exequatur: nam vomitus fit mediantibus duobus motibus, ventriculi nimirum conantis expellere, & œsophagi trahentis sursum, mediantibus villis rectis (quibus voratum secundum naturam efficit) apprehendentibus quod vẽtriculus regerit, cui operi iuuant etiam villi transuersi comprimentes, facto principio compressionis à parte inferna sursum, donec per os euomatur excrementũ, & hoc est quod Gal. dixerat 6. de morb. & sympt. nimirum naturam his motibus abuti.

Sic nausea fit inanis duobus modis, aut quia villi C memorati non trahunt, etiam si ventriculus regerat quæ continet, & talis motus appellatur supinitas: aut quia ventriculus non regerit, quòd impacta adhærens que sit contenta substantia, etiam si œsophagus conetur trahere, quæ vera est nausea. Itaque si vterque motus principium sumat à parte interiori, vomitus nauseave fiet; nam sicut quod in ore continetur, deorsum fertur, facto motus principio à parte ori proxima, pari lege vomitus efficitur eius quod in ventriculo continetur, facto motus principio à parte œsophagi ventriculo proximiori. Ex quo constat, vomitum esse affectum præter naturam facultatis expellentis ipsius ventriculi, factum eisdem instrumentis, quibus deuoratio fit, cæterùm diuerso modo, & ordine D operantibus. Nausea etiam eiusdem est naturæ conatus, licet irritus, & inanis, in quo differt à vomitu, quia nihil notatu dignum excernitur in ea. Qui sanè duo motus ob id à Galen. naturæ opera appellantur, quòd à principio intrinseco proficiscantur; & eo quòd natura non nisi irritata eos moueat, aliquando symptomata appellat. Quo fit vt affectiones naturæ potiùs quàm actiones censeri debeant: contrahit enim se se ventriculus in vtroque motu, & ad modum quo manus nostræ comprimunt quod continent, premit, & pellit: ac licet toto genere præter naturam sit quod proijcit, dum prodest, & ex nocui expulsione animal iuuatur, sub affectu præter naturam continetur, non tamen toto genere, vt ex Gal. constat lib. de E differentijs sympto in fine.

His habitis, constat euidenter hos omnes motus vni facultati, nimirum expultrici, conuenire, tãquam in vnica ratione generica, verùm dissidere inter se peculiari quadam, & specifica ratione, qua vnusquisque propriam adipiscitur naturam. Nam vomitum & nauseam potiùs mouet naturalis facultas expultrix, appetitu quodam naturali stimulata, quòd sibi tanquam dissimile apprehendat, quod nititur expellere, potiùs quàm occasione alia. At singultum ob sensus acrimoniam, & læsionem excitari comperimus, & quasi præstans subsidium expultrix gliscit ad nocui, & molesti pulsum, in quo etiam conuenire cum vomitu videtur, licet in modo longissimis dissideat interuallis. Verùm in supinitate, subuersione, æstu, & turbatione ventriculi, in animalis A appetitus subsidium se se accingit ad nocui expulsionem, vt euidenter probat cibi fastidium, cui prædictæ affectiones iunguntur: quippe omnes sunt cum cibi horrore, & tædio, in cuius gratiam, ac medelam expultrix insurgit, ac etiam adeò intenditur motus, vt vomitum, & nauseam in subsidium aduocent, vt non rarò accidit his, quibus visa, aut audita re aliqua sibi aduersa non solùm supinitas, & subuersio succrescunt, verùm & nocui vomitus: secus res se habet dũ malum à vomitu incipit, quia tunc sat est, causam, quæ ipsum excitat, ob dissimilitudinem esse naturæ aduersam, adeò vt nitatur ipsam pellere: præterquam quòd (vt mox probabo) causæ ratione longissimis dissident interuallis.

Causæ.

B Proficiscitur vtraque affectio à causis quibus inest vis facultatem ventriculi expultricem irritandi, aut labefactandi contentricem, ne possit sibi commissum alimentum continere, aut actibus errantis expultricis resistere, etiam si leues sint, nam sola sui ratione arbitror minimè posse vomitum mouere, quantũuis frigiditate, aut humiditate abundet, quæ potissima sunt eius impotentiæ principia. Facultatem verò expellentem variæ causarum sortes lacessunt: cæterum duo tantum earum genera ipsam ad expulsionẽ vitiatam inuitant, nimirum ventris vlcus, tuberculum, aut acrior ipsius sensus, vel humor, aut excrementum quoduis, quod præter naturam ibidem confluat, aut generetur. Hæ tamen sunt in duplici differentia, C nam aut pondere, & grauitate molestant, aut acrimonia, & mordacitate lacessunt. Materia tamen harum causarum multiformis est, & varia: nam ex humoribus quilibet, nec non & excrementis, diuerso tamẽ modo: nam quædam ventriculum inundantia, replentiaque eiusdem cauitatem, id malum efficiunt: nonnulla ipsi ventriculo adhærentia infartaque (quæ maiori ex parte nauseam efficere sunt nata) siue crassa sit pituita, quæ plerumque, aut innatat, aut adhæret, siue bilis, serosusve humor, aut aliter vitiatus, adustus, putrefactusve. In quo etiam genere sunt cibi, & potus, vel fœtidi, vel pinguosi, vel tædiosi, & prauè olentes, aut acres, & mordaces.

Dubium.

Sed suboritur non leue dubium in modo quo hæc D omnia prædicto malo causam præstant: inquit enim Galen. 1. de locis capite 4. Ex humoribus prædictos affectus efficientibus, quosdam ventris cauitatem replere, & inundare, quales sunt aquosi, aut qui ex crudis edulijs praui gignuntur: quosdam ventriculi tunicis adhærescentes, & impactos, qui crassi sunt, viscidi, & glutinosi: alios verò acres, mordaces, serosos, & nimium tenues, qui plerumque in ipsius tunicas infarti, acrimoniam inferunt, & mordacitatem. Et subdens diuisionem inter nauseam, & vomitum docet, humores, vel adhærentes, vel in cauitate inundantes vomitum mouere, hos quidem facilem, illos verò difficilem, & cum maximis conatibus, quem cum praua excretione præcedit vehe- E mens nausea: nauseam verò efficere eos qui in ventris ipsius tunicis inuiscati, & penitiùs inserti sunt. Ex qua doctrina prodit dubitandi occasio, nimirum quæ sit differentia inter singultum, & nauseam, si quidem vterque affectus ab eisdem fit humoribus, & eodem modo infartis in eisdem eiusdem membri tunicis. Cui dubitationi, ne longiùs abeam, dicimus longè magis esse in singultu infartos humores in ventris substantia, quàm in vomitu, quia solùm inundare sat est, & in nausea, cui sufficit adhærescentes in ventris tunicis esse, dummodo humor sit admodum tenax, cuius tenacitatem supplet humor tenuis in singultu, dum in poris reconditus hæret. Præterquam quòd non rarò constat vomitum, & nauseam hoc habere proprium, & peculiare, quòd sibi habeant comites subuersionem, supinitatem, aut laxitatem, tędium vel abominationem, ac æstum, & horrorẽ: quo fit, vt

ple-

plerumque vomitum moueant visa, & audita, quæ hæc accidentia sua natura inferre possunt. At singultus nulli istorum adiungitur, sed citra alterius symptomatis commercium hominem infestat. Cuius diuersitatis etiam ratio est diuersa humorum natura: nam qui nauseam, & vomitum moliuntur, præter morsum & acrimoniam, aut pondus, quæ communia habent cum his quæ singultum efficiunt, habent insuper specialiùs tædiosam, humidam, & veluti pinguosam naturam, aut sordidam quandam, & nimis humentem putredinem, quibus non solùm natura ad motum excitatur, sed etiam animalis potentia molestiam quandam, & tædium, ac veluti horrorem, & abominationem eorum, quæ in ventre sunt, perpetitur: cuius ratione licet humores sint ijdem, hoc peculiari accidenti dissident, & pari ratione symptoma quod ab eisdem prouenit, vt dictum est: quippe singultum sicciores, & crassiores humores proculdubio efficiunt. Præterea differunt, quia per singultum ventriculus in se contractus, & velut descendens gulam deorsum trahit: contra in nausea nimium laxatus quasi inuertitur, & ad superiora vergit œsophago etiam laxiore facto, quòd in se nausea contineat supinitatem, & subuersionem, siquidem præ nimia humectatione vẽtriculus ligamentorum instar laxus cibum fastidit, & leuissima de causa resupinatus subuertitur: oportuit profectò hæc symptomata prædicta causæ ratione etiam dissidere, quia quæ appetitum lædunt naturalẽ, potiùs dissimilitudine quàm alio vitio id nata sunt efficere: quæ verò singultum, sensum tactus ob acrimoniam, & mordacitatem: at quæ appetitum animalẽ, tædio, & horrore concepto potiùs quàm alijs qualitatibus, quæ nobis dissimiles sint, aut sensum tactus lædant, id efficere habent: & ob id causas prædicto modo dissidere opus fuit.

Signa.

Qua ratione partiti sumus huius affectus causas, partiri etiam tenemur signa, quibus quælibet causa cognosci faciliùs possit. Si dum vomitus ex nauseatiua ciborum satietate proficiscitur, sumpta ratione ab his quæ præcesserunt, facilè cognoscitur: nam si quis plus iusto alimenta sumpserit, aut ea fuerint praua qualitate affecta, alijs signis opus non est. Verùm dum ex totius corporis vitio prodit, nam sæpè id fieri contingit, corpore sese in ventriculum exonerante, ex deprauato totius corporis colore iuxta peccantis humoris ideam, facilè erit cognoscere. Nam dum biliosi sunt vomitus, pallidum corpus vniuersum existit, & calidum, dolores persentit maximos, & lassitudinem spontaneam præcessit deprauata vitæ institutio, qua totum corpus excrementis scatens, tanquam validius, & fortius in ventriculum sua vitia transmittit. Sic in pituitosis vomitibus cognosces corpus peccare ex albo colore, carnis mollitie, & ad actiones torpore, & ineptitudine: præterquam quòd præcessit pituitosorum inordinata ingestio, exercitij consueti demissio, nauigatio, natatio, habitatio in locis frigidis, & humidis, ac vita admodum sedentaria. Vomitus præterea melancholicus cognoscetur ex toto corpore prodire, ex plumbeo faciei colore ad nigrum potiùs vergente, ex tristitia, ex mœrore, ac desperatione: quibus præcessit ingens cura, aut labor, leguminum, & piscium, atque carnium salitarum præter modum, & consuetudinem esus: item est in toto corpore impotentia quædam insolita.

Proficiscitur non raro vomitus à cerebro in ventriculum instillante pituita, aut salsuginoso humore, quod facilè nosces ex præcedente, & præsente instillatione ab eo, necnon ex spumosis vomitibus, & quòd frequentiùs nauseabundi existant laborantes, quo tempore cibum ingerunt, & mox ab ipso ingesto: nã masticationis opere, & calore facilè instillat, & attrahitur pituita, quo crebriùs nausea, & vomitu infestãtur laborantes.

A Nec minus vomere coguntur laborantes iecore in ventriculum regerente succum superabundantem, sed maximè bilem. Quod nosces ex vrinæ colore, ex iecoris tumore, & dolore, ex natura humoris per vomitum excreti, corpore non peccante: & ex eo quòd ieiunis magis succrescat ventriculum impleri à prædictis recrementis ex iecore, quàm saturis, licet vt cibus non euomatur, necessum est in hac causa ante ipsum vomere, quod etiam monstrare habent linguæ color, & sapor, quibus plerumque iecoris vitia venamur.

Cæterùm dum in ventriculo mali causa immoratur, faciliùs multò cognoscitur: nam pituitosi humores, B præter id quòd vomitum mouent, ventriculum nauseabundum detinent, & adest quædam veluti cibi auersio, ventriculi frigiditas, tremor maiori ex parte maxillæ inferioris, etiam si id omnibus vomentibus accidat: item ructus excretio, quæ nullum refert saporem, nisi acida sit pituita, aut salsa, quæ facilè his saporibus sui præbent specimen, præterquam quòd in salsa plurimum sitiunt laborantes, & à potu non leuãtur, sed citiùs vomũt. Flaua autem bilis faciliùs, dum redundat, cognoscitur ex linguæ colore, amarore, & siti, ex ventriculi anxietate, cibi fastidio, & biliosorũ excretione.

Nausea ergo interdum mouetur primogeneo ventriculi affectu ab humoribus mordentibus, aut opprimentibus C ventriculum, quam non sequitur vomitus propter imbecillitatem facultatis, aut partium superiorem œsophagi, ac lentorem, & crassitiem materiæ, quæ contumaciter tunicis adhærescens, minus obsequiosa est: interdum verò per cõsensum à phlegmone partium vicinarum, ex qua tenues ichores in ventriculi cauitatem resudant, vbi collecti orificium ipsius vellicant, vnde ingens cibi fastidium, nausea, & interdum pauca, ac biliosa vomitio commouetur, quod in phlegmone partis concauæ hepatis euenire refert Galen. 5. de locis, capite 4. Sæpè etiam nausea succrescere assolet ex colliquatione materiæ quæ in venis est, maximè in malignis febribus, in quibus multi falluntur arbitrantes purgationem præferendam D esse sanguinis missioni, decepti nausea illa mendaci, & ob id distinguere oportet, quando ex hac causa, & quando ex cruditate, vel humorum motu ad ventriculum nausea fiat, ne vel fiat inutiliter, vel prætermittatur auxilium.

Superest tamen modò docere, in qua nam ventriculi parte huiusmodi humores immorentur: nam iuxta id quoque curandi methodum variare oportebit. Quòd si ventriculi cauitas repleatur, facilè cognoscitur, quia ipsi humores, & cibi etiam mox ab eorum ingestione, leuissimo quodam motu excernuntur, & tanta inest in ventriculo ex alimento tensio, anxietas, conturbatio, & inquietudo, quòd laborantes, donec vomant, minimè quiescant: quod E in his in quibus humor tantum tunicis adhæret, non contingit, sed alimentum excernitur, quale fuit ingestum. Cæterùm hæc est differentia, quòd in primo casu etiam sine cibo vomitus mouentur, & statim à vomitu alimentum retinent: in secundo verò casu non vomunt nisi cibo ingesto, citra cibum verò nauseabundi admodum sunt, & dum aliquid excernitur, id profectò est pituitosum, crassum, viscidum, & maximis conatibus excretum. Verùm dum humor infartus est in ipsa ventriculi substantia, quo plus alimentum ingestum coquitur, eo plus euomunt, quia ex efferuescentia, & ebullitione, quam præstat natura alimentis ad confectionem, ipsi etiam humores infarti agitantur, & mouentur, quorum irritatione facultas excitatur ad expulsionem, & vomitum efficit tantum illius alimenti ingesti, & semiconfecti: cæterum ex hac causa potius prodit nausea, quàm vomitus.

Superest adhuc alia vomendi occasio, cuius etiã prouidentiam ediscere oportet: quippe vomunt multi ex ciborum corruptione intra vẽtriculum ipsum facta: nam inest aliquibus tanta ipsius impotentia, aut vitium, quòd alimenta, etiam si diu retineantur, conficere nequeat, aut potiùs corrumpat, etiamsi optimæ sint substantiæ: cuius rei signum euidens est qualitas, quam præ se fert id quod vomitione reijcitur, nidorosa nimirum, acida, aut insipida.

Curandi ratio. Dictum est lib. 1. de auxiliorum arte, ex vacuationibus quasdam esse prorsus compescendas, eas nimirum quæ omnino lædunt & ex laudabili substantia fiunt, siue sanguis sit, siue alimentum: alias prorsus permittendas, velut sunt quæ conferunt & leuiter feruntur, quòd in illis quod nocuum est, natura excernat: velut sunt pituita biliosis permixta, nonnunquam biliosa, sincera, crocei, aut æruginosi, porracei, cærulei, liuidi, aut nigri coloris: nonnullas etiam esse, quæ licèt modò non prosint, postmodum profuturę sunt, & ob id eas non cohibere sed moderari oportet, maximè dum per eas corpus ab aliquo vitio se se exonerat: alias verò, quæ etiam si nunc lædere non videantur, postmodum læsuræ sunt, quas proculdubio protinus finire & vniuersum humorem opus est educere: rursus alias mox à primo naturæ impetu compescere: qualis naturæ est vomitus, antequam vel natura vomiti assuescat, vel si diu vomat, impetu & consuetudine per eam partem ferantur vniuersi corporis excrementa, aut vitium aliquod ventriculo succrescat. Quapropter, si cognitum sit, aut nunc lædere vomitum, aut mox fore læsurum (hoc tamen est inter vomitum & nauseã discrimen, quòd nausea & reliqui motus ventris semper cõpesci desiderant, quòd semper sint præter naturam: vomitus verò secus, quia aliquando ex vsu existit) tunc profectò pronnus compescere studendũ est, cùm læsurum speramus. In qua re medendi ratio iure optimo tot partes complectitur, quot sunt causæ, quæ vomitum excitare natæ existunt, & sic iuxta cuiusque rationem oportet methodum & curandi rationem scribere, si potiùs nauseam sedare docuero: quippe hæc febricitantium plurimos adeò vexat, vt sæpe expostulet peculiare sibi auxilium: nam inter initia & sæpe inclinante affectu, aut in conualescentibus id proculdubio malum succrescit, sed in his ob reliquias quæ ad futuram recidiuam superfuerunt, maximè quia impurum corpus quò magis cibis vtitur, eò maior succrescit excrementorum prouentus. Accidit plerumque febrientibus, aut his qui nimio potui indulgent vel pituitosis febribus vexantur: nam ex ventriculi madore & putrida pituita facilè succrescit, maxime viscida atque adhærescente. In quibus omnibus primò purgatione, & clysmatis, ac tandem calidis & adstringentibus vteris: si priùs quæ ventriculo insunt, vt faciliùs purgentur, disposueris oxymelite aut melle rosaceo: ac si biliosa fuerint recrementa, his quæ abluant & detergant, quale est decoctum hordei cum saccharo, aut succus rosarum cum aqua tepida, vel magna copia iuris pulli cum saccharo. Quibus factis, ventrem purgabis iuxta ideam humoris peccantis, vt paulò inferius leges: à quibus, alimentis admiscere oportet anisum, cinnamomum, cariophyllos, aut ex eis dragetam conficies. Prosunt & salsamenta & aromata, quantum gustui satis sit, aut febrilis calor admiserit. Ex vsu quoque est, *bis in hebdomada* (si febris non sit) *hieræ Galeni, vel aloes lotæ aqua rosarum, & quatuor horis ante cibum,* ℈. 1. porrigere: cuius etiam vsus est, sequenti die sumere diaciminon, vel dianison, aut diarrhodon vel aromaticum rosaceum. Cui vsui summopere prodest hic puluis, q. ℞. *coriandri præparati.* ℥. 1. *& ß. seminis anisi, & fœniculi.* ℥. 1. *carnis cydoniorum in vmbra siccatæ.* ʒ. ß. *corticũ citri.* ʒ. 3 *coralli rubei vsti, & loti rosacea, membranæ ventriculi gallorũ vino albo lotæ & resiccatæ. anà* ʒ. 1. *& ß. margaritarum* ʒ. ß. *crustæ panis tostæ.* ℥. 1. *galangæ, cariophyllorum & macis. anà* ʒ. 1. *cinnamomi & masticbis. anà* ʒ. ß. *sacchari rosati tabulati ad põdus omnium, fiat puluis, cuius laborans ante cibum sumat cochleare vnum:* quòd si à capite instillare aliquid compertum fuerit, post pastum oportet id sumere. Exteriùs curabis ventris os & ipsum ventrem roborare ac firmare eo, q. ℞. *coriandri.* ℥. 2. *coralli rub. vsti & loti.* ℥. ß. *anisi.* ʒ. 2. *rosarum rub. corticis citri, carnis cydoniorum exsiccatorum. anà* ʒ. 1. *sacchari rosacei exsiccati.* ʒ. 4. *misce, & fiat puluis, quo vel modo dicto vtatur, vel cum mica panis tosti vino rubro madida fiat cataplasma, quod ventri apponatur.* Quòd si humorem aliquem ingrati saporis aut mordacioris qualitatis præesse comperias, eadem quoque ex vsu erunt, maximè si priùs corpus purgaueris pilulis, q. ℞. *rhabarbari electi, & agarici trochiscati. anà* ℈. 1. *aloes purissimæ.* ʒ. 1. *cum melle rosaceo aut succo absynthij fiant pilulæ 6. & sumat laborans. 2. & sic tertio quoque die facito:* diè tamen intermedio vtatur laborans syrupo de mentha, vel eo qui conficitur ex malo granato & cydonijs, rosis & folijs menthæ siccis, cum modico galliæ muscatæ. Prosunt prolixior somnus, inedia, exercitium, vinum etiam Hippocras appellatum, & multa exteriùs ventriculo apposita, vt paulo inferiùs leges, sed inter omnia quæ ventriculo per os præstantur, primas tenet in nausea sedanda feruentissimæ aquæ potus, aut decoctum chamæmeli, anisi, cariophyllorum, & similium.

Verùm quia contentrix facultas adeò solet labefactari, quòd sæpe nec alimentum quidem complecti probè possit, sed veluti graue & alienum pondus sustineat, ita, vt ab expellente, quantumuis secundum naturam existat, pellatur, ob id profectò prouidendum quoque est, præstitis duobus auxilijs, quæ non solum huic vitio, sed & omni alteri ex frigida & humida intemperie proficiscenti, proficua esse experimento didicimus: quæ sanè, præterquam quòd scripta sunt lib. nostro de recto præsidiorum vsu, capite de sistendis fluxionibus, mox scripturus sum. Interim tamen monendus mihi lector est, ea medicamenta, quæ passim ab authoribus adstrigentia scribũtur, nulli alteri causæ proficua esse, nisi ei quæ ex laxitate & defectu retentricis succrescit: præterquam quòd ex vsu etiã sunt, vt resistere possint expellentis facultatis actibus depravatis: quod tamen fieri non debet, nisi eductis humoribus qui facultatem lacessunt, alioqui pressiùs ventriculo adhęrentes maius efficient irritamentum. Quapropter in prędicta ventris laxitate proficuum est ventri apponere id, q. ℞. *succi cydoniorum.* ℥. 2. *succi pirorum, sorbarum vel vuæ acerbæ anà* ℥. 1. *aceti albi rosati.* ℥. 1. *& ß. agitentur simul & cum pauca farina fiat cataplasma, quod ori ventris in parte antica eius & postica applicetur.* Valet etiam plurimum, non solùm in hac causa, sed in quauis alia ad roborandum ventrem, ad coquendos etiam & discutiendos ibidẽ contentos succos, emplastrum q. ℞. *furfuris depurati. p. 1. pulueris rosarum, chamæmeli, corallorum, & diarrhodonis anà* ʒ. 1. *vini nigri quòd sufficiat, vt fiat cataplasma: cui addes carnis cytoniorum decoctæ in vino rubro, q. s. vt fiat emplastrum.* Præstat & aliud, maximè dum præ æstu & calore languet ventriculus, q. ℞. *carnis cotonei semiassi numero 1. madefiat aceto acerrimo, cui postea adde pulueris mastichis.* ℈. 1. *pulueris coralli, rosarum, & myrtillorum. anà* ʒ. ß. *fiat ad modum emplastri.* Valet & oleum de abiete, naphthæ, ballsamum, sparsis pulueribus aromatici rosati & mastichis, & inter omnia oleum è floribus spicæ. Prodest & cucurbitula supra ventrem posita, donec cibus coqui incipiat. Similiter & potus aquæ feruentis, si pituita aut flatus causam præstent: vel aquæ frigidæ post cibum, si ventriculi æstus postulauerit: quibus ex vsu est parum succi cytoniorum cum saccharo præbere

alia

alia etiam adhibere poteris, quæ paulò inferiùs, & capite sequenti reperies.

Prima igitur causarum est nauseatiua satietas, cuius præsidium est vlteriùs vomere, alimentum interdicere, & somnum conciliare, donec totum id, quo ventriculus grauatur, vomitu excernatur, vtque inedia euanescat; & somno, si quid superest, concoquatur conficiaturque.

Cæterùm, si vel totius corporis, vel iecoris, capitis, aut splenis vitio, & consensu, huiusmodi malum suboriatur, triplex est medendi, & compescendi ratio: prima quæ toti corpori debetur, aut membro in ventriculum mittenti: secunda quæ humoribus in ventriculum fluentibus: tertia verò & vltima quæ ventriculo prouideat. Initium autem curationis docet ars fieri à corpore, cuius vitio ventriculus afficitur: circa quod duplex insurgit medendi ratio. Prima quæ genitos humores euacuet, vt corpore inanito facto, deinceps desit in ventriculum transmittere. Vacuatur autem corpus, non sanguine misso, nisi aut laborans robustus admodum fuerit, aut plenitudo præsit simul cum cacochymia: quod quia raro solet accidere, raro etiam debet fieri. Vacuandi verò ratio instituenda est penes humoris peccantis ideam, & naturam: sic bile superante ex vsu est dilutum rhabarbari præbere, aqua lactis factum, si iecur calidum etiam malo consentiat, aut succo rosarum cum corticibus mirobalanorum: & ipsi mirobalani citrini infusi, & expressi in decoctione biliosa. Robustis tamẽ & ruralibus hominibus prodest electuarium rosarum Nicolai, aut Mesues: prodest & diaprunis laxatiuus, conserua rosarum facta cum rhabarbaro. Pituitam verò expurgant agaricus, maximè leuiter torrefactus, ne vomitum concitet, syrupus ex 9. infusionibus, electuarium Indum, & diaphœnicon. Melancholiam quidem, diasena, confectio Hamech sine scamonio, & colocynthide: pruna etiam damascena cum infusione foliorum senæ, & sacchare conditæ. Facta humorum vacuatione corpus alere oportet cibis boni succi, & facilis coctionis, & qualitate prædiris quæ aduersetur humori peccanti, ac meliorem succorum substantiam deinceps generet citra maximum naturæ laborem. Quo facto, si qui succi supersunt, corrige, ne facilè deinceps in ventrem fluant, præstitis alimentis crassioris formæ, & quæ vim habeant compescendi fluxum: cuius naturæ sunt amylum cum lacte vaccino, aut ipsum lac chalybeatum, ex quo cum farina hordei torrefacti polenta fiat, additis vitellis ouorum aqua rosacea, & sacchare: ex vsu etiam sunt carnes assæ comestæ cum succo granatorum, vel omphacio: prodest & ius glaciatum capite de cibi fastidio scriptum. At in frigido ventriculo conferunt aromata, & vinum antiquum, quod subausterum sit: prætereà cibus paulatim sic affectis administretur.

Secunda medendi ratio, quæ circa humorum impetum versatur, docet eosdem ad alias partes transferre, ne facilè in ventriculum irruant. Fit id quidem duobus modis, aut distractis ad alia membra frictionibus, ligaturis, aut cucurbitulis in vniuerso corpore adhibitis, & vltimò exercitijs: aut resolutis per contrarias regiones, per balnea, per sudores, quæ in hac affectione dum inueteratur, maximi sunt momenti, & efficaciæ, & per ea etiam medicamenta quæ vrinã & aluum mouent. Compescit quidem vomitum pedes, & manus in aquam solito calidiorem immittere, quod Aetius probat magis quàm in frigidam, siquidem contrarius planè fieret reuulsioni motus.

Præter quæ auxilia, abstersorijs præsidijs vtendum esse consulit rei ratio, quibus susceptos in ventre humores ibidemque immorantes abstergere, & euacuare possis, post quæ roborantibus, & comprimentibus vteris, ne ventriculus ampliùs ita facilè humores suscipiat. Fit autem vtrumque medicamentis

A detergentibus in ea forma præstitis, qua diutiùs in ventre immorentur: cuius naturæ sunt pilulæ de biera Galeni, aut rhabarbarum masticatum, vel in puluerem redactum cum modico syrupo rosaceo, & aliquando laxatiuo. Prosunt & carnes cotoniorum cum rhabarbaro: eandem gratiam præstat vsus passularum Corinthiacarum cum rhabarbaro, & sacchare parum ante cibum: præsertim si prædictis passulis vino rubro infusis addideris ex adstringentibus, & modicè calidis aliquid, velut est puluis ex myrto, rosis, rhu obsoniorum, & ex malis cotoneis aridis. Sed abstergit mirum in modum, & vomitum compescit vsus terebinthinæ abietis, cum modico rhabarbaro, aut aliquo ex prædictis pulueribus. Sic extrin-

B secus ventrem inunges oleo absynthite, melino, de mentha, nardino, de angelica, de abiete, balsamo, & alijs eiusdem naturæ, maximè supersparsis pulueribus supradictis, vel diarrhodonis, coralli, mastichis, rosarum, aut menthæ. Quòd si ventriculus corruperit sibi commissum alimentum, longè aliter fluxum compescere oportet, vt capite sequenti latiùs scriptum reperies.

Cæterùm dum humores iam in ventriculum incidentes, aut ibidem geniti corruptionem subeunt, diuersam longè desiderant medendi rationẽ. Quippe si crudi succi, vel frigidi abundent, vtendum est victu sicciori, & aromatis condito, vt cinnamomo, cariophyllis, aniso, thymo, fœniculo, sampsucho, serpil-

C lo, & pulegio confecto, additis puluisculis rosarum, coralli, aut myrtillorum, si affectio caliditate polleat. Potus sit vinum nigrum subadstringens, tenui, & albo admixtum, aut aromatis conditum, si ventriculũ calore esse orbatum constiterit. Verùm cùm prædicti humores varijs modis ventriculum obsideant, variè proculdubio profligandi sunt: quippe vel adhærentes sunt, & impacti, & tunc varijs modis ab ipso ventriculo pelli desiderant, vt inferiùs monstrabo, nimirum irritata, & lacessita expellente facultate, dum nauseabunda existit, & nequit quod contristat pellere, aut obtusioris est sensus venter ipse: aliquando verò abstergendo quod adhæret: sæpè abluendo quod sordidum reddit ventrem: item leniendo quod ob-

D duratum est, maximè dum retentrix facultas nimis rigida existit: prætereà comprimendo, quo ventriculus facta vacuatione inundantium, aut fluitantium humorum, faciliùs alimentum complectatur. Verùm, vt hæc opera commodiùs fiant, priùs vno è quatuor modis prædictum humorem studebis educere: primo quidem per vlteriorem vomitum, nam in hoc tantùm casu verum habet sententia illa Hippocratis, *Vomitus vomitu curatur*. Quamobrem duobus modis vomitum excitare oportebit, aut ingesta maxima diuersorum ciborum quantitate, à quibus vomitum excitare digitis, aut penna oportet, vt dum ventriculus vndique alimentum complectitur, & excernit, humores etiam ex toto radicitus secum deferat:

E quod auxilij genus, & hoc modo præstitum, profuturum magis arbitror impactis humoribus, quàm inundantibus: quippe his copiosa aqua tepida ex vsu magis est, quia eleuat, ac sursum fert succos vagantes. Secunda vacuationis ratio medicamentis fiet, quæ laxãdi, & irritandi ventriculũ ad vomitũ efficaciam habent, quale est decoctũ raphani, erucæ, fœniculi, cui mel addatur, aut oxymel, vel acetũ, quo & vẽtriculus ad vomitũ excitetur, & humores abstergãtur. Tertia vacuandi ratio fit vehementer commoto corpore, vt consului in purgationibus quæ futuræ sunt per vomitum, quo turbati humores qua parte euocantur, faciliùs adeant. Quarta verò & vltima docet per infernã aluũ huiusmodi humores purgare, his medicamentis quæ parum moueant, quòd in parua sint quantitate, & plurimum purgent, ne à distantissimis partibus ad ventriculum alliciant, & citra eam noxam, quod

in ventriculo inest confestim excernatur, ne reliquijs remanentibus fœda corruptione alimentum vitiari contingat. Sunt etiam huius census medicamenta quæ blanda à Medicis appellantur: blanda quidem, ne plurimum trahant, & in maxima quantitate exhibita, vt aliquid efficiant: huiusmodi est terebinthina sola, aut cum rhabarbaro, pilulæ mastichinæ, vel de hiera, & aliæ quas sæpius memorauimus, si priùs ventriculi excrementa eduxeris melle ex rosis Persicis, aut syrupo ex infusionibus rosarum. Cauere tamen in hoc casu oportet medicamenta adstringentia, ni purgandi etiam vires habeant: nè vi adstringente fixiùs ventriculo adhæreant humores, & vehementer reluctentur medicamentis blandè purgantibus.

Quibus præmissis, quæ superest curandi ratio, eisdem fit auxilijs, quæ corroborare ventriculum nata esse superiùs diximus: hoc vno animaduerso, quòd quia non solent huiusmodi humores vomitu, aut purgatione radicitus excerni, necessum est ob id, factis purgatione, aut vomitu, ea adhibere præsidia, quæ vires habeant interiùs reliquias conterendi, & ventriculum roborandi: velut est electuarium diarrhodon, aromaticum rosaceum, ac si frigiditas præualuerit, dianison, aut diaciminon, theriaca, mithridathium, vel vinum ex absynthio, & cinnamomo, aut Hippocras appellatum.

Superest etiam ea vomitus causa, quæ à capite originem ducit: cui vniuersa prouidentia adhibēda est, habito respectu ad caput, vt capit. de catarrho abundè dictum est.

Pari prorsus ratione agendum est cum ea vomitus sorte, quæ ex iecore originem ducit, vt capite de iecoris intemperie latiùs scriptum reperies.

Superest vltimò ea vomitus causa quæ aut ventriculo adhæret, aut in eius substantia imbibita est, cui nusquam mederi licet per ea medicamenta quæ vomitum moueant: nam cùm ex hac causa nausea, & vomitus maximè excitentur, & ventriculus vi prædictorum medicamentorum, plus reliquorum excremētorum trahat à reliquo corpore, quàm quidquam eorum quæ continet excernere possit, nō id alia via incedendum est. Quapropter superest in prædicta causa triplex curandi ratio: vna quæ docet ciborum administrationem, quos duplici conditione præditos esse oportet: nimirum laudabilis nutrimenti, & facilis, vt leui negocio antequam reliquorum succorum vitium contrahant, conficiantur, & reliquis admixti eorum impuritatem compescant: altera verò quòd sint ex toto contrarij qualitati succorum præexistentium, vt & qualitate, & substantia eos attemperent, & leniendi succorum acrimoniam vim habeant: nā huiusmodi causa potiùs malitia, quàm copia ventriculum ad vomitum lacessit. Ob id quidem præstant medicamenta duorum generum: quædam quæ id, quod mox diximus, efficere habeant, qualis est feruētissimus aquæ potus, quæ copia sui abluit, calore separat viscidos humores, & infartos penetratione, & dilatatione ob actualem calorem mirè abluit expurgatque: præsertim si aquæ permisceatur (licet optimè id sola valeat efficere) aliquid quod aduersus humorem peccantem pugnet, veluti in pituita mel rosaceum, aut oxymel: in flaua bile, crassa, & adhærescente, hordei, aut sacchari decoctum. Reliqua verò medicamēta quæ huic vsui deseruiunt, ea sanè sunt, quæ ventriculi sensum quodammodo hebetare habeant, velut pinguia, & mucilaginosa omnia. Tertia verò & vltima medendi ratio, & in qua potissima huius mali medela consistit, ea profectò est, quæ docet hos humores infartos, & imbibitos per infernam aluum purgare, eis tamen medicamentis, quæ sensim, & paulatim id efficiant: nam cùm huiusmodi humores sint infarti, aut adhærentes, nequeunt copiosè excerni, nisi à validissimis medicamentis, quæ & prosternere na-

A turam, & plures humores ad ventriculum allicere superiùs diximus. Quapropter miniora, aut in minima quantitate, & repetitis vicibus ea adhibere oportet: illud quidem vt tantum moueant quantum purgare sint nata: hoc verò vt frequentia adimpleatur quod ex quantitate detrahitur. Quem vsum præstant in biliosis rhabarbarum masticatum, aut dilutum cum mirobolanis citrinis, aut pilulæ ex aloe lota, vel terebinthina cum rhabarbaro. Verùm in pituitosis agaricus trochiscatus maximè leuiter tostus, pilulæ mastichinæ, & hiera simplex Galeni, vel eadem terebinthina abietis. Verùm si materia fuerit admodum acris, modò salsa, modò biliosa sit, non erit ab re modicum cassiæ fistulæ prædictis medicamentis addere, maxi-

B mè si anteà syrupis, & potibus prædictos succos temperaueris, ne dilabentes ad intestina exulcerationem & dysenteriam moliantur. Quo facto non solùm in hac causa, verùm & in omnibus alijs ventriculo prouidendum est inunctionibus ex oleis suprà dictis, itē cataplasmate ex pane tosto, furfure, vino rubro, ac pulueribus mastichis, rosarum, coralli, diarrhodonis, & alijs quæ consimilem adstringendi, & resoluendi vim habeant. Ex vsu etiam sunt fomenta ex vino decoctionis chamæmeli, rosarum, myrtillorum, & absynthij, sed maximè emplastra, quorum capire sequēti magnam copiam reperies, sicut alia quæ libro nostro de recto præsidiorum artis Medicæ vsu, capite de sistendis fluxionibus, reperies, & eadem parte ca-

C pit. de præsidijs ventriculo refrigerando, aut calfaciēdo idoneis.

CAPVT VII.

De imbecillitate, & cruditate ventriculi, ac de eius intemperantus.

Licet affectus ventriculi numerosi reperiantur, iuxta eius diuisionem in œsophagum, stomachū siue orificium, fundum, pyloron, & tunicas, cum hoc tamen per imbecillitatem intelligimus in coquendo, & appetendo vitia communiori vocis significato, etiamsi aliquando alui fluxus ad hoc quoque malum

D reducatur: nam reliqua ventris vitia plerumque horum malorum solent esse causa, aut eorum accidentia: velut sunt inflammationes, intemperies omnis generis, tumores præter naturam, obstructiones, defluxiones, excrementa ibidem collecta, vel genita, aut aliundè transmissa, quibus succrescunt deiecta appetentia, nausea, vomitus, humores infarti, aut fluctuantes, inflatio, dolor, & exulceratio: necnon & vētriculi adstrictio: cuius solùm Actium meminisse cōstat: (quam arbitror esse eius cruditatem, cùm cutis, & carnis adeò sit pressa adstrictio, & coarctatio, q̄ nihil eius quod à cruditate excitatur, exhalare possit, aut per cutem abire) cuius occasione corpus, & facies rubescit, ac ferè hypochondriaca subsequuntur

E accidentia: ac ex consequenti eadem curandi ratio proficua existit, si cutem quantum possibile fuerit laxaueris. At imbecillitas verè ea solùm dici meretur, qua ipsius membri facultas à suo munere deficit: & cùm præcipuum ventriculi munus sit alimentum cōficere, & concoquere (cui operi multa ministeria illi præstantur, appetitus nimirum, attractio, retentio, & nocui expulsio (fit profectò, vt cùm venter in coctione deficit, propriùs dicatur imbecillitas, quàm cùm in alijs muneribus aberrat, aut deest. Itaque cùm imbecillitas sit quæ potentiam à suo scopo aberrare facit, dum ventriculus in alimentorum confectione deest, iure optimo imbecillis dici meretur. Sed ventriculi in hoc munere defectus triplex omnino apparet: nam aut ex toto abolentur actus concoctoriæ potentiæ, ipsa summè languida existente: aut licet ex toto non auferatur, diminuitur tamē, & inceptam coctio-

nem

nem nequit perficere, ſed in medio actus ſubſidet collabiturque. Secundò concoctionem aggreditur ac diu operatur, cæterum tam eſt imbecilla, quòd ſemicrudum relinquat ſibi præſtitum alimentum. Tertio verò, adeò ſolet eſſe prauo temperamento conſtituta, vt coctionis loco alimentum corrumpat & alieniſſima qualitate fœder. Quæ quidem vitia licèt vnica communi ratione cruditatis comprehendantur, eo quòd in neutra aſſequatur natura ſibi intentam coctionem, cum hoc tamen ſtatuendum eſt, in tres ſpecies debere diſtribui, tribus diuerſis nominibus inſignitas. Sic cruditatis illa ſpecies, quæ nomen generis obtinet, in qua nulla naturæ actio effulget, quòd alimenta qualia ingeſta fuere excernantur aut permaneant, iure optimo ab Ariſtotele & Græcis omnibus apepſia appellatur. In ſecunda autem ſpecie alimenta ſuperſunt aut excernuntur ſemiconfecta, & ob id appellatur à Græcis bradipepſia, & à Latinis tarda coctio. Tertia verò & vltima cruditatis ſors efficitur, dum alimentum aggreditur natura, & diu ac multum operatur, cæterum alimentum degenerat in alienam quandam conditionem, corpori alendo contrariam: quam cruditatis ſpeciem generali quodam vocabulo appellant Græci diſpepſiam, Latini deprauatam coctionem, & magis propria appellatione nidoroſam aut acidam cruditatem. Atque hæ ſunt omnes cruditatis differentiæ.

Cauſæ. Cauſæ verò quibus hæc vitia ventriculo contingunt, trimembri diuiſione comprehenduntur: vna atque potiſſima in facultatem ipſam refertur, quæ ita ex toto eſt abolita & obruta, vt ne principium coctionis aggrediatur: aut ita languida & impotens, quòd etiam ſi incipiat, perficere tamen non valeat, aut eo calore vtens, quòd loco coctionis corrumpat. Secunda verò cauſa ad ventriculum ipſum reducitur, cuius ſtructura & configuratio tam eſt prauè affecta, vt etiam ſi facultas perſtet, cum hoc tamen ventriculi vitio fruſtra conetur ſuum munus perficere. Tertia verò & vltima cauſa reducitur ad ea quæ extrinſecus ventriculo occurſant, vt inferiùs conſtabit. Quarum ſanè omnium prima alias habet primas & ſpecialiſſimas cauſas: nam cùm tota ferè naturalium facultatum ratio ſita ſit in partium quibus inſunt temperamento & calore, iure optimo fit, vt dum facultas à proprio munere deficit, id neceſſariò fit vitio vel temperamenti ipſius innati, vel caloris influentis: hoc quidem plerumque in conualeſcentibus aut morboſis corporibus: illud verò maiori ex parte in ſanis, qui in morbum caſuri ſunt aut ceciderunt, licèt plerumque has duas cauſas complicari comperiamus, & ab intemperamento corpus morbo affici, aut à morbo in mille intemperamenti vitia prolabi, quod ad curationem nouiſſe non eſt parui momenti. Quauis enim harum cauſarum ventriculi vires labi certum eſt, & ob id coctionis munus ex defectu caloris, nam vt inquit Galen. lib. 2. de ratione victus com. 22. cauſa proxima iſtius coctionis calor eſt, non ſolùm humidi & vaporoſi, ſed influentis, aut ex mixtione reſidui, præcipuè tamen humidi. Quapropter Ariſtotel. hanc coctionem elixationi ſimilem eſſe dixit: præterea cùm ventriculus ſit neruex ſubſtantiæ, oportuit à circumuicinis partibus mutuam gratiam præſtiti alimenti ſuſcipere, ita vt ex proprio & mutuato calore temperatus euadat, qui alimentorum confectioni eſt profuturus. Quo profectò fit, vt corpore à graui vel diutino morbo confecto, calore innato exoluto, vel ex vitio humoris aut caloris putredinoſi infirmato in morbo aut recidiua, facilè concoctoriam vim labefactari conſpiciamus. Itaque triplici gaudet & indiget ventriculus calore: vno ex elementali materia ſibi præſtito à natura ſuæ compoſitionis: altero à corde & reliquis membris circumuicinis mutuato: quippe neceſſum erat alimenta à calore eorum membrorum ini-

A tium alterationis & mutationis ſuſcipere, in quorum ſubſtantiam abitura erant: reliquo verò ab innato & proprio, cõtracto quidem a ſemine & ſanguine menſtruo ſubditoque in humido radicali. Itaque ventriculi actiones duobus modis contingit euerti, vno ex temperamenti mutatione in exceſſu aut defectu alicuius qualitatum ipſius, vt cùm ventriculus calidior, frigidior, humidior, aut ſiccior iuſto efficitur: altero verò cùm ex prædictis caloribus, quibus ad propria munia exequenda opus habet, vnus aut plures imminuuntur aut vitiantur. Quorum ſane calorum vnuſquiſque vt vario fungitur in alimentorum confectione munere, ita eo vtcunque oblæſo coctionis miniſterium oblædi contingit. Quippe ex natiua & primæua ſubſtantiæ ventriculi temperie, alimenta, quæ fami-
B liaritate ſubſtantiæ proficua ſunt, alliciuntur, fitque chylus nutritioni aptus ex eo, quod diſſimile & alienum à principio apparebat: præterquam quòd eadem temperie prodit propria ventriculi nutritio, & in ſimilem ſubſtantiam alimenti conuerſio. At ex calore à circunſtantibus membris præſtito non ſolùm fit alimentorũ liquatio & fuſio atque commixtio (id enim cuiuſuis caloris proprium eſt munus) ſed alimentis præſtatur quædam veluti aptitudo & diſpoſitio ad ſingulorum membrorum nutritionem. Cæterùm innati & primogenei caloris ventriculi munus eſt liquatum alimentum in chyli ſubſtantiam & naturam vertere, adeò ſimilem ventriculo, quòd omnino videatur ſuæ eſſe conditionis, ac non niſi ab eius proprio calo-
C re factam. Sic profectò ex læſione cuiuſque prædictorum calorum quatenus ad imminutionem attinet, varia ſuccreſcere in alimentorum confectione vitia, variaſque cruditatis ſortes, naturam & curationem diuerſam adeptas, nemo eſt qui ambigat. Præter hæc caloris damna, etiam aliud ſuccreſcit non rarò, nimirum eius intentio ſeu acrimonia vel deprauata conditio, quibus alimentum, quantumuis laudabilis ſit ſubſtantiæ & temperamenti, in nidoroſam, fumoſam, & vſtam editur naturam. Contingitque id profectò in bilioſis & calidis naturis, in quibus leui facta proprij caloris intenſione aut mutatione protinus in hæc vitia migrant alimenta & nidoroſa ſuccreſcit cruditas,
D qua facilè homines vel in melancholiam hypochondriacam delabuntur, vel in febres ephemeras. Qua in re ſciſcitabitur forſan aliquis, vtra ſit in his corporibus & calidis ventriculis deterior cruditas, cum nidoroſa, quantumuis deterior habeatur, quia his naturis eſt familiarior, minus grauis, & moleſta cenſeri debeat: acida verò licet ſua natura facilior & leuior ſit, quia diſſimilis, difficilior habeatur: quam ſententiam videtur confirmaſſe Galen. lib. 8. method. cap. 5. vbi minus nocere acidam his naturis ſtatuit. Quam dubitationem facilè ſoluet, qui expenderit, nidoroſam & acidam cruditatem tribus modis poſſe conſiderari: vno prout in ſe vnaquæque eſt, & in ſua natura, quo tempore nulli dubium erit nidoroſam (niſi ex nidoroſis & pinguoſis ſoboriatur edulijs) grauiorem eſſe: ſe-
E cundo modo facta collatione ad naturam corporis cui ſuccreſcit, quia tunc proculdubio ſicut acida in bilioſis periculoſior & grauior exiſtit, ita nidoroſa in frigidis & pituitoſis naturis: tertio verò & vltimo prout quæuis earum apta eſt, febrem ephemeram, vel alium quemuis affectum accerſire. Sic etenim acidam in bilioſis naturis arbitratur Galen. loco citato, minus contingere & minus nocere, quia nidoroſa non ſolùm in calidis naturis, verùm & in frigidis aptior eſt & potentior ad febres ephemeras, & quaſuis alias accerſendas quam interpretationem videtur inſinuaſſe Galen. in fine cap. citati.

Fit igitur influens & præſtitus calor impotens & coctioni ineptus multis modis: primo per læſionem alicuius ex membris quæ ipſum calorem præſtant: ſic Galen. 4. de vſu part. ex vulnere ſi exciderit omentum

ſeſcit

refert coctionem vitiari: ita & iecore, & liene laborantibus scirrho, ventriculus ægrè concoquit: pari ratione in hypochondriaca fit affectione: item ex distractione, vel dispendio, vt in immodicis vigilijs, & laboribus. Quæ sanè vitia longè aliter emendari desiderant quam si vitio alio suboriantur: nam vitium coctionis huius caloris defectu subortum, præterquam quòd plerumque eam cruditatem generat, qua alimentum citra vllam liquationem excernitur, per ea auxilia quæ caloris defectum suppleant, refici emendarique desiderat.

Innati tamen & humidi caloris priuatio longè aliter vitiat alimenta: nam omnino denegat ipsis formam chyli: quippe id solum est huius caloris munus, & officium. In qua etiam causæ natura, & forte sciendum est, innatum ventriculi calorem varijs modis minorem fieri posse: vno quidem diminuta innati humidi substantia, & ob id calore ipso diminuto: alio verò ab externis causis dissipato, aut à frigido etiã obtuto, vt mox referam. Cæterum hæc est differentia inter hos duos calores (licet mutuam gratiam alter alteri præstet) quòd innatus, & primogeneus semper nitatur in naturam membri, cui inest, alimentum commutare, & sic ex alimentis huius caloris beneficio, chylus, vt dictum est, conficitur, vel eius defectu non conficitur, etiamsi alimenta probè fuerint liquata, vt plerumque in cœliaca passione conspicimus: & sic hecticorum corpora non aluntur, quia licet alimentum liquetur, nondum optimè chyli formam adipiscitur: at verò influens calor, licet alimentis præstet aptitudinem quandam ad suscipiendam cuiusque membri naturam, solum præstat eisdem liquationem: quod profectò qui nouerit, facilè præsidium ad inueniet.

Præterea vitio temperamenti adeò labefactari assolet facultas, vt ne aggredi quidem possit coctionẽ, maximè dum ventriculi temperies omnino ad frigiditatem prolapsa est, vel calorum aliquis diminutus existit. Cæterùm diminutam parit actionem, vbi aut frigida sit temperies, licet non ex toto, aut ventriculus maxima humiditate abundet, quæ sufficiat caloris natiui efficaciam obtuere, retundere, & infirmare: à qua distemperamenti sorte nulli dubiũ est, quin facultas, etiam si conetur, & incipiat suum munus perficere, tamen non valebit, sed liquatum alimentũ in pituitæ, aut crudorum recrementorum formam mutabit, ac si mox excernatur, signum est retentricẽ maximè labefactari vt latiùs capite de cœliaca affectione sum monstraturus. Ex quo sanè intemperamẽti genere proficisci acidam cruditatem, & eam quæ citra acorem, aut saporem aliquem ingratum fit, nemo est qui ambigat.

Dubium. In qua sanè nosse oportet, qua nam ratione ex diminuto calore aliquando cruditas prodeat citra acorem, sed solùm pituitam crudam conspiciamus, aliquando verò acidam cruditatem. Cui dubio dicimus calorem imminui vno è tribus modis: aut propria nimirum eius substantia imminuta, vel præstita maiori alimenti copia, cuius respectu calor imminutus subsit, aut addita frigida substantia, vel qualitate: vbi verò solùm alimenti copia cruditas succrescit, efficit succum crudum, qui emendari, & vltra concoqui facilè potest. At defectus substantiæ calidæ, aut ad minus frigiditas per substantiæ frigidæ exuperantiam, acidam efficit cruditatem, quæ raro aut nusquã corrigi potest. Verùm si quis rem maturius pensitet, reperiet cruditates fieri ex alimẽtis ex copia, crudum succum ex caloris substantia imminuta, acorem, ex eadem diminuta, cæterum per frigidæ substantiæ accessum. Sed dicet forsan aliquis, nostrum dogma à Galeni sententia deuiare cùm 6. aphor. 1. ex Hippocrat. acceperimus, *in longis læuitatibus intestinorum ructum acidum superuenientem coctionis arguere principium:* quo profectò videtur constare, maiorem esse in læuitate intestinorum cruditatem, quàm in acidorum generatione, & insuper acorem à maiori calore, vel saltem à minori frigiditate confici. Cui dicimus, illud solùm esse verum in longis læuitatibus intestinorum, in quibus coniectabile est, præter inconfecta alimenta, esse etiam acidorum non paruam copiã, quia diuturnus est affectus ex caloris impotentia subortus: postea verò acido ructu adueniente coniectabile est aliquam caloris actionem adesse, non quidem acidã generantis pituitam, sed ex acida iam generata eleuãtis ructum acidum, quem anteà cùm nihil operabatur calor, eleuare minimè poterat: & ob id prudenter dixit Hippocr. in longis læuitatibus, quia in nuper factis ructus acidus potiùs erit signum diuturnitatis affectus, quàm incipientis coctionis.

Præterea dubitabit aliquis vlteriùs, quanam ratione ex prædicta caloris imminutione fiat acor, cũ constet ex Galeno, & alijs veteribus, acorem fieri in vino & reliquis quæ acescunt ex putredine, & subinde ex calore præter naturam, non quidem ex frigiditate, aut calore imminuto. *Dubium.* In qua re asserendum est acorem nulla ratione fieri per putredinem, sed solum per diminutam à frigiditate caloris actionem, in qua cum putredine conuenit: nam in vtraque actione calor imminuitur à calore dissipante, aut à frigiditate extinguente innatum rei quæ patitur. Hæc tamen est differentia, quòd in putredine calor præter naturam coagit simul cum calore innato, & ob id prauè olent quæ putrescunt: in acore verò frigiditas, quæ extinguit rei innatum calidum, cogit pari pensu sola, cum calore qui superest externo, aut interno. Sic enim in aceto contingit, quippe hyberno tempore locis calidioribus vinum calidius effectum acescit ob dissipationẽ proprij calidi: & æstiuo tempore ob locorum imperfectam frigiditatem extincto proprio calore vinum acescit, nisi generosum fuerit. In fructibus verò qui in maturationes acidiores redduntur, contrario modo res se habet: nam quo magis eorum calor conterit quæ frigiditate obtundunt, & obruunt humida, eo magis in maturatione acescunt, non quòd calor acorem generet, sed quòd remoueat prohibẽtem admixtam substantiam quæ acerbum reddebat fructum. His præmissis, statuendum est prædictas, ac reliquas cruditatis species in ventriculo fieri: nam dum ventris temperamentum iusto calidius est redditum, nihil mirum est, si coctionis loco vrat, vel putrefaciat corrumpatque alimentum ipsum: quod (licet dispari efficacia) siccitas dum supra modum augetur, nata est efficere. Sic enim in siccis ventriculis etiam si calor plurimum non sit adauctus, alimenta æruginem, & vstionem redolent, licet varietatem corruptionis potiùs ad varietatem adustæ materiæ, quàm ad caloris differentiam reducere oporteat, vt lib. febrium capite de febre ephemera abundè exposuimus. Nam licet ob caloris tres imminutionis modos, tres quoque succrescant cruditatis differentiæ, non subinde sequitur calorem posse tribus modis ita intendi, quòd ex eius varia intensione tres prædicti nidoris modi suboriantur. Quippe hæc est differentia inter intensionẽ & remissionem caloris, quòd licet remitti possit ab oppressione, non tamen intendi à defectu oppressionis. Item, etiamsi à defectu calidæ substantiæ imminuatur, ab abundantia verò calidæ, & naturalis substantiæ non intenditur morbosa intensione: quo fit vt sola graduum additione vstiuus reddatur, & vno modo nidorem inferat, qui varius postea efficitur, ob materiæ (vt dictum est) varietatem. Expendendum etiam est an aliquod ex prædictis intemperamentis accedat, vel humoris eiusdem naturæ aliquid: nam aliquando humor copia, qualitate praua, aut alio vitio abundans, vel in ventrem confluit, aut ibidem cõgeritur, fluitansque, adhærens, aut tunicis imbibitus

huic

huic malo præstat frequentissimè causam, cuius ad curationem maxima habenda est prouidentia.

Secunda verò causa, quam ad ventriculi figuram pertinere diximus (figura enim in officinis opus habet natura, licet in alijs partibus ea non indigeat ad coctionem, vel quoduis aliud ex vegetabilibus munijs: nam hac ratione dissidet naturalis potentia plantarum, à se ipsa in animalibus) ventriculum ipsum euertit flatu, vlcere, inflammatione, tumore præter naturam proprium ventriculum obsidente, aut quamuis aliam ex vicinis partibus, ita vt aliquo modo situs & figura ventriculi euertantur: ad quam etiam causam reducenda est ventriculi humida, aut frigida intemperies, quæ impediat retentionem alimenti, aut, vt rectiùs loquar, quominus vndique ventriculus ipse alimentum complectatur, vt capite de lienteria latiùs dicturi sumus.

Tertia verò & vltima causa, quæ ex his constat, quæ extrinsecus accedunt, subdiuiditur in ea quæ ingeruntur, in excrementa etiam quæ in ventre congesta coctionem interturbant, in somnum etiam diminutum, aut adauctum, & vltimò in ea quæ extrinsecus accidunt, vt quæ plus iusto calfaciunt, aut refrigerant. Sic profectò (vt ab hac vltima causa initium sumam) calor immodicus, dissipato interno ventriculi calore cruditatem efficit: ob id quidem meritò dixit Hippoc. *æstate, & autumno cibos difficile ferunt.* Quippe æstas dissipato influente calore cruditatem parit, autumnus verò vt qui inæqualis, & similis corruptioni sit, languidiori facto innato, licet diuerso modo, quod magni momenti ad curationem est distinguere. Idem fit ab externa frigiditate, quæ tam sit vehemens, vt non solùm retrocessionem caloris, verùm & extinctionem ferè moliatur. Læditur secundò ventriculus ab his quæ intus sumuntur, veluti sunt medicamenta, quæ aut vehementia, aut frequentia, vel indebitè præstita id efficere habent. Itera cruditatem efficere nata sunt alimenta ipsa, idque vno è tribus modis: primo quidem, dum tanta ipsorum quantitas ingeritur, quòd vires ventriculi superent, & ob id cruda supersint. Secundo dum ea alimenta sumuntur, quæ suaptè natura nobis aliena, & inimica sunt, fœtida nimium, crassiora, aut tenuiora, quàm par est, vel à tota substantia aliena. Tertio verò & vltimo, dum euerso ingeruntur ordine. Quippe in debilibus præire debent quæ tenuioris sunt substantiæ: nam interim dum hæc coquuntur, crassiora quæ magis corruptioni resistent, præparationem in suprema ventris parte suscipient, qua faciliùs dum miscentur alijs, coctionem subeunt. At in robustis crassa præeuntia, & tenuia in vltima mensa æquali tempore coquuntur: nam tenuibus sat est calor superioris ventriculi partis, & sic dum miscentur, simul coqui est necessum. Sed his omnibus addes indebitam vitæ institutioné, quæ mox ab alimento intempestiuis, & inconsuetis vtitur exercitijs. Somni igitur defectus mille modis coctionem interturbat: quippe euidentissimum est, coctiones, non solùm ventris, verùm & partium externarum perfectiùs fieri per somnum: ventris quidem, quia calore ociante eo tempore, à sensuum, & reliquarum actionum ministerio, copiosiusque in internis vigente, coctionis muneri expeditiùs incumbit. Verùm si quis dixerit, sequi ob id in vigilia externarum partium coctiones commodiùs debere fieri, quòd calor eo tempore ad exteriora magis vergat, expendat, quòd licet ita sit, non tamen ob id sequitur coctiones perfectiùs fieri, quàm in somno: nam licet calor influens deserat eo tempore prædictas partes, non tamen est omnino: arteriæ enim non cessant vndique moueri, transmittereque singulis partibus quantum par fuerit ad perfectionem suorum operum. Præterquam, quòd alimentum tertiæ regionis commodius coquitur, & perficitur eo moderato calore, quã

A copiosiore: & ratio est, quia quantum substantia, quę coctione indiget, tenuior, & elaboratior fuerit, tanto quidem minori indiget calore, & à maiori, seu intensiori exuritur, & resoluitur, vt in vigilia contingit. Sic enim dixerat Hippoc. *aqua edax, vigilia edax*; & cum ros, cambium, & gluten, materia quidem nutritionis partium, adeò sint tenuis substantiæ, ob id meliùs longè conficiuntur noctu à moderato calore, & diu ab intensiore resoluuntur commodiùs. His suppositis, statuendum est, somno deficiente, coctiones omnes incommodiùs fieri: sicut vbi modum naturæ excesserit, alimenta, vel vri, vel peracta coctione resolui. Vltimò tamen coctionem interturbant ventris ipsius excrementa, quæ, vt rectè præsidium adhiberi possit, ad

B uertendum est vno è tribus modis in ventriculo succrescere: vno quidem dum aliundè in ipsum vẽtrem confluunt: quippe impediunt integram, & liberam caloris actionem in alimenta, ex quo sequitur, tãtum superesse cruda alimenta quantum calor conterit sui in prædictis excrementis: sequitur insuper prædicta excrementa non solùm cruditatem moliri, sed eam, vel nidorosam, vel acidam, prout excrementi redundantis fuerit conditio: quippe biliosa nidorosam, & acida acidam gignunt. Secundo modo excrementa præsunt in ventriculo, dum ipsius expultrix adeò languida existit, quòd propria excrementa nequeat pellere, quibus ibidem congregatis mirum non est si coctio improsperè fiat: exemplo sunt qui hypochondria

C cam patiuntur melancholiam, quibus longè maior efficitur cruditas, quo minor fuerit excrementorum expulsio: quorum omnium ediscere prouidentiam conuenit, vt quæ maximam efficere in curatione varietatem nata existant. Tertio & vltimo modo excrementa in ventre congregantur (vt dictum est) vitio coctionis qua loco alimenti excrementa, aut vitiosos gignit succos: sed hæc causa alterius est sortis, non enim ad excrementa attinet, sed ad facultatem.

Signa.

Verùm quia nullus quantumuis diligens sit, curandi rationem potest ad vnguem exequi, quin priùs causarum omnium notitiam adipiscatur, necessum est singulas causas proprijs signis docere. Sic etenim essentialis imbecillitas quæ ex morbo succrescit, facilè

D noscitur ex præcedentis, aut præsentis affectus magnitudine, aut duratione: maximè si præcessit alui fluxus aut vomitus, vel alius ventris dolorosus æstuosusve affectus, quibus compertum sit calorem, & spiritum dissolutum fuisse, & præ diuturnitate, aut magnitudine euacuationis, humidum, & calidum ventriculi euanuisse. Quod pari pensu venaberis ex diuturna inedia, vigilijs, & laboribus. Verùm si id ex consensu alicuius membri ex vicinis fiat, peculiaria membri affecti symptomata id monstrabunt, vt iecore frigidiore, aut corde, vel exciso omento, aut frigido, & crassis succis obstructo splene. Sit ne essentialis ventriculi affectio, cognita ventriculi intemperie facilè venaberis: nam si frigiditas præsit, cognoscitur quòd alimen

E tum diu in ipso ventre immoretur, ac dum exit, citra vllam mutationem, odorem, aut saporem alienum à naturali prodit, sed ad summum liquatum, & in crudorum excrementorum effigiem excernitur. Persentit quoque laborans maximam in ventriculo, & propè ipsum frigiditatem, appetit plurimum, idque duabus rationibus, & quia frigidus est vẽtriculus, & quia non fruitur alimento sibi commisso. Potum omnino renuit, noxius aliquando est, nonnunquam dolet ventriculus. At si grauitas etiam capitis adsit, & dormitatio, aut calor, signum est humiditatis ventriculũ inundantis caputque ascendentis, dum humiditas calori adiungitur: modus tamen cruditatis id facilè monstrat: nam semimutatum excernitur, & in aliam ab alimento naturam semiuersum, maximè si aciditas superueniat: est enim acor proprium opus, non quidem frigiditatis simpliciter, sed diminuti caloris,

vtcno-

vtcunque imminuatur: vtrumq; tamen ostendit, prę- A tet ea quę mox dicimus, flatuum maxima copia, quos ab acidi saporis non esse expertes certum est: sequitur etiam ventris inflatio, fluctuatio & rugitus, præter tim à confectione alimenti vsque ad distributionem, à quibus mox sequitur ventris dolor, tensio, & ciborum inordinatus appetitus, maximè si acidus abundet succus: inappetentia tamen si humiditas abundauerit, vel nimium excesserit frigiditas, & potus fastidium. Caliditatem ventriculi manifestè ostendit eorum quæ excernuntur natura, namque nidorosa sunt & prauè olentia, ructus excernuntur frequenter huiusmodi naturam referentes: caliditas sentitur in ventriculo quæ maximè à potu leuatur, licèt detentus se habeant laborantes: præterea siti premuntur, cibos B fastidiunt & abominantur, venter à cibo mox subsidet, cæterum deinceps exacerbatur flatus cum oris amarore, ructu, tensione, dolore, acrimonia, mordacitate, anxietate, nausea, vomitu & inquietudine: quibus aliquando sudor circa frontem erumpit, caput vero vel dolet vel somnos turbulentos efficit & breues: quæ omnia accidentia à frigidæ potu mox cessant, cæterum affectio non sanescit. Mœsti sunt huiusmodi laborantes, cogitabundi, & veluti desperatione deiecti, vt etiam contingit his quibus ex siccitate ventriculus afficitur: præterquam quòd ij semper eructant æruginosum & vstum: sitiunt plurimum, potu non leuantur, & crassa alimenta non conficiunt: tenuia protinus corrumpunt: & à quauis minima quantitate grauantur: cum hoc tamen inediam minimè perferre possunt, & facilè in hypochondriacam melancholiam commigrant. An vero hæc omnia à iecore vel aliunde proueniant, docuit Galen. nosse. 1. de locis affect. cap. 4. & lib. 2. de tempet. ex aliarum partiũ symptomatis.

Ventriculi verò deprauata structura si ex propria aut vicinarum partium inflammatione prodierit, aut tumore quouis præter naturam, facilè nosces ex priuatione dictorum signorum, & ex his quæ suapte natura habent tumores, & inflammationes illarum partium ostendere: quæ sane licet petere ex proprijs capitibus de pleuritide, de peripneumonia, de inflammatione ventriculi, de inflammatione aut tumore iecoris vel splenis: præterquam quòd facile est id cognoscere ex proprijs cuiusius particulæ symptomatis & situ. Quòd si nullam harum causarum notam apprehenderis, neque rursus causam externam præcessisse aliquam constiterit, certo existimabis figuram vitiari ex nimia humiditatis inundatione, quæ non permittit ventrem ea figura connnere alimentum, qua vndique possit ipsum complecti, quod ad veram coctionem necessum erat, vt paulò inferiùs sum monstraturus.

Tertia verò causarum series facilè seipsam manifestat, nam habita notitia vitæ præcedentis & victus, facilè cognoscitur in deprauatum victum aut ingerendi ordinem et copiosiorem quantitatem, aut quid extrinsecus occursans ventriculi cruditatem ingerendam.

His omnibus adhuc exactè consideratis, sciscitandum vltra est, an præsit in ventriculo humoris vitiosi aliquid, cui regeri possit culpa prædictorum accidentium, an à sola prodeant intemperantia. Quod sanè haud difficulter percipies, si experimento, quod Galenus consuluit, vsus fueris. Nam primo alimenta porriges quantum fieri possit ex sua natura corruptioni inepta; sic enim acidum eructantibus mel, & nidorosis panem porriges: quòd si excrementa citra alicuius humoris corrupti miscellam excernantur, intemperiei sine materia signum erit; si verò simul cum corruptis excrementis humoris etiam aliquid exeat, conijcies intemperiem cum affluxu illius humoris esse. Præterea considerabis an in cauitate ventriculi innatent

prædicti humores, an adhærentes sint vel tunicis infarti; item an generentur eo loci, an aliunde transmittantur. Bilis enim quæ in ventre generatur, plerumque porracei coloris est, aliunde verò transmissa pallida, æruginosa, vel adustæ conditionis. Sic pituita ibidem genita crassa, ex capite verò tenuis & spumosa, ex corpore vniuerso tenuis & citra spumam, quæ fluxioni paratior est.

Vt certò de futuro euentu possis sententiam proferre in quauis cruditatis sorte, primò excludere oportet euidentes causas, quarum effectus non sunt ita graues ac internarum. Ex quibus videndum nunc est, an actiuæ qualitates grauiores sint passiuis, quod certissimum est, nisi siccitas (quæ semper grauior est humiditate) ad solidas partes vsque pertingat, nam vt ante id facilè curari potest, ita dum ad fibrosum genus peruenit, vt lentè fit & tardè, pari pensu difficillimè & morosè curari potest. Vtcunque tamen sit, has ventriculi affectiones grauissimas iudicamus, & eo magis, quo morosiùs & negligentiùs curantur: procidunt enim plerumq; in atrophiam, hydropem, hypochondriacos affectus, fastidia, vomitus perseuerantes, & alia grauissima mala. *Præsagia*

Medendi verò ratio, vt à facilioribus initium sumam, docet in vlnima hac causa, quæ deprauata victus institutione oritur, tantùm ex vsu esse vitæ & victus modum in meliorem & magis regulatum mutare. Certum enim est, victus quantitatem in minuendam esse, si constiterit eam fuisse cruditatis causam: *Curandi ratio.* C sæpe enim natura licèt proprijs legibus gubernetur, nequit munus suum implere, quòd alimenti copia excedat proprias vires: quapropter vtendum est protinus, si nauseatina subsit satietas, si pondus in ventre, si inquietudo & tædium, vomitibus: verùm si cibum iam descendisse constiterit, clysmatis, aut cassia vel marina, quò faciliùs quod grauat excernatur. Postmodum verò victus parsimonia vtendum est, & moderato exercitio, quæ sat esse comperimus ad auferendam ex copiosiori alimento cruditatem. Pari etiam ratione si ex alimentorum praua natura cruditas succresscat, eorum mutatio in meliora satis erit: ni priùs necessum sit, quod vitiatum corruptumque est, demere D vomitu, clysmatis, aut leui purgatione, vt nuper diximus. Si tamen alimentorum præpostero ordine prędictum succrescat malum, eidem quoque prouidebis, iuxta ventriculi indigentiam: quemadmodum in explicatione causarum paulò ante retuleram: quapropter non placet hac in parte iterum repetere. Verùm dum ex calore ambientis alimenta ex toto non conficiuntur, vt Hippocrat. refert, qui æstate & autumno cibos difficilè ferre scribit, tunc quidem huic malo medeberis frigidæ aquæ potu in prima mensa præstito, vel potu ex malis granatis, arancijs, lactuca, et alijs quæ intemperiem corrigant, simul & calorem intrò reuocent, ac firmiores reddant spiritus & discussioni minus aptos. Si tamen ex frigore ambientis retardetur E ventriculi actio, primò vinum tenue porriges, aut panis modicum eodem vino madefactum: omnibus tamen confert prandium finire modico aquæ potu.

Altera verò causarum series, quæ vitia figuræ continet, prætermittenda nunc mihi visa est, & reducenda ad caput de ventriculi inflammatione, vbi tumoris præter naturam & vlceris curationem sum scripturus.

Tertia & potissima huius mali causa, quæ vniuersa in ventriculi distemperiem refertur, habet hoc proprium, quòd, cuiusuis distemperamẽti sit, peculiarem prærequirat medicamentorum materiam, & sibi propriam medendi viam: habent tamen omnes distemperies id commune, vt per contraria curari desiderẽt, & ex altera parte alimenta iuxta ventriculi & naturę modum, qui vanus est, adhibeãtur. Sic calida distemperies, vt ab ea initium sumam, refrigerationem iure

suo

ſuo expoſtulat, quibus verò, quantũ & quomodo adhiberi debeant, haud facile eſt noſſe : nam licèt affectus conditio æqualem expoſtulet refrigerationem, tenuit ventriculi natura tantum refrigerari, quantum affectus expoſtulat, etiam ſi ex Galeni ſententia lib. 9. method. particulam ſuapte natura frigidam, dum calido morbo laborat, audaciùs liceat refrigerare, ſed cùm ventriculus membranoſus & frigidę naturæ ſit, videbatur liberaliùs poſſe refrigerari. Cui dubitationi dicimus, ventriculum duplicem præſtare indicationem : alteram ratione ſubſtantiæ quæ frigida eſt, qua facilè ſuſtineret prædictum refrigerandi modum: alteram verò ſui officij, quod eſt mediante calore coctionem efficere: quę ſanè indicatio tanti eſt momenti, quod iure optimo obumbret indicationem propriæ naturæ : & ob id in calidis eius diſtemperantijs condonandum aliquid eſt ventriculi officio: nam refrigerare ipſum oportet paulò mitiùs, idque iuxta modum ſui caloris. Sic intus ſumpta & exterius è regione ventriculi in parte antica & in dorſo auxilia ſunt adhibenda : modus etiam docet, neque in maxima quantitate, neque diutius eſſe in eis perſiſtendum, ne ventriculi natiuus calor, qui diſſipatione ob calorem extraneum, aut defectu ſubſtantiæ humidæ puſillus factus, maxima refrigerantium copia extinguatur. Diſtinxiſſe hac in parte priùs oportet, dum diſtemperies cum affluxu materiæ ingruit (cuiuſuis naturæ materia ſit) euacuandum eſſe priùs aliquo modo, vt dictũ eſt cap. de vomitu.

Victus in calida intemperie. Verùm ſi nuda fuerit intemperies, victus rationem inſtituere oportet, initio ſumpto à potu frigidæ aquæ, deinceps ea alimenta adhibere, quæ frigidæ ſint naturæ & facilis diſtributionis, vt antequam vſtionem ſubeant digerantur: velut eſt priſſana hordeacea, alica, amylum, lac amygdalatum dulcium aut ſeminũ frigidorum maiorum: ex oleribus lactuca, portulaca, ſcariola, cichorium : ex carnibus iura decocta & eiſdem herbis confecta, vt arietis, vituli citra pinguedinem, aut pullorum & caponum. Potus ſit aqua frigida mortario lapideo percolata, aut diu domi adſeruata, decocta autem minimè: ſumat medicamenti gratia ſuccum granatorum acrium & dulcium, item arranciorum acrium & agreſtæ: quæ omnia niue refrigerari poſſunt. Syrupos etiam huic vſui confectos præſtabis, velut de agreſta, de ſucco acetoſæ, de ſucco citri & limonum: tandem ventriculum purgare oportebit, ſi in ipſo bilis ab calorem ex alimentis gignatur porracea, vomitibus, & his quæ abluant: ſi verò aliunde fluat, leuibus pharmacis & frequenter adhibitis, maximè dum à iecore prodit. At ſi à toto, copioſiùs licebit purgare : vteris tamen eiſdem pharmacis, quæ citato capite ſcripſimus.

Verùm ne in hac tractatione quidquam deeſſe ex his quæ illi proficua ſunt videantur, expendiſſe oportet, nidoroſam hanc cruditatem, quam ex calido ventriculo oriri diximus, plures ſortiri differentias : quæ licèt ab vno eodemque intemperamento (calido nimirum) prodeant, inter ſe ob peculiarem aliquã conditionem, longis interuallis diſſident. Qui etenim hanc patiuntur cruditatem, licèt fumoſum ſemper eructent, aliquando ructus nidorem repræſentant, qui ſi ex alimentis hanc naturam referentibus (velut ſunt frixi piſces, aut oua, vel raphanus) non prodeat, ab intemperamẽto ventris calido proficiſci eſt neceſſum, vt antea dictum eſt, maximè ſi ſiccitas acceſſerit, aut ab humorum bilioſorum vel aduſtorum in ventriculo ipſo redundantia. Docet hanc cruditatem ab alimentis fieri, natura eorum quæ ingeſta ſunt : à calore tamen, ex quouis cibo nidoris redolentia, à bilioſis humoribus, eorum vomitus aut oris amaror, vel, ſi aduſti ſint, æruginoſi ructus. Alij etiam eructant fœtidum : quòd ſi ex peſtilenti aeris contagio non ſit, vel ab vlcere aut pure, à putrefactiua humiditate cum caA lore præter naturam proficiſcitur: nonnulli cęnoſum eructant ab eodem calore & edulijs præhumidis, quę natura conficere nequit. Item alij rancidum, ęruginoſum ac fumoſum eructant, quod vel à cibo eius naturæ, vel aduſta & præaſſata bilioſa humiditate prodire eſt certum. Sed mirandum profectò eſt, cur in his nidoroſis affectionibus, quibus plerumque adiungitur bilioſorum ac vinoſorum humorum copia, vel ventriculus non impensè doleat, vel cibos auerſetur & ſummopere faſtidiat, aut prauos inſectetur, ſiquidem ab eiſdemmet ſuccis prædicta accidentia ſuccreſcere antea ſtatutum eſt. Cui dubio dicendum arbitror, hanc eſſe differentiam, quòd in illis accidentibus quæ dolorem inferũt, ſubſtantia oris ventriculi diuellitur morB dicatione & acrimonia ſuccorum: in nauſea & vomitu corpus eius: at in debilitate & cruditate corpus magis intemperatur citra irritamentum potentiæ expellentis, & quia ibidem generantur non ita lædunt ſicuti ſi aliunde confluxiſſent, vt in prædictis affectionibus. In ciborum verò peruerſa appetitione aut auerſione os ventris intemperatur, ſi faſtidium ſequitur, aut leuiter mordetur, aut irritatur more natuli, ſi adauctus futurus eſt appetitus, & ob id ab vna eademq; cauſa coniectabile eſt, varios affectus poſſe ſuccreſcere. Quibus omnibus cauſis medeberis tum per ea quę calorem compeſcunt, & ventrem citra maximam refrigerationem ad antiquum ſtatum redigunt, habito tamen ad cauſam materialem reſpectu: quippe in his, C præterquam quòd victum à potu frigidæ incipere oportet (niſi fluctuationibus & flatibus venter abundet, quo tempore ſatius eſt quatuor aut ſex horis à cibo prædictum potum porrigere, quo minor fiat alimenti vſtio) paulatinis purgationibus vtendum eſt, per interualla ſerum caprinum porrigendo, maximè ſi in eo ferbuerint folia ſenæ aut rhabarbari tantullum. Prodeſt mirum in modum ſic affectis, id q. ℞. *radicum intybi, cichorij, & buglossæ. anã m. 1. & ß. hordei, paſſularum ſine acinis aut Corinthiacarum anã p. 1. foliorum ſenæ. ℥. 1. abſynthij. m. 1. in lib. 6. aquæ fiat decoctio ad conſumptionem tertiæ partis, & prædicti decocti excipe. ℥. 5. & infunde ac exprime rhabarbari.* ℈. 1. *& adde ſyrupi cichorij & portulacæ. ℥. 1. & ſingulis dieD bus aut tertio quoq; die porrige ventriculo ieiuno*: quòd ſi magis attemperare libuerit, *oxyſacchara, aut ſyrupi acetoſæ, vel roſarum addes. ℥. 1.* Eundem vſum præſtat ſyrupus de mucilaginibus cum infuſo foliorum ſenæ aut rhabarbari. Item pilule ex maſtiche & rhabarbaro & aloe lota, aut idem rhabarbarum maſticatum. Proſunt & pilulæ ſub lingua detentæ, q. ℞. *ſeminis cucumeris in aqua macerati & excorticati. ℥. ß. tragacanthi diſſoluti in oui albumine. ʒ. 2. liquefiant in vaſe duplici & fiant pilulæ.* Eũdem vſum præſtat confectio q. ℞. *ſantalorum omnium, roſarum. ſpodij & corallorũ. anã ʒ. ß. margaritarum, iaſminorum. anã ℈ 1. corticum citri conditorum. ʒ. 1. & ß. coriandri præparati. ʒ. 3. cinnamomi. ℈. 1. ſacchari albi. lib. 1. aquæ roſarum ℥. 3.* Idẽ E beneficium præſtat mina cytoniorum citra aromata, cum modico aceto & corallo præparato admixta. Monendus tamen lector eſt, ne indiſtinctè auxilijs quæ acetum recipiunt vtatur: ſolum enim ex vſu eſſe comperimus, vbi nimia humiditas, eaque craſſa adiuncta eſt calori: quo tempore vel dilutius debet eſſe, vel refrigerantibus & lenientibus admixtum. Quem quoque vſum præſtant pleraque auxilia, ex his quæ reperies cap. de melancholia hypochondriaca. Exteriùs verò ventriculum refrigerare oportet, cautè tamen, ne conſtipata cute intenſiùs vratur: ob id ipſius regionem fouere conuenit oleo roſarum, cytoniorũ, & omphacino, poſca ex pane deſuper poſita. Dorſum etiam iuxta duodecimam vertebram ex vſu eſt inungere refrigerante Galeni, vel vnguento ex cucurbita, aut roſaceo, & ſantalino. Valet etiam antè & retrò appoſitum ex eiſdem vnguentis ceratum. Idem beneficium

ficium præstat, in hac causa, & in febribus æstuosis; quæ ventriculum præ calore laxant, id q. ℞. *olei violarum.* ℥. 2. *olei nenupharis & amygdalarum dul. anà* ℥. 1. *ceræ. q. s. fiat linimentum.* Maioris efficaciæ est q. ℞. *olei rosati omphacini, & cytoniorum. anà* ʒ. 2. *pulueris rosarum, coralli, & santal. rub. bistortæ, & boli armeni. anà* ℥. 1. *ceræ. q. s. fiat vnguentum cum modico aceto rosaceo.* Præterea si ventriculus robustus sit, aut laborãs iuuenculus, cucurbitarum aut melonũ ramenta ventriculo adbibenda sunt, sicut panni lacte imbuti, aut vesica aqua frigida, vel lacte, aut oleo rosaceo omphacino plena, vel succus granatorum acrium cum pane. Adstringentia verò neque omnino sunt prætermittenda, neque audacter adhibenda: illud quidem ne per poros cutis innata caliditas dissipetur: hoc verò ne præternaturalis calor vehementiùs retrocedat. Medicamenta verò purgantia ab huiusmodi nuda distemperie ablegãda esse censeo, nisi leuissima sint, vt cassia & manna. Reliqua leges. cap. de hypochondriaca melancholia.

Frigida distemperies si huic malo causam præstiterit et nuda sit, citra vllam dubitationem, ea quæ æqualiter calfaciant administrari possunt: tum quia frigiditas morbosa id expostulat: tum verò, quia calidis medicamentis innatus ventriculi calor iuuatur, & actio perficitur: medicamẽta verò quæ id præstare possunt, repeties capite de vomitu, paragrapho de frigida materia; & tomo secundo, capite de his, quæ ventriculũ calfaciunt: sunt enim auxilia maximi momenti & vsu probatissima. Quibus prælibatis, præter ea auxilia quæ simplici intemperamento proficua esse diximus, consideranda sunt alia, quæ frigiditati adiuncta humori prosint, si priùs in memoriam reuocauero, humorem malo causam præstantem, vel ab eodem ventriculo indies magis augeri, vel aliunde in ipsum confluere frigidum & aptum vitiare & interturbare coctionem. Quòd si primum sit, curationis principium auspicari oportet à vomitu crudorum, & postea (quia coniectabile est, aliquid impactum manere) paulatim purgabis pilulis mastichinis, de hiera Galeni, aut alijs quæ ex mastiche, rhabarbaro, agarico, & aloe conficiuntur. Cui vsui terebinthinam abietis cum rhabarbaro aut pulueribus foliorum senæ magni fore momenti arbitror. Prosunt pari pensu pilulæ, q. ℞. *aloes non lotæ.* ʒ. 1. *myrrhæ.* ℈. 1. *cinnamomi, assari, spicæ, anà gr. 6. formentur pilulæ v. pro drachma:* item aliæ q. ℞. *hieræ simplicis.* ℈. 1. *agarici.* ℈. 2. *cum vino formentur pilulæ, quibus addes trochiscos de absynthio & succum apij.* Quo facto curandum est ventriculi acquisitam frigiditatem compescere fomentis, q. ℞. *absynthij, menthæ, squinanti. anà m. 2. radicis cyperi, caryophyllorum. anà* ʒ. 2. *vini quod sufficiat.* Eodem modo prosunt sacculi ex eisdem met herbis cum cinnamomo, cortice citri, ligno aloes, zingibere, nuce & reliquis calorificis aromatis. Conferunt & inunctiones ex cinnamomi oleo, nec non & anisi, ex absynthio, mentha & nardo. Prodest & balsamum, oleum de terebintho aut de pipere. Nam vbi cruditas & humor, quo fouetur, ex vitio potiùs intemperamenti prodit, quàm ex fluente humore, maior habenda est calfaciendi cura, donec ad antiquum calorem partem reducamus. Sic emplastra & cerata summopere prodesse scimus, quale est quod Rasius conficit ex styrace, spica, squinanto, calamo odorato, mastiche, cariophyllis, cinnamomo, mentha & absynthio cum ladano. Prodest & id q. ℞. *olei piperis aut cinnamomi.* ℥ ß. *pulueris aromatici rosati, cariophyllorum, macis, nucis, carpesiarum & ligni aloes. anà* ʒ. ß. *ladani depurati & ceræ quod sufficiat.* Item aliud conficies, q. ℞. *pulueris diarrhodonis, cinnamomi, ligni aloes, carpesiarum, cariophyllorum, menthæ, absynthij, corticum citri & galangæ. anà* ℈. 1. *diambræ & diamusci. anà gr. 6. olei abietis guttam vnam, ceræ & ladani quod sufficiat.* Sed mira

A bilis efficaciæ diutino experimẽto comperi ceratum conficere, q. ℞. *diaphylonis minoris.* ℥. 1. ß. *picis, aut terebinthinæ abietis.* ʒ. 2. *pulueris diarrhodonis.* ʒ. 1. *ceræ Berberiscæ, q. s. vt fiat tela cerata,* cuius partem ventriculo appones. At si velis cataplasmatis vti, *excipe furfuris depurati. p. 1. pulueris diarrhodonis, aromatici rosati, corticum citri & coralli. anà* ʒ. 1. *carnis cotoniorũ ussæ vel vino decoctæ.* ℥. 2. *cum vino fiat cataplasma:* ad quorum pensum mille alia effingere poteris, quæ consimilem habeant vim, quæ iuxta dorsum, aut ventriculum, vel vtramque partem adbibita, maximi esse sunt momenti. Sic intus porrigere oportebit, quæ sopitum calorem excitent, & frigiditatem adimere possint, qualis est puluis, q. ℞. *cinnamomi, corticis citri,* B *ligni aloes, zingiberis, chebuli conditi, nucis, menthæ, absynthij, & galangæ, anà* ℈. 1. *sacchari.* ℥. 6. *cuius sumat laborans* ʒ. 1. Prodest & mixta aromatis confecta, diaciminon, dianison, diatrion pipereon, theriaca, nux muscata, vinum aromaticum, aqua ex theriaca, mithridatio, & vino, aqua cinnamomi arte chymica extracta, syrupus de mentha, de corticibus citri, mel anthosatum vel cum decocto cinnamomi confectum. Item præstat vinum in quo bullierint cariophylli, absynthium & anisum cum cinnamomo & melle: valet & id quod recipit radicis fœniculi. ʒ. 2. coquantur in ℥. 4. vini ad dimidias cum modico cinnamomo. Eundem vsum præstant trochisci qui recipiunt rosarum rubearum, ligni aloes, spicæ, mastichis, squinan- C ti, macis, cinnamomi, absynthij. anà ʒ. 1. ex vino veteri fiant trochisci. Verùm quia flatus plerumque huic ventris vitio succrescunt, addere tunc oportet prædictis auxilijs, tam his quæ intus sumuntur, quàm quæ extenùs adbibentur, quæ flatum discutiant, qualis galanga est, grana paradisi, ciminum, anisum, & similia, quæ etiam vino veteri excepta magni solent esse momenti.

Verùm si ventriculus frigidior factus sit ex adhæsu frigidi humoris in ipsum aliunde confluentis, studendum magis eo tempore est detractioni & euacuationi humorũ, quàm calfactioni ventriculi, licèt summopere oporteat ipsum roborare, quo minùs reci- D piat, & feliciùs concoquat. Quapropter considerandum est primò, confluat ne humor à capite (cui prouidendum erit, vt capite de catharro scripsimus) an ab vniuerso corpore. Habet tamen vndecumque fluat, id commune, quòd primo accessu, quod superabundat, euacuari expostulat, & mox quod superest diuerti: sic etenim dum ex signis constiterit, vniuersum corpus illuc transmittere, corpus & ventrem simul purgabis (præparata priùs viscida adhærente & crassa pituita, oxymelite, melle rosaceo, syrupo de mẽtha & alijs huius census, cum aquis cinnamomi, radicis Chinæ, sarsæ parillæ aut sassafrasiæ Indicæ) ex hiera & agarico factis pilulis, aggregatiuis, alephanginis, de agarico & alijs huius naturæ: item syrupo solutiuo rosarum, electuario Indo, diaphœnico, & alijs quæ ve- E hementis operationis non sint, hæc enim, vt refert Galen. 2. acuto. vires ventriculi deijciunt, & plus ad ipsum trahunt, quàm euacuant. Quo facto, & præmissa victus ratione extenuante & exiccante, ac posthabita ex toto sanguinis detractione, vt Galen. 12. method. & 4. de sanit. tuen. & cap. 11. lib. de sanguinis missione, apertè consulit, nã id tanquam summè perniciosum fugit in totius corporis cruditatibus, confugiens ad ipsius frictiones & exercitia ac victus parsimoniam; consulens post victum quietem, quo calor non distrahatur à coctione: postea tamen purgationes consulit, & sudorificis vti auxilijs, nec non & balneis, ac maiori exercitio. His factis (quæ vt fieri debeant, sæpe dictum est) omni arte curabis ventriculum roborare, quo minùs recipiat, vt fœliciùs deinde concoquat: ac si quid in eo crudum redundare cognoueris, vomitu aut leuioribus purgationibus educes.

ces. Ventri igitur adhibebis quæ nuper retulimus, & alia quæ præter id quòd calfaciant, roborent etiam & adstringant, quibus addes cassiam, cinnamomũ, cyperum, mastichem, ladanum, hypocistidem, caryophyllos, & semen angelicæ, acaciam, & reliqua id genus: velut est q. ℞. *olei de spica* ℥. 4. *ceræ*. ℥. 1. *mastichis*. ℥. ß. *liquescant in vase duplici, & adde pulueris cyperi, macis, & cinnamomi. ana* ʒ. 1. *misce & fiat emplastrũ pro ventriculo:* vel sic confice: ℞. *mastichis, cerati stomachici Galeni æquales partes, & cum oleo de terebinthina fiat emplastrum.* Parabis item vnguentum ex *olei naphthæ*. ℥. 1. *ladani depurati*. ℥. 1. *pulueris macis, & belzoini. ana q. s. vt fiat linimentum, cui addes ambræ. gr. 4.* Præstat mirum in modum in hac causa oleum de abiete, balsamum Indicum, aut oleum mastichis. Inter quæ omnia grandioris esse momenti arbitror id q. ℞. *olei amygdalarum amararum & omphacini. anà* ℥. 2. *vini albi odoratissimi*. ℥. 2. ß. *absynthij miantim inscisi comam vnam, cinnamomi puluerizati & ligni aloes. anà.* ʒ. ß. *mastichis*. ʒ. 1. *pulueris nucis muscatæ, cariophyllorum, & seminis angelicæ, anà* ℈. 2. *bulliant in duplici vase ad vini consumptionem, & facta colatura adde ceræ modicum, aut absque cera eo vtere.* Sed sumere oportet *vinum absynthites cum medietate mellis rosati, vel vinum idem cum theriacæ*. ℈. 1. Præstat & miua cytoniorum cum oxymelite: sed cũ hoc probatum reperio medicamentum ex cotoneis, quod mille modis paratur: Primò ℞. *succi cotoneorũ*. ℥. 4. *coquantur ad spissitudinem & adde pulueris piperis*. ℈. 1. *zingiberis*. ℈. 2. *sacchari*. ℥. 1. *& misce.* Rasius enim aliter conficit, nam ℞. *succi cotoneorum depurati lib. 1. sacchari lib. ß. vini veteris lib. ß. coquantur & despumentur, & adde zingiberis, spicæ, cinnamomi, cariophyllorum. anà* ʒ. 2. *mastichis*. ℈. 4. *omnia puluerizata in prædicta miua calida macerentur & post refrigerationem validè exprimantur.* Præstat & syrupus de corticibus citri, cum pulueribus diamargaritonis, aut syrupus ros. cum pulueribus diarrhodonis aut myrabolanorum chebulorum: nec minoris momenti est emplastrum ex gallia muscata Mesues (in debilibus ex frigiditate aut humiditate, & ex gallia muscata Nicolai in his, qui præter imbecillitatem lubricum quoque ventrem habeant, quòd maioris sit adstrictionis) & ladano ac oleo abietis & naphthæ, addito aromatici rosati modico. Græci tamen ferè omnes aliter id medicamentum parant, nam ℞. *succi cotoniorum, mellis optimi anà lib. 1. aceti.* ℥. 1. *& ß. zingiberis*. ʒ. ß. *piperis albi*: ʒ. 1. *& ß. succus cum aceto & melle modicè bulliat, & additis pulueribus ad spissitudinem coquantur.* Prodest & vinum cum theriaca, & confectio, q. ℞. *cinnamomi*. ʒ. 3. *galangæ*. ʒ. 1. *corticum citri conditorũ*. ʒ. 4. *sacchari albi lib. 1. aquæ rosarum* ℥. 1. Item ea, q. ℞. *zingiberis & piperis albi. anà* ʒ. 1. *galangæ, cinnamomi, zedoariæ. anà* ℈. 1. *coriandri præparati*. ʒ. 3. *anisi, fœniculi, spicæ nardi, cardamomi, mastichis. anà* ℈ ß. *corticum citri conditorum*. ʒ. 5. *liquiritiæ rasę*. ℈. 2. *sacchari candi*. ʒ. 5. *passularum Corinthiarum*. ℥. 1. *& ß. aquæ rosarum*. ℥. 2. *sacchari albi. lib. 1. fiat confectio.* Valet etiam vinum Hippocras appellatum, & puluis alter q. ℞. *anisi & seminis fœniculi. anà* ℥. 1. *menthę hortensis siccę, cinnamomi. anà* ʒ. 1. *seminis coriandrorum pręparatorum*. ℥. 1. *& ß. pulueris diarrhodonis*. ʒ. 1. *& ß. liquiritię*. ʒ. 1. *corticum citri*. ℈. 4. *mastichis*. ℈. 1. *sacchari rosacei in tabellas confecti lib. 1. puluerizentur omnia subtilissimè & misceantur.* Exteriùs verò ea sunt adhibenda quæ sæpius diximus.

Siccitas autem ventriculi, quæ maius facessit negocium, vt quæ caloris innati plus dissipet, & difficiliùs subinde curetur, sese iam offert: quæ sanè nõ solũ quatenus talis est qualitas, ipsius ventris actiones vitiat, sed quatenus defectum humiditatis spirituosæ accersit, & innatus vẽtris calor marcescit, & imminuitur. Cuius doctrinæ gratia expendere oportet, dupli-

A cem esse siccitatem: alterã quæ defectu humidi substantifici ventriculi suboritur: alteram verò quæ defectu humiditatis eius, qua madescit ventriculus intrinsecus: quibus accedit alia siccitas ex vicinia humoris adusti, terrestris & sicci, aut ex halitu huiusmodi naturam referente, vt videre est in hypochondriaca melancholia, & in his quibus abundat huiusmodi humor, pręsertim in ventriculo, splene, meserço & iecore. Quarum omnium prima ad vltimam causam imbecillitatis ventriculi referendam censeo, vt quæ sita sit in caloris defectu, cuius mox meminero: reliquarum vero sat est scire, ea lege debere tractari, qua dictum est affectus melancholicos posse curari, vt proprio capite abundè diximus. Ea verò siccitas
B quæ defectu humiditatis ventriculum madefacientis suboritur, largiori potu, tenuioribus alimentis, quiete & somno facile temperatur.

Quarta verò & vltima causa ex his, quas natas esse cruditates efficere in ventriculo diximus, est caloris ipsius imminutio: qui sanè cùm duplex sit, duplicem quoque prærequirit considerationem. Quippe si innatus & primo geneus calor defuerit, vt antea signis distinguere docuimus, coniectandum est innati quoque humidi defectu ventrem laborare & exiccatum esse, idque magis minusue, prout humidior solidiorue eius humiditas dissipata est, ad cuius pensum etiam caloris innati maiori aut minori copia caret. Cui sanè malo nulla alia via commodiùs medeberis, quàm
C si ventriculi siccitatem correxeris: nã cùm triplex sit facultatis corroborandi ratio & via (vna quæ per ea quæ deperditam substantiam reficiunt, fiat: secunda, quæ actum quem natura nequit efficere, suppleat: reliqua verò quæ contrariam qualitatem præstet ei quæ imbecillem reddit naturam) fit facile, vt vniuersa medendi ratio in hac ventriculi siccitate & caloris innati penuria, in substantifica eius humectatione & refectione sita sit. Quamobrem maximum facessit negotium, vt Galeno visum est. 7. metho. cap. 7. quippe quæ vt difficulter perit, ita & difficillimè reficitur. Cum hoc tamen eius curandi ratio sita est in vnica tantùm actione, quæ vera est partis renutritio: nam refrigeratæ hoc modo partes calfieri vsquam ne-
D queunt, nisi mediante substantifica humectatione, quæ fit per alimenta humidæ substantiæ, calidæ atque tenuissimæ: potibus etiam et iuribus ac stillatitijs liquoribus carnis, quæ mediãte caloris actione commutentur facile, & mediante tenuitate permeent facilius. Verùm quia non sat est commodissima medicamenta seu alimenta præbere, nisi constrictæ, corrugatæ, arefactæque partes ea susceperint, accedit alia medendi ratio, quæ docet huiusmodi partes susceptioni alimenti præbere aptiores. Fiunt autem huiusmodi opera, intus per ea medicamenta quæ actuali calore, tepido tamen, polleant, qualis est ab ingesto cibo per sex octoue horas, aut vna duabusue horis ante cibum potus aquæ moderatè calidæ, quæ me-
E diante tepidissimo calore poros aperiat, partes corrugatas & collapsas dilatet, vt facilè alimentum ex præcedentibus coctionibus ventriculo trãsmissum, subingredi possit minimas quasque eius particulas. Alimenta autem desiderat hęc affectio per statuta interualla, & in parua quantitate exhibita. Exteriùs ventriculum & vniuersam eius regionem modicis frictionibus tractare oportet, inunctionibus etiam oleorum sesamini, amygdalarum dulcium, violarum & de semine cucurbitæ: oleis quidem mollescit & cedit corrugata pars: frictione verò calor ad particulam trahitur: calor rursus attractus, vt de more habet, partes dilatat, & mediante motu frictionis, alimentum faciliùs allicitur ad particulam oleis molliorem factam, & calore iam dilatatã, quo fit vt facilè possit alimentum suscipere. Tandem ea est huius affectus vera medendi ratio, quam diximus proficuam esse vniuerso

cor-

corpori hectico lib. de febrium essentia & curatione. Hoc tamen vnũ præ oculis habẽdũ esse cẽseo in hac curatione, nimirum adstringẽtia pharmaca nulla ratione esse ex vsu, neque calida, quæ temperatum calorem excedant: illa quidem nutritionem remorantur & impediunt: hæc verò calorem innatum euocant et longè magis dissipant: temperatis enim calorem reficimus, & actum naturæ ruentis supplemus, & rursus causam illidimus.

Verùm si caloris partium vicinarum defectu (quæ est altera causa huius imbecillitatis vt superiùs proposuimus) vel intensione, quæ calorem ventris ipsius vel ad se euocet (vt fertur) aut ob frigiditatem vt in hydrope, vel in iecoris & meseræi inflammationibus euocato ad externa ventriculi calore, tunc quidẽ longè aliter res fieri desiderat: nam siue ob calidũ membrorum intemperamentum fiat, siue ob eorum frigiditatem, semper eum calorem præstabis, qui æqualis sit calori influenti ipsius laborantis cùm sanus erat: nam simile debet esse quod reficitur deficienti, nisi intemperamentum correctionem etiam postulauerit: nam corroboratio hæc simili calore facta, solum dum calor deficit proficua existit, nullo habito ad causam respectu. Quapropter non vtcumq; licet prædicti caloris defectum supplere, adhibitis quibusque calorificis, sed solum eis quæ nostro calori simillima existant. Sic enim calor volæ manus aut catuli, vel pulli, vel puerulus biennis ventri ad motus summopere iuuat, & quæcumq; prædicti caloris modum æmulantur. Est tamen in applicatione huius caloris hæc adseruanda differentia, quòd vbicumque membra ventriculo vicina calidiora iusto existunt, & ob id venter prauè concoquit, auxilia temperatæ naturæ adhibenda esse consulit rei ratio, vt calor membrorum mansuetior fiat, & ventriculus calorẽ susceptet: nam huius conditionis constat esse quæ temperata sunt. Hæc enim ex vsu esse comperimus hypochondriacis, & his qui prauè concoquunt: quibus eò magis videtur proficua quò cruditas ad nidorosam propiùs accesserit: hæc quidem plerumque prædictis intemperantijs conueniunt. Verùm tanti est momenti temperatorum vsus, vt & his & reliquis cruditatibus prodesse possit: nidorosis quidem, si magis ad frigidius vergant: reliquis verò, si vel temperata sint vel parum ad calidius accedant, dummodo laborantis calorem naturalem non superent: nisi intemperies quoque correctionem expostulet. At dum vicina membra adeò sunt proprio calore orbata, vt de iecore & de omento in hydrope fertur, quòd ob id venter eorum calore destitutus non conficiat alimenta, tanto supra temperatum calidiora sunt adhibenda auxilia, quanto nostrum calorem membrorum frigida intemperies superat, vt quantum venter cuiusque positiua frigiditate intemperatur, tantum calore medicamenti ad proprium cuiq; calorem reduci possit: quæ sanè præcepta si Medicus diligenter obseruauerit, procul dubio arbitror tum multa accidentia huius membri difficilia posse infirmare ac deuincere, quæ alijs videntur velut desperata, maximè si legerit tom. 2. cap. de præsidijs ventriculo calfaciendo aut refrigerando idoneis.

CAPVT VIII.

De cholera morbo.

CVm hucusq; actum sit de his affectionibus quæ ventriculo duntaxat peculiares sunt, commodissimum mihi visum fuit hac in parte ad eas peruenire, quæ licèt ab eodem principium sortiantur, intestinis etiam communes efficiuntur, cuius sanè conditionis cholera morbus esse creditur. Est sanè hæc affectio, Gal. teste lib. definitionum, affectus peracutus & gra

A uis, qui per vomitum & alui fluxum protinus hominẽ tollit: eodem etiam loco scribit esse acutum affectum cum vomitibus biliosis multis, alijsq; deiectionibus, suris quoque se contrahentibus, ac frigescentibus extremitatibus: qua definitione vsi sunt Paulus lib. 3. c. 39. & Trallianus lib. 2. cap. 51. Ex quibus omnibus elicitur, nihil aliud esse, quàm immodicam perturbationem ventriculi & intestinorum, quæ fit à valida expultrice, conante quod sibi est molestum expellere. Appellarunt antiqui choleram huiusmodi affectum, non ob biliosum humorem à quo frequenter fit, cuius ratione à Barbaris cholera appellatur, sed potiùs ab intestinis, quæ choladas vocant veteres, vt Trallian. censet: aut forsan sic dicitur, quòd per contraria B fiat fluxio. Hunc morbum censent Neoterici ex proprio marte Barbaros appellasse cholericam passionẽ, cùm longè antè Hippoc. 7. popul. text. 81. cholericam nuncupasset, vt paulò inferiùs monstrabo. Est igitur is affectus notissimus, acutissimus, ac periculosissimus, cuius symptomata sunt assidua simul deiectio, & vomitio. Ex quibus euidenter constat, ad expultricem ventriculi facultatem validissimè irritatam pertinere, ac non solùm os ventriculi, verùm & inferior etiam eius pars, quę pyloron dicitur. In quo etiam affectu credendum est, non tantùm lædi solam ventris expellentem facultatem, sed etiam plerumque accidere his, qui imbecillam habent retentricem, aut ex diutina retentione biliosorum facta est impotentior, C quod ego magis arbitror: quippe dum à principio languida est, potiùs lienteriam aut cœliacam mouet, paulatim demissa crudorum sarcina, quàm choleram. Quo fit vt licèt imbecillitas huius facultatis nõ sit causa huius symptomatis, sed validus & concitatus expultricis motus, cum hoc tamen, eò validior & sæuior vomitibus & singultibus efficitur, quo retentrix facultas minus resistit actibus expultricis, adeò vt quocumque modo expultrix instituerit expellere, possit citra controuersiam aut resistentiam contentricis, quo solent fieri copiosiores & periculosiores expellentis actus: nam vt mea mens est, succi qui hunc affectum excitant, haud secus molesti existunt contentrici facultati, quàm expellenti: & ob id cer- D tissimum erit, vtramque simul ob eandem causam oblædi: ita vt facultas expultrix quasi furore videatur percita, siquidem non rarò noxia non solùm expellit, verùm & vtiles simul succos, quos etiam præ imbecillitate retentrix liberè permittit exire, adeò vt in hoc solo affectu omnia ventriculi symptomata in vnum conspirare videantur. Est enim nausea & vomitus interdum, necnon & singultus: præterea angustia stomachi, cardialgia, æstuatio, inflatio, dolor ventriculi & intestinorum, ac vtriusque alui fluxus cum animi deliquio, pulsuum paruitate, syncope & conuulsionibus: iuuenibus quidem frequentiùs ob flauæ bilis vbertatem, pueris ob crudorum esculentorum copiam. Sit ne tantùm ad huius morbi integritatem E necessarium per vtramque aluum fieri simul euacuationem, in dubium vertitur: quòd Hippocrat. 5. popul. dixerit in historia Euthychidis ex cholera vrinã & aluum habuisse suppressas. Cum hoc tamen sciendum est, nusquam hunc affectum fieri citra simultaneam vacuationem, cæterum plerumque degenerare in alterutram: nam solet vomitus cessare manente alui fluxu, aut è contra.

Præterea constat ex Hippocr. lib. 4. de ratione victus text. 103. duplicem esse choleræ speciem: alteram cuius naturam hucusque adduximus: humidam speciali nomine & genere comprehẽsam, ob excrementorum vbertatem, sic appellatam: reliquam verò siccam, vtramque vno communi nomine insignitam, eò quòd vtrisque vnus communis generationis modus existat. Differunt tamen quòd humorem in humida natura excernat, flatum verò in sicca: nam

hæc,

hæc, sicut illa, nihil aliud est, quàm quædam ventris A perturbatio sursum deorsumque cum excretione eius quod irritat facultatem, licèt Hipp. loco citato siccam appellauerit, quòd nihil in ea notatu dignum excernatur: cui Galen. minimè cosentit, cùm per vtramque partem flatum excerni necessum sit, alioqui aut ventris esset inflatio aut tympania: cum hoc tamen sat est aliquando leuiter flatum excerni, dum modò semper sit ad vomitum et intestina irritamentum, turbatio & motus.

Harum enim affectionum causæ dissidentes profectò inter se sunt: nam licèt vtraq; in ventriculo generationem aut permansionem sortiatur, sicca tamen, vt mox referam, ab spiritu flatuoso copiosissimo prodit, humida verò à prauis succis. Fit igitur humida, B vel ex ventris totius debilitate, qua facilè suscipiat quod in ipsum transmittitur, vel ex iecore, aut splene aut meseræo, prauis succis abundantibus vt inferiùs constabit, vel ex vniuersi corporis vitiosa copia, quã per ipsum ventrem deponere studet. Vtcumque tamen sit, ab vna è duabus humorum naturis prodire est compertum: nimirum ex crudis aut aliter vitiatis edulijs: vel ex biliosis humoribus copiosiori sero admixtis, siue à genere venoso confluentes, siue in ventre ipso per cruditatem aut alio modo geniti, copiosè excernantur. Nam potissima huius affectionis causa est, totius ventris imbecillitas, vel alimenti quod ingeritur corruptio, aut incoctibilitas, vel deprauata ex natiua sorte qualitas, velut acris aut nitrosa, pinguis, C oleosa, aut fumosa, & rancida, quorum omnium naturam latissimè adduxit Hippocra. 5. popul. text. 81.

Dubium. Cholerica ex carnium esu. Sed mirandum profectò est & inquirendum, quæ sit ratio propter quam pleraque ex alimentis, vitio sui aut ventriculi cruda solùm supersint, citra id quod adeò validè excitent ad pulsum naturam: alia verò hanc peculariùs affectionem gignant. Cuius dubitationis gratia expẽdendum est, quòd licèt in alijs cruditatibus cibus liquetur, & in hac pari ratione liquationem subeat & fusionem, nihilominus tamen hæc est differentia, quòd in illis alimentum nihil contraxit præter naturam, nisi inconfectum esse, vt copiosis alimentis contingit, aut si putruit & vitiatum fuit, lentè & paulatim, vt in cœliaca, expulit natura: at in his quæ effectura sunt huiusmodi damnum, necessariò succrescere tenetur, præter cruditatem, aut incoctibilitatem, vitiosa aliqua D conditio & qualitas adeò à natura euersa, quòd ipsam omnino lacessat: quam contrahunt, quia cùm in liquatione vel vitio caloris liquantis vel alimenti ipsius, nequiuerit natura formam chyli ipsis inducere, nec solùm crudum quid potuerit ex ijs superesse, susceptarunt putorem & conditionem adeò naturæ inimicam, vt mox ipsam lacessant, & ad expulsionem grandi diligentia inuitent. Præsertim cùm diu detenta, ex copia simul & malitia id efficiant. Hac enim occasione copiosissima in corpore succrescunt excrementa, quia cùm paulatim fiant & tenuissima sint, E velut lactis serum, & non protinus putorem contrahant, congregantur copiosa, & ob eam copiam succrescit putor & corruptio ad pensum quantitatis immodicæ, & ob id irritamentum & vacuationes fore immodicas nemo est qui non intelligat: nam affectus validus multarum causarum congressum desiderat, quibus expultrix facultas validè irritetur & excernat. Dimitto hac in parte alias externas causas, quas potiùs dixeris occasiones, vt frigus externum, aut aquæ frigidæ potus, vel decubitus supra frigidam herbam, maximè si corpus sudauerit, vel calidum ab exercitio fuerit. Ac licèt alicui difficile videatur, plerumq; ex vitiosa cruditate hunc morbum oriri, quòd tantam copiam, quantam natura in hoc malo excernit, videatur impossibile ventrem continere, est tamen verissimum, quia meseraicæ, & proximæ cauitates adeò grandem solent adseruare, vt quod dictũ est, credibile fiat: præterquam quòd Hippocr. lib. 5. text. 81. & Galen. 8. localium, in auxilijs huic affectioni ab Asclep. scriptis, id apertissimè testantur. Nonnunquam verò à toto corpore alicuius prædictorum succorum, adeò grandis succrescit & irruit in ventrem quantitas, vt difficile videatur corpus vnum eam copiam potuisse congerere. Sed aliquando id efficit natura & sæpe vtiliter, vt optimè aduertit Galen. 7. method. cap. 2. dicens: *Fit interdum vt aliqui per quasdam veluti periodos correpti a cholera, copioseque expurgati ab huiusmodi vitiosis excrementis, quamuis fieri nequeat, quin adeò liberali & copiosa vacuatione aliquid vtilis excernatur, paulò tamen resumptis viribus, longè meliùs se habeant & sani degant.*

Sed ad siccæ choleræ notitiam accedere tempestiuum mihi videtur: quæ sanè est affectus, in quo *De cholera sicca.* inflato ventre & obstrepente cum dolore laterum, nihilque alui deijciente, excernitur per superiora & inferiora spiritus actis admodum molestus: nam cùm partes prope ventrem neruosæ sint, sicuti latera & lumbi, mordens ille flatus hinc inde discurrens, cruciatus excitat & dolores vagos, ob motum inordinatum, ac in vniuerso ventre perstantes cum tensione. Prodeunt autem hi flatus adeò acres & mordaces, longeque ab alijs omnibus non raro dissidentes, ab vna duarum causarum: nam aut ventriculus adeò est ignei & exurentis caloris, vt quoduis alimentum quantumuis laudabile sit, in nidorosam & exustam naturam commutet, adeò vt flatus ab eo etiã acres fiant & mordacissimi: præterea eiusdem conditionis proficisci possunt ab edulijs exustæ & corruptæ naturæ ac sortis, & quæ fumosam conditionem sortiantur, vt cœpa, oua frixa, aut pisces & reliqua huius naturæ. Neque ob id credendum est, non posse fieri ab alijs cruditatis speciebus quæ calore diminuto fiunt, vt ferè omnes, qui loco citato Hippocrat. legerunt, sunt arbitrati: verùm licèt id aliquo modo illis concedi possit, potiùs arbitror ab eisdem inflationes aut tympaniam fieri, quàm choleram siccam, quia flatus à frigidis cruditatibus orti, omni carent acrimonia & mordacitate, medium profectò necessarium ad choleram siccam efficiendam. Fit itaque communiter, vt omnia complectar, cholera sicca à flatulento spiritu acri, si legitima futura est, in ventre & eius vicinis partibus genito, in qua per vtramque aluum, quæ summopere per latera & lumborum regionem dolent, flatus excernuntur, nec ob id quidquam leuantur, sicut in tympania & ventris inflatione: nam in his ab excreto flatu leuantur, in cholera verò sicca non adeò, quia vt vehementior & citatior est flatus excretio, ita & generatio, quòd humorum adustorum & crassorum sit magna copia, & calor ibi maior, & aptior flatibus eleuandis quàm discutiendis: quod quidem frequentissimè accidit his qui cibis memoratis & copiosioribus præter morem sese infarciunt.

Sed dubitatione dignum esse existimo, an sola leuis caloris imminutio idonea existat flatibus gignendis. *Dubium.* Nam mirandum profectò est, statutum esse omnibus, diminutum calorem solùm cruditatem efficere, & minus diminutum flatum eleuare. Nam si minor calor efficax est humorem liquare, in cuius liquatione euidentissimum est halituosam substantiam eleuari, ac ex consequenti, cùm calor sit adeò exiguus, nequiuit resoluere, & pari ratione copiosiores tunc temporis erunt flatus, quàm si calor maiusculus extitisset, cùm coniectabile sit, eo tempore magis eos posse resoluere. In qua re ego arbitror, non esse solam caloris imminutionem, quæ flatibus eleuandis idonea existit: sed prærequiritur adhuc in materia flatus ea tenacitas & crassities, quæ flatibus ab ea exortis præstita, resistat discussioni caloris, cùm non sit

admodum intensus: vnde duo simul præterquirun- tur: calor paulò diminutè intensior, qui flatum valeat eleuare, nam qui admodum est remissus, id non valebit efficere:& rursus materiæ tenacitas, cuius discussionem non possit consequi calor huiusmodi. Itaque neutra causarum per se sufficiés est flatum eleuare, sed ambæ, aut calor imminutus cũ tenui materia, vel intensior cũ crassiori, vt mox clariùs explicabo..

Sed in choleræ siccæ essentia & cognitione, nonnulla sese offerunt expendenda auxiliorum administrationi idonea & proficua. Primum sanè est, non parum eos aberrare, qui existimant (licèt apud Hipp. pro eodem vsurpari conspiciamus non raro) flatum & spiritum idem esse. Quippe vt Arist. accuratiùs distinguit, spiritus nihil aliud est, quam sãguinis purior pars, aut calor qui suas sedes habet in humido tenui, qui pars est eius partis cui cohæret, aliud quidem ab ipsa parte specie, quantitate vnum, corporis & animi copula quædam, author naturalis constitutionis & operum animæ instrumétum. Qui sanè ex halitu per coctionem ab humorum massa elatus, coctionem etiam vlteriorem nactus, in corde naturam sortitur. Qui etiam peculiares affectus præter naturã patitur, nimirum resolutionem, extinctionem, alterationem, corruptionem, distractionem, caliginem, agitationé, torporem aut stipationem, quorum hac in parte meminisse nó est opus: quippe hæc dixisse sit satis, vt constet differentia inter spiritum & flatum, qui non à coctione, vt de spiritu dictum est, eleuatur, sed ab actione caloris nequeuntis omnino concoquere, licèt materiam ob sui actiuitatem attenuatione media in flatus vertere natus sit. Qui sanè calor imbecillus natura (vt defectu humidi proprij aut spirituum, vel remissione & paucitate graduum, aut exuperante materiæ copia) efficitur, licèt conditione & actiuitate ob tenuitatem vel acrimoniam (vel vt superiùs dictum est, quia crassiorem materiam incipit deuincere, vt de acido ructu retulerat Hippocr. qui soboles est coctionis, quia nactus est calor, non intensiorem gradum, sed efficaciorem conditionem huic muneri aptam, hoc est, quòd ex acida materia quæ præfuerat, flatum quem antea nequibat, iam eleuet) tribus modis natus est flatum vbicumque sit elicere. Primo ab alimento flatulento: secundo à crassis, viscidis, frigidis, aut aquosis humoribus: vel vltimo ex propria natura; vt in hydrope sicca latiùs dictum sumus, ob frigidam intemperiem, sed habitualiter contractam actione caloris præter naturam innatum dissipantis, vt in febribus degenerantibus in prædictam distemperiem, non rarò conspicimus: siquidem ex quauis substantia sibi commissa flatum gignit, quia talis est conditio pusilli, acris, & actiui illius caloris ibidem relicti cum habituali frigiditate, cùm non omnino iecur à calore absolui sit credendum, quantumuis intemperatum ad frigidum existat. Quo fit vt calor naturalis in materia crassa ob natiuam actiuitatem & spirituum efficaciam, cùm ob materiæ renitentiam coquere non possit, flatus eleuat: is autem calor qui spirituum inopia & qualitate frigida pauens est, ob acquisitam conditionem mordacem & acrem, ex quauis materia, quantumuis laudabili, flatum gignit. Qui sanè vtcumque genitus, si inclusus maneat, necessum est impetu in varias partes irruat: quòd si exire non permittatur, cruciatus, ventris inflationes, vertigines, difficilem respirationem & cæphalæas concitabit immanes: sin aliter liberum sortiatur exitum, prædictam choleram siccam si vtramque aluum adoriatur, à qua non protinus liberantur ægri propter assiduã flatuũ propagationem: nã concalfacta vtcunq; materia, quę non coquitur, crescit & quasi fermentatur, & vberiùs in flatus commigrat & resoluitur.

Signa.

Tam est hic affectus sua natura euidens & conspicuus, quòd signis nullo modo indigere videatur, nisi A ad causarum cognitionem: quarum præcedentes ex ante acta vitæ studio venaberis: nimirum ex præcedenti victu & vitæ modo, vigilijs, curis, aut vitæ otiosæ dedito. Humoris autem naturam ab excretis facillimè disces, præterquam quòd laborans ex sapore id quoq; referet: bilis enim præter amarorem, quem præ se fert, maiores dolores & cardialgiam nata est efficere: crudorum aut corruptorum succorum copia eadẽ concitabunt accidentia, non tamen adeò vrgentia, neque dolores adeò graues, ac bilis corrupta: sed vtramq; causam monstrabit grandis exolutio ob impensam virium resolutionem, quam hi humores in magna hac vacuatione efficere assolent, simul cum flatuosa quadam conuulsionis specie, quæ crurum B femorumq; musculos molestissimè torquet, signum quidem ingentissimæ crudorum vacuationis, ad quorum commotionem flatus multi illud efficientes eleuantur.

Præsagiũ

In hoc tamen affectu scrutandum peculiari diligentia est, quò se vertat, vt pari studio ei subuenire possimus: quippe intra primum septenarium frequentissimè soluitur, & frequentiùs in primo quaternione hominem tollit, eo quidem citiùs, quo frequentiori syncope aut animi deliquio laborans corripiatur, maximè si conuulsio aut singultus accedant, & adhuc magis si cum interceptione pulsus frigidum exudauerit, aut vomuerit aliquid loturæ carnis persimile, & longè quidem magis si nigrum, liuidum, pingue aut C æruginosum excreuerit. Sed inter omnia signa id grauius cẽsetur, cùm venter superior stercus redolet. Est enim summè grauis hæc affectio, vt quæ hoc habeat proprium, quòd omnium facultatum simul summè grauem imbecillitatem protinus accersat, & ab aliqua etiam initium sumat. Quo fit, vt sequatur à primo insultu vocis defectus, mouendi impotentia, caligo & oculorum excæcatio cum extremorum perfrigeratione: quæ sanè vitia principium sortiuntur ab immodica oris ventriculi affectione.

Curandi ratio.

In huius affectus curatione primò diligẽter expendendum est, à quantam corporis particula natura irritata; pellat succos vitiosos regeratque in ventrem, D quibus venter ipse veluti furore concitatus, aluum vtramque turbet. In qua re statuendum est, à tribus potissimùm partibus, & varijs humorum fontibus, prædictum fluxum posse concitari. Prima sanè est ventriculus in se continens ciborum corruptorum & prauorum eam copiam & conditionem, quæ ipsum lacessat, præstita molestia, nausea, vomitu, ructu & anxietate, quibus velut nauseabunda est, ad concitandum prædictum fluxum, & si diu permittatur hæc accidentia pati, protinus concitata mouebit, ni antea diligentia præueniatur euacuatione, ac si fecerit, præpedienda non est. Quippe diligens & prudens Medicus his accidentibus perspectis protinus hanc nauseatiuam satietatem & prædictam copiam deponere te- E netur, clysmate vel leui purgatione, antequã sua sponte moueatur: non enim ita facilè quiescit. Secunda autem particulæ affectæ classis constat ex hepate, liene & mesenterio, à quibus vel cruda vitiataq; alimenta, vel alij succi ibidem præter naturam geniti, impetu naturæ supra modum lacessitæ, per vtramq; aluũ funduntur. Tertiam verò partem, & tertiam humorum vitiosorum sortem constituit corpus vniuersum sese exonerans in ventrem. Cæterum videndum primò est, an sicut dictum est in prima partiũ & humorum sorte protinus esse purgandum, ita prorsus in alijs duabus, vel è contra mox fluxum liceat sistere: siquidem symptomatum immanitas & virium celerrimus lapsus id videntur exposcere: aut aliquantulũ permittere, quòd excreta substantia perniciosa fit, & cohibita grauiora accersat mala. Qua in re considerabit prudens Medicus virium robur, excrementorum quæ excernuntur naturam, copiam & impetum.

item

item accidentia quæ ex eorũ excretione succrescunt, nec non & modũ quem seruat natura in expulsione, videlicet an minutim & paulatim, an confertim; per longa interualla, an per minora: habito tamen respectu ad excrementorum naturam, quòd extraneæ sint conditionis, adstrictionem protinus tentare non licet sine maiori periculo: dixerat enim Hipp. in perturbationibus ventris & vomitibus spontinis si talia purgentur, &c. Præterquam, quòd natura impetuosè est ad eorum expulsionem irritata, cuius impetum primo accessu cohibere nõ licet: nam si cohibeatur, aliò periculosiùs transfert humores, maximè si vomitũ compresseris: nã licèt censeatur ab aliquibus semper præter naturam quoad modũ, tamen quo ad rem nonnunquam est naturæ consentaneus, & de prauatæ causæ signum bonum, quapropter primum vacuationis impetum permittere oportet, & mox (quia vt Galen. 7. metho. capit. 2. refert, ex vtilibus multa simul excernuntur, & propter symptomatum etiam grauitatem) moderari fluxum opus erit, præmissa vacuatione, quæ sufficiat copiæ redundantium excrementorum, maximè si virtus adhuc non plurimum labitur; nam ferendæ sunt aliquę debilitatis notæ, ne maius, excrementis cohibitis, sequatur incommodũ. Quo sanè tempore neque fluxum prouocare neque cohibere opus erit, sed viribus, ob symptomata, omni diligentia subuenire, donec constiterit, vel satis vacuatum esse, vel plus processisse, quàm pro excrementorum in corpore redũdantia opus erat: quo tempore sistere compescereque omnino fluxum oportebit. Verùm si symptomata adeò creuerint, quod vereamur maius subinde malum subsequuturum, vel si irritatio, dolor & anxietas maiores sint, quàm pro magnitudine euacuationis, tunc quidem moderari rem quoque conuenit, si adhuc aliquid euacuandum superest: sin aliter, aut si constet se se iam naturam continere non posse, omnino cohibere curãdum est: neque compressiones ad extremum ducendas esse consuluerat Hipp. At si maius sit irritamẽtum, & minor vacuatio quàm copia excrementorum redundantiũ postulauerit (quod ad excretionis modum attinet) tunc quidem, quod deest arte vacuabis, vt copia affatim deposita, symptomata mitescant simul. Cui profectò operi tria veniunt exequenda munia: primum diuertere naturam à vehementi hac vacuandi propensione: secundum, si in eo munere ipsa deficit, iuuare oportet: tertium verò roborare firmareque partes, quo minus liberè fluxui cedant. Atqui licèt hæc tria necessaria videantur, non tamen vnumquodque semper & vtcumque exequendum venit, sed quodlibet suam habet occasionem. Diuertere enim non promus aggredieris, sed transacto impetu naturæ, & excreta maiori humoris copia: nam videndum est, an par sit vacuatio, quæ per vomitum fit, ei quæ per aluum: quo tempore ad neutram reuelles; nam altera alteri sufficit: quinimo ad vtramque partem aliquo modo frictionibus, vinculis & calorificis auxilijs brachia, crura & vniuersum corporis habitum tractabis, quantum sat sit, vt profusio minor fiat. Verùm si ad aluum inferiorem propensior fuerit natura, studebis eo tempore per vomitum aliquid humoris purgare, tum vt præpediatur naturę impetus ad inferiora, tum verò vt aliquid humoris simul educatur. Sic enim Hippocrat. fecisse constat. 5. popul. in viro quodam cui porrexit elleborum, quia deiectio multo maior erat quàm vomitus: ac licèt methodus mihi probatissima visa sit, medicamentum tamen non probo, tutiora quidem & vtiliora existunt medicamenta, quæ longè minùs vomitum moueant: verùm si in vomitum procliuior fuerit natura, purgantibus per ventrem protinus vtendum erit.

Qualia verò fuerint sint, mox referam, si priùs di-

A xero quod secunda consideratio docet, nimirum supplendum esse naturæ defectum. In qua re, quę magni est momenti & in qua facilè hallucinari contingit, videndum est, quando natura deficiat. Quod hac lege disces: si enim vacuationes videãtur procedere copiosæ cum conferentia & tolerãtia, aut saltem quòd virtus adhuc non plurimum labatur, tunc ferendæ sunt aliquę debilitatis notæ, ob spectatum ex euacuatione subsidium, neque fluxum cohibere, neque diuertere aut citare opus erit, sed solùm occurrendum est symptomatis. Verùm si irritatio, dolor, & anxietas maiores sint, quàm pro magnitudine euacuationis, & euacuatio minor quàm pro multitudine redundantium excrementorum, expurgandum est, vt copia affatim

B deposita, faciliùs mitescant accidentia. Cæterũ quia symptomata mox à principio vigent & semper durant, neque cum purgamus, symptomata negligere, neque cum mitigamus, posthabere fluxum oportet, quod monstrat vltima consideraoonum. Euenit tamen non rarò adeò copiosius & exuperans fluxus, vt vltra videatur processisse, quàm pro excrementorum copia aut virium robore par sit: tunc profectò partes firmare, dẽsare humores, & vires roborare necessum erit: quibus certò scimus fluxum compesci aut moderari. Quapropter (cum irritatio non cesset in hoc affectu) nusquam, cum expurgamus, symptomata hæc negligenda sunt, neque, cùm cohibemus, irritãtis excrementi debemus obliuisci, sed expurgantibus ad-

C miscere tenemur aliquid adstringens, & adstringentibus aliquid extergens, vel aliquid mordacitatem hebetans, vel alternatim eis vti.

Subsunt igitur sex opera exequenda in hac curatione: primò vomendum est, vbi ad superiora reuellere nitimur: secundò purgandum, cùm vel ad inferiora retrahere, vel naturæ defectum supplere: tertiò humores lenire & eorum mordacitatem retundere: quartò firmare & comprimere partes oportet, atque humores densare: quintò vero omni ingenio vires roborare ac spiritus reficere: tandem vltimò symptomata corrigere & mitigare.

Circa primum, vbi in hoc malo vomere vsu venit, parcè vomendum est: nam licèt mens sit à copioso

D fluxu naturam distrahere, minimè moliri oportet vacuationem quæ copiosa sit, maximè per nobiliorem regionem: exoluuntur enim summopere vires, & grauissima sequuntur symptomata ac intolerabiles conuulsiones, quapropter sat erit nausea aut leui commotione naturam quodammodo distrahere. In quo casu ego sæpe loco tepidæ vtor iure pulli gallinacei citra pinguedinem: quippe vim habet abluendi & alterandi acriora excrementa, vt ex Galeno constat 2. de facultatibus naturalibus. Potest verò frequenter ebibitum (etiã si euomatur) excrementa diluere versùs intestina: quòd si contineatur sicut solet, postquã iam ventriculus redditus sit mundior, tum grato odore, tum familiaritate ventriculum nõ parum firmat.

E Sed id hoc solo præsidio facito, nam sæpius cogimur vomitum compescere, ob adductam rationem, magis quàm expurgare. Purgandum secundò est, si expedit, eadem die, cùm adeo immoderatè natura vomit, quòd vereamur ex ventriculi symptomate & vacuatione per superna facta, ipsam citò periclitari posse: quapropter pharmacis quæ roborando & adstrigendo purgent, si profusio maior quam irritamẽtum sit, vtendum est. Sic enim rhabarbaro, corticibus mirabolanorum, syrupo ex rosis Hispanis cũ decocto corticum myrobalanorum vteris: sed curabis id potiùs iteratò facere, quàm semel copiosa vacuaoone facta, simul naturam minuere. Verùm si purgare studueris, quòd maior sit irritatio quàm humorum profusio, & hæc minor quàm copia (quam ars deficiente natura deponere docet) tunc quidem purgandum quoque est, cæterum non admodum roborantibus,

& adstringentibus pharmacis, vt nuper diximus, sed A his tantùm, quæ præter id quòd aliquo modo roborent, leniant, magis & laxent mediocriter: tum quia hæc humorum acrimoniam retundunt, tum verò quia citra maximum periculum, quantum sat est educunt. Sunt hæc manna in succo rosarum liquata, vel decocto myrobalanorum: cassia cum pulueribus diarrhodonis aut rhabarbari, vel corticum mirobalanorum: saccharum rosaceum cum corticibus myrobolanorum, aut rhabarbaro. Cauere tamen oportet acriora medicamenta, licèt ea Galen. 4. acutor. com. 110. consulat, citiùs enim periclitarentur vires.

Cæterum quia accidentium immanitas plerumque prodit ex humorum acrimonia & mordacitate præterquam quòd eam retundere etiam oportet (vt B probè cedat vacuatio) protinus vel à primo morbi insultu compescere studebis: quod facies serapijs & apozematis, velut syrupo violarum, rosarum, de mucilaginibus, de portulaca, de papauere, de succo granatorum, maximè si citra aquam præbueris, ne amplius venter laxetur. Verum si (quòd fluxio biliosa sit) ex acidis syrupis, vt de succo limonum & citri aliquid admiscere volueris, addendum est modicum serapij violarum, aut de portulaca, cum aqua deaurata, argentata, vel chalybeata. Hunc vsum etiam præstat potus aquæ calidæ, aut mucilaginum psyllij extractarum aqua capitum rosarum vel plantaginis: præstat & amylum, prissana, lac amygdalarum dulcium aut seminum frigidorum omnium: sed his om- C nibus tanquam probatissimum secretum habetur admiscere pulueris chrystalli modicum, aut eboris nonnihil, cuius loco addes pulueris diarrhodonis aut margaritarum præparatarum, vel coralli, aut electuarij de gemmis. ℈. 1.

Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, modicè cōprimere et humores crassare opus erit: cui sanè operi multa & varia authores scribunt auxilia, calida quidē in frigida causa, & frigida in calida inter quę mihi probatum et vtile videtur primò id, q. ℞. (si priùs flatibus & borborismis aqua calida & cumino subueneris) *syrupi rosatū. ℥. 2. succi granatorū. ℥. 1.* Prosunt & syrupus myrtillorum, de agresta, de D cydonijs, de rosis siccis & granatorum, quibus nulla aqua admiscenda est, quo magis prosint & minus ventrem laxent. Horum tamen loco placētas & bolos conficies ex rosaceo saccharo cū pulueribus coralli & margaritarum aut chrystalli, vel porrige mastichē ex decocto mali alicuius adstringēntis. Confert etiam medicamentum q. ℞. *conseruæ rosarum antiquæ. ℥. 2. conseruæ acetosæ. ℥. 1. coralli rubei præparati. ʒ. 1. & ß. sacchari optimi quod sufficiat, & fiat conditum, cuius cochleare vnum sumat laborans ante cibum.* Quòd si causa frigida in vētre præualuerit, admiscere prædictis syrupis oportet rosatam nouellam, aromaticum rosaceum, spicam, cinnamomum, nucem moscat. & similia: vel addes syrupum de mentha, de absynthio & miuam aromatis conditam: extrinse- E cus tamen in causa frigida, & intrinsecus gratia sedādi accidentia porrigere oportet modicum olei de aniso aut cinnamomo. Cauere tandem oportet medicamenta quæ ingratum odorem referentia ventriculum subuertunt: ex vsu tamen est medicamentum ab antiquis probatum, q. *fit ex vini granatorū. ℥. 2. ß. succi menthæ depurati. ℥. ß. sumat laborās cochlear vnū.* Cōficit Rases trochiscos magni vsus, q. ℞. *mastichis, boli Armeni, thuris anà ʒ. 2. & ß. cardomomi. ℈. 2. gallæ muscatæ, cariophyllorum, anà gr. 5. cum succo granatorum fiant trochisci pondere. ʒ. ß. quorum laborans sumat vnum superbibita, ℥. 1. succi granatorum.*

Cæterum quia securius & vtilius experimur exteriùs adhibere adstringentia & roborantia, quàm interius per os ob id eorum maiorem copiam scribere placuit, dummodo non sit ante frænatum impetum & depositam maiorem humorum partem, atque correctionem & attemperamentum prauorum succorū. Quibus factis sunt proficua in causa calida ehoristabella ventri admota, & emplastrum, q. ℞. *micæ panis tostæ ℥. 4. madefiat vino rubro, & adde pulueris diarrhodonis, coralli rubei, rosarum & myrtillorum. anà ʒ. 1. fiat cataplasma:* Idem beneficium præstat mica panis tosta vino & prædictis pulueribus irrorata & sæpius ventri admota: item emplastrum de crusta panis, quod mira quadam efficacia prodesse conspicimus, aut panis, nuper coctus madidus succo granatorum: præterea emplastrum ex furfure, succo granatorum, vino rubro & dictis pulueribus, aut illud q. ℞. *santalorum rubeorum, rosarum rubearum. anà 2. gallæ muscatæ. gr. 6. madefiant in ℥. 4. aquæ rosarum & ℥. 1. aceti, in qua miscella panniculi madefiant & exprimantur, ac frigidi ventri adhibeantur.* Item ℞. *farinæ lentium. ℥. 2. rhu coriariorum. ʒ. 2. succi plantaginis aut cytoniorum vel rubi quantum sit satis, vt fiat cataplasma.* Ex vsu quoque est id q. ℞. *panis tosti lib. 1. coquatur in aceto & aqua, & adde menthæ viridis. m. 1. pistentur & per setaceum transmittantur, & adde rosarum, coralli & pulueris crystalli præparati. anà ʒ. 1. & fiat cataplasma:* quòd si velis eis addere *pulueris santalorum, coriandri, rhu & myrtillorum anà ℥. ß* magni momenti conficies præsidium. Inunges etiam oleo rosarum, cytoniorum, omphacino, & similibus, & cum prædictis pulueribus, & oui albumine: aut adhibebis emplastrum ex carne cytoniorum, mastiche, & prædictis pulueribus. Aliud etiam parabis q. ℞. *farinæ hordei lib. 1. pulueris spodij. ℥. 2. & ß. albumina ouorum num. 4. succi plantaginis aut bursæ pastoris vel caudæ equinæ quod sufficiat vt fiat cataplasma cum guttulis aceti rubri:* in æstuantissima autem causa aliud conficies ex mica panis cum rosaceo & succo granatorum. Verùm si causa frigida fuerit, præualuerintque flatus, ventrem inunges oleo absynthij, nardi, de mentha, balsamo aut de terebintho. Item supra inunctionem adhibere poteris cataplasma, q. ℞. *micæ panis tosti lib. ß. decoquatur in aceto & vino, & adde menthæ. m. 1. extrahe per setaceum, & adde pulueris cariophyllorum, macis & cinnamomi. anà ʒ. 1. spicæ nardi, cyperi, nucis cupressi. anà ʒ. ß.* Præterea ex ladano & prædictis pulueribus emplastrum confice cum oleo mastichis, aut de abiete, vel de cinnamomo, aut de aniso. Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, cucurbitam ventri admouebis, qua semota, dropacismum, si ipsa non suffecerit, parabis *ex quatuor partibus picis & vna olei cytoniorum vnà liquatis & extensis in aluta:* vel adhibe id q. ℞. *ladani depurati, hypocistidos, anà ʒ. 3. acaciæ. ʒ. 1. dissoluantur in oleo lentisci, mastiches vel absynthij aut nardino, & ventri adhibe.*

Victus ratio.

Quibus factis, studendum est deinceps vires roborare & reficere spiritus, quo possint tanto labori sufficere: quod sane facies victu & odoramentis & alijs quæ id beneficium præstare sunt nata. Sed prodest sæpissime, maximè primo morbi impetu, ciborū parsimonia, quo natura auarior facta, tenaciùs humores complectatur: efficacissimum etiam est præsidium somnus, quo vires reficiuntur, à quo parum & sæpe porrigere oportet eorum ciborum, qui boni sint succi & facilis coctionis. Præstant hunc vsum iura gallinarum cum acetosa item & perdicum, sed potissimū expressio carnium earum auium quę ficcioris sint naturæ, vt columbarum, perdicum, & turturum, quibus addes aquæ rosarum aut plantaginis vel capitum rosarum nonnihil. Corroborat etiam cibus qui sic conficitur, perdiculas aut iuuenes pullos columbarū confixos baculis myrti aut rubi conspergere puluere cinnamomi interim dum assantur, & vino granatorum aut austero & odorifero irrorato, primum quidem calidas naribus ęgri admonebis, & mox eorum succum

expri-

exprimes prælo, & sorbendum laboranti præbeto: Præstat & ius glaciatum ex extremitatibus animalium cum aqua rosarum et myrtillorum, insperso puluere rosarum, additave conseruæ earum. Porriges etiam amylum, panatellam, ptissanam, panem coctũ super sparsis pulueribus ex saccharo rosaceo, margaritis, corallo, crystallo, aut electuario de gemmis, vel diamargaritonis frigidi, conseruis & alijs etiam quæ cap. de syncope adduximus. Item oua sorbilia præbebis vel confecta saccharo, vino, & aqua rosacea: præterea in prima mensa porriges panem biscoctum vino madidum, aut succo granatorum, vel aqua rosacea: item vino veteris si vires collabi perspexeris, habito respectu ad ægri consuetudinem, vel aqua cinnamomi, anisi, vel è corticibus citri aut ex Indica sassafras: sicut in causa calida aqua ferrata. Odoramentis etiam veteris ex parte recenter cocto, aqua rosarum, vino, aut aqua napththæ resperso: suffumigijs etiam veteris boni odoris. At si vomitu omnia alimẽta protinus excernantur, ante cibum cucurbitam ventri admouebis, aut clysmatis nutritorijs vteris.

Quibus factis, & interim dum fiunt, accidentibus subueniendum est: quippe quæ summopere virtutem prosternunt, & maius mortis discrimen accersunt: sic enim dum viget conuulsio, syncope, sitis, aut animi deliquium, ad proprium cuiusque caput recurrendum erit. Verùm si eorum nihil prodesse videatur, sed constet vires plurimum periclitari, confugiẽdum profectò est ad narcotica auxilia: quo casu ℥. 1. *aut* ℥. *ß. philonij Persici aut Romani aqua plantaginis liquati* tutò porriges, aut si securius libuerit agere, syrupum papaueris cum aqua ferrata.

Choleræ siccæ medela. Choleræ verò siccæ curatio ab Hippocrat. scripta consulit primò cauendum esse à vomitu, ne acris & erodens materia os ventris summopere offendat: deinde iubet ventrem oleo calido subducere, retundẽdæ acrimoniæ & vacuandæ materię gratia: item balneis ex oleo, aut baln. aquæ dulcis corpus temperare aut aperire, quo facilè flatus spiret & coctio perficiatur, cui si somnus subsequatur, omnia faciliùs præstat, maximè si vinum ante somnum porrexeris, & caput de tympania attentè leges. Quòd ab expergefactione adhuc perstiterit dolor, olei dulcis potu subueniendum est, quo siccitas & acrimonia mansuetiores fiant, maximè quia à cibo, quantum possibile fuerit, abstinendum erit, saltem interim dum vacuatur materia, quod non primum (iudicio nostro) exequendum venit, vt in alijs affectionibus: laxare enim priùs corpus oportet, ac frænare impetum flatuum, eorumque acrimoniam retundere, ne in humorum commotione plures eleuentur, ac minus educti magis nocent. Tandem vt in diaria ex nidorosa cruditate ratio instituenda venit. Fugiendum etiam est à cassię fistulæ exhibitione, quia flatulenta est: & educta materia, sicut ventris inflationem tractare oportebit per fomenta, inunctiones, cucurbitas siccas, & alia quæ discutiant citra maximum calorem, & vna simul habeant anodynam.

CAPVT IX.

De Leuitate intestinorum.

IN huius affectionis enodatione primitus ediscere oportet, Medicos ferè omnes triplicem earum fluxionum, quæ per intestina fiunt, speciem ad ventriculum referre, vt in alimenti munere tria ipse natiua sorte exequitur. Primum sanè est alimentum susceptum continere, quantum ad susceptandum naturæ beneficium par sit: secundum coquere & in chyli naturam mutare: tertium verò probè & per loca in secum euntia distribuere. Sic profectò dum à quouis prædictorum munerum deficit, sua prodit per ventrem fluxionis differentia. Deficiente quidem retinente facultate, lienteriam fieri omnes fatentur: item cœliacam affectionem, vbi comprehendens hæc facultas non probè continet, & vndique complectitur alimenta: in vtraque tamen vitium elucet concoctricis euidentissimum, licèt non semper eiusdem sit iactura & impotentia. Verùm si in his facultatem deficere nõ contingat, sed probè vtrumque munus fieri, euenit non rarò distribuentem ex se, aut impeditã ab officio aberrare, ac per intestina chylum profundere, & chylosum moliri fluxum: itaq; constat, vitio ventriculi iuxta hæc officia prædicta, homini succrescere lienteriam & cœliacam affectionem, nec non & chylosum fluxum. Nõ desunt qui de nomine huius affectionis dubitẽt, cur læuitas intestinorum nuncupetur potius quam ventriculi, cùm potiùs, vt Gal. refert, huius, quàm eorum, noxa existat. In qua re (licèt Gal. antiquiores acriùs, quàm par sit, accuset) cẽsendum est, non semper morbos nomen accipere ab æquiore & magis proprio symptomate, sed frequentiùs à manifesto & vulgari. Sic certè in læuitate intestinorum, vulgo notior existit intestinorum, quàm ventriculi læsio: dimitto etiam, quia nõ rarò hæc affectio primò & per se intestinis tribuitur, vt Gal. placuit. 4. aphor. 12. Nam vbi solius ventriculi reminiscitur, addendum est, & intestinorum, vt ipse etiam scribit 3. aphoris. 22. Vtcunque tamen sit, læuitas intestinorum seu lienteria, sic nuncupatur, ob celerem & leuem motum, aut excretionem eorum quæ ingeruntur: quo fit vt affectio hæc nihil aliud sit, quam eorum, quæ deuorata fuerunt, celerrima excretio, ea forma qua ingesta fuere: ita vt iure optimo eam definierit Gal. 6. aphor. 1. per coctionis carentiam: inquit etiam. 6. de locis affect. quòd eadem ratione in ventriculo fit lienteria, qua in vesica affectus qui diabete dicitur, in quo potus vt bibitur, ita mingitur: nã ita celeriter in vtraque affectione quod ingeritur excernitur, quòd nullam admittat coctionem, neq; gratiam à natura: in quo sanè ab omnibus fluxuum speciebus differre constat, quia licèt alij sint, in quibus celeriter aliquid excernatur, non tamen exit citra aliquam mutationem. Ex quo prodit mirandũ esse qui possint laborãtes alimoniam suscipere ac diu viuere, siquidem alimentum non solùm non conuertitur in substantiam aliti, verùm neque vllam sortitur mutationem, & cum hoc constat citra alimoniam septem dierum spatium animal transire difficulter posse. Cuius dubij gratia asserimus, inter alia multa quæ homini offeruntur, quædam esse adeò tenuis & potulentæ substantiæ, quòd etiam in minori adhuc tempore naturam conficere ea posse constet, sicut quę crassioris, integra propelli: quapropter coniectandum non est, omnem cibum naturam deijcere, neque à crasso tenuem partem exsuccare, vt nonnulli falsò intelligũt, sed ex alimentis tenuiora paruo illo retentionis tempore nonnulli commutari, antequam quod crassum est, excernatur.

Causæ. Verùm quia huius affectionis natura elucescet longe magis ex causarum notitia, quàm quouis alio modo, placet ob id earum tractationem paulò diligentiùs expendere. Constat igitur ex Galeni decreto locis nuper citatis, duplicem tantùm huius mali subesse causam: vnam quidem, imbecillitatem retentricis facultatis ventriculi, quæ nequit diu alimenta continere, quousque coctionem consequantur, quam fieri ab humiditate nec non à frigiditate aliquali certũ est: alteram verò exulcerationem ventriculi: & 3. aphor. 22. addit & intestinorum, quo expultrix irritatur ad expellendum intempestiuè: cuius sententiam sectatur etiã Paulus. Cui causæ etiam reducitur acris & erodens humor (qualis in diarrhœa vel dysenteria conspicitur) facultatem lacessens ad expellendum, vt vesicæ accidit strãguria, & ano tenesmus. Ex quibus iam constare arbitror, hunc affectũ sequi intẽperiem

ventriculi & primorum intestinorum frigidam & humidam, quæ siccitatem calorem & retentionis authores destruxerunt. Quippe intemperies, siue sit in ventriculo, siue in intestinis, quæ anadosi inseruiunt, siue in vtrisque, cum adeò intenditur, quòd hectica fiat & in habitu ac firmata existat, tunc calore suppresso coctionem prohibet & cibum diluit humiditate: aliquando verò id efficitur propter acidam pituitam diuoùs inhærentem, vel frigidam aut crassam & lentam, quæ ventris & intestinorum rugas & sinuosas partes replet, vt inducta læuitate cibus defluat: item fit à medicamento lubricante, aut alimentis pinguibus, vel à copioso cicatricum prouentu ex prægressa dysenteria. In qua re videndum primò ac dubitandum est, intestinorum vitium an possit ad huius affectus affectionem concurrere ventriculo illæso: quòd si concurrat, vt constat. 3. aphoris. 22. cui nam vitiorum generi tribui debeat: nam aut ad intemperantiam intestinorum referri debet, vt 4. aphor. 12. Gal. asserit, aut ad vlcus, vt lib. 3. comm. 22. Vtcumq; sit, erit necessum cibos immutatos prodire ob aliquam ex prædictis causis. Sed dubij ratio augetur, quia licèt ventriculus affectus sit, cur intestina, quæ sana existunt, alimenta conficere non possunt: & rursus quid interest ventriculo vt concoquat, intestina esse affecta, si ventriculus ipse coctionis est potissima officina?

1. Dubiũ. (beside "dysenteria. In qua re videndum primò ac dubitandum est")

2. Dubiũ. Secundò dubitandum est, an necessum sit, alimenta ex toto inconfecta exire: nam constat Rasem & Paulum dixisse, alimentum parum immutatum exire, non immutatum prorsus, adeò vt difficulter visu distinguatur alimenti ingesti genus. *3. Dubiũ.* Tertium verò dubium est, an Celsi & antiquorum sententia omnino ablegenda sit, qui tanquam causam addunt politam ex cicatrice aut pituitoso succo internam ventris & intestinorum faciem: nam vt Galen. refert 6. aphor. 1. vesica continet vrinam citra rugas & asperitatem vllam. *4. Dubiũ.* Quartò quærendum est, cur reijciatur à causatum consortio, coquentis facultatis impotētia. *5. Dubiũ.* Quintò dubitatur in hac re si vitia intestinorum hũc etiam affectum concitant, cuius nam facultatis eorũ dicetur: nam si contentricis dixeris, ipsa, refert Gal. intestina carere 5. de vsu part. cap. 11. cuius loco tortuosa fabrefecit natura: quòd si concoctricis dixeris, iam lienteria non erit velox excretio eorum quæ comeduntur.

Dilutio dubitatio num. Quibus omnibus dubijs respondendum mihi nũc est: primò quidem sciendum eam esse intestinorum cum ventre connexionem & cohærentiam, eamque officij communitatem, vt etiam si ventriculus affectus primariò non sit, ab vlcere aut intemperie intestinorum protinus oblædatur, ita vt ex vtriusque partis damno alimenta protinus cruda excernantur, vt in dysenteria euidenter contingit, in qua protinus à ventre alimentum rapitur & excernitur. Sic dum ipsa imbecillitate laborant, etiam si retentrice careant, grauantur onere ob impotentiam & ad pellendum insurgunt, atque id in intestinis est retinentem imbecillitari, hoc est citiùs, quàm par sit, expultricem excitari. Obsunt etiam retentioni cicatrices, & glabra ac tersa, ob pituitam rugositatibus infartam, interna intestinorum & ventris facies: cicatrices quidem, quia obturarunt meseraicarum oscula: quibus trahentibus & sugentibus alimentum diu immorabatur, ac veluti detentum erat in eisdem: quam tamen causam rarò posse accidere (quamuis Aetius & Celsus eam consignauerint) arbitramur, quia creditu videtur difficile adeò viuente animali posse intestina exulcerari, quòd omnino aut maiori ex parte oscula vasorum obturentur. Censeo tamen ex grandi dysenteria, tum intestina, tum ventriculum adeò labefactari, quòd facilè deinceps in hoc vitium incidant. Pituita verò, quia impedit exactam compressionem in ventriculo, & lubricam (sicut pinguia alimenta) reddit viam, tum etiam quia oblenit & obturat eadē oscula mesaraicarum, quo minus sugant, & virtutem concoquentem in vtraque parte obtundit, & calorē, operum omnium instrumentum, obscurat & imminuit. Neq; obstat huic solutioni Gal. qui hoc axioma aduersus antiquos taxat: nā ipse tantùm instituit docere, læuitatem intestinorum non sumere denominationem ab hac causa, non tamen negat ex professo id accidere posse. Dubitandum præterea esse duximus, cur ablegauerit Gal. coctricis vitia à causis lienteriæ. Quod sanè videtur optimè fuisse factum, cùm vniuersa huius affectus natura sita sit in crudorum celerrima excretione: quam esse adeò celerem est impossibile, si coctricis vitio crudum excernatur alimētum: nam diu immorari, si vitio coctricis fieri debet, necessariò tenetur. Altera verò ex parte constat ex multorum sententia, hunc affectum referendum etiam esse ad coctricis vitium, quod etiam videtur insinuasse Gal. 4. de vsu partium, siquidem scribit ea parte & 4. aphor. 27. ventriculum non coquere, dum omentum oblæsum est, aut iecur & cor præ nimio sanguinis fluxu refrigerata sunt, & ob id cruda excerni excrementa: sed clariùs adhuc lib. 6. aphor. 1. vbi Hipp. in longis læuitatibus intestinorum, si ructus acidus qui antea non erat superueniat, bonum esse signum statuit: & rationem reddens Gal. in comment. inquit. Quia signum est, iam naturam aggredi coctionem, & aduersus alimenta aliquid egere. Ex qua sententia videtur posse colligi, malum etiam hoc ad coctricem attinere, siquidem salutis futuræ est signum, eius noua actio quæ antea non erat. In qua sententia, sicut in reliquis, multa se se offerunt ad veram huius quæsiti enodationem notatu digna.

Primum, qua nam ratione futuram coctionem & iam inceptam monstret Hippocrat. per longè maiorem cruditatem, quàm sit ea quę coctione corrigitur. *Dubium.* Certum enim est, in lienteria alimenta solùm esse incocta, in acido verò ructu esse cruda, & sicut maiorē arguit cruditatem putredo quam immaturitas, ita profectò maiorem etiam acida cruditas, quàm incoctibilitas, vt sic loquar more Galeni. 8. pharmac. loca. cap. 6. quippe putredo & aciditas emendari nunquam aut rarò possunt, vel saltem in nostram substātiam, si corrigantur, mutari (quia in putredine deuictus est calor ob externum calorem, in acore ob frigiditatem) immaturitas verò & incoctibilitas optimè quidem. Si igitur aciditas maiorem arguit cruditatem, quomodo ructus acidus coctionem alimenti designabit? In qua re, & vt constet veritas illius sententiæ, dicimus aliud esse, ructum acidum qui antea non erat, in longis læuitatibus apparere, aliud verò semper adesse: & rursus, longè aliter posse significare in longis ac in incipientibus. *Solutio.* In longis quidem, licèt affectio suapte natura solùm à vitio retentricis aut expellentis prodeat, necessum est etiam temporis tractu, calorem imminui & coctionem vitiari ac succos acidos fieri, à quibus ob caloris defectum nihil toto temporis ductu flatuosum eleuauit natura, nunc verò calore reuiuiscente ex acido humore qui pręfuerat (non qui modò generatur) eleuat ructum, qui arguit principium actionis naturæ, quod antea non fuerat, sicut neque præfuerat ructus. Quo fit vt mirum non sit, si ex crudioris humoris signo principium coctionis venemur: dummodo intelligamus, aliter esse sentiendũ, si à principio ructus acidus appareat: quippe eo tempore non est signum coctionis incipientis, sed impensæ frigiditatis & cruditatis summæ, & ob id non coctionis initium, sed exitium existimare oportet.

Præterea sciendum est, huiusmodi cruditatem quę in acorem mutatur, non esse materiam neque principium lienteriæ, neq; ob impotentiam eiusdem facultatis: quippe lienteria arguit defectum caloris membrorum, qui temporis breuitate (non defectu sui)

cibos

cibos non valuit liquare: acidus verò sapor potiùs dicit defectum eius aut extinctionem, vel summam frigiditatem substantiæ & caloris ventriculi: ex quo liquèt, quòd licèt acidus sapor auferatur, non subinde sequeretur lienteriam curari, nisi ex accidenti, quia arguit immorari ampliùs alimenta, & pariter calorem in ea & acidam cruditatem agere, quod antea non poterat, quia impotens, & quia non euocabatur ad coctionem ob celerem alimenti exitum à ventriculo. Cuius rei gratia dicimus duplicem esse lienteriam: alteram legitimam, cui propriè definitio celeris excretionis crudorum conuenit, quæ solùm fit defectu contentricis, aut irritamento expultricis: alteram verò illegitimam. Et rursus hæc duplex conspicitur: vna quæ per complicationem vitij plurium facultatum et excretionum efficitur, qualis est cui adiungitur acida cruditas: altera verò in qua cruda quidem aut incocta excernũtur alimenta, non tamen celeriter, qualis fit vbi omentum, hepar, aut cor frigidiora existũt, & tanto quidem magis spuria & illegitima est, quanto post maiorem moram crudum excernitur. Ex quibus constat lienteriam fieri coctrice vitiata, cæterum spuriam, quam certum est vitio prædictorum membrorũ, aut defectu caloris ventriculi posse fieri.

Itaque constat ex dictis, legitimæ lienteriæ duas tantùm esse causas, impotentiam nimirum contentricis facultatis, & irritamentum expultricis: illam quidem ex frigido & humidiori intemperamento exortam, quòd aliquando simplex solet esse, frequentiùs tamẽ cum pituita, quæ ventriculo adhærens prædicta mala fabrefacit: hanc verò irritamentum concitat expultricis ab exulceratione, vel mordentibus, acribus, & erodentibus alimentis, medicamentis, siue humoribus, vel à quauis alia re quæ irritamentum aut grauitatem inferre posit. At illegitimam generant quæcumque coctionem vitiare possunt: siue id fit calorem membrorum imminuendo, siue imbecillitato ac diminuto proprio ventriculi calore: nam defectu primi, alimenta non liquantur, defectu verò secundi, liquata non mutantur, sed acorem contrahunt. Vtrique tamen vitio plures causæ internæ & externæ occasionem præstant. Reducantur ne hi affectus ad hanc vel illam morbi speciem, abunde censeo dictum esse.

Signa. Signis profectò opus non est ad huius mali exactã cognitionem & distinctionem à reliquis fluxibus, cùm in eo excernantur alimẽta qualia deuorata fuere: ex vsu tamen sunt ad causarum cognitionem & distinctionem. Dignosces quidem primò, expultricis ne vitio, an retentricis suboriatur, ex sensato morsu labentis alimenti: quippe dum facultas expultrix irritata est, non fit excretio citra peculiarem sensationem, eamque tristem, molestam ac dolorosam, maximè eius partis vbi exulceratio, aut fit ex acrium humorum affluxu (quem noscimus ex humore simul cum alimento excreto) aut à re vlcerante, velut in dysenteria contingit: quod etiam nosces, quia pululentum, saniosum, & sanguinolentum cum alimento crudo exit. Verũ si vitio fiat contẽtricis, id dignosces ex vẽtris fluctuatione, præsertim à cibo ingesto: præterquam quòd vrgent magis excretiones nouo alimento sumpto, nam facilè eo tempore propellitur, aut, vt rectiùs loquar, fluere à ventriculo permittitur quod incoctum in ventre immorabatur, præ grauitate aduenientis: quod profectò fiet citra dolorem, aut sensationem, vel molestiam aliquam. Verùm si spuria sit lienteria, & vitio caloris circunstantium membrorum crudum supersit alimentum, id profectò disces, quia licèt diu ibidem immoretur, nullam subinde susceptat coctionem: præterquam quòd prægressa causa id quoque monstrabit, nimirum an præcesserit diutinus sanguinis fluxus, aut alia affectio ex his quæ plurimum caloris & spirituum conterere na-

A te sunt. At si spuria etiã sit, ex acidorum admixtione vel noua generatione, ex ructu & diuturnitate mali venaberis ipsum ventrem frigido intemperamento esse affectum, ita vt licèt circunstantium calor quodammodo semiliquet alimẽta, maior tamen eorum pars in acidum commigrat. Ventrem quidem pituita abũdare aut aquosiori substantia, disces ex his quę simul cum incocto cibo excernuntur: maiori enim ex parte, obductum ac veluti vestitum excernitur pituita alimentum, & pari ratione fit, si intestinorum vitio ob eandem pituitam affectio suboriatur. Sic enim si ex capite pituita destuxerit diligenter obseruabis signa quæ catarrhum ostendunt, præterquam quòd quæ sic excernuntur, spumosa plerunque exeũt. B Quòd si ab inducta cicatrice affectio prodeat, præcedens dysenteria aut exulcerationis occasio facilè monstrabit.

Præsagiũ Si diu durauerit affectio, certò proferes morbum in atrophiam commigraturum, aut in malum corporis habitum: verùm si cum febre adiungatur, vereri hecticam consumptionem oportebit: quapropter diligentiùs rem hanc præcauere erit necessum.

Curandi ratio. Cùm constet legitimam lienteriam duplicem tãtùm sortiri causam (alteram retentricis impotẽtiam, & reliquam expultricis irritamentum) proculdubio duplex quoque erit medendi ratio. Nam dum irritatur natura ab acri & vitioso humore, vt arguit oris ventriculi morsus & condolẽtia propter corruptum C in ventre succum, aut aliunde ibidem transmissum, duplex necessariò insurget curandi via: altera quæ mordacitatem retundat frẽnetque, vt præstat syrupus granatorum, de agresta, de portulaca, violatum, nenupharis, & papaueris, cum aquis buglossæ, borraginis, acetosæ, & plantaginis: item amylum, ptissana, & potulenta ac iurulenta omnia, & quæ mulcebrem habent vim, vt mucilaginosa omnia: reliquæ quæ his factis purget per epicrasim biliosos & acres succos, rhabarbaro aut myrobalanorum corticibus: sed in hac causa prodest magis earum dilutum ex sero aut aqua portulacę. Vtilis quoq; est syrupus cichorij compositus, aut accetosus diarrhodon: verum si D diu malũ perseuerauerit, commanducatum rhabarbarũ maximi est pretij. At si vlceris occasione malum suboriatur, videndum tunc est, an in intestinis præsit, & ad caput de dysenteria confugiendum est: si verò in ventriculo sit, purgandum minimè erit, ne vlcus ibidẽ euocatis humoribus exacerbari contingat, nec rursus iurulentis & pinguibus vtendum, ne sordidius fiat: sed primò abstergere, mox exsiccare opus erit, ac nonnũquam adstringere, tum vt aliquo modo agglutinetur, tum verò, vt si forte causa exulcerãs adhuc influit, compescatur fræneturque. Quare aquam saccharatam ex hordeo aut mellitam porrigere opus erit: à quibus *succum ribes vel granatorum cum spodij vel rosarum rubearum. ℥. ß. ante cibum porrigere oportet.* E Item eadem occasione præstabis amylum, ptissanam, aut hordei farinam cum saccharo, & transactis quatuor aut sex horis à cibo, ventriculum ablues & absterges prædictis: & mox antequã cibus adhibeatur, abstergentibus prædictis decoctis & alijs eiusdem naturę vteris: cuius grana adhibebis puluerẽ coriãdri præparati & succum vuæ acerbæ: item puluerem corticum hordei cum saccharo, coriandro, & corallo: quòd si miuæ cytoniorum aliquid addideris, optimè facies. Prosunt & exteriùs emplastra quæ capite de cholera adduximus: hoc vno animaduerso, quòd si in febribus (nullo commisso errato in cibo aut nimio potu) lienteria succrescat, quòd acrium & calidorum succorum aliquid ad ventriculum fluat, quo ad celerem pulsum alimentorum gliscat, ipsum ventrem inunges oleo rosarum aut emphacino cum pulueribus coralli & rosarum. Absinthite verò aut alia inunctione calida non vteris, nisi ob

potus vbertatem aut ventriculi frigiditatem malum succrescat:

Verùm si lienteria ex vitio retentricis prodeat, duplex etiam erit medendi ratio: altera quæ causam imbecillitatis illidat corrigat: altera verò quæ actum languentis virtutis suppleat. Imbecillitatem itaq; parit frigida & humidior intemperantia: quapropter euacuans per epicrasim humiditatibus (masticato rhabarbaro vel in tabellis cum corallo & saccharo ac rosis, confecto: item pilulis ex hiera, masticbinis, rhabarbaro, agarico & aloe confectis: item prunis damascenis cum decocto sennæ, syrupo rosarum Persicarum, & alijs huius naturæ, quorum sæpe meminimus, præsertim cap. de vomitu) ac resiccatis eisdem per emplastra, fomenta, cataplasmata & inunctiones, quę fiunt ex decocto chamæmeli, absynthij & corticum citri, ex mentha etiam & cariophyllis, ex quibus cataplasmata conficies addito furfure. Emplastra verò ex eisdem adhibebis cum cinnamomo, aniso, ladano & cera: sic inunctiones ex oleo de spica, de absynthio, de mentha, de abiete, & de cinnamomo. Porriges etiã summo manè diarrhodonis aut aromatici rosati tabellas, vel puluerem cinnamomi, anisi, cariophyllorum, coriandri præparati cum saccharo & vino absynthite. Factis item vacuationibus prosunt diacyminon & dianison, theriaca, mithridatium & huius naturæ reliqua.

Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, bis in hebdomada vomere proficuum erit, quod tanquam summè vtile laudo, sicut pro potu aquam porrigere decoctam ex radice Chinæ aut smilace aspera, sassafrasa Indica, corticibus citri, ligno aloes vel bibere in vasis politis intrinsecus sulphure. Quibus factis, ad ea quæ adstringunt, veniendum esse consulit rei ratio: ea enim sunt quæ actum ruentis retentricis supplent: inter quæ primum locum habet id q. ℞. *succi cytoniorum, & è malis granatis anà partes æquales, coquantur ad spissitudinem & cum melle fiat eclegma*. Præstat & syrupus ex cytonijs aut ex granatis cum syrupo de mentha & rosarum; item diacodion cum sapa factũ, quod somnum conciliat & ventrem sistit. Præstat & auxilium Asclepiadis, q. ℞. *pirorum immaturorum, malorum cytoniorum, granatorum acidorum, dactylorum immaturorum. anà ℥. 1. coquantur cum mellis rosacei. lib. 1. donec inspissentur, subductis ab igne adde macis, acacia, cariophyllorum. anà ʒ. 1. cinnamomi, balaustiorum. anà ʒ. 1. & ß. detur. ℥. ß. cum aqua deaurata*. Prodest & puluisculus q. ℞. *coriandri præparati. ʒ. 2. coralli rubei, rosarum rubearum, rasuræ eboris, cornu cerui præparati, ossis de corde cerui. anà ʒ. 1. cinnamomi. ʒ. 2. sacchari rosati. ℥. 2. fiat puluis subtilis quo vtatur in pane tosto cum modico vino*. Præterea ferunt prodesse puluerem ex pudendo tauri aut cerui, vel coagulum vituli ad fabæ magnitudinem cum vino aut succo oxyacanthæ. Roborat etiam ac firmat ventrem, id q. ℞. *myrobal. emblicorum num. 1. cytoniorum ℥. 1. corticis citri conditi, ℥. 1. pulueris diacitonites. ʒ. 2. diarrhodonis Abb. & rosatæ nouellę. anà ʒ. 1. coralli rubei vsti. ʒ. 1. ß. conserua acori colata & transmißa per cribrum. ʒ. 6. cum syrupo cytoniorum fiat opiata ante cibum sumenda*: cui si addideris, *zingiberis conditi & aromatici rosati, rasura eboris, vel cineris intestinorum galli ʒ. 2.* maioris momenti efficies, vel ex eisdem & pane tosto, aut carne cytoniorum cum vino rubro, cataplasma confeceris. Prosunt etiam cataplasmata ventri admota, maximè id q. ℞. *pulueris menthæ, balaustiorum, myrti, corticis mali granati, florum roris marini. ʒ. 1. vini rubri & succi cytoniorum anà partes æquales, myrrhæ, mastichis, gummi Arabici. anà ʒ. 2. fiat cataplasma*. Ex vsu quoque est emplastrum q. ℞. *olei cytoniorum, mastichis & myrtillorum. anà ʒ. 1. pulueris sanguinis draconis, mastichis, gummi Arabici, tragacanthi. anà ʒ. 2. cera quòd sufficiat, fiat emplastrum*.

A Aliud etiam conficies, q. ℞. *acaciæ, boli Armeni, hypocistidis, balaustiorum, galbani, myrti, mastichis. anà ʒ. 2. cariophyllorum, cinnamomi. anà ʒ. 1. vini rubri & succi cotoniorum. anà quòd sufficiat vt fiat cataplasma*. Quòd si hæc omnia adhuc non profuerint, ad sudationem ex decocto radicis Chinæ deuenire consulo.

Si tamen exspurijs lienteria sit, videndum tunc est, an defectu caloris membrorum circunstantium prodeat, vt conualescentibus non rarò accidit, & his quibus copiosiùs fluxit sanguis: quo temporem calorificis auxilijs exteriùs tantùm adhibitis, defectum supplere oportet; sic enim manus temperati hominis diu ventri imposita prodest; item catulus aut columborum pullus; nec non & cataplasma ex vino & pa- B ne ac cinnamomo, aut emplastra quæ adduximus capite de imbecillitate ventriculi. Verùm si ex diminuto ipsius ventris calore subonatur, vt ex acidis ructibus & humoribus venari possumus, per ea quæ eiusdem caloris defectum suppleant, intus & extra adhibita, rem commodiùs ages; quale est q. ℞. *aquæ vitæ. ℥. 12. corticum malorum aranciorum. ʒ. 1. florum roris marini. p. ß. cinnamomi. ʒ. 1. & ß. belzoini. ʒ. 1. croci. ℥. 1. musci parum, misce, & facta leni ebullitione vsui serua*. Præstat etiam ante cœnam ventrem inungere oleo q. ℞. *succi immaturarum oliuarum ad mensuram olei, in quibus frusta aliquot alabastriter aut quater incensa extinguantur, deinde in puluerem redacta in idem oleum infundantur, & adde ceræ rubræ. lib. 2. ac postmo- C dum instillentur, donec oleum totum exierit: cui denique adiungito myrrhæ optimæ & in vino dissolutæ. ℥. ß. succi absynthij & misce*. Quæ si non profuerint, ad ea quæ ampliùs adstringunt, deueniendum esse consulit curandi ratio, velnti sunt medicamenta quæ ex mastiche & supradictis pulueribus conficiuntur (hæc namq; alteram complent indicationem.) Quòd si caloris non nihil inesse cognouerimus, malum cotoniũ vino nigro feruefacies, pistabisq; pulueribus rosarum coralli, myrtillorum & similium, & ex eis emplastrũ efformare oportet. Cui vsui plurimum prodest quod conficitur ex furfure, vino nigro, oleo myrtino, mastichino, & pulueribus vltimo loco adductis: item emplastrum diaphenicon, quod mirè solet prodesse. Be- D nefacit etiam vinum nigrum vetustũ & aqua frustis alabastri chalybeata, prima mensa sumpta: vltimò tamen suffitus per infundibulũ ventriculo adhibiti maximi sunt momẽti, ex eisdem rebus exhalantes, quas exteriùs adhibitas prodesse diximus. Prosunt etiam maximè quæ substantiam innati calidi reficiunt, vt sunt alimenta & potus optimæ substantiæ & calidæ naturæ, quo faciliùs frigiditatis additę inclementiam & intemperamentum frænemus, qualia citato capite copiosè adduximus. At si ob inundantem pituitam citò alimenta prolabantur, præter purgationem & vomitum, vt superiùs diximus, abstergentibus rem agere oportebit, per enemata; si intestina obducta sint pituita, & per potiones si ventriculus. Prosunt hæc E confecta ex melle squillinico & decocto furfuris, aqua marina, aut aluminosa, vel mulsa: Cicatrices verò difficulter emendare poteris, neque earum læsionem compescere: quapropter parum & sæpe licebit alimentum; idque tenue porrigere, vt aliquid natura arripere possit: maximè si ex prædictis emplastris, aut cataplasmatis, vel cucurbita vtaris, quo firmiùs natura alimentum complectatur. Verùm si læuitas intestinorum conualescenti euenerit, roborantibus solùm vtendum erit & modicè adstringentibus, nullis tamen vacuationibus institutis: roborat autem emplastrum ex mica panis tosti vino & pulueribus diarrhodonis, cum ligno aloes & cinnamomo confectum.

CAPVT X.

De cœliaco fluxu.

NVllus authorum ex his quos ego legerim ita accuratè, & dissertè cœliacæ affectionis naturam & causas exposuit, ac Aretæus lib. 2. de signis, & caus. diut. cap. 7. qui sanè scriptum reliquit, cœliacam affectionem nil aliud esse, quam liquidi, & incocti alimẽti profluuium, & ob id ventricularem debere dici affectionem. In qua sanè ventriculus frigidior existit, & calor impotentior ad coquendum, quippe qui liquare alimentum solummodo valeat, concoquere verò nequaquam, nec rursus in succum proprium vertere, sed semicoctum imperfectumq; relinquere: quod sanè coctione destitutum, ad prauam adeò mutatur conditionem, vt colore, odore, & consistentia à se ipso; & à corpore alendo, longissimis interuallis dissideat. Quibus sanè verbis ferè comprehensa est omnis huius ioali natura: est enim velox quidam exitus eorum quæ per os assumuntur, verum non omnino crudorum, & incoctorum: nam in hac affectione solùm leuia, & humectata egeruntur excrementa, ventre præ imbecillitate ea integrè mutare nequeunte, Atque licet dictum sit velocem esse excretionem, nõ subinde intelligendum est, velocitatem dicere excretionem mox à cibo ingesto factam, id enim propriũ est lienteriæ, sed designate celeriter, & frequenter sic affectos excernere, non mox à cibo, quia ibidem immorantur quantum par est vt coqui possit, si huic muneri sufficeisset natura.

Causa. Cuius affectionis (vt eius natura magis propriùsq; elucescat) causas mihi est in animo diligenter euoluere, necnon & dissidium inter eam, & læuitatem intestinorum, quantumuis vnius membri, & consimilis naturæ videantur. Habet autem hæc affectio causas, quæ ipsum excitant varias, & alias etiam quæ ipsi præstant conditiones, quibus à lienteria, & reliquis fluxibus differre constabit. Est in vniuersum proxima, & immediata causa; ventris ferè totius frigidum cũ sordida humiditate intemperamentum, cum innati calidi, & humidi proprij imminutione, ac nonnunquam calidum, ex quibus non leuis sequitur impotentia facultatibus ventriculi: primum quidem contentricis; item & necessitate quadam naturæ affectus, concoctricis: vltimò verò distributiuæ, & secernenuis. Atq; res ita se habet re vera, vitio tamen retentricis primò, & per se ab omnibus tribuitur: licet in hoc à vero aliquo modo aberrent, nam omnibus potentijs tribui necessario debet, sed clarioris doctrinæ gratia id dictum fuisse arbitror, cum constet adeò imbecillam esse, vt ea forma, ac modo alimentum complecti, & vndique circundare non possit, quo fit, vt etiam si liquetur, & tenuior fiat, formam tamen chyli suscepta re non possit, quòd ventriculi tunica non omni ex parte ipsum complecti, & attingere possit: ex quo prodit, mutata forma alimentum exire liquidum, & aquosum factum, verùm minimè in substantiam chyli mutatum. Atqui licet in hoc causæ genere à lienteria differre non videatur, quia vterque affectus ab imbecillitate retentricis prodit, cum hoc tamen longissimis distat interuallis. Cuius doctrinæ gratia expendẽdum est, primò differre (licet vitio eiusdem contentricis prodeant ambæ) modo affectionis eiusdem potẽtiæ, excrementorum diuersitate, & aliarum potentiarum læsione. Quippe cùm retentricis duo sint munia, nimirum eo vsque alimentum continere, donec integram adipiscatur coctionem, & ita ipsum vndique còmplecti, quòd vniuersam chyli formam, & vẽtriculi naturam induat, constat in lienteria tempus debitum non adseruari, sed anteuerti, in cœliaca verò solo complexu, & cohærentia cum cibo ventricu-

A lum aberrare. Quo fit vt in lienteria alimenta nil mutata exeant, in cœliaca verò liquata, quia diu ibidem immorata sunt, cæterum chyli formam nondum adepta, quia ventriculus non valuit eam præstare ob prædictum contentricis vitium. Et licet in læuitate videantur actiones omnino abolitæ, & in cœliaca diminutæ, cum hoc tamen quia in illa auferuntur per consensum, & compassionem retentricis, aut expellentis, & in cœliaca per essentiam, ob id grauius est vitium diminutionis in cœliaca, quam abolitionis in læuitate: præterquam quòd in cœliaca etiam corruptionis adiungitur labes. Differunt etiam secundò in excretis, quia lienteria solum excernit alimenta non mutata; cœliaca verò mutata, humidiora, corrupta,

B & mille vitijs conspurcata. Prætetea tertiò differunt, quia in lienteria reliquæ potentiæ priuantur actu, defectu temporis, non vitio sui: at in cœliaca potentiæ, omnes oblæsæ existunt, & ob id nullum perficiunt actum, quantumuis immoretur in ventre alimentum, vt mox probabo: nam licet vtriusque affectus nimia frigiditas morbosa causa sit, in hoc tamen magna interest differentia, nimirum quòd in lienteria superflua humiditas præualet, quæ potissima causa est, ob quam dilabuntur alimenta ante debitum tempus. At in cœliaca frigiditas quidem adest, sed cum defectu proprij caloris, & humidi ipsius ventriculi, adiuncta sordida humiditate, licet copiosa non sit vt in lienteria: haud secus quàm in legitima hepatica dysenteria

C dictum est fieri: quippe si in cœliaca, excrementa excernuntur humida, non est ratione causæ, sed quia liquantur alimenta, & sic manent, & excernuntur. Ex quo oritur ratio, qua probari potest necessitate quadã naturæ affectus facultates omnes simul oblædi, sed primò in cœliaca. Contingit itaque vtrumque affectum ab exuperante fieri frigiditate, & læuitatem simul ab humiditate (in quo etiam magna interest differentia) cæterum lienteriam in parte ventris interiori, & in eius facie potiùs quàm in vniuersa tunica, & ob id solus ille retentricis actus, solaque potentia procuIdubio vitiantur: at in cœliaca vniuersa vẽtris substantia humectior efficitur, ac impensè refrigeratur, aut calore humido deijcitur, adeò vt non solum con-

D tentricis munus oblædatur, sed vt etiam calor innatus simul infirmetur, quo minus reliquæ potentiæ infirmiores essentialiter factæ possint munus suum perficere, vt pulchrè Aretæus aduertit lib. 2. de diuturnorum morborum curatione cap. 7. dicens: *Si ventriculus ciborum digerendorum impotens sit, diffluat autem alimentum non coctum, non mutatum, crudum, nihilque ad corporis molem transeat, cœliacos hos appellamus, refrigerato nimirum intus calore innato, quo minus coquat, & viribus quæ distribuunt alimenta debilitatis.* Quod profectò rei ipsius euentu confirmari potest, cum diu ibidem immorante alimento liquidioriq; facto, nullam contingat susceptare coctionem: ac nõ solùm id, verùm nec valet ventriculus impedire quo-

E minus putrescat vitieturque alimentum, quin potiùs ob defectum distribuentis prædicta mala contrahat, beneficio caloris innati omnino destituto. Qua ratione fit, vt huiusmodi excrementa malè olida frequentiùs prorumpant: aliquando etenim contingere scimus adeò flatulentæ substantiæ copia ventriculũ abundare, quòd ea interclusa inter ventriculum, & alimenta impediat optimum, & adæquatum complexum ventris ipsius ad eadem: quo fit vt parum excernantur cruda, fœtida, & liquata, & partim cocta, & ob id omnino inæqualia: secus res se habet cum præ impotentia contentrix nequit cibum vndique probè complecti, ita vt nihil intersit inter cibos, & ventris tunicas. Oblæditur insuper distributiua facultas, q; non statim prædicta excrementa pellat, sed maiori facta mora quam par foret, occasionem præstat prædictæ corruptioni, ita vt falsò Celsus arbitratus fuerit,

nihil

nihil in hac affectione ventrem excernere. Itaq; cùm in ventriculo necessariò contineatur, & non satis possit confici, neque ob id distribui, reliquum est, cum plus iusto in eo loco immoretur, in præternaturalem, & alienam naturam, ac fœdissimum putorem mutari. Contingit etiam hunc fluxum non continuò, sed per interualla effluere, quo sensu credimus Celsum posse nos interpretari: cuius euentus causa est vitium distribuentis facultatis, quia singulis diebus, cum languida sit, non excernit: quippe si potens esset, expelleret vtique quod alienum persenoscit, quod cùm minimè possit, facilè copiosè excrementa congregantur, quæ postea facultatem lacessunt, & copiosam etiam concitant alui deiectionem, quod in lienteria non fit, sed quotidie quod ingeritur excernitur. Contingit etiam alia huius affectus species, pseudocœliaca nuncupata, quæ licet excrementa excernat qualia prodeunt in vera, & legitima cœliaca, nihilominus tamē ab ea multis numeris dissidet: nam præter id quod subitò fit, & soluitur (quod veræ, & legitimæ cœliacæ non contingit) non fit à ventris intemperie, & habituali impotentia, sed solùm ab alimentorum vitio, aut ea vbertate, & vario ingerendi, atque frequenti modo, quòd natura liquare quidem possit, commutare verò omnino, nequaquam, tum ob natiuam protopathiam, & contrarietatem, aut differentiam, quam cum corpore alendo habet; tum ob insuperabilem omnino copiam: quam sanè affectionem scimus nō rarò in gulosis hominibus, & his, qui nimio, vario, & inordinato vtuntur cibo, contingere, & pari ratione si prudenter præueniatur subsistere.

Signa. Distinguitur huiusmodi affectus ab alijs alui fluxionibus, & per se innotescit ex magna, & per maiora interualla deiectione excrementorum humidorū, non sub alimenti forma excretorum, nec mutatorū in alienam qualitatem, hoc est in naturam succorum biliosorum, pituitosorum, aut melancholicorum, sed tantum referentium alimenti liquati, & corrupti specimen, licet quale fuerit alimentum, distingui minimè possit. Ratio tenuitatis potissima est liquatio alimenti, fœtoris verò non quidem ventriculi vitiū, sed mora præter rationem alimenti in ipso: atque licet scriptum sit, prædicta excrementa non esse in alienā naturam mutata, intelligendum est, vt modò diximus, quia non ob id ipsis repugnat fœtorem concipere ex diutina mora in ventriculo. Vexat insuper sic affectos cibi deprauata appetentia, referens quidem naturam deprauatorum succorum, quæ fœtorem præ se ferunt. Ostendit etiam huiusmodi fluxum animi deliquium excretionis tempore succrescens, quòd à se fœtidus illæ succus transmittat tetros halitos, qui virium robur deijciunt, & os ventriculi infirmant: præterquam quòd crebra excretio, spirituum magnam copiam disperdit. Excernitur quoque in hoc affectu frequenter sanguis flauus, & tenuis, nam dum diuturnus efficitur, à iecore etiam, aut ex venarum extremitatibus, & totius corporis habitu aliquid excernitur, & colliquatur cruentum. Quo fit vt corpus in his colliquefiat, tum ob adductas causas, tum verò, quia vniuersum alimentum in excrementum commigrat, adeò vt corpus quàm paucissimum assumat: ex qua etiam causa prodit, vniuersam cutim fieri rugosam. Præterea totius ventris venæ liuescunt continentque parum sanguinis: signum profectò paucitatis spirituum, & caloris vitalis, ex quo fit vt liuorem præ se ferant. Insuper venter modò quasi ab igne vritur, modò verò quasi à crystallo conglaciatur, vt Aretæus perbellè expressit. Est profectò huiusmodi accidens prædictæ affectionis certissima nota, quantum eius causa difficilis est, & abdita: nam qui fieri potest, quòd in vnica eademque particula, vnica & eadem intemperie præter naturam affecta, vnicum & eundem affectum patiens, ac eadem semper symptoma-

A ta efficiens, possit adeò facilè ad dissimilem, & contrariam intemperiem mutari in gradu adeò intenso. Cuius sanè euentus ratio pulchra est, & verissima: nā cùm vniuersa huius affectus natura sita sit in grandiori ventriculi imbecillitate, & cùm facultates habeant causis alterantibus tantum resistere, quantum ipsæ extiterint validæ, fit facilè vt ventriculus summè languidus (à quacumque intemperie id proficiscatur) citra vllam difficultatem à causis calfacientibus, & refrigerantibus summè alteretur: dixerim quantum causæ suaptê natura, citra controuersiam, & resistentiam nostri caloris, efficere habent: ob id confluente flaua bile, aut dum putrescit, & corrumpitur cibus, ventriculus etiam si ad frigidum, & humidum distēperatus sit, protinus ad calorem alteratur, calore innato B nequeunte compescere bilis inclementiam, & incendium: sic etiam aduentante pituita, aut iam facta corruptione ciborum, facilè ob eandem causam conglaciatur, & quia similis est intemperamento ipsius ventriculi. Quæ sanè omnia Medicum expendisse oportet, ne deceptus qualitate eo tempore vigente, præsidium adhibeat, iuxta eius naturam, posthabita principalioris causæ indicatione. Accedit insuper his omnibus signis, articulorum, & totius corporis grandis impotentia, & confractio.

Præsagiū Quæ sanè signa si quis diligenter examinet, nec non & vim atque efficaciam causarum, proculdubio conijciet hunc affectum (nisi magna diligentia præueniatur) commigraturum in atrophiam: nam cùm C diutiùs durat ad magnam omnino salutis desperationem res deuenit. Quapropter nisi quis primo morbi accessu diligenter curare studeat, vt Alexand. lib. 8. cap. 8. scribit, posteà curationem non admittit, quòd habituale facillimè efficiatur. Quo fit vt arbitrandū sit, longè deteriorem esse læuitate intestinorum, licet à Galen. & alijs dictum sit, cœliacam aliquando illius esse: quam sententiam ego intelligo de ea cœliaca quæ à vitio alimentorum prodit: nam si ex læsione ipsius ventriculi proficiscatur, proculdubio deterior erit magnitudine affectus, modo agendi causarum, & læsione essentiali plurium facultatum: nam in cœliaca ferè omnes facultates essentialiter læduntur. Item humiditas immersa est penitiùs in ipsa ven- D tris substantia, non quidem solùm in interiori tunica ipsius, vt in lienteria. Præterea longè grauiora habet accidentia, quibus existimo longè difficiliorem, & periculosiorem esse, vt dictum est.

Curandi ratio. Licet consimilem is affectus videatur curationem expostulare ei, quam lientericis conscripsimus, cum hoc tamen non leuem sortitur differentiæ rationem. In qua se coniectandum est (præter victus mutationem, si vitio alimentorum, eorum corruptio succrescat) duplicem esse medendi rationem: alteram aduersus huius mali causas pugnantem: reliquam verò defectum naturalium potentiarum, & innati caloris adimplentem.

Primò igitur, dum redundans flatus qui ventricu- E lum distendit, mali causa est, medendi ratio consulit, duplici esse incedendum via: prima quæ materiam à qua flatus eleuantur, auferat medicamentis purgantibus, iuxta humoris peccantis naturam, vt dictum est cap. de vomitu: altera his, quæ cum hoc quod habeant flatus discutere, etiam roborare possint, idque duplici modo: nam aut facultas languida est, & impotens ex præcedenti morbo, quo tempore alimentis optimi nutrimenti reficere ipsas oportet. Aut si impotentia ex aliqua distemperie suboriatur, distemperiē corriges (si frigida sit) eisdem omnino medicamentis, quibus flatus etiam discutiuntur: sunt autem hæc, ea quæ diximus cap. nuper citato, paragrapho de roboratione ventriculi. Huius etiam naturæ est, & insuper caloris iacturam resarcit medicamentum, q. *℞. aquæ vitæ ℥. ii. corticum malorum arantiorum ʒ. ii.*

florum

florum roris marini p. ß. aqua dulcis ℥. 1. musci parum; cuius summo manè parum sumere oportet: insuper alimenta, & medicamenta, cinnamomo admiscebis, aniso, iunco odorato, cariophyllis, serpillo, sampsucho, byssopo, aut menthæ: & aliquando veteris dianiso, diacymino, theriaca, aut mithridatio: nam sic ad penitiora ipsius ventriculi permeant huiusmodi auxilia: quo magis profutura sunt. Postea verò ventri admouebis quæ actuali calore calfaciant simul, & adstringant. Huius autem generis est oleum q. ℞. *succi immaturarum oliuarum tantum quantum fuerit oleũ, in quo frusta alabastri ter, aut quater ignita extinguantur, deinde in puluerem redigantur, & postea adde ceræ rubeæ lib. 2. post modum destillentur donec oleum totum exierit: cui denique adiungito myrrhæ optimæ in vino liquatæ ℥. 1. succi absynthij ℥. 1. & ß.*

Verùm si affectio, vt frequenter contingit, ex redũdantia sordidæ frigidæque humiditatis per ventriculi substantiam imbibitæ suboriatur, ita vt impediat commodum alimenti vndique complexum, curandi ratio duplex insurgit: prima quæ, si quid vinosum existit, aluo purgata protinus auferat, per ea tantùm medicamenta, quæ primam regionem purgare sunt nata: namque à vehementioribus imbecillior plerũque superest ventriculus: ac dum Medicus cognouerit satis esse deposita prædicta excrementa, tunc aggredi poterit secundam huius curationis viam, quæ fit humiditate illa per paulatinam purgationem euacuata, aut per resoluentia discussa, & consumpta. Primum fit purgatione frequenter facta agarico, aloe, hiera simplici Galeni, pilulis masTichinis, vel alephanginis, aut ex rhabarbaro, vel ipso rhabarbaro cum terebinthina admixto; in quo opere præstantiora sunt medicamenta solidiora quàm liquida, vt diutina in ventriculo facta mora, faciliùs eradicetur humiditas ibidem infarta. Consumitur autem, & per insensilem halitum euanescit ex potu parsimonia, & medicamentis quæ paulò superiùs diximus reliquijs humorũ consumendis esse idonea. Cuius profectò indicationis adeò sæpè crescit necessitas, eo quòd cætera medicamenta nihil prosint, quòd authores cogantur ad vstionem ferro candenti supra ventriculum factam peruenire, vt per foramen illud, aut per parua foramina in circuitu ventris facta, superabundans humiditas expiret. Quod sanè auxilium censeo, vbi reliqua non profuere, tutum esse, & admodum vtile: ante cuius vsum piperatis, aut cum sinapi, & pice, medicamẽtis vtendum; postea verò calidis, & modicè adstringentibus rem agere oportet. Quòd si hæc omnia non profuerint, setonem supra regionem ventriculi affigito, per cuius foramina frequenter fricato vlcere, citra vllum periculum euacuatur commodiùs materia. Ante tamen quàm omnia hæc experiaris, adstringentibus, & roborantibus vteris, & ad hæc tanquam ad vltima præsidia deinceps deuenies.

Quibus factis, non erit ab re iam consumptis humiditatibus, & attemperata aliquo modo frigiditate, reliquam curandi rationem aggredi: quæ perficitur his auxilijs, quæ adimplere habeant actum facultatis retentoriæ, dummodò actu calida sint: nam interim dum affectum radicaliter curamus, necessum est comprimere medicamentis ventriculum, vt quod facultas præ impotentia efficere nequit, arte adimpleamus. *Dubium.* In cuius auxilij administratione non parua succrescit difficultas: quippe videtur impossibile, aut saltem perdifficile, citra longè maius damnum, & iacturam facultatum earum munus in hoc affectu arte adimplere. Nam cum excrementa quæ natura pellit, sint adeò prauæ conditionis, si ipsa adstringẽtium adminiculo contineas, grauiora concitabis accidentia in ipso ventriculo: si ad venas distribuere naturã coegeris, vniuersam humorum substantiam vitiabis: si verò facta compressione, & expulsione quotidiani

A effluxus vberior postea succrescat, vires ocyssimè prosternes, cùm ferè semper horum expulsio cum animi deliquio, & anxietate fiat. Quapropter videndum diligenter est, quid citra damnum fieri possit: quo fit vt constet (cùm potissima huius affectus ratio sita sit in caloris innati imminutione, ob humidi extranei, ac frigoris copiam) nulla alia via commodiùs posse emendari, ac suppleri, quàm per ea auxilia quæ caloris copiam adaugeant: quippe hæc interim dum humidum, & frigidum alijs auxilijs conteruntur, caloris innati defectum supplent, & alimentum in alitі naturam vertunt: quo fit, vt calore illo sic acquisito, venter presliùs complectatur alimentum, & hoc media coctione minus corrumpatur, ac ex consequenti di- B stribuatur commodiùs, trahaturque à mesaraicis auidiùs, & ob id minus venter fluat, ac substantia innati calidi vberiùs reficiatur. In quo sanè opere non cuiuscumque naturæ, & conditionis calorem eligere fas est, sed eum tantùm qui præexistenti, & natiuo, dum sanus erat homo, simillimus existat: quippe is solus est qui sui ipsius defectum adimplere potens existit. Verùm si frigiditas humiditasve adeò creuerint, quòd sit longè maior earum excessus, quàm caloris innati defectus, iam nunc non calorificis, quæ solùm caloris defectum adimpleant; sed eo gradu, & ea siccitate præditis, quæ possint excessum prædictarum qualitatum retundere, ac frænare, vtendum erit. Qualiter verò hæc duo opera fieri debeant, iam narrabimus, si priùs C dixero, principium curationis, nullo habito causæ respectu, ab his calorificis ducendum fore: nam si solùm causam nitaris retundere, cùm id leniter, & sensim debeat fieri, præter id quòd nihil proficies, vitiũ ob defectum caloris crescet indies magis, ac magis. Quapropter semper vteris solis à principio, vel admixtis eis, quæ vires habent aduersus causam pugnare. Quòd si hæc sufficere non videantur, ad ea, quæ adstringunt, comprimunt, & roborant ventrem, est deueniendum. Sunt autem huiusmodi quæ intus ventriculum corrugare vires habeant, vt citinus, malicorium, balaustium, puluis corticum granatorum, coralli, cornu cerui, & calidi pulueres, quos sæpius retulimus, cum furfure, aut pane tosto admixti: quæ præ- D ter id quòd corrugent, calfaciendi etiam potentiam habeant, vt vinum rubrum, aut album stypticum factum, aqua masTiches dilutum. Et præter hæc maximi esse momenti arbitror vsum passularum ex Corintho, cum aqua vitæ, aut vino adstringenti, vel Hippocras appellato. Exteriùs verò ea sunt adhibenda, quæ comprimere possint: ante omnia tamen cucurbita ventri admota, qua & calor ad ipsum euocetur, & quod ingeritur contineatur probè: postea verò inũgere oportet oleo masTichino, cydoniorum, de balsamo, de terebintho, de aniso, & cinnamomo, aut de styrace cum pice, resina, ladano, & styrace, additis pulueribus, & facto cerato, vel emplastro, cum thure, masTiche, rosis, myrto, baccis lauri, mentha, absyn- E thio, & alijs quæ consimilem virtutem obtineant.

Vltimò tamen ea methodo vtendum est, quæ docet alimenta distribuere per singulas corporis partes, & calorem in omnibus concitare: nam huiusmodi affectio etiam proficiscitur vitio distributricis potentiæ: & ob id modicis totius corporis frictionibus, ac vinculis, & cucurbitulis, donec corpus in calorem, & ruborem alteretur, vteris: necnon & balneis aquæ dulcis mediocriter calidæ, quibus partes dilatentur, & alimentum trahatur, rem efficere oportet. Nec displicet in hoc affectu ad sudationem ex radice Chinæ, & sassafrasæ Indicæ peruenire, quam maximi fore momenti sum arbitratus. Quòd si obstructio mesaraicarum distributionem impediat, diligenter id quoque perdiscere curabis, quippe chylosi etiam non nihil simul excernetur: cui medeberis per ea auxilia quæ capite sequenti reperies. Deliquijs verò animi

sub-

subuenies vsu alexipharmacorum, quæ sicca, & adstringentia sunt, vt puluis coralli, rosarum, margaritarum, de gemmis, boli Armeni, terræ sigillatæ, & lapidis bezoar; ex quibus sic conficitur electuarium. ℞. *conserue rosarum antiquæ ℥. 1. mucleta, & confectionis de hyacintho, anà ℨ. 3. coralli rubei præparati, electuarij de gemmis, seminis portulacæ, anà ℨ. 1. lapidis bezoar ℈. 1. syrupi cotoniorum quod sufficiat vt fiat confectio, cuius porriges cochleare vnum.* Ferunt smaragdum his fluxibus prodesse, licet Aloysius Mundella contrarium sentiat, sed experimentum fidem præstare constat.

CAPVT XI.

De diarrhœa.

Diarrhœa quidem affectus est, cui fluxus alui nomen iure optimo debetur, & sic à plerisque hoc caput inscribitur, de alui fluxu: qui sanè nihil aliud est, quàm immodica per aluum excretio alicuius humoris sine exulceratione, inflammatione, aut tenesmo. Cæterum vt omnium fluxuum natura facilè elucescat, & apertum etiam sit in quo differant, nosse oportet, ea quę per aluum excernuntur, triplici differentia distingui, & contineri: vna quidem iuxta naturam conditionem, & varietatem eorum, quæ excernuntur: alia verò habita consideratione partis, à qua fluit excretus humor: tertia & vltima ex affectu, cuius occasione fluit. Iuxta primum nosse conuenit, ea quæ per aluum excernuntur, esse aut alimenta cruda incocta, vel prauè cōfecta, vt capitibus pręcedentibus dictum est: aut excrementa, vel aliquam laudabilem substantiam, qualis est chylus, sanguis, pinguedo, corporis colliquamentum: aut vltimò sunt corporis humores sub propria forma, aut quauis corruptione vitiati. Præterea locum à quo humores in ventrem dilabuntur, quod secundo loco proposuimus, constat, esse vnum, aut plura, aut corpus vniuersum: quo factum est vt Medici varias huius fluxus partitiones, & diuersa capita effinxerint: nam diarrhœam vnam appellant capitalem, aliam iecorariam, aliam splenecticam, & reliquam à toto corpore, quas omnes nos clarioris doctrinæ gratia, ad has tres species reduximus, hoc vno tantum capite contentas. Tertium verò genus desumitur ab affectu cuius occasione, & causa fit, siue in vniuerso corpore fit, siue in quouis eius membro vitiosus ille humor generetur. Nam euidentissimum est, qualis fuerit natura excreti humoris, talem fore membri, aut totius corporis intemperiem. Cui causæ accedit inflammatorius ventriculi, aut intestinorum, iecoris, aut splenis affectus, quo non rarò humores ad eam partem euocantur, diarrhœamque concitant dysenteria deteriorem, aut ipsam in dysenteriam mutant perniciosam: & ob id ex fluxibus cōstat quosdam esse colliquatiuos, alios pituitam sapere, aut bilem corruptam, vel mixti esse excrementorum generis, pro sorte, & ratione prædictorum morborum, aut causarum. Verùm quia huiusmodi fluxus de genere est symptomatum pertinentium ad ea quæ immodicè excernuntur, vel toto genere præter naturam, ob id profectò præcipuæ differentiæ ab excreta substantia desumi debent, licet cuiusque curatio fieri nulla ratione possit, nisi in medium adductis, ac forsan primò consideratis prædictis differentijs.

Fit igitur diarrhœa ex omnibus humoribus, aut ex aliquo, sanguine excepto: & ob id Medici optima ratione distingunt diarrhœam in biliosam, pituitosam, & melancholicam, iuxta naturam humoris per aluū fluentis, modò naturalis prodeat, modò præter naturam. & vinosuḿ. Verùm quia non leuis in curatione succrescit differentia, (siue huius, siue illius sit excrementi, aut humoris) ex loco à quo prodit, & ex complicatione humorum, qui simul fluunt, nec non dum vnius naturæ fluxus est, alterius verò causa, ob id profectò hæc omnia primò distinxisse, & enodasse mihi est opus, si priùs dixero, siue à toto, siue à parte fluxio prolabatur, necessariò id accidere, vel quòd se exonerans natura (quod plerunque contingit in excrementis, aut humoribus, qui maxima copia ipsam lacessūt) illuc transmittat: vel quòd viæ naturales, per quas alimentum pertransit, aut in quibus recipitur, aut aliquod excrementum reconditur, obstructæ sint: vel vltimò, quòd ex vitiosa totius, aut partis intemperie, aut conficiendi facultate, loco optimæ substantiæ excrementum efficiatur ex alimento, aut humores vitientur ea labe, qua natura cogatur tanquam alienum pellere.

Præter dictas diarrhœæ sortes, memoriæ proditum est, alias succrescere posse, in quibus ossicula quædam similia passerculorum ossibus prodeunt, quasi laborans integrum deuorasset passerculum: quæ sanè grauissimis excernuntur doloribus. Quam etiam excretionem maleficio factam potius, quam à naturali causa, nonnulli sunt arbitrati. Alia enim assuescunt fluere excrementa similia his quæ in abscessibus externarum partium solent reperiri, quippe nouimus excerni pilos, carbones, lapillos, vngues, testarum fragmenta, oleum, cœnum, lutum, mellis specimen, aut vini fecem. Quibus excretis rarò laborantes in pristinā sanitatem restituuntur: nam tabidi, aut doloribus cōsumpti, plerumque pereunt.

Sic profectò dum vniuersum corpus huic fluxioni causam præstat, vt ab hoc membro initium sumam, considerare oportet vna è tribus rationibus id posse fieri: prima quidem est, dum humores corpus vagantes natura sua spontè pellere desiderat, irritata eorum copia, aut malitia, quæ rarò citra iecoris, aut venosi generis vitium fieri potest: secunda fit, cum aut facultas nutritiua nequit commutare humores in aliti substantiam, aut facultas retentrix non valet eosdē quātum par est, continere: vtraque tamen ratione hecticorum corpora alui fluxione laborant: tertia verò & vltima proficiscitur ex colliquatione, & consumptione partium solidarum ipsius corporis, vt paulò inferiùs, latiùs scriptum reperies.

Dignoscitur autem à toto corpore prodire ex symptomatis in toto repertis, & ex priuatione signorum quæ particularem aliquem affectum designant. Sic enim in toto corpore reperiuntur alicuius intemperamenti signa, quæ peculiariter scribit Galen. lib. de plenitudine, & quarto de sanitate tuenda. Præterea noscetur prima fluxus species ex ipsius humoris secreti natura: nam dum pituita, & vtraque bilis sub propria forma excernuntur, nemo non cognoscet, scimus tamen rarò eas à toto corpore prodire: sic dum bilis alijs admiscetur, aduritur, & ad præternaturalem statum deducitur, vt vitellina, ęruginosa, aut prassina; pituita salsa, aut acida; facilè dignoscentur, ex colore, & accidentibus. Secunda fluxus species, quæ fit dum corpus non alitur, cognoscitur, quòd excrementa quæ excernuntur, non sapiunt naturam alicuius humorum, & quia corpus ocyssimè contabescit, & infirmantur ipsius facultates: item quia excreta sunt aquosa, subalbida, aut in obscurum rubescentia. Tertia verò fluxus species cognoscitur ab ipsis excrementis, namque pinguia sunt, crassa, glutinosa, & opima, & grauiter olentia, si putredo simul adsit. — *Signa.*

Si verò ex vitio ventriculi diarrhœa suboriatur, chylosa maiori ex parte fit excretio, & hoc nomine à plerisque insignitur: nam reliquæ ventriculi corruptæ cruditates ad cœliacam, vel lienteriam reducendæ sunt. Causas profectò (vt simul eas noscas) habet affectus venter, nonnunquam ex ipso alimento ortas, aliquando ex ventriculo, sæpè ex vniuerso corpore, sæpissimè verò ex iecore, aut mesaraicis obstructis. Alimen-

mentum enim causam præstare venaberis, si interrogatione facta cognoueris, laborantem ingessisse mordacia, acria, & quæ vim habent proritandi chylum ante quàm per propria loca distribuatur: nam alio modo lienteriæ aliquam speciem gignit: nam hæc, & quæcunque praua affecta sunt conditione, ocyssimè irritant naturam ad pellendum: idque cognosces, quod mutato cibo protinus cessat fluxio. Ventriculus autem huic malo pronus efficitur, quòd non quantum par est, chylum conficiat, sed potius vrat, aut alio vitio conspurcet, ita vt iecur ipsum exugere renuat: præterquam quòd aliquando non quantum par est contineat: vis enim contentrix non potest dum imbecilla est, donec distribuatur continere, & hac ratione aliquando chylosæ apparent deiectiones: nam sicut in lienteria non continet natura alimentum quãtum par est vt liquetur, ita prorsus in hoc fluxu non continet, quousque distribuatur, & sic cum alui excrementis chylum abire patitur natura. Succrescit præterea diarrhœa ventriculi vitio ob aliam causam, nimirum ob defluxum alicuius acris, & mordentis succi, qui anteuertat tempus, & locum ✝ excretionis ipsius chyli, & ipsum per inferiorem ventrem pellat. Sic profectò in puerorum dentitione, & in catarrhis diarrhϾ cõtingunt, quas etiam vermes efficiunt: item ab obstructis iecore, & mesaraicis plerunque fit, quia chylosa substantia nequit ad iecur permeare: quo fit vt ad intestina per mesaraicas illuc conscendentes perueniat chylosa substantia. Et sicut in prima causa, quæ virtutis contentricis est imbecillitas, frigida, & humida intemperies causa existit, ita vltima ab acri aliquo irritamento prodit, licet Galen. 5. de locis cap. 2. regerat huius causam in imbecillitatem contentricis: quod intelligendum est, quando nulla iungitur causa proritans, & mordens, quarum signa desumes capite de liẽteria. Ex vniuersi etiam corporis occasione, chylosum fluxum aliquando succrescere comperimus dupliciter: vel cùm vitiosi humores ob ventris imbecillitatem in ipsum confluunt, vel cùm adeò copioso homines vescuntur cibo, quòd tanta copia corpus non indigeat, quare vt satur dimittit per intestina: nam ea est naturæ lex, vt quousque & quantum nutritioni sit necessarium, contineat alimentum, reliquum verò pellat: signum verò est corporis bonus habitus, vegetus color, & calor, hominis alacritas, atque plenitudo, & alimentorum vbertas, ac vita sedentaria. Quod sanè vitium solet non rarò iecoris occasione succrescere, & chylosas fieri etiam excretiones, vt mox referam.

✝ Distributionis.

Ex iecoris occasione tres prodeunt fluxus species: vna ex chylo non suscepto ab ipso iecore, vel quòd non indigeat vt satur, ita vt neque à ventre, neque ab intestinis quidquam trahatur: vel quòd adeò frigidũ sit, quòd stupore afficiatur, & indigentiam non percipiat: item quia obstructæ sunt venæ mesaraicæ, & sima iecoris, quibus omnibus de causis chylosam fieri excretionem iecoris occasione comperimus. Secunda autem fluxus species, quæ à iecore prodit, fit ex humore melancholico, & atro, via à iecore in splenem obcœcata, vel quòd iecur plus generet melancholiæ, quàm capere splen & eius venæ queant. Tertia verò & vltima ea est, in qua biliosus funditur humor vna duarum occasionum: prima à calore exurente iecur; altera ab obstructione, non cystis fellis, aut pori eius, quia tunc deiectiones biliosæ non essent, sed visceris ipsius, quòd vena caua non recipiat biliosum succum, sed regurgitans in ventriculum, per intestina prolabatur. Quæ sanè omnia facilè nosces ex visceris ipsius inflammatione, aut immodica caliditate, vt capite de iecoris inflammatione, aut obstructione reperies.

Splen quoque in hoc affectu non paruam assolet præstare causam, nam præter eius imbecillitatẽ (quæ A cognoscitur, quòd nullum adsit tumoris, aut obstructionis vestigium) scirrhosam duritiem, vel obstructionem, se se non rarò in ventrem expurgat, aut sanguinem iecoris, & vniuersi corporis non probè repurgat, quo corpus ipsum, & iecur non rarò coguntur in ventrem, quod fæculentum recipiunt, regerere. Primum sanè splenis vitium est irritamentum à copia, vel acrimonia fæculenti humoris, quo lacessitur, & per intestina sese exonerat: sed huius humoris vbertatem illi præstat iecur exustum, & siccum; vel vberior, & intempestiua alimentorum ingestio, quę talem succum nata sunt generare: hoc sanè dignosces inspectis vitæ, & alimenti modo; illud verò ex peculiaribus iecoris symptomatis, quæ reperies capite de dysenteria hepatica. Obstructio verò splenis, ac viarum B quæ in ipsum conscendunt, impedit quominus possit sanguis à melancholica spurcitia liberari: quo tempore necessum est, eos succos in ventrem irruere, aut in vniuersum corpus permeare: eum quidem fluxũ Barbari oppilatiuum appellarunt, quem ostendit nigra deiectio, splenis tumor, dolor, tensio, & viarum iuxta ipsum durities, & alia etiam quæ capite de splene obstructo longiùs scripta reperies.

Prodit etiam diarrhœa ex oris, seu linguæ affectionibus: primùm in pueris cùm dentire incipiunt: secundùm verò in blæsis, vt 6. aphor. 32. apertè docet Hippoc. (dicendum ne sit de blęsis, an de traulis, non est huius loci disputare) docens eo loco Gal. vtrumq; contingere ob cerebrum nimia humiditate luxuriãs: C quapropter facilè erit causas per signa venari, cùm perpetuo os humiditate inundet.

Vltimò quidem certissimum est ex capite frequenter diarrhœam prouenire, dum ab ipso in ventrem pituita vel salsa, vel putris, aut nimium tenuis prolabitur: id quod ex frigida prodit distemperie, quæ crudos relinquit humores, aut calida quæ eosdẽ tenuet. Quod sanè vt Hippoc. 7. aphorismorum 30. docet, facilè nosces ex deiectione spumosa, (saltem cùm à cerebro spumosus prolabitur humor, vt probat loco citato Galen.) capitis imbecillitate, continua defluxione, somno profundiori, nulla siti, alimentorum in ventre corruptione, & quòd fluxio potiùs fiat noctu quàm diu.

D Præter dictas fluxionum differentias, numerosæ aliæ reperiuntur complicatæ: quarum quædam prodeunt mixtæ, diuersorum humorum miscella: nonnullæ ex complicatione diuersorum fluxuum. Quippe aliud est bilem flauam, aut atram, vel pituitam naturalem, vel præter naturam simul excerni, & excretionem subinde fieri variegatam: aliud quidem lienteriam adiungi dysenteriæ, aut cœliacæ, vel diarrhϾ, præter quas nonnullæ à salsa pituita, aut cruenta, cruda, & pituitosa prodeunt cruditate: hæc tamen omnia simul diuersis vnius diei partibus, aut diuersis diebus: quæ ad vnguem considerare, & distinguere oportebit, si curationem rectè instituere velis.

Præter signa hucusque adducta alijs etiam opus E habemus, quibus aliquid specialius in hoc morbo nosse est magni momenti. Nam excrementa, quæ excernuntur, vel exeunt secundum naturam, vel præter ipsam: si primum, maiori ex parte prodeunt vitio expellentis grauatæ pondere: quo nosces ex irritamento. Si præter naturam, facilè disces, quia aut fit cum excessu qualitatum præter naturam, aut cum defectu coctionis, vtrumque tamen monstrabit excrementorum qualitas. Præter quæ omnia, vt certior fias, considerare oportet, an ex vlcere, aut tumore præter naturam ventriculi, intestinorum, iecoris, vel splenis fluxus prodeat: signa enim hæc habent conspicua, nimirum partis dolorem, maximè à cibo, febrem, & cruẽtam excretionem. Sic etiam vterus plerumque diarrhœæ causa existit: quod disces ex eius symptomatis. Sit ne ex paralysi intestinorum, nec ne, comperies ex

pri-

priuatione aliorum signorum, & quia alimẽta etiam A prodeunt prauè, aut diminutè confecta.

Quis morbus ì quamis causarum.

Vtcunque enim hos fluxus consideres, scito proficisci, vel à morbo in via, vel ab intemperie partis, vel totius corporis, præsertim frigida, qua facultas concoctrix impotentior, & languidior facta, nequit probè suum munus perficere: vel proficiscitur à calida, & acri, quæ vitiat alimentum, aut irritat naturam ad expulsionem, ac vltimò nata sit corpus colliquare, humores exurere, ac putrefacere. Ex quibus constat fluxum quemuis aliquem ex prædictis morbis sequi, & ipsum esse symptoma in genere excretorum immodicè, quod multis modis tale efficitur: nam vel tota substantia, quantitate, aut qualitate à naturali excretione recedit: licet aliquando in animalis commodum, & vsum id moliatur natura, quod ad curationẽ summoperè expendisse oportebit, nam permittendæ sunt criticæ fluxiones, quantumuis primo accessu videantur naturæ modum excedere.

Curandi ratio.

Ante tamen quam vlteriùs pergam, nosse oportet de prima fluxus sorte, quæ ex humorum fluentium differentia desumitur, an semper sit compescenda: nam, vt inquit Celsus, vna die alium fluere, sæpè pro valetudine est. Verum vbi modum naturæ excesserit fluxus, immodicusque fuerit quantitate, aut duratione, vel eum maximis, & periculosissimis symptomatis, vt Galen. 12. metho. consuluerat, nec non & Hippoc. 6. popu. par. 2. tex. 28. tunc quidem transacto primo impetu compescendus est, si priùs permiseris tan- C tum fluere, quantum sat sit, vt quod generatum aggregatumque est, minuatur: quo facto, si plurimum vrgeat, diuertenda fluxio est, aut minuenda per subadstringentia pharmaca. Quippe fluxionis impetus, & immoderantia adeò ad se vertit omne curantis cõsilium, propter imminens periculum quod sequitur ex virium dispendio, vt licet quod excernitur omnino sit præter naturam, cohiberi aliquo modo desideret, & iubeat virium custodia. Quòd si hæc feceris, dum opus fuerit, aut non factum, si non vrgeat, curandi deinceps, aut sistendi hos fluxus eam rationem institues, quam cognoueris causam fluxuum, & eorum differentiam expostulare: nam humor qui fluit, præter sui notitiam quam præstat, etiam præscribit auxi- D liorum materiam: pars verò affecta, cui subueniendũ sit, & cui præsidium adhibere conueniat, & naturam ac modum etiam auxilij demonstrat: affectus verò ipsam curationem designat. Initium tamen sumam ab eo fluxu qui totius corporis vitio prorumpit.

Hunc sanè diximus fieri, vel ex humorum vitiosorum copia: aut rursus sit corpore se se colliquante. Si primum sit, continget, vel quòd natura grauatur, aut mordetur copia, vel malitia, humoris biliosi, pituitosi, vel melancholici: siue id prodeat natura nequeunte præ impotentia continere, siue irritata cogatur propellere, quòd partes non conficiant alimentum, aut prauè afficiant, quod in plerisque fluxibus diuturnis E fieri conspicimus, quæ sanè fluxionis cõditio, & sors nullius humoris naturam refert, neque colliquatiuus est, sed excrementi mille modis fœdati, & conspurcati effigiem æmulatur: quo solo signo cognosces, ex corporeæ substantiæ intemperie, & vitio materiam conspurcatam, & semicorruptum alimentum profluere, non ex iecore, aut venoso genere, quia ab his partibus potiùs humores naturales, aut præter naturã exeunt: à toto verò ex hac causa, solùm excrementa, aut humores corrupti nullum humorem repræsentantes, vt in cœliaca ex ventriculi vitio contingit. In quo sanè fluxionis genere, nec corpus purgare, neq; secus vsquam visum fuit prodesse, solum enim ex vsu est optima victus, & vitæ ratio: prosunt & vniuersales totius corporis frictiones, exercitia, sudores ex sarsa parilla, aut china, balnea, vel dulcis aquæ, vel sulphureæ, si excrementa frigiditatem attestentur. Vel lucerescit

quòd à iecore, aut aliô viscere deprauatum suscipiãt: nam hæc omnia ante manus adhibitionem considerate oportebit. Vtcumque tamen fiat, medendi ratio consulit ante fluxus cohibitionem (nisi præ impotentia retentricis alimenta membrorum defluant; quo tempore protinus compescere citra aliam vacuationem, & comprimere oportebit) vlteriùs superuacuos humores euacuare: nam deposita naturam grauante plenitudine, non irritabitur deinceps ampliùs, nec excernet. Quamobrem eis medicamentis purgare corpus oportet, quæ si quid redundat vitiosum, aut copiosum, excernant iuxta humoris peccantis naturã. Sic etenim redundante pituita salsa, aut quauis alia, facta ex hydromelite, aut rhodomelle præparatione, B purgabis quod redundat, vel alicubi impactum est, infuso agarici, & corticum myrobalanorum in succo rosarum: purgabis etiam pilulis aggregatiuis, aut ex agarico, mastiche, & rhabarbaro confectis, vel corticibus myrobalanorum chebulorum infusis in infusione rosarum Persicarum. Prodest etiam in inueterata diarrhœa terebinthina abiens, lota aqua capitum rosarum, & mulsa cum infuso, aut pulueribus rhabarbari, aut myrobalanorum chebulorum. Post quæ medicamenta, ad conterendas humorum reliquias summoperè prodest opiata, q. ℞. *ligni aloes, gallia muscata, cyperi, calami aromatici, anà ʒ. 1. cymini infusi per diem in aceto, deinde tosti, seminis porri tosti, & nasturtij, anà ℈ 2. granorum myrti ʒ. 8. balaustiorũ, C conchularum tostarum, eburis, fructus lentisci, anà ʒ. 1. ameos ʒ. 1. & ß. infundantur omnia in puluerem redacta in vino rubro, & exsiccentur, post diem iterum infundantur in aqua ferrata, & exsiccentur, & admisceãtur minæ citoniorum aromatizatæ q. s. vt fiat opiata, cuius ʒ. 2. cum aqua deaurata porriges.* Præstat & *pulueris sarsæ parillæ ʒ. 1. in ouo sorbili* præstita: Item potus sit aqua ex radice Chinæ decocta: ante cibum tamen ex vsu erit corpus vniuersum perfricare, donec calore euocato, coctiones perfectiùs fiant.

Biliosum verò humorem superuacuum naturalẽ, citra vllam præparationem transacto primo impetu purgabis rhabarbaro infuso aqua ferrata, admixtoq; syrupo de rosis nostris: vel præstabis conseruam rosa- D rum cum puluere rhabarbari, aut corticum myrobalanorum citrinorum. Prosunt etiàm in inueterato fluxu ex bile, pilulæ de rhabarbaro, sicut & in immodico, & nimis citato (non vt purgemus, sed vt compescamus) ex q. ℞. *seminis papaueris ʒ. 2. seminis hyoscyami albi ʒ. 1. opij gr. 6. croci, castorei, anà gr. 10. sumach, acaciæ, berberis, & rosarum anà ʒ. 1. succi liquiritiæ, & citoniorum quod sufficiat vt formentur pilulæ, quarum ante prandium sumat laborans ℈. 1.* Præstat eiusdem vsum q. ℞. *granorum myrti, spodij, sumach, santalorum omnium, gummi Arabici, anà ʒ. 1. & ß. ossium myrobalanorum omnium assatorum ʒ. 7. coriandri præparati tosti ʒ. 4. seminis acetosæ, plantaginis, & rosarũ, anà ʒ. 1. omnia in puluerem redacta infundantur cum E succis plantaginis, agrestæ, & acetosæ per diem, deinde exsiccentur, & cum sufficienti quantitate minæ citoniorum fiat opiata, cuius quantitas sit ʒ. 3. cum aqua deaurata.* Ante tamen quam hoc porrigas medicamentũ, vel post, si non profuerit, ex vsu erit materiam syrupis & apozematis compescere, quibus addes *pulnerum smaragdi, vel margaritarum, aut electuarij de gemmis, vel diamargaritonis frigidi, & puluerem crystalli, santalorum, & coralli quantitate ℈. ß.* Præstat mirum in modum, q. ℞. *rosarum rub. gummi Arabici, coralli, spodij, succini, balaustiorum, acaciæ, terræ Lemniæ, anà ʒ. 1. seminis psyllij, & acetosæ, anà ʒ. 2. cum succo plantaginis fiat confectio, & porrige ʒ. 2. cum succo agrestæ clarificato.* Quo facto, si constiterit acrimoniam humoris retusam quodammodo esse, purgabis eo pharmaco, q. ℞. *corticum myrobalanorum citrinorum ʒ. 2. rhabarbari ʒ. 1. torrefiant modicum, & adde boli Armeni gr. 10.*

gr. 10. tragacanthæ ʒ. 1. cum saccharo rosaceo antiquo, & mina citoniorum fiant boli. Post hanc enim purgationem ex vsu est medicamentum, q. ℞. *corticum myrobalanorum citrinorum ℥. 1. infundantur in aqua pluuiali, in qua chalybs sæpius extinguatur, & rosæ rubeæ, sumach, & balaustium bullierint, & facta expressione sume ℥. 2. mina citoniorum ℥. ß.* Considerabis tamen, sit ne bilis quæ fluit ex his quæ præter naturam existunt, & tanto citiùs, & copiosiùs eam frigidis, & humectionibus mulcebis, & attemperabis, quanto ex adustioribus fuerit; ac rursus tanto parciùs, & minoribus medicamentis purgabis: sæpè enim his ignoratis affectio in dysenteriam commigrat. Quo casu ab te non erit parum sanguinis (saltem ex iecoraria vena) fundere, tanto minus, aut nihil, quanto fluxio fuerit furiosior.

Melancholiam mox à principio, licet fluat, non prohibeto, difficulter enim id facies, & forsan fluxionem aliam deteriorem concitabis: sed præmissa præparatione sufficienti ex syrupo lupulorum, borraginis, buglossæ, & similium, *confectione Hamech* simplici purgabis, maximè si addideris *pulueris foliorum senæ, aut myrobalanorum chebulorum ʒ. 1. & ß.* item infuso foliorum senæ, aut myrobalanorum omnium cum sero lactis, vel *decocto passularum, & florum cordialium cum modico radicis Chinæ: cui addere oportebit syrupi ex infusionibus violarum, & è rosis. Hispanis, ana ℥. 2.* Humore tamen sic imminuto, ex sinistra saluatella sanguinem fundes, aut cucurbitam supra eã partem appones, postea verò necessum est quod superest, aut aliò transferre, aut per aliam regionem euacuare: ob id quidem, intus aliqua medicamenta vrinas mouentia admonebimus, & alia quæ sudores excitent, medio balneo aquæ dulcis, aut per euaporationem decocti herbarum quæ emollientem, & diaphoreticam vim habeant, vt per eandem regionem qua abundant humores, nimirum per totum corpus, aliqui 1 etiam excernatur. Consulere insuper oportet frictiones, exercitia, & ea omnia quæ ad extimas partes humores euocare habeant.

Verùm si constiterit, vel pituitam simul esse adiunctam, vel indies ex defectu virtutis concoctoriæ ventriculi, aut iecoris, vel venatum genitam, consultissimum est, bis, aut semel in hebdomada vomere, & si in corporis membris adeò immersa fuerit, vt connaturalis facta sit, sudoribus ex guaiaco, sarsa parilla, aut radice Chinæ discutienda est, vel stuphis, aut balneis confectis ex decocto calidarum herbarum. Prosunt & balnea naturalia, maximè sulphurea in pituitoso fluxu, sicut ferrea, & aluminosa in biliosо. Ex vsu etiã sunt stuphæ, & euaporationes ex decoctis consimilẽ vim habentibus, maximè si aliquid eorum spargas supra ignitos lateres, & vaporem laborans susceptet. Considerare etiam oportet non minus reuellere, & aliquando compescere posse sanguinis detractionem, sed maximè vbi sanguinolenta vacuatio suppressa est, corpus robustum, sanguinis abundantia, vel humor peccans sanguini admixtus, vt in diarrhœa quæ continentibus febribus accidit, videre est. Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, vrinam mouere in quouis tutissimum erit: quæ sint pharmaca id valentia, abundè scripsimus capite de mouendis vrinis lib. 1. de recto præsid. vsu. Sed in hoc pituitoso fluxu post prædicta auxilia, vt reliquias conteras, vtendum est zingibere condito, dianthos, vel electuario de granis myrti, Athanasia, theriaca cum vino calido, & melle squillitico: tandem plerisque eorum quæ adduximus capite de cruditate ventriculi. Obseruabis tamen dum humorum salsugo, aut putredo vniuersi corporis natura lacessita, & irritata affectum concitauerit, licet purgare expediat, vt dictum est, non tamen antequam humorum malitiam frænemus alimentis, & medicamentis, ne euocatis humoribus per intestina, dysenteria conciteтur. Quapropter primò frænare, deinde purgare oportebit, comprimere verò minimè, ne furentes humores præter naturã modum retenti, in aliud membrum decumbant, & maius malum efficiant, nisi purgata priùs copia. Quo tempore comprimentibus, & his quæ ventri adhibemus admiscere oportet quæ calfaciendi, & concoquendi vires habeant: quod in biliosis fluxibus fugiendum summopere est. Verum cum impotens partium facultas, alimentum, nec continere, neque conficere valet, fluxus qui ob id mouetur ocyssimè est compescendus. Primò corroboratis facultatibus, quarum vitio fluxus excitatur: ac si frigida fuerit distemperies, frictionibus, balneo calido, exercitio, inunctionibus ex oleo naphthæ, iasminorum, & aliorum quæ calida sint: adhibitis etiam alimentis, quæ quodammodo adstringentia sint, & calidis condita, & præparata. Itẽ quiete vtendum est, somno, serapijs, & apozematis quę simul adstringant, roborent, ac firment facultates, & humores condensent, veluti est rosarum siccarum, de myrto, citoniorum, & alia eiusdem naturæ.

Fluxus ex colliquatione.

At si totum corpus per alui fluxum colliquatione resoluatur, non licet temere adstrictionibus vti, etiãsi laudabilis, & vtilis existat substantia quæ perijt: nam sæpè hæc affectio contingit ab exurente, colliquante, exusto, acri, & erodente humore, qui partis substantiam conterit: aut à colliquante calore, qualis in hecticis febribus reperitur. Contingit enim non rarò substantiam corporis refici prauis succis, qui succensi, aut calfacti, in colliquamentum potius degenerant, quam laudabilis substantia, quæ non nisi à colliquante calore, vt in hectica, aut humoribus exustis, vt in causonide liquescit: at quæ ex prauis fit edulijs, à febrium tertianarum calore promptissimè in diarrhœã aut dysenteriam perniciosam commigrat, vt anno 1591. popularitег in omni Hispania contigit: quippè ad pestilentis constitutionis modum omnibus febribus tertianis protinus succrescebat huiusmodi alui fluxus, qui plurimos interemit, omnia vulgaria auxilia contemnens. Quare modò calor exuperans, seu exurens, modò prædicti humores causa sint, triplici remediorum genere res agenda est: nimirum primò his quæ refrigerent, modicè tamen, nam periclitatur extinctione à frigidis pusillus hecticorum calor, paulò tamen intensiùs, quibus prædicti humores abundãt, in quibus non est verendum syrupos, apozemata, & reliqua auxilia niue refrigerare. Secundò rem hanc exequeris his quæ humectent, plus in hecticis, vtpote qui ariditate contabescunt, dummodo humectatio substantifica sit, non madefactiua: minus tamen in his qui prædictis humoribus abundant, ne ex humiditate aliquid vlteriùs putrescat vehementia caloris præter naturam, à quibus putredo facilè succrescit: quapropter cautè humectatione in his vtendum est, nam licet iurulentis vti oporteat, eorum tamen minorem copiam porriges. Tertiò verò & vltimò, his quæ renutritionem moliantur, in hecticis lentiùs, sensim, & paulatim; in alijs verò, citiùs, & frequentiùs, non tamen vberiùs, iuxta illud Hippoc. *Quæ longo tẽpore extenuantur corpora.* Præterquam quòd ea quæ renutriendi vim habent, in his in quibus prædicti humores abundant, non solùm præstant refectionem eius quod quotidie perit, sed attemperamentum humoris maligni natiuam substantiam deuastantis: & ob id diximus frequentiùs in his esse renutritione vtẽdum, sed parciùs, non tamen his quæ corruptioni obnoxia nimis sint, ne ocyssimè putrilaginem concipiant. Quapropter, vel aliquid subadstringens, solidioris substantiæ, vel frigidum admiscere oportet, vt corpus tutiùs reficiatur, & vtrique damno faciliùs subueniamus. Quòd si attemperato iam corpore fluxus adhuc perstiterit, aut leuiter purgato (non in hecticis, sed in alijs quibus acres humores abundant)

vti

vti possumus adstringentibus medicamentis, quæ licet fluxum non sistant, maiorem tamen innatæ substantiæ dissipationem impediant: quæ medicamenta exteriùs minimè sunt adhibenda, ne caloris præter naturam effluxus præpediatur, sed intus, vt & partes roborent, firment, atque constringant, ne facilè erodenti causæ cedant. At in alijs qui ex frugibus madefactis, putridis, & praui succi alimentis in hos affectus deciderunt, mox à principio purgare licet, & in recidiuis febrium, antequam in alui fluxum degenerent, nequaquam: si verò inciderint, paulatinis ex rhabarbaro, & myrobalanis purgationibus vtendum est, dummodo horum medicamentorum substantiam præbeamus.

Si à capite prodeat fluxus.

Dum verò à parte aliqua fluxus concitatur, multiformis existit pro varietate partis à qua defluit: sic dum à capite decidit, maiori ex parte albicantia refert excrementa: quod contingit capite præ imbecillitate nequeunte conficere alimentum, aut præ distemperie corrumpente, salsuginosumque efficiente, quod transmittit per ventriculum ad intestina, deferendo pariter secum ventriculi excrementa, & alimenta. Cui duplex curandi ratio debetur: altera quæ caput respiciat, præcauendo quominus hæc excrementa generet, vt copiosè dictum est cap. de tussi per defluxum à capite: nam omnis curandi ratio circa caput versatur penes distractionem geniti humoris, quæ fieri debet per discussionem fomentis factam, pulueribus, sacculis, & emplastris: sed potior est per paulatinas purgationes, & per reductionem capitis ad proprium temperamentum. Quòd si hæc sufficere non videantur, fontanellam in brachio, aut setonem occipitio affigere præsentaneum est auxilium. Ventriculo etiam prouidendum est, vt euacuet si quid receptum habet à capite, vomitibus per interualla factis, tum vt à fluxu dissuescat, tum verò vt per contrariam regionem expellat quod aggregatum habet: quem etiam inungere oporter roborantibus auxilijs, vt facilè conficiat, & difficulter recipiat.

Si à iecore fiat fluxus, aut splene.

Multorum etiam membrorũ consensu aluus fluit, ventriculi nimirum, splenis, & mesaraicarum, quorũ ratione variæ suboriuntur huius fluxus differentiæ, quarum quasdam Barbari appellant spleneticas, alias iecorarias, & sic alias pro ratione membri à quo decidunt. Quæ omnes proficiscuntur vna trium rationũ: aut quia iecur non suscipit chylum vitio viarum ad ipsum euntium: aut quia plus quam par sit generat illius humoris qui per intestina profluit: aut quia membrum cuius munus est id excrementum suscipere, obstructum imbecilleque existit: quo fit, vt in ventrem remeent prædicta excrementa, & diarrhœam sui generis concitent. Quòd si excreto sit ex melancholico humore, id profectò fit, quia iecoris ad splenem viæ obstructæ sunt, vel quia iecur ipsum sicco, & frigido intemperamento affectum existit, causa profectò gignendæ melancholiæ idonea. Quæ sanè cùm vberior est quàm splen possit sugere, redundans in ventrẽ irruit, & prædictum fluxum concitat. Id quod facilè nosces ex signis paulò antea adductis, & ex corporis habitu melancholico, duritie, & tumore lateris sinistri: quæ si non apparent in eo latere, corpore existente melancholico, coniectandum est præ imbecillitate splenem non posse trahere. Quatenus verò ad curandi rationem spectat, duplex tantùm reperitur: altera quæ obstructionibus debetur: altera rursus quæ membrorum distemperiem corrigat. Prima quidem perficitur per ea auxilia quæ inscindant, aperiant, atque quodammodo expurgent. Quæ sanè auxilia licet primo accessu videantur aliena, eò quòd fluxum sua spontè concitare habeant, cum hoc tamen, quia fluẽdi causa ab obstructione proficiscitur, nulla alia est commodior, & tutior. Qua verò ratione obstructiones iecoris, splenis, & mesaraicarum curari possint, dicturi A sumus latiùs proprijs capitibus: quamobrem oportet lectores illuc relegare, præterquam quòd supra splenẽ nequeuntem melancholiam trahere, aut plurimum obstructum, cucurbitam scarificatam affigere sæpè vtilissimum fuit. Distemperies verò licet curationem expostulet per contraria, cum rarò iecur intemperie, citra materiæ illi respondentis vbertatem afficiatur, (nam protinus alicuius excrementi copiam congerit) ob id iuxta optimum consilium erit, ea præmittere medicamenta, quæ membrum quodammodo purgare habeant, idque ratione humoris quem redundare cognouerimus: nam antea temperantibus vti, præterquam quòd inutile est, maiorem reddunt affectionẽ, B aut in aliam deteriorem commutant. Habet insuper hæc curandi ratio hoc peculiare, quòd nunquam tutò fiat confertim, & celeriter, & ob id necessum semper est paulatinis vti euacuationibus, idque triplici ratione: prima, quia humorum copia parua est, & cui leuissima sufficit purgatio: secunda, quia vim purgantium medicamentorum nequit iecur dum imbecillitate afficitur, innoxiè sustinere, tum quia eius robur à vehementer purgantibus exoluitur, tum verò quia intensiùs incalescit, si distemperies calida fuerit: tertia, & vltima, quòd antequam excrementa irritationi apta congregentur, vi expurgantis medicamenti expellantur: cui vsui etiam necessum est ea adhibere auxilia quæ per vrinas expurgare possunt, vt natura à con C sueto fluxu dissuescat, humoribus peccantibus ad aliam regionem distractis. Quibus præmissis, tutissimum est eis præsidijs vti, quæ distemperiem corrigãt cum adstrictione, & corroboratione leui, nisi ex obstructione fluxus prodierit: qualia verò hæc debeant esse, capite de iecoris, aut lienis intemperantia abundè scripta reperies. Interim tamen iecori calido, & languido adhibebis exteriùs id q. ℞. *pulueris electuarij de gemmis ʒ ß. coralli, santalorum rub. anà ℈. 2. spodij, tragacanthi, gummi, anà ʒ. 1. cum aqua rosacea, fiat ad modum vnguenti.* Prodest & ceroium santalinum, admixtis pulueribus rosarum, & coralli, vbi sæpius adhibeatur. Item epithema ex succo agrestæ, plantaginis aqua, agrimoniæ, cum prædictis pulueribus. Intus e- D tiam ea præstabis quæ vim habeant refrigerãdi cum modica adstrictione: sic aqua plantaginis, aut ferrata cum succo agrestæ, cum succo granatorum acriũ, aut ribes, aut cum diacytonite, & alijs huius census, cum prædicto puluere electuarij de gemmis, aut triũ santalorum veteris.

Fluxioni maximè complicatæ prouidendum, & de illius ratione.

Quòd si, his omnibus adhuc præstitis, fluxio importuna sit, qualis naturæ est, quæ ex varijs tum excrementis, tum membris prorumpit, tunc quidem omnibus, vel maximè vrgenti prouidendum erit, altero non neglecto: quod facies, vel mixtis auxilijs, quę huc vsque copiosa scripsimus, vel alternatim, & per vices nunc hæc nunc alia porriges, prout vrgentia præualuerit. Hoc tamen vnum in fluxuum complicatione E adseruabis, nimirum quod membro, vel mandanti, vel generanti magna diligentia prouideas: nam aliter vires facillimè procident: tunc quidem viribus labentibus, aut mox casuris omni diligentia prouidendum est, & considerandum sit ne fluxio ex mixtis humoribus, vt vtrique prouideas quantum fieri possit. Sed ne vires vlteriùs labantur, fluxioni prouidẽdum est per ea auxilia, quæ intus sumpta, vel exteriùs apposita, fluxionis impetum compescant, vt paulò inferiùs leges. Primò tamen & interim victum, & potum in biliosa fluxione institues modicè attemperantem, & comprimentem: potus fiat ea oryza, & hordeo torrefacto, & semicontuso cum aqua pluuiali, aut ferrata, additis mali punici granis, & oxalidis folijs: prodest aqua ferrata, aut deaurata. In pituitosa decoctũ radicis Chinæ, aut corticum ligni guaiaci, cinnamomi, anisi, corticum citri, sassafrasæ Indicæ, & similium. Sed biliosis etiam præstantius gallinarum, aut

pul-

pullorum cum agresta, aut folijs oxalidis: biliosus nãque humor lenientibus magis, vt discedat, gaudet. In vniuersum scito à principio pauco, & tenui esse vtendum victu, quo tenaciùs natura humores complectatur: verùm vbi diuturna fuerit fluxio, aut talem futuram à principio venatus fueris, vel facultatem prolabi indies cognoueris, copiosior, & copiosioris succi cibus porrigendus est: vt hepata gallinarum, vel pullorum testes, succus, & carnes gallinarum, & perdicũ. Prosunt & prædictæ carnes elixæ iure extremitatum arietis, aut pullorum: iuuant maximè carnes columbarum, auium montanarum, cuniculorum, & hepar hœdi assum cum aceto: prodest amylum, oryza, panis biscoctus cum lacte amygdalarum dulcium, aut cum iure aliquo ex aqua chalybeata facto: perdicis item caro assa, aut elixa, & iura per instillationem in duplici vase facta cũ cydonijs, piris, mespilis, & myrtillis: lac item vitulatum lapillis, aut ferro, vel auro ignitis, sed oua aceto cocta, & indurata maximè prodesse ferunt. In prima autem mensa vtatur miua citoniorum cum pane tosto: si verò tenuis sit fluxio, & fluida, ad crassiora, & adstringentia alimenta veniendum esse consulit rei ratio. Verùm inter ea quæ sic affectis exhibemus, nihil profectò vires æquè habet alimenti, & medicamenti, quàm lac bubulum, aut caprillum, purum quidem si citra febrem laborans sit, verum si adsit, quarta aquæ parte addita, vt Aetio, & Alexandro visum est, maximè si biliosorum vacuatio præcessit, vt consulit Galen. 5. aphor. 64. alioqui enim aduersum ait ijs esse lac quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, quoniam in nidorem celerrimè vertitur: post purgationem verò & febre remissiore vtilissimum censetur, maximè si frusta alabastri ignita, aut albos lapillos succensos, vel ferrum candens ibidem extinxeris, & spumam interim detraxeris, ne facilè in nidorẽ mutetur: quibus sanè conditionibus aufertur difficultas, quæ apud authores de lactis exhibitione in huiusmodi affectibus habetur.

Quo facto, si adhuc vires periclitari constiterit, ad adstringentia (siue humor biliosus sit, siue secus) veniendum esse consulit vrgentiæ ratio. Quapropter primò in biliosis porriges *syrupi acetositatis citri, & de ribes, anà ℥. ß. syrupi rosarum siccarum, aut viridium, aut citoniorum ℥. 1. aquæ plantaginis, vel hordei tosti, seu ferratæ, seu deauratæ ℥. 3. pulueris margaritarum, aut de gemmis gr. 6. cornu cerui vsti, seminis oxalidis, & plantaginis, anà gr. 4. & porrige.* Prodest & vsus sacchari rosati vetusti cũ prædictis aquis, & pulueribus, vbi in formam boli reduxeris: cui etiam admiscere poteris *boli Armeni, aut terræ sigillatæ, trochiscorum de spodio, aut de succino ℈. 1.* Sed mirabilis efficaciæ est saccharum rosaceum succo citoniorum, & aqua plãtaginis dissolutum, & feruefactum, atque colatum datum ventre ieiuno. Item pueris prodest, q. ℞. *cariophyllorum, masticbis, aut amyli, anà ʒ. 1. aquæ rosaceæ ℥. 6. in duplici vase coquito.* Ex vsu etiam est puluis rhabarbari cum eodem saccharo rosaceo. Verum si adhuc constiterit humoris aliquid redundare, purgandum modicè est, his quæ post purgationem adstringant: cuius census arbitror esse pilulas omni fluxui proficuas, q. ℞. *myrobalanorum, citrinorum, & chebulorum, anà ℥. ß. mastichis ʒ. ß. spicæ nardi gr. 8. cum syrupo rosarum solutiuo fiant pilulæ, quarum ʒ. 1. sumat laborans.* Quibus factis vtatur micleta cum syrupo myrtino, aut rosarum, addito modico puluere lapidis hæmatitis, aut coralli rubei præparati, vel mastichis: somnum item conciliabis syrupo papaueris cum rosaceo, & aqua portulacæ. Præthereà in causa calida prodesse scimus trochiscos, q. ℞. *granorum granatorum assatorum, boli Armeni, rosarum, spodij, seminis acetosæ, anà ʒ. 1. & ß. berberis, coriãdri sicci infusi in succo agrestæ, vel aceto per diem, & posteà leuiter torrefacti, gummi Arabici, balaustiorum, sumach, gallarum non perfo-*

A *ratarum, anà ʒ. 5. fructus myrti ʒ. 7. terantur, & cribrẽtur, & cum succo citoniorum formentur trochisci ponderis ʒ. 2.* Præstat & puluis q. ℞. *acaciæ, balaustiorum, seminis rosarum, anà ʒ. 1. & ß. cymini infusi in aceto, & posteà torrefacti ʒ. 2. capiat laborans ʒ. 1. cum miua citoniorum.* Quòd si causa frigida sit, hoc facito: ℞. *ligni aloes, macis, galliæ, apij, balaustij, calami aromatici, anà ʒ. 1. & ß. mastichis ʒ. 6. rosarum ʒ. 1 5. fiat puluis, cuius laborans sumat singulis diebus ʒ. 2. cum succo citoniorum.* Prodest in omni fluxu *lib. 2. aquæ vsque ad medietatem cum ℥. 4. limaturæ chalybis feruefacere, & cum prædictis rebus aliquid eius sumere.* At si hæc non profuerint, ℞. *granorum myrti, santalorum omnium, sumach, spodij, gummi Arabici, anà ʒ. 1. & ß.*
B *ossium myrobalanorum omnium assatorum, anà ʒ. 7. coriandri præparati tosti ʒ. 4. omnia in puluerem redactæ infundantur in succo agrestæ, aut plantaginis, & acetosæ per diem, demum exsiccata cum miua citoniorum fiat confectio ad modum opiatæ, cuius sumat ʒ. 2. cum aqua plantaginis, & portulacæ.* Sed in pituitæ fluxibus præstat cuminum tostum aceto infusum, aut anisum eodem modo præparatum. Prodest & ʒ. 1. *casei antiqui in aqua chalybeata*, tam per sedem iniecta, quã per os sumpta: item adeps caprillus liquatus, & admixtus micæ panis: prætereà *coaguli hœdi ʒ. 1. cum aqua plantaginis.*

Exteriùs verò varia, & valdè proficua adhibere
C poteris, tum ventri, tum ventriculo: nam licet vniuersum corpus mali causam præstet, cum hoc tamẽ fluẽdi consuetudo, & ventris facilitas, laxitas, & impotentia, sæpè fluxus solent in intolerabilem diuturnitatem deducere. Quapropter primò fotibus vteris, in biliosis eo q. ℞. *radicis bistortæ, quinquefolij, anà ℥. 4. corticis mali granati, balaustiorum, anà ℥. 2. absynthij, & menthæ siccæ, anà p. ß. florum rosarum p. 1. seminis myrti ℥. 1. bulliant in aqua cum modico aceto.* Prosunt irrigationes etiam ex decocto malicorij, absynthij, gallarum, nucum cupressi, balaustiorum, hypocistidis, cũ vino rubro, & aqua ferrata: valet quoque fotus ex vino rubro extinctionis pini tædosi succensi: item olei omphacini, rosarum, & mastichis. Exteriùs tamẽ em-
D plastrum appones, q. ℞. *santalorum rub. rosarum, ramich, malicorij, mastichis, corticum auellanarum, & coriãdrorum aceto præparatorum, anà ʒ. 1. corticis capparorum infusorum in aceto ʒ. 5. conficiatur cum succo citoniorum.* Verùm si causa frigida sit, prædictis calida medicamenta addere oportet, velut est cortex citri, lignum aloes, cariophyllus, spica, ciminum tostum, & reliqua huius naturæ. Præstat etiam vnguentum quod fit ex aliquo ex prædictis oleis, vbi sæpius frusta alabastri extincta sint. Ex vsu quoque est, id q. ℞. *mastichis, corticum thuris, anà ʒ. 3. pulueris mẽthæ, & cinnamomi, anà ʒ. 1. & ß. olei nardini, mastichini, & absynthij, anà ℥. 1. vini odorati modicum, ceræ quod sufficiat vt fiat vnguentum.* Prodest & aliud q. ℞. *olei nar-*
E *dini, & mastichis, anà ℥. 1. & ß. olei omphacini ℥. 2. mastichis quod sufficiat ad consistentiam, & fiat emplastrum.* Magni quoque vsus est emplastrum ex palmulis, vino, farina hordei, croco, aloe, & mastiche à Gal. scriptum 1. ad Glauconem: vel id q. ℞. *olei mastichis, citoniorum, & myrtillorum, anà ℥. 1. pulueris sanguinis draconis, thuris, & gummi tragacanthi, anà quod sit satis.* Prodest incredibili efficacia aliud q. ℞. *citoniorũ, vel pirorum, aut dactylorum viridium lib. 1. macerentur in aceto, & aqua, & decoquantur, atque adde rosarum, & absynthij, anà m. 1. cimini tosti, & aceto macerati ʒ. 3. fiat decoctio: pistentur diligenter, & adde acaciæ, & mastichis, anà ℥. ß. coralli ℥. 1. cariophyllorum, & spicæ nardi, anà ʒ. 1. olei rosarum omphacini, & myrtini, anà ℥. 2. & ß. cum lib duabus panis candidi, vel furfuris reducatur ad formam cataplasmatis.* Eiusdem efficaciæ est id, quod ℞. *micæ panis tosti, & infusi in aceto chalybeato, carnis citoniorum, anà partes*

æquales, coquantur cum oleo mastichino, & vino rubro, additis pulueribus mastichis, thuris, & sanguinis draconis, anà ℥. 2. fiat cataplasma. Præstat eundem vsum emplastrum diaphœnicon Mesues, ac maximè ex descriptione Alexandri: item emplastrum de crusta panis, & alia quæ copiosius adduximus capite præcedẽti. In quorum omnium vsu hanc legem adseruabis: quòd si vitio concoquentis malum fiat, quæ calorem adaugent, & supplent administrabis: si retinentis iactura, quę adstringunt: si expellentis irritamento, quę attemperant, & leniunt.

Neque prætereundum est, si hæc omnia non prosint, magni esse momenti somnum conciliare, maximè si vel in dysenteriam, vel in colliquationem, aut tabitudinem affectio commigret: in quem vsum narB cotica primum, & potissimum locum obtinent, præsertim viribus non labentibus. Quapropter dormituro præbè *syrupi papaueris* ℥. 1. *syrupi de rosis siccis* ℥. ß. *aquę deaurate, aut plantaginis* ℥. 1. quòd si profuisse nõ videatur, ad *philoniũ* ℈. 1 *vel* ʒ. ß. te conferes. Hoc tamen scito, inter narcotica esse quædam, quæ frigidis humoribus proficua existunt, quę si calidis adhibeas, haud parum lædes, qualis naturæ est aurea Alexãdrina, theriaca, & alia huius naturæ: nonnulla etiam aduersus humorum acrimoniam, & calorem pugnant, præter id quòd somnum conciliant, velut est requies magna, & alia quæ maiorem opij copiam recipiunt. Alia item sunt quæ omnibus proficua existunt, velut philonium Romanum, aut Persicum. Romanum C quidem passionibus à causa frigida ortis, Persicum verò eis quæ à calida fiunt. Sed præstat, tanquam adstringens, & narcoticum pharmacum, id q. ℞. *mucletæ* ℥. ß. *conseruæ rosarum antiquæ* ℥ 1. *trochiscorum de Karabe, de spodio, & de terra sigillata, anà* ʒ. 2. *pilularum Nicolai contra fluxum* ʒ. 1. *requiei magnæ* ʒ. 2. & ß. *syrupi myrtillorum quod sufficiat vt fiat confectio, cuius bis in hebdomada* ʒ. 1. *porriges*. Maioris etiam efficaciæ in sedandis fluxibus est pilula, q. ℞. *opij gr. 1. croci gr. 4. cinnamomi, & cassiæ ligneæ, anà* ℈ ß. *cum tragacantho fiant pilulæ duæ*, quarum vnam summo manè porriges.

CAPVT XII.

De dysenteria.

DYsenteriam appellant Græci, id quod Latini tormina, seu difficultatem intestinorum. Sed id nomen generali quodam significato complectitur omnem cruẽtam excretionem per infernam aluum factam, specialiter verò, non solùm tormina, & difficultatem intestinorum, verùm & dysenteriam magis propriè dictam, hoc est, solam cruentam excretionem cum vlcere, & torminibus, in qua sanguis quidẽ exit, sed non vt in cæteris à iecore, aut vniuerso genere venoso, sed ab intestinorum abrasione. Atqui licet quatuor consignentur cruentæ excretionis differen- E tiæ, iuxta Galeni mentem, cum hoc tamen, si rem diligentiùs velis expendere, septem proculdubio reperies: vnam quidem ex sanguinis optimi vbertate: aliam ex diluto, & crudo: tertiam ex fæculento: quartam ex bilioso, & acri, ac salsuginoso: quintam ab hæmorrhoidibus, quam ablegare à vitijs intestinorum placet, vt cap. de hepatica dysenteria leges: sextam vero eam, quæ in morbis acutis, vel decretoriè, vel tabescentiæ, & liquationis modo, contingere assueuit, in quo excretionis genere sanguis qualitate à natura alienus excernitur, vt habetur à Galen. 3. de symptomat. caus. cap. 2. quam quoque ad eam, quæ fæculentum sanguinem excernit, reducere poteris, licet malignior sit: septima denique (quam Galen. quartam arbitratur) ab excrementis fit cruentis quę ob exesionem intestinorum sanguini admixta excernuntur: quæ sanę

A veram dysenteriam, & legitimam constituit, cui hoc caput peculiariùs dicauimus: nam reliquarum, capite de hepatica dysenteria, & cruentis excretionibus meminero latiùs. Est igitur dysenteria excretio cruenta per infernam aluum facta, quæ ex intestinorũ abrasione, & exulceratione tantùm cruenta efficitur: quippe nihil aliud est quàm diarrhœa ad maiorem feritatem ducta. In vtraque enim iidem humores per intestina dilabuntur: verùm dissident, quia in diarrhœa morbus est solùm ab intemperamento cũ humorum affluxu prodiens: at in dysenteria, præter id quòd sanguinolenta excretio existit, morbus exulceratio est, & soluta intestinorum vnitas. Quo fit vt hæc nunquam sine dolore appareat, illa verò sæpissimè citra ipsum: item hæc cum molestia, torminibus, & difficultate intestinorum, diarrhœa verò secus: denique diarrhœa perniciosa, & cruda, biliosa, spumosa, prassina, nigra, ramẽtosa, aut varij coloris prodiẽs sæpissimè in dysenteriam commigrat. Itaq; licet plures sint cruentæ excretiones, ea solùm veræ dysenteriæ nomen meretur, cuius sanguis ab intestinorum vlcere profluit: item licet vlcera ex varijs causis intestinis succrescant, id vlcus solùm haberi debet dysentericum, quod ab humorum acrium, & mordacium erosione prodit. Prætereà etiamsi intestinis tormina, & difficultates accidant, hæ solùm dysentericæ debent censeri, quæ ab vlcere ex erosione humorũ prodeunt: vt constet dysenteriæ veræ naturam integrari his tribus conditionibus, ex vlcere, dolore, & humore acri, erodente, atque mordaci cum fluxu ventris. Quo fit vt reliquæ excretiones, quantumuis cruentæ sint, illegitimæ, & pseudodysenteriæ haberi debeant.

Veræ & legitimæ dysenteriæ causæ sunt humores acres, erodentes, & mordaces, ad intestina præter naturam (hoc est citra correctionem, attemperamentũ, aut mixtionem, seu naturæ ministerium) prolabentes. Quos sanè succos, vel intra venas, & iecur fuisse factos constat, vel in primis corporis venis, aut à capite prolapsos: A iecore enim & vniuerso corpore incoctibiles succi, qualis est bilis vitellina, porracea, æruginosa, aut atra dilabuntur; & nõnunquam exusta melancholia; aliquando verò salsa pituita; sed hæc ple- *Causa.*

D runq; à capite, aut à vẽtriculo frigidiori, iecore existẽte calido. In qua re, ne in curatione aberres, diligẽter considerabis, fiat ne salsa pituita per putredinem, vel per pauci, amari, & adusti humoris permistionẽ, aut per adhæsum serosæ substantiæ: non enim parui momẽti est ad curationẽ id distinxisse. Ab alijs verò partibus plerunq; excrementa his humoribus simillima prodeunt, externa tamen frequentiùs accedente causa (licet interna, vt in febribus, vigilijs, insuetis laboribus, & curis, vel prauis edulijs, aliquando contingat) sic enim Aquilonia existente tempestate, humor in quauis parte sit, exitũ non habẽs, retrocedit, & id malũ concitat: Vere etiam Australi, & pluuioso, tempestas quidem pituitæ salsæ procreatrix, & innati calidi E corruptrix: Aestate insuper feruidissima, maximè in fine, & Autumno, viris qui lienosi sunt, aut corpus habent præhumidum, & prauè inspirabile, id non rarò lethaliter accidere solet. Sic etiam pituita crassa, & viscida in intestinis colligitur, cui si pro consuetudine, quantum sat est bilis ad expurgandum, & extergendum, non accesserit, cùm vtriusque in corpore, & intestinis plus quàm par est abundet, hæc omnia æstiuo calore putrescũt, quia ex intempestiuis, & copiosis potionibus, præsertim frigidioribus, pituita, aut crudi succi abundant, ac primò pituita hæc acris euadit, & intestina ad expulsionem lacessit, quæ cũ separari nõ possit, facilè acrimonia, & mora, atq; adhærentia intestina abradit, & minutim excernitur. Quod etiã fit dũ bilis illa sic mista, & putris magno impetu ad intestina confluit, quæ cùm ob lentorem plus iusto adhæreat, exulcerat, ac mordet: quod etiam de reliquis excre-

excrementis subaudire pari ratione oportet. Dimitto acria, erodentiaque, & nimis purgantia pharmaca, aut venenata, & caustica conditione affecta, quæ id quoque efficere nata esse conspicimus, sicut & flatus præcalidi, quibus succrescunt tormina maioris momenti, sed longè maiora, cùm intestinis inflammatorius aliquis succrescit affectus, est enim non leuis occasio euocandi humores ad ipsa, vt statuerat Galen. 1. phar. gene. dicens: *Atque omnis dolor inflammata exacuit irritatque, & fluxionibus occasionem præbet, quamuis rheumatica distemperie æger non afficiatur.*

Dubium. Sed consideratione dignum fore iudicaui disserere, quid nam in causa sit, quòd plerunque ij humores tantùm diarrhœam efficiant, & mordacissimi sentiantur, ac feruidissimi, æruginosi, prassini, fusci coloris, & variegati, qui summum malitiæ genus mõstrãt, & tamen dysenteriam non pariant, ita vt constet in aliquo alio sitam esse differentiæ rationem, si quidem sola mordacitas, & acrimonia per se non possunt (licet necessariæ sint) erosionem, & vlcus efficere semper: nam cum minori acrimonia prædictis, non rarò dysenteriam fieri conspicimus. De qua dubitatione ego ita sentio, nimirum necessariam esse in his humoribus, præter dictas conditiones, vnam etiam aliam, huic muneri efficiendo peculiarem, & propriam, videlicet visciditatem, aut lentorem, quo prædicti succi plus solito intestinis adhereant, quantum nimirum sat sit, vt abradere, & exulcerare possint: indiget enim prædictum opus plus temporis quàm in solo trãsitu consumitur, alioqui calfacient quidem, & irritabunt ad citatiorem excretionem, non tamen exulcerare, aut mordere poterunt. Hoc enim est quod pulchrè dixerat Gal. reddens rationem 3. aphor. 12. quare à salsa pituita fiant grauissimæ dysenteriæ, inquiẽs: *Ea igitur quæ fit in præsenti constitutione pituita, propter eam quæ fit caliditatem, salsa erit, & hac ratione dysenteriam maximam generabit, quando longiori tempore mordens, atque abradens intestinum offendit: nam inter exeundum propter lentorem intestinis adhærens, & immorans, semperque ipsa propter qualitatem detergens, facit dysenterias.* Itaque potissima ratio erit visciditas, & acrimonia simul, qua dysenteria differt à diarrhœa, in qua sat est humores copia, aut qualitate alia esse vitiatos.

Ex qua item interpretatione diluitur difficultas à Galen. 5. de vsu part. agitata, nimirum qua ratione in intestinis ab his humoribus, qui adeò ad sui expulsionem naturam lacessunt, vlcus fieri possit, cùm bilem, vel naturalem, vel leuiter etiam ad intestina prolabẽtem adeò celeriter trudat. Ac licet ipse arbitretur ob anfractus, & circumuolutiones intestinorum id fieri, credendum est, id posse quidem iuuare, sed non sufficere, alioqui à quauis bile acri, & mediocriter adusta, vt ipse refert, exulcerationes fierent: sed præter id necessum est lentorem, & tenacitatem prædictos humores sortiri, vt exulcerationem efficere possint.

Signa. Signis quidem in hoc affectu summopere opus habemus, non quidem solùm quæ affectum monstrent, & ab alijs cruentis deiectionibus distinguant, sed quę affectam partem, & affectus differentias, ac magnitudinem monstrare nata sint. Sic enim dysenteriam à reliquis cruentis deiectionibus distingues, quòd in illis solus sanguis, copia, aut vitio peccans, excernatur, in dysenteria verò reliquorum humorum maximè vitiatorum maior copia, sanguinis verò longè minor, simul cum ramentis, & muccoribus, quæ monstrant sanguinem à solis intestinis prodire: præterquã quòd in dysenteria semper excretio fit cum torminibus, & cruciatibus maximis; in alijs verò non ita: item in hac minutissimæ fiunt excretiones, tum sanguinis, tum aliorum succorum; in alijs verò copiosiores. Est etiam affecti loci signum venter imus à ventriculo vsque ad rectum intestinum dolens: præterquã quòd ipsa intestina exulcerari ostendit (præter dolorem) sanguinis excreti paucitas, & intestinorum ramenta. Verùm quia diuisio separatioque intestinorum in gracilia, & crassa, maximi est momenti ad locum, per quem auxilia adhiberi debent, dignoscendum, ob id diligenter distinguere, vtra harum partium abrasionem patiatur, necessum erit. Sic enim ex loco doloris supra vmbilicum, gracilia; sicut dum infra viget, crassa esse affecta conijcies: item grauiores existunt tenuium, quàm crassorum dolores. Præterea, si ramẽta crassa, & copiosa cum excrementis exeant, crassa intestina abradi dices; sicut tenuia, si pauca, & gracilia: idem quoque ostendit interuallum inter dolorẽ, & excretionem, nam dum superiora intestina exedũtur, longissimo interuallo post dolorem excretio fit; cùm verò crassa, mox à dolore. Monstrat id etiam permixtio sanguinolentæ excretionis cum ipsis excrementis: nam cùm gracilia abraduntur, alui excrementa, & sanguis plurimum confunduntur, & commiscentur, quia diu simul iter agunt: dum verò crassa, & infima intestina afficiuntur, seorsum, aut parũ commixta cum sanguine apparent prædicta excrementa. Ante tamen quam ad specialiora signa loci affecti descendamus, monstrare incumbit vlceris, aut abrasionis magnitudinem, seu differentias. Aetius etenim, & alij, tres posuerunt dysenteriæ gradus, seu differentias, non solùm iuxta maioris, aut minoris exulcerationis modum adductas, sed etiam iuxta eas intestinorum substantias, quæ in hoc affectu abradi, & excerni solent: quorum primum est pinguosum, mucilaginosumque corpus, quo intestina obducuntur, ne facilè ab excrementis dilabentibus afficiantur alterenturque: hæc enim primò excernuntur in dysenteria, quæ leuem, seu fientem (vt Galeni verbo vtar lib. 5. de locis) constituit dysenteriam, primumq; eius gradum, seu speciem circumscribit. Secundum est ramentosum quoddam corpus, album, tunicæ intestinorum persimile, quod monstrat interiorem eorum superficiem abradi. Tertium fit cùm aliquid ex ipsa intestinorum compage excernitur, quod carnem, & veram eorum substantiam attestatur, constituens factam, & grauiorem dysenteriam. Qui tamẽ exactiùs velit cuiusque intestinorum exulcerationem, atque quantitatem vlceris rimari, expendat, in gracilibus superficiem solùm esse læsam monstrare excrementum tenue, biliosum, & inodorum, ieiuni excrementa crocea, mali odoris, & nonnulla cum alimentis prauè liquatis admixta: deprauatus tamen odor aliquando ab vlcere, nonnunquam ab humore, aut excremẽtis prodit: quod disces, quia vlcus putrilaginem semper redolet. Ab inferiorum autem intestinorum vlceribus excrementa aquosa prodeunt, tenuia, sine odore, nisi vlcera profundiora sint: quo tẽpore saniosa prodeunt, subrubra, vinosa, aut instar aquæ in qua caro lota est. Si verò vlcera in gracilibus latiora sint, & superficiaria, biliosum, quod effluit, instar pinguedinis prodit: si profundiora sint vlcera, non solũ exquisitè biliosa, sed crocea fæcem vini referentia, spumosa, & nigra, porracea, crassiora, instar putredinis graueolentia. Ex profundioribus verò crassorum intestinorum vlceribus cruenta emanant, crassa, pituitosa, carnosa, valdè pinguia, ramentosa, velut ipsorum frusta, & integræ partes: si tamen vlcus profundius sit, emanat gutta cruoris, crassa, carnosa, rubra, grumosa, nonnũquam nigra, multis modis varians, odore intolerabili affecta. Contingit etiã vt vniuersa intestini tunica discedat adeò incredibili magnitudine, quòd videatur maiorem partem intestinorum continere: quo tempore iam negotium in discrimine vltimo versatur, licet visum sit tunicam, quę remanet, cicatricem contrahere. Item contingit ex aliquo vasculo cruorem adeò copiosè effluere, vt iam rem in desperatione poni

iudices, maximè si ex magno vase fit. Accidit praetereà vlcus, & intestina adeò inflammari continuo dolore, & cruciatu, vt nulla salus speranda sit, nisi pus effluat febre cessante, & vbertùs sanguine misso.

Praesagia Quantumuis perniciosa sit, & ferè omnino lethalis hæc morbi natura, & conditio, cum hoc tamen contingit aliquos morbos difficiles, superueniente dysenteria sanari: non quidem cum adeò praui exisitunt humores, quòd cruenta sit excretio ex intestinorum exulceratione, ita vt tormina, & difficultas intestino rum subsequantur (quippe hæc deterior, & periculosior est, quam sint affectus qui ea superueniente sanātur) sed quòd per eam pessimi, & deterrimi humores excernantur, quam antea in sola diarrhœa solent reperiri, & in cæteris morborum, qui citra ipsam sanari non poterant, excernerentur. Sed coniectabile est hanc (licet dysenteria nuncupetur) talem re vera, & exquisitè non esse, sed solum quia adeò succi qui profluunt perniciosi existunt, vt tormina, & difficultates inferant, vlcera autem minimè, quia longè magis insanabilia essent, vt de dysenteria ex atra bile refert Hipp. Verùm cùm vlcera non fiant, & longè deterio rem succum contingat excerni, quam in quauis diarrhœa, ob id felicem morborum euentum præsagite licebit. Et hoc est quod dixerat Hipp. 6. aphor. 46. *Quicunque lienosi*, aut 48. *Lienosis dysenteriam aduenire, bonum*: item 7. aphor. *A furore difficultas intestinorū*: & 2. prædictionum scribit, *podagricos optimè se habere dysenteria superueniente*. Quæ vt rectè interpretari possis, expende duo esse dysenteriæ genera, vnum acu tum, perniciosum, signis manifestum perniciosis, cuius finis semper est naturam perdere, & intestina abradere: alterum verò minus, in quo ponùs cruor quā ramentum excernitur, & in quo corpus exoneratur: sic profectò dum aliquis morbus per dysenteriam sol uitur, credibilius est per hoc secundum genus potiùs solui, quam per primū. Cuius sententiæ ereditur Hippoc. fuisse 2. prædict. dicens: *Dysenteriæ, siquidem cū febre inuaserint, aut varijs alui egestionibus, vel cum hepatis, aut præcordij, & ventris inflammatione, vel quæ dolorosæ sunt, aut cibos intercipiunt, hæ omnes prauæ sunt, & qui sanè plurima horum malorum habuerit, citissimè peribit, cui verò paucissima talium affuerint, huic plurima spes est. Moriuntur autem maximè ex hoc morbo pueri quinquennes, & seniores adhuc decennes, reliquæ verò ætates minus: at quæ dysenteriæ commodæ sunt, mala hæc non inducunt. Verum sanguine, & ramentis egestis, desierunt 7. aut 14. aut 20. aut 40. die, aut intra hæc tempora morbos sanaut antiquiores, ac recentes, hos citiùs, illos seriùs, adeò vt etiam vtero gerentes alleuent, & fœtus corroborent, perducantque incolumes ad partum, si nihil dolorosum adsit: at si quid horum adsit, nisi prima die desinat, aut paulò post, fœtui quidem perniciem, & periculum affert.* Denique prima illa acutissima, & periculosissima est, cuius meminit lib. de Coacis dicens ferè eadem verba quæ retulimus, cuius euentus omnino perniciosus est, siue ab alio morbo decidat, siue incipiendo fiat. Cæterum si materia, cuiusuis conditionis sit, vincatur à natura, ac per intestina pellatur, licet difficultatem eorum generet, minoris est mali, & boni finis præsaga, vt Clazomenio in epid. contigisse refert Hipp. nam eo tempore dysenteria cruenta (quòd copiosiori sanguine admixtus temperatusque excernatur humor; quo minus lædere est credendum) non erodens exoritur, in qua sanguis niger, & et assus exit, quo lienosi plerunque curantur, si diuturna non sit per aluum egestio: nam si diu duret, in aquam intercutem, & in mortem commigrat. Verùm si purgatio impuri succi salutis est causa, cur non sufficeret diarrhœa? quæ igi tur est ratio quæ cogat dysenteriam necessariò fieri, cùm affectus sit sua natura perniciosus? Cui dubitationi respondendum est, dysenteriam necessariò de-

A bere esse, quæ à prædictis malis liberet, ac non sufficere diarrhœam, quia ob id cognoscitur materiam ma li excerni: nam si alia quæ illud malum non efficeret excerneretur, vtique laborans non restitueretur sanitati ex grauiori malo. Dicer tamen aliquis nullo modo posse dysenteriam sequi ex prædicto humore, quātumuis perniciosus sit, quia per coctionem minor factus est: quòd si coctionem nondum est nactus, eius vacuatio salubris habenda non est, & ob id sat esse diarrhœam subsequi. Huic dubio dicendum est, nun quam sic huiusmodi humores exquisitè concoqui, quin aliqua eius particula acrimoniam adseruet adeò insignem, quòd dum per intestina dilabatur, tormina efficiat, & ob id vt salubriter excernatur, duo expostulat: primum vt cum torminibus exeat, signum

B profectò humorem morbum efficientem radicitus expurgari: secundum quòd cruorem habeat admixtum, quo frænetur eius malina, ne præter tormina, exulcerationem efficiat. Itaque si quis intellexerit quæ diximus, reperiet facilè, qua lege enodare oporteat illud Hippoc. *Si atra bilis, sursum, aut deorsum feratur, lethale, & dysenteriam omnem ab atra bile lethalem, et insanabilem esse*: & etiam intelliget quomodo cohærere possit cum præfata doctrina, quam locis nuper citatis adduximus, nimirum, *dysenteriam ab atro, & prauo sanguine salubrem esse, & alios affectus soluere*. Nam cùm Hipp. dixit lethales esse dysenterias ab atra bile, intellexit de eis in quibus intestina exulceran

C tur ab eadem atra bile, quas sanare est perdifficile, cū vlcera cancrosa fieri sit necessum. Item sursum, aut deorsum moueri solam atram bilem lethale est, & periculo plenum, verùm moueri cū sanguine vt in hac dysenteriæ specie intellexit Hipp. minimè graue, quin imo tutum, nisi diu duret, vt explicat in Coacis: tunc enim in hydropem, aut attophiam commigrat. Item dysenteriam fieri, & sanguinem ab vlceribus atra bile excauatis promanare, lethale, verùm si cum sanguine ad intestina dilabatur, licet tormina efficiat, & ramenta vt Hipp. 2. prædictionum insinuauit, minimè graue est, dum vlcera non fiunt. Præterea de dysenteria hæc iudicandum est, nimirum eam quæ superiora vexat intestina, grauiorem esse ob symptomatum im

D manitatem, & ventriculi viciniam: tum etiam quia difficiliùs sanitatem suscipiat, & æger faciliùs exolui tur ob nauseam, cibi fastidium, vigiliam, & quia vlcera eò in loco rarò coalescunt, vt ex Hipp. mente Gal. 6. metho. refert. Ex natura verò causæ ea insanabilis est, quæ ab atra bile prodit, vt ex Hipp. constat 4. aphor. 43. Sic grauissima existit, quæ à prassina, æruginosa, aut sincero humore prodierit: si tamen symptoma sit alicuius febris, vt grauis censenda est, auget enim morbum vigilijs, ac doloribus, & vires longè imbecilliores reddit, quo fit vt periculosa habeatur tum ob id, tum verò quòd mali moris esse febré ostendit. Critica verò in ardentibus salubris, intempestiuè tamen & spontè suppressa, abscessum gignit in lateribus, visceribus, & articulis, & digressionem, ac decessum materiæ, præclusa via inferiore, quo vnius morbi

E in alium transitus fit. Nec periculo caret cui initio biliosus successerit vomitus, quia ortum habet à materiæ copia, & feritate, quæ duas simul partes imbecillas in uadit, & etiam quia in principio vacuatio illa per vomitum (quæ alioqui futura erat præsidiū dysenteriæ) perniciosa est, aut inutilis. Pueris item quia non obediunt, & quia facilè dissoluūtur, periculosa existit dysenteria omnis (excepta ea quam mitem diximus, sine febre, & torminibus, qua pueri diutiùs perstant, & vi uunt, ac euadunt) senibus verò quia magnitudiné cau sæ arguit. Grauis in vniuersum est affectio, vt quæ in colliquationem, tabitudinem, hecticam febrem, malum corporis habitum, & hydropem plerumq; commigrat. Cum hoc tamen cautè est compescenda: nā si intempestiuè id fiat, mirum non est si in psoram, fu

rorem,

rorem, hydropem, & alios grauissimos affectus degeneret, vt in Coacis constat ex Hippoc.

Vt magnos, & grauissimos morbos, ac sæpè mortem: hæc dysenteriæ species minatur, ita profectò maxima diligentia prouidendum est, ne vltra pergat, aut diu duret: immedicabilia enim sunt, quæ ab ipsa succrescunt mala. Quapropter medendi ratione petita à Gal. 6. lib. pop. par. 6. comment. 5. (qui abluere mordaces succos, & oblinire intestina, ac temperare eorũ quæ defluunt acrimoniam iubet) constat omnem huius curationis scopum triplicem insurgere, quorum quilibet suam præstat peculiarem medendi viam, & rationem. Primus sanè versatur circa causam quæ fluit exulceratque intestina: secundus circa ipsorum intestinorum vlcera: tertius verò, & vltimus iuxta symptomata quæ accidunt. A quo tamen prædictorum auspicari principium curationis oporteat, nõ est ita facilè interstinguere: cùm aliàs vnus, & nonnunquam alter præpolleat, & sibi curationem abroget. Quamobrem in hac hæsitatione diligenter morbi tempora considerabis: quippe in principijs, & dum vires constant, & accidentia perferri possunt, atque vlcera nondum cœperunt, solius causæ habenda prouidentia est, posteà verò & vlceri, & dolori diligenter prouidebis. Namque si causa mox à principio negligatur, postmodum vrgentiores sese ostendent vlceris & doloris indicationes, & malum subinde immedicabiliter exacerbabitur.

Iuxta primum scopum, corpus affectum considerabis, vt venari certiùs possis naturam, & conditionem humoris peccantis: in quo tria tibi expendenda succrescunt, qualitas nimirum ipsius humoris, copia, & impetus. Qualitatis verò nomine considerabis humoris naturam, sitne bilis aliquo vitio affecta, atra, vel æruginosa, aut salsa pituita: item cuiusque maiorem, aut minorem acrimoniam, ac mordacitatem, vt cuique pro indigentia subuenias. Præterea copiam humoris venari, nam si maior existat, quam quòd sperandũ sit ex attemperamento, aut diuersione temperari posse, & corrigi, protinus ab eius vacuatione curationis principium auspicari oportet: nullo enim præsidio, in principio morbi, tutiùs impetum compesces, quã euacuata humoris maiori parte.

Sanguinis detractio.

In quo opere diligenter conijcies, an sanguini admixtus sit humor peccãs, vel ipsius sanguinis maxima copia, corpus carnosum graui febre, atque inflammatione, vel iecoris calore oppressum, vel suppressa aliqua sanguinis (vt hæmorrhoidum, aut mensium) euacuatio, consentientibus insuper ætate, & viribus, venam secare citra cunctationem opus erit: moderatiùs tamen quam affectio expostulat, ob assiduam egestionem, & perpetuam vigiliam, ac dolorem. Quo sensu intelligendus est Gal. 1. ad Glauc. & 4. de ratione victus, vbi sanguinis detractionem interdicere videtur, quod in diarrhœa solum eam interdicere est arbitrandum, non in dysenteria, si quis eius verba diligenter consideret. Audaciùs tamen, quam in quouis alio affectu, sanguinẽ mittere poteris, vbi vel febris adsit, vel superueniat continua, vel iecur excalfactũ exurensq; fuerit, vel dysenteria ex phlegmonosa intestinorũ affectione prodeat, siue viscus phlegmone vitiatum sit, siue intestina ipsa ob affluxũ sanguinis, aut bilis: incipiente enim dysenteria, retractionis gratia sanguinẽ quoque mittes. Est tamen differentia, vtra venarũ tundenda sit, humeralis ne, an basilica, vel saluatella: sed ea est obseruanda lex, quòd in suppressis hæmorrhoidibus, ac mẽstruis, ex talo sanguis mittatur: copioso tamen sanguine in vniuerso corpore redundante, à basilica: si tamen reuellere magis placuerit, ab humerali, aut saluatella: vtcumq; tamen fieri debeat, parciùs, & per partitas vacuationes id facito: in pueris tamen, & fæmellis, imbecillibus, vel cucurbita cum scarificatione vteris, vel brachijs hirudines affiges, aut longè parciùs mittes.

Purgandi ratio.

Quòd si vnius tantum succi quantitas iusto maior appareat, nulla vel quàm leuissima expectata præparatione, aut attemperamento, ipsum purgabis: nam huiusmodi humores, tanquam turgentes, & irreparabile malum minantes purgare protinus oportet: ac licet timorosum sit, vt Auicen. refert ventrem soluere supra ventris solutionem, aut per locum affectum affectus causam purgare, præstantius est maiorem copiam subita vacuatione demere, quàm paulatinè facta, ventrem maiori exulceratione perdere. Habet tamen hæc purgandi ratio hoc proprium, quòd eligentibus desideret fieri medicamentis, mox à principio: cæterum ijs, quæ cum hoc, quòd corpus plurimum non turbent, suaptè natura partes comprimere, & roborare habeant, vt educta sufficienti humoris copia, partes deinceps fluxui ineptiores reddantur. Quo fit vt audaciùs quàm nonnulli censent, si hæc medicamenta adhibeas, purgare in dysenteria possis: dummodo conijcias copiosam esse humoris peccantis quantitatem, vt ex oris amarore, & ventris turbatione venatur Hippocrat. id iubens debere fieri 2. popul. parte 6. text. 27. Verendum tamen est, prædicta purgatione copiosa vti in ea dysenteria, quæ ex humoris deterrima conditione, & venenosa qualitate prodit, vel si atrabilares sint humores: quippe hæc corrigi, attemperari, & compesci potiùs, & primò desiderat, & alijs succis, & medicamentis misceri, vt mitescat, quàm vacuari: nequit enim id fieri citra maximum maioris mali periculum, licet post prædictam correctionem, vacuatione etiam opus sit. Scito tamẽ in principio licere purgare non abiecta purgatiua parte pharmacorum, verùm si semel hac via humoris maiorem partem eduxeris, posteà vel tota rhabarbari substantia, vel abiecta maiori parte solutionis, & efficaciæ pharmaci, purgabis. Medicamenta autem huic vsui proficua in biliosis sunt, velut rhabarbarũ, quo nullum est in hoc malo præstantius, à quo purgatio non semel conuenit, sed si res exigit, & vires permittunt, bis terve, aut sæpius, vt consuluerat loco nuper citato Hippocrat. id enim oportet fieri ob perpetuam humoris morbifici generationem. Eiusdem etiam conditionis sunt *cortices myrobalanorum citrinorum*, quæ aut tota substantia in puluerem redacta, & saccharo rosaceo vetusto admixta, vel syrupo rosarum, iterum in bolis compacta, exhiberi possunt, *quãtitate duarum drachmarum aut ʒ. 1. & ß. in pueris verò & fæmellis ʒ. 1. satis est.* Possunt etiam hæc medicamenta leuiter torrefieri, & eadem parum maiori quantitate exhiberi dissoluta in aqua plantaginis, aut capitum rosarum: neque credẽdum est, vim propriã efficacia ignis amittere, & acrimoniam acquirere, vt nonnulli arbitrantur, siquidem nobis non est in animo eorum medicamentorum formam vstione corrumpere, sed solũ quod in ipsis mordacius, & tenuius est, leui igne dissoluere: quapropter non licet eadẽ vrere, sed moderatè calfacere, ac postmodum aqua rosarum irrorare, quo vtiliora reddes. Prosunt etiã eadem si infundas in prædictis aquis, & leuiter expresseris, ac proiecta parte solutiua, scobem, seu recrementa potrexeris, in boli forma coacta cum syrupo rosarum siccarum, aut myrtillorum. Quas sanè medicamentorũ formas non primo accessu porriges, vt multi consulunt, sed cùm in animo est leuiùs purgare, & pressiùs comprimere: nam primò morbi insultu, & vbi suspicio est de obstructione, aut descensu mucaginum ad intestina, tunc quidem expressioni ʒ. 1. rhabarbari infusi in aqua cichorij adijcere oportet expressionem ʒ. ß. agarici trochiscati infusi in succo rosarũ: nec desunt qui loco agarici, carthami ʒ. 2. in sero lactis infusi, aut syrupo rosaceo solutiuo adijciẽdã esse cõsulãt. Procedente tamẽ morbo infusioni ʒ. 1. ß. rhabarbari, pulueris corticũ myrobalanorũ ʒ. 2. adijciunt, aut ℈. 1. pulueris eiusdẽ rhabarbari. Postremò tñ ad ipsius

& corticum myrobalanorum substantiam, vt primò dictum est, deuenire oportet, siue puluis solus in forma boli exhibeatur, siue leuiter torrefactus, aut mediocriter post infusionem expressus, admiscereque opus erit syrupo solutiuo è rosis Hispanis, aut sero lactis, vel aquæ portulacæ, aut plātaginis. De salsa enim pituita quatenus ad purgationem attinet, pari lege subaudiendum est, cæterum diuersis medicamentis: cuius naturæ est agaricus cum modico rhabarbaro, aut myrobalanis, maximè emblicis. In quem vsum *℞. corticum myrobalanorum citrinorum, emblicorum, & chebulorum, ana ʒ. ß. agarici trochiscati ℈. 2. syrupi solutiui rosarum ℥. 2. aquæ plantaginis ℥. 1. & ß.* Considerabis in pituitæ salsæ purgatione, sit ne facta pituita per putredinem, vt in plerisque febrium diuturnarum (aut acutarum quibus adiuncta sunt in venis pituitosa recrementa) contingit: quippe tunc frequentiùs purgabis, eo nimirum vsque dum omne putridū extraxisse compereris. Verùm si constiterit ex serosæ substantiæ admissione pituitam ortam fuisse, renes adeò purgabis, & vreticis vteris, donec coegeris ipsos auidiùs serosam substantiam attrahere, & perfectiùs sanguinem purgare. At si ex amari permistione fiat, purgabis quidem, sed medicamentis quæ & bilem educant, & iecur roborent, adhibitis maiori diligentia quæ iecur ipsum, ac venosum genus attemperent. Verùm si ab atra bile prodierit dysenteria, eadem proderunt medicamenta, commixta tamen confectioni Hamech simplici, vel conseruæ violarum cum pulueribus foliorum senæ: prodest & serum lactis cum eisdem folijs in eo infusis, polypodio, & epithymo, addito syrupo ex infusionibus violarum, & succo è rosis Hispanis. In hac etenim non ante purgare aggredieris, quàm humorem cognoueris, vel mistum mitioribus succis, vel medicamentis attemperatum: vereri enim oportet ne ex fluxu perniciosi huius succi sæuiora fiant vlcera, cancrosa, & incurabilia. Quòd si constiterit dysenteriam popularem esse, ac suspicio fuerit virulentæ materiæ, tunc quidem purgantibus addere oportet cornu ceruinum crematum, & elotum: item cornu monocerotis pondere ℈. 1. quem quoque vsum præstabit puluis margaritarum pręparatarum, lapidis bezoar, de gemmis, diamargaritonis frigidi, vel terræ lemniæ, boli Armeni, & similium, quę præter id quòd venenis aduersantur, quodammodo vires habent cōpescendi impetum fluentis humoris.

Deposita igitur, vel omnium humorum copia, vel vitiosi, & redundantis, tunc quidem ad eius, quod superest, attemperamentum, & correctionem, deuenire consulit medendi ratio. Nequit enim natura perferre vitiosi huius succi compressionem, aut retractionem ad aliam partem, citra eius attemperamentum, & correctionem: sed primò considerandum vbi est, graciliora ne, an crassa intestina oblæsa sint: nam in his, per ea quæ per sedem inijciuntur, potiùs oportebit attemperare; at in illis, per ea quæ per os sumuntur; licet aliquando per sedem quoque aliquid immitti possit. Quapropter mox ab expurganti pharmaco (aut si eo non sit opus, quòd quantitas non expostulet) humoris acrimoniam, & mordacitatem corrigere, frænare, atque mitigare opus erit: sic biliosis succis prodest syrupus intybi, cichorij, portulacæ, violarum, rosarum, nenupharis, & papaueris, cum aqua plantaginis, hordei, violarum, cichorij, ferrata, deaurata, argentata, aut cum lacte seminum omnium frigidorum. Præstat etiam serum lactis, ptisana, amylum, & vltimò lac ipsum caprillum chalybeatum, aut vstulatum frustis alabastri ignitis, vel cum quarta parte aquæ feruefactum, si febris, aut putredo adsit, aut si refrigerare impensiùs velis, addita etiam seri lactis quarta parte, vel aquæ portulacæ. Quibus etiam vteris ad compescendam pituitæ salsæ acrimoniam, sed maximè mucilaginosis, vt ex psyllio, seminé citoniorum, & lini: sed præstantius est, quod ex radicibus buglossæ, & borraginis per leuem decoctionem educitur. Quæ sanè vsus quoque humoribus prodesse poterunt, præcipuè tamen virulenta omnia, pręsertim si carnes pullorum, anatum, & tenerum porcellorum incoxeris extremitatibus adiunctis, cum violis, hordeo, portulaca, borragine, & similibus, quæ gelatinum ius efficiunt, quod cum sacchаro præstitum, vstorum acrimoniam frænat, & impetum coercet. Per aluum enim clysmatis iniectis id quoq; opus exequendum venit: refrigerant enim, attemperant, & horum acrimoniam retundunt clysmata, quæ fiunt ex ptisana, aut aqua calida, vel hydrelæo ex rosaceo: conficiuntur etiam ex decocto hordei, corticum cucurbitæ, lactucæ, scariolæ, florum violarum, nenupharis, & borraginis, cum oleo rosaceo, & sero lactis, cum aqua etiam chalybeata, ac expressione seminum frigidorum cum succo portulacæ, vitellis ouorum, & saccharo albissimo.

Humoris fluxus medela.

Mansuetiori minoreque facto humore, tunc quidem eius impetum compescere opus erit: sæpè enim exulcerata pars deterior redditur ex continuo affluxu, licet humor mitioris sit conditionis. Hoc autem opus facies, humorem aliò transferendo, & compressis roboratisque partibus, densioribusque factis humoribus ipsis. Aliò enim humorem transferes sanguine misso, si (vt dictum est) opus fuerit: item expurganti pharmaco exhibito, vel vomitibus, maximè in salsa pituita: nam hac via diuturnas dysenterias curari conspeximus: sudor etiam excitatus plurimum prodest viribus valentibus, balneo, aut suffumigio ex rebus adstringentibus. Sed pręcipuè humoris impetum frænabis ijs quæ adstringant, & comprimant, ac humores densent: quod sanè cautè facies, ni velis longè maiorem efficere erosionem: tanto enim his minus vteris, quanto constiterit humorem esse crassiorem, ac viscidiorem, quo certum est, maiores fieri abrasiones. Quapropter liberaliùs vteris adstringentibus, & densantibus, vacuata maiori humorum parte, & residua mitiori facta: quo tempore à leuioribus initio sumpto, ad validiora prorsus deuenies, ac lenientium aliquid admiscebis, & nonnunquam refrigerantium modicum: nec non ea quæ vrinas mouere nata sunt. Quippe vbi salsa pituita ex serosa fit substantia, his quæ vrinam moueant longè citiùs sanescunt, quàm adstringentibus, aut alio diuersionis genere. Sed expędisse in adstringentium administratione oportet, ea potiùs proficua fore per os sumpta, quam per clysteria, ni cessante iam fluxu, corroborationis, & agglutinationis gratia. Præstant tamen prædictum vsum potio omphacomelitis, syrupus de agresta, de myrtillis, de ribes, succus mespilorum, citoniorum, prunorum syluestrium, coquantur succi, & sacchаro rosaceo ad misceantur, cui adde aquæ plantaginis, aut capitum rosarum, & mastichis modicum. Verùm si à leuioribus initium velis sumere, primò aquam hordei, vel oryzæ torrefactæ, vel loturam amyli cum syrupo rosaceo porriges; postea cum syrupo myrtillorum, aut de ribes, vel cum aliquo ex prædictis succis, vel aqua deaurata, aut ferrata, cum mastiche, & syrupo de rosis siccis, vel de agresta. Quibus vt simul materiam mitiorem reddas, *addes amyli modicum, tragacanthi ʒ. ß. terræ lemniæ, aut boli: item pulueris rosarum, coralli, myrtillorum, crystalli, diamargaritonis frigidi, vel margaritarum præparatarum, aut electuarij de gēmis ℈. 1.* Quòd si velis simul ampliùs comprimere, & humores crassare, *aluminis triti gr. 6. porriges cum ouo sorbili, vel pumicis tenuissimè triti. Item succum radicis symphyti pondere duarum drachmarum, aut puluerem eius.* Præstant pira, & poma, ab interaneis mūdata, & plena cera; vel carnes assas cera oblinire, aut intra vētrē auium, quæ assantur, recondere. Quæ præsidia si obstructionis suspicio sit, suspecta quoq; existunt. Tāquā

pecu-

peculiare etiam secretum nonnulli consulunt *radicis filipendulæ ℨ. 1. contritam, & in ouo sorbili præstitam*: item vinum austerum vbi pituitæ aliquid redundauerit, cum saluiæ decocto. Præstat etiam *lac vstulatum cum ℨ. 1. stercoris canini*, aut in quo radices quinquefolij, consolidæ maioris, aut filipendulæ, & similia coxerint. Laudatur oui vitellum aceto feruefactum: item semen eupatorij, in vino datum, aut aqua plantaginis, maximè tostum: item radices quinquefolij decoctæ in lacte, vel deploratis prosunt: polygoni succus, si febris non adsit, succini puluis cum aqua myrti, vel cydonij exhibitus prodest; vel *gummi Arabici, sanguinis draconis, hypocistidis, anà gr. 8. cum syrupo myrtino*. Eundem quoque vsum præstant trochisci ex corallo, spodio, succino, terra lemnia, eupatorio, rhabarbaro, aut de absynthio. Item *coagulum leporis, vel hœdi ℨ. 1. cum vino veteri, vel aqua mastichis, vel succo plantaginis*. Fertur etiam prodesse *puluerem factum è turture, cum bolo Armeno, sanguine draconis, & mumia, contusa vasi testaceo bene lutato indita, & ita cremata, cuius datur ℨ. 1. ex lacte ouillo cocto*: sed hanc potionem expertus sum valdè vtilem; q. ℞. *syrupi papaueris ℥. 1. syrupi de rosis siccis ℥. ß. diamargariton frigidi ℨ ß. eboris ℈. ß. aquarum plantaginis, & caudæ equinæ, anà ℥. 2.* Conferunt etiam conserua rosarum cum aliquo ex prædictis puluenbus, maximè cũ corallo, terra lemnia, bolo, & pulueribus electuarij de gemmis: item cydoniatum cum succo symphyti; succus portulacæ cum puluere, q. ℞. *seminum rosarum, oxalidis, plantaginis, & portulacæ, anà ℈. 1. corallorum rubeorum, & cornu cerui vsti, anà ℨ. 1. amyli, tragacanthi, anà ℨ. ß. quæ omnia cum sacchare rosaceo vetusto præbere poteris*; vel succum cytoniorum cũ pastillis de succino, ex quibus, & succo polygoni facti boli mirum in modum prosunt: *item micletæ ℨ. 1. cum pulueribus mori, vuæ acerbæ, aut mori rubi desiccati, & in puluerem redacti*. Prosunt & poma cocta vino rubro, vel aqua, cum puluere aliquo ex prædictis, aut boli, vel sanguinis draconis, mumiæ, balaustiorum, gallarum, hypocistidos, thuris, & similium. Præstant & ossa femoris vituli trita: alumen in succo plantaginis dissoluitur, in eo linteolum immergitur, siccatur, & fit puluis vtilissimus. Quibus sanè omnibus tanquam peculiare præsidium, multi ex authoribus arbitrantur ex vsu esse aliquid diureticum admiscere, vt non solùm fluxus compescatur, sed ad alias etiam sedes deriuetur, qualis naturæ sunt aromata, & quæ tenuium sunt partium: quapropter nõ erit ab re aliquid cinnamomi, aut fœniculi, aut seminis petroselini, vel meu addere, vel aliorum quæ id posse diximus. Sed inter cætera præsidia, à doctissimis etiã viris ratione, & diutino, ac fidissimo experimento firmatum proclamatur frequens aquarum thermaliũ, quæ potentiam habent refrigerandi, vsus, ita vt in potu, & ad cocturam alimentorum, & per clysteria, mirum in modum prodesse referant. Censeo potiorem esse eam aquam quæ in ferri, argenti, vel auri fodinis reperitur, sed in earum vsu, maxima ventriculi habenda est prouidentia.

Clysteria. Hunc etiam vsum adstringentia clysteria præstãt, sed non æquè tuta sunt, ac potiones, quapropter clysteribus admiscere quæ adstringunt, neque temere, neque cuique tentare licet, cùm pressiùs quæ erodũt eis adhibitis, adhæreant intestinis, maioremque subinde exulcerationem, & maiores cruciatus concitẽt. Retulimus enim in vsu administrandorum clysterium lib. de recto præsidiorum vsu, hæc verba ex Galeni mente: Si vlcera sint inflammationis expertia, idem genus ablutionum erit accommodatum: verũ vis adstringendi erit parum intendenda, non tamen multo maior esse debet, quandoquidem in his quoq; adstrictio modum excedens, mordicationem affert, & vlcera prorritat, & eo adigit, vt vel inflammentur, A vel humectentur. Neque dubitandum etiam est in dysenteria, ex inordinata clysterium administratione, hæc & maiora mala oriri posse, nam crebra refrigerantium iniectione ob intestinorum continuitatẽ, ventriculus quoque refrigeratur, quod & flatuũ multitudo, & cruda excrementa commonstrant. Quod etiam damnum adaugent, qui potiones, & electuaria his admiscent, quæ refrigerando adstringunt, & passim, ac sine methodo dysentericis exhibent, non aduertentes diminui assiduo fluxu ventriculi calorem amplius, ob idque extingui, & coctionem interturbari. Quo fit vt non expediat hæc, nec adstringentia dysentericis temerè adhibere, nisi calfacientibus, & cõcoctorijs castigata, quod veteres illos sapientissimos B in suis ad dysentericos medicamentis fecisse cõstat: in quibus, vel mentham, absynthium, hyssopum, acetum, fœniculum, anisum, daucum, nardum, cinnamomum, cassiam, crocum, thus, vel myrrham, aut mastichem adiunxerunt, nisi vlcera adeò computrescant, vt firmandi carnem gratia, atque roborandi, adstringentia adiungere sit necessum. Administrabis igitur adstringentia clysteria, primò temperatis, lenientibus, & anodynis admixta, vt prolabens materia temperetur, simulque doloris inclementia mitescat, & pars ineptior ad recipiẽdum fiat. Cui vsui clysteria conficies ex decocto oryzæ, & hordei torrefacti cum sacchare, & oleo rosaceo omphacino: conficies etiam ex lacte vstulato lapillis, aut frustis alabaC stri, vel chalybe, ignitis, cum oleo myrtino, aut succo polygoni. Verùm quia ex adstringentibus, alia sunt calida, & alia frigida, fluentis humoris ideam considerabis, vt pro eius indigẽtia hæc, aut illa admisceas: sunt autem calida nardi spica, absynthium, cinnamomum, cariophyllus, calamus aromaticus, lignum aloes, mastix, thus, manna thuris, aloes, myrrha, aristolochia, gentiana, enula, styrax, propolis, saluia, caseus inueteratus, coagulum leporis, & huius census alia, quibus non deest, vt ex Galen. constat, sua trahendi efficacia, vt cautè eis studeas vti. Frigida verò sunt vitis capreoli, arnoglossum, rubus, myrtus, balaustiũ, malicorium, rosa sicca, sorba, pruna siluestria, pira, mespila, galla, berberis, acacia, hypocistis, terra sigillaD ta, hematitis, bolus Armenus, sanguis draconis, coriãdrum in aceto maceratum, Karabe, corallum, margaritæ, cornu cerui, santali, spongia, interior tunica ventriculi gallinarum, & denique alia intensiùs infrigidãtia, vt portulaca, lenticula palustris, semperuiuum, polygonum, sigillum, radix filipendulæ, lactuca, vmbilicus veneris, cauda equina, oxalis, violaria, cucurbita, & papauer. Quorum, pro indigentiæ ratione, prædictis clysteribus aliquid addere poteris, vel succi eorũ, vel pulueris, vel decocti cum oleo rosarum omphacino, myrtino, mastichis, vel absynthij: quorum formã sic facito: ℞. *hordei integri, & rosarum rubearum, anà p. 1. fiat decoctio cuius accipe ℥. 10. & adde syrupi rosarum ℥. 2. sacchari rubri ℥. 1. succi polygoni ℥. 1. & ß. vi*E*tella ouorum num. 2. hoc enim præmisso vteris eo quod recipit hordei torrefacti p. 2. tapsi barbati cum radicibus linguæ passerinæ, plantaginis, & foliorum myrti, anà p. 1. rosarum p. 2. fiat decoctio, & in lib. 1. dissolue olei myrtin. & succi plantaginis, anà ℥. 1. & ß. sacchari albi ℥. 1.* Aliud etiam conficies, quo vehementiùs adstringes, dum fluxio magis vrget, q. ℞. *radicis consolidæ maioris, & bistortæ, anà ℨ. 1. gallarum, nucum cupressi, anà ℨ. ß. rosarum, florum chameleontis, anà p. ß. fiat decoctio in aqua ferrata, & in ℥. 10. dissolue succi polygoni ℥. 2. seui hircini ℥. 1. & ß. fiat clysma.* Quòd si velis ex pulueribus, succis, aut decoctis clysteria conficere, hoc modo facito: ℞. *pulueres boli, terræ Lemniæ, aut cuiusuis alterius medicamenti adstringentis, infundeque in succis, aut decocti, & posteà facta expressione, adde ex memoratis medicamentis, quod vsui magis proficuum cognoueris.*

Exteriùs verò ventriculum, & intestina comprimes, roborabis, & arctiora reddes fotibus, sacculis, inunctionibus, & emplastris. Sic enim iecur primò roborabis, quo minus, vel à toto corpore ita facilè recipiat, vel prauè generet, quod efficiunt *ceratum santalinum quantitate* ℥. 3. *cum oleo rosaceo malaxatum:* sed huius conditionis plura reperies capite de iecoris imbecillitate. Ventri enim, quòd facilè ob sympathiam, & continuitatem ab intestinis oblædatur, adhibebis oleum mastichis, myrti, cidoniorum, & absynthij: randem alia quæ capite de imbecillitate ventriculi latiùs scripta reperies. Valet & cataplasma q. ℞. *panis candidi lib.* 1. *absynthij sicci, menthæ, anà m.* 1. *corticis citri* ʒ. 2. *carnis citoniorum* ℥. 4. *corticis mali granati* ℥. 1. *fiat decoctio in vino rubro, & per cribrum mittantur, quibus adde hypocistidos* ℥. ß. *galangæ, nucis muscatæ, cariophyllorum, mastichis, cardamomi, anà* ʒ. 1. *spicæ nardi* ℈. 1. *olei absynthij, & nardini q. s. vt fiat cataplasma,* si fluxio ex pituitosis salsis sit. Præstat & emplastrum diaphœnicon Mesues in fluxione humorum frigidorum, & Alexandri in calidis, & exurentibus, maximè si liquetur oleo de cucurbita: quippe hanc legem in omnium topicorum administratione obseruare oportebit, ne turpiter aberrare contingat. Vngere etiam oportet ventrem, & renes eo, q. ℞. *olei rosarum, myrtillorum, & citoniorum, anà* ℥. 1. *aceti* ℥. ß. *misce* item alio q. ℞. *gallarum, myrtillorum, nucis cupressi, rosarum rubearum, seridis, berberis, anà* ʒ 1. *corticum thuris, coriandri, anà* ʒ. ß. *coralli rubei* ʒ. 2. *fiat puluis tenuissimus qui inspergatur supra inunctionem:* vel fiat hoc linimentum, q. ℞. *pulueris præscripti* ʒ. 3. *olei rosarum, myrtillorum, citoniorum, & omphacini, anà* ℥. ß. *ceræ albæ q. s. fiat linimentum.* Verùm si his, aut sua sponte aluus adeò fiat suppressa quòd nullum excernat alimentorum excrementum, interdum emollientibus vteris clysmatis, quo promptiùs hæc excernantur, ne vlcera ampliùs citra nouam fluxionem irritentur ob excrementorum irritationem, quod sæpissimè solet dysenteriam protrahere.

Vlceris curatio.

Vlceris autem medela (quæ præmissa causarũ prouidentia solis clysmatis perficienda venit) tot sibi vendicat auxiliorum differentias, quot ipsum posse sortiri prauas conditiones certum est. Quippe aliquando vlcus nihil aliud mali sibi habet adiunctum, quàm vitium humoris fluentis: aliquando sordidum factum est: nonnunquam putrilaginosum, ac serpens, & frequentissimè phlegmonosum efficitur: quapropter iuxta cuiusuis indigentiam, præsidium adhibere oportebit. Sic profectò vbi intestina humore dilabente abraduntur, ea solùm clysteria proficua sunt, quæ abluẽdi vires habent, qualia ex decocto hordei cum saccharo conficiuntur, aut ex decocto plantaginis, portulacæ, & violarum cum sacchato. In quo sanè opere fugiendum est à communi, & vulgari Medicorum vsu, qui oleum his admiscent, quo sordidius reddunt vlcus: quo profectò tantum licet vti, dum aut opus est intestina oblinire, aut dolorem compescere. Verum si vlcus sordidum esse constiterit, quod excrementi conditio, & sordities monstrabit, detergentia sunt adbibenda auxilia, simulque acrimoniam materiæ reprimentia: quale est quod paratur ex aqua hordei, aut lacte asinino, quòd copiosum habeat serum, & ob id abstergendi vim, addito saccharo, aut syrupo rosaceo. Præstat & hydrosaccharum, aut si pituita abundauerit, hydromel confectum ex decocto cicerum rubrorum, lentium, lupinorum, parietariæ, furfurum, addito vino rubro ex decoctione betæ, si inflammatio nulla sit: quòd si salis, aut mellis aliquid addere placuerit, id cum lacte, & sero admisce, & in pituitosa, & contumaci dysenteria facito. Præstat & illud, q. ℞. *aquæ hordei lib.* 1. *succi plantaginis* ℥. 3. *syrupi rosarum* ℥. 1. *& ß. vitella ouorum num.* 2. Quòd si fluxionem adhuc perstare compereris, scito opus esse admiscere

A decocti rosarum, plãtaginis, & polygoni aliquid, quo modestiùs fluat deinceps humor. Sic ad vlcera compescenda, & sistendam materiæ fluxionem, parantur varia medicamenta per os sumenda: quorum primũ ℞. *aloes, thuris, consolida maioris, anà partes æquales cum succo plantaginis, misce & præbe* ʒ. 1. valet, & id q. ℞. *seminis psyllij, & plantaginis, anà* ʒ. 2. *gummi Arabici, terræ Armeniæ, anà* ʒ. 3. *misce, & ante cibum præbe* ʒ. 2. Vehementibus torminibus, & in desperata salute prodest trochiscus, q. ℞. *sanguinis draconis, croci, ladani, anà* ℈. 1. *aluminis, gallæ, anà* ʒ. 1. *& ß. acaciæ* ʒ. 3. *terræ Lemniæ, balaustiorum, anà* ʒ. 3. *& ß. caliculorum glandium, seminis acetosæ, anà* ʒ. 1. *seminis psyllij* ℥. ß. *misce cum succo myrti, & porrige* ʒ. 1. Itaque prout materia quæ intestinis hæret, plus minusve B hærens fuerit, eò magis, aut minus abstersio exequenda venit: & sic adstringere oportet magis minusve, prout magis, aut minus impetuosè fluxerit. Fortiora verò abstergentia vereri oportet, vt quæ plurimũ proritare fluxionem, & dolorem concitare sint nata, vel mox alio vteris leniente clysmate. Quòd si abstergere simul, lenire, & adstringere velis, proficuum est, q. ℞. *amyli* ℥. 1. *lactis* ℥. 10. *seri lactis* ℥. 3. *butyri recentis, & sacchari, anà* ℥. 2. *adipis hirci liquati* ℥. 1. *boli Armeni* ʒ. 2. *vitella ouorum num.* 2. Cæterum si vlcera putrida serpentiaque sint, vt ex dolore in varijs intestinorum partibus serpente conijcies, alijs vteris quæ humorem frænare, partem roborare, fluxionemque cõpescere cum attemperatione, nata sint: sed prætermis- C sis causticis medicamentis, quibus antiqui vtebãtur, securiùs conficies ex decocto polygoni, portulacæ, radicis buglossæ, & borraginis, equiseti, plantaginis, lentium, & hordei cum succis prædictarum herbarum, & modico melle, aut saccharo, vel pulueribus maceratis, & colatis in prædicto decocto, ex bolo, terra lẽnia, corallo, cornu cerui vsti, rosis, & malicorio, quibus si vinum rubrum addideris, ex vsu facies. At si aliquando adeò necessitas, & putrilago creuerint (cõstantibus tamen viribus) quòd opus sit ad caustica auxilia deuenire, hoc solo pastillo vteris in aliquo ex prædictis succis, vel decoctis cum vino rubro liquato, q. ℞. *trochiscorum de minio, vel pulueris Ioannis de Vigo quod sufficiat, misceantur cum succo plantaginis,* D *& vino rubro, qui postea diluantur in lacte, aut sero põdere* ʒ. 1. sunt qui *addant* (& optimè quidem faciunt) *singulis eorum drachmis opij gr.* 1. quibus profectò si vti velis, primò porriges laboranti buccẽlam panis aqua frigida, aut lacte madidam, mox inquam ab iniecto clystere, quod prædictum trochiscum (dixerim partem eius) recipiat: longè tamen vtiliùs, & securiùs facies, si solum vtaris trochiscis Andronis in aqua plãtaginis, aut solani dissolutis, & per clysterem iniectis: puluis autem Ioannis de Vigo suspectus mihi videtur, cuius loco vnguento rubeo liquato sero lactis libentiùs vterer. Quòd si vlcus inflammatum sit, seu calidum, vt ex calore partis affectæ in ventre, ac ex febre, & siti comperies, ex lacte, & rosaceo, aut decocto E hordei, & rosaceo, ex succo semperuiui, & rosaceo clysterem parabis: laudat tamen & meritò Trallianus ex succo plantaginis, & rosaceo confectum. Verùm si ab his malis vlcus vindicaueris, protinus studẽdum est ipsum ad cicatricem perducere, hac facta distinctione, quòd in crassis intestinis generanda caro est, in membranosis verò consolidanda. Carnem quidem generabis, clystere primò iniecto, quod abluat, vt ex decocto hordei, & saccharo, aut sero, & saccharo, vel syrupo rosaceo: item ex vino calido austero, mulsa ex decocto hordei, & similium: quibus vt carnem generes addere oportet puluerem aliquem ex sarcoticis, qualis est, q. ℞. *pulueris gentianæ, thuris, enulæ* ʒ. 2. *tetrapharmaci* ℥. ß. *vel prædicto decocto admisce bis terebinthinæ, & butyri anà gr.* 4. quæ sanè medicamenta diutiùs immorari in aluo oportet, quò magis

ope-

A operentur. Consolidant quidem & cicatricem inducunt decoctiones adstringentium, in quibus terræ sigillatæ, boli Armeni, sanguinis draconis, thuris & similium aliquid admiscueris, & ex his alia conficies cum succo plantaginis, portulacæ & oleo rosaceo: quibus addes terræ lemniæ modicum cum oui luteo. Vel sic conficies: ℞. *hordei mundi, lentium depilatorum & tostorum. ana ʒ. 6. balaustiorum, rosarum siccarum. ana ʒ. 4. orizæ tostæ. ʒ. 3. seui caprini ʒ. 6. in aquæ pluuialis lib. 3. lento igne coquito, donec tertia pars supersit, & facta colatura adde rubricæ Armeniacę, gummi Arabici, cerussę, acacię. ana ʒ. 1. cum oui luteo, & vncia vna olei rosacei confice.*

Accidentium mitigatio.

Solent in hoc affectu adeò grauiter & periculosè B accidentia vrgere, vt plerumque ad se omne curantis consilium vertere videantur: inter quæ (præter vigiliam, quæ sedato dolore etiam mitescit) primum locum tenet dolor (nam de tenesmo protinus sum acturus, de syncope verò & alijs actum est satis) cui medeberis primò per clysteria quæ leniendi vires habeant, quæ non solùm dolorem compescunt, sed plerumque indurata excrementa emolliunt, & aliquando (quod in hac curatione frequenter est expendendum) flatus discutiunt, & partes laxant: nam sæpissime dolores à succis crassis eleuato flatu, maiores quàm ab exesione prodeunt, cuius habere quoque prouidentiã summopere conuenit. Primò enim parabis clysterem, q. ℞. *rosarum. p. 1. fiat decoctio in lacte & facta expressione immitte: item rosarum. p. 2. violarum. p. 1. viola-* C *riæ, althea, lactucæ, parietariæ, summitatum anethi, (si flatus adsit) ana m. ß. prunorum. num. 10. hordei integri. p. 1. sem. i :um althea, psyllij & cytoniorum. ℥. 1. fiat decoctio in qua dissoluatur* (si potior sit ratio materiæ, & doloris, quàm vlceris) *butyri recentis, vel olei amygdalarum dulcium. ℥. 2. sacchari aut syrupi rosarum. ℥. 1. & ß. vitella ouorum. num. 2.* Confert mirum in modum ad doloris sedationem id, q. ℞. *acacię, hypocistidos, carnis cydoniorum, sumach, gallarum. ana ʒ. 1. coralli rubri vsti & loti aqua rosacea. ʒ. 1. ß. opij ℈. 1. cinnami, cyperi. ana ʒ. 1. syrupi de rosis siccis quod satis vt fiat opiata in forma solida, ex qua fiant pipulę, quarum prębe. ℈. 1. aut ʒ. ß.* Mitigat etiam dolorem oleum rosaceum, vel lotura amyli vel tragacanthi: ac si flatus D adsint, potes addere decoctum althæ, maluarum, fœnugræci & seminis lini: item prodest *olei amygdalarum dulcium. ℥. 6. mucaginis seminis psyllij & cytoniorum extractę in lacte ℥. 3.* Prosunt & iura pinguia extremitatum animalium, aut carnis gallinarum cum butyro aut adipe anatis, ac hordei cremore. Commendat Rasius clysterem ex lib. 1. olei rosarum cum mucagine seminis psyllij: item *lactis lib. 1. seui hirci. ℥. 2. butyri recentis. ℥. 1. syrupi violacei. ℥. 1. & ß. vitellis ouorum. nu. 2.* Verùm si dolores fuerint vehementes, narcotica etiam addes vt hyoscyanium, capita papauerum viridium in quauis prædictarum decoctionum, *vel opij. gr. s. aut 2.* Item noctu dum laborans it dormitum porriges *syrupi papaueris. ℥. 1. & ß.* E *syrupi rosarum viridium aut siccarum. ℥. ß.* porriges etiam *philonij. ʒ. ß. aut ℈. 2.* & tandem omni diligentia curabis dolorem lenire & somnum cõciliare: sed maiori diligentia curandum est, vires reficere proba victus institutione iusculis & edulijs optimi & facilis nutrimenti constituta. Sic pullorum, perdicum, turturum, vituli, & aliarum carnes assas aut elixas porriges, & iura expressa ex earum carne macerata: prodest & succus carnis assæ, præsertim caponum aut gallinarum cum modico iure auium & pauco succo aranciorum: Item porriges amylum, panatellam, gallinarum hepata, oua sorbilia, & reliqua huius census. Quo casu non displicebit modicum vini nigri vetustioris porrigere, aut albi, sed diluti aqua ferrata, aut deaurata.

CAPVT XIII.

De Tenesmo.

Est huiusmodi passio finitima dysenterico affectui, quæ nihil aliud est quàm frequens, & inanis excernendi cupiditas: symptoma quidem quod tantùm pertinet ad rectum intestinum, in quo non minus, quàm in dysenteria, morbus in vnitate soluta consistit: cæterum illi succrescit frequẽtissima ad excernendum cupiditas citra manifestam excretionẽ, præter sanguinolentum quendam mucorem. Itaque ex materiæ vitio prodit, sicuti in dysenteria, exulce- B ratio, morsus, & irritamentum naturæ ex particulæ verò natura, frequentissima egerendi cupiditas: insitum namque est illi membro excretionem moliri, quemadmodum et ori ventriculi appetentiam: et ob id cùm humor salsus, acris & mordax vtrasque partes obsidet, in ventriculo ingentem attrahendi cupiditatem infert, in recto intestino tenesmum, hoc est excernendi implacabilem cupiditatem. Prærequirit aliud peculiarius causa quę hoc symptoma excitat, nimirum fixionem & permanentiam in eadem parte: nam si facilè labatur, consuetam egerendi cupiditatem tantùm infert, non morbosam: quo fit vt licèt flaua bilis & omnes eius naturales aut præter naturam species, ex propria natura aluum excitare ha- C beant, nihilominus tamen tenesmum rarò efficiunt, quia præ tenuitate & fluxibilitate non immorantur in parte, nisi osculis vasorum ad eam partem conscẽdentium inhæreant: quod contingit, cùm ex nimio conatu sanguinis guttas excerni conspicimus, reseratis osculis vasorum præ humoris acrimonia: & ob id necessum est, humorem hoc malum effecturum, crassitiem, lentosem, aut viscidiratem aliquam sortiri. Quapropter constat salsam pituitam, bilem atram, aut flauam dum pituitæ commiscentur, vel crudos succos, putridos & vitiatos, qui lentore inhęreant & operentur, id efficere. Cum hoc tamen ex vehementissimis dysenterijs sæpissime superest, aut eisdem comes it: nam recto intestino exulcerato à dysenteriæ D causa, quiuis humor superlabatur, insolito more irritat facultatem, propter præexistentem exulcerationem, quòd humor sua sponte nequiuisset efficere. Quem affectum etiam sæpissime lumbricos, ascarides nuncupatos, efficere comperimus, morsu vel pruritu frequentissimo. Difficilior proculdubio alter tenesmus succrescit, nimirum dum vesicæ calculus, aut parastatum inflammatio inest. Dimittimus etiam tanquam externas seu euidentes causas, vlcus musculi claudentis vesicam, hæmorrhoides, & frigiditatem extrinsecus coccursantem. Præstant & causam medicamenta acria, flatus, et stercus durum: neque credendum est, hunc affectũ semper exulceratione prouenire, neq; in quauis intestini recti parte, sed E solùm à podice interiùs: nam rimæ, aut fissuræ, seu rhagades ani, quantumuis plures aut grandes sint, non inferunt tenesmum, nisi in ea parte existant vbi desidendi cupiditas sita est, paulò quidem superiùs à podice: quo fit vt ani rhagades hunc affectum non excitent.

Signa.

Affectum prædictum dignoscere adeò facile est, vt signis opus non habeamus, licèt necessum sit, eius symptomata diligenter intueri, nam iuxta eorum grauitatem & deterrimam naturam licebit certius boni vel mali aliquid in eo vereri, aut sperare: nam præter dolorem non leuem quem ea parte natura patitur, adest & vigilia, animi exolutio & virium non leuis lapsus: item vrinæ stillicidium & ani procidentia, quę grauius malum ostendunt, prętérquam quòd grauidis omnibus offensissimum esse experimento didicimus. Causarum verò distinctionem docent ip-

sa

sa excrementa quæ excernuntur: pituitosum succum A inuiscatum prædicto loco nosces ex maiori conatu & exiguis excretionibus: biliosum, ex maiori mordicatione, cum qua excernitur quid acre cũ pruritu: secum duntiem monstrabit, ipsas diu fuisse retentas: vlcus, pus cum excrementis prodiens: lumbricos ascarides, ex visu: flatum, ex rugitu & tensione: tumorem præter naturam, ex febre & dolore partis grauatiuo aut pulsatili: per consensum fieri ab alijs partibus; monstrabit earum proprius affectus, sicut frigiditatem, causa externa quæ præcessit.

Curandi ratio.

Curandi igitur ratio varia proculdubio existit, quemadmodum variæ sunt causæ quæ huiusmodi affectum excitant: nam præter inflammationem, quæ B peculiarem desiderat curandi rationem, sanguine misso & laxantibus medicamentis, siue vlcus sit, siue quæuis alia ex memoratis, si affectus adhuc sit, causa præsente operante, necessum est eandem auferre & illidere, iuxta leges in dysenteria adductas. Verùm si causa frigida quæ nuda dissempenes sit, vel cum materia causam præstiterit, post corporis prouidentiam si ea opus sit, calorifica omnia auxilia adhibenda sunt, veluti fotus, insessiones ex vino maximè rubro, aut aqua, et suffumigia herbarum calidarum aut aromatum, velut est anethum, chamæmelum, fœnumgræcum, semen lini, & huius naturæ alia.

Cæterum dum humores huic affectui causam præstant, triplex est curandi ratio: prima quæ humores C peccantes respiciat: altera quæ partem leniat & præparet, quo minus recipiat, aut ex humore recepto lædatur: tertia verò & vltima quæ sensum partis stupefaciat. Circa primam nosse oportet, humores peccantes esse in duplici differentia, quosdam in toto corporis ambitu, qui per partem illam affectam paulatim expurgantur, quosdam verò particulæ inhærentes. Primos, si plenitudini iungantur, sanguine misso extrahere oportet: sin aliter, haud secus quàm in dysenteria expurganti medicamento educes: quo casu etiam vomere, aut balneis aquæ dulcis vti, vel sulphureis in pituitosis corporibus perquã vtile experimur. Qui verò in parte affecta immorantur, temperandi sunt & mitiores reddendi, ac pari lege extergendi: D mitescunt clysmatis ex lacte, oleo, amylo, & vitellis ouorum; vbi tamen pruritus adest, mucilaginibus vteris, & meliciato ex hordeo & saccharo: in frigida verò causa fouebis vino calido & euaporationem eius porriges, maximè si incoxeris flores chamæmeli, anthos, stœchados, pulegium & similes, quæ vires habent calfaciendi. Item partem inunges & vicinas omnes oleis calidis & actu calentibus, maximè si in eis ferbuerit semen angelicæ, dauci, anethi, cymini, & cinnamomum. Quòd si hæc non profuerint, ad suffumigia te conferes, quæ fiant ex pice cum semine rutæ, anisi, fœniculi & cumini. Prosunt & sacculi cum vino calido parti appositi, ex milio, furfure, & ruta: tandem partem exterges, atque à pituita mun- E dabis clysmatis ex melle rosaceo & aqua hordei: extergunrur & expurgantur clysteribus ex decocto hordei, melle, saccharo, alumine, sale & huiusmodi. Calore autem vigente cum affluxu aut secus, ex oleo rosaceo, violaceo, sero & saccharo aut syrupo rosaceo; ex lacte item & butyro cum saccharo, aut melle rosaceo & vitellis ouorum. Quòd si dolor simul vrgeat, insessus in iure extremitatum arietis in quo ferbuerint maluæ, althæa, cum rosis & violis proficuus existet: si tamen ardor creuerit, addere oportet quæ citra adstrictionem refrigerent, vt cucurbitam, solanum, cucumeris aut melonis ramenta. Quibus præmissis, maximè si pars detersa conspiciatur, constringentibus roboranda erit, vt decocto rosarum siccarum, hordei, corticum granatorum & myrtillorum: vel ex eis facito sacculum, & madidum aqua calida parti appone. Quòd si his factis adhuc affectus perstiterit,

A medicamentis vtendum est, quæ partem leniant, qualia sunt quæ in frigorifica causa diximus, nam hæc actuali calore & humiditate partem dilatant, & humores adhærentes faciliter separant: quem vsum mirto modo præstant præter dicta, sacculi ex herbis nuper adductis, modo vino calido, modò aqua madefacti, iuxta causæ ipsius naturam & conditionem: præstat & vitellum oui vsque ad duritiem cocti, ano appositum: conferunt inunctiones ex vnguento rosaceo, ex oleo amygdalarum dulcium, sesamino, aut de semine lini.

Quòd si hęc omnia prodesse non videantur, ad vlcerum curationem te conferes, & præter ea quæ dixi- B mus capite de dysenteria, vteris vnguento, q. ℞. *olei rosati, & mellis rosati, ac ceræ. anà ℥. 1. pulueris lithargyri. ʒ. 3. mirrhæ & zingiberis. anà ʒ. 1. & ß. fiat vnguentum*, quod mirum in modum huius loci vlceribus prodesse comperimus: ex vsu quoque est vnguentum pompholygos hydromelite liquatum: item id q. ℞. *cerusæ. ʒ. 1. mucaginis gummi. Arabici extracta in aqua rosarum. ℥ ß. corticis thuris. ʒ. 1. olei rosarum quod sufficiat vt fiat linimentum*: præstat & aliud, q. ℞. *mucaginis gummi tragacanthi & psyllij. anà ℥. ß. aloes lotæ. ʒ. 1. & ß. olei rosarum quod sufficiat vt cum modica cera fiat vnguentum*.

Quòd si hæc non profuerint, ad narcotica preuenire oportet, quæ parantur ex modico philonio Ro- C mano, *aut gr. 1. opij excepto vitello oui*, & ano apposito, vel aliquo ex prædictis oleis dissoluto, & cum modico croco, dictæ parti etiam adhibito: quem quoque vsum præstant somnifera omnia, quæ præcedenti capite diximus. Quòd si ad vehementem conatum ani procidentia subsequatur, vino calido ablues & leuiter manibus in suum locum repones, & suffumigijs ex pice firmabis, necnon & sacculis ex rebus adstringentibus, & vino etiam adstringenti madidis. Atque hæc est methodus curandi huiusmodi affectum, ad cuius exequutionem, varia apud authores practicos reperies auxilia, quæ si prædicta methodo præstiteris, laboranti ex vsu facies.

D

CAPVT XIIII.

De hepatica dysenteria, & reliquis cruentis excretionibus.

LIcèt omnem cruentam excretionem quæ per aluum fiat, Medici dysenteriam appellant, re vera solum quæ ab vlceribus & abrasione intestinorum sanguinolenta prodit, talis nuncupanda est, reliquas verò pseudodysenterias potiùs dixeris, vna excepta, quæ peculiari nomine donata, hepatica dysenteria dicitur. Quas omnes vt exactè nosse & distinguere possis, scito, præter legitimam & veram dysenteriam, cruentarum excretionum per aluum, quinque appa- E rere differentias: prima quidem, licèt à toto corpore vel ab aliqua particula prodeat, minimè (vt reliquæ) intestinis communicatur, etiam si per podicem excernatur sanguis, sed ab hæmorrhoidibus prosiliens, citra ventris læsionem aut transitum per ipsum visitur, à cruentis intestinorum excretionibus iure optimo ablegenda: tum propter adductam rationem, tum quòd sanguinis etiam natura ab alijs dissideat, quòd in hac splendens sit, & facilè concrescat, in alijs verò secus, ac si aliquando concreuerit, non tamen in eius concretione apparet serosa illa humiditas, quæ in sanguine hæmorrhoidali & fæculentarius succrescit: & ne nos sub specie hepaticæ dysenteriæ decipiat, sciendum est, ab hæmorrhoidibus sine ventris rugitu exire, in alijs verò non citra eum. Secunda autem & verior est, ea alui sanguinolenta fluxio, in qua, quæ per aluum excernuntur, purum sanguinem repræsentant, qualis ex mactata victima (vt Galen. scribit) citra vl-

lum

lum vitium prodire assolet. In tertia verò sanguis excernitur fæculentus, niger crassusque, qualis fæx sanguinis aut amurca est: quam sanè excretionem inter hepaticas dysenterias, licèt impropriè 3. aphor. Gal. & alij annumerarunt. Quarta autem ea est, quæ sanguinolenta quoque existit, secum tamen defert biliosorum aut prauorum succorum nõ paruam copiam, quam dixit Hippocrat. lienosis aut maniacis prodesse, & nos ex iecoris colliquatione sæpe vidimus, nec non ex sanguinis vstione & feruore, quæ sæpe adeò est copiosa (non solum per ventrem, verùm & vomitu per ventriculum excernitur) quòd incredibili celeritate hominem perimit, aut in languorem & tabem immedicabilem defert: quam vt sextam constituimus. cap. de dysenteria. B In quinta autem & vltima, & quæ vere hepaticam constituit dysenteriam, sanguis etiam excernitur, cæterum adeò aquosus, dilutus & fluidus, vt nihil aliud repræsentet, quàm aquam cui parum sanguinis addideris: quam equidem excretionem, simillimam esse refert Galen. loturæ carnis recenter mactatæ. Quas sanè differentias si quis attentè & diligenter expendat, reperiet proculdubio non modò inter se differre, sed & causa & mille alijs rebus, quæ non solùm cognitionem veram, sed curationem multis numeris differre efficiunt: quæ omnia clariùs disces, si cuiusque seorsim tractationem scripsero, prætermissa quæ ab hæmorrhoidibus prodit.

Sanguinis naturales profluuij natura, & causa.

Ea enim in qua sanguis naturalis excernitur, ab alijs omnibus euidenter distinguitur colore, consistentia, C substantia, quantitate, & occasione fluendi. Est igitur in huiusmodi dysenteria sanguis flauus colore, consistentia mediocris, quantitate tamen immodicus. Fluendi quidem triplicem habet occasionem: prima sanè est iecoris natiua intemperies admodum calida, quæ cùm natiua sit, & corpus non dissipet, commissum sibi alimentum ad portionem caloris & substantiæ iecoris totum ferè in sanguinem vertit: atque cùm corpus adeò copiosam quantitatem conterere non possit, quod superest, melioris gratia per intestina fundit natura. Secunda occasio est, defectus alicuius membri: quippe ea quantitas quæ præstatura erat alimentum membro deficienti, citra vllam vtilitatem superabundat: quo fit vt natura id per D intestina vtiliter transmittat. Tertia verò & vltima est, alicuius sanguinolentæ excretionis suppressio, vel exercitij aut laboris consueti intermissio: nam quibus intempestiuè menstrua aut hæmorrhoides supprimuntur, vel quiuis alius consuetus vel vtilis sanguinis fluxus, mox succrescit huiusmodi vacuatio, qua à redundante illo sanguine natura sese exonerat. Sic dũ consuetum exercitium quod vberrimam sanguinis copiam conterere assuescit, intermittitur, accedente vita sedetaria, ociosa, & crapulis dedita, mirum non est, si vt maius damnum inhibeat natura, per intestina pellat quod redundat. Profluit etiam læso hepate, rupta aut aperta vena: quo tempore non solum per secessum, verum & per vomitum vberrimus profundi- E tur sanguis, ita vt pauci sint qui ab hoc damno superstites euadant, partim ob vberrimum fluxum, partim verò quia ex concreto in ventriculo sanguine, animo delinquunt laborantes & commoriuntur, partim etiam quia in hydropem & difficilem respirationem sæpe degenerant.

Signa.

Nosces autem qualis prędictarum causarum hunc affectum excitet, interrogatione facta, an euacuatio aliqua fuerit suppressa: item ex intuitu venaberis defectum mutilati membri: prætereà ex interrogatione disces, ceciderit ne laborans, aut percussus fuerit, an aliquod graue onus sustulerit, quo vas aliquod fuisse diruptum, vel sauciatam aliquam venam in iecore, comperies. Quòd si hæc omnia defuerint, facile erit cognoscere, vitium omne regerendum fore in iecur ipsum, maximè si accesserit hominem esse me- A diæ ætatis, boni coloris, quadrati habitus & in reliquis sanum.

Curandi ratio.

Medebimur huic affectioni, dum ex suppresso sanguine prodit nimia vbertas, facta ad extima membrorum distractione vinculis, cucurbitis, frictionibus & aliquando crurum & brachiorum lauacris. Si verò quantitas ea quæ per aluum excernitur, respondeat suppressæ & consuetæ vacuationi, permittenda est, quandiu fluendi consuetudo suppressa permiserit: si tamen vel diu durauerit, aut prædicta auxilia non sint satis, antiquam & consuetam vacuationem reuocare oportet, aut iuxta partem qua fluere assueuerat, fontanellam aperire, qua se tueatur natura à redundantia. Itaque si æqualis commoditatis fuerit, B tunc quidem permittendus est hic fluxus; sin aliter, reuocata antiqua fluxione, aut per fontanellam aliò excitatam, tutissima fiet supprimendi ratio. Quòd si vel fieri facilè nequeat, vel factum non prosit, nulla lege oportet fluxum cohibere his quæ adstringunt & densent, ne sanguis suppressus, & fluere assuetus, fœuiùs in grauiorem prorumpat affectum: sed instituto parcissimo victu & largiori exercitio, oportet sanguinis copiam ita conterere, vt natura auarior facta, auidiùs deinceps sanguinem contineat. Qua etiam lege curare oportet eum fluxum, quia alicuius membri defectu excitatur: nam dum sanguis ille redundat, nullo modo cohibendus est, sed imminuendus victus parsimonia, aut sanguine misso statis temporibus, bis C nimirum, terue in anno, prout sanguinem redundare constiterit. Verùm si ex vberrimo & nimis sanguifico iecore affectio prodeat, permittere aliquando huiusmodi fluxum oportet, nam sæpe pro valetudine est & ipse fluxus sua sponte ætatis mutatione supprimitur & quiescit. Quamobrem oportet interim paulatim iecur attemperare (non quidem refrigerare, ne deterior lapsus subsequatur) & victum & sanguinem ad tempus minuere, quo natura indigentior facta minus abundet, & magis quod superest conterat.

Sanguinis praui excretio.

Quòd si sanguis exustus, fœtidus, biliosus aut erodenti & vitioso aliquo succo, admixtus excernatur, non parui momenti dysenteriam concitat, quinimo cunctis grauiorem & breuiorem, quòd in ea copio- D siores sunt sanguinis profusiones aliquando, & nonnunquam minutæ, sed cum animi deliquio & languore, quòd ex iecoris colliquamento fiat: qualiter verò huic subueniendum sit mox leges. Hoc vnum tamen expendisse oportebit, quòd si post ingentes sanguinis prodeant profusiones, licet cacochymiæ appareant signa, plurimum purgandum non est, quia cacochymia illa potiùs est ex defectu sanguinis reliquos humores compescentis, & corrigentis, quàm ex alicuius vbertate & malitia. Quo tempore alimentis & debita victus institutione rem agere potiùs oportebit, quàm vacuationibus.

Vera hepaticæ explicatio.

Dum verò sanguis qui per aluum excernitur, à naturali & probo mutatus conspicitur, rectiùs & pro- E priùs hepaticam appellatam dysenteriam constituit: legitimam tamen et veram solùm dum semicõfectus apparet; illegitimam verò & spuriam (etiam si nomine hepaticæ insigniatur) dum fæculentus, crassius & fæci olei persimilis excernitur: vtraque tamen à præcedentibus excretionibus dissidet, quia illæ ex robusto & valido ac probo iecore prodeunt, hæc verò ab imbecillo, malè affecto & intemperato. Sed vt hæc clariùs constent, sciendum est iecur pati posse intemperiem nudam, licèt paucissimo tempore duret, vel cum materię adhæsu, quę vel morbum gignat in via, vel tumorem pręter naturam excitet: inter quos sanè affectus eum solum hepaticum, seu iecinorosum appellamus, qui ex sola ipsius visceris intemperie originem trahit, citra dolorem aut tumorem, dum solus hic affectus vrget. Atque licèt hoc verum sit, non quemuis effectum ex iecoris intemperamento ortum, he-

pa-

paticum licet nuncupare, sed eum tantum qui imbecillitatem in eo progignit: nec rursus quęuis imbecillitas hepaticum generat affectum, sed certa quędam, peculiaris, & huic visceri propria. Quapropter sciendum est, iecur, vt quamuis aliam particulam, quadruplicem sortiri potentiam: allicientem per venas alimentum vnam, aliam retinentem, coquẽtem aliam, & demum superfluum expellentem reliquam. Pręterea licèt ob intemperamenta quæ iecur pati potest, quauis harum etiam oblædatur, non tamen ad cuiusque læsionem sequitur hepatica appellata affectio, sed eius tantùm potentiæ vitio, qua ab omnibus alijs corporis particulis dissidet, nimirum sanguificæ: sic enim cum huius potentiæ munere iecur aberrat, eo tempore constat iecinorosam seu hepaticam lucerescere dysenteriam, haud secus quàm cœliacos, & stomachicos eos nuncupare consueuimus, non qui inflammationem, aut aliquem alium præter naturam tumorem in ventriculo habent, sed tantum eos, qui ventriculi imbecillitate in peculiari munere laborãt: sic verò eos hepaticos esse propriè dicimus, qui hepatis ea imbecillitate laborant, qua iecur in proprio sanguificationis munere aberrat. Quo fit vt nulli alteri membro nisi iecori tribuenda sit. Denique hepatica dysenteria in genere morbi, est ea iecoris intẽperies siue frigida siue calida sit, qua eius sanguifica vis imbecillior facta, licèt chylum trahat, minimè ad sanguinis perfectionem ducit, sed simile quid loturæ carnium efficit: nam rudiorem sanguinem quem à venis meseraicis (vbi inchoatur hematosis, vt 4. de vsu part. aduertit Gal.) accepit, non conficit, ex quo morbo sequitur prędictum symptoma, nempe exiens mutatum per aluum & per interualla excretum, loturæ carnis persimile.

De spuria hepatica. Verùm licèt hæc sola crudioris sanguinis excretio iure optimo censenda est hepatica dysenteria, cum hoc tamen, vitiosi vel vtrumque aliter alteran sanguinis profusio, veteribus (vt retulit Gal. 5. de locis, & 3. de sympto. caus. cap. 2. & 4. de artic.) habita fuit dysenteria hepatica: nos verò pseudohepaticam aut non veram neque legitimam arbitramur: siquidem non ex imbecillo iecore, sed ex intemperato eo intemperamento, quod non imbecillitet sanguificandi potentiam, sed vitiet aut interturbet et praua labe afficiat sanguificandi actum. Quapropter scire oportet, iecur duobus modis intemperari: vno cum intemperamentum adeò ad iecoris substantiam peruenit, vt vires eius & proprium caloris humidum & pabulum dissoluat, qua lege imbecillitate contracta, necessum est in proprio sanguificandi munere deficere: altero verò citra imbecillitatem, intensa videlicet aut remissa qualitate aliqua, vt calore & frigore, quæ tamen nondum naturalem constitutionem ita labefactet, vt vires imminuantur, sed potiùs eorum actus vitiet; & sic fertur apud viros non mediocris eruditionis, hepaticam fieri ab intemperie quæ vires sanguificæ potentiæ imbecillitat, & pseudo hepaticam ab intemperamento sanguificationem vitiante: quippe aliud est facultatem sanguificam imbecillem fieri, quo sanguis crudior euadit, & aliud sanguinẽ ipsum aliena qualitate fœdari, non ob potentiæ defectum, sed ob qualitatis alicuius accessum, quam iecur malè affectum accersit.

Vera, & spuria hepatica distinctio. Sed, vt quis, verum ne, an falsum sit prædictũ dogma, apertiùs calleat, & hepaticæ dysenteriæ veræ, & non veræ, differentias perdiscat, præmittendum illi est ex Gal. lib. 8. pharmac. loc. cap. 6. in iecore haud secus quàm in ventriculo, tres reperiri sanguinis cruditates: vna quidem est, dum chylosa substantia in peregrinam mutatur qualitatem, quæ omnibus alijs cruditatis speciebus ab eodem deterior censetur, similis dispepsiæ: secunda verò quæ fit cum alimentum suam quam diutissimè adseruat naturam, nulla alteratione ex particula quæ ad eius confectionem erat dicata, suscepta, apepsiæ quàm simillima: tertia autem & vltima præter has, est imperfectæ coctionis, cum semicoctus efficitur sanguis, diminutæ coctioni persimilis: quam profectò mediam constituit Galen. inter primam quę deterior est, & secundam quę omnimoda cruditas existit, quam moderatiorem existimat. Quod sanè ab eo ita dictum esse erit arbitrandum, (licèt in reliquis vitijs, deterior sit ablatio omnimoda, diminutione) quia potiùs vitio contentricis aut expultricis facta est ablatio illa coctionis, quàm vitio concoctricis, & ob id cẽset mitiorem esse, quia fit collatio siue conferentia vitij vnius, hoc est cruditatis (vt si quis quærat vtra est deterior cruditas, diminuta ex vitio concoquentis, an ablata ex vitio retinentis vel expellentis) inter duas facultates, non autem ex ablata actione vnius ad diminutam eiusdem; quia eo tempore nulli est dubiũ deteriorem esse ablatam diminuta. Itaquę ex diminuta seu imperfecta illa sanguificæ potentiæ actione sanguinolentus humor excernitur, talis cõsistentiæ, veluti si quis aquam cum sanguine confudisset. A qua sanè excretiones sorte plurimæ ex hepaticis affectionibus, quæ legitimæ sunt, initium capiunt, nondum magnam debilitatem habente, sed adhuc concoquere & alimentum alterare ferè in formam sanguinis potente, idq; iuxta maioris aut minoris coctionis rationem: aucta tamen affectione iam dilutus is sanguis non excernitur, sed multiformes aliæ qualitates & cõmpages in ipso sanguine apparent: haud secus quàm in ventre cruditate laborante conspicimus ob varios humores, quos simul cum ipso, natura prauè etiam vitiatos gignit, sanguine semper cum ipsis crudiori apparente: nam corrupta vitiataque coctio non dilutum sanguinem, sed multiformiter vitiatum, semper tamen crassum gignit: ex quo pseudohepaticam fieri certũ est. In qua vel sanguis excernitur crassus, adustus, pellucidus, fœtidus, vel crassus, fœculentior & sine splendore. Itaque constat legitimam dysenteriam hepaticam fieri ab intemperamento virtutem iecoris sanguificam imminuente: spuriam verò ab intemperamento non vitiante facultatem, sed corrumpente eius opus, vt mox latiùs in enodatione causarum sum expositurus.

Verùm licèt hæc vera quodammodo videantur, & doctis viris grata, cùm hoc tamen arbitror, si quis ea diligentius pensitet, pulchra & difficilia multa adhuc latitare, quæ sine maiori expeditione, falsa aut obscura viderentur. Quorum gratia, diligenti animo expendendum est, causam harum affectionum vnanimi omnium scriptorum consensu esse, eius quæ legitima est & aquosum sanguinem fundit, frigidum intemperamentum, iecoris innatum calorem extinguere aptum, quale ex immodico frigidæ potu, aut vsu frigidorum eduliorum contrahitur, aut caliditatem eũdem calorem innatum dissipare natam, vt febris ardens & immoderatæ vacuationes efficere habent: nam ab vtraq; causa imminutior redditur innata caliditas, & sanguis dilutus efficitur. *Causæ.* Eius autem hepaticæ, quæ crassiorem, fæculentumq; sanguinem fundit, & illegitima existit, eadem etiam calida aut frida intemperamenta, non tamen quæ imbecillitatem pariant, sed quæ solùm vitient & perdant iecoris actionem, ita vt loco optimi sanguinis, spurcum, crassum & mille modis vitiatum progignat: cui accedit vitiosorum humorum copia, qui vel id damnũ pariunt, vel media obstructione, qua proba distributio impeditur, ob diuturnam & pręter naturalem moram, optimus adhuc sanguis in prædicta vitia commigret. Pari etiam ratione hęc spuria concitatur, vt Paulus lib. 3. cap. 47. optimè aduertit, & Galen. 3. de symptom. caus. ex sanguinis vitio, quod duobus modis fieri expendunt. Primo acrimonia & mordacitate acqui-

quisita, bile flaua vel atrà permixta, à quibus stimulata venarum orificia aperiuntur. Secundo ex diuturna mora in iecore & vicinis partibus, quòd membra nó attrahant, aut ex obstructione: quo fit vt putrescat & crassus fæculentusque fiat & fœtidissimus, haud secus quàm ex rupto iecoris tumore, vel eius putrido aut corrosiuo vlcere, in quibus vel iecoris portiones cum crasso sanguine videntur excerni: quod etiam visum est contigisse his qui funesto & exurenti causonide corripiuntur, cùm iam iam videbantur febre carere. Quæ sanè vitia principium aliquando suscepitant à causa frigida (quod difficilius videbatur) quádo nimirum crassa & viscida materia interceptis angustijs hepatis, putredinem quandam contrahit, vnde aucto feruore cruentæ & saniosæ deiectiones prodeunt. Secundò spuria etiam prodit, si hepar multum limosi sanguinis colligat, quem lien non expurget neque attrahat, aut licèt attrahat, præ copia tamen aut debilitate non conficiat, aut excrementa propria non expurget: vtroq; enim viscere copia oppresso & debili facto, deiectiones fiunt nigræ, aut cú antea solita essent expurgari per hæmorrhoides & fluxione cessante, prædicta mala succrescant: nam si huiusmodi succi retineantur diutiùs, in atram bilem exquisitam transeunt, & extra vasa nigrescunt & corrumpuntur. Nam cùm coctioni resistat prædictus humor, crassescit & angustias hepatis intercipit: cùm enim non perspirat, suboritur febricula, quæ prædictæ pseudodysenteriæ plerumque succrescit.

Dubium. Sed vt primum dogma de exquisita hepatica accuratiùs expendamus, necessum est in dubium vertere, an solum intemperantia sit causa impotentiæ sanguificæ facultatis (siue calida, siue frigida sit) vel quid aliud, quod maioris sit momenti. Nam videtur captu difficile, cur nunc ex eodem intemperamento prodeat in vno eodemq; membro, puta in iecore, excretio similis loturæ carnis, nunc verò fæculentus crassusque sanguis, cum constet has sanguinis species longè inter se differre, & neque causa, neq; membro affecto vlla ratione differant. In quo dubio, quod magni fore momenti arbitror, plura se se offerunt præmittenda: Primum sanè est dubium non parui momenti, quippe conspicimus ex frigida iecoris intemperantia pituitam gigni, & ex eadem dilutum sanguinem, differentiæ tamen rationem ignoramus. Item ex calida ac feruida, aliquando bilem, nonnunquam ipsam & reliquos humores assari, & non rarò dilutum & crudum sanguinem gigni, vt in dysenteria hepatica & hydrope ex ardente febre comperimus, cuius diuersitatis causam nescimus exactè. Cuius rei occasione præmittimus secundò generalem quandam partium iecoris diuisionem, iuxta Gal. placitum 8. phar. loc. capit. 6. adductam. Qua profectò parte inquit. *Fit autem intemperatura iuxta propriam hepatis substantiam (quam Erasistratus putat præterfusionem, Græci parenchyma appellant, quam non putant principalissimam visceris partem esse, nos tamen primam & potissimam arbitramur) fit etiam intemperatura circa contentas in ipso venas & arterias, & iuxta materias in spacijs ipsarum contentas.* Præterea cùm dictum sit à Galeno & veteribus omnibus, in quouis instrumento vnam peculiaremque esse particulam, cui primò & per se illiùs actio tribuitur, constabit facilè parenchymati & carni iecoris id munus esse tribuendum. Est etiam (vt Galeni argumentatione in hoc placito stabiliendo vtar, loco nuper citato & 3. de caus. symptom. nec non & 4. de vsu part. cap. 12. & 6. de placitis cap. 14.) admodum consentaneum, eam existimare opificem organi partem, quæ propria organo est, vt sicut cuiusq; per se organi vna est in corpore functio, ita ab vna illa organum perficiatur: Verùm cùm sola iecoris caro nusquam alibi in corpore reperiatur, vasa verò toti corpori sint communia, e-

A rit igitur hæc caro sanguificationis princeps opifex: quòd etiam verum inuenies in lacte, chylo, & semine: & licèt vasa aliquid sanguinolentum efficere aliquando referat Galen. id tamen minus principaliter & vi à iecore mutuata. Quo fit vt Galen. contra antiquos (qui vt inanitates vasorum implerentur, hanc carni iecoris esse tributam arbitrabantur, & ob id præterfusionem ipsam appellabant) in materierum confectione minus vasis inanitatibusque continentibus tribueret, carni verò circundanti plurimum. Quibus sic iactis fundamentis, arbitrandum est, sanguinem magis minusue coctum prodire, solius parenchymatis vitio, ex hoc vel illo intemperamento prodeunte. Tertium fundamentum sit, longè diuersum

B esse in iecore sanguinem fieri, aut reliquos humores: vel sanguinem non fieri, aut vitiari & corrumpi. Quippe formam sanguinis introducere, soliùs est parenchymatis, idq; mediante innati calidi substantia. Verùm reliquos humores fieri, potiùs ad iecoris hãc vel illam temperiem seu qualitatẽ (iuuante tamen innato calido) quàm ad ipsius substantiæ modum pertinere creditur. Quippe plus bilis fieri, sicci caloris est munus, plus pituitæ, remissi iecoris. Itẽ maior melancholiæ prouentus ex intensiore siccitate prouenit. Si enim vtcumq; crescat iecoris calor, biliosiorem fieri hominem comperimus, non tamen sanguinis ob id generatione orbatur, sed biliosior gignitur: & sic de frigida intemperie pituitam generante, statuendum

C est, cùm non interdicat ob id sanguinis generationẽ, vt in pituitosis hominibus comperimus. Ex quo fundamento elicitur quartum non minoris momenti, nimirum sanguinem vitiari & conspurcari vno è duobus modis: primo dum cuiusuis prædictorum humorum plus generatur, quàm par sit: quippe crescẽte bile vel pituita aut melancholia, vitiosior & inutilior efficitur sanguis: quæ sanè vitia referenda sunt intemperamento carnis ipsius iecoris accepta, non sanguificæ potentiæ: aut ea referes ad alimentorum naturam huiusmodi prouentum suppeditantem: vel vltimò ad diminutam cuiusuis prædictorum succorum expurgationem, vt Galen. visum fuit. 6. de morb. & sympto. Quippe licèt bilis, aut melancholiæ, vel substan-

D tiæ, plus iusto non generetur, quia tamen non vt par est expurgatur, redundat & sanguinem adeo vitiat, quòd naturam lacessat ad eius per intestina pulsum. Contingit autem id, vel quia renes non trahunt, aut viæ manent obstructæ, & sic de vesica fellis, & de splene, vt quisque sciat quam causam immediatam sortiatur quiuis humorum prouẽtus: si quidem iuxta ipsam, & non solum iuxta humoris copiam, ratio curandi instituenda est. Secundo verò sanguis vitiatur, dum ipse, aut quiuis prædictorum humorum qui iam geniti sunt, vi iecoris, siue in magna, siue in parua quantitate sit, corrumpitur, vritur, putrescit, refrigeratur, aut quouis alio modo vitiatur: quod sanè potissimè ab intemperamento vasorum aut humorum,

E qui ibidem continetur, contingere potiùs, quàm innati caloris & humidi parenchymatis vitio, est arbitrandum: haud seccus quàm in lebete, si quid ad ignem coquatur, ignis quidem est coquere, quod verò coquitur hoc vel illo sapore, odore, aut quauis alia spurcitia affici, vasis quidem solius, aut eius quod præter naturam in eo continetur vitium erit. Sic profectò putredines, vstiones, & quæuis alia humorum vitia, ab intemperamentis vasorum, ab obstructione, & improba distributione, nec non ab spurcitia prauorum succorum, qui ibidem præsunt & infarti in tenuibus vasculis sunt, proculdubio prodire credendum est, potius quàm ex innata parenchymatis sanguificandi potentia. Itaque essentiale sanguinis vitium quale hepaticam dysenteriam generat, ab innati caloris ipsius parenchymatis defectu prodit: reliqua verò sanguinis vitia ex quauis intemperie vel ip

sius,

sius, vel vasorum. Quibus suppositis, sit huius dubij A enodaoo & conclusio: hanc nimirum esse differentiam inter hæc tria viöa, videlicèt sanguinem esse crudum seu dilutum, & vitiosis aut copiosis humoribus plenum, & corruptum ac prauum post sui generationem redditum, quòd hæc duo vitia proxima, citra facultatis sanguificæ euidentem iacturam fieri possunt, sola mutatione & intensione aut remissione qualitatos temperamenti iecoris, eo ordine, quem nuper adduximus: at sanguinem prout est quarta substanöa, aut non fieri, aut diminutè fieri ab his qualitatibus est impossibile, nisi ipsamet sanguifica facultas languida fiat (etiam si sanguis vitiatus prout est quarta substantia fiat, quòd sanguificam facultatem prædicta intemperamenta quodãmodo interturbent B & impediant) quod esse nequit nisi intemperies (vt inquit Gal.) immoderata fiat: dixerat enim omnis immoderata discrasia deijcit actum propriæ virtutis, non quæuis (licèt alijs humoribus gignendis sit idonea) sed immoderata, quæ non solùm qualitates temperamenti vitiet & euertat, sed ipsammet substantiam innati calidi, & eius humidi imminuat: ad cuius defectum, calorem fieri frigidiorem cum deperditione substantiæ necessum est. Et hæc est ratio præcipua, qua causonis caliditas quæ depopulata est calidi substantiam, hydropem generat, & immodicæ vacuationes aut causæ dissoluentes, vel impensè refrigerantes, eundem creant hydropem, & hanc hepaticam dysenteriam. Ratio potissima est, quia sanguifi- C ca potentia, quæ in hoc sita est, imbecillitatur calidi substantia dissipata, non solùm alterata, vt io reliquis sanguinis viöjs et pseudohepaticis dysenterij dictum est fieri. Quibus costare arbitror nõ solùm huius affectus naturam, conditionem, & differentiam à reliquis sui generis, sed etiam longè dissidere, modo causæ & impressione eius, necnon & difficultate curationis, cùm videatur quodammodo hecticæ affectioni persimilis, non solùm quoad habitum, sed quia in deperditione humidi & calidi substantifici sita est, vt illa.

Causarũ signa. Verùm qui optimi & optati finis, ac felicioris euentus ratio maximè sita est in causarum cognitione, ob id eas ad vnguem distinxisse opus erit. Nosces D huiusmodi affectionem futuram & imminentem, & iam iam incipientem: nim ex vrinis sandarachæ modo rubentibus, & deiectionibus loturæ carnis similibus: post etiam ijs quæ picem liquidam referant: atque interdum putrescente materia, quæ infirmitate visceris tardiùs excernatur, & inde erosa vena sanguis meracus per intestina deijcitur. Adest & intemperies calidior, vnde visceris imbecillitas, biliosa deijcit, ac multos statis temporibus profluuia commouentur: nonnũquam infarcta bile angustijs vasorum, quibus gibbæ cauæ committuntur, crassior bilis & grauiùs olens deijcitur, nonnullis euomitur. Nosces hanc dysenteriam iam præsentem & vigentem plurimùm, quòd eius excrementa simillima sint loturæ E carnis recenter mactatæ, in reliquis verò lecus. Item nosces ex parenchymatis ipsius iecoris vitio & sanguificæ potentiæ imbecillitate fieri, quia crudior excernitur sanguis, tantum inchoationem sanguificationis præ se ferens: ab alijs verò partibus, vasis nimirum & vitiosis eorum succis, non quidem crudus aut dilutus, sed fœtidus, crassus, prauo colore affectus, vel mille alijs vitijs conspurcatus. Nosces tamen crudum sanguinem ex imbecillitate à calore dissipante innatum calidum, proficisci, quòd præcesserit calidorum vsus, ardens aliquis affectus in iecore, vel in corde, vel in toto corpore. Item ex corporis macie, febricula lenti, celeriori pulsu, excrementorum graui odore, ex siti, ex vigilia, ex oculorum cauitate & totius corporis calore, & quia excrementa frequentiùs & minutiùs excernuntur. Præterea nosces ex innati caloris immi- A nutione fieri, quòd præcesserit in signis vacuatio sanguinis, vel alterius humoris, siue copiosa fuerit, siue diutina: hæc enim imminuit calorem ipsum & spiritum, ac propriam sæpe iecoris substantiam dissipando conterit. A frigido ipsius visceris intemperamẽto, quòd innatum calorem extinguat, prodire disces ex prægressis etiam causis, nimirum ex frigidorũm vsu, vel immodico potu niue refrigerato, præcessit frigidus affectus vel diutinus, adest pulsus tardus, item vrina cruda, & frequentiùs crassa ob admixtum crassũ succum & flatum: laborans omnino caret febre, parum à naturali statu mutatus conspicitur, aut in album colorem mutatur, excrementa tardiùs sed copiosiùs excernuntur. Verùm si humores qui in vasis B præsunt, praui sint & vitiati, & vasa ipsa ac iecur in calore distemperata, id nosces, quòd color faciei & vniuersi corporis flauior sit, pulsus sunt celeriores & vrina flauior, deiecta adest appetẽtia, sitis vehemens quæ nullo potu sedatur ex affluxu bilis in ventriculũ & intestina, fastidium graue, & excrementum aliquando subnigrum, splendens, opimum, pingue, & æruginosum, corpus inquietum ex motu & putredine humorum: adest & febris manifestior, ac excrementa aliquando biliosa admodum, crocea, mordentia & sanguini pauco admixta. Adsunt præterea (vt ex Galen. constat. 8. pharmac. loc. capit. 7. & 5. de locis affect.) vomitus virulenti & æruginosi ex iecore colliquescente, veluti in febribus pestilentibus contin- C git, nã videtur iecur in cruentas sanies abire, à quo veluti particulæ quædam excernuntur fœtidissimæ. Adest & linguæ scabrities, & corporis ingens macies, ac veluti colliquari hominem cernes: sunt enim deiectiones frequentiores cum anxietate, animi deliquio & maxima virium exolutione. Refrigerata esse omnia hæc vasa, humores ac iecur, & ob id quod generatur vitiari eo intemperamento disces ex colore albicante aut cineriacio, ex tardo pulsu, ex nulla febre, ex vrina alba sed aliquando tenui, in quibus deiectio copiosior est, sed tardior, citra odorem prauum, aut saltem longè diuersum ab eo quem calor cõcitat, durat tamen affectio diutiùs, licèt per interualla repetat, & eo tempore copiosiores fiunt excretiones, & D aliquando nigro sanguini persimiles, qui neque sanguis re vera est neque grumus, sed veluti limus quidã sanguinis crassi, qui propè ad melancholiam accedat: item praui & varij colores plerunque in hac excretione apparent. Sic autem affecti faciem habent integram, & intensam ciborum appetentiam: quòd si obstructio adsit (quod frequenter accidit) febris quoque, sed lenta succrescit: sitit laborans, sed potu sedatur, & ab eo frequentiùs excernit, & deteriùs se habet: humores item fiunt crassi, contumaces, crudi aut semiconfecti. Verùm si his accesserit sicca intemperies, recrementa sicciora aderunt, corpus siccius & tenuius, deiectiones paucæ et crassiores: quemadmodum si humiditas succrescat, copiosiores, liquidio- E res, & aquosiores, citra vllam sitim aut linguæ siccitatem.

Præsagi Hepatica dysenteria incipiens difficulter curatur: inueterata & in senibus ferè nunquam. Incipit aliquando ab alui bilioso & erodenti fluxu, quem iecur in febribus ardentibus et malignis ad intestina transmittit, postea verò in sanguinolentum & fæci similem degenerat, & aliquando sine febre inuadit, posteà verò putrescente sanguine, & ob id crassescente, febricula incipit cum prædicto fluxu, & protinus nullis cædens præsidijs in mortem commigrat, Medicis febriculam contemnentibus. Commigrat periculosissima hæc affectio sępissime in tabitudinem, & hecticam febrem, ac plerunque in malum corporis habitum & hydropem. Quæ sanè mala non vtcunque & à quauis prædictarum fluxionum indistinctè prouenire est credendum, sed hydropem & malum corporis

poris habitum ex legitima & exquisita hepatica, quæ ex cruditori fit, ob ipsius imbecillitatem, sanguinem, quem venæ vel renuant attrahere, vel à se pellant, & ob id per meseraicas se se natura exoneret, prædictū fluxum concitatura: quòd si quæ eius portio per venas erat, membris minimè valentibus in propriam substantiam commutare, in malum habitum, & ab eo in hydropem facillimè commigrat. Verùm cùm vasa & contenti succi, sanguinem & naturales humores, quos iecur generat, vitiant & conspurcant, si calidum sit intemperamentum huius vitij causa, facile est in habitualem febrem decidere hominem, tum ob id, tum etiam ob colliquationem quæ huic causæ semper adiuncta est: humores enim acres & mordaces, nisi iudicatoriè excernantur, haud secus quàm nigra bilis, periculum sæpissimè minari solent. Si tamen frigidum sit erassiusque & fæculentū quod gignitur, corpore id tenuente, facile est hominem atrophia contabescere: quæ omnia necesse est nosse diligenter, & prudenter præcauere. Præter quæ mala, docet insuper mortem instantem iam nosse Hippoc. lib. 6. de Coacis. text. 21. dicens: *Quibus hepaticis sputum cruentum, siue subputridum, siue biliosum meracum statim lethale:* Nec mirum videri debet si ex sputo de hepatico presagiat, siquidem grauissimum censeri debet malum hoc ex viscere in viscus migrare. Tribus enim de causis sanguis in hepaticis vt adaucti morbi exputtur, venarum videlicet infirmitate, quòd iecore malè affecto pariter infirmentur & condolescant: sanguinis eo ain praua qualitate, qui per venas delatus in omne corpus defertur: nam cùm in hoc affectu sanguis semper sit vitiosus, si serosior est, facilè transcolatur, si calidior, putrescit, aut vtrunque venas & partes omnes ad fussum irritat, maximè cùm ad pulmones feratur: quo tempore tertium succescit, nimirum quòd vasa imbecilla aperit aut rumpit: præcipuè quia sanguinem eum contigit esse serosum & rubrum, & vt cùm frigida afficitur intemperie, aut putridum propter moram, vel biliosum meracum propter intemperiem calidam: quo fit vt necessariò lethalis fiat affectio, quia magnum esse affectum oportet, in quo neque hepar loca conuenientia expurgari potest, & partes supra septum omnes in consortium mali adductæ sunt.

Curandi ratio; & quidē primò spuriā ex calida parenchymatis intemperie.

Curandi ratio necessariò varia futura est, vt variæ sunt hepaticæ dysenteriæ sortes: nam spuriæ, quę primo loco se se nobis offerunt curandæ, nonnunquam ex intemperamento ipsius iecoris fiunt, quo spurcissimi gignuntur humores: aliquando ex vasorum intemperie & humorum ibidem existētium vitio, quo variè etiam affici possunt, qui deinde à iecore generantur: dimitto abscessum diruptum aut vulnus, è quibus sanguinolentum pus non rarò in ventrem fœtidum instillat. Quapropter cuiusque oporter meminisse & curationem scribere, antequam veram egrediar hepaticam, cui pauca his curatis supersunt dicenda, nam pleraque ex his illi erunt proficua, vt mox audies et in distinctione vnicuique præstita leges.

Sic profectò dum ex calida distemperie iecoris parenchyma in sanguificatione aberrat, haud facilè cognitu est quid agendum sit hoc vnum tamen in quauis causa obseruabis, quòd si fluxio ob immoderantiam plurimum vrgeat, illi omnino prouidendū est his quę ipsum compescant, somnum concilient & vires roborent. Immoderātia fluxus duobus modis venit intelligenda: vno quatenus plures & copiosum sanguinem fundit laborans: altero verò quatenus animo delinquit, aut syncope periclitatur quauis excretione, etiamsi neque copia, neque frequentia immoderatus sit fluxus, sed quauis excretione adeò resoluuntur spiritus, & labuntur vires animales aut vitales, quòd verendum sit aliquod ex prædictis periculis. Quo tempore alimentis quæ citò reficiant, res

A agenda est: cuius oaturæ vinum est, & stillatitij liquores ex carnibus, & iurulenta omnia, & ea quę cor & cerebrū roborent alexipharmaca: caueto enim omni eo tempore oportet ab omni medicamentorū vsu, sat enim est vires reficere. Quòd si fluxio immoderata fuerit, vteris protinus bolis q. ℞. *sacchari rosarum ℥. 2. trochiscorum de carabe, & de Karabe, & de spodio. and ℈. musce, & bis die porrige:* eosdem trochiscos dissoluere poteris in ℥. 1. ß. *syrupi de rosis siccis. cum ℥. 1. aquæ plantaginis.* Eadem medicamenta parabis cum trochiscis de bolo Armeno, de terra sigillata, de corallo & similibus. Nec displicet in præcipite casu ℈. 1. *philonij cum saccharo rosaceo* præbere. Præstat etiam, B dum vires aliquo modo recreari reficique incipiunt, *rhabarbari modicè expressi. ℨ. ß. aut ℈. 2. cum ℥. 2. sacchari rosarum porrigere manè ante prandium:* item postea sequeno die idem præstabis, sed integrum rhabarbarum, irrotatum tamen aqua plātaginis. Quòd si febris adfuerit, viresque constiterint, saluatellam tundes, extrahesque paucum sanguinis, & per vices, quo maior fiat reuulsio, cauens ne id aggrediaris præmissa copiosa ipsius per ventrem profusione, quippe tunc maximè cauebis, sicut dum humores admodū sunt vitiosi & adulti, satius enim esse eo tempore arbitror, frigidis tum cibis, tum medicamentis vti, aut minutis purgationibus ex rhabarbaro. Quibus factis amylo cum aqua hordei aut farre veteris, vel panatel-C lis ex pane loto, ac iusculis refrigerantibus & nutrientibus, postea tamen quid cum iecore agēdum sit, considerabis. Nam quamuis ex calida causa oriatur, non licet vtcumque ipsum refrigerare, quòd imbecillitas ipsa maior subinde speranda sit: quia cum à defectu & resolutione innati caloris fiat, potius temperatis quàm frigidis ad pristinum statum reducenda est: à frigidis enim, qualia caliditas præter naturam expofcit, extinguetur potius ex toto innatus & pusillus ille calor, & potentia concidet amplius quam refici possit: quare præstat tum alimenta tum medicamenta, quæ mediocriter frigida sunt, aut ex vtrisq; commixta porrigere, hoc vno prius considerato, nimirū longè aliud esse hunc affectum curare dum prouenit ex D calido intemperamento humorum ibidem existentium, & hepatica est illegitima: aliud verò dum iecoris corpus orbatum est innato calore ab impensa & extranea caliditate. Quippe in hac vltima causa, sat est temperatis vti, quæ & calorem adauctum remittendo compescant, & innatum intendendo souendo; adaugeant: in illa verò humorum & vasorum caliditate audaciùs licebit vacuare & refrigerare, nondum enim calor ad intensionem imbecillitati efficiendæ aptam deuenit. Primò itaq; partem foucbis è regione situs iecoris ex rosaceo & omphacino oleo, in quibus absynthij comam vel dactylum incoxeris: fiat etiam ex oleo cydoniorum & ex oliuæ folijs cum santalis, corallo & puluere rosarum. Parti e-E tiam adhibeatur linimentum ex cerato santalino in oleo cytoniorum dissoluto, cum pulueribus santalorum, rosarum, coralli aut diarrhodonis, vel ex solo santalino cum pulueribus rosarū & guttulis aceti. Præstat etiam ex idem ceratum santalinū too hypocondrio dextro appositum, sicut vnguentum rosatum & santalinum cum oleo absynthij, malthichis, & cytoniorū, additis pulueribus coralli, rosarum, & margaritarum, aut trium santalorum. Prosunt & fotus ex aqua ferrata aut deaurata cum rosis, absynthio, & mentha, & succis cichorij aut scariolæ, cum guttulis vini aut aceti, gratia penetrationis. Interiùs verò sumat decoctum radicis cichorij in quo in fine decoctionis madluerit coma absynthij Ponusiei, & parum ante, tabellam electuarij santalini. Confert & succus in tybi cū hordei decocto & saccharo, aut aqua lactis cum modico melle & absynthio. Iecur etiā roborabit & eius intemperiem compescet electuariū q. ℞. *pulueris diarrhodonis*

rhodonis sine musco, trium santalorum & diamargaritonis frigidi, anâ ℈.1. rasuræ eboris. ʒ.ß. cinnamomi electi & cornu cerui, anà ℈.ß. sacchari rosacei quantum sit satis, fiat electuarium, cuius. ℥.ß. summo manè sumat cum aliquo ex prædictis potibus. Exteriùs quoq; appones iecori q. ℞. *pulueris rosarum rubearum & santalorum rubeorum, cyperi, iunci odorati. anâ ℥.1. cum succo agrestæ & puluere diarrhodonis pondere. ʒ.ß. cõponito.* Item eidem parti apponitur diaphenicum emplastrũ hac lege confectum. ℞. *carnis dactilorum nondum ad maturitatem peruenientium. ℥.4. pulueris rosarum, santalorum rubeorum et citrinorum, acaciæ, iunci quadrati anâ ʒ.3. farinæ bordei. ℥.3. spodij. ʒ.1.ß. cum aqua rosacea & plantaginis confice.* Confert & in febribus ardentibus epithema eidem parti appositum confectũ ex succo portulacæ, plantaginis, polygoni & pampinorum vitis, quibus puluerem santalorum, & rosarũ & iunci prædicti inspergito. Ex vsu quoque est potus cum vino dulci exhibitus, q. ℞. *pulueris intybi & cichorij. anâ ℈.2. seminis securidicæ. ℈.1. cinnamomi. ℈.ß. detur. ʒ.ß.* Curandum etiam est, vt Gal. 8. phar. local. c. 7. scribit, nullo modo impensè, neque vltra mediocritatem, aut sine calidorum miscella in hac affectione refrigerare: vtendum tamen est scariola, cichorio, intybo, seride, & similibus, tum in cibis, tum eorum succo cum saccharo aut melle, tum etiã extra supra inunctiones appositis, aut vnguento aliquo admixtis, quia facultatem habent modicè frigidam, subamaram, & adstringentem, quibus robur visceri adC ditur, & calor mitescit, ac vasorum oscula comprimuntur. Quapropter à plerisque veterum laudatur id medicamentum, q. ℞. *radicis chamæpityos. ℥.ß. radicis cichorij. ℥.1. contundantur & melle cocto excipiantur, & laboranti porrige magnitudinem fabæ cum modico aquæ calidæ:* præstat senecionis decoctum, aut trifolij acidi ad tertias cum saccharo: laudant etiam aquam saccharatam filicis radicibus decoctam, item medicamentum q. ℞. *radicis chamæpityos. ℥.1. radicis cichorij. squinanti. ʒ.2. coquantur in lib. 4. aquæ ad medietatem, & facta colatura per manicam Hippocr. cum sacchari albissimi. ℥.1. cinnamomi. ℈.ß. porrige. ℥.4.* Maximi etiam momenti fertur esse syrupus, q. ℞. *senecionis, agrimoniæ, cichorij & intybi. anâ m.ß. glycyrrhizæ. ʒ.1. seminis anisi, petroselini & fœniculi. anâ ℈.4. cinnamomi, spicæ celticæ. anâ ʒ.ß. fiat decoctio ad quartas. ʒ.. in colatura dissolue sacchari. ℥.4. mellis. ℥.1. fiat syrupus.* Tanquam peculiare secretum multi existimant. ℈.1. *aut ʒ.ß. philonij semel in septimana exhibitam,* magni fore momẽn. Sed mirabitur forsan quispiam, cur ordine verso, huius affectus curationem aggressus fuerim, à topicis & externis auxilijs initium sumẽs: quod sanè fecimus quia affectio plerumq; ex calido aliquo morbo, qui nuper præcesserit, aut ex ingenti euacuatione originem traxerit: vbi coniectandum est, præcessisse vel vniuersales vacuationes, vel saltem eis nõ esse tunc opus, si sola est intemperantia. Verùm si cũ hoc constiterit aliquid præter naturam succrescere ipsis vasis iecoris, rhabarbari masticati vsus, aut diluti in aqua lactis vel succo seridis vtilissimus censetur: præstat & confectio Hamech simplex cum modico rhabarbaro, superbibito sero lactis: præstat & vsus sacchari rosati quarto quoque die, cum modico rhabarbaro, vel puluere corticum mirabolanorum & chebulorum. Sed pretiosius arbitror subsequuturum auxilium ex vsu stillatitiæ aquæ arte chymica ex rhabarbaro extractæ, cui ob subtilem substantiam vis inest permeãdi ad penitiora iecoris, & præter purgationem roborare atque firmare ipsum: ex vsu quoque est tertio quoque die tabellas diarrhodonis duplicato rhabarbaro cum aqua absynthij, seridis, vel senecionis præbere.

Si subfrigida sint

At si frigidus deprauatusque succus malo causam præstent, paulò liberaliùs calfacere oportebit, cũ hoc A tamen cùm iecur membrum princeps sit, non adeò oportet calfacere, ne pusillus ille calor dissipetur. Sic profectò prædicta medicamenta ex vsu quoque huic affectioni erunt, si loco sacchari mel aut vinum addideris: quapropter mulsa ex medicamentis & aromatis confecta licebit vti, maioribus etiam ac frequẽtioribus purgationibus adhibitis, quàm in præcedenti causa, quòd in hac maior crudorum copia congeratur, quæ vel in obstructionem, vel in maiorem fluxum abitura est, si permittatur: qualia autem futura sint pharmaca huic vsui proficua mox leges: namq; cùm frigiditas adeò crescit, quòd ipsum calidum remittat, præter id, quòd crudorum pituitosorumue succorum maximus fit prouentus, in hepaticam spuriã B commigrat, quòd plerumq; obstructio accedat, quæ vitiatis corruptisue his succis in prædictam hepaticam degeneret. Quapropter veræ hepaticæ curatio, vt spuriæ ex frigiditate instituenda est, in quo tamen differat, mox leges.

excremen ta, & sub stantiæ ie coris.

Curatio spuriæ hepaticæ ex calida frigidaq; vasorum intemperie.

In altera verò dysenteriæ hepaticæ specie, quam spuriam appellamus, quòd humores gignat acres, biliosos & mordaces ob calidum aut nonnunquam frigidum intemperamẽtum in vasis totius corporis aut ipsius visceris, malo causam præstare credendum est. Quippe hæc affectio ea prorsus natura & conditione existit, quam diximus esse dysenteriam, quæ solet splenеticos aut maniacos liberare, & ea nimirum sanguinis excretio, quæ cũ humoribus vitiosis & corruptis C efficitur. Vnum tamen habet hoc calidum humorũ & vasorum intemperamentum peculiare, quòd facta primùm succorum euacuatione, liberaliùs refrigerati desiderent (dummodò ea quæ ab infartu liberant et tenuium sint partium, eis admisceamus) quòd humores qui supersunt à purgatione, plus obsistant refrigerantibus, quàm quòd ab eis possit lædi patẽchyma: & ob id si constiterit biliosos, vstos aut putrefactos ibidem esse infartos, protinus ex infuso rhabarbari purgabis bis ac sæpius, donec constet iecoris & venarum eius spurcitiam deposuisse. Quòd si his factis adhuc constet, vasorum ora ab humorũ acrimonia nimium morderi & excitari, tunc profectò dormituro laboranti ℈. 1. *philonij cum conserua rosarum* D *porriges bis in hebdomada,* aut syrupum de papauere cum succo granatorum acrium & aqua lactis, vel syrupum portulacæ & violarum cum aqua capitum rosarum deaurata aut ferrata. In hoc etenim casu liberaliùs etiã syrupis & apozematis refrigerabis, vt postmodum porrigere possis *conseruæ rosarum, borraginis aut violarum. ℥.ß. cum ℈.1. pulueris boli Armeniæ, vel terræ sigillatæ, coralli præparati, rosarum siccarum, crystalli, eboris, ossis de corde cerui, seminis oxalidis, agrestæ aut similium.* Verùm si maximam senseris humorum vstionem, non erit ab re vsus aquæ lactis cum folijs senæ & pulueribus chrystalli: præstat & ipsum crystallũ cum aqua pluuiali & ferrata, vel ea in qua extincta sint frusta alabastri. In quibus proculdubio hu E moribus summopere ex vsu fore arbitror, aquæ dulcis tepidæ balneum bis terue in hebdomada præstitum. Iuuant & clysteria ex lacte, ex prisana, ex decocto hordei, rosarum, & papaueris, cum oleo nenuphar: rosarum, de cucurbita aut violarum, additis mucaginibus psyllij et cytoniorum. Proderit & paulatinam ex infuso senæ repetere purgationem, aut ex casia fistula *cum gr. 8. philonij*, vel ex confectione Hamech simplici cum modico rhabarbaro, vel ex infuso eius in aqua lactis cũ syrupo ex infusionibus violarũ. Exteriùs tamen dorsum & iecur refrigerabis vnguento resumptiuo, rosarum, refrigeranti, aut è cucurbita, & iecori etiam quæ superiùs diximus, adhibebis.

Frigid[a] hepatica spuria o[...] parench[...]

Quòd si causa & id quod cruẽtum per aluũ excernitur, frigiditatem & innati caloris defectũ attestentur (ex primo enim hepatica frigida, sed illegitima, e secundo verò legitima prodit) consimilem ferè curationem

ma positiuè frigidum curatio.

tionem desiderat: quippe in positiua frigiditate, vacuandum magis est, & roborandum minus: in caloris verò innati defectu roborandum summopere, & calfaciendum moderatè ac euacuandum nihil. Quapropter præmissa crudorum humorum præparatione, modicè calidis & his quæ sanguineum coquant, rhodomelite, hydromelite ex aqua cinnamomi & absynthij vel origani cum modico oxymelite; purgationem institues ex agarico & rhabarbaro cũ passularum Corinthiacarum carne, vel ex syrupo infusionum cum folijs senæ & decocto agarici, turpeti vel carthami, vel cum pilulis masticbinis, vel eis quæ ex rhabarbaro, mastiche, agarico, aloe & biera conficiuntur. Praeterea id porriges, q. ℞. *nardi celticæ ʒ.6. absynthij ʒ.2. cinnamomi ʒ.ß. in puluerem subtiliter redacta melle excipe, & electuarium confice, aut hæc eadẽ aquæ decoque & melicratum facito.* Præstat etiam electuarium diarrhodon ex triplicato rhabarbaro: prodest & vinum in quo ferbuerint absynthium, eupatorium, cinnamomum, spica celtica, & id genus. Magni etiam est momenti electuarium ex vino, q. ℞. *passularum mundatarum ℥.3. croci ʒ.ß. calami aromatici ʒ.1. & ß. bdellij ʒ.1. cassiæ ʒ.2. & ß. cinnamomi ʒ.3. spicæ celticæ ʒ.2. mirrhæ electæ ʒ.3. terebinthin. ʒ.4. squinanti ʒ.2. & ß. mellis ℥.2. vini quod sufficiat vt fiat electuarium.* Valet & *fisticorum cortex, si in puluerem redigatur, & cum vino nigro singulis diebus porrigatur pondere ʒ.1.ß.* Pręstat & syrupus ex absynthio, ex mẽtha, ex corticibus citri, de fumaria, de bysannijs cum additione, & de eupatorio. Item aromaticum rosaceum, diacyminon, dianison, diarrhodon, diacalamenthum, theriaca, mithridatium, & maximè vinũ ex his omnibus aut aliquibus cũ succo eupatorij feruefactum, & additis aromatis instillatum. Huius cõditionis etiam est iecur lupi præparatũ, & carnes cochlearum quas multi summopere commendarunt: quem quoque vsum præstat compositum Gal. medicamentum ex malorum cotoneorũ succo, in fine 6. lib. de sanit. tuenda summopere commendatum. Efficacissimum etiam est aliud, q. ℞. *seminis anisi, fœniculi, apij, plantaginis, anã gran. 4. costi, glycirrhizę, anã ℈.1. cassiæ ligneæ, cinnamomi, anã ℈.ß. vuarum passarũ ʒ.3. acori, spicæ, calami aromatici & squinanti, anã g.3. cornu cerui vsti & amygdalarum amararum, anã ʒ.1. seminum melonũ ℥.4. sacchari dissoluti in aqua rosacea, quod sufficiat vt formentur pastilli, quorum vnũ sumat laborans ventre ieiuno.* Quòd si nimis crassum viscidumq; & pressiùs iecoris vasa obstruentem noueris humorem, syrupis aut apozematis, quæ superiùs tutò posse porrigi diximus, admiscere oportebit mellis, aut oxymelitis squillitici modicum: tandem his pharmacis vteris, quæ ab infartu & obstructione liberant: itẽ eis quæ leniunt & incidunt, quibus humorum inclementia & durities mitescat: etiam ijs quæ abstergant & adstringendo roborent, vt non solùm causam illidant, verùm & fluxioni prouideant: pręterea his quæ siccant, & putredinem inbibeant. Penetrationem enim pręstant cyperus, squinantum, crocus, iris, & aromata ferè omnia: leniunt ficus, passulæ, vinum granatorum dulcium, & vinũ omne dulce: abstergit mel, aqua mellis, terebinthina & aqua hordei: incidunt quæ acetosa sunt: roborant absynthium, eupatoriũ, rosa, spica, & etiam squinantum: præseruant à putredine cinnamomum, cassia lignea, nardus, & iuncus odoratus: Verùm si hæc omnia adhuc prodesse non videantur, ad balnea sulphurea ægrum asportare oportebit: hæc etenim calore prosunt intemperatis ex frigore membris, & resolutione quod genitum est euacuant, tandem siccant & roborant. Id quidem facies tentatis priùs frictionibus, inunctionibus, ac fomentis ex vino aut ex aqua, & aromatis cum absynthio, mẽtha, & radicibus ebuli aut ireos, factis etiam inunctionibus ex oleo in quo ferbuerint prædictæ ra-

A dices, item sambucino, nardino, de angelica, de absynthio, lentiscino, de abiete & balsamo. Parabis etiam aliud, q. ℞. *succi eupatorij, marrubij & fumariæ, ana ʒ.4. asari, spicæ nardi & celticæ, anã ℈.1. cinnamomi, iunci odorati & ligni aloes, anã ℈.ß. olei rosacei, & de absynthio, vbi priùs ferbuerint radices ebuli & ireos confractæ, anã ℥.1. & ß. ceræ quod sufficiat, & aceti parum, fiat vnguentum.* Quòd minimè malum cedere videatur, & constet præhumidũ esse iecur, supra eius regionem magni fore momenti arbitror setonẽ attingere, qua parte expiret quod in ipso humidius est & actionem vitiat: & pari pensu id facies supra splenem ipsum, si vel obstructum esse, vel in attrahendo vel in digerendo fæculentos humores, pigrum persenseris.

Verę hepaticę curatio.

B Quòd si dilutus sanguis excernatur, constetq; nullo alio vitio conspurcari, sed iecoris calorem modò ab impenso calore dissipari, absumique eius substantiam, modò diutinis & vehementioribus vacuationibus euanescere & imminui (quibus legitima hepatica propriùs efficitur) tunc quidem à vacuantium auxiliorum vsu abstinere oportet (ni quid simul vitiosum redundauerit, cuius occasione leuiter & leuibus medicamentis vti cogaris) sed omni arte iecur reficere roborareq; opus erit, & adaucta calidi innati substantia, ad antiquum temperamẽtum reducere. Quibus sanè vsibus exequendis adhibere necessariò oportet, nõ quæ calfaciant, licèt affectio ex frigidarum sit sorte, nec rursus quæ refrigerent, etiam si ab æstuanti C calore principium sortiantur, sed quæ vel reficiendo calfaciant, vel modicè calfaciendo reficiant. Namque in hac affectione, haud secus quàm in atrophia & corporis tabitudine substantiam innati calidi potiùs augere oportet, quàm qualitatum deficientium augmentum exequi. Sic profectò, alimenta medicamentis, aut medicamenta alimentis, ea arte & industria parare condireque oportet, qua citiùs in iecoris substantiam vertantur: ex quorum conuersione maior ipsi succrescit caloris copia, & sic lentè facto eius augmento, reliqua cibaria commutare faciliùs erit. In quo opere aliqua mihi sese offerunt exequenda, quæ ratione & experimento probata habeo: primum sanè est, inter cibaria semper vnum porrigere, quod D iecoris substantiæ & naturæ sit simillimum, idq; condire eis medicamentis quæ intemperamento in iecore contracto sint contraria: confert & vinum Hippocras si causa quæ præcessit, frigida est, verùm si calida, vinum ex agrimonio aut buglosso, vel è floribus rosarum maturis & maceratis aqua intybi. Huius profectò naturæ sunt hepata primò testudinum & sanguis earum, anseris item aut anatis, nec nõ & gallinarum, atque etiam pullorum testes, cristæ atq; barbæ: ex his enim & sanguine eorundem animalium, varia effingere parareque obsonia poteris, modò in forma sorbili, modò in solidiori, aut quomodolibet aromatis, cinnamomo, cariophyllis & alijs huius naturæ condire, vt gustui gratissima fiant, & prima E mensa sumantur. Sed vtcumque sit, eis admiscere oportet parum pulueris iecoris lupi præparati, & saporis gratia addes, & vt etiam penetrationem, distributionem, & coctionem sortiantur celeriorem, parum aquæ huius stillatitiæ (quam semper & omnibus cibarijs admiscere oportet) quæ hac lege conficitur: *excipe iecoris lupi recenter extracti & minutim incisi, sæpiusque aqua vitæ & sale abluti ℥.4. sanguinis testudinis ℥.2. pulueris santalorum omnium ℥.1. pulueris squinanti ʒ.2. eupatorij viridis semiconquassati. m.2. rosarum siccarum, quæ primò maduerint in aqua cichorij p.2. pulueris cinnamomi, cassiæ ligneæ, nardi, iunci odorati, calami aromatici, croci & mirrhæ, anã ʒ.2. rasurę eboris, cornu cerui & vnicornu, anã ʒ.3. passularum Corinthiacarum ℥.6. theriacę magnę, mithridatij & confectionis alKermes, liquatorum in aqua vitę, anã ℥.ß. terebinthinę abietis ℥.1. mellis & sacchari, anã*

℥.5. vini albi & rubri odoriferi, & aquæ eupatori, anã lib. 3. madescant omnia per tres dies in prædicto vino, et postea, arte chymica per balneum Mariæ instillentur. Huius autem aquæ miscellam cum reliquis cibarijs, magni fore momenti arbitror, vt quæ penetrationẽ omnibus sibi admixos præstare possit, & robur, calorem & attemperamentum visceri conciliare. Itaque curabis in prima mensa semper aliquid prędictorum ciborum porrigere, & postea quod laborans ex vtilibus cibatijs auidiùs appetierit: appetita enim longè faciliùs & meliùs concoquuntur, dummodo neque crassæ, nec deterrimæ sint substantiæ. Poteris ante prandium aut summo mane huius aquæ modicũ pane imbutum laboranti porrigere, aut passulas Corinthiacas prædicto liquore madidas. Idem quoque beneficium præstat stillatitia aqua ex carne testudinũ, gallinæ, aut pulli cum rhabarbaro, corallo, & santalis. Præstat & vsus pulueris iecoris lupi præparati, cũ saccharo rosaceo & cinnamomo factis bolis. Neque est minoris momenti opiata, q. ℞. *passularum Corinthiacarum mundatarum lib. ß. coquantur ad pultis consistentiam in vino veteri & generoso, transfundantur se taceo, & colaturæ admisce corticis citri conditi pistati. ℥. ß. aromatici rosati. ʒ. 1. diamargaritonis frigidi. ℈. 2. pulueris coralli & rosarum, anã ℈. 4. pulueris iecoris lupi. ʒ. 3. electuarij de gemmis. ℈. 1. santalorum omnium. ℈. 2. misce et fiat opiata, cuius cum vino sumat laborãs. ʒ. 3.* Quòd si iecur, his omnibus factis, adhuc humiditate inundare videatur, non erit ab re rhabarbari masticati vsus, siue in tabellis cum saccharo exhibitus aut rosaceo saccharo admixtus. Ex quibus auxilijs facile erit viro docto & mente exercitato, varia effingere medicamenta & præsidia, maximè si diligenter euoluerit caput de hepatis imbecillitate, vbi hæc & externa præsidia fusiùs tractantur. Exteriùs verò iecur curandum est roborare, tum his quæ superiùs diximus, tum mirabili quodam vnguento, q. ℞. *olei hepatis galli ℥. 3. spicæ nardi, squinanti, asari, anã ℈. 1. masticis, bdellij, myrrhæ, styracis, anã ʒ. 2.* ac si durities scirrhosa adfuerit, addes *terebinthinæ abietis ℥. 5. vini maluatici modicum, ceræ citrinę quantum sit satis vt fiat vnguentum.* Aliud item conficies non minoris momenti, q. ℞. *hepatis lupi nume. 1. coquatur in oleo amygdalarum dulcium, cui adde radicis iridis ℥. 1. colentur & in colatura adde propoleos ℥. 3. styracis, bdellij, myrrhę, ammoniaci, anã ʒ. 3. spicę celticę & squinanti, anã ʒ. 1. fiat vnguentum,* quo illiniatur induratum hepar.

CAPVT XV.

De colico dolore.

CVm intestina in tenuia & crassa dissecuisset natura (hæc vt recrementa susciperent, crassiori duplo tunica constatia, præter id quòd cauitate maiori perforantur: illa verò vtroque modo tenuia, continendis alimentis mille modis idonea) crassiorum, quod penultimum est prope rectum existens, inter alias affectiones quas pati potest, acerbissimo quodam dolore premitur: qui dolor à nomine ipsius intesteni denominatinnem sumit. Est igitur colicus dolor vulgaris & notissima affectio, quæ consistit in immanissimo dolore partis dextrę inferioris ventris, qua parte habitat colon seu laxum intestinum, à quo morbus colicus seu colica affectio appellatur. In huius enim intestini situ, differre quodammodo videntur Paulus lib. 3. capit. 4. & Galen. lib. 5. de locis affect. nam Galen. refert intestinum hoc prouenire à parte dextra, ireq; ad sinistram, Paulus contra à parte sinistra ad dextram. Quorum sententiæ iudicio nostro, licèt primo accessu contrariæ videantur, nullam habent repugnantiam: nam Galen. incipit nu-

A merare intestinum à parte eius inferiori, nimirum à recto intestino, & huius partis situs est dextra ventris regio, degenerat tamen & tendit in partem superiorem & sinistram, nimirum in gracilia intestina: at Paulus principium intestini sumit à partibus superioribus eiusdem intestini, quæ sunt in parte sinistra, & cincturæ modo ducit intestinum ad partem dextram, donec in rectum intestinum degeneret. Ex hac enim loquendi varietate prodit, variè scriptores sensisse de situ huius intestini: sed re vera cum colon sit secundum ex crasis intestinis, quod incipit à sede dextri renis & coöscẽdit ad iecoris gibbum, hincque secundum ventriculi fundum ad lienis sedem
B & sinistrum renem complicãtur, quasi zona cingens vsque ad sinistra, atque ibi deorsum flectitur vsque, in rectum intestinum, fit profectò vt etiamsi vna sit particula affecta in hoc malo, varium habere situm dolorem non rarò conspiciamus, maximè si flatuosa sit causa quæ variè per ipsum intestinum moueatur. Ex quo constat, quòd licèt aliquando iuxta splenem & sinistrum renem dolor compareat, aut in ea parte prope rectum intestinum (vt Galeno arbitrano se calculum pati accidit) aliquando verò & frequentiùs in dextera, non ob id credendum est, non esse eundem affectum: nam aliquando causa occupat finem intestini huius, qua parte recto adhæret, aliquando verò exortum iuxta renem dextrum & in
C cæcum inseritur, aut ab eo vt rectiùs loquar exoritur. In quo sanè dolore, symptoma efficitur acerbissimum instar infixi pali: atque licèt gracilia intestina exactioris sint sensus, ob causæ tamen vehementiam & fixionem his dolor omnium sæuissimus existit: superat enim causæ efficacia, defectũ exactioris sensus.

Causas habet hæc affectio varias & difficiles, quæ efficacissimæ sunt grauissimos inferre dolores: primò enim vt Galen. refert. 6. de loc. ab humore fit frigido, crasso, qualis vitrea pituita intra coli membranas collecta, vt scripserat Galen. 12. meth. cap. 7. non quidem, vt nonnulli cẽsent, in cauitate, quæ eo quòd glutinosa sit, fixum infert dolorem, ita vt perforari videatur intestinum: quippe credibile non est, adeò
D fixos dolores fieri solùm pituita adhęrescente intrinsecus tunicis intestini, vt mox latiùs sum probaturus. Congeritur enim huiusmodi pituita in vita intemperatis, ociosis, & vini aut aquæ potoribus, in quibus bilis, quæ expultricis est calcar, parum ad eam partem descendit, quo necessum est huius humoris plurimum redundare, imbibique in ipsius intestini substantia, quo fit vt accedente aliqua externa occasione, quæ vel calfaciat, vel refrigeret, vel dimoueat exagitetue prædictum humorem, proculdubio sæuissimi concitentur dolores, idque subitò, quia subitò mouetur causa dolorem excitatura, quæ diu quieta manserat & ob id dolorem non excitabat.

Dubitabit forsan quispiam, qua nam ratione vi- *Dubium.*
E uente animali, adeò frigidus in corpore existat humor, quòd possit præ frigore (vt nonnulli sunt arbitrati) adeò acerbos & immanes concitare dolores, cum alimenta & humores necessariò viuente homine, actu calida esse oporteat: præterquam quòd intellectus capere non potest, qui & vnde tantùm refrigerari hi succi possint, vt ex continentis calore per dies & menses nõ tepuerint? Quapropter, necessum videtur esse aliam excogitare causam & occasionem, qua pituita hæc potiùs quàm ex frigiditate hos dolores inferre possit. Cui dubitationi dicimus duo. Primũ nõ esse præter rationem humorem hunc frigidũ in corpore generari posse: quia quæ cruda sunt per diminutam caloris actionem, longè frigidiora euadunt (ita vt acida aliquando supersint) his quæ incocta manent, vt capite de ventriculi imbecillitate & cęliaca, ex Galeno probauimus. Nam vbi humor aliquis propter summam cruditatem & substantię ineptam

con-

conditionem in alendo, naturæ elaborationem suscipere non potest, contemnitur, natura perterrita, neque applicatione calidi agitatur. Quo fit vt exhalante portione aerea, tenuiori calidiorique (si quam continet) geletur in dies & crassescat magis, donec vitri speciem referat, cum insigni frigiditate intra calenna intestina. Secundò expendere oportet, non esse solam eius frigiditatem doloris causam, siquidem diu ibidem persistens, eum non valuit inferre, cùm non minus extitisset frigidus humor, quàm cùm dolores concitat: quo etiam fit, vt non solùm calorificis auxilijs sedetur dolor. quapropter necessum est immediatiorem aliam excogitare causam & occasionem dolendi, quam nos arbitramur esse prædictorum humorum motum & agitationem: nam dum quiescunt intestinis affixi, dolorem nullum inferunt, donec moti vim inferant subitò & affatim in naturam ipsam, ac per consequens dolorem. Quòd manifeste constat, nam subitò ab euacuatione humorum cessat dolor, qui si sola fieret alteratione, nec subitò inuaderet, nec subsideret. Quem vsum præstant ea clysteria, quæ protinus euacuādi pituitam efficaciam habeant simul cum caliditate: nam quę solum calfaciunt, plus solent humore mouere ac fundere, ac per consequens grauiores dolores inferre. Accedit etiam aliud maiores momenti, nimirum prædictum humorem non per cauitatem, sed per intestinorum venas & poros transsumi & in eorum tunicas congregati, idque adeò sensim & paulatim, vt nullam sensationem nullumque dolorem inferat: verùm cùm ad quantitatem deuenerit notatu dignam, & flatus necessariò ex diminuto partis calore eleuentur, necesse est diuelli tunicas atque distendi, & eum dolorem inferre, tantò quidem maiorem, quantò magis crassus ille humor à se flatus produxerit, quos facile natura dissoluere aut pellere nō possit. Detinentur autem ibidem violenter flatus & maiorem causant dolorem, quòd prædicti intestini tunicę crassę atque densæ sint, & frigidi humoris contactu densiores fiant: insuper quia ipse flatus pensus est et nubilosus, donec extenuati & fusi humores faciliùs permeent & excernantur vi auxiliorum & naturæ. Ex quibus constare arbitror, hunc humorem non semper hos dolores excitare quantumuis frigidus sit, et intestinis adhæreat, nisi cùm inter tunicas contentus aliqua occasione mouetur, aut à se flatus fundit. Nam si in cauitate intestinorum adfuisset, vtique nō ita grauem aut forsan nullum concitaret dolorem: atque hæc est potissima differentia inter colicum dolorem & quemuis aliū, siue dysentericus sit, & torminosus, vel vtcunque aliter intestina dolent. Nam ob hanc rationem, vt arbitror, colicus dolor innotescit, quia infixi pali, vel terebri perforantis specimen referat (quòd substantiæ illius partis diuulsione fiat) & reliqui intestinorū dolores, vel graues, vel acuti, aut quouis alio modo insigniti appareant, non tamen fixi & veluti perforantes. Qua etiam ratione arbitror, possibile esse ex colico fieri commutatum in paralysim, si pituita causa eiusdem est, & ex flatuoso in siccam hydropem, aliter enim has mutationes fieri esset creditu difficile.

Secunda verò causa est, retenta (quæ purgari assueuerat naturaliter aut secus) bilis, à qua dolores acutos, sitim, & oris amaritudinem prodire est certum. Verùm sciscitabitur etiam circa hanc causam aliquis, qui fieri possit, quòd cùm hæc longè grauiores & acutiores quàm dysenteria protitet dolores, non etiam dysenteriam moueat. Cui dubitationi dicendum est, bilem non prolabi in colicis doloribus per intestinorum inanitatem, sed per tunicas ipsas & earum vasa, haud secus quàm de pituita dictum est. Sic profectò cessat dolor excreta bile, inuiscata verò & inter tunicas paulatim collecta, pro-A tinus citra abrasionem dolores concitat acerbissimos: dum verò per cauitatem delabitur, minus graues, sed ob efficaciam & crassitiem sibi adiunctam, atque ob adhærentiam & viscíditatem erosionem concitat.

Tertia verò causa est inflammatio, cui proprium est vbicumque sit, dolorem maximum inferre. In qua causa dubitabit meritò quispiam, an ex inflammatione huius intestini possit fieri iliacus affectus: siquidem præter dolorem, adeò magnam efficit viarum angustiam, vt verendum sit ne excrementa sursum remeent, haud secus quàm in ileo. Cui dicimus id rarò, cæterum aliquando posse accidere, licèt intestinum illud adeò sit ampli foraminis, vt per-B difficile sit credere, ex toto posse inflammatione obturari.

Quarta verò causa est, vt multi censent, fæcum duritiei & copia adeò grandis, vt præ nimia distensione dolorem non leuem inferre visum sit. Hanc enim causam multi ablegare à numero causarum huius morbi studuerunt, credentes in colo intestino non posse adeò grandē copiam excrementorum aceruari, quòd in hunc affectum prorumpat, vt in ileo, quod mille anfractibus & sinibus scatet: Sed experimentum docuit id quidem fieri posse, vt visum est ab iniecto clystere naturam se à fæcibus liberare, ac protinus dolorem subsidere, vt testatus est Hippoc. 3. popul. part. 2. com. 6.

C Quinta autem causa flatuosus est spiritus, qui vel in cauitate copiosus, magnam molitur intestinorum distensionem.

Sexta verò est vteri & renum consortium & vicinia, quorum occasione ventrem non rarò ea parte dolere acutissimè visum est, vt signis mox ostendam.

Præter has omnes causas, alia non minoris momenti succrescit addenda, nimirum cùm colicus efficitur ictenosus, & color mutatur in pallidū ab effusione bilis acris & mordacis è iecore in eam partem vel illi vicinam: quem quidem censeo non esse verum dolorem colicum dum hac lege efficitur. Cuius præsentaneum est remedium sanguinis missio ex dextra basilica, non solùm semel sed & bis, vt latius D scriptum reperies capite de ictero. Vltra quas sanè causas, alia non minoris efficaciæ addi potest, licèt rarò succrescat, nimirum lapis in aliquo intestinorum genitus, qui adeò vehementes & immedicabiles concitat dolores, vt nisi confestim excernatur, credibile sit facilè posse hominem interimere. Huius etiam affectionis meminerat. Galen. 6. de Locis. capit. 2.

Signa. Quatuor in huius morbi cognitione reperiuntur potissima signorum genera: primum continet signa quæ dolorem esse colicum monstrant: secundū ostendit causarum cognitionem: tertium signa præstat quibus affectionem per consensum ab ea, quæ primariò fit, distinguere facilè possis: quartum verò E & vltimum signa adducit, quæ aliquid bonum aut malum in hoc affectu monstrare valēt. Ad primum igitur signorum genus deueniendo, docent huiusmodi affectum distinguere, sit ne in abdominis musculis, aut in peritonæo, vel in intestinis, doloris sublimitas, aut profunditas, vt Galen. 7. aphor. expendit, præterquam quòd sublimiores dolores leuiores sunt & minus periculosi. At cùm intra peritonæum vigent, & colon dolet, situs ipse in primis demonstrat, plurimum enim circa coli initia ad dextrum renem figitur: fit & cinctura modo, si ob viciniam ventriculi doloris speciem refert, cuius fundo subtenditur, & plerumque ad renes tendit. Prætereà apparent circa vmbilicum vehementiores dolores, propter anfractus tenuis intestini, in quo flatus etiam inclusus, circa lumbos dolores quoque concitat, propter cæcum & colon, quæ ea parte angustantur, deinde quia illic vin-

vincula neruacea ſunt, quibus colon & renes inter ſe A alligantur, & renes lumbis. Item apparent excremẽta duriora excrementis caprarum ſimillima, aut retenta ſunt & cohibita, vtrunq; tamen proficiſcens ex maximo ſuctu meſeraicarum, propter diuturnã excrementorum retentionem. Docet id etiam nauſea, ex halitibus excrementorum concitata, nec non & vomitus ex cruda pituita, & inconfectis alimentis: quæ vt conficeret natura, oblita eſt conſuetæ excretionis per infernam aluum, vnde excrementis præter naturam retentis prædicta mala euenire neceſſum eſt. Monſtrat vrinæ color intenſior, ſubſtantia craſſior, quæ ſæpiſſimè excernitur, nam dolor laceſſit facultatem veſicæ expellentem. Oſtendit quoque eundem affectum ventris inferioris tenſio & dextræ regionis B dolor, cui faſtidium, inquietudo, anxietas & vigilia accedunt, quibus facilè eſt in huius affectus notitiam peruenire.

Secundum ſignorum genus continet Indicia cauſarum huius affectus: quorum primũ eſt excreta pituita vitro fuſo perſimilis, cuius Gal. meminit. 2. & 6. de Loc. affect. tormina quoque affligunt, ructus, nauſea & vomitio cuiuſlibet humoris, ſed pituitæ maximè, præſertim ſi vita præceſſerit his ſuccis gignendis idonea, ex crapula, ebrietate, & frigidorum ſuccorum eſu: aluus item grauiter impedita nihil reddit, ac ne flatum quidem tranſmitor, adeò eſt dolore cruciata ſtercus etiam quandoque excretum, bouino ſimile redditur, leue & flatibus plenum. Altera rurſus cauſa C eſt bilioſus humor, acris & mordax, quem noſces ex ſiti, vigilia, ex copioſa excretione, bile nimium irritante & laceſſente inteſtina, ſine flatu aliquando, & nonnunquam excretio exigua eſt & bilioſa, cum initio dyſenteriæ, et dolore illius partis: adeſt vomitus & ſingultus, & maximè à colicis præſidijs læditur qui ſic affectus eſt, vrinæ ardor & rubor, atque ab alui deiectione grauiùs infeſtatur, leuatur tamen à frigidis. Inflammationem ipſius inteſtini diſces ex febre, quæ neceſſariò aderit, ex dolore fixo & qui creſcente inflammatione creſcit, ac nullis cedit præſidijs, quinimo à colicis exacerbatur magis: ſitim etiam & calorem iuxta partem inducit & non leuem feruorem: item vrina & alui excrementa ſupprimuntur: D aderit dolor pulſatiuus: iuxta ventrem, ſimiliter ſitis, ardor, nauſea, bilis vomitiones, & quæ nihil malũ leuant. Flatuoſam ſubſtantiã quæ ex fæcũ duritie, aut craſſa pituita partem doloroſè diſtẽdit, dignoſces ex ventris tenſione, rugitu & crepitu, maximè ſi præceſſerit cohibitio cõſuetæ excretionis flatuum, aut vſus cibariorum quæ flatum gignere poſſunt: dolor etiam non fixus aderit, neque in vno loco hærens, ſed vndique vagans ſentitur, & per interualla vehementes cruciatus infert.

Tertium ſignorum genus docet diſtinguere colicum affectum ab vteri dolore, cui plerunque aſſimilatur: ſolent enim mulieres à partu, aut quo tempore fluxuri ſunt menſes, dolore torqueri colico perſimili, E ſed vtero affecto dolor magis in ligamentis ad inguina & coxendices videtur quibus adde partum antecedentem aut difficultatem fluentium menſium, in quibus dolor magis circũ renes quàm in penitioribus partibus vagatur. Eſt inſuper colicus dolor non rarò iliaco perſimilis: nam colicus vagari cùm debeat per diuerſas partes, non rarò vſque ad ſedem ilei protenditur, eiuſque imaginem repræſentat, hac ſæpe in ipſum commigrat: ſeparabis tamen hunc ab illo, nam in ileo ſuperior & iuxta ventris fundum magis, & prope vmbilicum viget: item ratione doloris, quia dolor ilei maior eſt ob partis exactiorem ſenſum, licèt colicus non minus appareat vehemens ratione cauſæ: ſed hæc clariùs ſequenti capite reperies ſcripta. Differt etiam colicus dolor à nephritide, ſunt enim affectus finitimi, & qui maximam habent

A io accidentibus communionem ex doloris proprietate: nam nephriticus fixus eſt à poſteriori parte, nimirum à dorſo originem trahens, colicus vero extenſus, nullibi quietus: nephriticus aliquando in ſiniſtra parte & poſteriori, colicus ſemper in dextra, & licet ſiniſtram aliquando attingat, non tamen ſiniſtram poſteriorem. Præterea differunt quia colicus plurimos habet vomitus & variæ ſubſtantiæ, nephriticus verò minus, item colicus per interualla, nephriticus ſemper & maximè à cibo infeſtat: præterea colicorum vrina parum aut nihil mutatur; nephriticorum maximis mutationibus inſignitur, aliquando enim rubra, nonnunquam pruriginoſa, arenoſa, fuliginoſa, ſabuloſa, arenis & pituita plena, turbida & in princi- B pijs ſæpiſſimè tenuis: hi ab alui excrementis non leuantur, colici verò leuamen ſuſceperant.

Præſagiũ Quartum verò ſignorum genus monſtrat quæ in hoc morbo futura ſunt: nam ſæpe grauiſſimi affectus ab hoc malo initium ſumunt. Sic eum fore leuem monſtrant excrementorum expulſiones ſponte aut leuibus clyſmatis factæ: excrementa liquida, flatus multi, præſertim per infernam aluum, dolor mutans locum paruus, & qui facilè remedijs cedit, præſertim dum ſe per totũ vẽtrem extendit. His contraria ſunt peſſima, maximè ſi tertia die puſtula aliqua erũpat, aut vomitus non ceſſat, & dolor fixus eſt, terebro perforanti perſimilis. Quæ ſanè mala ni citò præueniantur, in longè maiora commigrant, vt ſi flatus C cauſam præſtent, in hydropem ſiccam vel ileum, vt placuit Paulo, aut ſi flatus non ſint, in cancrum illius partis vel abſceſſum aliquem dolorificum, qui ſi intrò ad inanitatem inteſtinorum non rumpatur, periculoſus valde eſt, cùm nullus ſit puri aditus intra corporis cauum. Item vereri oportet (maximè ſi febricula adſit) marcorem & conſumptionem, præſertim ſi adeò prauo humore corpus abundet, quòd breui tempore hominem de medio tollere timẽdum ſit. Præterea verendum eſt ne in paralyſim commigret, pituita remeante per eadem vaſa per quæ procidit in inteſtina, ad nerueas ſubſtantias venis vicinas, ſed maximè eis, quæ ſunt prope dorſum. Quamobrem magnam hæc ſigna admonent in artifice di- D ligentiam, ne affectus in alium maiorem commigret.

Curandi ratio. Curandi ratio tam variè exequenda venit, quantum, quæ dolorem excitarunt cauſæ, variæ exiſtunt. Sic profectò, dum cauſa affectus viſcida pituita eſt, medendi lex neceſſariò præſcribit tria auxiliorum genera proficua fore: primum docet, ſi aluus nõ multo temporis ſpatio ſuppreſſa fuit, mox à leniente clyſtere purgare vtrumque ventrem, exhibita manna cum infuſo agarici, vel confectione Hamech ſimplici cum puluere aniſi aut diarrhodonis, aut exhibito ſyrupo ex infuſionibus roſarũ, vel melle ex roſis Perſicis. Quo facto ſecunda indicatio docet pituitam fundere, liquare, & extergere ab inteſtinorum tuni- E cis: ſi priùs inſtitueris eam victus parſimoniam, quæ ſufficiens ſit excrementa conterere, & corpus ac pituitam extenuare: poſtea verò eum victum inſtitues, qui boni ſit ſucci & coctu facilis, admixtis etiam quę acria ſunt & incidendi ac extenuandi vim habent: quo vſu & coctionis etiam fælicioris gratia, vinum porrigere oportebit. Poſtea tamẽ dolori prouidebis, ſi vt ſolet, maximè vrgeat, non tamen omnino poſthabita humoris conditione & natura. Doloris tamẽ gratia (cui tertiò prouidendum eſt, niſi plurimum vrgeat) porriges quæ temperiem corrigãt, & partem ac humorem ad æqualitatem ducendo vel cauſam auferunt, vel leniunt atq; contemperant, aut ſenſum ſtupefaciunt: quorum omnium id primò & maximè exequeris, quod maius faceſſerit negocium. Primò tamen in memoria tibi exiſtat, mittẽdus ne ſit ſanguis, *Sãguinis detractio* an ſecus, quod quidem, niſi vel diuertendi, vel vitãdi

maius

A maius malum gratia, exequendum nō est: tunc enim parcè, maximè si suppressa sit aliqua vacuatio mittendus erit, idque succrescente immanissimo dolore, qui causæ, alioqui frigidissimæ, indicationem obumbret, præterquam quod dum ictericsus est hic affectus, nullum est præstantius præsidium, quàm sanguinem detrahere: sic & cùm inflāmatorius est affectus, & cùm febris adiungitur, vel timetur præ dolore maior ad dolentem particulam humorum cōfluxus. Quod verò ad purgationem attinet, si primo mali accessu purgatum fuit, exequenda non venit, nisi dolore remisso, & facta sufficienti humorum extenuatione: tunc quidem hiera, agarico, pilulis masticbinis, & his quæ ex agarico, aloe & mastiche fiunt, purgabis: sed confert summopere hac causa vigente, vsus terebinthinę B lotæ, vel cum rhabarbaro aut pulueribus senæ, vel, quod magis probo, cum hiera Galeni: tādem in hoc affectu rarò copiosiùs & presiùs est purgandum, nisi dum hæc non prodesse constat, quia nimis est pituita inhærens & inuiscata. Quo casu non erit ab re, alicui ex prædictis pharmacis *adijcere diagridij. gran. 3. vel 4. aut hieræ diacolocynthidos* ℈. 1. Quòd si interim dum hæc fiunt, cognitum tibi sit dolorem summopere vrgere, non erit præter rationem, his etiam pharmacis addere aliquid quod dolorem leniat et partem stupefaciat, velut sunt *trochisci de alKeKengi pondere* ℈. 2. *cum vino aut aqua buglossæ, vel sacchoro rosaceo. Item philonij* ℈. 1. *aut* ʒ. ß. Cui sanè vsui duo parabis medicamenta: quorum primum porrigere ante sex C menses à compositione non poteris, & ob id necessum est id paratum asseruare in officinis: ℞. *opij.* ʒ. 1. *castorij, euphorbij, styratis, myrrhæ, piperis longi & nigri. anà* ℈. 1. *feminis apij, petroselini, cumini, cinnamomi. anà* ℈. 2. *cum melle despumato, fiat opiata, cuius* ℈. 1. *porriges*. Verùm, si velis nuper à compositione causis frigidis existentibus subuenire, sic facito: *Accipe galangæ, aromatici rosati, diambræ & diamusci. anà* ʒ. 1. *opij dissoluti in aqua vitæ, & diu agitati in mortario calido.* ʒ. ß. *croci, castorei, & euphorbij. anà* ℈. 1. *cum syrupo de stæchade, fiat opiata, cuius sumat* ℈. 1. Cæterùm si lapidis renum suspicio fuerit, emollientium aliquid admiscebis. Verùm si simul accedat fæcum durities cum dolorum sæuitia, *porriges* ℥. 1. *pul-* D *pæ cassiæ cum* ℈. 1. *pulueris liquiritiæ*. Interim tamen dum incidentia & attenuantia porrigis (vt mel rosaceum, syrupum de radicibus, oxymel, & syrupum de mentha, de corticibus citri, & alios huius census) clysteribus, fomentis, balneis & alijs appositis vteris, quæ & partem laxent, quo minùs extensa doleat, & faciliùs quod inuiscatum est pituitæ ad inanitatem intestinorum euocent, & eductioni paratius reddāt, mitioresque fiant dolores. Quapropter vt simul omnibus his prouideas, clysteribus primo loco vteris (non, vt vulgus Medicorum indistinctè efficit, calfacientibus) quæ leniendi modicèque discutiendi vires habeant: secundo verò loco repurgantibus pitui- E tam & abstergentibus, qualia sunt quæ ex decocto furfuris, mercurialis, & mellis cum plurimo oleo, si par fuerit leniendi necessitas: ac si repurgandi maior fuerit, imminuta olei quantitate, addes hieræ picræ & benedictæ anà ℥. ß. Quo clystere bis terue iniecto, ad calorifica auxilia intus iniecta, aut extra adhibita deuenire tutò possumus: semper tamen à leuioribus initio sumpto, & anodynis admixtis, vt quantum primis clysteribus pituitæ liquatur, paulò vehementioribus resolui citra dolorem possit, quibus si à principio vteremur, maximi concitarentur cruciatus, liquata subitò materia & non resolutis flatibus: ob id incipiendum est à clystere quod recipiat decoctum chamæmeli, meliloti &, fœnugræci, & addas oleum chamemælinum, aut sesaminum, & mel rosaceum cum pinguedine gallinæ, anseris aut anatis. Quòd si iteratò clystere vti oporteat, quia prædictis

Purgandi occasio.

A non cedit affectio cruda, non displicet ex vino & prædictis herbis clysterem conficere, addita pinguedine: aut si id non profuerit, prædicto decocto *adiunges olei rutacei* ℥. 2. Quibus iterum atque iterum factis, magni solet esse momenti per interualla humorem purgare, & mox clysmatis addere melicratum, in quo anethum incoxerit, ruta, fœniculus cum radicibus, & petroselinum: item his addere oportet, vt propriùs doloris causa extergatur: mel anthosatum cum oleo rutæ & anethi, item salis modicum, *& hieræ picræ* ℥. ß. *diaphœnici* ʒ. 6. prodest & *theriacæ* ʒ. 1. *& ß. vel tantundem mithridatij*: quibus addes decoctum epithymi & foliorum senæ, ac seminis angelicæ. Interim dum hæc clysteria adhiben- B tur, vt faciliùs erumpant flatus, & per poros ad intestina calor, qui etiam suppetias præstat, subingrediatur, varijs fomentorum generibus vti oportebit, quibus etiam ordine prædicto vteris, sumpto nimirum à leuioribus initio, ne, vt anteà diximus, maiores concitentur dolores. Quamobrem, vniuersam intestini regionem inungere oportet oleo amygdalarum dulcium, sesamino, chamæmelino, anethino, vel rutaceo: fœminis tamen admiscere oportet oleum liliorum alborum, de baccis lauri, & de croco: quibus addes pro ratione vehementiæ doloris, crassitiei materiæ, & naturæ laborantis, olei castorei, euphorbio, piperis, cinnamomi, & anisi modicum: item ℥. ß. *galbani solues in* ℥. 3. *olei rutacei, & addes moscum, galliam* C *& cibetum*: vel hac lege facito: *cibeti. gr. 6. dissolue in oleo rutaceo & vnge*: vel fiat illitus ex pipere longo & vitello oui. Mox humidiora fomenta adhibere oportet, ex decocto fœnugræci, seminis lini, althææ, meliloti, chamæmeli, anethi, rutæ, bismaluę, calamenti, origani, apij, petroselini, sambuci, & aliarum herbarum consimilem habentium virtutem, quod excipies vesica aliqua pannis inuoluta, & parti appones donec decoctum tepescat. Quòd si calidius efficere placuerit, hæc omnia vino excipienda sunt: si verò mollius, vt magis minget, oleo. Verùm si lapidem deturbare velis addito folia apij, petroselini, radices graminis, asparagi, ac fœnumgræcum, & alia quæ proprio capite inferiùs leges. Solet etiam rudis plebecula D huic vsui conficere placentulam ex ouis, cimino, aniso, & aliquo ex supradictis oleis, maximè si araneorum telas addideris, quæ parti apposita efficaciter per auxilium præstat. Item nuper dictas herbas cum milio, sale, & furfure decoquere oportet, & valenter exprimere, vt nulla supersit humiditas, quæ omnia pannis inuoluta & parti apposita, non mediocre afferunt leuamen. Quibus præmissis, si dolor adhuc prestiterit, ad sicca fomenta confugiendum est, quibus id quod liquatum tenuatumue fuerit, ebibatur sicceturque faciliùs: quæ constant sacculis confectis ex milio, sale, furfure, arena, terra, pulueribus chamęmeli, rutæ, anethi, lauri, seminum earum, stercoris caprarum, & aliarum rerum quæ huius sint naturæ. E Quòd si hæc prodesse non videantur, progrediendū est ad efficaciora, quæ conficiuntur ex testaceo aliquo vase, quod priùs susceperit maximum calorem intra sui cauitatem, ab igne aut decocto aliquo ex suprà dictis, vel vino feruenti, quod pannis inuoluere oportebit et parti apponere: item conficies ex eodem vase feruentibus cineribus pleno, ac panno laneo cooperto & parti apposito. Quibus factis, & vacuata materia, maximè si affectus flatus particeps fuerit, cucurbita magna cum multo igne iuxta vmblicum aut supra partem dolentem affigenda est, qua intestino restituitur calor, discutiuntur flatus, & sedatur protinus dolor: sed vtilior est eius vsus si priùs impleatur vino calido, in quo aliquid calidum & discutiens incoxerit, & ita calida adhibeatur.

Interim tamen dum hæc adhibemus, præsidia aliquot sumat laborans per os summo manè: primò

mellis rosati ℥. 2. quòd si parum ante prandium aut cœnam porrexeris, ex vsu facies, donec corpus purgationi paratum persuseris. In cuius auxilij administratione expendere oportet laborantes esse mox à principio purgandos, si aut dolor non plurimùm vrgeat, vel laborans crapula aut improba victus ratione vsus fuerit; sin aliter, differre purgationem oportet, donec aut dolor mitescat, aut alia auxilia nõ profint. Sed quò faciliùs residuum materię paratius reddatur, & reliquiæ conterantur, his oportet vti quę pręter id quòd humores extenuent ac incidant, calfaciat quoque, concoquant, & calorem reuocent, ac reliquias conterant. Huius naturæ est potio, q. ℞. *summitatum absynthij Pontifici. p. ß. seminis cymini* ʒ. 2. *ferueſiant in vino tenui odorifero, & expressio bibatur ieiuno.* Præstat & alia, q. ℞. *aquarum cardui benedicti, scabiosæ, naphthæ, aut decoctionis cinnamomi* ℥. 2. *aquæ nepetæ* ℥. 1. *theriacæ aut mithridatij* ʒ. ß. Item ℞. *menthæ viridis. m. 1. marrubij. m. ß. tepescant leuiter in vino tenui, & cum modico melle præbeto* ℥. 2. Eiusdem efficaciæ est vinum in quo ferbuerit modicum cimini, calami aromatici, galangæ, anisi & cinnamomi. Quòd si adhuc perstare dolorem constiterit, coniectandum est seu sim illius humoris copiam non leuem succrescere in ventriculo, quæ fomentum malo præstat: quapropter vomitibus singulis diebus aut tertio quoque die factis, minuenda est: quod tanquam peculiare præsidium consulo, non solùm dum dolor vrget, verùm præcauendi gratia. Cæterum si his factis iterum atque iterum, dolor non subsideat, clysmatis addere oportet pastillum ex castorio, & modicum philonij, ac omni arte somnum conciliare, dummodò eis cautè vtaris, etiamsi vltra mediocrem sit vrgentia: vtcumque tamen sit, satius erit bis terue in parua copia narcotica adhibere, quàm vt plurimum prosint, eam copiam semel adhibere, quæ postea læsura sit.

Vomendi vsus.

Si ex bile fiat.

At si dolor proficiscatur ex biliosis humoribus, magna diligentia, & sedula inspectione affectionem intueri oportet, nam in grauissimos affectus plerumque commigrare assolet. Sic in primis ab inedia cauendum est, sæpe enim acriorem reddit genitam, & eam quæ adhuc gignitur bilem, causa profectò maiorum symptomatum: succrescunt enim sic affectis vomitus biliosus aut æruginosus, conuulsiones ex punctis membranis, animi deliquia, syncopes & sudores rapto seroso humore in venas, qui aliquando protumpunt frigidi, & febres succrescunt, maximè suppressa vrina, quæ non rarò in hac causa (vel inflammati intestini occasione) supprimitur, quæ reuersa in nobiles partes, lethaliter remeat. In quibus sanè omnibus eadem curandi lex seruanda est, cæterum diuersa auxiliorum materia: nam præmissa leui purgatione ex cassia, rhabarbaro, syrupo ex infusionibus rosarum aut violarum, ex manna dissoluta in aqua lactis aut hordei, ad alia auxilia quæ mox referam te conferes. Hanc tamen purgationem facito potiùs paulatim & per epictasim, quàm confertim & aceruatim: cui vsui ℞. *tamarindorum, passularum, prunorum, florum intybi, borraginis, violarum, & summitatum lupuli an. p. ß. facta decoctione excipe.* ℥. 3. *syrupi violarum ex infusionibus.* ℥. 3. & ß. Facta igitur purgatione ventrem inungere oportet oleo violarum, amygdalarum dulcium, de semine lini, addito pauco chamæmelino: ab hoc, clysteribus vti oportebit ex decocto maluarum, hordei, violarum & nenupharis, additis saccharo & aliquo ex prædictis oleis: præstat etiam infundere ius pulli decocti eisdem rebus, addito butyro vaccino: item ex vsu est infundere oleum amygdalarum dulcium aut de semine lini, ius etiam extremitatum & intestinorum arietis: item alium clysterem conficies ex mucaginibus seminis lini, althææ, fœnugræci, psyllij, & cytoniorum, addito interim capite papaueris cum vitello oui, oleo violaceo, butyro recenti, adipe anserino, & saccharo. Quòd si suspicio sit exulcerationis, tunc plantago, rosæ, & similia decocto clysterium addenda sunt: laudantur insuper clysteria ex liquidiori hordeato, aut lacte amygdalarum dulcium, additis butyro, saccharo, & oleo violaceo, quibus etiam addes *pulpæ cassiæ.* ℥. ß. *aut catholici tantundem.* Ab his, etiam fomentis vti oportebit ex decocto rosarum, violarum, maluarum, seminis lini & althææ, in quo casu nõ licet ad alia fomenta deuenire. Vrgente interim dolore, vtile erit cataplasma, q. ℞. *farinæ lini & hordei, anà p. 2. coquantur in oleo chamæmelino & violaceo, & fiat cataplasma:* præstat etiam ceratum, q. ℞. *ceræ.* ℥. 5. *vitella ouorum. num. 2. farinæ fabarum.* ℥. ß. *olei chamæmelini & rosarum. anà* ℥. ß. *vitella ouorum cum mucagine seminis lini coniungantur, & cerato admisce.* Conferunt etiam balnea (quibus si sudor succrescat non erit inutile) ex decocto violarum, agrimoniæ, parietariæ, & meliloti. Verùm si eò dolor creuerit vt ad narcotica cogamur deuenire (quę frigiditate & retuso sensu malum corrigant) purgantibus admiscebis, quod vtilissimum in hoc malo fore iudico, licèt in alijs affectionibus, quibus dolor adeò vrgens non est, alienum à purgandi munere videatur: sic *philonij.* ℈. 1. *cum* ʒ. 6. *pulpæ cassiæ fistulæ* vtilia sæpe fuere. Cæterum expedit per superiora bilem & acres atque calidos humores compescere potibus aquæ calidæ, ac si corpus purgatum fuerit, potus frigidæ non parum prodesse, imo protinus dolorem sedare comperimus. Frigidis syrupis etiam & apozematis idem efficientibus vteris: in quo casu tertio vel quarto quoque die vti licet cassia fistula, præsertim ante cœnam sumpta.

Si verò ab inflammatione colon dolore afficiatur, purgatione vti nunquam licet, cæterum expedit tantum sanguinis extrahere ex basilica brachij dextri, quantum vires tolerauerint, & doloris vehementia poposcerit, bis terue si opus fuerit vena scissa: at si vrina simul ex magnitudine inflammationis supprimatur, id ex malleolo commodiùs facies, & alimentis etiam exhibitis ex pullorum iure & carnibus, prisana, amylo & reliquis quæ frigida & tenuis sint substantiæ. In quo casu clysteria etiam adhibere oportet, cæterum in minima quantitate, ne ex nimia, intestinum dilatetur & impensiùs doleat. Quamobrem infundere oportebit *quatuor aut quinque, & ad summum sex* ℥. *olei violarum vel rosarum, totidem lactis caprini vel asinini cum decocto hordei, violarum, maluarum, seminis lini & althææ:* exteriùs verò inungere oportebit partem eisdem oleis: sed mihi magis placet laxantibus vti, vt exteriori parte laxiori facta, faciliùs aliquid resoluatur: ob id quidem non displicebit vti oleo amygdalarum dulcium, seminis lini, sesamino, aut chamæmelino, cum gallinæ aut anatis pinguedine. Quòd si inflammatio ad resolutionem tendat (quod facile erit ex minori dolore cognoscere) consultissimum est prædictis oleis quæ per aluum infunduntur, parũ chamæmelini admiscere, vt commodiùs resolutio fiat: item adhibere oportet fomenta ex decocto maluarum, fœnugræci, violarum, seminis lini, & althææ. Verùm si ad suppurationem vergat (quod ex maioribus dolore ac febre facile erit nosse) necessum erit ex suppurantibus aliquid clysmatis admiscere, idq; leue, nam intestinorum caliditas & situs ad suppurationẽ ex propria natura sunt apta: et ob id ius aliquod aut decoctũ althęę sat erit. Rupto verò abscessu (dummodò ad internorum membr. locum non rumpatur, est enim miserabilis casus, cùm nullibi possit pus exire, nisi rũpat vel intestinũ rectũ, vel vesicæ collum, quod grauius adhuc est) velut dysenteriam abstergentibus curabis: verùm si ad cauũ intestinũ fiat ruptio, emplastris resoluentibus, fomentis fortioribus, balneis, cataplasmatis ex pane tosto,

fur-

furfure, stercore vaccino, & baccis lauri rem agere oportebit, periculosum enim est ad paracentesim devenire: verùm si pus sese insinuet alicui parti incumbere, non erit ab re, vel ea parte setonem adhibere, vel ferro candenti bis terue partem: sanus enim est aliquo, in re ad eò desperata, vti præsidio, quàm in certa desperatione ægrum deserere.

Si verò ex flatu affectus suboriatur, duo medendi ratio consulit exequenda: alterum, quo flatus omni ingenio dissipentur: alterum verò, quo tensa pars quodammodo laxior fiat. Quæ sanè opera perficere recte nemo vsquam poterit, ni occasiones, à quibus flatus excitantur, priùs sustulerit. Est autem occasio duplex præter crassam nimirum ac lentam, à qua locum quadam interna aut externa calorifica causa, vt exercitium, aut vini potus, aut sæpe frigidæ aquæ propter antiperistasim, flatus facillimè eleuantur: vel à calore imbecilli nequeunte flatum, quem eleuat, dissipare. Quapropter vtrique subueniendum est, sed primò tensioni particulæ, ne ex flatus vbertate maior fiat. Tensam primò partem lenies emollientibus clysmatis, qualia sunt quæ maiori constant parte olei, butyri, pinguedinis aut iusculentæ substantiæ cum mucaginibus psyllij, seminis lini, althææ, & radicum althææ, ac decoctione extremitatum arietis. Quã emollitione priùs facta excrementorum & intestinorum, discussorij vtedum est: quale existit quod recipit cuminum, anisum, cinnamomum, daucum, fœniculum eorum, baccas lauri, iuniperi, vrticæ semen, rutam, calamentum, calamum aromaticum & caryophyllos: quorum, aliqua decoctis addes, vel eorum oleum admiscebis. Quibus factis, tutiùs ad flatus discussionem per interna deuenies per ea quæ sæpius diximus: sed maioris momenti esse scito, id q. *℞. olei rutacei & nardini. an. ℥. i. galbani cum aqua vitæ dissoluti. ℨ. 3. liquefiant simul, deinde cum cera alba quod sufficiat, additis croci. gr. 6. fiat linimentum.* Prodest & oleum anethinum cum vitello oui addito pipere trito: item oleum de spica, de terebinto, de cinnamomo, de aniso, & balsamo atq; aquæ feruentissimæ potus, quo mirum in modum leuantur ex hac causa laborantes. Prodest & tacamaca Indorũ, & caràna vmbilico apposita: à quibus grandis cucurbita vmbilico aut parti signatim dolenti affixa incredibili efficacia prodest. Sed cauendum est in grauidis ab his quæ abortum faciunt, velut est castorium, euphorbium, & acria omnia, & quæ nimis poros aperiunt, quia fundunt sanguinem.

Verùm si suboriatur affectio ex duro & præter naturam retento excremento, quo intercluso meatu intestinorum, nulla patet flatibus via, quibus hi dolores concitantur, medebimur huic affectioni, primò cauentes purgationem, quæ fit medicamentis exhibitis per superiora, nam hæc potiùs trahent totius corporis excremẽta ad partem obstructam, quo grauius efficitur malum. Quamobrem pinguioribus & mollioribus clysmatis præmollire priùs durum stercus oportet, & obstructionem, hac lege auferre: quo fit vt sæpissime contingat dolores protinus cessare à fœcũ excretione. Conficiuntur hæc ex iure pingui, oleosis & mucilaginosis omnibus, à quibus si dolor nõ quieuerit, illa discutito eisdem omnino medicamentis quæ nuper diximus: hoc vno peculiariùs inspecto, nimirũ admiscenda esse prædictis emollientia pharmaca ac lenientia, qualia oleum amygd. dul. de seminelini, sesaminum, aut butyrum: ratio potissima est, quia cùm resoluentia medicamenta nequeant crassos flatus discutere, quin priùs rarefaciant & attenuent, hinc fit, ni pars priùs emollita sit, vt distenden ti flatui difficulter cedat & grauissimos efficiat dolores. Quòd si prædicta auxilia intus & extra adhibita ordine dicto non profuerint, ad alia duo confugiendum est, quæ peculiaria sunt huic causæ, nimirum ad

A potum aquæ feruentis, quod commune est ferè omnibus causis præsidium: nec minoris est momenti cucurbita parti affixa, si excrementorum aliqua præcesserit excretio. Quòd si ne hæc omnia prodesse videantur, ad ea quæ peculiari proprietate iuuant deueniendum est: consulit Gal. 10. simpl. lupi stercus (nec non & canis) in puluerem redactum, ac vino albo dilutum potandum date, maximè si stercus sit albidius: confert & cingulum ex pelle lupi: item galerita auis cremata & in vino exhibita: alia etiam reperies quæ nec nimium contemnere, neque eis plurimum fidere oportet.

Coniectabis insuper, an ex toto corpore quid in B intestina prolabatur, corpore sese in ea exonerante: tunc enim ad sudationes ex guaiaco & balnea sulphurea confugiendum erit. Quòd si ex capite fluxio sit, fugiendum est à balneo, quippe quod maximè eis nocebit, qui ad conuulsionem, resolutionem, aut arthritidem procliues sunt: quapropter in bis fontanellam altero brachiorum aperire vtilissimum erit. Atque hæc mihi de hac affectione sufficere videntur.

CAPVT XVI.

De voluuloso affectu.

Est enim ileos affectio grauissima & intolerabilis intestini cuiusdam ex tenuioribus, appellati C ileos, & ob id affectio hæc à plerisque ileos nuncupatur, ab Arabibus autem iliaca passio, à Latinis voluulus à symptomate quodam seu tortura ipsius ilei, intestini, à Græcis cordapson, ad similitudinem extentæ cordæ, nam tale apparet ad tactum ileos intestinum, dum hoc afficitur morbo: in quo supra vmbilicum propeimam eius regionem, durities quædam tensionem repræsentans comperitur, quod solet esse huius affectus certissimum indicium.

Dubitatione tamen dignum est, possitne symptoma hoc vitio aliorum intestinorum fieri, ac si fiat, an sit æquè graue & molestum. Cuius dubij gratia statuendum est, neque experimento, neque authoribus, D nequerationi id esse aduersum. Quippe et doloris situ euidenter constat infra vmbilicum non tarò fieri: quod etiam probat stercus per os reiectum: nam in ileo & tenuibus intestinis succosa substantia coctionis, distributioni, atque alimoniæ apta continetur: in crassis verò materia stercorosa ac fæcalis viget, qua per os excreta, verisimilius est conijcere eadem potius esse obstructa quàm tenuia. Cuius sententiæ creditur fuisse Galen. lib. 3. de facult. nat. cap. 13. vbi docet in ileo stercus à loco infra ileum intestinum existentem, quod erit crassum, ascendere ad partes superiores, & hic vomitum mouere: quibus constat experimentum probare crassorum vitio ileon succrescere posse. Quòd verò axioma hoc authorum decretis nõ E aduersetur, patet ex Galen. prædicto loco: & etiam ex Hippoc. 3. de morbis, ac. 3. pop. test. in 2. tex. 6. in historia mulieris iliacæ, dicente: *Præcordia dolebant*: sed circa præcordia ponitus est, colon intestinum: item inquit: *Et infra secundum ventriculum tormina perpetua*: at per *secundum ventriculum* intelligere solùm oportet tenuia intestina, cùm crassa, vt colligitur ex Galen. 4. de vsu part. inferiorem ventrem nuncupat, quo fit vt primus ventriculus sit alimentorum officina, secundus tenuia intestina, distributioni & vlteriori coctioni dicata: tertius & inferior erunt crassa fæcibus excipiendis idonea. Quapropter verbo (*infra secundum ventrem*) tormina, & exacerbationes dolorum, fuisse in crassis intestinis erit colligendum. Quod etiam Trallianus confirmauerat lib. 10. taxans eos, qui primo colici affectus accessu pharmacum præbent, statuit in his exacerbari adeò inflammationem, quòd in ileon morbum incidant:

Dubium.

cidant, sed colicus affectus est in crassis, ergo eis inflammatis pharmaco, fiet (vt ipse refert) ileos: prætterquam quod Gal. comment. voluulosæ mulieris, hoc idem confirmat, quantumuis omnibus dictum sit fieri solum in gracilibus. Tertiò & vltimò id fieri probatur ratione: nam inflammationes, & omne tumorũ genus, & pituitæ congestiones, ac stercoris duities & copia, crassis æque ac tenuibus accidere possunt, ergo & voluulus. Quòd si dixeris patentiora esse hęc intestina, & ob id minus hoc malo molestari, libenter concedam, cæterum non ob id negari potest eadem lege aliquando hoc malo affici posse. Quinimo ex vi primæ rationis arbitrandum est, dum hoc affectu premuntur, longe grauiorem fieri quàm in ipsis tenuibus: prætterquam quòd colon intestinum attingit iecur & splenem, quo eius affectiones grauiores erunt. Verùm si quis aduersus hanc sententiam adduxerit Galenum qui loco citato hæc refert verba. *Qui stercus si vomat, clarissimum sit tibi signum subtilia intestina esse affecta:* quo loco tanquam certum signum læsioni gracilium, statuit stercoris vomitum, Cui loco dicendum est potiùs ea sententia posse probari contrarium: dum docet dum stercus euomitur, gracilia laborare per consensum à crassis affectis, siquidem dum gracilia laborant per essentiam, non opus est stercus euomi, quapropter dicit, scito ea laborare, hoc est per consensum: nam lib. 3. populatium. parte. 2. commen. 7. se es ponit docens non sibi placere eorum sententiam qui tenent solis gracilibus ileon accidere, quam velut probauerat. 6. & 6. aphorism. clarè afferens ileum etiam in crassis fieri intestinis,

Vniuersa autem huius morbi ratio, vt Galen. docet. 6. aphorism. 44. & 6. de locis cap. 2. sita proculdubio est, in eo quòd intercludatur via intestinorum, per quam alui excrementa deorsum feruntur atque eorum transitus intercipiantur. Itaque symptomatis huius causa morbus est in via, quem quidem mille aliæ causæ efficiunt: ex quibus prodit hunc affectum esse maximè acutum, & qui grauissimos aliquando, & nonnunquam leues soler concitare dolores, seu vt Aetius scribit intestinorum affectionem lethalem dolorem inferétem, anxietatem & inquietudinem. Adest etiam & frequentissimus vomitus, in quo non solum alimenta excernuntur, & humores vitiosi atque corrupti, verùm quod grauiùs est stercus ipsum. Quatenus autem ad dolorem attinet, disputatione dignum arbitrior, sitne is dolor grauior & acerbior eo qui in colo visitur: cuius enodatio longiorem disputationem es postulabar, si hoc scribendi institutum permisisset, cùm Galen. 2. de loc. affect. cap. 5. referat, in colo grauiores fieri, & li. 6. cap. 2. asserat in ileo grauissimos etiam. In qua resciendum est, duobus modis posse hos dolores fieri, nunc maiores in ileo, nunc in colo: vno quidem ratione modi agendi causæ, nam in colo soluit continuum, & ob id maiores efficit dolores: in ileo verò occludit vias & solùm tunicas intestini distendit, quo fit vt necessum non sit ita graues succrescere dolores: verùm si in ileo continuum etiam soluatur, vt cùm ab inflammatione aut inuiscatione humorum in tunicis prodit, tunc profectò longè grauiores efficit vt Galen. 6. de loc. capit. 2. statuerat, quia certum est ratione exactioris sensus partis, longè maiores fieri posse in gracilibus intestinis. Secundo autem modo id contingit ob causæ vehementiam quæ maior plerumque in crassioribus viget: nam ob membranarum crassitiem, & adipis copiam, multa pituita & copiosi flatus congeruntur, quæ horum dolorum causæ sunt, quibus gracilia intestina carere certum est. Cum hoc tamen ratio grauitatis dolorum & periculi in ileo est, quia quæuis causa accedat, res est multo quàm in colo grauior, quanto angusti meatus difficiliùs & maiori negocio aperiuntur, & periculosiùs membra vicina nobiliora laborant.

Causæ. Oritur autem huiusmodi affectio ex inflammatione intestinorum, maximè ilei, scirrho, tumoreue quouis præter naturam, stercore duro alimentorum transitum impediente, ex humoribus crassis ac lentis, aut ex crudis, corruptis & copiosis edulijs, ex veneno sumpto, ex frigidæ potu, vel ex læsa virtute expultrice, quę vel impeditur aliqua ex prædictis causis, vel aboleretur intemperamento aliquo. Pręter quas causas, alias maioris momenti adstruit Galen. 3. de cau. symp. & eas varijs comprobat exemplis, quippe scribit hunc affectum fieri posse vitio trahentis facultatis, eius nimirum quæ in ventriculo & intestinis alimenta allicit, dum euerso agendi ordine procedit, videlicet ab infimo intestino facto tractionis exordio. haud secus quàm in vomitu contingit, in quo villi oblongi œsophagi incipiunt trahere ab infima parte dum vomitum mouent, sicut à suprema dum voram seu deglutitionem exequantur. Sic profectò res prorsus contingit in voluulo; quam rem experimento comprobabis clysmate iniecto, quod vomendo regerit natura, nullo alio medio quàm facultate initiante motum tractionis à recto intestino sursum, ac rursus meseraicis sugentibus & trahentibus ad ventrem vsque: quod ego verius arbitror, quàm quod intestina possint eo impetu sursum allicere. Arbitrandum tamen est hunc tractum esse aliquo modo pulsum, siquidem tractiones naturales solùm propter potiri fiunt, idq; non extra corpus, sed tantùm ad partes alendas at is tractus cum extrà feratur, potiùs de sorte pulsus haberi debet, cuius modum & causam ad vnguem nosse oportet, vt etiam constet qualis futura sit medendi ratio: nam sæpe quę roborant & adstringunt, copiosioris fluxus existunt causa, & quæ laxant & molliunt, cohibent & compescunt. Item prodit ex prolapso in scrotum intestino. Nec desunt qui existiment ex flatuoso quodam spiritu contorquéte & inuoluente intestini cauitatem fieri etiam posse, nec non ex partium vicinarum inflammationibus, compresso subinde intestino: quibus accedunt causæ externæ, quas non rarò id malum efficere conspicimus, quarum meminisse non est opus, vt recenset Gal. 6. aphor. 44. nam cùm vniuersa huius affectus ratio sit ilei intestini vel aliorũ adeò pressa & grandis obstructio atque coarctatio, vt nihil deorsum abire permittat, proculdubio sat est nosse, illi causá præstare quæcumque vias seu meatus intercludere possunt, siue id per coalitum, angustiam, obstructionem, compressionem ac subsidentia fiat. Verùm vt quis rem diligentiùs calleat, vt Gal. loco citato expendit satis ingeniosè, reperiet quidé has omnes causas posse quodammodo arctiorem reddere intestini viam, cæterũ nó subinde omnes natæ erunt id efficere. Nam cùm vniuersa huius mali ratio & periculi modus ab ea obstructione prodeat, quæ omnino transitum excrementorum deorsum interdicat, eas solùm eiusdem causas arbitrari oportet, quæ id efficere natæ sunt, quæ verò leuiter & non omnino, minimè. Cæterum si quis velit exactè ea dubia dirimere, & Galenum à contradictione vendicare, expendat ileum (sicut plerosque affectus) duplicem esse; alterum legitimum & exquisitum, in quo vt est omnimoda intestini obstructio, ita & omnimoda priuatio descensus excrementorum, & subinde huic tantùm causæ erunt, quę omnino viam obstruere possunt: tales sunt tumores præter naturam, & stercoris copia atque induratio: ergo credibile est optimè loco citato Galenum dixisse has solùm esse huius morbi causas: cæterum per tumores audire oportet (vt Galenus refert. 3. populatium, parte. 2. comment. 7. & 6. de locis. capit. 2. ac. aphorismorum. 22.) vel abcessum, collecta materia in substantia intestinorum, vel du-

rum

rum tumorem, vt scirrhosus est, aut cancrosus ea duritie præditus, vt vias coarctet, & minimè locum cedat excrementis. Alterum verò spurium, & illegitimum arbitrari oportet, in quo neque omnino interclusa est via, neque ex toto aliquid descendere prohibetur: cuius profectò censendum est causas esse pituitosum succum, & flatum, atque alias, quæ ab authoribus recensentur, quas potiùs voluulum per similitudinem, quam verum efficere posse arbitramur. Quapropter Galenum censeo dixisse 6. aphoris. 44. posse quidem obstruere, si maximæ iungantur frigiditati, non aliter, nam sub dubio eam assignat, quod nouisse ad curationem maximi est momenti.

Signa. Signa verò huius affectus, vt similia quodammodo sunt colicis doloribus, siquidem dictum est in crassis etiam intestinis ileum fieri posse, ita quoque primo accessu videtur causarum ratione non minus assimilari. Sic etenim dictum est in coli dolore inflammationem, stercus copiosum, & durum, pituitam, & flatum, vt causas reperiri, cùm affectus longissimis interuallis dissideant: sed re vera si quis naturam vtriusque expendat, reperiet vt differunt, ita quoque signa, & causas aliquo modo differre, saltem earum agendi modum. Differunt enim primò ratione affectus, quia in colico dolore præcipua ratio mali est dolor, licet morbus in intemperie cum affluxu materiæ sit: in ileo verò symptoma præcipuum est (licet etiam dolor adsit) abolitio, & defectus excretricis facultatis, morbus tamen est in via, & grauius symptoma, vomitus etiam stercoris.

Dubium. Quo in loco dubitandum est, an sit inseparabile in ileo nihil inferiùs descendere: nam id statuerat Galenus 7. aphorismorum 10. etiam si acerrimo vtaris clysmate, vt addit 6. aphorismor. 44. Quam profectò sententiam videntur omnes authores recepisse: cum hoc tamen constat Hippocratem contrarium scribere 3. popularium par. 2. text. 7. in Historia mulieris voluulosæ, quæ apud Fisamenum decumbebat, quippe in qua: *Deiectiones tenues, crudæ, paucæ*: quam sententiam Galen. & reliqui prætermiserunt. Verùm si quis rem diligentiùs penset, reperiet vtramque opinionem esse veram: nam nihil descêdere in ileo, verissimum est, si legitimus sit, & exquisitus, & qui omnino factus existat, vt appellat Medicorum vulgus: cæterum in spurio, & illegitimo, & in quo non omnino viæ obcæcatæ existunt, siue causæ defectu sit, siue intestini amplitudine, vel quia nondum morbus factus est, mirum non erit si aliquid descendat, non solùm eius quod adhuc præfuerat in intestinis, sed etiam eius quod quotidie descendit: qua ratione censeo Hippocr. consuluisse libro 3. de morbis, suppositorijs vti ex melle, & felle taurino. Præterea differunt causæ ratione, nam licet vterque fiat ab eisdem, colicus tamen dolor prodit ab eis tanquam soluentibus continuum, vt quæ inuiscatæ sint in intestini substantia, & intra eorum tunicas: nam dum in cauo insunt, licet dolorem quoque concitent, leuem tamen efficiunt, & affectum ileo persimilem, quòd viam excrementis interdicant. At eædemmet causæ ileum etiam pariunt, non quidem vt continuum soluunt, & ob id non opus est adeò intensos fieri dolores, sed vt viam intercludunt: ex quo prodit, ex causis quæ colicum excitant, plures non posse efficere verum, & legitimum ileon. Et rursus signis summoperè inter se dissident: & relictis his quæ scripsimus capite de colico dolore, explicat breuitate quadam mirabili signa omnia huius mali Hippocrat. libro 3. popularium parte 2. ægroto 6. Vbi primùm refert adesse huic dolorem, ex quo & eius situ venatur eius naturam, nam immoratur inhærens iuxta gracilia intestina ad ventriculi radicem, qua parte intestinum volutur, licet ad latera sub hypochondrijs etiam tormina persuadere ea parte referas, nam illegitimus erat

A ileos, & in crassis intestinis. Adest frequens vomitus, vt neque potus contineri possit, quod facilè huic intestino affecto ventriculus consentiat: præterquam quòd ab excrementis retentis, vitiosis, putridis, olidis, & corruptis necessum sit adeò offendi, vt vomitum, & singultum non tarò suboriri contingat. Quæ sanè symptomata, vomitus maximè, licet colico dolori etiam adsint, non tamen semper, & omnium alimentorum, aut excrementorum, vt ileo, in quo vsque ad stercus procedit, vt Galen. ait 7. aphorismo cum comment. 6. & quod difficilius videtur, adeò sese natura in ventrem rapit, vt & iniectum per anû clysterem, per os vomendo protinus fundat. Succrescit etiam ob consensum capitis, & ventriculi delirium, & conuulsio interdum: neque ob id desinit

B natura id, quod in ventre molestat, persentire, & ad vomitum rapere: nam cùm ex inferiori parte intestinum constringere se cœperit, quæ in superiori parte continentur (vt 3. de symptom. caus. & 3. de ratione vict. idem Galen. insinuat) summopere coarctatur, adeò vt sursum pellat: nam cum pellere deorsum non possit, peruersa quadam motione, & contra natiuum institutum, sursum exprimit ordine verso, cùm descensum excrementorum sæpè tentans, non inuenerit, neque consequuta fuerit. Multis etiam vrina supprimitur, aut redditur citra vitium, aliquando rubicundior, & turbulentior, & difficulter redditur: venter inflatur, respiratio citatior, & difficilior efficitur. Adest & tremor cordis, synco-

C pe, vigilia, extremorum frigiditas cum inutili sudore, animi angore, angustia, & inquietudine: & adeò vniuersum corpus turbatur, vt timendum sit mortiturum citò laborantem. Verùm licet hæc sint communia omnibus qui sic affecti sunt signa, adsunt tamen alia iuxta causæ diuersitatem, quæ peculiariter aliquid aliud in eo morbo monstrare nata sunt. Primum enim voluulum ab inflammatione proficisci monstrant, inter initia dura, & sicca alui excreta, vt Galen. 3. prorr. 60. & 3. de ratione victus: monstrat etiam vrinæ suppressio, quòd vesica comprimatur, vel consentiat, febris acutior, & quæ indies crescit, maximè cùm exacerbatur dolor, qui crescit inter vomendum magis, quòd pars affecta, & inflammata

D moueatur, grauiùs olent laborantes, & protinus frigidum cum angustia, & syncope sudant, tormina versus hypochondria descendunt, dolor ad tactum grauior, & ea parte firmior, ex quo affectio citiùs stercus euomitur, quòd minùs ob doloris grauitatem conetur natura deorsum pellere. Morbus acutior est, & vomitibus biliosis infestatur, nec non & pituitosis, quia ventriculus in consensum trahitur. Huic finitima signa sunt quæ reliqui tumores præ se ferunt, licet non sint pari vehementia prædita: sic durities ad tactum maior sentitur, & in parte affecta pondus, ac præcessit ventris durities diuturna: ita si cancri naturam acquisierit, aderit in duritie inæqualitas, punctio, & mordacitas intolerabilis, quæ in

E quauis fæcum excretione vehementer exacerbatur. Ob durum stercus proficisci cognosces, quòd præcesserit alui insolita adstrictio, quòd dolor non sit adeò intensus, quòd ad tactum durities circa magnû dolorem percipiatur, quòd flatus sursum frequenter excernantur: hi enim singultiunt, tarò febricitant, vomunt biliosum, & pituitosum, ac morbo crescente, stercus. Fieri tamen à copioso flatu disces ex vehementi ventris murmurio, ac tensione, ex dolore maiori, sed per interualla, & vices, item à copioso flatu excreto per ructum, quo leuamen sentit laborans. A veneno aliquo assumpto proficisci, ex relatione eorum quæ præcesserunt disces, sicut si ex frigido externo, aut potu frigidæ principium sortiatur. Pituitosum viscidumque succum cognosces ex ante acta vita, ex dolore mitiori, ex leui quadam per aluû

exc re-

excretione, eaq́ue mucoribus plena. Ex impotentia facultatis expultricis fieri percipies, quia citra tumorem, aut dolorem ad tactum appatet venter nullus aderit flatus, neque vomitus, aderunt tamen inappetentiæ ciborum, & ſubuerſiones, reſpirationis difficultas, & ex retento ſtercore alia ſuccreſcunt creſcente malo accidentia. Vltimò tamen diſtinguere oportet, ſit ne affectio in gracilibus an in craſſis inteſtinis: quod diſces (præter ſigna quibus ileum à colico dolore diſcerni diximus) quia gracilibus patientibus, vehementiores, & crebriores ſunt vomitus, & potum continere nequeunt ob ventriculi viciniam, & conſenſum, & adhuc magis, inquit Galen. ſi nihil per aluum excernatur. Qua ratione expendendum eſt, quòd affectis inteſtinis ſuperioribus, infra locum affectum ſolent ſubſidere fæces, quę in principio morbi excernuntur: at affectis craſſioribus parum quid ſubeſt, & inferiora magis cum loco affecto conſentiunt: quo fit, vt craſſioribus inteſtinis affectis, omnibus excrementis citiùs, & validius, quàm affectis tenuibus, via præcludatur.

Præſagiũ

Præſagium profectò in hoc malo deterrimum plerunque eſt, ita vt ex his qui ſic afficiuntur, pauci ſuperſtites viſi ſint, cùm ex internis inflammationibus pauci euadant. Eſt enim res in hoc inteſtino longè grauior quàm in colico affectu, quanto anguſti meatus difficilius, & maiori negotio aperiuntur, licet ratione fæcum grauior efficiatur in craſſioribus, vt dictum eſt. Prætereà eò grauior efficitur, quo frequentiùs ſuccreſcunt vomitus, ſingultus, deſipientia, conuulſio, maximè ſi ſtercus per os reddentes. Sed inter eos qui ſic affecti ſunt, deteriores habentur qui ex inflammatione laborant, mox qui ex duro ſtercore, poſteà verò qui ex flatu, tandem minus qui non exquiſito ileo premuntur. Conſtituunt ex Arabibus Auicenna, & Raſius 3. continentis quinque gradus deterrimi præſagij in ſic affectis: primus & ſummè malus eſt eorum qui ſtercus euomunt: ſecundus eſt ſudor à toto emanans fœtidus: tertius cùm ſpiritus emittitur per reſpirationem fœtidus: quartus cùm ructus etiam fœtidus eſt: & quintus dum is qui per aluũ excernitur crepitus fœtidiſſimus exit. His accedit vrinam prauè vitiari, nam licet optima non ſit fidum ſalutis ſignum; eſt tamen deterrima firmum prauitatis affectus, & mortis indicium.

Curandi ratio.

Non minus profectò varia ſeſe offert curandi ratio in hoc affectu, ac varia exiſtit cauſarum ſors: ob id dum ex inflammatione ipſius inteſtini, vel craſſorum, aut vicinarum partium ſuboritur, ſi virtus admodum non reluctetur, ab internæ cubiti dextri venæ inciſione principium curationis inſtitues, idque iterum facito ſi vrgeat affectus. Nam licet ab Auicen. dictum ſit: Rarò coniungitur colica cum phlebotomia, non de inflammatione intelligendum venit, ſed de reliquis cauſis. Exteriùs verò ea ſunt adhibenda medicamenta, quæ inflammato inteſtino colo proficua eſſe diximus: cauentes tamen ne vſquam expurganti vtamur medicamento, ſed clyſteribus partim anodynis, partim verò emollientibus. Tandem detracto ſanguine eis vteris, quæ vim habeant repellendi, leuem tamen, velut eſt roſaceum digerentibus admixtum, vt decocto chamæmeli, anethi, fœnugræci, & ſeminis lini. Cucurbitæ etiam cum ſcarificatione in inguinibus, aut prope affigendæ ſunt, & clyſtere vtendum quod detergat, & emolliat, vt ex ptiſana, oleo roſaceo, & decocto plantaginis cum vitellis ouorum: quibus in progreſſu addatur oleum chamæmelinum, aut decoctum ſeminis lini, chamæmeli, & fœnugræci. Sed per os porrigenda ſunt quæ citra adſtrictionem refrigerent, vt decoctum maluarum, lactucæ, ſcariolæ, ſolani, & violarum, item & ptiſana. Tamen ante omnia mox à ſanguinis detractione imperanda eſt ciborum ab-

A ſtinentia, ſaltem viginti horarum: poſteà verò vel ptiſanam, vel galli veteris iuſculum porriges, idque conficies paſſulis, violis, & butyro. Poſt hæc locus affectus vngendus eſt his quæ modicè repellant, vt roſaceum, vel vinum adſtringens, vel idem roſaceum cum modico aceto lana imbutum. Formentur etiam cataplaſmata ex plantagine, ſolatro, endiuia, portulaca, quibus contuſis admiſceantur lutea crudorum ouorum cum roſaceo. Proſunt & mala cydonia decocta in poſca dilutiori, & roſaceo, quibus neque calidis, neque frigidioribus vteris, ſed modicè temperatis. Prodeſt item ſumere *olei amygdalarum dulcium* ℥. 3. *olei chamæmeli* ℥. 2. *farinæ fabarum* ℥. 1. *lutea ouorum numero* 5. *mucilaginis ſeminis lini*

B *quod ſufficiat ad formandum emplaſtrum, oua, & farina leuigentur, atque tunc ceratum refrigeratum inijciatur, & ſubigantur omnia.* Poſtea fotibus vteris ex decocto herbarum emollientium, vt capite præcedenti diximus. Tandem, ſi dolor ſit vrgentiſſimus, ad ſyrupum papaueris, aut *philonij* ʒ. ß. deueniendum eſt.

Quòd ſi ex humorum redundantia affectus oriatur, acribus clyſteribus vtendum eſt, & frequentia, ac paulatina purgatione, medicamento quod ideam humoris reſpiciat: priùs tamen acrimoniam calidorum, & biliosorum compeſces, ac incides, & calfacies eos qui frigiditate pollent, ea lege quam adduximus capite præcedenti, dummodo citatiùs, & celeriùs huic malo ſubuenias. Cui vſui ſciendum eſt fri-

C gidæ potum in bilioſis ſæpè hoc malum auferre; ſicuti calidæ, aut feruentiſſimæ, dum ex frigiditate externa, aut flatu malum oritur. Verùm, ſi adhuc pituitam præeſſe conſtiterit, vtendum eſt decocto raphani, vel infuſo, vel ſtillatitia eius aqua: cuius cenſus eſt vinum potens in quo aromata, vel herbæ incidentes, vel attenuantes ebullierint, maximè ſi aquę vitæ modicum addideris, aut melli roſaceo admiſcueris. Quòd ſi prædicta medicamenta prodeſſe non videantur, ad ea quæ pituitam diſſecare poſſunt confugiendum eſt: quem præſtat mel; aut oxymel ſcylliticum, vel *olei vitrioli optimi præparati* ℈. 1. *cum vino albo* (quod Chymiſtæ tanquam ſingulare præſidium commendant, ſed cautè facito) *vel* ʒ. ß. *olei*

D *aniſi*. Prodeſt & theriaca cum aqua vitæ, aut aqua cinnamomi cum melle roſaceo. Clyſteria item calfacientia, & vehementer purgantia eſſe oportet, quale eſt quod paratur ex decocto agarici, pulpa colocynthidis, aut centaurea minori, cui adijcies hieræ logodij, aut benedictæ, catholici, diaphœniconis, aut hieræ picræ quod ſufficiat, initio tamen ſumpto à leuioribus. Vtcunque tamen inſtitueris, modicum adijcies aquæ vitæ, quæ præſtantiſſimi eſt vſus. Quibus vel aperta obſtructione, vel ad id parata materia, validioribus pharmacis quæ inferiùs purgent, vti tutiùs erit quàm paulatinis.

Si verò excrementorum durities cauſam præſtiterit, emollientia medicamenta per vtrumque ventrem

E immittenda ſunt: cauere tamen oportet trahentia, ſeu eligentia pharmaca, ne plus humoris, aut excrementi ad obſtructam partem deferatur. Ob id conſultiſſimum eſt in hoc affectu, *tertio quoque die ante cœnam ſex, aut ſeptem drachmas pulpæ caſſiæ fiſtulæ ingerere, vel ſummo manè, & mox à ſumptione ius pulli ſumere*. Sed maximi eſſe momenti comperimus *eiſdem horis ſumere* ℥. 2. *olei ſeſamini, de ſemine lini, aut amygdalarum dulcium*. Clyſteria etiam putrida ex vſu eſſe ſolent, vt quæ emolliendi vim habeant, & conficiantur ex decocto radicum, & ſeminis althææ, fœnugræci, ſeminis lini, & violarum, cũ butyro, & oleo dulci: item proſunt clyſteria ex hydræleo, nec non ex iure pulli cum butyro, aut oleo ſeſamino. Exteriùs verò inungere oportet ilei regionem prædictis oleis, & partem fouere decocto ſeminis lini, fœnugræci, althææ cum butyro, & axun-

gia,

gia, item oleo in quo ferbuerit radix althææ, & semen lini, psyllij, & citoniorum. Tandem exteriùs perfusiones, irrigationes, fomenta, cataplasmata, insessus, & balnea ex rebus emollientibus adhibere conuenit: sed inter probata auxilia præcipuè annumeratur balneum olei, aut aquæ tepidæ; ante tamen clystere emollienti iniecto, qui fiat ex iure pingui, oleo dulci, amygdalarum dulcium, butyro, mucilaginibus althææ, maluarum, seminis lini, fœnugræci, aut citoniorum. Quo facto, mox à balnei egressu, transacto vnius horæ spatio, ex acribus clysmatis aliquod inijcere oportebit, quo irritata natura educat quod præcedentibus auxilijs emollitum est.

Cæterum si flatuosa substantia, quæ contorsit intestinum, aut (quod ego magis arbitror) anfractus, & sinus vehementer distendens, causa sit, etsi leuis appareat primo accessu, iudicio tamen nostro difficillima, & periculosissima existit. In qua re duo supersunt præsidia, præter calorifica, & humida, quæ intus, & extra adhibentur: primum quidem est (licet mihi non plurimum arrideat) follibus magnis per imum ventrem intestina vehementer inflare, vt aeris impetu intestinum ad pristinam redeat figuram. Quo præsidio vsus fuit Hippocra. libro 3. de morbis ad aperienda intestina stercore obstructa, vt subesset deinceps locus clysmatis emollientibus: sed neutrum censeo posse innocuè præstari. Secundum præsidium est alicuius rei grauis deuoratio, qualis est limatura chalybis præparati, & opiata quæ eo accepto conficitur, nam difficile est credere, flatuosam substantiam grauitati chalybis posse resistere, atque id iudico præstantissimum fore præsidium, maximè si aliquod laborans possit efficere exercitium.

Nec minoris est momenti ea fæcum retentio quæ ex virtute excernente abolita succrescit. In qua re arbitrandum est facultatem non excernere, vel quia veluti paralysi afficitur sentiendi potentia, cui munus est excernentem ad motum expulsionis excitare: vel quia non descendit bilis quæ ipsam irritet: vel quia licet descendat, ob pituitæ copiam intestina morsu, aut irritamento carent. Quapropter iuxta cuiusque naturam curandum est cuique subuenire. Sic dum pituita obducuntur intestina, abstergentibus clysmatis, & his auxilijs, quæ ipsam repurgent, vtendum est, velut superius diximus. Si verò bilis non descendat qualis, & quanta præterequiritur, acrioribus pharmacis quæ purgent, & per clysmata irritent, & defectum bilis suppleant, vtendum est, quorum sufficientem copiam nuper adduximus. Verum si facultas fuerit sopita, clysmatis vteris quæ vim habeant calfaciendi, & resoluendi pituitam quæ in intestinorum substantia (non in cauitate vt in prima causa) infarta est: talia enim conficiuntur ex vino, aut decocto ligni guaiaci, chamæmeli, rutæ, anisi, baccarum lauri, galangæ, vel aristolochiæ, siue in vino, siue in aqua fiat, cui addes oleum chamæmelinum, anethinum, rutaceum, anisi, baccarum lauri, costinum, de piperibus, & de castoreo, addita theriaca, & hiera logodij, aut picra: prosunt etiam clysteria ex aquis balneorum sulphureorum, vel salsuginosorum. A quibus inunctiones ex prædictis oleis adhibebis, aut fomenta parabis ex vino, prædictis decoctis, aut aquis balneorum, addita theriaca. Quibus factis corpus purgare tentabis his quę fæces educant primò, & mox quæ pituitam: postea tamen per os vinum generosum aromatis conditum aut raphanis feruefactum, quod mirum in modum prodesse potest, porrigito: eiusdem etiam vsus est aqua vitæ per se, aut alijs præsidijs admixta, aut eius aliqua portio clysmatis addita.

Superest adhuc alia causa præter dictas, veneni nimirum sumptio, cuius curationem præstant au-

A xilia alexipharmaca, iuxta veneni naturam, & indigentiam.

CAPVT XVII.

De Hæmorrhoidibus.

QVamuis hæmorrhois proprio significato, quemuis sanguinis fluxum significet, peculiariter tamen designat sanguinis melancholici fluxum qui fit per venas ad podicem desinentes, quæ ab ea affectione nomen habent: ob id enim hæmorrhoides appellantur, quòd sanguinem fundant, aut saltem ab alijs partibus ibidem effusum contineant, B vt vsus tempore expellant. Quapropter censendum est Galen. libro 6. popularium parte 5. text. 25. has venas sanguifluas appellasse: quo fit, vt magis propriè has venas, dum fluunt, hæmorrhoides appellemus, quàm dum cœcæ sunt, licet communiori significato vtrasque hæmorrhoides nuncupemus: cum hoc tamen certum est cœcas potiùs esse hæmorrhoidum symptomata, quàm veras hæmorrhoidas. Verùm cùm sanguis multis occasionibus, & causis per anum fluere assuescat, discernendum profectò primò erit, quando fluxio illa hæmorrhoidi peculiariter tribui debeat, quando verò alijs causis, & affectionibus.

Cuius dubitationis gratia sciendum est sanguinẽ C ab ea parte posse fluere per hæmorrhoides verè appellatas, per sycosim, siue ficum, & thymum, siue mariscam, affectiones quidem multis numeris inter se dissidentes. Thymus enim per tuberculum definitur carnosum floris thymi figuram referentem, qui sanè facilè funditur, & cruentatur, ac fundit ex se sanguinem, multis adnascens particulis, cum dolore, aut secus, varij coloris, & malorum accidentium plerunque particeps: sycosis verò eiusdem est naturę, minor tamen aliquando. Confundunt etiam Medici mariscas cum hæmorrhoidibus, cùm re vera illæ tantùm generentur ex præpostera venere, immodica equitatione, vel attritione qualibet in ea parte facta: at hæmorrhois nihil aliud est quàm sanguinis profu- D sio per venas ani, aut in illis tumor ab affluente, & contento ibidem sanguine.

Vt quis exactè intelligat huius affectionis vim, & naturam, expendat primò quam disseminationem, & originem prædictæ venæ sortiantur: & omissis de hac re varijs sententijs, certum est ad anum terminari iuxta eius partem externam venarum quosdam ramulos à venis, qui è vena caua descendente disseminantur, in gratiam, & alimoniam partium quæ sunt iuxta anum, exortos: item ex ramo splenico etiam descendit, & ad innma podicis pertingit ramulus, qui hæmorrhoidalis quoque efficitur. Maior tamen copia ramorum à venis meseraicis in eius partis internam regionem protenditur, & hæmorrhoi- E das efficit. Ex quo ramorum ductu certum est quasdam ex hæmorrhoidibus esse externas, & quæ conspicuæ fiunt, quæ videlicet à venæ cauæ ramis descendunt: quasdam occultiores, interiores, & abditas, eas nimirum quæ à meseraicis disseminantur. Sed vtcunque sit, ab vtroque venarum ductu multis modis fieri possunt hæmorrhoides: nam aut apparent, & sunt magnæ, aut paruæ, copiosiores, vel paucæ, recentes, aut inueteratæ, cœcæ, aut fluentes: quouis autem modo ex prædictis fiant, solent varijs apparere figuris insignitæ: nam quædam ambustorum vesiculis similes existunt, ob id vesicales appellatæ, prædominante in eis pituitoso, & seroso sanguine: aliæ rursus vuam referunt, vuales dictæ, ab vberiori sanguinis fluxu ortæ: nonnullæ morotum effigiem æmulantur, quas morales nuncupant, melancholici sanguinis vbertate genitas: aliæ item verrucales,

rucales, aut morales dictæ, tum ob figuram, tum verò ob humoris redundantis copiam. Itaque hæ sunt peculiares cuiusque conditiones, & figuræ, & communis omnium natura est tumorosa in prædictis venis eminentia.

Causa. Cæterum causas hæmorrhoidum qui indistinctè quæsierit, facilè adhuc eis inuentis hallucinabitur. Non enim hac in parte nobis in animo est vtcunque causas quærere, sed qua ratione aliquando, & quid fluxui causam præstet, & quid rursus eas cœcas, tumentes, dolorosas, vel inflammatas effecerit. In primis tamen exquirendum est, quanam ratione prodeant hæmorrhoides potiùs in ano quàm in quauis alia corporis parte, cùm certum sit mille in locis reperiri posse venarum extremitates, per quas eodem modo natura sanguinem fundat. Cuius rei gratia sciendum est, quasdam partes naturam ex instituto imbecilles fecisse, vt recipiendis humoribus qui superuacui sunt, idoneæ fierent: quod sanè vt consequeretur, easdem molles, laxas, ac simplicioribus meatibus præditas fabrefecerat: cuius naturæ sunt adenosæ, & glandulosæ partes, quas tanquam emunctoria viscerum, & capitis, creatas fuisse nemo ambigit. Verùm cùm prouecta ætate (nam ante pubertatem hæmorrhoides raro succrescunt) necessum fit plerunque humoris melancholici plurimum generari (tum ex solidiori alimento, tum verò ex studijs, laboribus, & curis) quod per emunctoria illa communia, & adenosas partes permeare, & expurgari, ob propriam crassitiem erat perdifficile, decreuit sagacissima natura huic humori expurgando locum quendam instituere, quo faciliùs venosum genus à sanguinis fæce, quam splen nequit attrahere, se se exoneraret: huius naturæ sunt venæ quæ ad podicem conscendunt, quibus ob id oscula tribuit laxiora, & ampliora, ac molliori substantia intertexta, atque etiam molli quadam tunica cooperta, vt ea ratione imbecillitatem contraherent. Cui quoque operi non parum iuuat situs, & nimia humiditas, qua pars naturaliter ob excrementorum alluuiem abundat: quibus faciliùs succum sibi commissum susceptarent: quo suscepto, si quid per oscula exudat intra pelliculam contentum, cœcas hæmorrhoides, & tumentes constituit: tum quia quod fluit crassius, frigidius, & transcolationi ineptius est: tum verò quia tunica osculum venarum ambiens, densior aliqua occasione, vel ob siccitatem humoris contenti facta, non permittit succum exstillare: atque hæc est potissima cœcarum hæmorrhoidum causa. Verùm si quod ad extrema venarum peruenit, tenuius est, calidius, aquosius, aut ad feruorem ductum, vel prædicta tunica rarior, laxior, & mollior, hæmorrhoides quidem fiunt, quia in tumorem eleuantur, sed fluentes ob dictas occasiones. Hac enim ratione factum est, vt ex necessitate naturæ prodeat, in hæmorrhoidum curatione semper vnam debere adseruari, quam si quis omnino dempserit, necessum est, vt in maius malum laborans migret. Atqui cum hoc constat etiam hæmorrhoides vtero posse succrescere, & aliquando naribus.

Verùm cùm fluere, aut non fluere, delitescere, aut apparere, vtrumque morbosum, aut salubre mille modis existat, sciscitandum vlteriùs est qua ratione, aut causa prosint, vel obsint fluentes, & qua etiam lædant, aut iuuent cœcæ, & cohibitæ, vt à naturæ actibus, & consuetudine, cum laborantis commodo, aut secus, nobis constet, quando cohibere fluentes oporteat, quando permittere, & rursus cohibitas commoueare, & euocatas sanguifluas efficere. Qua in re sciendum est, per has venas aliquando salubriter naturam pellere quod sanguinis copia, & vbertate læsurum est, aut lædit: & etiam quod fæculentum, aut alia qualitate idem minatur, aut efficit. Et pari pensu etiam in hoc opere peccat natura, quia vel quantitatem copiosiùs quàm par sit, fundat; vel loco fæculenti, aut vitiosi sanguinis, laudabilem, & naturalem abire permittat. Item in retentione cùm cœcæ sunt hæmorrhoides, aut delitescunt, si antea apparuerant, non minus peccat natura: nam vel cœcas, & vitioso humore distentas non permittit fluere, vel nimis tumentes abscondit, & aliò humorem ibidem contentum transfert, tum aliquando adeò robusta est, vt quicquid in eas partes fluxurum erat conterat, & dissiper, ac non sinat illuc abire, quo mille hominum sortes ab hoc mali genere immunes reddit. Funditur enim per has venas salubriter sanguis vbertate peccans, natura id nitens efficacia, & imperio pellere: quo opere ab omnibus liberat affectionibus, quas plenitudo solet accersire, vt Hippocrat. statuerat 6. popularium parte 3. comment. 33. Conijcies enim hanc esse causam, quòd sanguis exeat qualis à victima excisa prosilit. Verum si intempestiuus fiat, & vltra quam par sit profluat, vires profectò deijcit, refrigerat hepar, atque hydropis, & mali corporis habitus causa existit. Pari etiam ratione, si parcior, quàm pro ratione plenitudinis videatur, profluat, prodest quidem, sed diminutè, ita vt vel idiotis constet naturam ipsam auxilium expetere, & iuuari desiderare. Considerabis tamen immoderati fluxus causas eas esse quas in reliquis partibus diximus posse id efficere: diminuti verò, naturæ impotentiam, aut viarum angustiam, vel quid in sanguine fæculentum quòd velocem exitum remoretur: dum verò quantum sat sit fluit, monstrabit conferentia, & tolerantia laborantis. Prosilit etiam sanguis vitio peccans, vt dixerat Hippocrat. 6. popularium parte 5. text. 24. sed id tribus tantum vsibus, vt per crisim nimirum morbum soluat, vt morbos præcaueat, & vt alios curet: Sic profectò eos, dum vitiosus fit sanguis, præcauet, & alios similes, quorum meminit Hippocrat. loco citato dicens: *Hæmorrhoidas habentes, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque terebinthi formam habentibus, fortasse neque lepra, neque alijs*: quod quidem dixerat Hippocrat. quia vitiosi humores per eas plerunque purgantur. Curant etiam plures, & grauissimos morbos, iuxta illud Hippocrat. 6. aphorismorum 11. *Melancholicis, & renum vitio laborantibus hæmorrhoides superuenientes, & fluentes, &c.* Quod etiam grauioribus verbis dixerat 6. popularium par. 3. text. 37. *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet.* Et eadem parte idem videtur statuere dicens: *Alterius loci loca recipientia, aut dolore, aut pondere, aut alio aliquo liberant, aut alijs communiones.* Quibus locis docet, ex mutatione vnius morbi in alium salubres fieri mutationes, & hanc quæ fit per hæmorrhoides esse cunctis salubriorem. Sed in decubitu hoc & mutatione humoris vitiosi morbum minantis, aut efficientis ad hæmorrhoides, peccatum non minus quàm in præcedenti defluxu comperimus: quippe si plurimum fluant, ob caloris, & spirituum dispendium (licet malo præsenti prosint) lædunt tamen, & aliud denuo fabrefaciunt. Sic etenim animi deliquia, & malum habitum corporis, & id tandem omne quod accidisse Eudemo in Larissa refert Hippocrat. 5. popularium 20. nam inquit: *Eudemus in Larissa hæmorrhoidas habens, forte, valde, & diuturnas, cùm exanguis extitisset* (qua sententia constat, siquidem diuturnæ erant, per eas vitiosum, & copiosum fuisse expurgatum sanguinē, quòd exanguis factus esset) *bilis commota est, & aluus inferior turbata, excreuit biliosa, & hæmorrhoides intumescebant:* tandem alia vitia annumerat, quæ ex copiosi sanguinis effluxu succrescere assolent, licet vitiosus extitisset. Causa verò profusionis immodicæ in his succis est, vel crassior terrestriorve

san-

ſanguis, qui deorſum vergens ad ani venas, vel ſua ſponte prolabitur, vel à natura pellitur nimium ab eius ſpurcitia, & grauitate laceſſita: item bilis atra erodens, ac vellicans ſicut bilis quoduis genus, quibus natura irritata ſeſe ad illud ſanguinis emunctorium conuertere nititur, & impetu ſemel incæpto ſæpius exequitur, ita vt rariùs (maximè conſuetudine accepta) ſe poſſit continere quin fluat, quamuis lædat. Auget prædictas profuſiones laxitas, & pororum apertio, & viarum mollitudo. Verùm ſi horum humorum qui ſanguinem vitiant, parcior fuerit profuſio quàm par ſit, neceſſum erit prædictos affectus ſubſequi, augent enim naturæ impotentiam, & arguunt viarum ſtructuram, ac humorum reconditam ſedem, & longè diſſitam à prædictarum venarum ductibus.

Cauſæ verò, quæ cœcas hæmorrhoides gignunt, variæ exiſtunt: nam primò conſiderare oportet, qua nam ratione fiant tumentes: ſecundò cur, ſi tumẽt, non fluunt: item cur aliquando indoloroſè tumeãt, & cur tumentes doleant: etiam cur nonnunquam deliteſcant, aut deliteſcentes non lædant: præterea quomodo inflammentur, & quid interſit inter inflammationem, & inflationem earum. Cauſa autem, cur hæmorrhoides tumeant, eſt craſſi, aut copioſi ſanguinis affluxus: tunc enim vaſa quæ in prædicta oſcula finiuntur, ex copioſi ſanguinis affluxu nimis diſtenta tument, atque potiſſimum eorum pars quæ receptioni eſt idonea, qualis extrema eſt, & venæ caudex: huic enim muneri laxiorem, & ampliorem cæteris fabrefecerat natura, vt vſus tempore, quod illuc tranſmittitur, reciperet. Sic enim duobus modis tument, vel intus in proprio foramine, dilatato tamen ob copiam (quas cenſeo magis propriè occultas hæmorrhoides eſſe appellandas) vel extra, humore prolapſo in cooperientem oſcula tunicam, ita vt à ſucco illic protecto, veluti veſicula quædam promineat, & has apparentes hæmorrhoidas, ſeu conſpicuas appellamus. Cauſam autem cur humorem obtinentes adeò copioſum, non fluant, (præter humorum craſſitiem) expellentis illius loci impotentiam, & retinentis robur, oſculorum cutis qua teguntur coarctationem, duritiem, & ſoliditatem arbitramur eſſe, adeò preſſam, vt non rarò admittant priùs corrumpi, & putrefieri, quàm aliquid à ſe fundere. Cenſeo tamen aliquando tumentes dolere, quòd aliquid humoris ad carnea ſpatia ſubitò exudet, quo maximos ſuccreſcere certum eſt cruciatus, aut oſcula, & vaſa ita tensè, & affatim dilatari vt rumpi videantur, & dolore ingenti crucientur, maximè ſi quod fluit acrimoniæ, & mordacitatis particeps fiat. Aliquando verò indoloroſè tument, quia vel humor qui colligitur pituitoſus, mulcebris, & aquoſus eſt, aut paulatim ibidem colligitur, aut pars affecta aſſueta eſt prædictas collectiones pati, vel certum eſt aliquid ſenſim exudare, quo minus moleſtari, & faciliùs diſtendi contingit. Cur verò deliteſcant, licet plurimum tumeant, duplex aſſignatur cauſa: vna humorum recurſus ad aliam partem, quo non parum homines læduntur: alia verò earum diuiſio, ſeu per inſenſilem euaporationem reſolutio, quo fit vt deliteſcentes, etiamſi plurimum intumuerint, non lædant. Verùm quia natura ſorte has venas huic muneri aptas ſortiuntur homines, vel quia licet aliquando tumuerint, nunc verò corrugatæ ſunt & conſtrictæ, contingit ab humoribus dictis inflari, & adeò ingenti calore turgere, vt inflammationem pati ſimulent, re vera calorifica illa inflatio longè diuerſa eſt ab inflammatione: quippe illa ſemper fit in prædictis vaſorum oſculis, aut pelliculis earum, cauitate repleta, hæc verò in carneis ſpatijs, & locis quæ diſciſſa, & ſeparata abſceſſum conſtituunt: nam quæ inflantur, cauitates tantùm ſunt, quæ verò in-

A flammantur, partes ſunt continuæ non contiguæ. Atque hæc eſt cauſarum integra ratio, & variarum figurarum, ac ſymptomatum differentia, & vſui practico commodior diſceptatio. Neque minoris momenti eſt occaſiones nouiſſe, quibus excitari ſolent: nam à demiſſo exercitio, à pleniori victu, à ſuppreſſione ſanguinolentæ fluxionis, ſiue per nares, ſiue per vterum, item ex nimia ſuper rem duram ſeſſione, ex frequentibus aquæ calidæ balneis, ex curis, ex mœroribus, & reliquis quæ ſanguinem vrere, & vias corporis laxiores reddere poſſunt.

Signa. Item hic affectus ſignis firmatur adeò euidentibus, vt rarò accidat dubitare an ſit, licet ſanguinis fluxionem ob alias cauſas per anum prodire certum exiſtat. Dolentes verò & tumentes hæmorrhoides B facilè noſcuntur, at fluentes dubiæ ſunt, quòd cum alui excrementis ſanguinem admiſceant, qui mox corpore erecto non ampliùs fluat. Verùm is qui fluit ſi melancholicus ſit, facilè noſcetur ex nigro colore: atrabilioſus, ex ſplendore: ſi ex copia fluat, rubicundus: ſi à meſeraicis, ſubalbidus; & eiuſdem coloris cùm pituitoſus exiſtit. Præterea cuiuſlibet conditionis ſanguis ſit, ſi aquoſus, & paucus fluat, per reſudationem prodire certum eſt, ſi paulò craſſior, & in maiori quantitate, per anaſtomoſim, maximè ſi in compreſſionibus ani guttatim excernatur: ſanguis verò craſſior, copioſior, & ſine compreſſione, ob eroſionem prodire eſt credendum: maximè ſi vlceris, aut ſolutionis continui occaſio præceſſerit. In C corruptionem, & putrilaginem abire diſces, ſi ex vehementibus doloribus laborans quieuerit, non ſubſidente, & euaneſcente tumore, maximè ſi colorem in ſubnigrum mutauerit: vlcerari, ex ſanie fluente: inflammari, ex febre cum pulſatiuo dolore.

Præſagiũ Bonum ex hæmorrhoidibus tunc expectare oportebit, cùm ſuperfluum moderatè excreuerint, nam ob id à varijs morbis liberare dictum eſt, ſicut & præcauere, maximè ſi natura eis aſſueta, hoc ſubſidio orbata ſit: ſi verò immoderatè, modò ſuperfluũ ſit, modò ſecus, ſemper læſuras ſperabis, item ſi nihil excreuerint: ſperandum enim eſt graue aliquod malum protinus ſubſequuturum. Sic profectò, dum fluunt, ab atra bile, dolore coxendicis, mania, & D melancholicis affectibus liberant, quemadmodum ſuppreſſæ eoſdem accerſunt. Atqui licet hæc vacuatio in genere præter naturam ſit, & ob id nulla lege aſſuetudinem admittat, quibuſdam tamen naturis incolumis valetudinis cauſa exiſtit, vt vexatis renum paſſionibus, quartana, atra bile, angina, pleuritide, & epilepſia: quo fit vt periodicè eas natura moueat aliquando, vt fœminis quæ parere deſierunt, viduis, ſenibus, & his quibus menſes ſupprimuntur.

Curandi ratio. Hæmorrhoides qui curare ſtuduerit, eas duobus modis conſideret oportet: vno quidem vt alijs morbis medela exiſtunt: alio verò vt ipſæ morboſæ ſunt, & præſidium expoſtulant: iuxta primam enim conſi- E derationem noſſe conuenit, quibus proſint affectibus, vt quando excitandæ arte ſint exactè diſcas. Huius rei integram tractationem ſcripſimus lib. noſtro de recto præſidiorum artis Medicæ vſu, capite de prouocandis ſuppreſſis fluxionibus: interim tamen ſcito, hæmorrhoidas excitandas eſſe, vbi & in his morbis in quibus ſponte fluentes prodeſſe aſſueuerant, & in his etiam in quibus ſuppreſſæ lædunt: in genere tamen in his omnibus quæ ex craſſo fœculentove, aut aduſto ſanguine fiunt, & in vetuſtatem prolapſæ sũt, & in his inſuper in quibus aliquando apparuerunt, & nunc earum eſt veſtigium: fruſtra enim eſt in alijs excitare, neque hirudinibus, neque aliter podicem irritando, neque vbi affectus nimis frigidus eſt, niſi copiam ſanguinis craſſi coniunctam habeant, nã hac ſola ratione reſolutis prodeſſe aliquando ſolent.

Cùm

Cùm verò hæmorrhoidas, vt morbus est, consi- A deramus, triplex succrescit curandi methodus: altera quæ cœcas aperiat: secunda quæ dolentes leniat, & ab imminentibus subinde grauioribus malis præcaueat, aut curet, si iam aliquod adsit: tertia verò quæ apertas, & nimium fluentes compescat, moderetur, aut curet vt ampliùs non reuertantur. Cœcas enim apparentes, hoc est, quæ non fluunt (nam de cœcis propriè, hoc est, quæ non tument, neque sub aspectum veniunt, postea scribam) aperiendas esse, & imminuendas consulit, vel copia sanguinis ibidē iam fluxi, qui per maiores venas imminui non potest, vel consuetudo, quæ suppressa nunc est, vel grandioris affectionis per eas partes curatio, vel ipsarum hæmorrhoidum dolor, & tumor, qui alioqui subsi- B dere nequeunt. Primò tamen ante earum apertionem, quæ manu fit, tentandum est easdem imminuere, quod facies vbi priùs ab vniuerso corpore redundantem sanguinem dempseris: quo facto insessionem, & fotum primò parare oportet ex decocto maluarum, parietariæ, florum violarum, chamæmeli, meliloti, hypericonis, tapsi barbati, seminis lini, & fœnugræci: cuius euaporationem suscipiat laborans, vel pannum eo decocto madidum super hæmorrhoidas calidum appones, vel sacculos ex eisdem herbis confectos, madidos etiam, & calentes. Quòd si his aperiri nequeant, vel resolui, ac dissipari, vino irrorabis, aut pannum eo calido madidum appones, discutit enim, & corrugat mirum in modum, ac do- C lores ea ratione compescit. Præstat eundem vsum mel ipsis appositum, aut cum cinere sarsæ parillæ, vel puluere eius, maximè si laborans morbi Gallici sit particeps. Verùm si hæc non sit satis, aperiendique aut discutiendi vigeat necessitas, medicamentis acrioribus rem agere oportebit, vt succo cœpæ, calaminthæ, origani, nitri, felle porci, succo ciclaminis, chamælex, thymelææ, & similium. Quòd si ad hęc peruenire verearis (quòd maiorem soleant concitare dolorem, & inflammationem) asperiori linteo, vel ficulneis folijs, borraginis, aut vitis ipsas confricabis, quousque instillare sanguinem conspicias: posteà vel insessione aquæ calidæ, vel fomento aliquo sanguinem tenuabis, & laxabis cutem, donec quod sat D sit sanguinis, extraxeris, cauens ne fluxio vltra quàm par sit pergat, solet enim non rarò magnum facessere negotium. Si tamen nimium necessitas vrgeat, & corruptionis timor, vel doloris immanitas, aut maioris mali imminentia præsit, hirudines eisdem affigere oportet, & tantum sanguinis extrahere quantum par sit: quod etiam facies acutissimo scalpello, & minutissimo facto foramine, quod cautè & prudenter fieri debet, nam sæpè maior succrescit sanguinis fluor, quàm opus sit, aut compesci facilè possit: cuius loco ad medicamenta aliquo módo actia, & erodentia te conferes, qualia sunt quæ nuper diximus, & est illud, q. ℞. *pinguedinis porci* ℥. 1. *olei irini, vel rutacei* ʒ. 3. *fiat vnguentum molle, cui adde modi-* E *cum succi cœpæ rubeæ*. Præstat & idem succus, vbi cœpa priùs in aceto madueri, cum butyro, rosaceo, & vitello oui. Eundem vsum præstant suppositoria ex radice ciclaminis, vel ex quauis re, vbi taurino felle illiniatur, vel inspergatur puluere stercoris columbini. Prosunt etiam fotus ex decocto ciclaminis, centaurij, abrotoni, matricariæ, bryoniæ, radicis ireos, & absynthij. Verùm quia dolor sæpius longè maius negotium facessere assolet, ob id illius diligentissimè habenda cura est, inspiciendumque, an pars cum inflammatione, vel solùm cum calore, & exarsione doleat: nam si primum, refrigerare solùm, ac laxare partem opus est: quippe ea quæ cum adstrictione, aut repulsu refrigerant, summopere lædunt, nisi dolor cum fluxione sit. Quapropter vbi ardor, & tensio persentiuntur, primò dolorem sedabis oleo violarum, vermium terrestrium, lacte cum vitello oui agitato in mortario plumbeo: sed præstat id, q. ℞ *mucaginis fœnugræci, & seminis lini extractæ cum vino* ʒ. 2. *butyri recentis* ℥. 3. *seui capreoli* ℥. 1. *simul agitentur in eodem mortario, & fiat linimentum*. Eiusdem quoque vsus est id, q. ℞. *olei violarum* ℥. 3. *mucaginis seminis psyllij* ℥. 2. *misce, & vngatur sedes:* præstat & id, q. ℞. *olei violarum* ℥. 3. *cerusæ lotæ* ʒ. 5. *ceræ quod sufficiat:* item vitellum oui cum rosaceo, vel albumen oui cum lacte muliebri: violaria in lacte cocta mixto modico rosaceo: valet & rosaceum vnguentum, aut refrigerans Galeni: item mica panis albissimi cum lacte, & oleo rosaceo cocta. Conueniunt tandem mucagines seminis citoniorum, lactucæ, portulacæ, & psyllij: ex quibus seminibus cum folijs violarum, maluarum, & althææ, ac floribus violarum, & rosarum, fiunt sacculi, & fotus qui maximi solent esse vsus. Facito etiam vnguentum, q. ℞. *olei violacei* ℥. 2. *vnguenti populei* ʒ. 2. *cum ouo integro fiat vnguentum*. Verùm si acrimonia, ardor, & dolor acerbiùs infestent, in semicupium descendere iubeto, moxque vlceribus, si quæ fuerint, quod sequitur medicamentum impone: ℞. *olei rosarum* ℥. 4. *cerusæ* ℥. 1. *lithargyrij* ℥. ß. *ceræ nouæ* ʒ 6. *opij gr. 4. fiat vnguentum:* vel ℞. *thuris, myrrhæ, croci, anà* ʒ. 1. *opij gr. 2. fiat vnguentum cum oleo rosaceo, & mucagine seminis psyllij addendo vitellum vnius oui*. Idem beneficium præstat, & maximè vbi resoluere est in animo, id q. ℞. *radicis liliorum lib. ß. olei amygdalarum dulcium, violarum, axungiæ porcinæ, anà* ℥. 1. & *ß. decoquantur simul, & pistentur, ac fiat colatura vt maneat in forma linimenti*. Prosunt & insessiones quæ recipiunt radicis althææ, maluarum, & violarum, anà m. 1. florum chamæmeli, meliloti, sambuci, item seminis lini, & fœnugræci, anà ℥. 1. decoquantur in iure pingui. Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, iterum narcoticis vti oportebit, dummodo à sedatione doloris partem vino calido, aut aqua etiam calida abluas.

Verùm si citra morsum, dolorem, aut caloris augmentum, repellere quod influit, & siccare quod impactum est, libuerit, tunc profectò ad ea vnguenta, quæ mineralia recipiunt, te conferes, quale est q. ℞. ℥. 3. *alicuius prædictorum oleorum, & ex succis memoratis* ℥. 1. *pulueris lithargyrij quod sufficiat vt fiat vnguentum:* vel item si receperit eadem olea, & in mortario plumbeo agitentur cum mucilaginibus, aut succo aliquo ex prædictis: erit & vtilius si cerusam, & lithargyrium receperit. Fit etiam ex bolo Armeno, aut terra sigillata, aut sabuli, maximè si herbarum adstringentium succum acceperit, vt plantaginis, bursæ pastoris, linguæ passerinæ, & similium.

Fluentes verò sistere, iudicio nostro, neque ita tutum, aut facilè est, neque omnino permittendas esse arbitror: quippe illud in malum corporis habitum, syncopem, & mortem commigrat, sed frequentiùs in maniam, aut melancholiam: hoc verò in hydropem, tabitudinem, & fœdum corporis colorem; tandem vtrumque tristem, & calamitosam accersit vitam. Sic enim primo morbi accessu non licet omnino meatum occludere, & fluxum compescere: sed primò expendendum est an sanguis ille fæculentus nimium abundet (qua occasione, & fluxum aliquo tempore admittere, & cùm sat est, & non subsistit, cohibere opus est, sanguine leuiter misso ex brachio, vel frictionibus, aut ligaturis, tum partium extremarum, tum totius corporis, vel cucurbitis sub alis, & inguinibus affixis, vel è regione iecoris, aut splenis lumbis, & dorso) an vitiosæ, vel serosæ substantiæ plurimum habeat permixtum (illud quidem ex rubore, & turgore totius corporis, & venarum, ac ex signis plenitudinis disces: hoc verò, inspecto sangui-

ne,

ne, venaberis, serosior enim, & biliosior conspicuè apparet) quo tempore purgationibus ex rhabarbaro, aut carthamo cum saccharo rosaceo frequenter factis, sanguioem ab spurcitia vendicabis, & subinde fluxum compesces. Verùm si tenuis sanguis sit, vel ora venarum nimium laxa patulaque (siue ob fluendi assuetudinem, siue ob aliquam occasiooem) intus, & extra diligenter curandum est sanguinem incrassare, & vias comprimere. Sic profectò huc transferre oportet quæ capite de hæmoptoica passiooe adduximus pharmaca: sed prosunt (si priùs ruptionem non esse conspexeris diligenter, nam tuoc temporis per agglutinaotia, ac si vlcus vetustius sit, per mineralia pharmaca rem ages) plantago, & polygonum tam in cibis quàm exteriùs adhibita: prodest etiam cum saccharo rosaceo bolus Armenius, aut terra lemnia, lapis hæmatitis, puluis coralli, rosarum, & id geous reliqua: item cytini puluis, malicorij, myrti, & mali punici corticis, quibus si addideris farinam volatilem, vel araneorum telam cum albo oui, ex vsu facies: sic etiam confert exteriùs adhibitum idem oui album cum pulueribus rosarum, gypsi, sanguinis draconis, amyli, myrtillorum, coralli, terræ lemniæ, vel fabrilis cum aliquo ex succis prædictarum herbarum.

Quòd si ne hæc quidem omnia prodesse videantur, ad chirurgicam curationem deueniendum esse consulit vrgentiæ ratio: nam aliquando profluuium hoc adeò pertinax est, vt ne valentioribus quidem cædere velit, vel si cedat paulo post violentiùs redeat. Cui incommodo manualis operatio obsistit

A siccantibus, causticis, volsella, & vinculo interceptis venis. Non placet omnino antiquorum mos, qui apprehensas quibusdam ferreis ioſtrumentis deligabant, vt causticis putrefacientibusque medicamentis, aut igne vstas dirimerent, & tandem pharmaca vlceribus sedis proficua adhibebant. In qua sanè curatione, præterquam quòd omnes abscindere nulla ratione datur, cùm semper voam quę modicè fluat relinquere, coosilium sit Hippocrat. ne reuerso interiùs vitioso sanguine maius succrescat malum: fluen-

B di enim consuetudo, aut vitiosa copia oon omoino, neque vtcunque compescenda est. Sed leuiter ligatas hæmorrhoidas siccari permittes, aut si placet vres: verùm tutius videtur siccantibus pharmacis rem agere, qualia sunt puluis radicis caulis torrefactæ, stercus caniuum crematum, fæx vini arida, & vsta, adiecta paruula portione vitrioli cum albumine oui, & oleo rosaceo facto vnguento, vbi priùs partem madefeceris vino calido: scinduntur etiam, & exsiccantur, si ligaueris filo facto ex interiori cortice

C nucis arboris, cui vsui alia non pauca reperies apud Chirurgos.

Nec miooris momenti est scire quid agere oporteat cum fluentes hæmorrhoides subsistunt, & consuetudine amissa ampliùs oon purgant, & morbus cui medela erant iterum redit: quo tempore nisi præsenio supprimantur, necessum est, vel easdem reuocare, vel alia vacuatione supplere, vel fonoiculum altero crurum aperire, si neutrum dictorum possibile fuerit. Qua lege eas liceat prouocare, reperies lib. de recto præsidiorum artis Medicæ vsu. tom. 2.

Finis Libri Tertij.



DE INTERNORVM MORBORVM CVRATIONE.


LIBER QVARTVS.



Iuxta humani corporis fabricam, internarumque partium situm, colligãtiam, & ordinem, sequitur necessariò hac in parte eos affectus expendere, & curare, quos ad iecur, splenem, renes, & vesicam pertinere conspicimus. Qui profectò vt frequentiores sunt, & non minoris momenti ad vitam, ita maiorem diligentiam in artifice requirunt, qua vitam calamitosam ærumnosamque quam præstant, præcauere, aut ad meliorem mutare possimus. Quis enim est qui ignoret iecoris vitia facillimè toti corpori fieri communia? quis fœdum colorem, tristem vitam, & grauissimas obstructiones splenem præstare non videt? Quis insuper renum, & vesicæ affectiones tum lethales, tum grauissimas, & intolerabiles non veretur? Profectò adeò creuit harum partium impotentia, & languor, quòd non solùm ætate grandioribus, verùm & pueris frequentissimè accidere conspiciamus (quod antiqui rarò, aut nunquam viderunt) neque id solum, sed adeò his partibus nouos affectus succrescere, quorum neque authores meminere, neque eos prisca illa ætas vnquam gustauit. Quapropter studui omni diligentia, & viribus integris horum membrorum affectiones expendere.

CAPVT PRIMVM.

De iecore in propria substantia, ac in reliquis eius partibus obstructo.



E se iam offert aliud ex præcipuis membris, iecur nimirum: in quo cùm potissima nostri alimenti ratio sita sit, dum afficitur, B vniuersum ferè corpus varijs affectionibus, & porrò fere omnes prolabi periclitantur, eiusdem alimenti conspurcata, & aliena facta natura. Verùm cùm huius membri vitia varia sint, & variæ etiam obstructionum sortes, sit profe- A ctò vt difficulter distingui, & curari possint, non solùm quidem ex ignoratione naturæ cuiusque, sed etiã ex affectus grauitate. Quamobrem breuiter id priùs absoluere studui, præhabita tamen structuræ iecoris natura. Iecur igitur cuius sedes subtus mendosas costas dextri lateris sita est, parte sui gibba ad septum alligata conscendit, venæ cauæ principium, & originem præstans, plurimis, & minutissimis venis intertexta, quæ postea in maiores coalescentes, in vnam B tandem desinunt, quæ veluti caudex, & stipes existit, caua nuncupata, à qua venæ omnes deducuntur, aduehentes omnibus partibus alimentum. Parte item altera iecur ventriculo incumbit, ipsique adhæret caua eius parte, intertexta etiam venulis, quæ eodem modo inter se cohærentes, in quinque maiores coalescunt, & hæ rursus in maiorem quandam venam portæ appellatam degenerant, à qua velut radices per

mese-

meseræon, intestina, & ventrem venulæ disseminantur, chylosam substantiam in iecur per portam appellatam venam delaturæ. Suscepiat tamen sanguinem vena caua à iecore generatum per radices, & extremitates, quas constituere venam portæ anteà diximus, quarum oscula osculis eiusdem venæ cauæ adhærentia referunt contentum saoguinem in iecur ipsum, ea parte, & eo artificio quo susceptare, & sugere facilè prædicta venæ cauæ oscula possunt, quo faciliùs venam cauam ingrediens, per vniuersum corpus distribuatur. Præter quæ vasa, alia quidem non pauca hoc viscus continet, quæ etiam ad cauam ipsius partem co niungentia, in vas quoddam, seu foramē vniũtur, ac degenerant: è quo pendet vesica fellea, quæ bilis superuacuum è sanguine (antequam venam cauā ingrediatur, & ipsum conspurcet) trahit, expurgatura bilis aliquid per intestina. Obtinuit etiam iecur in parte eius carnea, licet ex concreto sanguine constet, foramina non pauca, atque etiam arterias caloris, & roboris gratia illi præstitas. Tegitur desuper tenui membrana neruulis quibusdam intertexta, quæ licet sensu participet, nullum tamen, aut quàm tenuissimũ visceri communicat. Verùm cùm huius membri ministerium sit sanguinem ex chylo conficere, oportuit trahente etiam virtute donari, quæ per venas portæ (vt dictum est) medijs meseraicis, ventriculo, & intestinis chylosam substantiam sugat, & virtute quoque distribuente, quæ facta in sanguinem mutatione, ad exiles portæ venas refundat, & per ora venarum venæ cauæ regerat, anadosim complens: nec non & secernente, quæ bilem redundantem, & succum melancholicum antea separet, & ad propria emunctoria transmittat, iuuante etiam in expurganda melancholia splenis tractione.

Quam sanè iecoris structuram, & mirum naturæ artificium qui exactè expenderit, facilè discet nullam esse in corpore particulam, tot morborum sortibus adeò obnoxiam. Quippe ex intemperamenti vitio in sanguificationis munere deficiens, hepaticis affectionibus nimis obooxium existit: insuper separationis defectu, ictero, & innumeris carniũ, & cutis affectionibus corpus opprimitur: ob structuram etiam vitiatam (siue compressione, siue oppressione, siue obstructione lędatur) innumeri succrescunt morbi, quos vel humorum abundantia, vel vitium, aut tumorum præter naturam aliqui efficere possunt, adeò vt sedula diligentia curandum sit, ne huius membri affectiones inueterari contingat, cùm maioris mali præludium sint, & efficacissimæ causæ.

Obstructionũ varietas.

Curaturo mihi huius visceris obstructiones, incumbit difficultatis in eisdem distinguendis, & curandis priùs rationem patefacere, explicata obstructionum eius varietate. Quippe ei succrescere non rarò assolent quatuor obstructionum sortes, iuxta quatuor partes, quæ in ipso obstrui possunt. Quarum primam constituere placet in venis meseraicis, & vena portæ, quæ ab ipsis conflata, vestibulum est, & via, qua it in iecur ipsum alimentosa potulentaque substantia. Quo fit non rarò vt si quid crassius, vel ibidē generetur, vel cum alimentis deferatur, difficulter permeet, prohibeatque deinceps liberum alimentorum subingressum, vt euidenter monstrare assolent chylosæ per ventrem deiectiones. Nam cùm in iecoris focum, & sanguinis officinam alimenta non conscendant, vltrò per easdem meseraicas ad intestina prolabuntur, signum profectò euidentissimum obstructionis prædictorum vasorum. Secunda obstructionis sors eis venarum propaginibus succrescit, quæ in cauam venam degenerant delationi sanguinis iá confecti idoneam. Quibus sanè & venæ etiam cauæ obstructionem accidere frequentiùs scimus, ratione succorum qui in ipsis sunt, vel ex iecoris vitio prodeunt, vel alimentorum spurcitia, crassitie, lentore, tenacitate, aut immodica copia. Quibus contingit prædicta vasa, aut aliquot ex eis adeò obturari, vt vel minimum, vel nihil alimenti, seu sanguinis ad vniuersum corpus deferatur, aut lentiùs, quàm par sit, eat: quo fit vt atrophia, vel alia consumptionis sorte marcescat, & collabatur. Tertia insuper obstructionis natura, & conditio est cùm ab eisdem causis, vel à copiosiori, & crassiori bile, vasa quæ felleum foramen constituunt, vel id per quod ad intestina conscendit bilis, obstruuntur: tunc enim in pallorem, seu icterum mutatur vniuersum corpus. Quarta verò & vltima obstructionis species (& quæ vt mea mens tenet, propriè magis nomen obstructi iecoris præstat, quaque diuersa ab omnibus dictis, & eas etiam omnes secum habet comites, & accersit, à diuersa tamen causa, ab his quas memorauimus, conflata) est, cùm meatus, seu pori corporis, vel parenchymatis ipsius iecoris, aut vasorum illuc pertingentium extrema, adeò humoribus infarciuntur, magnitudine maiori adeò acquisita, vt tres illas interiorum, & maiorum cauitatum sortes, & propagines angustiores reddat, refundatque in eas conceptum tumorem.

Cuius obstructionis naturam, & peculiarem conditionem antequam exponere aggrediar, necessum est docere eam proculdubio esse, quæ propriè, & absolutè nomen obstructi iecoris præstare habet, reliquas verò non nisi cum addito, & singulariter: quod multis rationibus probare incumbit. Prima quia in quauis earum vna duntaxat pars, seu vna vasorum sors obstruitur, & peculiariùs illius actio læditur: in hac verò omnes simul oblædi plerumque contingit. Quòd si omnes tres cauitates simul à crassis, vel copiosis succis obstruantur, obstructum etiam iecur constituent, sicut hæc quarta, non tamen prærequirent peculiarē curationem vt illa, sed omnibus tribus, & cuique earum communem: hæc verò & ab omnibus, & à singulis diuersam. Præterea reliquarum partium iecoris obstructiones, ad id caput reduci debent, cui primò, & per se conuenit symptoma, seu morbus qui ex ea obstructione oritur. Sic reducenda venit venæ cauæ obstructio ad atrophiam ea occasione subortam, & ea quæ fit in vena portæ ad chylosum fluxum, sicut quæ fellis vasculis accidit, ad ictericas affectiones. Hæc verò obstructio sola ad nullam alteram, aut peculiarem affectionem reducenda venit (sed omnibus, ita vt nulli affectionum capiti adstricta videatur) sed sola apparet obstructi iecoris nomen mereri, & caput sibi peculiarius exposcere, nec non circumscribere propriam curandi rationem, nullo habito respectu ad alterum affectum, præterquam ad obstructionem ipsam, quæ à reliquis natura, & causa longissimè distat. Item hæc sola est quæ tactu distinguitur, & cognoscitur, nam reliquæ tactui delitescunt, nisi etiam adeò creuerint, quòd corpus iecoris in maiorem magnitudinem attollant: quo tempore ad huius naturam accedunt, eò quòd omnes cauitates iecoris coarctentur. Quo fit vt mirum non sit, si non rarò accidat, vel peritissimis Medicis falli in reliquis obstructionibus inuestigandis: nam credunt nullam esse obstructionem quæ tactu non percipiatur: ex quo fit vt communi hominum conceptu constet eam solam verè esse iecoris obstructionem quæ tactu discernitur. Insuper, reliquæ omnes obstructionum sortes præludium, & causa existunt signatorum, & plurium morborum, at hæc sola plerumque succrescit, & oritur in fine, & declinatione diuturnorum morborum, aut acutorum, in quibus laborans imprudenter se gessit, aut natura se se in id viscus exonerauit. Quo fit vt eorum morborum semper causa, & principium existat qui complicatam, & variam, ac difficilē habeant naturam: quòd in ea plures iecoris partes oblædãtur, & solidior eius substantia in magnitudinem augeatur tactu perceptibilem, adeò vt difficiliùs curari sæ-

piùs contingat. Quapropter iuxta optimam rationem me fecisse arbitror, si peculiare huic consignauero caput.

Huius obstructionis essentia.

Scio profectò nō defuturos qui me quoque sicut, & Auicennam, & eius sequaces, hanc etiam obstructionis sortem insinuantes, carpant, quòd id vitium quod ad magnitudinem vitiatam Galenus reduxit, obstructionum generi ego reduxerim, cùm ex Galeno non constet porositates illas obturatas, obstructionis nomen mereri posse. Sed expendat qui hæc legerit, mihi non esse in animo solùm magnitudinis illam causam quæ iecoris corpus dilatat ad veram obstructionem reducere, sed vt causam longæ diuersam a crassitie, lentore, & copia humorum, quæ communem obstructionem constituunt, recensere. Nam id iecur obstructum appellamus, (licet ab alijs quoque obstruatur) in quo quoad omne viarum genus oblæditur: siquidem dum solùm quoad vnam vasorum eius sortem obstruitur, non læditur totaliter vt in hac. Cuius rei occasione expendendum est iecoris poros adeò certis quibusdam humoribus impleri, vt necessariò ipsum viscus in maiorem molem augeatur iuxta omnes sui dimensiones, ita vt non solùm ad superficiem, & extimas eius partes eò crescat, quòd facilè tactus diiudicet, sed ad interna item nō minus, vt siquid cauum sit (vt re vera est) compressione coarctet, angustet, & velut obstruat. Cuius vitij modum, & conditionem optimè expressisse, & depinxisse visus est Galen. lib. de different. morb. cap. 7. hęc verba scribens: *Iam verò cauitatum omnium quæ partibus debentur, tum magnitudo, tum multitudo, nisi seruetur, necessariò earum occasione læditur actio. Multæ verò huiusmodi ægritudines nonnullæ coalitu quodam, nonnullæ verò lentorum, ac crassorum obstructu consistunt. Aliæ verò ipsis corporibus nimium exsiccatis, aut ab aliquo ex circumstantibus ingruenti, ac comprimenti angustioribus effectis adueniunt. Ipsorum quoque corporum, quæ tales meatus sortita sunt, substantia aliquando indurata, & inflammata, vel tabescens, vel suppurata, aut inflata, aut quocumque modo aliam adiunctam, atque aduentitiam adepta magnitudinem, ac deinceps ad interiores cauernas tumorem refundens, causa est vt obstruantur meatus.* Quibus verbis apertissimè monstratur huius obstructionis natura, & differentia à reliquis omnibus, quæ ex obturatione meatuum maiorum, & communium à crassis fiunt succis: item & qualis sit in ea morbus, nam si quis rem hanc diligentiùs examinet, reperiet profectò in reliquis omnibus iecoris obstructionibus, humorem solùm crassum, aut viscidum, vel copiosum esse earum causam, citra alicuius alterius affectionis interuentum, & obstructionem ipsam esse cauitatum vasorum morbum essentialem: at in hac obstructione affectus ex præternaturali magnitudine contractus, causa est vasorum obstructionis, seu vt rectiùs loquar coarctationis, aut compressionis, quæ non essentialis eorum est affectio, sed per consensum à corpore iecoris in tumorem eleuato ab humoribus poros obstruentibus, & replentibus, & ipsum in maiorem magnitudinem attollentibus. Et ob id licet præcipua morbi huius obstructionis ratio in vasorum oppressione, seu obturatione per consensum sita videatur, cùm hoc tamen adiunctam habet pororum obstructionem, qua membrum crescens cauitates simul coarctat, ita vt sit omnium obstructionum aceruata moles: nam corporis iecoris tumor potiùs habet rationem causæ coniunctæ, quàm morbi, licet affectus sit præter naturam, quia nullam lædit immediatè actionem, sed interuentu compressionis vasorum, & obstructio pororum velut reliquarum obstructionum causa existit, mediante magnitudine visceris. Cùm hoc tamen, humores qui in tumorem eleuant iecur, præter hunc obstructionis modum

A quem gignunt, intemperant quoque iecur ipsum, & temporis tractu proprium suæ alimoniæ officium, & etiam sanguificationis munus oblædunt. Ex quo sequitur qualis naturæ sit huius obstructionis morbus. Cuius doctrinæ veritatem loco nuper citato probauit Galen. his verbis: *In omnibus in quibus corpora in tumorem attolluntur, atque ex eo meatus intercludi, aut angustiores effici contingit, nonnunquam vna tantum prouenit ægritudo (obstructio scilicet meatuum) quæ lædit operationem, nonnunquam præter hanc altera, corporis scilicet dispositio, quæ obstructionis est causa. Quòd si id, cui tumor accidit, corpus, nullum proprium habeat opus* (cui Galeni contextui addere oportet, quo clarior euadat sensus, læsum) *vna*
B *tantum erit ægritudo meatuum obstructio, corporis verò, quod in tumorem attollitur, affectus, non morbus, sed morbi ipsius causa censetur.* Ex quibus constat, in prædicta obstructione vnum tātùm esse morbum, puta viarum obturationem, corpus verò iecoris in tumorem eleuatum non pati nisi affectum, qui potius causæ obstructionis nomen meretur. Ratio est, quia iecoris corpus nullum habet in sanguinis generatione officium primò, ac per se, sed solùm vsum, & commoditatem præstare, quam etiam læsam non obtinebit, donec iecoris temperamentum sensibiliter vitietur. Itaque si obtinuisset prædictum officiū, duplex necessariò subsequeretur morbi genus, cùm re vera vnum tantùm sit, putà obstructio: nam aucta
C magnitudo in iecore morbi rationem non subit, sed causæ. Vniuersum enim sanguificationis officium vasculis tribuit natura, vt Galen. probat loco citato, scribens in prædicta obstructione tantùm esse vnicum morbi genus. *Si enim* (inquit) *ita contigerit, vt patiente tunica vena, quæ exempli gratia, est in gibbis hepatis partibus, is meatus per quem ad ea, quæ in concauis receptacula mittitur sanguis, reddatur angustior, duæ hac ratione erunt ægritudines, altera ipsius venæ affectus, altera meatus obstructio. Impedit autem venæ quidem affectus sanguinis optimi generationem, obstructio verò diductionem, vtraque tamen operatio animali est necessaria. Nam pro confesso habetur, quòd quęcunque dispositiones primò operationes lędunt, ęgritudines nuncu*-
D *pantur. Si verò nihil ipsa patiente vena, lenti tantummodo, ac crassi humores impacti meatibus diductionem impedierint, vna tantum erit visceris ęgritudo, quę obstructio appellatur.* Quibus verbis vtrumque propositum probatur: nam licet parenchyma iecoris videatur rubrum colorem sanguini præstare, id quidem poterit, non tamen formam introducere, id enim solius vasis munus est. Quòd si velis ei in hoc munere exequendo aliquid tribuere, vt Galen. aliquando videtur asserere, tunc profectò duplex in obstructione hac erit morbus, cum etiam temperamentum sensibiliter oblædatur, idque non proonus vt obstructio fit, sed temporis tractu, vt inferiùs referam. Constat igitur magnitudinem illam, nullam propriam iecoris actio-
E nem primò vitiare, sed læsionis, & obstructionis esse causam, ac ex consequenti vnum tantum esse morbū puta obstructionē: quæ vt rectiùs loquar duplex est, altera pororum obstructio qua iecur ampliatur, & reliqua compressio, quæ vias coarctando obstruit: nam dum iecur secundum naturam maius est, aut minus quam corpori conueniat, si temperiem natiuam retinuerit, non quidem vitiat sanguinis substantiā (quippe id munus solius est tēperamēti vasorū, aut, si velis, etiā parenchymatis) sed copiam maiorē, aut minorē gignit. Verùm si morbosè creuerit vt in hac obstructione, tunc considerabis an simul lædatur tēperies, & eo tempore sanguificationis munus vitiabitur: si verò citra vitiū temperamenti aliquo tempore duret, tunc profectò nec quantitatem, nec qualitatem sanguinis vitiabit. Quam sanè obstructionis sortē sequūtur ea accidentia simul, cum vltra pergit affectio, quę

ex

ex omnibus alijs iecoris obstructionibus prodire con spicimus. Incipiente tamen malo, nondum necessum est apparere sensibile aliquod vitium in aliqua ex iecoris actionibus, verum crescente, vel in omnibus, vel in ea præcipuè cui magis incumbit tumor, longè sensibilior apparet læsio quàm in alijs, licet omnes simul oblædantur. Quo fit, vt iecore diutiùs obstructo, aliquando atrophia, nonnunquam febris, non rarò chylosus fluxus, ac sæpius vitiosus totius corporis, & faciei color eluceant. At si malum, & intemperies quæ ex humorum spurcitia contrahitur, vasa etiam, & iecoris substantiam infirmet, iam alius affectus subsequetur, putà vitium in sanguificationis munere: nam id etiam in diutinis iecoris obstructionibus accidere non rarò assolet, præludium quidem, & causa mali corporis habitus, & hydropis.

Dubium. Verùm dubitabit aliquis, & meritò profectò, si iecoris obstructio sic accepta causæ rationem habet ad obstructionem, & affectus est in magnitudine quem admodum aliæ sunt iecoris affectiones, quanam ratio ne differt ab inflammatione, aut scirrho, siquidem in his omnibus iecur in maiorem molem attollatur ob humores existentes in porositatibus, & carne eius. Cui dicimus differre longè inter se, quia licet obstructio hæc aut humorum infartus in iecoris substantia, partem cui insidet in tumorem eleuet, vt scirrhus, & inflammatio, tamen cum hoc non habet morbum in intemperie sibi comitem, quod necessum est in omni tumore præter naturam adesse: nam dum adest, iam in tumorem præter naturam commigrat, licet verum sit, scirrhosam duritiem, aut phlegmonosam non minus posse prædictam obstructionem efficere: verùm cum hoc constat eam non esse simpliciter obstructionem, neque ad hoc caput esse reducendam, sed ad scirrhi, aut inflammationis caput, tum ob id, tum verò quòd non discutientibus, vt ea curari desideret, & attenuantibus, sed & repellentibus, & emollientibus præsidijs. Præterquam quòd inflammatio calore nimio etiam sanguificationē vitiat, sicut scirrhosa durities frigiditate: hæc verò iecoris magnitudo ex prædicta pororum obturatione contracta, citra alterius morbi complexum, omne obstructionis genus in iecore excitat. Cum hoc tamen sciendum est, aliquando cum intemperamento coniungi posse, nō tamen febrili, citra id quòd in aliquem tumorem præter naturam immutetur.

Causa. Qui causas huius obstructionis inuestigaturus est, non quidem vt reliquarum obstructionum id tenetur efficere, solùm considerata humorum crassorum, viscidorum, aut multorum natura, & adhærentia in vijs ductuum ad iecur, & à iecore. Nec mihi est in animo considerare eas quæ attenuantem obstructionem moliuntur, qualia sunt quæ constipant, ac densant, vt constipantia alimenta, medicamenta, vel aer frigidus, ac siccus est, neque ex his causis quæ comprimentem obstructionem procreant omnes, vt inflammatio, aut scirrhus, sed eas tantum quæ solùm tumore partis excitato, vasorum cauitates opprimunt. Nā licet hæc non sit communis obstructionis natura, vt dictum est, est tamen quæ plenius, & totaliter iecur ipsum obstructum reddit, non solùm obstructis poris, sed & compressis cauitatibus, quod est huius capitis intentum: & ob id diligens lector expendat in hac obstructione, frequentissimè vnam tantùm esse inuestigandam cōditionem, & causam, nimirum iecoris ex pororum obstructione adauctam magnitudinem, quæ vias coarctare nata sit. Verum quia prædicta magnitudinem ex alicuius succi trassumptione ad prædictos iecoris poros credimus fieri, coniectabile est ex vasis iecoris in carneam partem irruere, aut transcolari tenuium succorum aliquid, quo, licet neque propria crassitie, neque ex vberiori copia cauitates vasorum maiorum obstrui possint, possunt tamē in tumo

A rem eleuare iecoris corpus, & ob id maiorem efficere obturationem in minoribus, ac singulis vasis, coarctatione præexistente. Quibus omnibus sic constitutis, sit facilè vt sanguis, & reliqui succi velut immobiles fiant, aut ægrè, ac difficulter moueantur: quo fit vt in prædictis vasis diu immorantes, aut difficulter præ tereuntes, eorum non parua portio migret in prædictos poros, quo maior indies fiat prædicta obstructio. Sumit tamen obstructio hæc principium, & originē à iecore, vel calfacto calore febrili, vel quouis alio, à nimia eius rarirate, vel à facultate trahente nimis auida. Quibus occasionibus euidentissimum est, id, quod in sanguine flatulentum est, facilè prædictas partes permeare, ac tensionem excitare, & postea in aquam

B versum, vel quouis alio modo densatum ibidem impactum manere. Quippe flatulentum sæpè adiunctum secum aliquid defert, ac, si non deferat, neque obstructionem pariat, efficit tamen in partibus obstructis simul tensionem, & dolorem. Id etiam quod in sanguine tenuius existit, & potulentum est, & quod tenue, aquosum, & crudum hac ratione superest, iecur ad se ad porosque ipsos allicit, quod cùm discutere nequeat, aut tenuius digerat, crassiore remanente parte, poris angustissimis existentibus, fit facilè vt impactum ibidem maneat, in tumoremque ipsius visceris corpus attollat. Qua ratione arbitror prædictam obstructionem in finibus, ac declinationibus diuturnorum morborum plerumque succrescere,

C aut acutorum, & calidorum, in quibus victu, ac potu indexterè vsus fuit laborans: nam iecore vi morbi calidiore auidioreque reddito, præcedentibus etiam potus indulgentia, ac cruditatibus, diligentiùs trahet quod his occasionibus in sanguine abundat, quo durius factum maiores semper parit obstructiones. Potest etiam fieri ex crasso, & faculento sanguine quo iecur alitur: nam residuum facilè prædictas porositates replet, paritque obstructiones, præludium quidem & principium scirrhosi hepatis tumoris. Nam sæpè ea affectio quæ scirrhum minatur, ortum ducit, vel à prædicto crasso succo, vel à tenuibus humiditatibus, si Medicus vtatur nimis resoluentibus, & siccis. Ex quo dogmate facilè colliges plerunque id obstructio-

D num genus his corporibus accidere, quæ iecore fruuntur calido, aut sicco, vel iuuenilis sunt ætatis, aut diutiùs morbis, præsertim febrilibus, corripiūtur, aut qui crebrò habent ingentes vacuationes, iecore ob id ad se auidiùs trahente succos, ebibenteque ipsos: at reliqua obstructionum genera longè magis ijs accidere qui frigidum habent iecur, & ob id frigidis, & crassis abundant succis, quibus prædictas cauitates obstrui dictum est: nec non ijs qui vitam agunt sedentariam crapulis, & crassia edulijs deditam: item reliquæ obstructiones principium existunt morborū, hæc verò finis. Quæ sanè ratio non est mediocris momenti ad consignandam distinctionem inter hanc, & reliquas obstructiones, nec non ad consignandam curā

E di tationem, quæ longè aliter exequenda est in hac, ac in reliquis omnibus, vt suo loco latiùs leges.

In recensendis huius obstructionis signis, mihi nō est in animo omnium obstructionum meminisse, licet clarioris doctrinæ gratia, earum non nihil recensere instituerim. Dignoscitur autem ea obstructionis sors quæ in iecoris substantia fit, aut in extremis eius vasorum finibus, inter reliquas, ex quatuor potissimum signorum differentijs. Primùm quidem ex tactu, nulla enim reliquarum obstructionum tactu distingui potest, nisi gibbæ partis venulæ adeò creuerint, & in turgorem eleuentur, quòd corpus etiam ipsum in maiorem molem adaugeant. Quod sanè distingues ex lenta febricula, & maiore dolore, nec nō ex viuido faciei, & totius corporis colore. Itaque obstructio hæc facilè, & necessariò tactui se se offert, diutiùsq; sub dextro hypochōdrio semper præ se fert, *Signa.*

& aliquando tensionem, quòd flatus etiam adiungãtur: quam ab alijs, si quando duritiem, aut tẽsionem moliuntur, seiunges ex faciei colore: quippe qui gibba, aut caua parte iecoris obstructi sunt, vel natiuo colore priuantur, vel alio deteriore fœdantur qui naturam redoleat redundantis ſucci: at prædicta obstructione affecti, in primo eius accessu plerunque pulchriores, & coloratiores fiunt: nam cùm mutatio chyli in sanguinem non interdicatur, neque distributio ad singulas partes, vt in alijs, fit facilè vt peruadente prædicto sanguine ad membra, & faciem, coloratiores fiant, & viuidiores. Accedit etiam vrina nihil à naturali mutata, quæ in alijs obstructionibus, vel tenuis est, vel aquosa, & decolor necessariò apparet. Nam cùm obstructio hæc non sit in vijs humorum, non exuitur vrina ab his quæ ipsam bonæ, & laudabilis substantiæ, & coloris reddere assolent: cum hoc tamen & vrina, & color faciei (si duret affectio, maximè cùm reliquas obstructionis sortes secum accersit) mutari assolent. Habet insuper hæc obstructio sensum quendam ponderis, & quasi ab ea parte propendentis: quod signum licet alijs etiam iecoris affectionibus commune sit, cum hoc tamen prædictis signis adiunctum, clarius etiam obstructionem seiungit, & monstrat. Crescente tamen affectione hac, & morbo diutius prorogato, clariora indies magis se se ostendunt signa: nam ex iecoris contracta intemperie apparet improba sanguificatio, quæ vel in scabiem, si biliosa sit, vel in psoram, aut aliam cutis defœdationem commigrat, vel in malum corporis habitum, si frigidum sit intemperamentum. Vt signum etiam non mediocre accedit prægressa affectio, cui hæc obstructio plerunque comes it, nec non & vitæ modus, ac potus, & victus præhabita ratio, tã in morbo, quàm ipso finito: sæpè enim ab his causis originem sortiri assolet, præsertim si iecur propria forte calidum sit, & laborans nimio vsus potu. Quòd si dolor per interualla accidat, signum profectò est flatuosæ substantiæ adiunctæ: si tamen perpetuò affligat, instantem vereri oportebit, quinimo semper est eius præludium.

Verùm quia diminuta videretur nostra oratio, si aliarum obstructionum naturam, causas, & signa aliquo modo non explicemus, institui hac in parte docere, venas, siue portæ, siue gibbæ hepatis partis sint, obstrui semper, vel à crassis, vel à multis succis, cæterum distingui posse sit ne obstructio in gibba, an in caua ipsius visceris parte, ex symptomatis potiùs, & morbis, quæ hanc, aut illam sequuntur, quàm ex peculiaribus signis. Nam gibbæ obstructio, & colorem mutat, & alimentum partibus demit, ac vrinam decolorem reddit, cauæ autem partis obstructionem alui fluor insequitur, & vrina parcior, sed in omnibus reperies grauitatem dextri hypochondrij adesse, dolorem grauem sæpè, aliquando punctorium si affectio migratura est in inflammationem: tussim etiam siccam, & paruam cum spirandi difficultate: quibusdam adest febris, non quidem necessariò, sed cùm aliquis humor putredinem contrahere incipit, qui si in vasis sit, maioris est momenti, si verò is sit qui obstruit, diu durat, sed minoris est periculi: adest & tensionis sensus, seu dolor tensiuus, præcipuè vbi obstructio fit à vaporoso spiritu ibi etiam incluso, & exire prohibito, quæ affectiu inflatio, seu flatuosa distensio quoque dicitur.

Præsagiū Verùm ne quis existimet parui esse momenti iecoris quamuis obstructionem, expendat (præter febres quas frequentissimè succendere assolet, aut grauiores, & diuturniores reddere) illam quem in parenchymate iecoris fit obstructionem, plerumque in phlegmonem commigrare, maximè si vel febris adiungatur, vel quid calorificum accedat. Quo fit vt cautè, & prudenter oporteat eum ea agere: nam

A aliogui cùm minùs quàm par sit, difflari iecur possit, ocyssimè in calorem, & putredinem agitur. Præterea hæc eadem in scirrhum non rarò abit, præsertim si adiungatur prauus faciei color, qui ostendat prauum aliquem succum redundare, cuius excessu substantia iecoris indurari possit, aut in loco vno paulatim congestus duritiem contrahat immedicabilem. Item in malum corporis habitum, seu hydropem, maximè ijs qui intempestiuo potui, ac prauis edulijs nimium indulgent. At quæ in gibba hepatis est obstructio, si diu duret, vel in maciem, vel in melancholiam non rarò commigrat, sicut quæ in caua fit, in chylosum alui fluxum, ac non rarò ob id in hydropem, & ob flatuum copiam, tympanitem. Quapropter, quauis earum inspecta, diligenter exstirpanda B est, ne in maius malum, & immedicabilius commigrare contingat. Verùm inter omnes huius visceris obstructiones, eas deteriores iudicabis quæ aliud ex vicinis membris oblædunt, cuius signum est singultus, aut alui fluxus: item eam quæ ex indurato splene in iecur commigrat, maximè si ex melancholia ortum duxerit, licet ex bile acutior, & grauior fiat: difficilior tamen & periculosior existit quę in carne hepatis fit, ex reliquis verò quæ in caua reperitur.

Curationem earum obstructionum quæ in cauis partibus iecoris accidere assolent, abunde absoluimus lib. nostro 2. de recto præsidiorum vsu, & libro etiam 2. de fœminarum morbis. Quapropter solùm C hac in parte mihi est in animo eius obstructionis meminisse, quæ vel in parenchymate iecoris fit, vel in finibus vasorum eius, vt quæ & grauior, & curatu difficilior existat. In primis itaque sciendum est longè diuersum exposcere curationis principium prædictã obstructionem cum secum febrem habet adiunctam, ab eo quod per se solùm expostulare comperimus. Nam febre accedente, quæ maioris sit momenti quàm febriculæ quas prædictæ obstructiones generare assolent, pronnus à sanguinis detractione, & mox à purgatione, victu tenui, ac extenuante principium curationis auspicari oportet, præualente febris indicatione, non tamen omnino posthabita ipsius obstructionis natura. Verùm si vel febris leuior fue- D rit, vel nulla, longè aliam expostulat curandi rationem, & methodum, quàm reliquæ obstructionum sortes: quippe illæ, vt quæ causam habeant lentam, crassam, viscidam, & copiosam, vel vacuari potinus desiderant, vel incisionem, attenuationemque, mox à principio leuiter exonerato corpore, exoptant, vtcumque tamen sit, semper abstersorijs medicamentis gaudent, siue in gibba, siue in caua iecuris sita obstructio sit. Quapropter constat Galen. optimè dixisse qui 11. method. & 5. ac 6. simp. pharmaca ea his muneribus idonea scribens, hæc refert verba: *Medicamenta quæ sunt aperiendis obstructionibus idonea, vt ex abstergentium genere sint, ita oportet vt non solùm facultatibus, sed & substantiæ modo consisten-* E *tiaque illis opponantur, quæ à Græcis emplastica dicuntur: nam hæc viscida sunt, quatenus ad rationem substantiæ pertinet, omninoque mordacitatis expertia, cùm illa quibus sunt reseranda obstructiones, oporteat omni carere lentore, & non esse mordacitatis expertia, cùm ea, aut nitrosa sint, aut amara, aut acria, & tandem quæ tenuis sint substantiæ, vel tenuium partium: quòd si aliquid prætereà adstringentis facultatis habuerint, longè tutiora, & præstantiora existunt.* Inter quæ sanè multa recenset frigido iecuri idonea, & alia non pauca calido proficua. At obstructio hæc de qua in hoc capit. sermo habetur, cum longè diuersas sortiatur causas, proculdubio diuerso modo curationem exoptat fieri. Nam cùm dictum sit plerunque fieri à tenuibus succis, considerandum est, aliquid eorũ adhuc habere rationem

Curandi ratio.

causæ

causæ antecedentis, & quod in morbum commigrare raitatur, vel iam ipsum actu parit: iuxta quam diuisionem curationem instituere oportebit. Primò etenim, quod in iecoris vasis redundat tenue, & aquosum, vel purgatione demendum, vel parca, & exiccanti victus, ac potus institutione conterendum, quod verò impactum imbibitumque in viscere iam est, discussorijs, extenuantibus, abstergentibus cibis, ac medicamentis, tum intus, tum extra adhibitis, digerendum resoluendumque prorsus.

Victus. Sic etenim affectis ea victus, & potus ratio instituenda est, quæ præter id quod crassum succum generare non possit (hoc enim omni obstructioni incommodum existit) tenuem verò inundantem conterere nata sit. Quapropter porriges ex carnibus gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, & cuniculi assis, aut elixis, quantum sat sit, vt quod redundat succi tenuioris imminuatur viribus seruatis integris. Neque ea aromatis, aut condimentis salsuginosis admiscebis, ne sitim adaugeant: iusculis minus vteris, non tamen omnino interdices, cœna parcior ex ouis sorbilibus, hepate gallinæ, vel anseris, aut pullorum, cum pyris assis. Potus verò sit parcissimus ex cinnamomo, aniso, radice Chinæ, sassafrasa Indica, aut myrica, vel agrimonia decocta, aut vino albo vetustiori probè diluto vteris. Quòd si aliquando aliquid extenuans, & tenuium partium, vel cibis, vel potibus vsu admiscere vsu venerit, id proculdubio gratia vrinam cōcitandi potiùs, quàm extenuandi humorē, qui suaptè natura tenuis est, facies.

Instituta huiusmodi victus ratione, quam exequeris vniuerso curationis tempore, corporis statum considerabis, & antecedentem succum diligenter inspicies, sitne cum sanguinis exuberantia, an secus. Quippe in huius obstructionis primordijs, frequentius sanguinem redundare contingit, tum ob iecoris calidius intemperamentum, tum verò ob suppressam aliquam, vel menstrui, vel hæmorrhoidum, aut narium sanguinis vacuationem. Quòd si in declinatione, aut fine alicuius febriculosæ, aut diuturnæ affectionis malum oriatur, contemplari tunc oportet, an æger potulentior iusto antea fuerit, aut iecur feruidum, aut sanguis nimio æstu attenuatus, vel affectio prægressa ex frigidioribus: tunc enim coniectandum est non ex iecoris nimio calore, sed ex vberiori potiùs humiditate ex potu nimio contracta, obstructionem hanc ortum duxisse: quo tempore abstinendum esse à sanguinis detractione consulit affectus, & causæ, ac occasionis ratio. Verùm si præcedens affectio calida fuerit, & æger potui non admodum deditus, coniectabile est morbosæ causæ humiditatem iecur præcalidum traxisse: quo tempore opportunissima est ex saluatella manus dextræ sanguinis detractio (siquidem ex maioribus venis in præcedentis morbi curatione detractus iam sit) vt attemperetur iecoris feruor, sicut dum ex itinere, vel quouis alio labore præcalidum factum iecur, quidquid in sanguine tenue est, ad se traxerit, ex brachio. At si sano homini nulloque præcedente morbo prædicta obstructio accidat, ex suppressa aliqua sanguinis profusione, vt plerisque fœminis ex menstrua purgatione cohibita, cōtingere scimus, aut viris ex hæmorrhoidibus suppressis, protinus quidem sanguis extrahendus, si plenitudo magna sit, ex brachio, & mox ex talo, aut si leuior sit abundantia, ex talo semel, aut bis. Postea verò suppressam vacuationem reuocare curabis, ne sanguine exuberante, iecur quod tenuius est ad se trahat, & moliatur hoc, & grauiora mala quæ protinus sequi solent.

Quo facto, si (vt dictum est) opus fuerit, vel si nulla mittendi sanguinem fuerit occasio, aut causa, curandum profectò tunc est sanguinem ipsum ab spurcitia serosi aquosique humoris exuere, instituta priùs potus parsimonia, imperatoque ante cibum (& post leuem aliquam purgationem) conuenienti exercitio, quibus aquosioris sanguinis partes facilè per halitum digerantur. Deinceps tamen ea purgantia medicamenta porriges, quæ serosam humiditatem expurgandi vim habeant: cui vsui & seminis carthami succū, & agarici, ac rhabarbari dilutum profuisse experimēto diutino didicimus. Prodest & decoctum galli veteris cum carthamo, & decoctum radicis rubiæ, & acetosæ, ac passularum: succus etiā eupatorij, & carthami, aut eorum decoctum cum modico agarico: quæ sanè exequeris per breue interuallum, tertio nimirum, aut quarto quoque die, nam hac lege purgare oportet iecoris obstructiones, eas maximè quæ in gibba, vel caua iecoris parte sunt: nam copiosiùs purgare, vel irritum, vel periculosum est, cùm per obstructas cauitates maiorem copiam permeare sit impossibile, at in hac obstructione, quæ non fit in vijs ductuum, licentiosiùs aliquando vacuare licebit. Quod quidem vbi sexies feceris, ad ea medicamenta quæ vim habeant euacuandi iecoris humiditatem, & corrigendi ipsius vitium, te conferes: & sic sex, aut octo dierum spatio porriges summo manè confectionem de iecore lupi in forma tabellarum redactam, puluerem etiam, vel tabellas radicis rubiæ, & rumicis cum duplo sacchari, vel diarrhodonis cum puluere squinanti, trochiscos rhabarbari cum modico dialaccæ cum sacchato: & sic per interualla purgabis quod aquosum est, & iecur ipsum roborabis, ac deobstruere prædictis pharmacis studebis. Fugiendum præterea est in hac obstructione ab apozematis, & potulentis medicamentis, vt quæ plus causam augere, quàm malum minuere nata sint.

Quam sanè curandi rationem vbi per aliquot dies institueris, mutabis postmodum in eam quæ docet vrinas mouere, quæ iudicio nostro, cæteris huic affectioni commodior existit, vt quæ medicamentis constet, quæ præter id quòd vim habeant aquosam substantiam per vrinas ducere, potentiam quoque sortiuntur sese insinuandi in abditas, & minimas quasque corporis partes, ac in eisdem aquas conterendi. Expendendum tamen est quod sæpè lib. nostro de recto præsidiorum vsu, capite de prouocandis vrinis diximus, nimirum non omnibus, quæ vrinam mouēt, vtendum esse in hac curatione: quippe quæ multam aquosam humiditatem gignunt, potiùs causæ augmentum præstant, & obstructiones augent. Quo fit, vt perperam multi in obstructionibus quæ supersunt ab acutis morbis, lacte seminum frig. vtantur: quapropter eis tantùm vtendum esse arbitror, quæ vel à proprietate aquas educunt, vt rhabarbarum, & semen carthami, vel abstergunt, vt terebinthina, & chalybeata omnia medicamenta: nam quæ propriè vretica sunt, vt quæ humores fundunt, quodammodo suspecta videntur, licet vtilia aliquando esse possint, quòd ad ducenda alia pharmaca non parum profutura sint. Quapropter in decocto cichorij, radicis eius, petroselini, fœniculi, & rubiæ tinctorum, cinnamomi; & squinanti, chalybem multoties extingues, ipsum quarta, aut quinta quaq; extinctione mutando, aliumque denuo succendendo: sic etenim maiorem repurgandi, & resoluendi vim aquę præstat ob sulphureas partes in aqua relictas, cuius modicum summo manè, idque calidum laboranti porriges cū modico saccharo, aut melle, si affectio frigiditatis sit particeps. Prosunt his obstructionibus mirum in modum pilulæ, q. ℞. *succi absynthij depurati, & exsiccati* ℥ 1. *spicæ nardi, & squinanti* ʒ. ß. *seminum apij, & petroselini, anà* ℈. 1. *puluerizentur subtiliter, & cum succo intybi fiant pilulæ, quibus aliquando adde rhabarbari* ℈. 2. *aut iecoris lupi præparati* ʒ. 1. *vel vtrumque.* Prosunt & aliæ quæ fiūt ex trochiscis de capparis, & de absynthio cū succo apij, & modico rhabarbaro.

Item post sex dies modicum terebinthinæ abietis, sæpius aqua cichorij lotæ porriges, factis cum puluere rhabarbari ex ʒ. 1. terebinthinæ, & ℥. ß. rhabarbari: ac si rem ex voto successisse compereris, iterum post sex aut octo dies porriges. Sed magni esse censeo momẽti in sic affectis vsum aquæ sulphureæ in balneis, aut fontibus vbi naturaliter fluit, licet maioris momenti sit chalcanthosa aqua, cuius naturæ est quæ fluit in fonte de Liege. Quòd si velis omnem in hac curatione scopum implere, ad antidota, quæ ex chalybe huic visceri proficua, & peculiaria conficiuntur, te conferes: hæc enim & quod impactum in iecore est, abstergendo discutiendoque repurgant, vias referant, aluum mouent, & vi medicamentorum, quibus admiscentur, vrinas etiam cient. Primò etenim ℞. syrupi eupatorij compositi ℥. 6. iecoris lupi præparati ʒ. 2. & ß. pulueris squinanti ʒ. 1. oxymelitis ℥. ß. spumæ chalybis ℥. 3. misce, & fiat ad modum opiatæ, cuius porrige ℥. ß. aut ʒ. 3. viris & his qui vires habent robustiores, chalybis optimè præparati, aut solùm subtiliter limati, & sæpius aqua graminis loti, quod magis probo, loco spumæ adiicies ℥. 2. & ß. Vel sic conficito: ℞. syrupi acetosi diarrhodon ℥. 4. syrupi capillorum veneris, & cichorij, anà ℥. 1. trochiscorum de rhabarbaro ʒ. 2. & ß. trochiscorum dialaccæ ʒ. 1. & ß. chalybis optimè præparati, vel vt dictum est ℥. 2. & fiat ad modum opiatæ. Tertiò ea compositione vti poteris, q. ℞. syrupi cichorij compositi ℥. 4. aquæ eupatorij ℥. 2. syrupi acetosi de quinque rad. ℥. 1. & ß. trochiscorum diarrhodonis ʒ. 2. pulueris squinanti ʒ. 1. diacurcumæ ʒ. 1. & ß. pulueris radicis rubiæ, & rumicis, anà ℈. 4. chalybis optimè præparati, & citra præparationem, anà ℥. 1. & ß. misce, & fiat opiata, quam liquidiorem reddes aqua, aut syrupo capillorum veneris. Hunc sanè vsum præstat syrupus ex scoria ferri, quem ego potiùs ex eodem chalybe, quã ex prædicta scoria conficere assuesco, sublato croco, & addito squinanto, & eupatorio cum modico aceto, aut citra ipsum in fœmellis. Est etiam non minoris momenti medicamentum, quod ex dialacca, & chalybe cum modico puluere rhabarbari conficitur, aut citra ipsum, addito tamen syrupo eupatorij, quantum sit satis vt bibi possit. Quibus profectò mirum non est, si & induratum iecur mollescat, resoluaturque quod in eo duritiem contraxit. Quouis autem horum pharmacorum exhibito, imperabis exercitia, siquidem ea lege corpus ab alimento, & exercitio dixit conseruari Hippocrat. 1. de diæta, nam illud quod perit reficere habet; hoc verò, quod ab alimentis superest præter naturæ modum, demit, præterquã quòd medicamenta in penitiores, & abditas corporis partes deducit, vias aperit, & corpus vniuersum calido naturali calfacit.

In huius etiam affectionis curatione diligenter sciscitaberis, tam ad prædictorum pharmacorum adhibitionem, quàm ad topicorum applicationem, an sola præsit obstructio, an etiam intemperamentum aliquod adeò intensum, & morbosum, quod etiam peculiares actiones sensibiliter oblædat, contraxerit, vel iecoris corpus, vel eius vasa, siue id calidum sit, siue frigidum: tunc profectò non minùs huic intemperamento prouidendum est, quàm obstructioni: nã ex calido, nisi præueniatur in iecoris inflammationẽ facilis est commeatus, maximè si calidis, & siccis imprudenter vtaris, sicut ex frigido, in malum corporis habitum. Quorum illud facilè disces ex maiori partis faciei dextræ rubore, ex siti, difficili respiratione, & cibi fastidio, hoc verò ex palpebrarum oculorum intumescentia summo manè apparente, ac ex pedum tumore aduentante nocte, nec non decolorata facie cũ antea melioris esset coloris. Quibus inspectis, his & alijs medicamentis quæ diximus, nec non & topicis quæ mox scribam, addere, aut demere oportet quæ necessaria iuxta rationem intemperamenti visa fue-

A rint: sic calido, atque obstructo iecori prodest, id q. ℞. conseruæ florum cichorij, & capillorum veneris, anà ℥. ß. conseruæ violarum ʒ. 3. pulueris diatragacãthi frig. & triasantalorum, anà ʒ. 2. quatuor seminum frigid. minutim incisorum, anà ʒ. 1. cum syrupo intybi fiat opiata. Quippe sola existente obstructione, neque in chalybeatis compositionibus, neque in reliquis, aromatis, aut calidis pharmacis nimium vtendum est, sed quantum penetrationis gratia sat sit: quapropter ea demenda sunt ab his compositionibus. Verùm si ex prædictis signis constiterit, vel iecur, vel eius vasa frigidum iam contraxisse intemperamentum, vt scripta sunt adhibebis, sicut dum calidum intemperamẽtum præualuerit, vel temperatioribus admiscebis, vel B tertio quoque die porriges aquam hordei, oxalidis, aut cichorij, vel eupatorij chalybeatam, aut si mauis, serum lactis.

Ad partis verò curationem deuenientes, ijs vtendum erit auxilijs quæ vim habeant, & aperiendi meatus, & discutiendi digerendique quod ibidem impactum est. Topica igitur quæ huic ministerio sunt necessaria, duplici forma adhibenda sese offerunt. Primùm itaque fomenta parabis ex calido decocto absynthij, chamæmeli, squinanti, calamenthi, & rosarum cum modico aceto: aut si frigida præualuerit intemperies, vini albi. Quod si velis efficacius efficere, radicem lilij minutim inscisam inter coquendum addes, vel sambuci folia contusa, aut radicem, C vel folia ebuli cum eupatorio, & chamæpity. Quo facto partem sic ex fotu calidam inunges vnguento deoppilatiuo succorum. Item conficies aliud, q. ℞. succorum apij, petroselini, fœniculi, senecionum, & cichorij, anà ℥. ß. aceti ℥. 1. olei absynthij ℥. 2. & ß. bulliant omnia ad consumptionem succorum, postea adde spicæ nardi puluerizatæ ʒ. ß. pulueris squinanti ʒ. 1. & cum cera fiat vnguentum. Prosunt & emplastra pulueris chamæmeli, meliloti, abrotoni, & foliorum sambuci, ac ebuli q. s. vt cum prædictis decoctis fiat emplastrum. Verùm si flatuum copiam simul adesse compereris, discutientia sensim, & modicè addes, ac cucurbitis vteris, ac si constiterit iecur plenum esse, aut aliquid mali etiam membranam sortiri, eas scari- D ficabis, incredibili profectò efficacia prædictis doloribus subueniunt præcauentque inflammationem imminentem.

CAPVT II.

De totius ventris, & iecoris dolore, inflammatione, & scirrho.

FOrtassis mirum omnibus videbitur, qua nam ratione mihi in animo fuerit, hoc vno capite doloris, inflammationis, & scirrhi tractationem, & curationem complecti, cùm re vera affectus sint non solùm natura diuersi, sed & signis, causis, & curatione; E & partes omnino inter se dissidentes situ, & natura, ac partibus quibus constituuntur. Qui sanè expendant, iuxta optimam rationem factum mihi videri, quando inflammationum non tantùm omniũ, sed peculiariùs iecoris, præludium ineuitabile sit dolorẽ existere, ac diu præire: cui qui ex arte prouiderit, certum est inflammationem inhibere, quod lõgè vtilius est quàm ipsam curare. Et cùm inter ea quæ à dolore, aut inflammatione iecoris supersunt, frequentiùs scirrhosa durities subsequatur, idque maximè ex curantis incuria, ita profectò vt vtriusque mali prouidentiã habere possimus, cumque in ventre sint partes è regione iecoris quæ ipsis naturam, situm, & curationẽ æmulantur, ob id eorum omnium simul tractationẽ hac in parte adiungere studui, licet de quoque seorsum scripturus sim.

Antetamen quàm quid peculiarius explicem, expen-

pendisse priùs oportet in ventre triplicem ab Hippocrat. in Coacis notari regionem: hypochondria supra vmbilicum in latera diducta: inferiorem partem quæ vmbilico subijcitur, pubem, sumen, aut imum ventrem, cui sunt à latere lagones, ilia; hypogastrium in vniuersum vocant, & aqualiculum postremò eam quæ medium ventrem occupat circa vmbilicum. In quibus omnibus partibus tumorum omnium genera oboriri possunt, qui si per tactus differentias diuidantur, triplices sunt: durus dolens: durus indolens: mollis indolens mollis enim dolens nullus est. Verùm iuxta humorum qui ipsos concitant differentias, quatuor reperies, his tribus comprehensos, quos omnes, & eorum situs ad vnguem distinguere opus erit, si curationis exoptas felicem oboriri finem. Nam & suppurati, aut secus, vel periculum, aut salutem ex his facilè nosces. Sed prætermissis qui indolentes sunt, inter dolentes de inflammatione primò agendum est.

De iecoris dolore. Inflammatio igitur licet vnicum tantùm sortiatur generationis modum in iecore, haud secus quàm in quouis alio membro, cum hoc tamen varias sortitur suæ generationis occasiones, quarum neutra id malum mittit, aut potest efficere citra dolorem qui prȩludium sit, & veluti coadiuuans causa ad eiusdem generationem. Sic enim iecoris inflammationem minatur dolor, siue perseuerans sit, siue per interualla, vbi vel vehemens fuerit, vel diu durauerit, quantumuis mitis primo accessu videatur. Solet quidem iecur dolere, & ob varias causas, & in diuersis eiusdem partibus: quippe si doloris causa in profundo carnis vigeat, proculdubio sit ratione nullus excitabitur dolor, quòd omnino sensu careat, dolorem tamen efficiet grauatiuum membranæ ipsum ambientis ratione: nam quasi pondus quoddam deorsum trahens viscus, & diaphragma apparebit, dolor tamen leuis erit. Verùm si in vasis ipsius visceris doloris præsit causa, tunc quidem dolor pungens, & tensiuus aderit, sicut dum tunica ipsum ambiens primò afficitur, acutus, vt Galenus scripsit 6. aphorismorum licet alijs in locis venis, & arterijs sensum denegauerit. Sed veritatem huius loci probant lassitudinum fortes, quas, nisi vasa à causis præter naturam affici dolore potuissent, fieri esset impossibile. Quòd verò libro 2. de locis affect. capit. 2. & 6. de vsu part. contrarium dixerit, aliter quam sonat licet intelligere: quippe sensu priuari prædicta vasa si ea seces, aut vras; non quòd sensu careant, vt constat si seces, aut vras.

Causa. Quibus partibus dolores excitari assolent varij, & à varijs etiam causis: quippe nonnunquam fiunt à flatu distendente, incluso que, & crasso, qui difficulter dissoluatur, & nonnunquam resoluentibus fit intensior ob maiorem rarefactionem, aliquando copioso, qui plus iusto distendat, vel vasa ipsius iecoris, vel eiusdem inuolucrum: nam in carne rarò contingit adesse, licet aliquando reperiatur, & maximè in obstructionibus parenchymatis. Fit insuper ab omni intemperamento calido, aut frigido, quod & intensius sit, & subitò ingruat, aliter enim dolorem non concitat. Item prodit ab humorum, vel copia, quæ distendat, vel acrimonia, & vitio, quæ nimium exedat, ac mordeat. Prætetea ipsum concitat, vel grauior cuiusuis partis ipsius visceris obstructio, vel inflammatio, aut solutio continui. Sed his duabus causis prætermissis, nam de obstructione satis superque actum est, de inflammatione nunc latiùs erit agendum: tantò enim grauiorem, aut mitiorem reliquæ causæ natæ sunt concitare prædictum dolorem, quantò vel humor fuerit acrior, vel copiosior, aut vehementiùs moueatur, aut flatus extensus, motus, aut immotus. Hæc enim dixerim, vt tantò maiori diligentia Medicus præcaueat futurum damnum, quan

A tò dolores sæuiores sint: id enim est quod ocyus in inflammationem commigrare affectum cogit. Itaque ex intensione doloris, magnitudinem causæ, ex doloris specie, loci affecti naturam facilè venaberis: sit ne humor, intemperamentum, aut flatus, non ex his, sed ex alijs: quibus causis accedit iecur dolere etiã ob vesiculas aqua plenas quibus aliquando scatet, aut eius inuolucrum.

Causarũ signa. Quippe flatum ostendit partis tensio, & vt rectiùs loquar, tensiuus dolor, & qui per interualla repetit, & exacerbatur, aut subitò cessat, vel delitescit, ac subitò etiam ingruit, maximè si crepitus accedant excreti, aut murmurantes, cum tensione ad tactum, si in tunica ipsum ambiente causa sit. Humorem esse doloris

B causam, docet acrimonia, aut mordacitas simul cum dolore percepta, præsertim si vel per aluum, aut vomitum mittitur biliosorum salsuginosorumque excretiones prodierint, aut suppressæ fuerint, cùm vules antea fuissent. Sic plenitudinem monstrant partes exacerbatæ, & dolentes magis ex tactu, vel manus attrectatione. Ita prorsus si nil horum adsit, intemperiem causam dolori præstare conijcies.

Præsagia. Quibus sic cognitis, à quacunque prædictarũ causarum dolor oriatur, si vel modum excesserit, vel diu persliterit, veteri quidem oportebit, ne euocatis ad viscus superuacuis humoribus, vel qui ibidem sunt detentoribus factis putredine, aut alia corruptione, in inflammationem affectio migret. Quapropter cuiusq;

C causarum (excepto intemperamento, cuius longior sequenti capite erit tractatio) seorsum meminisse oportebit, quo expeditior fiat tractatio.

Curandi ratio. Flatuosa igitur substantia, qua frequentiùs fœminarum pleræque iuxta iecoris regionem premuntur, & virorum hi qui potui nimio indulgent, crudis abũdant excrementis, aut vitam agunt sedentariam, crassiorique bile sunt referti, mitigationem, si affectio vrgeat, expostulare videntur protinus; sin aliter, à purgatione principium curationis auspicari oportebit. Itaque si vrgentia permiserit, cassia cum puluere diarrhodonis, aut hieræ Galen. veteris, vel syrupo ex infusionibus, aut agarico expresso in liquore rosarum Persicarum, vel manna: aut si affectio diutina sit, & per

D interualla repetierit, pilulis vteris hieræ simplicis, vel masthichinis, aut ex pari mensura rhabarbari, agarici, & hieræ simplicis. Quo facto, vel antea, si doloris pressura postulauerit, ad anodyna veniendum est, ea nimirum, quæ resoluendi, ac discutiendi vires habeant: quale est fomentum ex decocto chamæmeli, absynthij, squinanti, & rosarum: ac si corpus pituitosius fuerit, additis vini albi guttulis, quantum penetrationi, & discussioni satis sit. Item partem inunges oleo absynthij cum modico spicæ, in quibus ferbuerit in duplici vase squinanti, & chamæmeli parum cũ modico aceto. Ex quibus, vel alijs eiusdem naturæ, cum cera vnguentum, aut linimentum facilè cõficies: aut ex oleo dulci cum chamæmelo, & sambuco, ac flori-

E bus eius, fomentum in vesica, aut spongia patabis: vel ex vino, & oleo absynthite, & rosarum. Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, cucurbitam iecoris regioni affigere oportebit, aliquando etiam cum scarificatione, & postea calidis cataplasmatis vteris, vt consulit Galen. 11. metho.

Quòd si grauatiuus fuerit dolor, arbitrandum est ei plenitudinem causam præstare, maximè si tensionis sensus accedat: nam licet tensio soboles sit flatuosæ substantiæ, cum hoc tamen si grauitati adiungatur, longè certiùs plenitudinem arguit. Quapropter sanguinis detractione protinus vtendum est (nam ex hac causa concitati dolores ocyus inflammationem accersunt) si plenitudinis totius corporis signa subsint ex communi vena; sin aliter, ex basilica; aut, si vires non id tulerint, ex saluatella dextræ manus: vbicunque tamen fiat, quantum plenitudo ex-

postulauerit detrahes, semel, bis, aut ter, donec aliquo modo dolorem cessasse comperias; subsistes tamen parum infra, quòd membrum affectum ex præcipuis sit, copiosamque vacuationem non admittat. Postea verò anodynis quæ modicè discutiant, vteris, ac in oleo rosacco incoques absynthium, & squinannum, ac folia sambuci, & facta expressione partem inunges. Quòd si dolor creuerit, non erit ab re tunc cucurbitam cum scarificatione adhibere, vt si quid his partibus proximum est, illac expiret.

Verùm si humores biliosi, acres, mordaces, commoti, aut in cauis iecoris partibus interclusi dolorem concitauerint, tunc quidem cautiùs, & prudentiùs agendum est, nam facilè auxilio importunè adhibito, affectio visa est commigrare in inflammationem. Quippe tunc licet sanguis non abundet, mittendus tamen ex basilica lateris dextri est, tum vt visceris calor mitescat, tum verò vt nihil sanguinis, dolore concitante, ad eam partem euocetur, quo citiùs fiat inflammatio, tum etiam vt expeditior subsit ad expurgandos humores via. Quod sanè opus non cófertim, & subitò, sed paulatim lentèque, & per vices fieri debet, exhibito rhabarbari diluto, aqua cichorij, sero lactis, & aqua eupatorij. Prodest & liquor nouem infusionum rosarum Persicarum cum corticibus myrobalanorum, aut rhabarbaro, item & manna liquata eodem liquore: prosunt & folia senæ infusa in aqua lupulorum, & cichorij. Postea verò vteris aqua lactis cum saccharo, & syrupo violaceo, aut portulacæ, vel cichorij: item aqua hordei cum syrupo cichorij composito, vel si bilis crassior fuerit, cum syrupo acetoso, diarrhodon, aut eupatorij. Vteris etiam extrinsecus fotibus decocti rosarum, & violarum cum modico absynthio: item inunctionibus olei, vel vnguenti rosarum, aut santalini: tandem omni arte curabis dolorem sedare præcaueteque quo minus inflammationem concitet, sin aliter ad vsum *philonij Romani* te conferes, *dosi* ℈.1.*ad* ʒ.ß. Præterea eo tempore cucurbitam cum scarificatione parti apponere, antequam in inflammationem commigret affectio, mirum in modum prodesse solet.

Inflămationis pricipium.

Quòd si ne his quidem adhibitis dolor quieuerit, sed magis indies videatur exacerbari, maximè febre accedente, tunc profectò suspicari oportebit doloré migrare in phlegmonosam iecoris affectionem, desistendumque esse ab alijs auxilijs, studendumque inflammationem cohibere. De inflammationis igitur natura nil in vniuersali instirui agere, cùm vulgatum sit apud Galen. 13. & 14. method. qua lege, & quibus modis fieri semper soleat: hoc tamen solú necessum est referre, oportere partem quampiam, si inflammationem perpessura est, humore in propria carne repleri, abscedereque partes, si suppuratio futura est, caussæ verò eædem sunt cum his quæ dolorem concitauit, vt dictum est.

Signa.

In qua re sciendum primò est, dum dolor perseuerans sub dextro hypochondrio viget, num iecur, vel alia vicina pars subtus, aut super inflammatione afficiatur: & rursus si constiterit iecur inflammari, qua eius parte malum existat, in caua videlicet an in gibba, cùm id necessariò præsciri debeat, si curatio ex arte futura est. Ad primum igitur accedendo considerandum est, affines simillimasque esse has tres affectiones, iecoris nimirum inflammationem, musculorum abdominis sub parte dextra, & pleuritidem, nec non & aliorum membrorum sub hypochondrio dextro.

An dolor & inflămatio sint in vētre, vel in iecore.

Nam hi qui iecoris phlegmone laborant, præterquam quòd eadem parte dextra, nimirum ad nothas costas dolore afficiuntur, & ex magna respiratione intensiùs dolent, sentiunt quoque in eadem parte cú dolore pondus, quo dolor sæpè ad iugulum se se extendit, forsan ob venam cauam ascendentem, vt 2. de locis pat. inquit Galen. & ijs maximè quibus iecur costis alligatur, quibus etiam pleuram dolore coafflici contingit. Ac si in iecoris inflammatione sinistram partem aliquando dolere accidat, ob extremam iecoris partem quæ illuc pertingit, cum hoc tamen id distingues ab splenis inflammatione, quia dolet dextrú iugulum ob rationem adductam. Adest quoque tussis ob eandem rationem, exigua tamen, & sicca, quæ citra excretionem non parum molestare assolet, cum respiratione parua, & crebra, vt expresserat Galen. 2. de locis cap. 8. & 9. & lib. 5. cap. 7. Nec mirum si aliquando sic affecti spumosum sanguinem expuant: nam id quoque dixerat Hippoc. lib. 5. de Coacis præ. text. 62. dicens: *Quicunque spumosum sanguinem expuunt, & à dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuunt, & ferè moriuntur.* Quippe id contingere posse scimus vno è duobus modis: primo vtiliter, & criticè, vt in plethora, & suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus, vel in mutilatis, ac nonnunquam in cruenta dysenteria: alio verò cùm per sputum, non copiosè, & sæpius per vomitum, vt in primo modo, sed lentè, cum tussi, aut sine ipsa: quo tempore semper mortis existit præludium, maximè si spumosus exeat sanguis: nam sine tussi excretus, hepate phlegmone obsesso, coniunctam imbecillitatem eamque vehementem denunciat, non secus quàm rubens proluuies: tunc enim sanguis profluit à venis apertis, idque interdum per nares, interdum per vterum, aut hæmorrhoides, aut intestinas nonnunquam etiam per sputa (quod deceptionis caussa sæpè fuit) quoniam venæ iecori affecto, vtpote suæ origini, condolescunt. Quoties ergo hoc symptoma superuenit dolori hepatis, & inflammationi, resolutio visceris ipsius significatur; nam per ramos venæ cauæ effunditur in thoracem, atque inde cum tussi sursum ascendit. In qua insuper Hippocrat. sententia optimè dictum est, ferè omnes, aut plures mori, quia non omnibus id malum contingit, quantumuis sanguinem expuant: & ob id censeo ab Auicenna dictum esse, sputum sanguinis frequenter conferre ad sanationem phlegmonis hepatis, vel splenis, quoniam sanguis auertitur, si modò leuamen inde sequatur: in quibus potiùs arbitror sanguinem fluere per vomitum, ventrem, aut nares, quá per tussim: quibus vera manet vtraque sententia. Accedunt etiam ad probandam inflammationem, linguæ color ruber primo mali accessu, deinde niger: cibi vehemens fastidium, sitis incompescibilis, aut vomitus bilis sinceræ, aut vitellinæ, & nonnunquam (vt Aretæus refert lib. acut. pas. cap. 7.) inanis, & molesta nausea cum ructu, & alui adstrictione, nisi iecoris quoque adsit imbecillitas. Procedente insuper malo, color totius corporis ex atro, & viridi permixtus apparet, vt idem Aretæus citato loco scribit apertè, vel, vt refert lib. de signis, & caus. capit. 13. colori herbaceo similis, qui crescente malo arquatis simillimus redditur, & sic crescit singultus, signum quidem, & præludium instantis delirij. Quibus accedit vrina rubra, turbata, & quæ acris, ac mordax sentitur, cum febre continua, quæ licet acuta, & vigens non sit, nisi inflammatio erysipelatis particeps fuerit, continua tamen erit, & non adeò parui momenti, ac multi sunt arbitrati; credendum tamen est, ad pensum, & magnitudinem inflammationis, febrem quoque crescere: qua sententia tollitur authorum non leuis pugnantia, vt adstruit Galen. 2. prorr. comment. 21. Pulsus vltimò aliquantulum durus, & serranti similis: quæ differentia in hoc affectu non admodum fit conspicua, maximè si iam morbus vltrà procedat: nam vel mente turbantur, & vigilant, vel ijs magna corporis segnities, & mens, vt refert Aretæus, attonita, suspensa, & torpida est. Quæ signa si quis diligenter considerabit, reperiet proculdubio non leuem constituere differentiam inter iecoris inflammationem, & nuper memoratas. Nam pleuritis semper habet sibi comitem

febrem

febrem acutam, tussim validiorem, cùm sicca est, & plerunq; in qua aliquid muiati coloris excernitur, difficilior respiratio, dolor sublimior, pulsus durior & cõspicuè serrans, neque opus est vomere aut aluum habere turbatam. At iecoris inflammatio tumoris rotundam manifestat figuram, conspicuam magis corpore supra latus sinistrum decumbente: musculorum verò inflammatio, iuxta ductum musculorum transuersorum, aut aliorum figuram & situm sortitur, febris mitior quàm iecore inflammato. Huius sanè inflammationis durities interminata est, vt refert Aretæus libro de sign. & caus. cap. 13. et extremitatis processus nequaquam cernitur. Item cutis iecore inflammato, incolumis sanaque apparet: musculis verò læsis, tensa, colore forsan mutato, & dolens leui tactu compressa: iecore verò inflammato non ita promptè aut dolet aut distinguitur tactu, nisi in gibba fuerit, quæ vniuersa manibus comprehenditur & circumscribitur: musculorum verò secus, quia protéditur ad musculi ductum, & aliquando in minimum desinit, Sed musculorum interiorum inflammatio longè difficiliùs noscitur, ni adiunxeris in eis non esse vomitum, tussim, sitim & pleraque ex accidentibus, quæ iecori inflammato propria esse diximus, præterquam quòd iecore inflammato aliquando hepaticæ fluunt egestiones, in pleuritide verò & reliquis, secus.

Esse autem inflammationẽ in sima aut gibba iecoris parte, (nam præcipua curandi ratio, & à parte, quæ in iecore inflammatur, & à natura humoris, quę inflammationem concitat, petenda, est) diligenter disquires. Sic enim cùm simam occupat partem, faciliùs manu premente percipitur, maior est dolor, qui ad iugulum dextrum magis protrectus sentitur, eò magis, quò pressiùs studuerit laborãs respirare: sic enim frequentiùs tussit, vrina apparet intensioris coloris, aluus adstrictior, vomitus magis succrescunt, alui fluxus et ingens cibi fastidium, et nullus tactu percipitur tumor, item profundior videtur, illud quidem ob ventriculi viciniam, hoc verò ob situm partis cauæ iecoris. Verùm si inflammatio extiterit in iecoris inuolucro, longè grauiora existunt accidentia: nam & conuulsiones & singultus & deliria, quia febris intensior, dolor acutior, & inflammatio feruidior, (quòd ex tenuioribus necessariò fiat humoribus) etiamsi febris quæ oritur parenchymate inflammato, copiosioris sit caloris. Distinguit huius partis inflammationem pulsus durior, quàm reliquis partibus inflammatis.

Aliarum partium tumores hac lege distingues: tumor autem veneris qui nutat & mouetur, vel omentum obsidet vel vterum; in mesenterio & pancreis, quæ sunt tanquam totius corporis sentina, è iecore & liene superflua bilis & pituita per ramos venæ portæ qui illuc desinunt, deponuntur in glãdulas, in quibus humores tempore exagitati, primùm laxũ mollemq; tumorem ingenerant, deinde siccescentes renitentẽ, durum ac verè scirrhosum, vt in penitioribus sub vmbilico partibus, vel os vel calculus concreuisse videatur. Cùm ergo venter intumescit citra fluctuationem, citra alui suppressionem diuturnam, citra hydropis suspicionem, id si ab adipis copia sit, manu totus separatur à musculis abdominis, & reliquus corporis habitus obesior est. At mæsenterei tumor altè sepultus est, nec nisi pressu animaduertitur, nullo dolore affligit, quia pars ipsa doloris expers est, & sua mole intestina coarctans aluum pigriorem facit.

Nec minoris momenti est nosse humorem qui in iecore aceruatus, inflammationem gignit (dimitto externas occasiones, ictum nimirum, casum, cucurbitam in dextere adhibitam, aut refrigerans vel calfaciens aliquod medicamentum, & alia huius naturæ) nam licèt semper sibi comitem sanguinem habeat, vel ipse solus per se id efficiat, cum huc tamen

A aliquando, vel bilis copiosiùs abundat, vel melancholia: nam pituita nequit in iecore adeò persistere, cùm coquatur, quòd in sanguinem protinus non abeat, vt Galenus aduertit. 4. de præsag. expul. c. 3.

Horum tamen humorum differentiam & cuiusque loci iecoris inflammationis periculum aut securitatem, non est minoris vsus nosse, vt certiùs Medicus curare discat. *Præsagiũ* Ex dictis locorum & tumorum differentijs, ad suppurationem vergere assolent durus dolens, & mollis indolens, sed id citius aut seriùs, frequentiùs aut rariùs sperandum est, quo magis iuxta hypochondria fuerint, longè magis quàm dum iuxta vmbilicum, et in his magis, quàm dum præsunt in imo ventre: causa est profectò loci calor intensior
B & maior, à quo quicunque tumores longiùs ad inferas partes recedunt, seriùs minusque suppurantur: quo fit, vt qui sub vmbilico sunt, rarò supputẽtur. Ob quam causam censeo Hippocratem dixisse. 6. popul. parte. 2. *vmbilicum terminum esse suppurationum.* His suppositis, aduertendum est quod Aretæus refert libro de sig. & caus. diutur. capite. 13. nimirum, tanto iecoris affectiones esse reliquis grauiores, quanto ad sanitatem maiorem vsum præstat, quippe ob sanguinis & reliquorum succorum vbertatem celeriùs & vehementiùs inflammatur. Inter cuius inflammationes, eam arbitramur grauiorem quæ fit in inuolucro, ob accidentium grauitatem, vt antea dictum est. At licèt iecur vtcunque tumore afficiatur, dolo-
C rem conciter, tamen ex doloris sorte plerunque non solùm differentiam tumoris & causæ eius venamur, verùm & suppurationis principiũ. Intumescit enim hepar, & tumore tunicam distendit, trahitque, vincula, quibus cum alijs vicinis partibus alligatur, ac densum cùm sit & graue, nec facilè cædat materiæ dolorem mouenti, acerbior dolor fit, vt inde asperiori dolore hominẽ celeriter mori contingat, quantumuis ipsum sensu carere comperiamus: nam dolor omnis circa hepar à connexis fit partibus. Fit autem ab obstructione, sed leuior & cum pondere: à tumore præter naturam, sed præcipuè inflammatione, & cum febre: à flatibus etiam, sed sine febre: vehemens à suppuratione quoque, ex quo cardialgia succrescit,
D quia aliquid ex inflammatione resudat, præsertim caua parte inflammata, quia ex hepate in ventriculum aliquid regurgitat, nec nõ & caput, quo somnus etiã succrescit: ad differentiam doloris principij qui potiùs vigiliam concitat: quippe toto ventre malè affecto, sæpe is somnus succrescit, qui laborem facit: nec non & imbecillitas nascitur, & bilis multa, quæ in ventrem defluens aluum perturbat, cum febre lenta & cardialgia. Præterea cùm inflammatio fieri possit in gibba, caua, membranisque & venis ipsius hepatis, non est facile nosse cuiusque partis suppurationem, nisi signa diligenter intuearis. Sic in gibba deterior est phlegmone, quòd nobilior sit pars & sanguini perfecto sit domicilium; cæterum minor con-
E sensus cum ventriculo, cuius symptomata terrent magis, vt nausea, singultus, bilis vitellinæ vomitus, postmodum æruginosæ, sitis inexplebilis, linguæ ariditas, scabricies & rubor. In gibba etiam maior consensus cum corde & thorace, vnde costarum notharum dolor similis pleuritidi, qui ad iugulum quoque interdum peruenit, tussis inanis, spiratio difficilis, tumor durus ac dolens, & hypochondrij inæqualitas. Quibus sic in memoriam reuocatis arbitrandum est, pari ratione in curatione & præsagio magnam subesse differentiam, quãtumuis vtriusque partis eadem sit ratio morbi: siquidem caua hepatis curari desiderat per deiectionem, gibba verò per vrinas: Sic profectò exitus multiplex est pro natura inflammationis, pro copia humoris & varietate loci in quo præcipuè sanguis feruet, membranæ videlicet, carnis & venarum portæ & cauæ. Nam ex phlegmone erisipe-

larode,

latode, febris vehementissima in marcorem desinit, & nonnunquam per hæmorrhagiam crisim habet, aut sudoribus vel deiectionibus & vrinis soluitur: & post vigesimum diem si febris maneat, nec resideat tumor, in suppurationem conuertitur, è qua pus, si inter tunicas contineatur nihil patiente substantia hepatis, vtiliter & superstite ægro vacuari potest; sin ad carnem vsque hepatis corruptio peruenerit, & incocta putredine pus simile fæci olei exit, planè lethale est, tum ob id, tum verò quia os ventriculi in consortium alliciat, ob rationes adductas, accedente nimirum singultu & alijs grauissimis signis, vt cardialgia & animi deliquio, ac blando sopore qui delirium sedat, qui non minus ob id periculosus existit, si vires aliquo modo deiectæ superſint: nã sæpe hac falsa tranquillitate Medici vana spe decepti salutem pollicentur cùm citò laborans morte præueniatur: nam potiùs ex impotentia vigilandi dormiunt laborantes, quàm ex natura. De reliquis verò iuxta accidentium sæuitiam iudicandum. Item ea inflammatio citiùs suppuratur quæ est in gibbo, ea verò quæ in cauo, tardiùs, sed periculosa adfert accidentia: quod tamen grauius videtur in omni huius visceris inflammatione, est, quod Areteus depingit lib. de caus. acut. cap. 7. dicens: *Quin morbus regius ante septimum si apparuerit, plurimos sustulit: quibus ante, vel sanguinis profusio, vel per aluum multorum biliosorum exturbatio, vel vrina sincera plurima effluens mortem depulit, post tres septimanas iecur ijs suppurat. Quòd si multum temporis citra abscessum præeat, in hydropem ineuitabilem terminatur.* Refert insuper lib. de sign. & caus. tardarum cap. 7. plerumque in scirrhosum tumorem commigrare, & malorum omnium colophonum esse aquam intercutem, nisi multa vrina & crassa diu mingatur, tunc enim ab vtroque malo liberari contingit: nihil autem melius reperiri potest in hac affectione, quàm vires plurimùm cõstare. Præterea rarò suppurant hepatis inflammationes cum profluuio alui coniunctæ, quoniam aut vacuatur humor, aut hepar imbecillum est. Sudor etiam in his inflammationibus nullius est beneficij, nam aut oriatur ab oppressione, aut à resolutione, sed hoc maximè cùm rupto abscessu puris illuuies prorumpit, quo obruitur cor & succrescit grauis animi defectio, quæ ægrum de medio tollit. At cùm exiguus est abscessus & inter tunicam, si vires sanæ constent, pus per aluum profunditur, aut per vomitionem, vel per vrinas: licèt enim frequentiùs & faciliùs quæ cauam iecoris obsident inflammationes per secessum expurgentur, propter cõnexionem cum intestinis, vt per vrinas quæ gibbam occupant, propter communionem cum caua vena, interdum tamen contrarium accidit. Præterea, quæuis inflammatio sit, si hepatis substantia ab eruptione puris fissa aut exesa supersit, vel alio modo corrupta, cùm reparari non possit, vitiari sanguinis confectionem necesse est, omnesque visceris facultates labefactari, & hepaticam imbecillitatem accedere. Tunc igitur corpus non alitur, sed verè contabescit æger, ac tandem ex corrupto in hepate sanguine & resoluta vi, ipsa substantia visceris putrida, saniosa, cruenta & nigra deijcitur, aut excrementa prodeunt qualia hepaticis diximus exire. Quibus accedunt vrinæ saniæ perfusæ, aut rubræ, impuræ & crassæ, & tandem omnia veluti è mortuo corpore prodeunt.

Curandi ratio. Qui hunc affectum curaturus est, diligenter studeat quo minùs lædat ex auxiliorum adhibitione: siquidem non rarò accidit auxilia, quæ multis fuere præsidium, ob imprudentem administrationem, plus in hac affectione læsisse quam in quauis alia. Nec mirum si id peculiarius in ea accidat, cum certissimum sit in aliarum nulla, tam variè, aut vt rectiùs loquar contrariè loquutos fuisse authores ferè omnes, vt op-

A positum teneant Græci scriptores, ab eo quod Arabes proficentur in huius mali curatione. Quippe eo differunt, quòd Græci principium curationis, præter vacuationem, auspicantur à laxantibus præsidijs, admixtis quæ adstringẽdo roborent & aromatica sint: Arabes verò refrigerantibus vtuntur. Quorum sanè mentem si quis diligenter examinet, reperiet, vtrisque scopum esse iecur refrigerare: Græcis facta pororum apertione, & discussione humorum, addito visceri robore: Arabibus verò per se, qualitate propria refrigerante. Vtrùm tamen horum tutius sit, mox referam, si priùs dixero quale futurum sit curantis in hac affectione studium: nam cùm certum sit, eam minimè

B posse fieri citra corporis copiosum in sanguine (vel solo, vel alterius succi consortio) apparatum, eum primò, & ante peculiare aliquod auxilium minuere incumbit, si priùs consideraueris qualis præcesserit illius apparatus occasio. Quippe sanguis non rarò redundare assolet, defectu nimirum menstruæ purgationis, vel hæmorrhoidarum, aut sanguinis fluxus per nares, aut ex indebito vitæ instituto quod copiosiùs sanguinem generet, aut nihil ex genito conterat. Sic enim deficientibus mensibus, aut hæmorrhoidum fluxu, si vrgentia mali aliud nõ expostulet (aut fluentibus, sed diminutiùs quàm par sit) primò sanguis mittendus est ex talo, quantum sat sit ad consueti fluxus defectum: postmodum verò ex brachio dextro, iuxta

C indigentiam doloris & viriũ roboris tenorem: item dum corpus ex obstructione copioso abundat sanguine, à quo prodit inflammatio. Verùm si ex vbertate sanguinis malum oriatur, prædicta obstructione aut vitæ luxu, ea copia ex dextro brachio sanguinem detrahes, quæ abundantię sufficiens sit, aut quam vires permiserint. At si nulla præsit aut præcesserit prædictarum causarum seu occasionum, sed ex ictu aut casu, vel refrigerantium imprudenti vsu, corpore non admodum debili, primò à dextro brachio sanguinẽ detrahes, postmodum verò à saluatella eiusdem manus. Quibus præhabitis considerationibus, censeo facile esse authorum varietatem in hac re concordem reddere: nam communis ferè omnium senten-

D tia est, venam basilicam tundendam esse, quæ si non appareat, media aut etiam cephalica. Sic ex antiquis nonnulli venas extremas manus aperiendas esse consuluerunt, quarum Galen. eam elegit quæ ad pollicẽ protenditur: Paulus, quæ ad minimum: Rasius, quæ ad medium.. Quæ sanè omnia intelligi debent, vbi aut grauior inflammatio non sit, aut sanguis ex vena maiori missus fuerit, vel corpore non pleno, aut debili, vel affecto ex causa procatartica. Nam 13. metho. Galen. copiosioribus vtitur vacuationibus, & cùm eis vires non subsint, eas partitur, maximè si iecur caliditate & siccitate præter naturam polleat: & vtcumque sit, satius duxit Areteus lib. 2. de curan. acut. morb. cap. 6. vacuationem partiri, licèt plus sangui-

E nis expediat extrahere, quàm membro principe affecto, copiosam semel moliri sanguinis profusionem.

Verùm semel sanguine misso, nil priùs debet instituti quàm ea victus ratio, quæ præter id quòd sanguinem minuat, ipsius quoque feruorem attemperet & compescat, sitque eius nutrimenti & naturæ, quòd vires tueatur & adseruet, optima & tenui præstita substantia, abstergente, ac citra morsum. Quapropter primo accessu ius pulli porrig[illegible] [illegible]ebit, decoctum tamen cucurbita, agresta, [illegible]ca, oxalide aut cichorio: huius naturæ etiam est ptisana aut eius cremor, maximè si eam extraxeris in iure pulli. Præstant & pullorum carnes, perdicum & auium paruarum: nec omnino contemni debent ranarum carnes, aut piscium saxatilium, cauentes semper ne nimis adstringentibus vtamur: pressiùs enim adhæret iecori humor, & tumores ad discussionem redduntur ineptiores. Potus præterea sit aqua hordei & cinnamomi,

vel

vel in qua decoctæ sint radices cichorij cum modico glycyrrhizæ: tandem tenuioribus ac percolatis aquis vtendum esse consulit affectæ sedis conditio, sicut affectio fugiendum esse omnino à vino.

De expurgantium pharmacorum vsu non minus considerandum est, siquidem aut rarò aut nunquam tutò adhiberi possunt: & ob id rationem adhibendi aut prohibendi diligenter expendisse erit opus: quod etiam de his quæ vrinam mouent subaudiendum erit. Cauet quippe Galen. 13. method. ne medicamenta purgantia iecore inflammato adhibeamus: citiùs enim & grauiùs inflammatur & grauioribus corripitur doloribus, euocata materia per eam partem, aut quæ ibidem inhærens aderat vehementiùs commota. Quod etiam Paulus, & ex reliquis plures consuluerunt, verentes prædicta damna, ac scientes nil posse ab inflammata parte purgantibus detrahi, neque à reliquis, quin ea magis lædatur. Verùm si quando purgationem concessisse visum est, vt 7. method. in fine, gibba inflammata & copiosa materia existente, id quidem subintelligere oportet phlegmone in coctionem tendente, hoc est in resolutionem, non quidem in suppurationem: sic enim intelligenda est Galen. sententia 8. pharm. loc. cap. de his quæ Asclepiades ad iecoris inflammationem scripsit. Quo tempore adhuc porrigere oportet leuissima medicamenta, velut est manna, cassia, aut syrupus ex infusionibus rosarum Hispanarum, cum aqua bordei aut glycyrrhizæ, vel sero lactis: item admixtis quæ vim leuiter purgandi habeant cum alimentis, vt decoctum foliorum senæ, epithymi, radicis apij, seminis carthami & similium. Præterea vbi aut sanguinem mittere quantùm par erat, non licuit, vel laborans crapulis deditus, excrementis abundabat, & vltimò vbi constiterit cauam iecoris partem inflammatam esse, conficere oportet ius pulli cum radice apij, folijs senæ aut semine carthami, polypodio, epithymo, mercuriali ac vrtica. Quòd si id medicamenti genus adhibere non liceat, aut non libeat, aut adhibitum non prosit, clysmatis iubent authores omnes superuacuos humores ad ventrem euocare, & nouos per eandem regionem deriuare. Cui vsui, sanguine semel misso, id adhibebis, q. ℞. *decocti communis. lib. 1. olei violati ℥. 2. cassiæ, mellis rosati, & sacchari, anà ℥. ß.* Efficacius tamen conficies, si acceperis *foliorum maluarum, althææ & betæ, anà p. 1. mercurialis & centaurij minoris, anà p. ß. salis communis parum, fiat decoctum, cuius ℞. ℥. 8. olei chamæmeli & amygdalarum dulcium, anà ℥. 2. mellis rosati ℥. 1. cassiæ fistulæ & catholici, anà ℥. ß.* quibus iuxta purgandi indigentiã addes aliquid eorum quæ efficaciùs purgant, idque tertio quoque die facies. At inflammatione in gibba hepatis existente, vbi non purgare (nisi copiosa admodum fuerit materia) sed vrinam mouere consulit Galen. ad finem 7. method. non minùs cautè considerabis quid administrare, quando, & quomodo oporteat: si quidem ex imprudenti diureticorum administratione, proculdubio maius sequitur damnum, quàm vbi rectè adhibeas, beneficiũ. Quapropter si cogaris mox à principio, (vacuato tamen corpore) his vti, tantùm ea adhibebis quæ simul calorem attemperent, & vrinas moueant: qualia sunt melonum semina, cucurbitæ, & eius generis alia. Postea verò affectione eunte vel ad suppurationem, vel ad resolutionem, ex valentioribus sensim & paulatim aliquid admiscebis, velut est apij aut radicis eius decoctum. Verùm si magis naturam cognoueris suppurationem moliri, eis parciùs vteris, donec iam aliquid suppuratum comperies: quo tempore tutius erit pus aut purulentam materiam paulatim per vrinam expurgare, quàm permittere eò collectionem peruenire, quò ferro candenti opus habeat: tunc enim (aut si euidentiùs constiterit, per resolutionem materiæ maiorem partem abi-

A re) ex diureticis ea adde quæ maiorem habeant efficaciam, vt petroselinum, asarum, nardum celticam, meu, & reliqua huius ordinis: quippe æquum non est ea excedere. Inclinante tamen affectu, siue per resolutionem, siue per repulsum inclinet, ad ea quæ vias vrinæ abstergunt veniendum esse consulit rei conditio: tunc enim decocto bordei & fœniculi cum saccharo & melle vtendum erit. In omnium tamen administratione rimari diligenter oportebit, maiorem ne efficiant hæc pharmaca aut purgantia commotionem aut dolorem, vel maius incendium, quàm quid vitiosum excernant aut per aluum, vel per vrinam: quippe tunc abstinendum esse arbitror ab eorum vsu, & mitioribus vtendum, donec sensim efficacioribus B additis, citra turbationem & damnum eis vti possimus: nam indiscriminatim adhibere, aut in adhibitis citra conferentiam aut tolerãtiam persistere, nec prudentis est Medici, nec citra damnum facies.

Ad pensum igitur redeuntes, non vtcumque, aut leui diligentia vel studio, topicis vtendum esse auxilijs arbitror; neque censendum est Arabes aut Græcos authores leui consideratione adeò varias protulisse sententias in topicorum adhibitione. Quapropter (ne quis aut frigida omnino prætermittat, vel calidis imprudenter vtatur) expendendum est neque semper aut in omnibus inflammationibus incipiendum esse à repellentibus, vt Arabes videntur profiteri: neque rursus vt Græci, semper à discutientibus la- C xantibusque. Quippe vbi inflammatio à menstruis vel hæmorrhoidibus suppressis principium sortitur, neque adhuc plurimum in parte receptum est, tunc profectò rationi consonum videtur à repellentium vsu principium curationis auspicari, non tamen ab his repellentibus, quæ ipsi præcipiunt: sunt enim succus solatri tepidus aut *aquæ rosaceæ ℥. 4. aceti ℥. ß. santalorum rubrorum & citrinorum, anà ʒ. 1. caphuræ ℈. 1.* vel *aquarum endiuiæ, agrimoniæ, cichorij, rosarum, anà ℥. 3. aceti ʒ. 6. cum santalis citrinis & rubeis pondere ʒ. 1. & caphuræ ʒ. ß.* His enim si vtaris, quæ ipsi præcipiunt, mirum non est si presseris fixiùs humorem ibidem contentum, difficilioremq; ad discussionem feceris. Quapropter si repellendi occasio vigeat, oleo D rosaceo cum modico absynthio & succo intybi & apij vteris, & si ingens fuerit visceris caliditas, non erit ab re modicum aquæ rosarum cum guttis quibusdam aceti admiscere. Hoc tamen vnum rationabilius mihi, in inflammationibus huius visceris curandis, videtur, nimirum nunquam sine leui aliqua discutientium & roborantium admixtione esse repellendum, quorum tanto maiorem partem paulatim adaugebis, quanto morbus magis ad statum peruenerit, repellentibus tamen imminutis, donec ex toto ea auferas: quem etiam vsum præstat ceratum santalinum cum aceto, refrigerans Galeni, aut vnguentum rosaceum cum succo portulacæ aut plantaginis, vel rosarum. At si iecoris inflammatio à toto corpore hu- E morem susceperit, vel in ipso iecore præsit vel obstructio, vel humorum immodica copia, nequaquam incipiendum est à repellentibus, sed prorsus à laxantibus discutientibusque initium sumere oportet, dummodo ex adstringentibus roborantibusq; (quantùm visceri & eius officio satis sit) aliquid admisceamus, quorum tanto maiorem copiam adaugebis, quanto discutientia laxantiaque validiora, efficacioraq; fuerint. Verùm quia adeò crassis succis infarta est materia peccans, quòd omne auxiliorum beneficium tenuat, ni priùs extenuentur, ob id ante topicorum adhibitionem vteris summo mane apozemate ex gramine, radicibus rubiæ, & rumicis, ac fœniculi, & syrupo de bisanzijs, vel acetoso diarrhodon. Aut fiat lege: *Excipe corticis radicis apij & fœniculi, ac petroselini, anà ʒ. 2. seminis apij, anisi, squinanti, agrimoniæ, chamædryos, rubiæ, anà ʒ. 3. aceti albi, quartam vnam, co-*

quan-

quantur secundum artem, & facta colatura adde sacchari lib. ß. & bulliant iterum. Præstant mirum in modum trochisci hoc modo confecti; ℞. *rosar. rub. ʒ 5. anisi, seminis apij, squinanti, cassiæ ligneæ, calami aromatici, anà ʒ. 3. mastichis, spicæ, cinnamomi, asari, rhabarbari, rubiæ, laccæ, anà ʒ. 1. puluerizentur omnia, & cum succo fœniculi fiant trochisci ponderis ʒ. 1. quorum vnum cum aliquo ex prædictis apozematis mane sumat laborans.* Deinceps verò inceptis vacuationibus, tam per sanguinis missionem, quàm per vrinam mouentia, aut aluum purgantia, primitus adhibere oportet olei rosacei inunctionem, in quo maior pars absynthij ferbuerit, quam cùm in animo est repellere. Itaque à prædicta inunctione, parti adhibebis, q. ℞. *summitatum absynthij, carnis cytoniorum conscissorum, anà ℥. 3. decoquantur in aqua & oleo ad consumptionem aquæ, & cum spongia aut pannis cannabinis partem fouebis.* Præstantiorem etiam vim habet id, q. ℞. *olei absynthij & cydoniorum, anà ℥. 1. ceræ ℥. ß. liquefiant in duplici vase, & refrigerata malaxentur cum succo intybi aut cichorij.* Hoc tamen dignum consideratione sum arbitratus esse, nimirum intus & extra frigidiora esse adhibenda auxilia, quo magis ad erysipelatis naturam inflammatio accesserit, quousque æger sentiat flammam internam extingui, ad locumque affectum frigiditatem peruenisse, tantùmque à prædicta refrigerationis sorte deuiabis, quantùm inflammatio ab erisipelate. Sed rimari diligenter quouis præsidio exhibito opus erit, quonam se vertat na- C tura in debellando humore: quippe si ipsum resoluere nitatur, auxilijs profectò iuuanda est quæ vim habeāt id munus exequendi: si verò suppurare, cautè & cautè Medicus huic muneri incumbet, ac semper in resolutione perstandum, ijs tamen auxilijs quæ non omnino naturæ actibus aduersentur. Quapropter cataplasmatis quæ mixtas resoluendi & suppurandi vires habeant, vtendum est, quale est illud, q. ℞. *mala cydonia purgata & contusa nu. 2. in aqua pluuiali & cum farina hordei & fœnugræci fiat cataplasma:* facito incoquens ea in absynthij decocto. Præstat & tritici farina in absynthij & anethi decocto, in sacculo immissa: vel *prædicto cataplasmati addatur pulueris squi-* D *nanti, spicæ celticæ, anà ʒ. 1. ß. absynthij ʒ. 2. olei rosati ℥. 1. aceti ʒ. 2.* Inflammatione autem ad statum properante, addere oportet, maximè si constiterit naturam resolutioni intentam esse, chamæmelum, farinā fœnigræci, & seminis lini, cum modico puluere radicis ireos, si inflammatio frigido humore participet, aut euidentior fiat resolutio: quo tempore præstantissimum est Auicennæ emplastrum, q. ℞. *styracis liquidæ, ceræ, anà ʒ. 6. croci, ammoniaci, anà ʒ 2. olei mastichis & rosarum, anà ℥. 1. vini lib. ß. misce.* Mirum tamen in modum dolorem sedat, & modicè digerit emplastrum volgariter ex cassia & apio confectum. Fotus item prosunt ex decocto, q. ℞. *chamæmeli, anethi, meliloti & althææ, anà p. 1. absynthij. m. ß. spicæ,* E *squinanti & mastichis, anà ʒ. 1. ß.* Verùm si hepar nō sit infirmum, dum foras euocare materias nitimur, maximè fluxione cessante, tunc quidem cucurbitam supra partem affectam cum scarificatione adhibebimus, si vereamur medicamenta tantùm humoris resoluere non posse, & iterum sequenti die reiterata cucurbita magni esse momenti assolet: non quidem vt multi consuluit in principio, ob doloris vehementiam, quippe tunc maiorem concitant fluxionem.

Quòd si constiterit naturam properare ad suppurationem, quod nosces ex intensioribus febribus maiorique dolore, etiamsi ex arte vacuaueris, aut topicis vsus fueris auxilijs, tunc quidem croco & vino, ficuū, passularum, maluarum & seminis lini facto decocto (non ex toto ablatis resoluentibus) cum farina tritici & hordei ac fœnugræci emplastrum conficies. Item præstat sublato inflammationis tumore, emplastrum A de meliloto & althæa, item hyssopum cerotum descriptione Philagrij, & diachylon Galen. cùm oleo liliorum, aut in quo radices althææ incoxerint.

His factis, maiori diligentia vrinam ciere oportebit, quo natura etiam quod suppuratum fuerit, aut secus, per eam partem pellat. Verùm si nihil expurgari contigerit, antequàm iecur vniuersum in pus vertatur, adeò vt postea sanitati restitui non possit, apertio diligenter procuranda est, vocibus, tussi, sternutamēto, aut aliquo vehementi corporis motu. Quòd si ne hæc prodesse ad apertionem videantur, neque possibile sit pus per vrinam euocare, tunc quidē tanquam in re desperata, accersito viro aliquo perito & cordato & chirurgo etiam diserto, de apertione per ferrum B candens consulendum est. Inquit enim Aret. li. 1. de sig. caus. diutur. c. 13. At si extra feratur abscessus, ipsum non secare vtique malum est, nam si præter naturam inscitio, à pure iecur eroditur, nullaque mortis dilatio est: si secare autem malis, profluuij sanguinis periculum instat, statimq; hominem perdi contingit. Igitur si quando necessariò ad sectionem venire cogaris, vstorium ferramentum candens perspicuumque ab igne accipito, & vsque ad puris locum intromittito: idem enim tibi & secat & comburit. Quo facto considerabis quale pus exeat, vt tale de euentu proferre possis iudicium. Si enim pus exit album & purum, maior subit spes: si verò fæculētum aut amurcæ simile, quia incocta est putredo & potius carnis C colliquamētum, omnino res videtur desperata. Cum hoc tamen (licèt id Hippoc. asserat 7. aphor. 42.) non omnino à bona spe desistere oportet, cùm potius ex suppurari iecoris natiua conditione, quàm ex solo caloris vitio id proficisci videatur, cùm iecoris substantia inflammata, nullus sit calor neque tantus qui substantiam ipsius in album pus vertere queat: sed re vera id est quod magis periculum auget, siquidem citra perfectam caloris actionem membrum nullum, nedum iecur quod principale est, sanitati restitui potest. Auget etiam mali præsagium, quòd vi ignis necessariò ad imam iecoris substantiam permeante, venæ contrahuntur, ac ipsius inuolucrum non minus. Atque licèt vstione etiam Hippoc. lib. de internis affect. D in magno iecore vsus fuerit (inquit enim: *Quum maximum iecur euaserit sic vt promineat, malum, nec medicamenta profuerint, exurere ipsum oportet buxeis fusis oleo feruenti intinctis oleo terebinthi. At cùm educatur pus candenti ferro vrere oportet*) cum hoc tamen non temere & vtcunque id opus aggredi oportebit: formidarunt id quidem Græci ferè omnes, solus autem Celsus inter antiquos, huius præsidij mentionem fecit lib. 4. cap. 8. cùm iecur vomica laboraret. Quem locum multi duobus modis interpretātur: vno, quod ferro candenti locus perforetur: altero, vt idem Celsus lib. 9. cap. 75. scribit, quòd locus ferro aperiatur non candenti, & inde vomica educatur. Sed inter Arabes Aliabas non omnino admittit. Rasius aper- E ta intus vomica extrinsecus apertionem videtur consulere. Itaque maiorum habito consilio, satius erit anceps experiri auxilium, maximè viribus constantibus in corporibus ætate florentibus, quàm in certa desperatione versari. Foramen, si id tentaueris, exterius amplius facito, interiùs verò angustius: tandem facto & extracto modico pure, obturabis lineis panniculis, succo plantaginis & rosarum intinctis, ne fluxio sanguinis maius accersat periculum: & postea aqua hordei & sacharo, cum succo rosarum aut syrupo earundem, vlcus ablues, & abstergere repurgareque curabis. Ac dum pus exire iam desiterit, protinus, ne calor per foramen expiret, vlcus ad cicatricem quàm breuissime reducere curabis.

Quòd si constiterit nec resolui nec suppurari, sed inflammationem in scirrhosam duritiem conmigrare (quod facile tibi erit nosse ex mitiori febre, remissiore

siore dolore, existente tamen tumore in eadem magnitudine; & corpore non subinde meliùs se habẽte) tunc profectò necessum erit simul resoluẽtibus emollientia admiscere. Quod sanè opus vt perfectiùs exequaris, expendendum tibi erit, inflammationem vno è tribus modis duritiem posse contrahere. Primo quidem confluente simul cum sanguine, crasso, fæculento, & melancholico succo (quem abundare nosces, ex ante acta vitę institutione, & corporis, colore, ac alijs accidentibus) qui suapte natura facilè in duritiem migrat immedicabilem, quantumuis rectè & prudenter inflammationem tractes. Secundo verò adhibitis, quæ repellunt, refrigerant, aut adstringunt auxilijs, importunè, aut diutiùs vel inconsideratiùs, quàm par sit: tunc sanè mirum nõ est si durior, compactior, ac frigidior reddatur inflammatio, in scirrhosamq; commigret naturam. Tertio verò eiusdem conditionis & duritiei efficitur tumor ab imprudente aut intensiore laxantium & resoluentium administratione. Sic etenim euanescente parte humorum tenui, resiccata & indurata crassiori, facilè tumor in prædictã duritiem commigrat. Quapropter à principio nosse oportebit, qua harum causarum tumor in duritiem migret, vt iuxta cuiusque conditionem & indigentiam, præcauentia curantiaque auxilia adhibeas. Sic profectò humore fæculento crassoque existente, plurimum erit innitẽdum in proba laudabilique victus & vitæ institutione: & item repellentibus nullis vteris, sed his quæ laxent & resoluendi vim habeant, in principio admixtis quę modicè incidunt et attenuãt, vt est syrupus de radicibus cum aceto, & syrupus fumariæ cum modico oxymelite: & decoctum etiam absynthij cum eodem oxymelite. Postea verò eisdẽ resoluentibus, sublatis quæ incidunt, addes quæ vim habeant emolliendi mulcebremque reddendi duritiem & inclementiam humoris, & modicè etiam humectent: qualia sunt syrupus violaceus, borraginis & buglossæ. Quo facto, non displicet in aqua lactis infundere folia senæ, & tertio vel quarto quoque die, tres quatuorue vncias porrigere, quibus adde quatuor florum cordialium modicum.

Verùm si cõstiterit humoris & tumoris duritiem, ex impẽsa refrigeratione et constrictione principium sortiri, ijs medicamentis vlteriorem duritiem inhibebis, & contractam emollies, quæ vim habeant laxandi & resoluendi, cum actuali calore, & vaporosa humectatione. Huius naturæ sunt fomenta modicè calida, adhibita spongia, filtro aut vesica, quæ fiant ex fœnogræco, chamæmelo, meliloto & semine lini, aut ex sola tepida, ex maluarum folijs addito oleo, dulci. Prosunt & inunctiones ex oleo dulci cũ absynthio, addito modico spicæ, vel diarrhodonis cum vino albo odorifero, siquidem inflammationis feruor id renuere minimè iam poterit.

Quòd si ex impensè resoluentibus laxantisque durities contrahatur, tunc quidem cautiùs quàm in reliquis causis emollitione vteris, imminet enim iam scirrhosæ dispositionis periculum. Quapropter, cibis humectioribus & iusculis intus duritiem compesces, ac exteriùs ijs quæ plus humectent & emolliant, quã laxare & resoluere nata sint: ob idque vbi id cognoueris, partem extenùs fouebis oleo amygdalarum dulcium & butyro, vel alijs discutientibus addes decoctum maluæ, althææ, seminis linis, aut mucaginem fœnugræci et cytoniorum vel psyllij: aut eandem mucaginem ex radicibus buglossę & borraginis: Pręstat & inunctio ex eisdem oleis cum axungia gallinæ, anatis & medulla crurum vituli, cum oleo nardino & succo absynthij, ac pulueribus squinanti: quæ omnia in duplici vase bulliant ad consumptionem succi, & facta colatura, cum modica cera fiat vnguentm, aut citra ipsam fiat linimentum. Eiusdem vsus est emplastrum de mucilaginibus, aut fomentum ex prædictarum herbarum ac seminum decocto, quæ non parum frænare possint incipientem duritiem.

Si tamen his diu & prudenter adhibitis, durities indies magis ac magis creuerit, scito iam scirrhosam naturam contraxisse. Quapropter cautiùs deinceps rem ages, nam præter id quod parum prodesse auxilia solent, frequentiùs & citiùs in immedicabilem hydropem affectionem migrare conspicimus, nec nõ & in cancrosam duritiem. Cuius naturam facilè cognosces, si priùs expenderis huius visceris scirrhosam duritiem duplicem esse: exquisitam vnam, & quæ verum ac exquisitum gignit scirrhum; alteram verò nõ exquisitã. Illã distingues, quòd oĩno dolore careat, & sensu prorsus priuetur: hanc verò, quia quamuis dolore careat, non tamen sensus omnino expers est: quã ratione, à cancro & inflammatione euidenter dissident. Modus autem generationis vtriusque, vt Gal. placet lib. de tum. præt. nat. cap. 9. duplex est: nam vel fit ex lapsu inflammationis, erysipelatis aut œdematis, vt dictum est, vel à prauo vitæ & victus instituto: vtcumque tamen sit, iecur, sicut & splen, membra sunt huic affectioni maximè obnoxia, tum quòd iecur crassiore sanguine abundat, tum verò quod splen plurimum melancholici succi ad se alliciat. Qui tamen diligentiorem de scirrhi natura, ortu, & causis desiderat tractationem, legat lib. nostrum, de fœmi. morb. primum c. vlti. Interim tamen sciat, eum qui exquisitus iam est, & exquisitè induruit, sensusq; omnino expers factus est, nullam curationem admittere; qui verò non exquisitè induruit, curari quidem poterit, non tamen facilè. Quòd verò inueteratus nullam admittat curationẽ, testatus est Gal. 2. ad Glauc. c. 5. In qua re sciendum est, quòd & si deterior & nocentior sit scirrhus in superiori & gibba iecoris parte excitatus, quòd pars ea dignior sit, rariùs tamen & difficiliùs curationem admittit qui in concaua suboritur: & sic in hac parte plerunque fit incipiẽdo, in gibba verò frequentiùs ab alijs tumoribus suboritur, quia in illa abundant magis crassiores succi, quàm in gibba.

Dignosces autẽ iam in scirrhosam duritiem commigrasse, quòd cùm febris remissior facta fuerit, aut ex toto abolita, durities lõge maior in pulsu apparet, vt ex Galen. 4. de præsag. expul. apertè constat. Item quia vel cohibita respiratione, vel quouis motu violenter facto, grauitas & ponderosus quidam sensus percipitur in dextro hypochondrio, præterquã quòd durities non leuis tactu percipitur, si in gibba sit iecoris parte, nisi & hydropem iam accersuerit. Præterea corpora sic affecta, minimè supra latus affectum dormire possunt, & nimium extenuantur, maximè dorsi partes. At si in caua fuerit, præter hæc omnia, etiam alui fluxus importunissimus accedit, sicut & corpori nigrior cum pallore, color, & tepor algidus vniuersum occupat. Vrinæ etiam mox à principio multæ, adueniente tamen aqua inter cutem, omnino paucę. Sed causarum diuersitatem dignoscere etiã curabis ex his quæ pręcesserunt, vt latiùs anteà dictũ est, necnon ex colore totius, qui si niger sit, ex melãcholia, si subpallidus, admixtam pituitam quoque addesse monstrat.

Sperabis tamen ex iecoris inueterato scirrho, ex quacumque causa ortum ducat, vel hydropem vel immedicabilem tabitudinem, aut diutinum, & irreparabilem fluxum. Item sperabis inueteratum non posse vlla arte sanari, incipientem verò difficulter, vt Galen. 2. ad Glauc. fatetur. Inquit enim Paulus, *Si verò iecur induratum fuerit, parum in medicina spei est, affectu aquam subter cutem decidente. At loco citato Gal. inquit se à principio sæpe eum affectum sanasse, vbi verò ad plures dies, inquit, fuerit extensus, neque ipse potui sanare, neque alium vidi qui posset.*

Auxiliares verò manus ei scirrho adhibendæ sunt,

qui

Curandi ratio. qui nondum ex toto induruit, aut exquisitus factus A non est, quippe is nulla ratione admittere potest curationem: primò, quia eo confecto, adeò extinctus superest calor, quòd nulli medicamentorum forti natura adminiculetur: secundò, quòd lapidosum ampliùs dissolui in halitum non potest, sicut neque articulorum tophi. Item quia emollientium & calidorum medicamentorum vsu frequenti dissoluitur dissipaturq; etiam vis & calor vitalis ipsius visceris. Quapropter curandum est, id opus cautè & prudenter aggredi, cõsiderata rumirum priùs occassione, sit ne ventriculus nimium cruditatibus abundans, an splen melancholica recrementa non satis à iecore vel vniuerso corpore expurgans, an verò iecur sua natura eiusdem succi plurimum generans. Hæc enim omnia exactè con B siderasse erit opus, vt constet qua curandi methodo à principio vtendum sit.

Hoc vnum tamen scito esse in omni occasione vtile, nimirũ vt ea victus ratio instituatur, quæ, & quod geninum est & impactum extenuet, & probum laudabilioremq; deinceps succum gignat. Talis enim conditionis est victus attenuans appellatus, vt Galen. placuit lib. de attenu. vict. velut cappares cum oxymelitenam, vt Galen. ait 13. method. cap. 17. scirrhis iecinoris & lienis pari ferè beneficio prosunt. Prosunt & passulæ per noctem infusæ in decocto thymi, pulegij, origani, aut calamenti: victus in vniuersum sit pullorum caro, caponum, gallinarum & aliarum auium quæ humido polleant nutrimẽtali. Nec omnino ab- C stinendum est à iurulentis, semper tamen cauendum ab immodico potu: & in vniuersum his quæ vrinam modicè moueant & iecur abstergant, vtendum. Potus vel vini, vel aquæ cinnamomi, sassafrasæ Indicæ, pimpinellæ, agrimoniæ & myricæ, parcus tamen instituatur: nec dissimilis erit commodi aqua chalybeata aut deaurata, maximè si antea decocta aliquo ex prædictis medicamentis fuerit.

Considerabis deinceps, an aliquo modo in scirrho iecoris ex vsu futura sit sanguinis detractio: qua in re arbitrandum est eis tantùm profuturam. quibus vel hæmorrhoides suppressæ fuerunt, vel menses: ijs tamen, ne affectus ampliùs crescat, potiùs quàm gratia curandi. Verùm si possibile fuerit, ipsum sanguinem D fæculentum, per easdem hemorrhoides hyrudinibus affixis euellere, aut menses euocare, satius profectò erit, quàm vena scissa sanguinem detrahere: sin aliter ex sinistro crure non erit ab re modicum sanguinis fundere, aut si copiosior apparuerit plenitudo, ex sinistro brachio vena basilica scissa, quod adhuc in venis parti affectæ vicinis continetur, & paulò post tumor accessurum est, educere. Quo facto, reliquum melancholici succi per ventrem aut vrinam eadem lege imminuere curabis, quam in præcautione obseruãdam esse scripsimus: quippe vlteriùs sanguinem fundere, periculo non vacat in ea affectione, quæ in hydropem plerunque degenerat, ob iecoris frigiditatem.

Verùm quia præcipua curandi ratio eius quod fa- E ctum induratumque est, in emollitione discussioneque cõsistit, ob id totis viribus id, quo prudẽtiùs fieri possit, exequendum erit: tum per externa, tum verò per intus sumpta medicamenta, vicissim enim se adinuicem iuuant. Quapropter, primò extrinsecus ea adhibebis auxilia, quæ non calida & sicca, sed mollientia sint: nam si alijs diutiùs vtaris, durius reddes quod induratum fuerit. Neque obstet Galen. variè loquutum fuisse de mollientium natura, quippe ea refert. 5. simpl. cap. 8. calida esse, sed moderata, hoc est, quòd moderatè à medio, versus caliditatem & siccitatem recedunt, licèt non plurimum. Item 2. ad Gla. scribit mollientia esse calida & humida, vt oleum, adeps & medulla: ac licèt sibi contrarius videantur, intelligi debet, vtrisq; ad scirrhi emollitionem opus esse: nam qui siccitate induruit, humidis emollienti- A bus opus habet: qui verò frigiditate concretam habet humiditatem, calidis quæ fundant, & siccis quæ quod liquatum est ebibant & resiccent, & ob id vtrisque vicissim vtitur. Quibus cognitis, ea adhibebis (præter alia, quæ superiùs diximus) vbi ex siccitate indurata affectio est, quæ recipiunt absynthij oleum & nardinũ cum thymiamate, bdellio, & radice althææ aut mucagine eius, addita ceruina seu vitulina medulla, cum anseris aut gallinæ adipe: ex quibus vel linimẽtum parabis huic vsui maximè proficuum, præcipuè si addideris aceti aut acetosi modicum. Parabis item aliud, q. ℞. *absynthij. p. ß. foliorum & radicum althææ, anà m. 1. bulliant in oleo communi, & modicè ferrefactis, adde spicæ, vtriusq; & squinanti, anà ℥. 1. aceti ℥. 3.* B *& facta expressione, spongia excipiatur oleum, & supra iecoris regionem fiant manè ante cibum,* facto priùs leui exercitio, aut blanda frictione. Postmodum verò partem inunge linimento, q. ℞. *olei absynthij & mastichini, anà ℥. 1. nardini & citoniorum, anà ℥. ß. adipis anserini, gallinæ, & medullæ ceruinæ, anà ℥. 1. ceræ q. s. aceti parum, fiat vnguentum.* Procedente affectu, licebit prædicto vnguento addere *ammoniaci aut bdellij vel stiracis modicum.* Parabis item aliud mirabilis efficaciæ, q. ℞. *lithargyrij auri tenuissimè triti ℥. 4. nutriantur oleo chamæmeli in mortario, deinde coquantur facta agitatione donec spißentur, & adde ammoniaci, bdellij in vino liquefactorum & colatorum ℥. ß. ceræ ℥. 5. terebinthinæ ℥. 4. iridis. ℥. 1. malaxentur oleo liliorum manibus* C *vnctis.* Sed expediet tertio aut quarto quoque die fotibus partem & affectum mansuetiores reddere, quod facies si receperis radices & folia maluarũ & althææ, fœnumgræcum & semen linicum squinanto, & vtrãque spicam cum absynthio, additis aceti albi guttis. Item *prædictas herbas & semina post coctionem contundes & sumes lib. 1. ei addes adipis anseris ℥. 2. cremoris fœnigræci, seminis lini, & althææ, anà ℥. ß. olei de absynthio ℥. 1. mastichini ℥. ß. ammoniaci aceto dissoluti ℥. 2. fiat cataplasma.* Verùm in administratione horum auxiliorum, obseruandum summopere est ne diu ac imprudenter vni innitamur auxilio, satius enim arbitratur peritiores ea immutare, quo magis prosint, minus assueta alicui eorum natura. Vltimò tamen adhibe- D bis *emplastri diachylonis magni ireati ℥. 4. malaxentur in oleo irino & de absynthio, & applicentur hepatis regioni.*

Sed interim dum ea exteriùs adhibentur, per interna porriges quæ vim habeant incidendi, attenuandi & repurgandi quod emollitum tenuatumque extiterit. Huius naturæ sunt medicamenta quæ superiùs in præcautione adduximus, quibus addi potest id decoctum, q. ℞. *graminis, petroselini & asparagi, anà ℥. 1. radicis ireos ℥. ß. radicis maluæ cum folijs. p. 2. cichorij, agrimoniæ, anà p. ß. florum violarum, & borraginis, anà p. 1. passularum sine acinis ℥. 1. ß. cinnamomi, spicæ, vtriusque & squinanti, anà ℈. 1. cuius decocti sumes. ℥. 4. & addes syrupi acetosi diarrhodon, aut de quinque radi-* E *cibus ℥. 1. ß.* Verùm quod efficacius fore, & pretiosius ego arbitror, & experimento didici, est syrupus noster ex chalybe, q. ℞. *aquæ lupulorum, graminis & agrimoniæ, anà lib. 1. corticum capparorum ℥. ß. passularum sine granis ℥. 1. spicæ vtriusque, anà ℨ. 1. squinanti ℨ. 1. ß. capillorum veneris. p. 2. radicum fœniculi ℥. 1. radicum lilij minutim incisi ℨ. 3. chalybis limati lib. ß. bulliant omnia in duplici vase ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura cum leui expressione, adde aquæ pluuialis lib. 1. in qua madverint per noctem rhabarbari ℨ. 3. foliorum senæ ℥. 2. & facta colatura & leui expressione, cum modico aceto & sacch aro fiat syrupus, cuius ℥. 2. aut 3. porrige manè, & postea leui facto exercitio ante prandium iterum quiescat laborans.* Vti etiam poteris tanquam peculiari auxilio opiata mihi vsu probata, q. ℞. *iecoris lupi præparati ℥. ß. carnis passularum ℨ. 6. spicæ vtriusque, & squinanti, anà ℈. 1. pulueris radicis rubiæ,*

&

& rumicis, and ʒ. i. chalybis præparati aut non præparati, & sæpius loti, aqua agrimoniæ ℥. i. ß. pulueris, electuarij de gemmis ʒ. 2. lapidis bezoar ʒ. i. cum syrupo acetoso diarrhodon & cichorij, fiat ad modum opiata, carne passularum extracta per setam priùs, & in aqua graminis liquata: cuius summo mane porriges ʒ. 2. ß. aut 3. & leuem quandam deambulationem laboranti institues (maiorem enim sic affecti non tolerant citra damnum) quæ calorem in iecore concitare non possit iusto maiorem.

CAPVT III.

De iecoris intemperantia, & de omni eius & venarum imbecillitate.

NOn est minoris momenti hepatis quodlibet intemperamentum (quod dum eò pertingit, quòd sanguificationem vincit, hepaticos seu iecorarios reddit homines) quam quæuis alia eiusdem visceris affectio, quantumuis primo accessu grauis non videatur: nam licèt sanguificationis officio non obsit mox à principio, eos tamen succos cogit iecur generare, qui sanguinem conspurcent ac vitient. Duobus enim modis lædi intemperatum iecur scimus: vno, dum imbecillorum omni muneri exequendo efficitur: reliquo verò, dum prauè ipsum, exequitur: atque id etiam duobus modis: vno, dú plus generat vnius humoris quàm reliquorum, iuxta intemperamenti conditionem: altero verò, dum genitum sanguinem conspurcat ea labe qua iecur ipsum esse affectum constat, vt euentu quotidiano in his qui morbo Gallico afficiuntur conspicimus: quippe iecur sanguinem generat & reliquos succos, cæterum eos Gallica lue infectos ac sigillatos. Sic ab intemperantia imbecillitatem protinus succrescere conspicuum existit, idq; non vno modo, sed iuxta varietatem potentiarum, quibus iecur vtitur ad peculiaria munia exequenda. Quippe aliquando attractricem oblædi & imbecillitari conspicimus, nonnunquam retentricem, alteratricem sæpius, & expultricem non rarò. Sic attractricem infirmam ob frigiditatem monstrant liquida excrementa per aluum exeuntia chyli formam referentia, nam aliter affecta ventriculum imbecillum ostendunt. Dum verò hepar trahit ac retinet (namque non retinente hepate, liquida etiam redduntur excreta) chylum tamen ipsum alterare ob eandem intemperiem nequit, excrementa fiunt simillima loturæ carnis recenter mactatæ; quam excretionem capite de dysenteria nominari diximus hepaticam: & licèt simile damnum efficiat languida retentrix, cum hoc tamen distingues hanc ab illa, imbecillitate cōcoctricis, quòd in illa primum cruenta sanies, mox crassa excernitur: quòd sanè vitium potius ad immodicam humiditatem referri debet, sicut diminuta coctio iecoris ad frigiditatem seu caloris imminutionem, vt 3. de causis symptom. aduertit Galen. Item id etiam distingues, quòd in hac per interualla fit hæc rubra proluuies, vbi tantùm inchoata fit hæmatosis, vt Galen. placuit 1. pror. sec. 2. & 4. de vsu part. & 5. de locis affect. cap. 7. & 8. pharmac. local. at retentrice imbecillitata, frequentior fit excretio, licèt aliquo modo ad sanguinis colorem mutata exeant excrementa. Expultrix etiam facultas irritari non rarò assolet, sanguinis pondere aut vitio, potiùs quàm intemperamento, & sanguinolenta quoque excretionem mouere: cuius vitium distingues, quia in hac sanguis tum per vomitum, tum etiam per aluum, colore & consistentia naturali similis apparet, in reliquis verò vitijs præternaturalis visitur, vt dictum est. At si hæc eadem facultas expultrix languida efficiatur, non quidem excretiones, sed obstructiones fieri est arbitrandum, & si quando aliquid excretum fuerit, crassum fæculentumque erit. Itaque hæc A sunt vitia quæ iecore ad imbecillitatem deducto ob intemperamentum, maximè frigidum & humidum, succrescere assolent: qualiter verò iecur debeat affici, vt in sanguificationis munere aberret, dictum est exquisitiùs capite de dysenteria hepatica, & nūc etiam aliquid huic doctrinæ aptum & necessarium leges, si priùs dixero esse alia iecoris intemperamenta, quæ ipsum lædere suot nata.

Calida enim iecoris intemperies biliosum succū, sicca, melācholicum; & frigida crudum progignere suapte conditione possunt: quibus vniuerso corpori præstatur idem intemperamentum, tum ratione geniti succi, ex quo mille morborum sortes prodire assolent, tum etiam quia iecur membrum est princeps, B cuius temperie participat aliquo modo corpus vniuersum, atque etiam aliæ eius particulę: quorum omnium ediscere prouidentiam opus est, vt & imminentibus malis prouideamus, & præsentium causas & occasiones abscindere prudenter & rectè possimus. Quippe si vlteriùs pergat iecoris calor & colliquatio, putridum, exustum, & summè fœtidum procedit excrementum, atque dissoluto innato calore eius visceris, simile fæci sapæ, quæ vna est hepaticæ dysenteriæ species. Si tamen frigida sit intemperantia, vltraque pergat, donec calorem imminuat & hepaticæ aliam speciem constituat, minus quidem fœtida prodeunt excrementa, sed amurcæ simillima & diuturna, citra febrem tamen: antè verò prædictæ intemperantiæ deferent trahentem, expellentem, aut retinentem facultatem (vt antea C dictum est) ad debilem & imbecillimum statum. Itaque primò ex intemperie vitiantur aut copiosiùs generantur humores alij à sanguine: mox crescente intemperie, aliæ facultates à cōctrice imbecillitantur: postea verò crescente intemperie, et dissipata substātia innati calidi, aut ipso extincto, sanguificationis munus oblæditur, affectio quidem ab intemperie lōgè diuersa, licèt ab eadem prodeat, vt mox diximus. Quo fit, vt vigente huius visceris intemperie, reliqui succi à sanguine deteriores quàm par sit generentur imbecillo tamen facto calore innato: vtcunque sit, sanguis diminutè confectus prodit, quasi dixeris il- D lam esse corruptam iecoris actionem, hanc verò diminutam aut penè abiatam.

Verùm vt res hęc tantopere scitu necessaria, à primis principijs innotescat, exquirere nunc est opus, quæ sit ratio, quare intemperatum iecur prauos generet reliquos à sanguine succos, & ea ratione ipsum conspurcet; imbecillum verò, sanguinem diminutè confectum, cùm vtrumque vitium ab ipsius intemperie proficisci, ab omnibus proclamatum sit. Io qua re ego sentio, in eo differre imbecillitatē huius visceris ab eius intemperie, quòd imbecillitas quæ in sanguificationis munere aberrat, dicit defectum innati calidi, & ipsum habet tanquam immediatam causam, siue ex calore aut vacuatione dissipantibus pro- E deat, siue ab extinguente frigiditate proficiscatur: quippe hæ causæ nō gignunt immediatè sanguinem imminutè coctum, sed calorem eius muneris authorem infirmant. At intemperies eiusdem visceris dicit qualitatum excessum, quibus adauctis & intensis nō desinit natura sanguinem generare, & optimum generare, sed cum eo plus generat quàm secundum naturam oportebat, eius humoris qui intemperamento seu qualitati adauctæ correspondet, vt si caliditas sit, præsertim sicca, biliosi succi, si frigiditas pituitosi, ac si siccitas melancholici, vt dictum est. Verùm dum calidi substātia imminuitur, proculdubio sanguificationis munere destituitur iecur, nūc diminutè agens, nunc verò ferè ablatè, iuxta dissipatæ aut exonctæ substantiæ copiam. Quorum sanè affectuum ratione, licèt qui laborant iecorarij aut hepatici nominentur, illi proculdubio solùm id nomen merentur,

qui

qui sanguificationis munere ferè priuantur, reliqui verò per conuenientiam aliquam potiùs, quam re vera, vt Galen. aduertit. 8. pharm. loc. cap. 6. Quæ sanè omnia ni exactè expenderis, etiamsi ab intemperantia exupetante prodire cognoscas, scito te aliquid horum minimè curaturum: quapropter cuiusque causas & signa specialiùs hac in parte placuit referre, vt apertius constet vera & genuina medendi ratio.

Calida iecoris intemperantia. Cognita, breui hoc sermone, natura & essentia intemperamenti & imbecillitatis iecoris, ad cuiusque differentiæ cognitionem & causas disserendas nunc transeundum esse arbitror, si priùs dixero intemperantias huius visceris, sicut & reliquarum partium, in duplici esse differentia: quippe ex his quædam sunt nudæ & solùm qualitatis excessus: quædam verò, cũ exuperantia etiam alicuius humoris. Hæc autem vltima iecori accidere semper assolet vna è tribus occasionibus: vel quia iecur plus iusto illius humoris qui redundat generat: vel quia membrum, cui munus est ipsum expurgare, id improsperè exequitur: aut vltimò alicuius alterius membri vicini vitio. Sic profectò ventriculus prauè conficiens alimenta, iecur reddit suo muneri ineptius: idem præstat obstructio venarum meseraicarum: item vesica fellea imbecilla facta aut obstructa: nec non & splen pariter obstructum & imbecillum: sic renes dum improsperè serosum humorem sugũt: sic etiam & vterus qui plus sanguinis trahit & expurgat, iecur reddit languidum. Quapropter hæc omnia expendisse oportebit, alioqui mirum non est si cognito affectu, auxilia nihil prosint, quia nulla membri præstantis habetur prouidentia.

Signa. Sic enim calidum intemperamentum (quo bilis copiosior fit prouentus) cognoscitur ex colore totius corporis valde citrino, albis oculorum partibus pallescentibus: ex pallida etiam vrina, vel flaua & mordaci: at si intemperamentum naturæ modum excesserit, ictericorum vrinis persimilis excernitur: duobus enim modis serosam substantiam copiosè generat iecur: vno, ob cruditatem sanguine simili loturæ carnis facto, quo fit vt aquosior existat, altero verò, ex calore liquãte humores ac fundente ipsos, haud secus quàm diuretica vim habent fundendi, & ob id copiosam vrinam gignendi: caloris enim est fundere & liquare. Nosces autem à cruditate vel calore serũ prodire, quòd ab illa generatum concrescit & turbatur protinus à mictu, signum quidem impensæ cruditatis: quòd verò genitum à calore, nequaquã, quia calor non permittit turbari: præterquàm quòd illud serum mulcebre est, & mordacitatis expers; hoc verò acre, mordax, erodens, & calidissimum. Nosces autem eandem intemperantiam ex habitu etiam gracili, oris amarore, & siccitate, ac siti, ex scabie squamosa et biliosa: item ex oris ventriculi morsibus, torminibus, & vomitibus biliosis: præterea sic affectis manus volæ & pedum plantæ sæpe calore premuntur, vigiles sunt, dolent capite, iracundi, audaces & temerarij. Quòd si intemperamentum plurimum creuerit, colliquationes sequuntur biliosę, crassæ, fœtidæ, vstæ, & sanguinolentæ, donec caro hepatis colliquatione per cruentam deiectionem contabescat & excernatur: tandem excrementa apparebunt graueolentia, splendida & nimis calida, cum animi deliquio & angore, febricula, & totius corporis contabescentia. Quòd si cruditas quoque adsit in ventre, & in meseraicis, hypochondriacæ affectiones succrescunt, quæ excalfactis vstisue cruditatibus difficiliùs curantur, ob contrariarum causarum concursus.

Causæ. Præter natiuam iecoris conditionem ad biliosum et calidum vergentem, extrinsecus aut ab intrinseco, mille succrescunt causæ, quæ huiusmodi calidam temperiem, si præsit, augent, aut denuo euocant, & indies magis intendunt. Calidum igitur primò efficitur iecur ex immodico exercitio, maximè æstiuo tempore: ex vsu rerum calidarum, siue alimentum siue medicamentum sit, extra aut intus præstitum: item ex nimia pituitosorum euacuatione, aut improspera biliosorum purgatione: ex febre etiam ardenti, aut æstuante quouis alio affectu, vel ex erodenti aut mordaci aliquo succo ibidem genito & non expurgato, vel aliunde in idem viscus transmisso, quo profectò nõ solùm intemperatur, verùm & liquatur abraditurque.

Curandi ratio. Cùm mihi in animo sit, non imbecillitatem (quippe eius latiùs meminimus capite de hepatica dysenteria & de hydrope) sed solùm hac in parte eius intemperantias curare, operæpretium duxi à calido iecore initium sumere. In cuius medela considerare primò incumbit, an calida hæc iecoris intemperantia morbum aliquem minari videatur, aut iam actu efficiat: item an nuda existat, quod rarissimè contingit, vel bilioso aut acri humori admixta. Caliditas enim iecoris nuda & quæ nuper cœpit, ac nondum valuit quid biliosum generare, præcauenda diligenter est, ne in maius malum commigret. Quod sane haud difficulter facies, primò intrinsecus potulentis exhibitis, velut est succus aut decoctum cichorij, sonchi, hordei, portulacæ, cucurbitæ, lactucæ, scariolæ & similium cum saccharo ad clarificationem reducto. Eiusdem vsus est aqua stillatitia eorundem, nec non & hordei cremor, aut decoctum cum saccharo rosaceo. Item decoctum radicis cichorij cum absynthio & modico sacchato, vel decoctum hordei, cum syrupo cichorij & modico cinnamomi, aut cum tabellis ex electuario santalino, diamargaritonis frigidi, aut electuarij de gemmis: confert & syrupus agrimoniæ, cichorij, ac senecionis, cum decocto squinanti. Exteriùs verò fotu vteris ex oleo cydoniorum & rosaceo, ac linimentum parabis ex cerato santalino in oleo rosarum omphacino dissoluto: item vniuersę iecoris regioni, ad figuram Lunæ crescentis, adhibebis ceratum ipsum santalinum cum puluere coralli rubei vel rosarum. Quòd si hæc prodesse non videantur, partẽ inunges vnguento rosarum, santalorum, refrigerant, & cucurbitæ, maximè iuxta dorsum, si ibidẽ eluceat caliditas. Item desuper pones linteum madidum aqua lactis, cichorij, rosarum, aut succo portulacę cum modico aceto. Verùm si refrigerare citra adstrictionem oportuerit, sic facito: ℞. *vnguenti rosacei* ℥. 1. ß. *olei violacei* ℥. 1. *santali albi* ʒ. ß. *cerusæ* ʒ. 1. *aceti parum, fiat vnguentum.* Quòd si velis refrigerationem compescere & penetrationem moliri, *addes aceti, & celticæ spicæ modicum.* Præstant & eandem refrigerationem citra adstrictionem, olea ex seminibus frigidis maioribus. At si cum adstrictione refrigerare volueris, quia vereri oportet ne in inflãmationem migret, sic facito: ℞. *olei myrtillorum, cydoniorum & omphacini, anà* ℥. 1. *seminis portulacæ, intybi, scariolæ, anà* ℈. 1. *coralli, boli Armeni, anà* ʒ. 2. *myrtillorum, balaustiorũ, spicæ nardi, santalorum rub. anà* ʒ. 1. *antispodij.* ℈. 1. *ceræ albæ quod satis, fiat vnguentum.* Cautè tamen adstringentibus vteris, ne in obstructionẽ deferas iecur. Cæterùm si id mitius & cum maiori corroboratione velis efficere, *excipe olei de absynthio* ℥. 2. *santalorum omnium, coralli rub. vsti & loti aqua absynthij, anà* ℈. 2. *seminis intybi, scariolæ, anà* ʒ. ß. *apij, petroselini, anisi, anà* ℈. 1. *ceræ quod satis, & adde vini modicum tempore inunctionis.* Prodest & oleum ex hepate ranarum galeorumque omnium, sicut hepar caniculæ & centrinæ, habent enim hepar hi pisces adiposum, in oleum, dum liquatur in sartagine, facilè mutabile. Præterea cibis & potibus id etiam tentabis refrigerantibus, velut est ius & caro pulli cum lactucis, borragine, scariolis & cucurbita: nec displicebit ex horarijs fructibus aliquid sumere; cœna verò sit ex eisdem

dem herbis decoctis, aut pomis vel pyris assis, cum ovis sorbilibus. A Cæterum in potu hoc obseruandum erit, quod tanquam vtilissimum haberi debet, semper ante cibum parum aquæ frigidæ ingerere, temperat enim ventriculum, quo minus exurat alimenta, et iecur refrigerat atque eius feruorem compescit. Prodest quidem summopere potus ex decocto agrimoniæ, hordei, aut sacchari.

Verùm si cum affluxu serosi & acris humoris, vel ex generatione eiusdem, aut biliosi ibidem facta, suboriatur, curãdum est ante quoduis aliud auxilium, sanguinem mittere: primò, si vires cõstiterint, ex basilica lateris dextri, & post dies aliquot, ex saluatella eiusdem manus. Quo facto, præstitis serapijs cichorij, borraginis, buglossæ, acetosæ aut acetoso simplici, B purgare corpus vniuersum oportebit: primò cassia fistula cum syrupo ex infusionibus, vel manna liquata in sero lactis, tandem per epicrasim (nam seligentibus non licebit confertim purgare, deterius enim fiet intemperamentum) ex infuso rhabarbari cum sero lactis, vel eum aqua portulacæ, cichorij, hordei aut sonchi. Pręstat & infusum foliorum senæ cum aqua pluuiali, & mirum etiam in modum prodest decoctum radicis rumicis cum aqua acetosæ, vel portulacæ: quo facto, eisdem intus & extra vteris refrigerantibus & attemperãtibus quæ mox diximus. Postmodum verò ad conterendas biliosorum excrementorum reliquias, delendasque obstructiones, vteris eo præsidio, q. ℞. *radicis cichorij, petroselini, apij, & foliorum* C *sonchi, & cichorij, anà p. 1. coquantur secundùm artem, & facta colatura, adde radicis rumicis, rabiæ, & graminis, anà* ʒ. 1. *bulliant iterum, & facta colatura accipe* ʒ. 3. *syrupi cichorij compositi* ʒ. 1. *& ß. post aliquot autem dies mane porriges sacchari rosarum, aut violarum* ʒ. 1. *aquæ hordei, vel cichorij* ʒ. 3. Cæterum quo magis constiterit siccitatem adiunctam esse, eo humidioribus & mucilaginosis vteris. Hoc tamen vnũ adseruabis in hac curatione, nimirum ex vsu esse potum frigidum aut cibum refrigerantem, vt hordei decoctum, lactis serum, aquam portulacæ & borraginis cum saccharo: præstat & lac ipsum cum quarta aquę parte, & lac etiam seminum frigidorum maiorum. D Extrinsecus verò ea quæ refrigerare diximus præstabis, ac si æstiuum tempus permiserit ad balneum aquæ dulcis confugiendum erit; finaliter, vesicam aqua temperata semiplenam adbibere oportet: prodest etiam dum calidum est vniuersum corpus, mane dormire, aut per aliquod spatium iacere supra vtres aqua plenos. Quibus factis, ad vsum cochlearum & aquæ ab eis extractæ te conferes, miro enim modo his opitulari scripserat Gal. Quòd si iecori refrigerando plura auxilia selecta & pulchra adhibere volueris, lege tomo 2. meorum operum caput de præsidijs ad iecoris intemperies, quippe ibidem copiosa reperies. Verùm si dolor & ardor præualuerint, *ad vsum philonij* peruemendum est, *facto initio à granis decem vsque ad* ʒ. 1. E

Frigidi temperamenti signa.

Si tamen intemperies frigida sit, substantia innati calidi manente integra (nam si imminuantur ad hepaticam dysenteriam attinet) id ante quoduis auxilij genus studebis venari, nam lædunt calida aut frigida hoc viscus, si indebitè adhibeantur, peculiariùs et magis quàm quoduis aliud. Id profectò dignosces, quòd in corpore & excrementis diminuta iecoris & nonnunquam deprauata eluceat actio, ita vt albo colore vniuersum corpus perfundatur, tactus corporis frigidus, œdemata & febres pituitosæ vrgent, facies tumida apparet, præsertim iuxta oculos, idq; summo mane, item crura, sed maximè propè noctem. Vrinæ præterea sunt tenues & albæ, & quæ per aluum excernuntur, sunt cruda, sed non graueolentia, sæpe liquidiora, & sæpissimè aquosa, postea verò vt Galen. placet. 8. pharmac. loc. dum calidi innati substantia deuincitur, deijciunt cruenta, crassa & nigra, instar sanguinis putrefacti, sed similia colori atrę bilis: à qua distingui facilè possunt, quia quæ atrabiliosa sunt splendentia existunt, hæc vero quæ iecore frigidiore facto prodeunt, nequaquam: nam hac ratione docuit Galen. 3. de symptom. caus. cap. 2. distinguere crassum sanguinem congelatione factum, ab eo qui vstione crassescit. Sic enim considerare oportet hæc excrementa, plures habere & ægrè iudicabiles colores, ad atrum non splendentem vergentes: quæ sanè excretiones neque assiduæ, neque multæ fiunt, licèt affectio diuturnior facta, per interualla copiosius excernat.

Curandi ratio.

Grauis & non minus curatu difficilis, & adhuc B diuturnior est frigida intemperantia, & in varios affectus plerunq; commigrare habet, aut eos accersire, et ob id blandè & prudenter ipsam tractare oportebit. Primò itaq; considerabis sit ne simplex intemperantia, quæ plerunque ex procatarctica assolet succrescere causa, & si diligenter præueniatur, facilè cedit ex ea ortum malum. Ob id victu & potu in primis studebis frænare: quippe si ex frigidæ potu aut esu rei frigidæ prodierit, mane potum feruentis decocti ex cinnamomo, ligno aloe, aut absynthio amaro porriges: prodest etiam meri potio parua ante prandium, maximè si vinum sit cariophyllis, zingibere, atque cinnamomo conditum: item alimenta oportet & iura parare aromatis & rebus calidis, ea mensura quæ fri- C giditatem remittere valeat, non quidem calorem denuo inducere. Quòd si certum sit frigidos etiam succos abundare, his purgabis quæ cap. de dysenteria hepatica diximus: non enim placet sæpius eadem repetere, cùm facili negotio vel versa pagina reperiri possint, aut lege tom. 2. cap. de præsidijs iecoris intemperati. Exteriùs tamen dum nuda viget intemperies, fomentis vtens, primò ex oleo nardino & absynthite, postea ex decocto nardi celticæ, absynthij, & cinnamomi: quæ omnia conscissa & oleo chamæmelino ac vino incocta, mirum in modum prosunt. Verùm si frigidæ materiæ, vel obstructionis suspicio sit, præmissa purgatione leui ex infuso agarici & folijs senæ, aut agarici & rhabarbari cum syrupo ex infusioni- D bus rosarum Persicarum, vel ex cartami expressione in liquore rosarum, diebus interpositis mane porriges ʒ. 4. huius melicrati, q. ℞. *nardi celticæ* ʒ. 6. *absynthij* ʒ. 2. *cinnamomi* ʒ. *ß. facta decoctione, cum melle fiat hydromel.* Præterea vbi nulla sit febris suspicio, vinum porrigi potest, q. ℞. *rosmarini m. 1. spicæ celticæ* ʒ. 1. *radicis angelicæ* ʒ. *ß. in vino macerentur & leuiter ferueant, cuius* ʒ. 1. *porriges.* Præstat & opiata, quæ recipit lupinum iecur & cochleas cum vino in puluerem redacta: item *pulpæ passularum* ʒ. 1. *mirabalanorum chebulorum* ʒ. 2. *hepatis lupi præparati* ʒ. 1. *& ß. aromatici rosati* ʒ. 1. *cum syrupo absynthio fiat opiata:* vel fiat sic: *Passularum mundatarum lib. ß. coquantur ad pultis consistentiam in vino veteri & ge-* E *neroso, transfundantur setaceo, & in colatura dissolue conseruæ anthos, corticis citri conditi cum cinnamomo, anà* ʒ. 1. *aromatici rosati; diamargaritonis calida, anà* ʒ. *ß. iecoris lupi præparati* ʒ. 2. *fiat opiata.* Quòd si malum his non cesserit auxilijs, electuario vteris, q. ℞. *paßularum mundatarum* ʒ. 3. *croci* ʒ. 1. *calami aromatici* ʒ. 2. *& ß. bdellij* ʒ. 2. *cassiæ* ʒ. 1. *& ß. cinnamomi, & spicæ, anà* ʒ. *ß. myrrhæ electæ* ʒ. 3. *squinanti* ʒ. 2. *pulueris iecoris lupi præparati* ʒ. 2. *& ß. cum melle, & vino fiat electuarium.* Confert non minus theriaca, & reliqua quæ diximus capite de dysenteria hepatica, maximè si eis addideris quæ iecur roborant, vt squinantum, absynthium, rosam, eupatoriũ, & spicam: & ex his etiam quæ siccant, atque à putredine præcauent, velut est cinnamomum, iuncus odoratus, cassia lignea, nardus, calamus aromaticus, crocus, myrrha, passulæ, vinum, mel & terebinthina,

sed maximè stillatitia aqua ex melle, terebinthina, & prædictis aromatis. Exteriùs verò ex vsu sunt quę calfaciát & modicè siccent, vt oleum ex feruefacto cypero, croco, squinanto, aut iride, & aliquibus prædictorum aromatum cum absynthij puluere, cera, aut ladano, vel vtroque. Quod si velis roborationis & calfactionis gratia aliud conficere, sic facito, ℞. *olei nardini & de absynthio, aná ℥.ß. spicæ nardi, squinanti, asari, aná ℨ.ß. aut is pody facti ex myrto vel corallo rubeo ℨ.1. florum anthos ℈.1. seminis apij & petroselini, aná ℨ.1. vini quantum hæc ebibere possint, & adde ceræ, q.s. vt fiat vnguentum.*

Atque hæc de iecoris intemperantijs dixisse sit satis, cum de eius imbecillitate abunde dictum est capite de dysenteria hepatica, et adhuc specialiùs acturi sumus capite de hydrope.

Præter vitia quæ iecore prædictis modis affecto corpori succrescunt, alia non minoris damni quotidie accidere venis imbecillimis, aut intemperatioribus factis, conspicimus: quorum etiam hac in parte instituere prouidentiam consilium deliberaui: nam licèt similes aliquando affectus prædictis procreent, qui eisdem præsidijs mitiores fieri possunt, generant præter id alios mille modis dissimiles. Namque nullum profectò malum ferè in nostris succrescit corporibus, quod ab his venarum cruditatibus ac vitijs principium & fomentum non susceperit: & si, vt verum est, nulla fiet recta curandi institutio, nisi Medicus in cognitione & curatione ad causam & causæ principium deuenire studuerit, ob id hoc, causarum ferè omnium principium, diligenter expendisse institui. Cuius rei gratia primò scire oportet, omnibus particulis nostri corporis, tam communibus quàm priuatis, datum esse duplex, qui circa alimentum munia: alterum, quo simile sibi efficiunt, proprijsque accidentibus insigniũt: reliquum verò, quo ipsum in propriá substantiam commutant: hoc quidem appellatum nutritionem, illud verò coctionem. Sic proculdubio in vtroque munere deficere ipsis non raró contingit. Est tamen inter partes principes & priuatas discrimen: quòd illarum pleræque coquendo non solum sibi conficiunt & assimilant humores, verùm & toti corpori, qua actione vel deficiente vel corrupta, oblædi simul vniuersum corpus necessum est: at singulares particulæ sibi solis parant & concoquunt alimentum: quod si non probè effecerint, mirum non est, si vel ipsa, vel alia, vel vniuersum corpus oblædatur, ex humore superabundante ac vitioso, ibidem genito, & minimè à particula in sui naturam mutato, & consumpto. Præter quæ munia partibus omnibus præstita, concessit insuper venoso generi natura alia tria, nimirum sanguinem et reliquos succos continere & deferre ad singula membra, insuper tueri, quo minus labem ac vitium cótrahant: tertio si quid imperfectum semiconfectumue in ipsis adfuerit, iecoris beneficio & calore sibi præstito perficere, & in ságuinis naturam vertere. Sic profectò mille modis venosum genus languidum, intemperatum aut deiectum, humorum conditionem & naturam infirmat ac vitiat. Dimitto obstructiones, quarum medela similis est ei quam iecori obstructo pręstitimus: patiuntur quidem humores in venoso genere cruditatis tres sortes: nam aliquando crudos susceptant aliunde (sed præcipuè à iecore) succos: nonnunquá ipsæ tales reddunt, & varijs modis conspurcát: vlumò verò ipsis sanis existentibus nó contemnendas cruditates, quinimo vrgentioris conditionis, patiuntur. Primæ autem sortis cruditates gignit plerunq; iecur infirmum, vt in huius capitis initio dictum est, quarú læsiones & præsidia abunde exposuimus: secundæ quidé varijs fiunt modis, nam dum genus venosum calore sibi ab arterijs & partibus circumuicinis præstito orbatur, quauis occasione vel causa fiat, frigidiores redduntur humores, pituitosiores & copiosioribus seris scatentes: si verò venæ plus iusto incalescant, in feruorem & vstionem ipsos exagitant: si tamen humectentur, vel laxiores factæ prauè continent, vel putredini promptiores reddunt succos. Porrò ex his vitiosis succis (inquit Gal. 6. de morb. & symp.) erysipelata, cancri, gangrenæque nascuntur: præterea phagedænæ, carbunculi, vlcera serpentia aliaque huiusmodi. Tertio verò & vltimo modo cruditates congeruntur in venis, non quidem ipsarum vitio, sed vel culpa contentorum succorum, vel eorum copia, vel ob externam occasionem, quæ prohibito succorum, qui in ipsis sunt, naturali effluxu, per putredinem & vstionem incrudantur. Hęc profectò dicta sunt, vt quis facilè colligere possit, quáta intersit differentia in curatione prædictorum malorum, dum à iecore prodeunt crudi aut quouis modo viciati humores, & dum à venis tales fiunt. Nam sæpe sola iecoris prouidentia malum radicitus curatur, nonnunquam verò vltra ipsam, vacuationibus tú per pharmacum, si venarú vitio cruditas succrescat, tum verò per sanguinis detractionem, si sine earum læsione cruditas suboriatur, ac nonnunquam beneficio vtriusque auxilij. Sed longè vtilius est in his omnibus, & sudare ligni guaiaci decocto, & eo vti in potu semper, & eius aqua arte chymica extracta, maximè si addideris caryophyllos, cinnamomum, & lignum aloes ac reliqua roborantia. Discant, obsecro, tyrones hæc omnia nosse & distinguere: siquidem quodvis eorum admodum dissidentes medendi vias exoptat & poscit, quas si aut ignorauerint, aut euerso ordine exequantur, mirum non est si finem optatum consequi non possint.

CAPVT IIII.

De splenis inflammatione, duritie & obstructione.

VT varietas affectuum qui spleni accidere solent, & ex eius vitijs corpori vniuerso aut alicui eius parti succrescunt, faciliùs innotescat, præmittendum est, hoc viscus corpori præstitisse naturam, vt iecur & venosum genus ab spurcitia fæculenti, limosi, ac melancholici succi repurgaret. Quod sanè munus exequitur per venam quamdam ex meseraicarum sorte, à vena portæ disseminatam, in ipsumque splenem insertam. Cui muneri exequendo præstitit natura spleni facultatem sibi similé alimentum eliciendi: è quo puriori parte selecta, vi proprij caloris & arteriarum adminiculo alitur, & reliquum quod crassius fæculentiusque est in ventriculum pellit, quo faciliùs per intestina simul cum reliquis excrementis prolabatur. Quod sanè membrum dum pro naturæ lege se habet, hæc beneficia corpori pręstat: verùm si à naturali procidat statu, melancholico succo non probè repurgato, aut residuo ab alimento ipsius splenis non exactè purgato, varia grauissimaque incommoda corporibus afferre potest. Quippe si eius superuacuum non excernatur, lien in tumorem eleuatur, & corporis natura ac vniuersus color malè afficitur, & emaciatur corpus, gingiuæ vitiantur, os fœtidum reddit odorem, & interdum sanguis è naribus profluit, atque varices aliquando cum vlceribus curatu difficillimis producuntur. Denique ex splenis tumore ob prædictam causam, adeo graui, accidentia & mala succrescunt, vt coegerit Galen. dicere lib. 2. de facult. natur. *Quibus corpus florescit, his lien decrescit, ac vice versa, quibus lien crescit, illis corpus tabescit & vitiosis repletur humoribus.* Præterea non solùm hæc mala succrescunt, dum melancholicum recrementum non purgatur, verùm dum à sanguinis consortio non separatur, quartanæ febres, melancholicæ imaginationes, & cutis fœditates, quæ aut elephantiasim, aut illi quid simile minantur,

crurum

crurum etiam imbecillitates, tumores scirrhosi, & ipsius splenis immedicabiles durities. Quæ sanè affectiones, licèt corporis aut partis colore atro, similes videantur ictero nigro, ab eo tamen longissimis interuallis dissidere est compertum, vt suo loco latiùs sum probaturus: nam hæ omnes à redundante succo in genere venoso ibidemque existente prodeunt: icterus verò non nisi à melancholia delata ad cutem, ob imbecillitatem tractricis aut obstructionem meatuum.

Appellarunt antiqui morbum splenis, à quo, hæc omnia vitia, vel simul vel maiori ex parte coniuncta, succrescunt, stomacace, quia ventri efficitur communis affectio, seu stomacachexia, & sceletirbe, quem alij scorbutum nuncuparunt. Nostri verò temporis Medici, vitijs splenis non ab hac accidentium sindrome sumpta ratione nomé imposuerunt, sed cuique splenis affectui, siue hæc, siue illa accidentia sequátur, peculiare nomen præstiterunt, vt splenis tumorem, scirrhum, inflammationem, aut obstructionem. Scripserunt autem de stomacace & sceletirbe Plinius 25. cap. 3. & Strabo lib. 16. suæ geographyæ: Græcorum tamen et Arabum regioni ignotus hic morbus fuisse videtur, saltem non apparet hoc nomine ab eis fuisse insignitus: Nam sceletirbe, quod depingitur ab authore definitionum medicarum, diuersum omnino est malum ab affectibus crurum, qui in scorbuto visuntur, licèt re vera aliquo modo simulentur: nominum enim non magna habenda est cura. Apud Auic. etiam aliqua huius mali apparet mentio, canone. 3. fen. 15. tract. 2. cap. 5. vbi cógeriem horum signorú adducit, statuens etiam signa inflammati spenis: idem Paul. sub nomine scirrhi splenis, & Alexander sub nomine phlegmonis ex atra bile. Qui omnes, horum omnium accidentium meminerunt, quòd frequenter splene male affecto accidunt, aut eorum plura, tamen his sic iunctis non tribuerunt peculiare nomen, sed tanquam signa alicuius morborum qui spleni succrescút, adduxerunt. Cum hoc tamen, omnes liene affectos lienosos nuncupauit Hippo. et in Coacis, vbi lienosis prodesse dysenterias dixit, et 6. aphor. 44. quoqunque affectu lien laboret, dum modo inueteratus sit.

Differentiæ morborũ splenis. Vtcunque tamen nominare volueris huius visceris mala, vitia sunt prodeuntia ab aliquo eius proprio affectu. Potest igitur splen vt prædicta accidentia succrescant, vno è tribus morborum generibus affici, siquidem morbus est propriè affectio illa, à qua primùm læditur operatio particulę: quippe aut intemperie laborat, aut viarum angustia & obstructione, aut vltimò tumore quouis præter naturam, sed maximè scirrhoso, ob peculiarem alimẽti ipsius conditionem & naturam. Sic profectò intemperies causa est imbecillitatis alicuius facultatum ipsius visceris, sed maximè attrahentis, cuius vitio ictericus affectus prodit. Verùm affectiones, quarum hac in parte meminisse oportebit, tantùm sunt viarum coarctatio, & ipsius splenis durities, nec non & inflammatio.

Causæ. Primò inflammationis huius visceris causa mouens, ea quidem existimanda est, quę reliquarum partium inflãmationes accersire assolet: proxima nempe, melancholici sanguinis efferuescentia, licèt euidétissimum sit à bilioso etiam sanguine vel copioso fieri, vt testatus est Aetius, & ex Galeno constare videtur. 6. popul. par. 3. qui febres ex splenis inflammationibus ortas, de genere esse inflammationum asseruit. Duritiei verò causa vel inflammatio existit, ob impensam refrigerationem in congelatam duritiem ducta: vel ipsa inflammatio prauè resoluta, in qua tenue solùm euanuit, manente crassiori parte: vel humorum crassiorum copia, qui ibidem impacti vel pre congelatione induruerút, vel præ subtilioris partis euanescentia adeò exsiccati sunt, vt in lapideam duritiem commigrauerint. Coarctationis verò seu angustiæ meatus eorum vasorum, per quę solet, dum attrahitur vel expellitur, is humor transire, causæ in triplici sunt differẽtia: nam aut fit ab inflammatione scirrhoue, aut quouis alio tumore vias coarctatire, vel à membris vicinis extrinsecus comprimentibus: vel ab humore seu excremento meatus ipsos obturante, obstruenteque præ nimia copia aut crassitie. Cuius etiam occasione coniectandum est, tumores fieri ex inundante humore, maximè in venis minoribus, à quibus ad spatia vbi tumores præter naturam fiút, facilis est commeatus. Quapropter, cùm omnium horú morbum humores crassi, aut flatus caliginosi causa sint, docendum est, quanam ratione in splene generationem sortiantur. Pręstat huius humoris melancholici prouentum primò, praua victus crassi & fæculenti ratio: item aer ambiens calidus, sanguinis partes subtiliores resoluens: prætera vigiliæ, labores, & curæ, quæ spirituosam humorum partem conterere sunt nata: vltimò verò febres quæ præcesserunt: nam, vt inquit Galen. 3. de loc. cap. 3. sunt nonnulli, qui per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt: sed hæc vitia in splene causam non habent radicali principio ortam. Verùm ipsius splenis vitio & peculiari morbo, plerunque solent succi melancholici in ipso viscere adeò grandi copia abundare, vt facilè in prædicta mala commigrent. Sunt autem hæ causæ, impotentia concoquentis facultatis, quæ humorem euincere nequit, vel ob sui impotentiam, aut ipsius humoris crassitiem: quo fit, vt ibidem permanente humore, tanquam excrementum obstruat obturetque, aut in tumorem vel duritiem commigret. Item maiori ex parte fit vitio facultatis expellẽtis, quæ quod superest à coctione & alimonia, pellere nequit: quo tempore mirum non est si in grauiora mala vniuersum corpus dilabatur. Sed generaliores causæ ad magnos obstructosq; lienes generandos, existunt, imprimis largiores aquæ (præsertim limosæ, stagnantis, vel corruptæ) potus, maximè in febribus, & vbi sitis admodum vrget: quippe aut vesicis aqua plenis impletur splen, aut in tumorem vasis replens aqua attollitur, vel ex crasso & nebuloso flatu turget, quod non rarò accidere scimus. Item generalior causa est regionis ipsius natiua cóstitutio, cùm vliginosis locis excrescere soleant lienes, vt author est Aetius, qui ab Hippo. acceperat lib. de locis, aqua & aere, qui hepatitides splenitidesque palustribus locis effectas refert: & Aetius etiam inquit: *Humida affectione spen detinetur, atque ea vbi ampliùs inualuerit, in tantum eius incrementum facit, vt etiam ventrem pertingat & hepar.* Nec desunt qui anni tempestates calidas & humidas eosdem lienes efficere posse statuát: nam cùm toto anni discursu pluuiæ imbresque sint, spirentque Auster & Fauonius, plerunque non paucos sceletirbe correptos vidimus.

Signa. Multa sanè sunt, quæ signis nosse & distinguere in his splenis affectionibus oportet: primò quidem dum corpus vniuersum malè se habet, colore ad subnigrum mutato, coniectabile est occasionem & causam adesse, quæ splenem hoc vel illo modo affectum maximè præstat. Quippe ab eo affectus, primò corporis totius grauitas sequitur, spontanea lassitudo, præcordiorum angustia & spiritus difficultas, crurum debilitas, & in eis apparent maculæ purpureæ & violaceæ, vel lentigines in toto corpore: item crura aliquãdo intumescunt, vel gracila fiunt vltra modum: adest quoque gingiuarum pruriginosa rubedo, faciei color ex pallido in fuscum vergens, oris grauecolentia, gingiuarũ etiam laxus & sanguifluus tumor, dentes vacillant & pleraque alia succrescunt, quæ splenem affectum commonstrant, sed maximè venæ quæ sub lingua sunt, quæ varicosæ plerunque efficiuntur: obseruatio profectò magni momenti. Quòd si diu-

turna & exigua febris inde nascatur, vrinæ crudæ tenuesque diutiùs meiuntur: aliquando vrinæ ferè nigræ, sed è rubro saturato nigricant, maximè si febris adfuerit acuta, hypochondrium sinistrum durum, tensum, nunc cum grauitate, nunc cum punctionis sensu.

Cognito iam splenis vitio, qualis facultatis earum quæ in ipso vigent, affectio sit, noscendum etiam est. Primò enim attractricem languidam existere disces, quòd fœdo atroque colore laborans perfundatur: nam cùm natura quantum potest, curet sanguinem ab omni spurcitia, vendicare, deficiente hoc splenis munere, studet ipsa ad cutim melancholicum pellere. Verùm si id succrescat vitio viarum, per quas ad splenem defertur melancholia, distingues tactu: quippe si sinistrum hypochondrium, vel per medium ductum à iecore in splenem tensio, durities, tumorue sit aliquis, tunc quidem icteri causam obstructionem esse est arbitrandum, sin aliter, vitium in facultatem trahentem imbecillam regerere oportebit. At contentricem languidam esse nosces ex frequenti bilis vomitione, maximè si neque febris, neque aliud fuerit symptoma alterius morbi signum. Excernentem facultatem labefactari ostendit defectus appetentiæ ciborum, cùm ob id nequeat melancholia eo adire, vbi famem excitare assolet: cui accedit lienem in tumorem attolli, quòd ibidem maneat præter naturæ modum succus melancholicus.

A qua autem intemperaturæ sorte prodeat quæuis harum imbecillitatum, ex his quæ præcesserunt facilè disces, si consideraueris vitam ante actam, victus & potus vbertatem & naturam, ad siccum, humidum, frigidumue aut calidum vergentem: maximè si in considerationem adhibueris, à quibus laborantis natura lędatur, quippe calida lapsa, à calidioribus, frigida à frigidioribus promptiùs læditur: prætérquá quòd lien cum humido intemperamento ocyssimè crescit, cum sicco verò durescit.

Nosse autem splenis inflammationem, non admodum est difficile: quippe in sinistra præcordiorum parte percipitur tensio, tumor, & renitentia comprimenti manui: adest & febris interdum acuta: dolet etiam ea pars, & grauitas quædam sentitur in profundo: pulsus efficitur vt Galen. plac. 4. de caus. puls. pleuriticorum pulsibus persimilis, durus, inæqualis, magnus, sed non plurimum, ac subinde celer & frequentior. Adest & respiratio frequens, si caput splenis inflammetur, aut si magna inflammatio sit: reliqua verò signa quæ calorem internum monstrant, facillima sunt.

Scirrhosa verò durities manu facilè tractatur & percipitur: distinguitur etiam haud difficulter à tensione, quòd illa citra dolorem, cum grauitate tamen existat: hęc verò plerunque cum dolore infestat: vtraque tamen sine febre est, licèt aliquando febricula lenta diu adhæreat.

Flatuosus tumor eisdem signis innotescit, præterquam quòd aliquando grauitate sibi adiuncta etiam decipit, ob crassæ materiæ, quæ flatus præstat, abundantiam: quo tempore intersti nguere oportet quòd febres quæ inflammationibus adiunguntur, necessariò intensiores existunt, flatuosis verò tumoribus, vel nullæ vel leues, vel ab aliqua occasione excitatæ, plerunque flatu discusso beneficium præstant. Scito tamen adeò septum transuersum, cor & alias principes partes, aut illis seruientes flatu ex splene elato lædi, quòd ferè laborantes vel delirare, vel suffocari, vel animo linqui videantur: quapropter non leui diligentia huic affectioni subuenire opus erit.

Obstructionem verò tactu etiam distingues leui duritie repræsentata, & solùm parte aliquo modo maiori facta: præterquam quòd color faciei, impotentia ad motum, & lassitudo plerunq; id potiùs, quàm quoduis aliud signum, monstrare habent.

Præsagia

Solent profectò ex lienis vitijs posthabitis, vel prauè curatis, grauissimæ affectiones succrescere: nam melancholiæ, epilepsiæ, scirrhi, lepræ, & hydropes plerunque, neglectis prædictis malis, visuntur: maximè si quis praua victus & vitæ institutione vtatur, quod frequentissimè ferè omnibus accidit, quia splenis mala cùm non plurimum actiones vitient, paruifiunt, & ob id in grauissima mala sensim & paulatim prorumpunt. Terminantur sæpe huiusmodi membri mala, tum per dysenterias, vt in Coacis dixerat Hippo. interdum per obscessum in crure sinistro, sæpissimè per hæmorrhoidas, & ventriculum nonnunquam, atque etiam vtiliter per vrinas, vt docuerat Hippocr. de internis affectionibus & 6. popul. & 1. parte 3. fiunt autem huiusmodi euacuationes à liene facta per cœliacam arteriam via, aut refluente humore à liene ad hepar: sed per quem locum futura sit euacuatio, ex figura tumoris docuit Hippoc. 2. 6. epi. 2.

Curandi ratio.

Cùm diuersi sint affectus, quibus splenem malè affici diximus, curationem quoq; diuersam fore est arbitrandum: quapropter initio sumpto ab inflammatione, eos omnes percurrere est in animo: si prius simplici intemperantiæ splenis aliqua adduxero proficua, reliqua quæ peculiaria sunt, vt sæpius dicta, prætermittens. Intemperatura igitur splenis calida aut frigida, licèt purgationem non requirat sui ratione, admittit tamen eam, gratia diuertendi excrementa quæ in splenem, intemperamenti occasione confluere, aut ibidem gigni poterunt. Quo facto, peculiaribus pharmacis (quæ inferiùs scripta reperies) calidam temperabis refrigerantibus, quibus ad arcendam inflammationem vsurus sum, & frigidam calfacientibus: cuius naturæ sunt quæ in curatione scirrhi reperies. Verùm omnibus huius visceris præsidijs admiscebis oxycratum, quia eius dura & crassa compago nullum recipiet leuamen, neque humoris peccantis (si quis fuerit) conditio gratiam aut beneficium, nisi adminiculo huius medicamenti. Quamobrem siue quæ calfaciunt, siue quæ refrigerant, adhibueris, oxycrati modicum admisceto, vt & aliquid agas & citiùs rem perficias. Non placuit hac in parte copiosiora adscribere præsidia, cùm ea abundanter scriptis mandaui tomo secundo meorum operum capite de refrigeratione, emollitione & calfactione splenis, ad quem locum hunc legentes relego, ne videar eadem sæpius repetere.

Doloris medela.

Verùm si dolor splenem affligat citra febrem & duritiem, quæ tactui renitatur, ex flatu proficisci est arbitrandum, & clysmatis quæ vim habeant discutiendi priùs iniectis, & leuiter corpore purgato pharmaco, quod flatum non moueat, fomentis vteris, quę vim habeant discutiendi: vt ex decocto chamæmeli, meliloti, fœnugræci, seminis lini, anethi, capparum, myricæ, epithymi ac polypodij, quibus adijcies aceti modicum. Item oleo liliorum partem inunges, capparum, chamæmeli, & absynthij, cum modico spicæ, & aceto. Quòd si id prodesse non videatur, cucurbita vtendum est, supra sinistrum hypochondrium affixa, si inflammationis aut fluxionis suspicio non sit.

Inflammationis præsidiũ.

Quòd si constiterit ex ante habitis signis, splenem inflammatione tentari, coniectandum est aliquid in corpore humoris fluxurum superesse, & aliquid fluere, & iam etiam aliquid fluxum receptumque in particula existere. Quapropter, vniuersa huius affectionis curatio constituta est ex euacuatione, reuulsione & repulsu: & quia materia quæ iam recepta est in hoc viscere, & ibidem infarcta, non potest facilè aliquo ex prædictis modis vacuari, per ea quidem quæ vim habent rarefaciendi atque discutiendi euacuari desiderat. Vacuatio autem quæ primò exequenda

venit,

venit, licèt toti corpori debeatur, plerunque etiam retrahit quod in parte & iuxta ipsam in vasis receptum est: quo fit, vt mox sanguinem mittere opus sit, idque ex sinistro brachio & basilica vena, dummodo non sint notæ grandioris plenitudinis in ipso splene, aut iuxta ipsum: quippe tunc consulit Rasius ex sinistræ manus saluatella primitus sanguinem esse mittendum, quòd efficacius reuellat euacuetque simul. Verum si maior sit in corpore, ob suppressam aliquá vacuationem, plenitudo, aut iuxta ipsum splenem, ex brachio pro virium ratione sanguiné detrahes primò, deinceps verò ad deponendum quod in ipso viscere remanet, ex saluatella: deniq; iuxta fluxionis impetum res agéda est, nam dum fluit impetuosè humor, à venis brachij sanguis mittendus est, si tamen impactus in viscere fuerit, aut missus iam ex brachio sanguis, ex saluatella. Curabis insuper si vitiosior crassiorque sanguis appareat, corpus purgare, nulla vel leui expectata coctione, præparatione verò sufficienti præmissa, vt eius quod in corpore spurcum abundat, euacuetur, quominus ad inflammatá partem cófluat: in his enim non purgamus vt ab inflammata parte quidquam demere possimus aut liceat, sed vt minus fluat. Quo facto, aliquid reprimentium visceri apponere oportebit, quo & dolor mitescat, & minùs membrum recipiat, dũ modo aliquid ipsis admisceatur, quo impactus humor discussioni futuræ faciliùs cedat: ob idque non licèt frigidis & adstringentibus vti adeò liberè ac in reliquis inflammationibus. Quamobrem, restita fluxione (quod nosces ex mitiori dolore) primitus parté fouebis his quæ humoris crassitiem incidant & extenuent, cuius naturę est vinum austerum (si fluxionis aliquid supersit) oleo dulci admixtum, vel rosaceo cum eodem vino vel aceto: neq; erit ab te oxycrato & rosaceo modicè calidis regionem splenis fouere. Præterea cessante aliquo modo dolore et feruore restincto, medicamenta quę vires habeant resoluendi admiscebis, lentè tamen & sensim: sic in prædicto oxycrato incoques absynthij comam, vel capparum cortices, aut chamæmeli aliquid: item oleo liliorum, absynthij & capparum fouebis, & alijs etiam quæ capite de inflammatione iecoris huic vsui latiùs scripta reperies. Interim tamen omni diligentia curabis, frictionibus, ligaturis, & alijs auxilijs quæ diuertendi vim habeant, longè ab splene humorem distrahere, atque per cutim aliquid discutere, et eadem victus ratione vti, quę viribus seruatis, etiam suo modo copiam humoris minuat, vt prædicto capite dictum est. Quòd si ad suppurationem vergere persenseris, haud secus quàm in iecore inflammato rem ages, tardiùs tamen ad apertionem te conferes.

De scirrho. Interim tamen dum hæc instituis, diligenter rimati curabis, commigret ne inflammatio in scirrhosam duritiem, quòd non rarò solet accidere. Id quidem nosces, quòd cessantibus dolore, calore & febre, tumor aut crescit, aut saltem non decrescit auxilijs adhibitis, quinimo lapidea durine insignitur. Contrahitur autem prędicta durities in splenis tumoribus vno è duobus modis: resoluta nimirum tenuiori humoris parte, aut ipso humore crassiori facto, ac veluti congelato ob frigiditatem, vtcunque humori & parti præstita sit. Ex quibus considerationibus prodit duplex etiam curandi ratio: altera dum per tenuioris partis resolutionem induruit tumor: alter verò dum ex propria humoris crassitie, vel ex impensa frigiditate ex frequentibus aquæ frigidæ potibus, vel aliunde contracta. Itaque si ex impenso calore induretur, siue à medicamentis resoluentibus intempestiuè adhibitis, siue ex calore ingenti ipsius inflammationis, via & ratio curandi, initium à proba et selecta victus institutione sumere oportet: ob id quidem summa diligentia curandum est ne succi melancholici gi-

A gnantur: quinimo cibis humectioribus & temperatis studebis augere eos qui melencholico succo sint contrarij.

Huius naturæ sunt carnes pullorũ, caponum, gallinarum, & capreoli: item oua sorbilia & borrago. Potus sit aqua cum lupulis, scorzionera, & buglossa decocta, vel ferrata aut deaurata, cum modico vino, si febris iam deferbuerit. Hoc viuendi genere instituto, videndum est, an aliquo modo liceat iterum sãguinem detrahere. In qua re considerandum est, an sufficienter missus fuerit inflammationis gratia, quo tempore continere manus oportet, ac resolutionem & emollitionem moliri. Verùm si ex mensium vel hæmorrhoidum suppressione affectioné ortam fuisse constiteris, tunc quidem à venis tali non erit ab re, B ante eorum auxiliorum administrationem, sanguinem mittere, aut hirudines hæmorrhoidibus (si tumentes sint) affigere. Quo facto, et præmissa leui purgatione per aluum eius humoris quem in corpore abundare comperens, ne confluat ad affectum locum vi auxiliorum quę intus aut extra parti profutura sũt, ad ea quę plurimum humectent et emolliant, ac modicè calfaciant, te conferes. Cuius naturæ est oleum amygdalarum dulcium, aut oleum dulce cum decocto maluarum & modico aceto, quibus partem frequenter fouere oportet: vtendum est etiam oleo liliorum, capparum, & dulci, in quibus ferbuerint maluę, radices althææ & semen lini. Præstat & emplastrum C ex mucilaginibus althææ & prædictis oleis cum modica farina fœnugræci, bdellio, & modica cera. Præsentaneum etiam auxilium, est, succus foliorum sambuci cum oxycrato ex decocto maluarum, althæę & aloes: succus etiam scolopendrij cum oleo dulci, decoctum corticis capparum cum mucilagine althææ. Quòd si affectio nimis inueterata sit, optimo viuendi genere potiùs quàm medicamentorum turba tractari desiderat. At si indurata affectio ex frigido humore, ex frigidaque causa in splene contracta sit (aut ab alijs causis quarum latissimè meminimus libro nostro secundo de recto præsidiorum artis Medicæ vsu, capite de emollientibus) non semper vereri oportet sanguinis detractionem, siquidem eam Galenus D in lienosis non renuit, vt constat libro de sanguin. miss. verùm id intelligendum est, vbi vel sãguis crassus plurimum abundat, vel suppressio sanguinolentæ fluxionis malo causam pręstitit, vel affectio nuper facta sit: vtcunque tamen accidat, parcè mittendus est, & longè parciùs aut nunquam, vbi ex intempestiuo potu, siue in morbis siue extra morbum, principium traxit affectio. Quo facto, corpus ad purgationem, & tumorem ad emollitionem præparabis per ea quæ interiùs sumuntur, quale est oxymel simplex cum scolopendrij decocto, item hydromel ex decocto betonicæ. Præstat & oxymel, vel syrupus acetosus radicum cum decocto myricæ, corticum capparum, scolopendrij, scordij, polypodij aut epithymi. Ab E his, leuiter corpus purgabis decocto foliorum senæ cum syrupo ex infusionibus violarum aut rosarum: item confectione Hamech simplici cum aliquo ex prædictis syrupis & decocto foliorum senæ. Posteà verò ad vlteriorem purgationem presiùs humorem & tumorem præparabis, adhibitis eisdem decoctis cum oxymelite squillitico, aut syrupo acetoso diarrhodon, idque per aliquot dies facies, ac postea iterum purgabis validiori pharmaco, si nulla sit febris suspicio: cuius naturæ sunt pilulæ de lapide lazuli, aut stibium præparatum, si corpus robustum fuerit; sin aliter, tutius esse arbitror per interualla frequentiùs & minùs purgare.

Sunt etiam huic affectioni proficua quædam medicamenta, quæ præter id quod purgant, ab ipso etiam viscere efficaciùs repurgant & abstergunt: huius naturæ sunt quæ ex chalybe conficiũtur: quæ sanè

vt huic malo prosint, non ex chalybe præparato, vt in reliquis affectionibus, sed ex sola eius limatura cũ aliquo ex pharmacis quæ vim habent vel melancholiam, vel crassos succos purgare, & præter id duritiem e molliam alijs auxilijs, paulatim imminuere & conterere. Sic enim huic vsui cõficies pharmacum ex syrupo confecto ex decocto foliorum senæ, epithymi & polipodij ac radicibus capparum, melle & chalybe ipso, *vbi decem ℥. decocti huius, & tribus mellis, vnam & semissem addideris limaturæ chalybis.* Vel conficies *ex melle, & puluere diatragacanthi, & limatura eiusdem chalybis, eadem dosi.* Quòd si mitius delicatioribus fœminis efficere velis, sic facito: *Excipe mina radicum scorzioneræ condita saccharo ʒ. 6. syrupi capillorum veneris & violarum, anà ℥. 1. pulueris electuarij de gemmis ʒ. 1. pulueris lapidis bezoar ℈. ß. pulueris rubiæ tinctorum ʒ. 2. chalybis præparati & citra præparationem, anà ʒ. 6. lento igne fiat electuarium fluidũ.* Alijs verò quibus iecoris calor calida renuit medicamenta, sat est *bolum conficere ex sacchari rosacei ℥. ß. & limaturæ chalybis ℈. 2.* Quod sanè pharmacum magni solet esse momẽti, in quibus vitio ventriculi splen intumescit, & meseræõ obstruitur, maximè si ante eius sumptionem aquæ calidæ modicum sumpserit laborans. Quòd si chalybe vti nõ placuerit, aut idoneum tempus non sit, hoc vteris præstantissimo auxilio, q. *℞. succi althææ depurati ℥. 2. & ß. decoctionis calamenti ℥. 2. pulueris foliorum senæ ʒ. 2. misce & cum melle despumato, quod sufficiat, fiat electuarium, cuius sumat laborans per tres horas ante cibum cochleare vnum.* Hunc vsum etiam præstat syrupus ex scoria ferri hac lege confectus: *℞ scoriæ ferri præparatæ aquæ rosarum ℥. 6. passularum sine nucleis, ℥. 4. macerentur per tres dies in lib. 4. aquæ lupulorum, & in fine trium dierum bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde radicis rumicis & rubiæ, anà ℥. 2. corticis capparum ℥. 1. radicis fœniculi ℥. 1. & ß. asplenij ℥. ß. capillorum veneris m. 2. iterum bulliant & facta mediocri expressione adde syrupi acetosi diarrhodon & de quinque radicibus sine aceto, anà ℥. 2. sacchari lib. 2. fiat syrupus, & in fine decoctionis addantur prædicti syrupi, huius enim sumat laborans summo mane ℥. 3.*

Interim tamen dum hæc fiunt, externis fomentis emollire duritiem curandum est: quem vsum præstat, q. *℞. radicum althææ, & maluæ, anà ℥. 2. seminis fœnugraci, & lini, anà p. 1. florum chamæmeli, meliloti, & myricæ, anà m. 1. calamenti, melissæ, cuscutæ, pulegij, & fœniculi, anà m. ß. corticum capparum ℥. 1. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ & aceti, & postea fiat fomentum cum spongia aut filtro, cui addes olei capparum, & chamæmeli, anà ℥. 1. & ß.* Idem præstat fomentum ex aceto extinctionis marchesitarum cum prædictis oleis: item euaporationes eiusdem aceti calidi, vel aceti squillitici, quod maioris est momenti: item germina tamarisci aut eius cortex ex aceto vel oxymelite decocta cum oleo amygdalarum amararum. Eundem vsum præstat inunctio, q. *℞. olei rutæ, capparum & chamæmeli, anà lib. ß. vini albi odoriferi ℥. 4. radicum althææ, maluarum, & filicis, anà ℥. 1. triturentur optimè radices, & simul bulliant vsque ad consumptionem vini, & facta colatura & vehementi expressione adde aceti ℥. 3. cyclaminis optimi triturati & mundi ʒ. 3. iterum bulliant ad consumptionem aceti, & facta iterum colatura adde opopanacis, bdellij, galbani, ammoniaci, anà ʒ. 1. dissoluantur gummi in aceto, & admisceantur cum alijs, facta iterum leui ebullicione. & cum cera fiat vnguentum molle.* Præstat & vnguentum, quod conficitur ex dialthæa, succo summitatum sambuci, & oleo capparum cum modica cera: item emplastrum ex pinguedinibus caponis, anatis, & gallinæ cum puluere marchesitarum, aut plumbi vsticum diachylone. Confert & œsypi ceratum, & emplastrum ex meliloto, & ex A mucilaginibus fœnugræci, althææ, & ficuum, adiectis medullis & adipibus: item cyclamen cum suillo adipe, aut squilla aceto & oleo feruefacta ad consumptionem aceti, & facta colatura, fiat vnguentum cum cera. Prosunt & omnia quæ hepati indurato proficua esse diximus, dummodo squillitici aceti aliquid admisceas, cuius efficaciæ est id, q. *℞. ammoniaci, bdellij, opopanacis dissoluti in aceto squillitico, anà ℥. 1. radicis liliorum, bismaluæ decoctorum in axungia porci, vel oleo amygdalarum dulc. aut amararum ℥. ß. styracis, myrrhæ, iridis, anà ʒ. 2. ß. mucilaginis seminis fœnugraci extracta in vino albo ℥. 2. terebinthinæ & propoleos, anà ℥. 2. ß. fiat vnguentum:* ad- B des tamen *seminis viticis, apij, & petroselini, anà ʒ. 1.* flatus discutiendi grana, est quidem magni momenti. Quòd si plurimùm splen indurueit, sic facito: *℞. radicis mandragoræ diuisæ in partes q. 1. decoquantur in oleo sesamino aut de semine lini, cum pauco aceto, contundantur & extrahe per cribrum: addeque opopanacis dissoluti in aceto squillitico ℥. 2. styracis, myrrhæ, bdellij, seminis alKeKengi, anà ℥. ß. propoleos, ceræ nouæ, & terebinthinæ. q. s. croci ʒ. 2. spicæ celticæ, & squinanti, asari vel viticis, anà ʒ. 1. misce & vtere:* mirum in modum profectò indurata emollit. Verùm si flatus tumorem eius visceris concitauerit, id inunges vnguento hoc, q. *℞. olei nardini, & absynthij, anà ℥. ß. seminis agni casti, capparum & de fraxi-* C *no, anà ʒ. 2. apij, & petroselini, in aceto maceratorum, anà ʒ. 1. coralli rubri vsti & scoriæ ferri, anà ʒ. 1. ß. ceræ quod satis, fiat vnguentum, cui adde tempore illisionis aceti modicum.* Interim tamen dum hæc vnguenta adhibes, non erit ab re inunctionibus vti quæ ventrem leniant: quæ præter id quòd spleni prosunt, purgant omnino lienis serosa recrementa, si vsq; ad vmbilicum inunctio fiat. Primum *℞. succi cyclaminis ℥. 6. succi cucumeris agrestis aut sambuci vel ebuli ℥. 3. farinæ lupinorum, & vini quod satis, fiat vnguentum.* Aliud *℞. succi sambuci, & mercurialis, anà ℥. 3. mellis communis, & farinæ, lupilorum, anà ℥. 2. misce, & fiat vnguentum:* nec erit ab re his addere succum aliquem tenuantem, vt iridis, aristolochiæ, & apij, & D odoratorum aliquod, vt myrrham, styracem, & similia. Quem quoque vsum mirabiliter præstat emplastrum ex lithargyrio capit. de iecoris duritie scriptum, si aceti squillitici modicum addideris. Prosunt & cucurbitæ cũm scarificatione, sed id cautè agendum, & dum ad extimam partem vergit etiam tumor: item ferro candenti vlcuscula efficere supra partem oportebit, verùm cauendum est ne scirrhosus tumor in cancrum degeneret: nam hæc solùm ex vsu existunt, vbi in tumore & partibus circumstantibus copiosa abundat pituita, quippe aliter, tutiora semper mihi visa fuere alia auxilia, sicut setonem eidem parti affigere.

Quòd si ex flatu, à crassis succis ibidem impactis E eleuato, aut aliunde transmisso, splen dolore & crucianbus afficiatur, fomentis prædictis sine aceto vteris, oleis & inunctionibus, addito oleo liliorum, capparum, chamæmeli, absynthij, & spicæ, vel in quo bullierint aliqua ex his quæ nuper retulimus: quem quoque vsum præstat cucurbita supra partem dolentem, aut parum infra apposita, maximè corpore ab excrementis & copioso sanguine immuni: quòd si ipsam aliquando scarificaueris, non paruum beneficiũ præstabis. Quòd si spleni emolliendo plura placuerit legere præsidia, tom. 2. meorum operum cap. de præsidijs spleni indurato proficuis copiosa reperies.

Obstructio.

Huius visceris obstructionibus opitulaberis his quæ inscindendi & attenuandi valenter obtinent, ac postmodum his quæ vehementiùs abstergant & repurgent: & præter ea quæ superiùs retulimus, peculiariter huic visceri obstructo opitulantur multa. Quapropter, si constiterit obstructionis

occa-

occasionem esse improsperam mensium purgationẽ aut suppressionem alicuius sanguinolentæ vacuationis, aut vltimo, si constiterit corpus & ætatem atque humorum abundantiam non plurimùm dissidere à sanguinis natura, sanguis mittendus est, quantum sat sit vt vitiosus imminuatur, ac rursus, vt subsit purgationi & reliquis auxilijs locus. Quippe suspectum est incidentibus & aperientibus vti pharmacis, ni priùs aliqua vsus fueris vacuatione: & ob id leui facta purgatione, protinus porriges oxymel simplex aut compositum, cùm inueterascit affectio: item syrupum bizantinum, aut oxymel squilliticum cum syrupo boraginis, vel lupulorum: aut præstabis syrupũ de hyssopo, si præualuerit frigidus humor, de calamentho, aut de prassio, maximè adiecto decocto de radicibus capparum, scolopendrij, tamarisci, cicerum tuberum, lupulorum, marrubij, & scordij. Prosunt & pilulæ, quæ mirum in modum deobstruunt, & hac lege conficiuntur. *Excipe myrrhæ, asari, aristolochiæ vtriusque, seminis capparum, anà ʒ. 1. spicæ nardi, squinanti, anà ʒ. ß. apij, petroselini, agni casti, anà ʒ. 1. cum syrupo acetosę aut oxymelite fiant pilulę paruæ:* quibus si limaturæ chalybis modicum addideris, magnum præstabis auxilium. Quo facto, *tertio vel quarto quoque die his addes* quod vim habeat purgãdi, velut sunt ʒ. 2. *vel 3. foliorum senæ:* si per noctem maduerint in aliquo ex prædictis decoctis, & facta expressione, inque diu curabis fieri, aut, modicum agarici aliquando adijcies, vel succum seminis carthami cum syrupo acetoso diarrhodon. Quòd si hæc prodesse nõ videantur, splenis regionem vnges vnguento, q. ℞. *olei amygdalarum amararum ℥. 3. pinguedinis gallinæ & anatis ℥. 1. aceti ℥. 2. vini albi ℥. 1. trochiscorum de capparibus ʒ. 2. coquantur priùs oleum & pinguedo ad consumptionem aceti & vini, mox addantur trochisci, & omnia misceantur donec fiat medicamentũ molle:* quòd si ceratum efformare volueris, *adde ceræ & emplastri meliloti quod sit satis.* Inunges etiam partem oleo capparũ cum succo sambuci, vel tamarisci decocto eandem fouebis, quibus peruiæ fiant partes, & faciliùs medicamento abstergenti & incidenti atque attenuanti cedant. Quibus factis, ad vsum chalybis confugiendum est, ea lege quam nuper diximus: quippe hoc solum præsidium potens est splenis obstructiones radicitus vellere.

CAPVT V.

De omnibus icteri speciebus.

CONstat euidenter affectionem hanc, quã communi appellatione icterum appellant, à symptomate nomen sumpsisse, quia ex qualitate ad quam corpus mutatur, & ex coloris modo, id proculdubio venatur. Sic profectò, cùm varijs coloribus soleat cutis vniuersa citra eius proprium morbum insigniri & fœdari, ob id variæ quoque reperiuntur icteri sortes & species. Prima quidem & communissima est, in qua vniuersi corporis cutis, facies maximè, & adnatæ oculorum tunicæ, in flauum colorem mutantur: dicta quidem icterus, sumpta similitudine ab auicula Galbula nuncupata: vel, vt alijs volunt, à colore alterius auis quæ Regulus nuncupatur: vel paruę biberræ, cui etiam consimilis adest color. Alij quidẽ ab auri similitudine, auriginosum appellarunt affectum, & Celsus arcuatum, ab arcus cęlestis colore ducta ratione: vtcunque tamen sit, bilis colorem refert vniuersum corpus, qui flauus est seu luteus, talis factus ab eadem bile flaua distributa ad extimas partes, coloremque sui similem inferente. Secunda huius affectionis species (quam assignauerat Hippocrat. lib. 2. de morbis, dicens: *Color fit niger circa faciem, & maximè circa partes velut in vmbra occultatas, & oculi* A *cum virore pallidi, itemque lingua infernè, & venæ sub lingua crassæ ac nigræ, & est homo sine febre, ac mingit vrinã crassam biliosam)* proculdubio nomine caret: solus enim Paulus lib. 3. cap. 46. icterum nigrum appellauit quòd pari ratione ac in prima icteri specie, cutis vniuersa nigro colore afficiatur, quia sanguis ad prædictas partes delatus impurus est, & prauè expurgatus à melancholico recremento, vitio splenis non valentis suum munus explere. Quippe statutum est à plerisque Medicorum, præcipuum huius visceris institutum esse, sanguinem à melancholico recremento purgare: quod cùm exequi non valet, certissimum est corpus atro colore fœdari. Tertia verò icteri species in cute apparet, quando B color in ea mixtus ex flauo & nigro efflorescit, vt Galen. docuit 5. de local. affect. capit. vltimo. Quod sanè vitium accidere solet cùm simul iecur & lien male afficiuntur, aut ex retorrida bile malum oritur. Quartam autem & vltimam icteri speciem, primus omnium adduxit Hippocrat. lib. de internis affect. dicens: *Alius morbus regius fit quidem à pituita, hyeme autem maximè corripit, & color ipsius ægri est albus, & pectora ipsius pituita plena fiunt, & spuit salinam, & cùm excreat, singultus ipsi oboritur, & album lotium ac crassum mingit, & in vrina subsidet velut farina.* Denique sicut nigra bilis aut flaua per cutim delata, icterum sui coloris gignit, sic proculdubio pituita id nata est efficere: huius tamen C tractationis, cùm ad hydropem pertineat, non meminero hac in parte.

Est igitur ictericus affectus symptoma in genere qualitatis totius corporis mutatæ, nimirum coloris, prodiens quidem a vitio biliosi excrementi perperam in eam transmissi, ob facultatis etiam læsionem, quæ aut prauè separat prædictam bilem, aut non separat, vel conficit eius plus quàm par sit. Sed *Dubium.* antequam explicem quales sint morbi, quos prædicta symptomata sequuntur, dubitatione dignum iudicaui, quare in ictero bilis quæ effunditur ad cutim, neque febrem concitat, neque putredinem concipit, aut tremorem præter naturam, neque exesionem vel pustulas efficit, vt ea quæ in herpete, & e- D rysipelate, ac alijs cutis fœditatibus, siquidem videtur vtriusque eadem ratio, cùm idem sit humor, & eandem partem occupet. Nec valet respondere, hãc esse differentiam, quòd in his cutaneis vitij humor profunditur ad cutim vitiosus, in ictero verò naturalis: nam in febre ardente dum indicatoriè efficitur icterus, vitiosus, putridus, acris & mordax longè magis quam in reliquis prodit humor, & cum hoc solùm vitiatur. Cui dubitationi dicendum est primò, *Solutio.* quòd licèt verum sit eundem esse humorem, & eandem occupare partem, non tamen eiusdem partis in vtroque affectu eundem locum occupat, neque eodem modo: bilis quidem in ictero porosas cutis partes occupat & carnis subiectæ, eas nimirum, quas san- E guis, dum naturalis & naturaliter ad extimas sedes prodit, calore & colore viuido ac rubicundo afficit: quo fit, vt cùm in loco naturali & modo naturali bilis contineatur, affectum naturali similem natura & modo efficiat, diuersum tamen in colore, iuxta conditionem & naturam humoris qui cutem inundat: & ob id non putrescit. In herpete verò & reliquis non transmittitur bilis à vasis ad porosas partes modo & more naturali, sed ad eas & ad spatia etiam inter media facta diruptione, vt in alijs tumoribus prę- ter naturam contingit, quæ cùm loca nõ sint vbi naturaliter alimentum soleat contineri, & bilis alimentum præstare non possit, à naturali calore destituitur (quantumuis naturalis ad eam partem mittatur, nedum cùm acris & præter naturam est) & putrescit, ac exulcerat, & vitiat. Est etiam alia maioris momenti differentia, à prædicta dissentinata, quòd bilis

in omnibus cutaneis affectibus morbum creat, in icteto autem non morbum, sed solùm qualitatem mutat, citra vllum actionum vitium & ob id in illis vicem causæ morbi bilis gerit, in hoc verò solùm qualitatem mutat, & loco rubicundi & viuidi coloris, quem sanguis secundum naturam solet efficere, auriginosum concitat seu flauum: nam talis necessario efflorescit in cute color, qualis in eadem abundauerit humor. Qua etiam ratione prodit, quòd bilis morbum efficiens non mutet cutem ad flauum colorem, sed ad modum & naturam morbi quem concitat, atque hæc mihi videntur vera in huius dubij enodatione. Ad pensum igitur rediens, statuendum est, vniuersam huius mali naturam (vnde nomen sortitur) ortam esse, nimirum à symptomate in qualitate totius corporis ad auriginosum seu arcuatum colorē mutata: prodiens quidem à varijs diuersarum etiam partium affectibus, & ob diuersas ipsos concitantes.

Causa. Hoc habent symptomata omnia proprium & peculiare, vt inter præcipuas causas, morbos ipsos (à quibus immediatiùs oriuntur) sortiantur. Quas quidem & morbos etiā omnes, vt quisque exactè venari possit, expendat, ictericum affectum (vtcunque is sit) semper proficisci vno è duobus modis: nimirum vel natura agente, vel patiente eadem: vtroque autem modo fit vel toto corpore vel in aliqua eius particula. Quas profectò icteri causas & modos complexus est pulchrè Hippocrat. lib. 4. aphorism. 44. dicens: *Quibus in febribus. 7. vel 9. vel 11. vel 14. morbus regius superuenerit, bonum, nisi, dextrum hypochondrium indurueris, si vero non, non bonum.* Hinc enim disces icteri duo esse prima genera, quippe in altero continetur symptomaticus omnis, & in reliquo criticus. Symptomaticum dicimus eum, qui partis affectæ symptoma est vt qui efficitur iecoris phlegmone, aut scirrho, aut obstructione pori fellei, vel illius quo in intestina deijcitur, in quo bile in venas regurgitante, excrementa candida, totiusque color sanguinis luteus apparet. Criticum verò salutarem, naturæ vi & efficacia atque victoria factum, primum quidem nō salutarē, quantumuis criticus sit, vt mox audies. Sed, vt exactè quis intelligat omnes icteri species simul, & cuiusque speciei causas, expendat icterum in vniuersum triplicem esse: felleum nimirum, hepaticum, & criticum: qui sanè omnes in multo plures species subsecantur iuxta diuersitatem causæ. Felleus quidem fit vel ab immodica plenitudine vesiculæ fellis, vel paruitate eius, aut ab imbecillitate facultatis attractricis eiusdem, aut à meatuum obstructione, siue eorum sit per quos allicitur bilis, siue eorum per quos pellitur ad intestina, quo regurgitat ad venas bilis & prædictum gignit affectum. Hepaticus autem efficitur icterus ab hepatis obstructione, scirrho, inflammatione aut calida distemperie: ad quod etiā membrum reducitur venarum caliditas exurens & totius etiam corporis. Quippe euidentissimum est prædictis rationibus, & ob infirmitatem iecoris icterum fieri, nam multitudo bilis crassæ ob scirrhosum tumorem & infirmitatem iecoris expultricis tendens per venas, in eum affectum ferè semper commigrat: sic ab eiusdem partis inflammatione, & quia plus bilis generatur: & pari ratione obstructo hepate quominus itura bilis in vesicam conscendat: sed euidenti etiam euentu cùm iecur calidum efficitur, quo tempore plus iusto flauæ bilis generatur quàm vesicula fellis expurgare potest: quo fit vt venas irruens prædictum colorem pariat. Quem quoque affectum fieri conspicimus venoso genere malè affecto, nimirum corrupto aut exusto in venis & in vniuerso corpore sanguine, ob earum intemperamentum citra hepatis affectum, aut à veneno assumpto, vel eiaculato à fera, vel assumptus catharticis nō purgantibus, quæ, vt quibusdam placet, vel humorem purgandum alunt, vel

A deleteria inficiunt qualitate. Vltima autem icteri sors est, cum criticus efficitur, qui duplex existit: salutaris vnus, qui rursus fit dum copia bilis sano existente homine molestatur natura, aut in morborum iudicationibus, quæ septimo die aut post septimum diebus criticis incidit, antegressis coctionis signis, in quo excrementa tum alui, tum vrinæ pura sunt & mediocriter bile tincta, ex quibus partes interiores sanas iudicamus, præsertim si nulla durities in hypochondrio appareat. Alter verò est criticus non iudicans, à motu maligni morbi, quem etiam symptomaticum dicere possumus, qui semper ante 7. incidit, quia bilis crassior eo tempore perfectè cocta esse nequit, & ob id coniuncta habet tum cruditatis tum B malignitatis signa. Qui sanè criticus est & non iudicans, inter abscessus numeratur à Gal. 3. de diebus decret. & in historia Hermocratis: verùm tūc vt abscessus haberi debet, cùm tensa apparent hypochondria ob iecoris abscessum, qui sexto die succrescere solet, vt in historia prædicta & 4. acutorum, expresserat Hippocrat. Huic etiam generi reduci potest alia huius affectus causa, quam adducit Hippocr. lib. de locis, aqua, & aere: nimirum potus malarum aquarum, cibaria corrupta, & satietas cum vigilia & curis. In quibus plerumque corrumpitur habitus vno è duobus modis: aut ad calidum videlicet, & siccum, & fit ictericus affectus: aut ad frigidum & humidum, & fit malus corporis habitus: & nonnunC quam vtrumque simul contingit, & efficitur habitus mortui persimilis.

Ex crisi vel naturæ robore morbum regium fieri, *Signa.* facilè ex vehementia præcedentis febris tibi erit nosse, præsertim si mox à prauo colore febris ipsa cessauerit, & præcesserint in vrina coctionis signa, & grauis etiam nox ante prædictū coloris efflorescentiam: in quo excrementa tum alui, tum vrinæ pura sunt, & mediocriter bile tincta, & nulla adest in hypochondrio durities. Verùm si ex epoto prodeat veneno, color non erit in vniuerso corpore similis: quippe diuersis maculis inficitur, luteis præsertim, sed nigris etiam & cæruleis ac fuscis, maximè in dorso, haud secus quàm in pestilentibus & malignis febribus. Item si à D cibo prodeat, morsus in ventre sentitur, & aluus concitabitur, & ad vomendum nauseabit, & calor intra sex horas fiet auriginosus, maculis quibusdam insignitus: aderit quoque extremorum frigiditas, à qua, si iterum incalescat & color intensior fiat, euasurum laborantem prędices, sin aliter moriturum. Pręterea ex eduliorum corruptione icterum fieri cognosces, quia corpus cum tumore pallescit, maximè iuxta ventrem & crura, ac facies subtumida & flaua apparet. Fieri tamen ex totius corporis calore & bilioso intemperamento disces, quia lentè & paulatim color mutabitur, alui & vrinæ excrementa minimè à naturalibus dissident, corpus item vniuersum pruriginosum erit. Verùm si iecur calidum aut inflammatum causam E huic malo præstiterit, alui excrementa rufo intensoque colore signita excernentur, sitis aderit intensa, laborans adeò calidus apparebit, vt febricula laborare videatur, cibos fastidit, & biliosa nonnunquam euomit, maximè si inflammatio adsit, quam venaberis ex alijs signis quæ capite de eius inflammatione adduximus: feruorem enim parte dextra, aut tensionem, & nonnunquam grauitatem persentiet laborans, cum totius corporis extenuatione, & varia coloris in plumbeum, pallidum, & cæruleum mutatione. Quòd si vitio separationis biliosi excrementi icterus prodeat, idque sit quia non probè coquuntur iecori commissa alimenta, id nosces, quia color medius erit inter pallidum & cineritium, item facies subtumida apparebit, & plerumque ex aliquo præcedente morbo, vbi laborans improbè se gesserit, subsequitur, tandem crura intumescunt, & laborantes

palle-

pallescunt cum virore. Verum si expellentis vitio fiat, eò quòd errans natura in ventriculum, aut intestina pellat, tunc quidem cum torminibus succrescit, & vrina, ac alui excrementa non mutantur, aut forsan supprimuntur, & dolores ex flatu colicis persimiles accedunt: licet Hippoc. 5. aphor. vltimo, eos qui ictero tenentur, non valdè flatuosos fieri statuat, nam illud ratione bilis verissimum est: verùm cum hoc mouet ipsa crudos succos, aut forsan obstructio fit ab eisdem, & ob id maximè concitantur flatus. Cæterum si pellere ad consueta loca nequiuerit iecur præ impotentia, citra grauitatem, aut sensum aliquem, in ea parte morbus orietur: at si ob aliquam obstructionem ipsius iecoris, (ea parte, & eis vasculis, aut poris, per quos defertur bilis ad canales ipsam recipientes, ex eadem vesica fellis ortos, ac per iecoris substantiam extentos, quod accidere scimus, aut humoribus crassis ibidem impactis, aut præ duritie, scirrho, vel inflammatione compresso) scirrhum, & inflammationem nosces, ex proprijs signis nuper adductis: obstructionem verò, quòd grauitas quædam in eadem parte sentiatur, maximè dum vehementer respirat æger. Item nulla plerunque adest febris, vt placuit Galen. lib. 9. local. pharmac. cap. 1. quòd si absque febre deijciantur alicui excreméta subalbida, signum erit vesicam fellis laborare, maximè si vrina citrini coloris appareat: verùm cùm id vna è duabus causis prodire possit, vtra harum sit, coniectandum est. Namque aliquando ab imbecillitate trahentis eiusdem vesicæ certissimum est prodire, nonnunquam verò ab obstructione. Trahentis imbecillitas dignoscetur, quòd citra dextri hypochondrij grauitatem, & excrementa alui alba excernantur, & vrina qualem diximus excerni, maximè cum defectus tractionis ab intemperamento proficiscitur: nam dum prodit à plenitudine nimia ipsius vesicæ, quæ amplius capere nequit, vel id erit naturale (quod vesica minor sit quàm par sit) & semper flauo colore insignietur laborans: vel est ab exuperantia bilis, & tunc subitò mutatur color cum grauitate ipsius dextri hypochondrij, cæterum præcesserunt quæ biliosi humoris prouentum ad augere potuerunt, quod in obstructionibus eiusdem partis opus non est.

Præsagiũ Qui exactè futurum euentum in ictericis affectibus prædicere voluerit, primò differentias causarum à quibus prodeunt rimari debet, & mox modum, ac rationem agendi vniuscuiusque causæ. Colligitur enim ex his, quæ hucusque dicta sunt, triplicem esse icterum: vnum quidem hepaticum, vel ex vitio venarum, aut totius corporis ortum, omnino symptomaticum, iecore grauiter affecto à scirrho, inflammatione, aut obstructione, vel epoto, aut eiaculato veneno, non solùm iecur infirmante, sed & vniuersi corporis humores: secundum felleum, ab eius visceris obstructionibus ortum: alterum verò criticum, sed imperfectum, aut prauum ante septimum factum: quos omnes ad genus symptomatis anteà reduximus. Secundi verò generis est criticus, & perfectus, qui ante septimum fieri raro potest. His suppositis videndum est, quid ex vnoquoque præsagire liceat. Sic profectò icterus ab inflammatione lethalis, nisi intra primum circuitum hæmorrhagia, aut post vigesimum suppuratione hebetetur æger, ante septimum interficit, nisi hæmorrhagia, aut alui fluxus, aut vrinæ succedens, naturam victam exoneret, quod Heraclidi 1. popul. contigisse refert Hippocra. A scirrho, & impensa duritie prodiens grauis est, quòd plerunque in hydropem cómigret: ab intemperie non item: ab obstructione securior. At si ab epoto, vel eiaculato veneno prodeat, tantò periculosior est, quantò deterioris, & intensioris coloris fuerit: quippe arguit magnam sanguinis in genere venoso corruptionem. Sic enim Hippocr. lib. de Coacis primo scripserat: Regio morbo admodú **A** fœdari moriuntur, si his alba deiectio plurimùm procedit. Succrescit quidem prædictis alba deiectio, quæ alijs periculosa non est: vel quia bilis igneo calore feruens in cerebrum rapitur: vel quia conuexa hepatis pars ardens (veneni, purgantis medicamenti, aut grandis intemperiei accessu) & inflammata sanguinem vna cum bile ad se trahit, instar cucurbitæ: vel quia simul cum prædictis causis meatus etiã per quos bilis defertur ad intestina, obstructi sunt à multo, copioso, vel fetido humore. Qui ergo ita affecti sunt, moriuntur propter causæ magnitudinem, & corruptionem humorum, & temperamenti totius corporis, atque etiam nobilium viscerum affectum, & sympathiam: Si tamen ex praua eduliorum natura malum oriatur, non est ita lethale, degenerat tamen in **B** malum corporis habitum, aut in cutis fœditatem, vel elephantiasim. Imbecillitas quidem, vel secernentis, aut trahentis facultatis, potiùs in alios sanguinis affectus, quàm in lethalem morbum decidere assuescit, nisi diu duret: nam tunc & malum habitum, & cutis, & carnis non leues affectus gignit. Verùm dum crisi, & iudicio, atque actione naturæ fit, non leue est dubium quid liceat prædicere: ambigunt enim neoterici, & dubitarunt etiam antiqui quid sentiendum sit. Nam Hippoc. 4. aphor. 62. solùm eam bonam arbitratus est iudicationem morbo regio factam, quæ ante septimum non fit: & eodem lib. 64. explicans quibus diebus futura sit vtilis, inquit: *Quibus in febribus 7. vel 9. vel 11. vel 14. morbus regius supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit: si* **C** *verò induruerit, non bonum*: itaque videtur damnare omne iudicium per morbum regium factum ante septimum, probareque eum quod post ipsum fit, dummodo non accedat hepatis durities. Sunt etiam qui mille experimentis nitantur probare, ante 7. visas esse ictericas excretiones laudabiles, quemadmodum aliæ sunt biliosorum morborum iudicationes salubres ante ipsum septimum. Verùm qui rem diligentiùs scrutatus fuerit, reperiet Hippocra. non omnino negare, posse aliquando bonam aliquam crisim fieri ante 7. ratio profectò in promptu est, quia bilis quæ adeò crassa est, quòd nec per sudorem, aut vrinã possit purgari, & adeò in abditis corporis sedibus sita, **D** quòd per aluum minimè, si natura cogatur eam expellere per cutim, nequit hæc sua sponte adeò breuiter concoqui, quòd ante 7. coquatur, vt iudicium sit salubre, & fidum: quippe non omnem bilem mittit natura per morbum regium, sed eam quam conterere, ac in sudorem, vel vrinam mutare præ crassitie nó valuit: & ob id ea bilis, quæ huius naturæ est, ante septimum salubriter non expurgatur: licet quæ tenuior sit 3. 4. & 5. per sudorem, & vrinam, aut alui fluxum feliciter excernatur, ac fidum, & salubre constituat iudicium: & hac ratione censeo Hippoc. constituisse septimum huius iudicij terminum. Cui rationi accedit alia maioris momenti, nimirum non solùm esse huius euentus causam crassitiem humoris (siqui- **E** dem 14. die iudicantur plures morbi biliosi, qui antea non potuerunt iudicari, quòd bilis crassior esset, tamen iudicium ea die non fit per morbum regium) sed certum quendam incoctibilitatis modum, quem cùm natura non valuisset ante septimum superare (licet aliquo modo disposuerit, quantum sat sit vt crisis per morbum regium fiat tuta) & vi, atque efficacia, & malitia humoris irritetur plurimum, septimo pellit. Qualis verò sit ille modus incoctibilitatis disces, si expenderis in hoc iudicio per morbum regium facto, quantumuis certum sit humorem esse vitiatum, esse tamen à natura correctum, si iudicium futurum est tutum: cum hoc tamen humorem biliosum excerni sub propria forma, quod nulli alteri vacuationi contingit, licet biliosa prodeant excrementa, non tamen referunt puræ bilis naturam, vt in morbo regio:

euidens profectò argumentum prædictæ incoctibilitatis, quam ad crassitiem cum praua conditione coniunctam, pertinere arbitramur: haud secus quàm cótingit in morbis qui terminantur per abscessum, qui licet diu durent, non tamen humores integrè coquútur, etiamsi recipiant coctionem quæ euacuationi illi sat est: coquuntur enim humores pro ratione futuræ euacuationis. Et sic in morbo regio per crisim facto, certo quodammodo coquitur bilis, cæterum non superatur, manet enim sub propria forma, & ob id proprium in cute repræsentat colorem: haud secus quàm in alijs icteri speciebus, vbi bilis nullam recipit alterationem, nec mutationem. Argumentum huius veritatis est, icterum criticum inter abscessus numerari à Galen, lib. 1. de crisib. & in Historia Hermocratis, quòd à crasso fiat humore, sicut abscessus: quem sanè humorem ante 7. coqui ea coctionis sorte, quæ euacuationi sufficiat, & naturam non mutet, est impossibile. Indicium etiam est huius veritatis, quod Hippocrat. scripserat lib. 1. popul. parte 2. tex. 22. dicens: *Fuerunt quibus morbi regij 6. die, sed hos, aut per vrinam purgatio, aut aluus turbata iuuabat, aut magnum profluuium sanguinis, vt Heraclides qui iuxta Aristoclidem decumbebat: atque huic & ex naribus fluxit sanguis, & venter turbatus est, & per vesicam est purgatus, iudicatus autem est 6. die, non vt Phanagoreus seruus, cui nihil horum euenit, & mortuus est.* Quæ quidem sententia euidenter probat rationem à nobis adductam, etiamsi lib. de iudicationibus contrarium adduxerit dicens: *In febribus ardentibus si accedat morbus regius, & singultus 5. die lethalis est*: nam intelligere oportet vt in præcedenti textu, nisi superueniat alia vacuatio insignis. Itaque septimus est terminus genuinus, naturalis, & proprius huius iudicij, non accedente alia vacuatione, si verò accedat quinto, & sexto, vltra ipsum verò nono 11. & 14. nisi accedat durities, quæ non semper habenda est perniciosa, sed non bona: quia aliud est duritiem cum morbo regio succrescere, quod est ita periculosum, & malum, ac intellexit sententia 64. libri quarti: & aliud profectò post ipsum, quod grauius, & periculosius est, vt dixerat idē Hippoc. 6. aphorism. 42. Præterea singultus in omni ictero perniciosus, si ab hepatis vitio prodierit, non tamen ita si à ventriculo bilem suscipiente. Item si fatuitas accesserit, aut aphonia, signum profectò summæ impotentiæ, aut crassiorum, & frigidorum succorum intus manentium sine bile quæ quodammodo corrigat. Præterea vrinæ tinctæ suppressio, aut excretio morbo impar, hydropem minatur, bile eunte in hepar, quæ pelli non potest, nam præstat vrinas in aurigine fellea valdè tinctas esse, & crassas, quàm puras, & pari ratione in ictero à scirrho, & inflammatione iecoris. Quæcunque igitur signa in ictericis facultatē iecoris expultricem infirmam, aut multitudinem bilis crassæ suppressam, aut confirmatam iam intemperiem hecticam monstrauerint, hydropē denunciant, nisi æger morte præueniatur.

Curandi ratio. Cùm morbus regius verè symptoma sit, & eorum maximè quæ in qualitate mutata sita existunt, fit profectò vt vno è duobus modis succrescat: aut dependens à suo morbo, vt mos est omnibus symptomatis: aut absente morbo, cùm in cute vniuersa huiusmodi color appareat, quod peculiare solet esse vitium mutatæ qualitatis, vt in morbo regio per crisim genito conspicimus: qui iam non à morbo, sed à morbi causa ex genere venoso pulsa à natura in cutim vniuersi corporis, ipsum auriginoso colore vitians, morbo, seu febre iam euanescente prodit. Quapropter duplex erit curandi institutio: vna quæ ictero, absente iam morbo debetur: altera verò quæ illi propria, & peculiaris existit, qui morbum à quo prodit, adhuc vigentem habet. Tamen id primò expendes, quòd licet variæ sunt numeratæ causæ, quæ hunc affectum excitare natæ sunt, hic tamen solùm est in animo eas recensere, quæ nullibi tractantur. Ob id profectò dum ab inflammatione iecoris, aut scirrho prodit, ad propria capita recurrendum est: nam solùm hic in animo est recensere icterum ex imperfecta crisi: ex veneno, ex intemperamento calido, vel ex obstructione iecoris, aut viarum pori fellei.

Dum verò in acuto feruidoque & febrili morbo (quippe in his solùm iudicatoriè solet apparere, vt statuit Hippoc. lib. 3. de Coacis dicens: *Spumosa deiectio, & valdè biliosa, praua, atque inde in auriginem incidunt, quasi in his febribus, vbi talis reperitur, solitum adsit*) morbus regius succrescit, duplex erit, curandi ratio: altera dum ictero apparente ex toto cessat febris: altera verò dum symptomaticè prorumpit: & eo tempore instituenda est curatio vniuersa, iuxta eū morbum à quo prodit: verùm dum ex toto morbus solutus est, manente adhuc prauo colore, quinimo mutato morbo in auriginosum affectum, nullo alio auxilio vtendum, quàm eo quod leuiter discutiat quæ sub cute adsunt excrementa, vt latiùs inferiùs monstraturus sum.

Si ex imperfecta crisi fiat. At si ex imperfecta crisi deprauatus hic color superstit, coniectandum est tunc, an ex vitio obstructi, vel inflammati iecoris prodeat (quod proprijs signis venaberis) quo tempore consimilis erit curandi ratio ei, quam adduximus capite de iecore inflammato, aut indurato, & ei etiam quam paulo inferiùs scribā de obstructione iecoris, quæ migrat in icterum. Verùm si id non accidat, nisi quia cruda materia, & veluti incoctibilis facta, non valuit naturæ beneficium suscipere quantum sat erat, tunc profectò, quod inchoauit facere natura, si res optimè cessura est, insequeris. Quippe vel per vrinam, vel per aluum, residuū humoris pelles, vt de mente Hippocrat. paulò ante retulimus: quo fit vt mox ab apparente flauo colore, præmissis quæ modicè vias reserent, & crassitiem attenuent, expurganti etiam vteris medicamento. Sic enim serapio ex duabus radicibus cum aceto, vel acetoso simplici, aut cichorij exhibito cum aqua lupulorum, cichorij, & graminis, humorem purgabis infuso rhabarbari in aqua lactis cum syrupo ex infusionibus rosarum: nam in eo ictero cuius immediata causa est flauæ bilis redundantia, specialiùs bilem expurgare oportet, non sic vbi obstructio causam præstat, tunc enim parum, aut nihil iuuat bilem purgare, sed eum tantùm humorem qui obstructionem molitur, nisi ex crassa, & sincera bile obstructio etiam suboriatur. Præterea facta hac purgatione, iterum ad serapij exhibitionem te conferes, & in aquis quibus diluitur, *tertio quoque die ʒ. ß. aut ʒ. 2. rhabarbari infundes*, idque porriges. Curabis etiam antequam vrinam mouere incipias, sanguinem parum minuere, saltem ex dextra saluatella, si nec plenitudo quid amplius postulauerit, nec vires videantur permittere. Quòd si in vrina aliquod apparuerit ipsius bilis redundantis vestigium, transactis aliquot diebus, quibus vsus fueris minutis illis purgationibus, ad ea quæ vrinas mouent te conferes: id tamen blandè facies, ne iterum intensior fiat febris, initium tamen sumes ab emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum, cum aqua cardui, graminis, & radicum diureticarum: item aliquando vteris oxymelite composito, vel syrupo acetoso diarrhodon, vel de eupatorio cum prædictis aquis: prodest & aqua lapati acuti, vel decoctum radicis eius, quod vtilius fore arbitror.

Si ex veneno, vel purganti pharmaco prodeat. Considerabis primò an ex virulentia eiaculata à venenosa fera morbus regius oriatur, quippe eo tempore omni diligentia curandum est ad extima venenum reuocare, frictionibus, cucurbitis, & inunctionibus ex oleo Matthioli, vel aqua ex instillatione theriacæ: quo facto, *theriacam* ipsam porriges, & *mithridatium singulis diebus pondere ʒ. 2. cum aqua scordij*.

&

& ſyrupo ex ſucco limonum: item lapidem bezoar, aut cornu monocerotis, & aliæ quæ aduerſus vnumquodque venenum ſignatim ſcripta apud authores reperies. Verùm ſi ab aſſumpto veneno malum oriatur, tunc quidem videndum eſt quò ſe vertat natura: quippe ſi in ventriculum irruat, vomitibus venenum purgare oportet; ſin aliter, per ventrem medicamento purgabis, blandè tamen: ſat enim eſt caſſiam, mánam, aut ſyrupum ex infuſionibus violarum cum aqua ſcordij, vel ſcorcioneræ porrigere: proſunt enim hæc medicamenta non ſolùm purgando, ſed & veneni vim retundendo. Quo facto ſyrupum porriges de ſucco limonum, & portulacæ, de acetoſitate citri, & bugloſſæ, acetoſum ſimplicem, & oxyſaccharum cũ aquis calendulæ, dictamni, acetoſæ, pentaphylli, meliſſæ, cardui benedicti, & ſimilium: tandem eo alexipharmaci genere, quod è directo veneno reſpondeat ſingulis diebus vteris. Quòd ſi ab exurente validiorique pharmaco, quod non probè ſuum munus expleuerit, ſed vniuerſum ſanguinem calfecerit, aut præ cõmotione maioris copiæ obſtructionem effecerit, iuxta illatum damnum ſubuenire oportebit: ſic profectò dum præ calore ſanguinis, aut iecoris, vi medicamenti præſtito icterus oritur, adhibito omnium temperantium genere malum corrigere oportebit: ſi verò ab obſtructione, ijs quæ obſtructionibus opitulantur: hoc tamen habet hæc peculiaris cauſa, quòd ante quoduis auxilium prærequirit abluens, & attemperans aliud, quo vis medicamenti retundatur, frænetúrque, & ablutione abſtergatur ſeparetúrque à viſceribus: ob id ſequenti die ab expurgatione exhibere oportet potum aquæ calidæ, aut eadem die ante prandium, vel lac ſeminum frigidorum maiorum, hordei decoctum cum ſaccharo, decoctum radicis fœniculi, cichorij, & agrimoniæ, ac lupulorum cum ſyrupo duarum radicum cum aceto, & alijs quæ conſimilem vim ſortiantur.

Si ex intẽperie totius corporis calida fiat.

Dum morbus hic regius ex totius corporis intemperie calida, & quæ bilioſum reddit ſibi commiſſum alimentum prodit, præter victus inſtitutionem, quæ frigidorum ſit, & humidorum: velut eſt pullorum caro elixa cucurbitis, lactucis, ſcariolis, & borragine: far, aut ptiſana, vel panis lotus ex lacte amygdalarum dulcium decoctus: cœna ſit ex oleribus decoctis cum eodem lacte, & ouis ſorbilibus. Præterea potus ſit ex aqua hordei cum ſaccharo, aut ſi vires poſtulauerint ex dilutiſſimo vino albo, & tenui, vel rubro ſi corpus robuſtum fuerit, & vino aſſuetum. Inſtitues curandi rationem à leui ſanguinis detractione, & exhibitis apozematis quæ refrigerent ex ſyrupo cichorij, bugloſſæ, portulacæ, papaueris, & borraginis, cum aquis hordei, cucurbitæ, cichorij, acetoſæ, & bugloſſæ, aut ſero lactis, corpus vniuerſum leuiter purgabis manna, caſſia, confectione Hamech ſimplici, dilutis in infuſo rhabarbari iuxta cuiuſque indiuidui naturam, & ætatem. Quo facto, magni eſt momenti *tertio quoque die porrigere dilutum ℥. ß. rhabarbari in aqua portulacæ, aut in ſero lactis:* ac tranſactis aliquibus diebus, balneis aquæ dulcis laborantem committere oportebit, quibus non ſolùm quod in carne eſt bilioſum, diſcutitur, & euaneſcit, verùm & caro ipſa temperatior redditur, quo minus bilem ampliùs generet. Cui vſui habitationem eliges temperatam, & domicilium, ac aerem irrorabis frigidis, & humidis aſperginibus, quietemque laboranti, & animi tranquillitatem imperabis.

Si à calido, & intemperato iecore fiat.

Quòd ſi morbus hic ex iecore ad calorem intemperato prodeat, quod noſces ex ſiti ingenti, & linguæ aſperitate, ex vrina impensè rufa, aut intenſioris coloris, ex alui excrementis croceo colore perfuſis cũ ventris ſiccitate, ex calore manuum, ac pedum, ex corporis tenuitate cum febricula leui, nullo ſenſu in dextro hypochondrio, nec tumore: tunc quidem coniectan- A dum eſt, non quemuis calorem ſemper bilem vberiorem generare, ſed eum qui copioſior ſit cum modico ſiccitatis exceſſu: nam ſi vltra pergat ſiccitas, bilem atram potiùs quàm flauam generabit. Quapropter modicè humectare opus erit, & aliquantulum intenſiùs refrigerare: vtrumque tamen opus exequi oportebit his, quæ vim habeant reſerandi, & modicè aperiendi: nam coniectabile eſt, in arctis, & minutiſſimis iecoris vijs manere generatæ bilis aliquid, quod deinceps obſtructionis, aut inflammationis ſit principium, & ob id conſuluit pulchrè Auicen. fugiendum eſſe ab his quæ adſtringendo refrigerant, ſed innitendum eſſe ijs quæ reſerando, & repurgando id munus exequantur, vt non ſolùm intemperamentum retun- B datur frænetúrque, verùm ſi quid collectum eſt, repurgetur, & ea etiam ratione attemperetur iecur ampliùs. In primis vt citius refrigeretur, ſanguinem mittes ex dextra baſilica, ſi ſuſpicio ſit plenitudinis, ſin aliter ex ſaluatella eiuſdem lateris: quo facto vteris diluto rhabarbari in aqua lactis extracto tertio quoque die, & altero intermedio emulſionem ſeminum frigidorum maiorum cum ſaccharo porriges, idque facies perſeueranter vno menſe. Ac ſi conſtiterit non omnino prodeſſe, & colorem ad fuſcum quodammodo mutari, conijcies bilem non ſolùm fieri copioſiorem, ſed aduſtam etiam: quapropter dilutum rhabarbari, & foliorum ſenæ in decocto cichorij, & portulacæ, ac hordei, cum modico ſyrupo acetoſo porri- C ges: idem quoque facies in liquore nouem infuſionũ è roſis Hiſpanis, & ſero lactis, cum modico ſyrupo papaueris. Interim tamen, dum hæc exequeris, ad externa auxilia te conferes, inſtituens balnea aquæ dulcis vſque ad medietatem corporis tertio quoque die: ac partem etiam, & iecoris regionem inunges vnguento roſatum, ſantalino, vel refrigerante cum modico roſaceo, aut vnguento ex cucurbita, vel oleo roſaceo ſæpius loto aqua portulacæ, vel hordei, facto cum cera alba linimento. Inunges quoque dorſum reſumptiuo vnguento cum modico roſaceo, maximè æſtiuis temporibus: & facto interuallo quaſi vnius menſis, iterũ ad purgationem per epicraſim redeundum erit, qua bilioſa recrementa, quibus iecur intenſiùs incaleſcit, D repurgentur. In quo caſu mirum in modum prodeſt ius pulli pleni radicibus, herbis, floribus, & ſeminibus frigidis: proſunt & balnea aquæ dulcis. Si velis plura ex topicis adhibere auxilia, lege tom. 2. cap. de iecur refrigerantibus.

Si ab obſtructione iecoris aut pororum fellis fiat.

Mirum non videri debet, vtramque obſtructioné (eam nimirum quæ in iecore viget impediens tranſitum bilis ad fellis veſicam, & eam quæ vijs obſtructis à veſica in inteſtina fit) ſimul vna curatione voluiſſe auferre, cùm certiſſimum ſit eiſdem ferè auxilijs iuuari, nec non & eam quæ ex copioſa bile in iecore coaceruata ob defectum diſtributionis, aut ob impenſum calorem eam euocantem, atque ebullientem, & incraſſantem. Quapropter primò videndum

Sãguinis miſſio.

E eſt ſi alui excrementa alba appareant, ſi vrina nimis craſſa, & intenſa, an ſanguinem mittere aliqua ratione opus ſit: nam videtur ex vſu non fore, ſiquidem bilioſi ſolùm ſucci præeſt abundantia, eaque à ſanguinis conſortio ſeparata, & ad carneas corporis partes tranſmiſſa: item nec ratione morbi ſanguinem licebit fundere, nam obſtructio eſt, à crudorum ſuccorum copia forſan facta: quibus rationibus adſtipulatur Galen. lib. de purgantium vi, dicens: *Si morbo regio laborantibus ſanguinem miſeris, extremam in perniciem ages.* Quibus non obſtantibus, multis rationibus, & modis ſanguis in hac affectione vtiliter mitti poteſt: primo quidem malo incipiente, retractionis humorum qui obſtructionem moliuntur, gratia: ob id Paulus ſtatuit conſilium eſſe, venam in dextro cubito ſecare, vbi meatus veſicæ bilis vterique ſunt obſti pati, vel alter duntaxat: item ſi ſimul ſanguis abun-

euidens profectò argumentum prædictæ incoctibilitatis, quam ad crassitiem cum praua conditione coniunctam, pertinere arbitramur: haud secus quàm contingit in morbis qui terminantur per abscessum, qui licet diu durent, non tamen humores integrè coquuntur, etiamsi recipiant coctionem quæ euacuationi illi sat est: coquuntur enim humores pro ratione futuræ euacuationis. Et sic in morbo regio per crisim facto, certo quodammodo coquitur bilis, cæterum non superatur, manet enim sub propria forma, & ob id proprium in cute repræsentat colorem: haud secus quàm in alijs icteri speciebus, vbi bilis nullam recipit alterationem, nec mutationem. Argumentum huius veritatis est, icterum criticum inter abscessus numerari à Galen. lib. 1. de crisib. & in Historia Hermocratis, B quòd à crasso fiat humore, sicut abscessus: quem sanè humorem ante 7. coqui ea coctionis sorte, quæ euacuationi sufficiat, & naturam non mutet, est impossibile. Indicium etiam est huius veritatis, quod Hippocrat. scripserat lib. 1. popul. parte 2. tex. 22. dicens: *Fuerunt quibus morbi regij 6. die, sed hos, aut per vrinam purgatio, aut aluus turbata iuuabat, aut magnum profluuium sanguinis, vt Heraclides qui iuxta Aristoclidem decumbebat: atque huic & ex naribus fluxit sanguis, & venter turbatus est, & per vesicam est purgatus, iudicatus autem est 6. die, non vt Phanagoreus seruus, cui nihil horum euenit, & mortuus est.* Qua quidem sententia euidenter probat rationem à nobis adductam, etiamsi lib. de iudicationibus contrarium adduxerit C dicens: *In febribus ardentibus si accedat morbus regius, & singultus 5. die lethalis est*: nam intelligere oportet vt in præcedenti textu, nisi superueniat alia vacuatio insignis. Itaque septimus est terminus genuinus, naturalis, & proprius huius iudicij, non accedente alia vacuatione, si verò accedat quinto, & sexto, vltra ipsum verò nono 11. & 14. nisi accedat durities, quæ non semper habenda est perniciosa, sed non bona: quia aliud est duritiem cum morbo regio succrescere, quod est ita periculosum, & malum, ac intellexit sententia 64. libri quarti: & aliud profectò post ipsum, quod grauius, & periculosius est, vt dixerat idē Hippoc. 6. aphorism. 42. Præterea singultus in omni ictero perniciosus, si ab hepatis vitio prodierit, non tamen ita si à ventriculo bilem suscepante. Item si fatuitas accesserit, aut aphonia, signum profectò summæ impotentiæ, aut crassorum, & frigidorum succorum intus manentium sine bile quæ quodammodo corrigat. Præterea vrinæ tinctæ suppressio, aut excretio morbo impar, hydropem minatur, bile eunte in hepar, quæ pelli non potest, nam præstat vrinas in aurigine fellea valdè tinctas esse, & crassas, quàm puras, & pari ratione in ictero à scirrho, & inflammatione iecoris. Quæcunque igitur signa in ictericis facultatē iecoris expultricem infirmam, aut multitudinem bilis crassæ suppressam, aut confirmatam iam intemperiem hecticam monstrauerint, hydropē denunciant, nisi æger morte præueniatur.

Curandi ratio.

Cùm morbus regius verè symptoma sit, & eorum maximè quæ in qualitate mutata sita existunt, fit profectò vt vno è duobus modis succrescat: aut dependens à suo morbo, vt mos est omnibus symptomatis: aut absente morbo, cùm in cute vniuersa huiusmodi color appareat, quod peculiare solet esse vitium mutatæ qualitatis, vt in morbo regio per crisim genito conspicimus: qui iam non à morbo, sed à morbi causa ex genere venoso pulsa à natura in cutim vniuersi corporis, ipsum auriginoso colore vitians, morbo, seu febre iam euanescente prodit. Quapropter duplex erit curandi institutio: vna quæ ictero, absente iam morbo debetur: altera verò quæ illi propria, & peculiaris existit, qui morbum à quo prodit, adhuc vigentem habet. Tamen id primò expendes, quòd licet variæ sint numeratæ causæ, quæ hunc affectum excitare na A tæ sunt, hic tamen solùm est in animo eas recensere, quæ nullibi tractantur. Ob id profectò dum ab inflammatione iecoris, aut scirrho prodit, ad propria capita recurrendum est: nam solùm hic in animo est recensere icterum ex imperfecta crisi: ex veneno, ex intemperamento calido, vel ex obstructione iecoris, aut viarum pori fellei.

Dum verò in acuto feruidoque & febrili morbo (quippe in his solùm iudicatoriè solet apparere, vt statuit Hippoc. lib. 3. de Coacis dicens: *Spumosa deiectio, & valdè biliosa, praua, atque inde in auriginem incidunt, quasi in his febribus, vbi talis reperitur, solùm adsit*) morbus regius succrescit, duplex erit, curandi ratio: altera dum ictero apparente ex toto cessat fe- B bris: altera verò dum symptomaticè prorumpit: & eo tempore instituenda est curatio vniuersa, iuxta eū morbum à quo prodit: verùm dum ex toto morbus solutus est, manente adhuc prauo colore, quinimo mutato morbo in auriginosum affectum, nullo alio auxilio vtendum, quàm eo quod leuiter discutiat quæ sub cute adsunt excrementa, vt latiùs inferiùs monstraturus sum.

Si ex imperfecta crisi fiat.

At si ex imperfecta crisi deprauatus hic color superfsit, coniectandum est tunc, an ex vitio obstructi, vel inflammati iecoris prodeat (quod proprijs signis venaberis) quo tempore consimilis erit curandi ratio ei, quam adduximus capite de iecore inflammato, aut indurato, & ei etiam quam paulo inferiùs scribā C de obstructione iecoris, quæ migrat in icterum. Verùm si id non accidat, nisi quia cruda materia, & veluti incoctibilis facta, non valuit naturæ beneficium suscipere quantum sat erat, tunc profectò, quod inchoauit facere natura, si res optimè cessura est, insequeris. Quippe vel per vrinam, vel per aluum, residuū humoris pellit, vt de mente Hippocrat. paulò ante retulimus: quo fit vt mox ab apparente flauo colore, præmissis quæ modicè vias reserent, & crassitiem attenuent, expurgatur etiam vteris medicamento. Sic enim serapio ex duabus radicibus cum aceto, vel acetoso simplici, aut cichorij exhibito cum aqua lupulorum, cichorij, & graminis, humorem purgabis infuso rhabarbari in aqua lactis cum syrupo ex infusioni- D bus rosarum: nam in eo ictero cuius immediata causa est flauæ bilis redundantia, specialiùs bilem expurgare oportet, non sic vbi obstructio causam præstat, tunc enim parum, aut nihil iuuat bilem purgare, sed eum tantùm humorem qui obstructionem molitur, nisi ex crassa, & sincera bile obstructio etiam suboriatur. Præterea facta hac purgatione, iterum ad serapij exhibitionem te conferes, & in aquis quibus diluitur, *tertio quoque die ℥. ß. aut ℈. 2. rhabarbari infundes*, idque porriges. Curabis etiam antequam vrinam mouere incipias, sanguinem parum minuere, saltem ex dextra saluatella, si nec plenitudo quid amplius postulauerit, nec vires videantur permittere. Quòd si in vrina aliquod apparuerit ipsius bilis redundantis ve- E stigium, transactis aliquot diebus, quibus vsus fueris minutis illis purgationibus, ad ea quæ vrinas mouent te conferes: id tamen blandè facies, ne iterum intensior fiat febris, initium tamen sumes ab emulsione quatuor seminum frigidorum maiorum, cum aqua cardui, graminis, & radicum diureticarum: item aliquando vteris oxymelite composito, vel syrupo acetolo diarrhodon, vel de eupatorio cum prædictis aquis: prodest & aqua lapati acuti, vel decoctum radicis eius, quod vtilius fore arbitror.

Si ex veneno, vel purganti pharmaco prodeat.

Considerabis primò an ex virulentia eiaculata à venenosa fera morbus regius oriatur, quippe eo tempore omni diligentia curandum est ad extima venenum reuocare, frictionibus, cucurbitis, & inunctionibus ex oleo Matthioli, vel aqua ex instillatione theriacæ: quo facto, *theriacam ipsam porriges, & mithridatium singulis diebus pondere ℈. 2. cum aqua scordij.*

&

& syrupo ex succo limonum: item lapidem bezoar, aut cornu monocerotis, & aliæ quæ aduersus vnumquodque venenum signatim scripta apud authores reperies. Verùm si ab assumpto veneno malum oriatur, tunc quidem videndum est quò se vertat natura: quippe si in ventriculum irruat, vomitibus venenum purgare oportet; sin aliter, per ventrem medicamento purgabis, blandè tamen: sat enim est cassiam, mánnam, aut syrupum ex infusionibus violarum cum aqua scordij, vel scorcioneræ porrigere: prosunt enim hæc medicamenta non solùm purgando, sed & veneni vim retundendo. Quo facto syrupum porriges de succo limonum, & portulacæ, de acetositate citri, & buglossæ, acetosum simplicem, & oxysaccharum cū aquis calendulæ, dictamni, acetosæ, pentaphylli, melissæ, cardui benedicti, & similium: tandem eo alexipharmaci genere, quod è directo veneno respondeat singulis diebus vteris. Quòd si ab exurente validiorique pharmaco, quod non probè suum munus expleuerit, sed vniuersum sanguinem calfecerit, aut præ cōmotione maioris copiæ obstructionem effecerit, iuxta illatum damnum subuenire oportebit: sic profectò dum præ calore sanguinis, aut iecoris, vi medicamenti præstito icterus oritur, adhibito omnium temperantium genere malum corrigere oportebit: si verò ab obstructione, ijs quæ obstructionibus opitulantur: hoc tamen habet hæc peculiaris causa, quòd ante quoduis auxilium prærequirit abluens, & attemperatis aliud, quo vis medicamenti retundatur, frænetúrque, & ablutione abstergatur separeturque à visceribus: ob id sequenti die ab expurgatione exhibere oportet potum aquæ calidæ, aut eadem die ante prandium, vel lac seminum frigidorum maiorum, hordei decoctum cum saccharo, decoctum radicis fœniculi, cichorij, & agrimoniæ, ac lupulorum cum syrupo duarum radicum cum aceto, & alijs quæ consimilem vim sortiantur.

Si ex intemperie totius corporis calida fiat.

Dum morbus hic regius ex totius corporis intemperie calida, & quæ biliosum reddit sibi commissum alimentum prodit, præter victus institutionem, quæ frigidorum sit, & humidorum: velut est pullorum caro elisa cucurbitis, lactucis, scariolis, & borragine: far, aut ptisana, vel panis lotus ex lacte amygdalarum dulcium decoctus: cœna sit ex oleribus decoctis cum eodem lacte, & ouis sorbilibus. Præterea potus sit ex aqua hordei cum saccharo, aut si vires postulauerint ex dilutissimo vino albo, & tenui, vel rubro si corpus robustum fuerit, & vino assuetum. Institues curandi rationem à leui sanguinis detractione, & exhibitis apozematis quæ refrigerent ex syrupo cichorij, buglossæ, portulacæ, papaueris, & borraginis, cum aquis hordei, cucurbitæ, cichorij, acetosæ, & buglossæ, aut sero lactis, corpus vniuersum leuiter purgabis manna, cassia, confectione Hamech simplici, dilutis in infuso rhabarbari iuxta cuiusque indiuidui naturam, & ætatem. Quo facto, magni est momenti *tertio quoque die porrigere dilutum ʒ. ß. rhabarbari in aqua portulacæ, aut in sero lactis*: ac transactis aliquibus diebus, balneis aquæ dulcis laborantem committere oportebit, quibus non solùm quod in carne est biliosum, discutitur, & euanescit, verùm & caro ipsa temperatior redditur, quo minus bilem ampliùs generet. Cui vsui habitationem eliges temperatam, & domicilium, ac aerem irrorabis frigidis, & humidis asperginibus, quietemque laboranti, & animi tranquillitatem imperabis.

Si à calido, & intemperato iecore fiat.

Quòd si morbus hic ex iecore ad calorem intemperato prodeat, quod nosces ex siti ingenti, & linguæ asperitate, ex vrina impensè rufa, aut intensioris coloris, ex alui excrementis croceo colore perfusis cū ventris siccitate, ex calore manuum, ac pedum, ex corporis tenuitate cum febricula leui, nullo sensu in dextro hypochondrio, nec tumore: tunc quidem coniectan- A dum est, non quemuis calorem semper bilem vberiorem generare, sed eum qui copiosior sit cum modico siccitatis excessu: nam si vltra pergat siccitas, bilem atram potiùs quàm flauam generabit. Quapropter modicè humectare opus erit, & aliquantulum intensiùs refrigerare: vtrumque tamen opus exequi oportebit his, quæ vim habeant reserandi, & modicè aperiendi: nam coniectabile est, in arctis, & minutissimis iecoris vijs manere generatæ bilis aliquid, quod deinceps obstructionis, aut inflammationis sit principium, & ob id consuluit pulchrè Auicen. fugiendum esse ab his quæ adstringendo refrigerant, sed innitendum esse ijs quæ reserando, & repurgando id munus exequantur, vt non solùm intemperamentum retun- B datur frænetúrque, verùm si quid collectum est, repurgetur, & ea etiam ratione attemperetur iecur ampliùs. In primis vt citius refrigeretur, sanguinem mittes ex dextra basilica, si suspicio sit plenitudinis, sin aliter ex saluatella eiusdem lateris: quo facto vteris diluto rhabarbari in aqua lactis extracto tertio quoque die, & altero intermedio emulsionem seminum frigidorum maiorum cum saccharo porriges, idque facies perseueranter vno mense. Ac si constiterit non omnino prodesse, & colorem ad fuscum quodammodo mutari, conijcies bilem non solùm fieri copiosiorem, sed adustam etiam: quapropter dilutum rhabarbari, & foliorum senæ in decocto cichorij, & portulacæ, ac hordei, cum modico syrupo acetoso porri- C ges: idem quoque facies in liquore nouem infusionū è rosis Hispanis, & sero lactis, cum modico syrupo papaueris. Interim tamen, dum hæc exequeris, ad externa auxilia te conferes, instituens balnea aquæ dulcis vsque ad medietatem corporis tertio quoque die: ac partem etiam, & iecoris regionem inunges vnguento rosarum, santalino, vel refrigerante cum modico rosaceo, aut vnguento ex cucurbita, vel oleo rosaceo sæpius loto aqua portulacæ, vel hordei, facto cum cera alba linimento. Inunges quoque dorsum resumptiuo vnguento cum modico rosaceo. maximè æstiuis temporibus: & facto interuallo quasi vnius mensis, iterū ad purgationem per epicrasim redeundum erit, qua biliosa recrementa, quibus iecur intensiùs incalescit, D repurgentur. In quo casu mirum in modum prodest ius pulli pleni radicibus, herbis, floribus, & seminibus frigidis: prosunt & balnea aquæ dulcis. Si velis plura ex topicis adhibere auxilia, lege tom. 2. cap. de iecur refrigerantibus.

Si ab obstructione iecoris aut pororum fellis fiat.

Mirum non videri debet, vtramque obstructionē (eam nimirum quæ in iecore viget impediens transitum bilis ad fellis vesicam, & eam quæ vijs obstructis à vesica in intestina fit) simul vna curatione voluisse auferre, cùm certissimum sit eisdem ferè auxilijs iuuari, nec non & eam quæ ex copiosa bile in iecore coaceruata ob defectum distributionis, aut ob impensum calorem eam euocantem, atque ebullientem, & incrassantem. Quapropter primò videndum

Sāguinis missio.

E est si alui excrementa alba appareant, si vrina nimis crassa, & intensa, an sanguinem mittere aliqua ratione opus sit: nam videtur ex vsu non fore, siquidem biliosi solùm succi præest abundantia, eaque à sanguinis consortio separata, & ad carneas corporis partes transmissa: item nec ratione morbi sanguinem licebit fundere, nam obstructio est, à crudorum succorum copia forsan facta: quibus rationibus adstipulatur Galen. lib. de purgantium vi, dicens: *Si morbo regio laborantibus sanguinem miseris, extremam in perniciem ages.* Quibus non obstantibus, multis rationibus, & modis sanguis in hac affectione vtiliter mitti potest: primo quidem malo incipiente, retractionis humorum qui obstructionem moliuntur, gratia: ob id Paulus statuit consilium esse, venam in dextro cubito secare, vbi meatus vesicæ bilis vterique sunt obsepti, vel alter duntaxat: item si simul sanguis abun-

det,

det, aut sit præcipua obstructionis occasio: quapropter dixit Aetius duo maxima esse in hoc affectu remedia, nimirum venæ sectionem, & purgationem, sed venæ sectio tunc ex vsu est cùm sanguis abundat, aut bilis copia ibidem est coaceruata. At dum mensium fit suppressione, licet inueteratus sit morbus, ex vtroque talo sanguis mitti debet: nam Conciliator etiam in vitis, tanquam peculiare præsidium iubet vtriusque pedis venam scindere, existimans hoc solum præsidium sufficere. Item, licet inueterato iam morbo non liceat sanguinem mittere, maximè iecore indurato, ne in hydropem commigret affectio, iubet Auicen. sanguinem per scarificatam cucurbitam extrahere, vel sub scapula dextra, aut in dextro hypochondrio, paulo inferiùs à iecoris regione, præsertim in inueterata obstructione, & vbi bilis copia ibidem infarta est. Præterea ex saluatella vtraque iubet idem author sanguinem mittere, dum icterus mixtus est ex nigro, & flauo: ex quo infertur, in flauo licere ex dextra saluatella sanguinem mittere. Nec desunt qui ex venis subtus lingua sanguinem fundant: quod solùm prodest inueteratis, ob iecoris cum venis illis cõsortium. Sed rem hac lege colliges, vt certum sit quid agere oporteat: si ex morbo acuto ante 7. prodeat, sanguinem mittes, si post accidat, & diu duret, ex saluatella: si per se icterus incipiat, mox à principio ex dextra basilica idem facies, vel si suppressione alicuius sanguinolentæ vacuationis prodeat, vel ipsam reuocabis, vel iuxta membrum, per quod sanguis fluebat, sanguinem mitties: ex talo nimirum, si menses supprimantur, aut improbè fluant, & ex eadem etiá parte, si varices, aut hæmorrhoides delitescant, ac si possibile fuerit, ipsas hæmorrhoidas excitabis, & hirudinibus sanguinem ab ipsis fundes. At si inueterata sit affectio, & nihil horum fuerit (licet authorum aliquis contrarium teneat) tunc quidem fugiendum est omnino à sanguinis detractione: quippe non rarò sanguine misso, & iecore facto imbecilliore, in hydropem commigrat affectio. Verùm si ictericus hic affectus dolorem colicum sibi comitem afferat, nulli esse dubium arbitror, quin protinus sanguis mittendus sit: nam cùm talis ictericosus dolor non sit verè colicus, sed solùm ex efferuescente bile in iecore, reiectaque in ventriculum, & partes sibi vicinas, ob id citra cunctationem sanguis mittendus est, differendaque alui purgatio (nisi vrgeant primæ regionis excrementa) donec dolor minor fiat. Est namque prædictus ictericosus dolor inflammationis iecoris ipsius præludium: quo fit, vt fugiendum omnino sit à pharmacis vim in iecur inferentibus, & protinus confugiédum ad sanguinis detractionem, quò magis dolor videatur vrgere: nam citra hoc præsidium etiamsi ventrem iniungas, aut mille alijs præsidijs vtaris, nihil profectò facies amplius, quàm in deterius laborantem ducere.

Purgandi ratio.

Quo facto (aut si id fieri non est opus, eo infecto) institues protinus eam victus formam, quam adduximus capite de iecoris obstructione, extenuantem nimirum, & inscisoriam, ac ex bonis, & coctu facillimis edulijs. Interim tamen dum hæc fiunt, vidédum est (siquidem purgare peccantes humores incumbit, idque magis quàm vel sanguinem mittere, vel quoduis aliud auxilium porrigere) quales eorum præparare, aut purgare opus sit: quippe id non satis apud authores compertum est, aut, vt rectiùs loquar, parum controuersum. Nam omnes ferè vnanimi consensu humorem biliosum disponere, & educere student, vt qui symptomatis sit immediata causa: nec desunt qui pituitosos, & crassos obstructionem efficientes, præparant, & purgando educunt: verùm id minus distinctè quàm par sit. Primo enim in hac controuersia expendendum est, veram, & genuinam curandi rationem à causæ ablatione principium sumere, &

A cùm in ictero vicem causæ potissimæ gerat obstructio iecoris, & pori fellei, citra cuius ablationem, etiá si bilem purges, & repurges, nusquam qualitatem illá in meliorem mutabis. Item incidentia, & attenuantia, quæ authores ad præparationem consulunt, non opus sunt humori bilioso, qui suapte conditione tenuis est, & ijs tenuior fiet. Præterea si Hippocr. fides tribuenda est lib. de internis affectionibus, ictero affectis non licet medicamentum bilem purgans exhibere: inquit enim: *Cæterum medicamenta bilem ducentia ne propinato, ne corpus magis conturbes.* Quibus rationibus commotus arbitror, in ictericis affectionibus duobus modis esse purgandum: vno quidem, & primo, his quæ crassos, & obstruentes humores du- B cant, abstergant, ac repurgent, quo aperta obstructione biliosus humor qui gignitur, ad sibi naturalia loca liberè permeet: quo solo auxilio, si exactè attenuantia, & incidentia adhibueris, morbum curabis: alio verò his quæ bilem, quam naturalia vasa capere non possunt, imminuant, & paulatim euacuent, idque postquam obstructio adaperta sit, & viæ patentiores factæ, nisi ex copiosa bile, aut non distributa ob debilem facultatem, icterus fiat. Verùm neutrum horum licet validis, & copiosè purgantibus pharmacis (vt cõsuluerant Aetius, & alij) exequi: obstructum enim corpus id ferre nulla lege potest: satius enim est paulatim à longinquo bilem allicere, & crassum humo- C rem ab obstructo vase educere, quàm subitò euocato excremento maiorem, & pressiorem efficere obstructionem, vt non rarò incautis, & imperitis contingere assolet. Quapropter primo mali accessu ea instirues medicamenta, quæ vim habeant attenuandi, & incidendi, si priùs pharmacum vias communes purgans dederis, ne attenuantibus excrementa ad obstructas partes deferas. Sunt autem hæc syrupus cichorij, capillorum veneris, borraginis, & acetosus simplex, à quibus, facta leui purgatione cum infuso agarici in liquore nouem infusionum rosarum Persicarum, addito syrupo solutiuo ex eisdem rosis, pressiùs, & diligentiùs incides, & attenuabis, exhibito syrupo de bysantijs, de duabus radicibus cum aceto, D de quinque radicibus, aut oxymelite simplici, vel cõposito cum aquis oxalidis, cichorij, apij, adianthi, calaminthæ, fœniculi, gentianæ, marrubij, petroselini, radicis rumicis, vel rubiæ, cum modico vino albo odorifero, dummodo febris non adsit. *In quibus sanè quarto quoque die infundes rhabarbari, & agarici, anà ℈. 1. & facta expressione admisce prædicto decocto quantitate ℥. 2. & ß.* Quibus factis iterum innitédum est extenuare prædictos crassos, & crudos succos, exhibito pharmaco paulò efficaciùs purgante cum refe- rationes: cuius census sunt *seri lactis ℥. 4. in quibus maduerit per noctem ℥. 1. & ß. carthami conquassati, cinnamomi ℈. ß.* prodest & *hieræ simplicis Galeni ʒ. 1. & ß. cum melle rosaceo.* Quòd si hæc videantur non pro- E desse, acuere oportet prædicta medicamenta, *addito hiera diacolocynthidos ℈. 1.* alij verò addunt *diagridij gr. 5.* Possumus etiam purgare hoc medicamento, q. ℞. *hieræ picræ ʒ. 1. rhabarbari, & agarici trochiscati, anà ʒ. ß. rasuræ eboris, & cornu cerui, anà ℈. ß. cinnamomi gr. 8. croci gr. 4. misceantur cum ʒ. 2. catholici.* Verùm vbi iam bilem cum crassis humoribus simul purgare studemus, dubium non est, quin oporteat simul infuso rhabarbari, & agarici, in aqua graminis, radicis rubiæ, anchusæ, rumicis, vel acetosæ, vti. Item prædictarum herbarum, & radicum decoctum cum carthamo, aut rhabarbaro, tertio quoque die porrigere probatissimum est: sed magnæ efficaciæ creditur esse decoctum radicis filicis, & seminis fecundi- cæ, aut puluerem earum cum oxymelite. Præstat & illud, q. ℞. *succi mali granati acidi, & dulcis extracti aqua graminis, anà ℥. 1. & ß. facta residentia, & separata, adde oxymelitis simplicis ℥. ß. & potui præbe.* Quòd si pu-

si putredinis alicuius in viscere suspicio sit, porriges id, q. ℞. *succi cichorij depurati, & colati ℥. 1. oxysacchari simplicis ℥. 2.* Quòd si his factis adhuc constiterit affectio, curandum est bilem flauam minuere seligenti pharmaco, & postmodum ad ea quæ huic malo inueteratis iam obstructionibus (licet aliquo modo minoribus factis) prodesse scimus, confugiendum est: quapropter hunc puluerem porrigere oportebit, cuius mirabilis est efficacia, & ℞. *vermium terrestrium in vmbra exsiccatorum priùs cum vino præparatorum ℥. 2. rhabarbari electi ʒ. 1. stercoris canis exsiccati ℥. ß. redigantur in puluerem, & cum hydromelite exhibe ʒ. 1. & ß. singulis diebus quindecim dierum spacio.* Mirabilis etiam est efficaciæ vsus pilularum, q. ℞. *trochiscorum de spodio ʒ. 3. rhabarbari ʒ. 2. pulueris vermium terrestrium ʒ. 1. & ß. puluerizentur, & cum syrupo de prassio fiant pilulæ num. 36. quarum singulis diebus spatio vnius horæ ante prandium tres sumat laborans.* Prodest & singulis diebus vinum sic confectum porrigere: *Excipe marrubij ℥. 3. lupulorum ℥. 1. radicum buglossæ, radicum eupatorij, anà ℥. ß. rhabarbari conquassati ℈. 4. ligni aloes ʒ. 1. bulliant omnia in lib. 3. vini albi odoriferi vsque ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura excipe huius vini ℥. 2. sacchari ʒ. 1. & ß. misce, & laboranti porrige.* Ferunt etiam vrinam pueri cum saccharo mirum in modum prodesse: deobstruit tamen perbellè id, q. ℞. *conseruæ capillorum veneris, radicis apij, anà ℥. 1. pulueris triasantalorum ʒ. 2. diarrhodonis ʒ. 1. quatuor seminum frig. mai. incisorum anà ʒ. 2. cum syrupo intybi fiat opiata, cuius sumat ℥. 1. cum aqua graminis.*

Quòd si hæc vulgaria, & leuia parui momenti videantur, ad ea quæ efficacioris sunt potentiæ confugiendum est: cuius naturæ est id, q. ℞. *diacurcumæ, & dialacca, anà ℥. 1. trochiscorum de rhabarbaro, & de absynthio, anà ℥. ß. pulueris diarrhodonis ʒ. 2. hepatis lupi præparati ʒ. 3. quatuor seminum frigidorum maiorũ, anà ʒ. 1. syrupi acetosi diarrhodõ, aut de eupatorio quod satis, vt fiat confectio, cuius cochleare vnum cum ℥. 2. aquæ capillorum veneris, vel graminis singulis diebus, aut tertio quoque die laboranti porriges:* præstant & trifera Persica ʒ. 2. *cum aqua lactis.* Pari etiam efficacia prodest *theriaca magna, dialacca, aut diacurcuma quantitate duarum drachmarum:* item *trochisci de rhabarbaro, de eupatorio, de absynthio, ad ʒ. 1. cum decocto aliquo ex supradictis.* Prodest etiam *decoctum foliorum raphani, eupatorii, aut prassij, quantitate quatuor vnciarum cum saccharo, aut modico oxymelite.* Mirum etiã in modum prodest syrupus, q. ℞. *lapati, lentisci, & capillorum veneris, anà m. ß. quinque radicum diureticarum, radicis acori, gladioli et rumicis, anà ℥. 1. seminum frigidorum maiorum ℥. ß. seminis apij, fœniculi, & petroselini Macedonici, anà ʒ. 2. chamæpityos, chamædryos, & valerianæ, anà m. ß. hordei mundi p. 1. infundantur radices, & semina per noctem in aceto, & postea fiat decoctio in vino albo, & aqua sufficienti, cui percolato adde mellis quod sufficiat vt fiat syrupus, cuius ℥. 2. cũ sero lactis, aut aqua graminis summo manè porriges:* item *coagulum leporis cum meraco dilutum ad dies quinque.* Quòd si hæc non prosint, & ventrem plura generare cruda excrementa, ibidemque immorari constiterit, ac mox remeare in venas effectura maiorem obstructionem, tunc quidem vomitibus rem agere oportet, consulens *tertio quoque die vomere, & die intermedio porriges oxymelitis compositi, aut simplicis ℥. 1. cum aqua atriplicis.* Conficies syrupum purgationi, & præparationi aptissimum q. ℞. *capillorum veneris, agrimoniæ, pimpinellæ, anà m. 1. & ß. radicum rubiæ, rumicis, cichorij, petroselini, & fœniculi, anà ℥. 1. & ß. passularum sine granis ℥. 2. epithymi, & polypodij, anà ʒ. 3. absynthij Pontici p. ß. coquantur in lib. 4. aquæ ad medietatem, & colatura adde foliorum senæ ℥. 1. & ß. seminis carthami conquassati ʒ. 3. iterum bul-*

A *liant, & facta expressione, & colatura, adde sacchari quod satis vt fiat serapium, & interim dum fit, adde agarici trochiscati, & rhabarbari puluerizatorum ligatorum simul anà ʒ. 3. & post confectionem serapij exprimantur leuiter.* His factis, si adhuc affectio perstet, & indurata maneat, ad vsum chalybis, vel syrupi ex scoria ferri, tanquam ad vltimum præsidium, ea lege quam adduximus capite præcedenti, confugiendum ubi erit.

Extrinsecus verò iecoris regionem, interim dum hæc fiunt, fouebis decocto absynthij, squinanti, spicæ, & apij, addito modico aceti squillitici: quo facto, eandem partem inunges vnguento, q. ℞. *succorum apij, petroselini, fœniculi, senecionis, intybi, & cichorij, anà ℥. 1. aceti ℥. ß. olei ℥. 3. bulliant omnia ad consumptio*
B *nem succorum, & aceti, ac mox adde santalorum, & spicæ, anà ʒ. 1. ceræ quod sufficiat, fiat vnguentum molle.* Prodest & aliud, q. ℞. *cerati santalini ℥. 1. olei de spica ℥. ß pulueris absynthij, rosarum, & squinanthi, anà ʒ. 1. misce.*

De ictero nigro.

Nigri icteri consideratio eisdem ferè completur rebus, ac flaui: nam eadem est affectio, nimirum mutata totius corporis qualitas ad nigrum colorem, ab eadem causarum congerie, licet in diuersis locis: nam ille qui flauus est, vitio iecoris, aut felleæ vesicæ fit: niger verò ob splenis morbos, aliquando tamen à iecore affecto. Sic etenim dum iecur plus melancholiæ generat, quàm vel splen possit trahere secundum naturam, vel opus est, corpus nigricare (vt in melancho
C lia affectis) euidentissimè apparet: quo tempore citra splenis vitium prædictus color in toto corpore efflorescit, & cum hoc vel hæmorrhoides intumescunt, vel vlcera pessima, & alia mala, quæ ex vberiori melancholia oriri assolent in toto corpore, forsan cum melancholicis imaginibus, tristitia, & mœrore. Verũ dum splenis vitio suboritur, vna è duabus prodit causis: vel splene nimirum facto imbecilliori, quo nequit suum munus explere, est enim illi tanquam peculiare officium, sanguinem à melancholico recremento defæcare, quo fit vt melancholia simul cum sanguine vniuersum corpus adeat, & prædictum gignat colorem: vel rursus fit, quia splen obstructum nequit ca-
D pere dictum succum, neque viæ huic muneri patulæ, & apertæ existunt, & ob id in iecur, & venas iterum remeat, atro colore vniuersum corpus perfundens. Vtcunque tamen is affectus oriatur, siue à ciborum vitiosorum, ac melancholicum succum generantium esu, siue à prauo iecoris intemperamento, ex bonis alimentis hos succos efficiente, siue ab obstructione, aut imbecillitate splenis, semper maiorum malorum, atque diuturnorum soboles, & causa est, quàm flauus icterus: commigrat enim non rarò in hydropem, & alios incurabiles affectus.

Quo fit vt curandi ratio, licet eisdem scopis, ac præcedens affectus perficiatur, difficiliùs, & tardiùs suũ beneficium præstet: quapropter primo mali accessu, si eduliorum vitio suboriatur, ea in laudabiliora opor-
E tet mutare, & à genitis succis corpus expurgare. Si verò iecoris vitio, ipsum temperabis, vt dictum est capite de iecoris intemperantijs, & etiam quod vitiosum genitum iam est, purgabis maiori diligentia: & pari lege facies, si splen intemperatum, ex humore sibi cõmisso plurimum fæculenti, ac melancholici excremẽti generauerit. Verùm si rem fieri ex calida intemperie hunc succum gignente in quouis prædictorum viscerum constiterit, primò curabis sanguinem mittere ex dextro brachio, aut saluatella si iecur pati contingat; sin splen, è sinistro, maximè si cum sanguine eam melancholiam commixtam esse cognoueris. Quo facto (aut si opus non fuerit) & constiterit ob imbecillitatem splenem non trahere, vniuersum corpus à melancholica redundantia purgabis, haud secus quàm dictum est capite de melancholia, cui mi-

nistre-

nisterio humorem præparabis, & paulatim educes, A quia eius imbecillitas nequit copiosam ferre vacuationem. Cæterum si ab obstructione splenis prodeat, methodo veteris simili ei quam diximus capite de splene indurato. Duo tamen sunt huic affectioni proficua, & quæ maximi solent esse momenti: primum quidem est serapium de scoria ferri hac lege confectum. ℞. *scoriæ chalybis preparati aqua lupulorum ℥.6. passularum sine nucleis ℥.4. macerentur per tres dies in lib. 4. aquæ lupulorum, graminis, & rubiæ, & in fine trium dierum bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & facta colatura adde radicis rubiæ, & rumicis, ana ℥.2. radicis fœniculi, & capparum, ana ℥.1. aspleni ℥.ß. capillorum veneris m. 2. iterum bulliant, & in vltima efferuescentia adde foliorum senæ ℥.3. & post refrigera- B tionem adde syrupi acetosi diarrhodon, & de eupatorio, ana ℥.2. oxymelitis simplicis ℥.1. sacchari lib.2. fiat serapium.* Huius medicamenti *porriges ℥.2. aut tres,* prout aluus plus minusve egesserit. Sed maioris momenti arbitror esse vsum pilularum, q. ℞. *chalybis præparati ℥.1. trochiscorum de myrrha Rasis ʒ.3. dialacce, diacurcumæ, antidoti hemagogi, mithridati optimi, ana ʒ.2 misceantur omnia, & fiat massa, ex qua formentur pilulæ magnitudinis granorum piperis, vel paulo maiores, sumatque laborans summo manè singulis diebus sex, aut septem pilulas ex prædictis, donec sic per aliquot dies consumatur prædicti medicamenti sufficiens quantitas:* sed mox à sumptione prædictarum pilularum exercitio vtatur laborans duarum horarum C spatio.

De formitatis cutis curatio.

Cutis verò fœditatem delere, non plurimum debet nobis facessere negotium, curato enim morbo, & ablata causa, facilè sua sponte euanescit: verùm quia aliquando adeò est cutis densa, & humor ibidē impactus crassior, quòd opus sit artificis beneficio; ob id placuit ex vsu probatis aliquid scribere. Præmissa enim morbi ablatione, si adhuc supersint in venis humorum reliquiæ, his quę vrinas cieant, eas emouebis: sic folia raphani decocta cum modico aceto prosunt, & marrubij decoctum cum oxymelite, aut rumicis, & radicum diureticarum cum eodem oxymelite, aut squilliuco: item succus hepaticæ bibitus, aut rostri porcini, vel syrupus ex succo linariæ depura D tus cum saccharo: præterea decoctum lentium cum aqua fœniculi, & vrina pueri: ferunt succum citri cū saccharo manè sumptum idem præstare. His factis, corpus balneis aquæ dulcis committes, vel decoctioni ex chamæmelo, linaria, & absynthio. Fricabis insuper vniuersum corpus, & linteia cannabinis innoxies: præterea euaporationibus ex prædicto decocto: emollies, & sudorem concitabis. Præstat & euaporatio ex decocto corticum fabarum, & palearum hordei cum modico aceto: lotio item cum prædictis decoctis, & modico aceto mirum in modum prodest: nec non inunctio ex butyro, & sale, aut oleo amygdalarum dulcium, vel sesamino calidis cum nitro: item præstat sternutamenta mouere cum aceto. E

CAPVT VI.

De malo corporis habitu, & de omni hydropis specie.

NOn immeritò profectò, conferre adinuicem, & vno hoc capite hos omnes affectus complecti, mihi visum fuit, siquidem consimile videntur habere principium, & eorum quidam veluti alterius causæ, & præludium existunt: quibus etiam reduci facilè potest hepatica dysenteria, quam eiusdem esse census pro comperto habeo: nam licet ea nomine dissidere videatur ab hydrope, natura tamen, & causis vtraque, quàm maximè cohęrent. Ante tamen quàm veram hydropis naturam aggrediar, nonnullos ab authoribus hydropes appellatos, reijciendos esse à veri hydropis consortio monstrabo. Venatus quidem Trallianus certam quandam hydropis speciem, quā hydropem ex colliquatione appellat, ex quodam Galeni loco lib. 3. de symptomat. caus. cap. 2. quo statuit colliquari quandoque succos in venis contentos, qui si non per renes ad vesicam transferantur, sed ad ventrem, vel ad totum corpus diffundantur, subitaneos hydropum status inducunt: quo fit vt aliquando dici possit hydropem à calore fieri. Præter hanc etiam hydropis speciem, aliam recenset Hippoc. 7. aphorismorum 55. dicens: *Quibus hepar aqua plenum in omentum erumpit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.* Item præter dictas, aliam addiderunt Arabes ex illo Galen. loco, arbitrantes ex vitio renum non trahentium, hydropem posse fieri. Verùm si quis rem hanc diligentiùs pensitet, facilè conijciet nullam harum esse verum hydropem: nam cùm potissima hydropis ratio sita sit in vitio sanguificationis, vt omnes communi consensu fatentur, & in nulla harum consimile reperiatur vitium, fiet profectò vt iure optimo, à consortio hydropum debeant ablegari: nam prima illa quæ ex colliquatione oritur, vt quæ à calore liquante fiat, frigidis curari desiderat, quod nullus sanæ mentis vero hydropi administrabit: præterquam quòd hydrops ex colliquatione, præter id quòd in ardentissimis, & colliquantibus febribus plerunque fiat, subitò efficitur, & veluti repente apparet, succis illis in ventrem irruentibus simul. At hydrops ex imbecillo iecore, sensim, lentè, ac paulatim excrescit. Præterea reliqua hydropis species, cuius meminerat Hippocrat. etiam ableganda est à veris, quia, vt inquit Galen. cōment. præcitatę sententiæ, licet ventrem in tumorem attollat (præterquam quòd subitò quoque fiat) ab aqua fit, quam imbecillum iecur cum sanguine non generauit, sed quæ ex vesiculis aqua plenis in iecore existentibus, ac ruptis profluxit: quo fit vt multis interuallis dissideat ab hydrope vitio sanguificationis facto. Pari quoque ratione cùm vitio renum aqua inter omentum, & peritonæum colligitur, non meretur nomen hydropis, quia non a vitiato iecore, quod hydropis formam præstat, sed à renibus non trahentibus, ni forte vtrumque subsit vitium, vt inferiùs referam, nam inter veras causas hydropis, renum defectum sum annumeraturus: cum hoc tamen hos hydropes, vel per consensum factos, vel spurios, & pseudohydropes nuncupare poteris. Quippe Erasistrati sectatores nulla alia ratione hydropem oriri posse putarunt, quàm viarum angustia sanguinis per iecur egressum prohibente, nec ipsum vnquam excitari vitio lienis, aut alterius membri, sed semper ex scirrho qui iecur obsideat: verius tamen est mille modis posse fieri: nosse tamen oportet non omnem esse legitimum hydropem, sed eum qui iecore primo læso oriatur, reliquos vero vel per consensum, vel illegitimos.

Hydropum tamen veram rationem, vnanimi ferè omnium Medicorum consensu, à iecoris vitio proficisci statutum comperimus, & quod proprius est ab vna & eadem ipsius læsione, videlicet frigida intemperantia: quippe fatentur omnes malum corporis habitum à frigidiori facto iecore proficisci, sic & hepaticam dysenteriam, nec non & omnem hydropis speciem. Cæterum licet id verum sit, non tamen distinguere adhuc studuerunt, qualis intersit differentia, siquidem sortiuntur (quantumuis ab vna causa prodeant) naturam diuersam, diuersum nomen, & longissimis interuallis dissidentem curandi rationem. Itaque sub malo corporis habitu, crurum, faciei, aut oculorum album colorem, & tumorē intelligimus, qui citra munus nutritionis, aut collectionis apostemosæ fit: quod probat euanescentia illius tumoris, à quouis calore, siquidem noctu (quantumuis interdiu intumescant prædictæ partes) caloris beneficio delitescit, & subsidet. Hepaticam verò dysenteriam cum

fluxum

fluxum appellamus, per quem sanguis excernitur similis loturæ carnis recenter mactatæ, prodiens quidem à iecoris frigido intemperamento, sanguificationis etiam munus oblædente. Hydropis tamen nomen symptoma etiam importat, quod à nimia humorum in quibusdam partibus collectorum abundantia naturam sortitur, varias constituens species (quatuor videlicet quas diximus) malum corporis habitum, ascitem, tympaniam, & anasarcam: aqua ascitem generante, pituita anasarcam, & tympaniam flatu. Itaque in his omnibus refrigeratur hepar, & sanguificationis munere priuatur, siue proprio iecoris vitio, vt inflammatione, scirrho, intemperie, obstructione, diutina solutione continui, tumore frigido, calido, molli, duro, febre antiqua, aut acuta: siue per consensum, vt folliculi fellis, ventriculi, mesenterij, intestinorum gracilium, pulmonis, renum, & septi transuersi. Quæ sanè partes, aut frigiditate ipsum iecur refrigerant, per venas vsque ad cauam, communicata frigiditate iecoris carni: aut ipsius calorem suffocant non expurgantes iecur, vel ob immodicum fluxum dissipant. Item contactu chyli frigidioris, vt contingit in potu aquæ frigidæ, calore eius refrigerato: quibus consideratis facilè reperies innatum calorem nõ minus refrigerare quæ calida sunt, si illius substantiã dissipent, quàm quæ frigida existunt eius calorem extinguendo. Sic enim calida, frigida, humida, sicca, & ex his composita, cum materia, aut sine ipsa, dum caloris substantiam vitiant, id nata sunt efficere.

Hæc enim sunt quæ naturam, & causam præstant omni hydropi, vt communis est omnium sententia: sed differunt quidem prædicti affectus (quantumuis prædictis rationibus communicent, & omnes ab vno iecore vitiato ob frigidum temperamentum, & à causis refrigerantibus læsa sanguificandi potentia, prodeant) materia, loco, causa, & concausa. Materia quidem, quia ascites aquam, tympania flatum, anasarca pituitam continet. Item ascites in ventre, & distantibus partibus, facie nimirum, & cruribus, vt Hippocr. 4. de morbis docuerat, viget: tympania in eodem, & vicinis partibus, hoc est ventriculo, & intestinis, vt idem author statuit 4. aphor. 11. anasarca verò in partibus carnosis, vt latius in cuiusque disputatione sum probaturus. Sed differunt adhuc magis cõ causa: quia licet sine vitio iecoris nulla harum fieri possit per se, iecur solùm materiam suppeditat, hanc verò aut illam hydropis speciem constituere nequit nisi accedat alia concausa, vt in ascite renum vitiũ, quo sanguis non probè expurgatur: in tympania ventris, & intestinorum; & in anasarca carnosi generis: quæ omnia licet ab vno iecore materiam contrahãt, non tamen prædictarum differentiarum aliquam cõstituere nata sunt, citra prædictas concausas. Item differunt, quia malus corporis habitus consimile sortitur vitium in eodem iecore, ac hepatica dysenteria, nimirum diminutam sanguinis generationem, qui prolabens per meseraicas ad intestina, prædictum cõcitat fluxum: verùm in malo habitu, sanguis ille it per venosum genus ad singula membra, tamen non mutatur in eorum substantiam, sed veluti inutile excrementum manens immutatum, membra in tumorem morbosum nulla facta nutritione eleuat, prædictum malum habitum generans. Quo fit vt ambo affectus præludium existant hydropis, mox enim à malo corporis habitu succrescit, & pari ratione à prædicta dysenteria, quòd consimilis sit vtriusque causa, & idem principium. Item dissident, quia in omni hydropis specie, quod vitiosum, aut crudum generat iecur, separatur à sanguinis consortio, & sic colligitur in aliquo loco peculiari vt hydropem efficiat: at in his duabus affectionibus simul cũ sanguine it aquosus humor, seu crudus succus qui pariter gignitur: præterquam quòd nõ vitiatur, licet diminutè coctus eua-

A dat, vt in hydropis specie quauis, quæ profectò causa est, vt separetur à probo sanguine, vt in ascite latiùs dicturus sum. Præterea ambo affectus dissident à quauis hydropis specie, tanquam principium, & via à termino, terminantur enim malus corporis habitus, & dysenteria hepatica in hydropem, quòd in illis iecoris actio vitiari incipiat, in his verò iam vitiata existat, aliena, & omnino ab alitione extranea, qualis est, vel flatus, vel aqua, non iam similis loturæ carnis, sed verè serosa substantia, aut vltimò pituitosa, & cruda ab omni beneficio naturæ aliena.

Quas sanè differentias, vt quis rectè, &, vt par est, callere possit, expendat iecur à proprio munere aberrare posse multis modis: nimirum quòd omnino fe-
B rè destitutum sit sanguificationis munere (nam ex toto priuari, demortui iecoris potiùs est, quàm læsi) manente solùm calore apto ad liquationem chyli efficiendam: vel sanguificet quidem, cæterum diminutè, aut ex eo quòd commissam sibi substantiam in alienam, & omnino præter naturam commutet: quę sanè vitia nobis in his morborum generibus, & in plensque alijs sese ostendunt. Sic profectò diminuta est actio sanguificandi in dysenteria hepatica, & malo corporis habitu: aufertur tamen ita vt videatur extincta ferè, dum ex alimentis fit commeatus in hydropem, eum præcipuè qui ascites dicitur: quippe eo tempore nihil, aut quàm parcissimum ex chylo mutatur in sanguinis effigiem, & ob id laborantes atro-
C phia periclitantur, quia solùm vi caloris liquatur chylus, nullam tamen recipit actionem à sanguifica potentia, sed veluti ablata videtur ex toto. Vitiatur quidem iecoris actio, dum in biliosum, pituitosum, aut melancholicum succum mutatur ferè omnis chylosa substantia, vel plurimum eius in flatum vertitur, vt in tympania, vel in anasarca in pituitam.

Præterea elucescet ampliùs harum affectionum natura, si constiterit vtra harum deterior sit, nam id non nisi ex propria conditione ediscere poteris. In qua re nihil certum ab authoribus elicere est possibile, cùm tanta sit eorum in hac re varietas, quanta numerositas. Multi quidem difficultate curationis tympaniæ seducti sunt vt credant, deteriorem esse eius
D conditionem: alij rei naturam penitiùs intuentes, deterius vitium esse ascitem scripserunt: nonnulli graui anasarcæ aspectu deterriti, eam grauiorem reliquis omnibus sunt arbitrati, & sic quisque suum tuetur dogma, reliquorum rationes contemnens. In qua quidem hæsitatione, primùm tanquam firmum haberi debet, rem aliquam nulli alteri esse conferendã, nisi omnibus causis, natura, & effectu pariter metienda sit: nam si vnius causa grauior sit, & difficilior, quamuis suaptè natura à grauiori excedatur, quæ causam habeat difficiliorem, difficilior proculdubio habenda erit. Sic profectò, si ascites à prauo eduliorum esu prodeat; & anasarca, aut tympania à iecoris scirrho; ascites reliquis erit salubrior, quamuis sua natu-
E ra grauior habeatur, & pari ratione tympania à ventris flatu salubrior, & facilior erit ascite, quæ iecoris vitio prodit: itaque collatio cæteris existentibus paribus fieri debet, vt elucescat cuiusque vis, & natura. Secundò statuendum arbitror, si ab æquali vitio iecoris vtraque prodeat, & id solùm velis considerare, deteriorem esse quæ plures partes grauiori vitio afficit: cuius naturæ est anasarca, quæ præter iecoris vitium, praua constat nutritione in partibus carnosis; & si affectus naturam intuearis longè deteriorem licet conijcere ascitem, quæ atrophia easdem afficit: nam quod vulgo fertur tympaniam, quòd curatu sit difficilior, grauiorem esse, inualidum est, & parui momenti: nam vacuationibus commodis non orbatur, cùm euidentissimum sit purgatione indigere, & leuari purgata substantia quæ flatui materiam præstat: item per resolutionem curari potest, siquidem calor

(à quo

(à quo multi arbitrati ſunt prodire) non intenditur reſoluentium vſu: quia aliud eſt fieri ab excedenti calore, aliud quòd omnino iecur non priuetur calore, ſed à puſillo, & diminuto eleuari, quinimo calorificis quę innatum calorem augeant, frigidum intemperamentum, ſeu remiſsè calidum iuuatur, & geniti flatus diſcutiuntur, atque ob id affectio mitior efficitur. Hæ profectò ſunt huius dubij rationes: ſed his non obſtãtibus arbitror, ſaluo meliori iudicio, tympaniam nõ ſolùm curationis difficultate grauiorem eſſe, vt vulgus cenſuit, ſed etiam affectus natura, & conditione: nam ob id Hippoc. arbitratus eſt, tormina inteſtinorum, & dolores iuxta vmbilicum, cùm remedijs non cedunt, in tympaniam verti, quòd in habitu ſit affectio à qua prodeunt, nedum cùm iam tympania facta eſt. Nam cùm inteſtinorum, & iecoris intemperantiam ſortiatur factam, & habitualem, haud ſecus quàm aſcites, habet tympania illud grauius, quòd in ea duæ reperiuntur intemperantiæ, eæque contrariæ, in aſcite verò vna: quo fit vt licet natura affectus conueniant, ſuperat tympania reliquas, quia pluribus intemperantijs orta, contraria expoſtulat auxilia, quæ citra alterius damnum adhiberi non poſſunt, vt paulò inferiùs monſtrabo. Et ob id iure optimo arbitror eam eſſe periculoſiorem ratione ſuæ naturæ, & difficiliùs curari ob cauſarum contrarietatem, non quidẽ vt multi cenſuerunt, quia euacuationibus non cedit vt aſcites, cum re vera eiſdem debeat curari, ac facilius ſit flatus diſcutere quam aquas educere, ſi aliud non extitiſſet in eius curatione difficilius. His ita cõſtitutis ſumma huius rei ſit, hepaticam dyſenteriam, malum corporis habitum, & tres ſpecies hydropis hoc vnum habere commune, nimirum iecur in ſanguificationis munere vitiatum, diſſidere tamen hepaticam, & malum habitum à reliquis, quòd in illis ſolum iecur patitur caloris innati imminutionem, in hydropis vero ſpeciebus præter impotentiam hanc, etiam alijs afficitur vitijs iecur, aut corpus, vel aliqua corporis pars. Præterea malus habitus diſſidet ab hepatica, & ab anaſarca, quòd in hepatica ſanguis it ad vaſa, non tamen eo vtitur natura, & ob id tranſmittitur ad emunctoria, in malo habitu, & anaſarca it quidem, & tranſmittitur ad partes alendas, cæterum in malo habitu non apponitur, ſed colligitur, & ob id mox reſoluitur, vel ſomno vnius noctis, at in anaſarca apponitur, cæterum non vnitur, & ob id non aliter homo, non tamen ita facilè reſoluitur, ſed ſemper durat noctu diuque craſſitudo illa pituitoſa. Præterea aſcites à tympania diſſidet, quòd in aſcite adeſt in iecore intemperantia frigida habitualis, in tympania verò intemperantia calida, quo à malo habitu, & hepatica diſſidere diximus. Quæ omnia expendiſſe magni fore momenti ad curationem ſum arbitratus, ſicut ad præſagium noſſe omnes ferè verſari in periculo æquali, diuerſa tamen ratione. Quippe aſcites grauiſſima eſt, quia ferè extinctum videtur habere calidum innatum, cum acceſſu frigidi habitus: tympania item grauiſſima ob adductam rationem, & quia habet ferè conſumptum iecoris humidum radicale, ad cuius penſum etiam calor imminuitur ex adhæſu calidioris habitus: in anaſarca verò grauiſſimũ etiam eſt periculum ob ſpirituoſæ ſubſtantiæ partiũ noſtri corporis extinctionem, quo nutritione orbantur: conſtat enim partes ſortiri in ſui compoſitione partem ſpirituoſam, qua exequuntur nutritionis miniſterium, qua extincta, quauis occaſione nutritione partes deſtituuntur, quod grauiſſimi eſt periculi præludium, licet diutius ſubſequatur quam in reliquis duabus. Sed ad cuiuſque naturam, & curationem deuenire tempeſtiuum iam eſt.

De malo corporis habitu.

Malus igitur corporis habitus, quem Græci cachexiam appellarunt, laxitas, tumor, & humida totius corporis intemperies cenſetur, idque maximè partiũ A muſculoſarum, & earum omnium quæ ſub cute ſunt, nec non & cutis ipſius, quam non rarò cum vitore albicare comperimus, ſimul cum crurum vacillatione, & laxis tumoribus, nonnunquam cum faciei, & oculorum tumore: ſic enim dixerat Hippocr. 4. de morbis. *Cum materia penetrare poteſt ad inferiora, implentur crura, cum ad ſuperiora, facies, & pectus, aliter in ventre tota colligitur.* Quam quidem affectionem ſi quoad prædictas qualitates in corpore mutatas conſideres, proculdubio ad ſymptoma in genere mutatæ qualitatis reduces, vt Galen. lib. 1. method. cap. 9. aduertit, quantumuis permanentiam habeat, & ſtabilitatem, quæ morbi rationem aliquo modo videntur præſtare. Verum nomen ſymptomatis euſque retinebit, quouſque actiones ab eo affectu lædi conſpiciamus. B Quòd ſi morbum in intemperie totius corporis frigida velis appellare, non erit ab re, maximè dum ex prædicto intemperamento, vel nutritionem lædi, vel quamuis aliam facultatem contigerit: nam hac lege anaſarca etiam à malo corporis habitu diſſidet, quòd in illa nutritio oblædatur, in malo habitu nondum: & ob id illa morbi, & hic ſymptomatis rationem induit, dum non vltra pergit. Eſt igitur malus habitus ſymptoma ſequens frigidum iecoris intemperamentum, quo dilutiorem ſanguinem generat, nõ æquè alienum à natura, quòd ad membra nequeat peruenire, vt in aſcite, ſed paulò frigidiorem naturali, quantum par eſt, vt veluti madefaciat extimas corporis regiones: quem ſanè mirum non eſt, cùm non C adeò vitiatus ſit, quin natura, vel diſcutere, vel in bonum alimentum mutare poſſit: itaque diſſidet ab aſcite, quòd non colligatur in vno loco, & quòd in malo habitu ſanguis ſit, non aqua: ab anaſarca, quòd licet in vniuerſum corpus eat, non refert naturam pituitæ, nec comitem habet vitiatam nutritionem, vitiabitur tamen procedente morbo, idque vel ratione ineptitudinis alimenti, vel quia ob intemperamentũ frigidum diu perſeuerans, naturalis ipſa potentia oblæditur, in anaſarca verò à principio mali ambo vitia reperiuntur, intemperamentum videlicet iecoris pituitoſum generans ſuccum, & vitiata etiam totius corporis nutritio. Prodit præterea hæc affectio à frigido iecore dilutum ſanguinem gignente, quia tale D factum eſt à diuturnis affectionibus, & his in quibus ſanguis copioſiùs fluxit, vel extractus eſt, aut vbi ob ingentem ſitim, largiori potu laborantes vſi fuerunt: tandem ab eis affectionibus, & eo viuendi genere, vbi non ſolùm iecur imbecilliùs factum ſupereſt, verum corpus vniuerſum adeo vires naturales, & natiuum calorem habet imbecillum, quòd ſanguinem illum modicè aquoſum, nequeat omnino mutare, vel omnino diſcutere, ſicut ſecundum naturam aſſueuerat. Itaque ambo hæc vitia neceſſaria ſunt, & ob id præludium eſt certiſſimum hydropis, à quauis eius ſpecie ſolum differens, quòd in hydrope, intemperamentum illud frigidum in habitu eſt, haud ſecus quàm in hectica febre calidum: at in malo habitu ſo E lùm in fieri, nullam adhuc habens fixionem, & permanentiam, & ob id diligenter ſtudendum eſt huic malo ſubuenire, antequam firmatum omnia præſidia contemnat.

Curandi ratio.

In huius mali curatione, cauſa primò vnde principium traxit, inueſtiganda eſt: nam licet potiſſima ſit facultatis ſanguificæ impotentia, ea quippe ex varijs oriri aſſolet cauſis, ſiquidem aut ex frigido potu, vel frigidorum eſu, aut ex decubitu in loco frigido, & incommoda habitatione, vel ex itinere per loca niuoſa facto: aliquando verò prodit facultate diutino, aut acutiſſimo, & grauiſſimo morbo confecta: plerunque ex largiori vacuatione quauis: vltimo verò è retento ſanguine præter naturæ modum, vt in hæmorrhoidibus, aut menſtruis omnino cohibitis, maximè in his quibus ſecundum naturam largiùs fluere aſſueuerant.

uerant. Quapropter in huius mali curatione hæc omnia aduertisse erit opus: & primò, si ex frigiditate contracta sit affectio (nisi adhuc causa refrigerans persistiterit, nam eo tempore ipsam primò infirmare oportebit, & omnino abscindere) curatio blanda, & leuis adhibenda est, & vires omnino seruandæ quales accepimus: nam satius est corpus extenuare, vt vitiosi humoris portio quædam exhauriatur paulatim, quàm viribus non seruatis, maiorem copiam euellere. Cum hoc tamen vtile erit interdum famem, & inediam tolerare, & cœnam prætermittere: prosunt & matutinæ frictiones, ac exercitia moderata corpore ieiuno, sicut somnus moderatus longè à cibo. Victum insuper boni succi, aromatis conditum oportebit parare, & aquæ loco vino vti, vel cinnamomo, & zingibere cocto, vel parum diluto aqua cinnamomo, vel Indicæ sassafrasæ, aut cariophyllis feruefacta. Præstat & summo manè, vel *aquæ stillatitiæ, cinnamomi, anisi, aut cariophyllorum* ℥. *ß. porrigere, vel vini meracioris unciam*. Valet & aromaticum rosaceum cum vino, *theriaca* ʒ. 1. *aut mithridatij, vel conseruæ zingiberis* ʒ. 1. *& ß.* Fouebis insuper iecoris regionem oleo absynthij, spicæ, aut liliorum, item vino vbi ferbuerit absynthium, chamæmelum, & spica. Ventriculo etiam prouidebis eisdem fomentis, aut cataplasmate ex pane tosto, vino, & pulueribus diarrhodonis, & aromatici rosati; aut oleo spicæ, & citoniorum super sparsis prædictis pulueribus: quippe hæc & causam illidunt, & quod genitum est crudum resoluunt. Quòd si frigiditas habitualis factaque fuerit, quod rarò accidere solet, veluti in hepatica dysenteria eius curationem institues.

Verùm si ob contractam ex diurno affectu imbecillitatem iecur diminutè sanguinem generet, primitus aduersus communem medendi artem, roborare innatum calorem reficereque spiritum oportebit, & postmodum, si quid genitum est, euacuare, dummodo affectio diurna non sit: nam incipiente malo à virium robore, inueterato verò à crudi succi euacuatione incipiendum est. Quapropter cum mox in conualescentia alicuius affectus pedes intumescunt, cibi offerendi sunt tenues, & optimi nutrimenti, qui valdè vires roborare possint, ac vinum cum pane in prima mensa porrigendum, & aquæ quam paucissimum. Item venter fouendus est oleo naphthæ, & absynthij, imponendumque desuper cataplasma est, ex mica panis tosti, & vino cum pulueribus cinnamomi, coralli, & rosarum: manè verò sumat laborans vinū absynthites cum aromatico rosaceo. Prodest & mica citoniorum aromatizata, si febris nullum adsit vestigium, & iecoris gratia *rhabarbari scrupulum tertio quoque die* porrigere, *aut eiusdem tabellas conficere cum quadruplo sacchari, vel ex diarrhodone duplicato rhabarbaro, & aquæ naphthæ, quibus iecoris lupi præparati addes parum*, quod mirum in modum iecur roborare habet: tandem modico exercitio corpus modicè etiam calfacere, & iecur oleo absynthij cum pulueribus squinanti, & radicis angelicæ inungere, si febris ex toto abierit; sin aliter, detracta angelicæ radice. Qua etiam curationis methodo innitendum est, dum ex ingentibus vacuationibus malus hic habitus contrahatur, dummodo vel vacuationes iam suppressæ fuerint, vel primò supprimere studueris, roboratis membris, à quibus fluxiones prolapsæ sunt, & omni arte ad antiquum statum reductis, ne forsan quod ab eis decidere assueuerat, in iecur irruat cessante fluxione, quod non rarò succrescit, forsan maioris damni occasionem præstans. Cæterum si ex retento sanguine, quem salutis gratia natura assueuerat pellere, adeò iecoris calor, & sanguifica vis infirmatur, vt sanguinem probum efficere nequeat, vel ex quauis alia vacuatione naturæ consueta, & necessaria, primò quidem ipsam reuocare oportebit, si possibile fuerit, sin aliter, vel sanguine misso (si suppressio ex sanguine fuerit) ex talo in suppressis mensibus, & hæmorrhoidibus, vel ex brachio, parciùs tamen quàm si malus habitus nondum incœpisset, vel per repetita interualla, quoadusque vires sufficiant, vt natura leuetur, ac calor ventilari facilius possit, citra spirituum, & caloris sensibile dispendium: vel expurgantu medicamento exhibito, si suppressio ex vitioso aliquo succo profluit. In qua re paulatim, & per vices satius erit purgare, quam subitò vacuatione facta, vires per dissipationem perdere: quo facto ad roborantia te conferes, ea lege quam superius diximus, & paulò inferius fusiùs leges. Verùm quia impossibile est malo procedente in quauis prædictarum causarum, non generari aquosæ, aut crassæ substantiæ plurimum, ob id curandum est, eam digerere cautè, & prudenter, ne potibus, & digestiuis plus aquæ cruribus, & iecori præstetur, quod facies his quæ simul eam aquam educant, & iecur, ac viscera roborent. Huius naturæ est rhodomel cum syrupo eupatorij, & absynthij, aut syrupus cichorij cum oxymelite composito, & aquis stillatitijs, ex lupulis, absynthio, & gramine, vel aqua deaurata. Postmodum verò syrupo hoc purgatiuo vteris, q. ℞. *radicum diureticarum, polipodij quercini, & seminis carthami, anà* ʒ. 1. *hyssopi, prassij albi, origani, agrimoniæ, cuscutæ, & adianthi, anà m.* 1. *seminis anisi, fœniculi, & melonum, anà* ℥. 1. *coquantur in lib.* 4. *aquæ ad tertias, hoc est ad* ℥. 15. *& in colatura infunde per noctē foliorum senæ* ℥. 4. *agarici* ℥. 1. *& ß. epithymi* ℥. *ß. zingiberis* ʒ. 2. *bulliant parum, & fiat expressio, in qua dissolue sacchari albi lib.* 1. *& paretur syrupus mediocriter coctus, cuius capiat quinto quoque die* ℥. 1. *& ß.* aut si velis, plus purget laborans, *adde huic dosi in infusione rhabarbari* ʒ. 1. *cum* ℥. 2. *aquæ hordei, aut* ℥. 1. *vini, & altera eiusdem aquæ:* vel fiat syrupus etiam solutiuus, q. ℞. *syrupi eupatorij, vel acetosi diarrhodon, cichorij, aut rosarum Persicarum simplicis* ℥. 3. *rhabarbari infusi in aqua prassij* ʒ. 6. *cuius sumat tertio quoque die* ℥. 1. Quòd si vel his aluus probè non egesserit, aut medicamentū mutare libuerit, bis pilulis vteris, q. ℞. *aloes optimæ, pulueris hieræ simplicis, rhabarbari electi, & agarici trochiscati, anà* ʒ. 1. *cum syrupo absynthij, aut oxymelite squillitico fiat massa, cuius pilulas duas, aut tres capiat hora vna ante cibum.* Verùm in huius mali curatione, & in omni etiam hydropis specie, instituendum est potiùs humorem preparare, educere, ac viscera roborare ijs quæ sicca sunt medicamentis, & puluisculis, quàm potionibus, & ob id Gal. imitatione, ac hyberno tempore (nam æstate non inconuenit aliquid potulentum præbere) præstabit inter vnam, & alteram purgationem porrigere tabellas, q. ℞. *pulueris aromatici rosati, diamargaritonis frigidi, anà* ʒ. 2. *rasuræ eboris, & cornu cerui, anà* ʒ. 1. *sacchari albi dissoluti in aqua rosarum* ℥. 3. *fiat electuarium, & manè cum vino albo porrige eius tabellam.* Vel aliud paretur, q. ℞. *rasuræ eboris pulnerizati, aromatici rosati, anà* ℈. 2. *pulueris electuarij triasantalorum, & electuarij lætitiæ Galeni, aut loco eius diacimini, anà* ʒ. *ß. sacchari albi dissoluti in aqua rosarum* ℥. 4. *cuius capiat* ʒ. 2. *ante prandium, aut cœnam, ac superbibat oxymelitis simplicis, vel ex decoctione radicis petroselini, fœniculi, aut hyssopi* ℥. *ß.* Quibus, vt postulauerit affectio repetitis, ventriculo prouidebis oleo de spica, de cariophyllis, ac de abiete, & de mentha: item ipsum fouebis, q. ℞. *radicis althææ, cichorij, enulæ campanæ, anà* ʒ. *ß. rosarum rubearum, balaustiorum, agrimoniæ, menthæ, absynthij, florum chamæmeli, & anethi, anà m.* 1. *& ß. seminis anisi* ℥. 1. *squinanti, cyperi, calami aromatici, anà* ʒ. 3. *fiat decoctio in lib.* 2. *vini, & vna aquæ*, & cum spongia foueatur ventriculus: item ex prædictis herbis, & seminibus fiat sacculus, qui ventri adhibitus idem præstet beneficium, & alijs præsidijs vteris quæ reperies tom. 2. cap. de iecoris præsidijs.

De ascite. Prima, & quæ magni est periculi, hydropis species (ascites eo nuncupata, quòd ventrem aqueo humore, & sero plenum repræsentat, haud secus, quam semiplena vesicula, quæ commota fluctuat) hoc habet proprium, quòd considerata sui ratione, morbus sit in magnitudine adaucta ventris, reductus quidem ad genus tumorum præter naturam, vt Galeno visum est 14. method. & lib. de tumoribus præter naturam prope finem. Verùm considerata vt à refrigerato iecore prodit, ventris tumor velut symptoma morbi iecoris haberi debet, vt visum est etiam Galen. libro de different. symptom. Itaque tria in ascite sese consideranda expendendaque diligenter offerunt: primum, iecoris morbus in intemperie frigida situs, qua sanguinis loco, frigidam inutilemque aquam gignit: alterum, tumor præter naturam in ventre obortus à prædicto seroso humore genitus: tertium verò, prædicti humoris ductus, & collectio in ventre. Sic profectò primò considerabis, qualis conditionis, & naturæ sit frigida illa intemperies, quæ ascitem generat. Quam (si rectè considerasti quæ à principio huius capitis diximus) comperies esse duplicis conditionis, & mixtæ naturæ: quippe in omni hydrope necessum est, calorem innatum, quo iecur sanguinem gignit, imminui, & cum hoc vitiari: nam dum solùm imminuitur, aut dysenteria hepatica, aut malus corporis habitus oritur, vt enim hydrops fiat, necessum est vitiari, & rursus insuper iecur vniuersum habituali frigiditate esse intemperatum: quibus hepatica dysenteria, & malo corporis habitu ascites dissidet. Nam in illis imminuitur innati calidi copia, & vis, non tamen succrescit habitualis frigiditas, aut caloris vitium, sed solùm ea frigiditas quæ caloris defectum sequitur; at in ascite vtrunque succrescit, haud secus quàm in hectica febre: quippe in marcore solùm adest siccitas cum virium imbecillitate, in hectica verò febre siccitas etiam, & caliditas præter naturam, quo imbecillitas maior multis numeris efficitur. Sic etenim in ascite si calor solùm imminutus extitisset, prodijsset tantum sanguis diminutè coctus; quia verò vitium etiam accedit, & habitualis frigiditas, sanguificandi munere ferè orbatum reddit iecur, quo efficitur aqua ferè loco sanguinis, & si quid eius gignitur, aquosissimum, id est, & inutile ob caloris vitium: atque ob id plerunque initium sumit ascites à defectu innati calidi, à causa contracto, quæ non solum ipsum imminuit, sed & imminutum vitiauit, vt de febribus ardentibus fertur: quo fit vt loco sanguinis aquæ vberior prouentus succrescat, non quòd aliquid sanguinis non generetur, sed quòd sit parcissimum, quo differt à malo habitu, & dysenteria hepatica: nam in ascite aqua solum colligitur in vẽtre, quia separatur à sanguine, quod in malo habitu, & prædicta dysenteria non contingit, quia simul it cum sanguine aqua ad intestina, vel ad vniuersum corpus: prẹterquam quòd in ascite etiam colligitur in vẽtre, quia non excernitur per vrinam, vt de more erat. Cui etiã damno accedit (vt ibidem colligatur) aquã vitiosam reddi adhuc in ipso iecore, quod forsan pauci concedent, sed ego arbitror potissimam esse ascitis rationẽ. Quippe fit hæc affectio, quoties iecur non solùm serosum auget humorem, sed genitum corrumpit, & quasi putrefacit: quo fit vt neque emulgentes seligant, neque renes alliciant, ac ex consequenti cogatur natura alicubi recondere. Nam si prædicta aqua talis à principio non extitisset, proculdubio allicerent renes: indicio est quòd multi qui parum mingunt, hydropici protinus euadũt, & alij copiosa vrina emissa, aut hoc malo non corripiuntur, aut ab eo euadunt. Augent nostram rationem hunc succum adeo corruptum esse, vt protinus antequam sanguinem vitiet, natura separet, quo fit vt nunquam sudore excernatur. Idem quoque probat, plures esse qui amphoras aqua plenas

A ingerunt, hydropici tamen minimè euadunt, quia in iecore aqua illa nullum susceptat vitium, alij verò vel sex vncijs ebibitis, in hydropem incidunt, quòd eas iecur protinus vitiet. Quibus rationibus persuasus arbitror, prædictam aquam in iecore eam sortiri labẽ, quæ sufficiat vt protinus à natura separetur, & in loco aliquo inclusa ampliùs vitiata in salsuginosam, & nitrosam naturam commigret, quo siti perpetua laborantes premuntur. Quam equidem aquam (quod secunda consideratio pollicetur) cùm partes renuant tanquam alitioni inutilem, & renes non trahant, ac expurgent, quòd imbecilles sint, & ipsa vitiata, decreuit natura alicubi (melioris gratia, ne citiùs laborans periret) colligere, ac recondere, iuxta illud Hippocra. 4. de morbis paulò superiùs adductum. Sic etenim
B dicta aqua cùm genus venosum non irruat, neque à renibus expurgetur, exudat in ventrem per angustos cæcosque poros, aperto ruptove vase aliquo, sine sanguine, sola, vti solet per renes, excidit, & in abdominis capacitatem illabitur: nam vasa illa meseraica, per quæ aqua prolabitur in dicta loca, raræ sunt contexturæ, peritoneo tantùm vestita, ob id serosum hũc succum continere nequeunt, qui sua tenuitate resudans in omentum, & intra peritoneum, & in prædictum spatium, maximè cum à liene, colo, tenui intestino, vel alijs partibus vnde epiploon nascitur, malum principium sortitur. Interdum etiam ex hepate serum resudans ob aliquam continui solutionem, aut suppurationem, vel ardentem febrem, intra am-
C bientem membranam, quæ integra est, colligitur, & vesiculas aqua plenas concitat, quales sæpè in pecudum boumque iugulatorum iecore cernuntur, quæ in omentum vt scribit Hippocrat. 7. aphorismorum 55. erumpunt, venterque aqua repletur, atque moriũtur. Habet enim omentum peræ & imperiusi infundibuli speciem, quo intra se portæ caudicem excipit, per cuius ramos excidit aqua, quæ ibidem collecta ascitem concitat.

Præmittendum est Erasistrati sectatores nulla alia ratione hydropes fieri affirmasse, quàm viarum angustia sanguinis distributionem per iecur prohibente: alios etiam anasarcam, & omnes hydropes ab intemperantia calida fieri contendentes, & aliquando *Causa.*
D ab Hippocrat. & veteribus statutum esse ab ilibus, & lumbis vt in prognost. scripsit: multi etiam à morbo acuto, sed mediante iecoris læsione. Hæ ergo partes, & vicinitate, & venarum connexione facilè hepar in consensum trahunt, præsertim cùm quædam annexæ sint, aliæ continuæ: vbi venæ plurimæ, aliæ dispersæ, aliæ veluti scalæ directæ per quas fit anadosis, & chylus è ventriculo in cauas hepatis conuehitur: in quibus partibus focum habente causonide, & putredine concepta, alimentum corrumpitur, & sanguificatio impeditur, vbi hydropis prima fundamenta iaciuntur. Sic Celsus profectò scripsit vbi dolor in imo ventre, & coxis est, hydropem ab ilibus firmandum esse: quippe ab ilibus oriri idem est quod
E ab inflammatione earum partium. Renes quoque idem efficiunt, vel quia imbecilles, vel quia in meatu tuberculum aliquod innascitur, vel quia venæ hectica intemperie concepta, hepatis conuexam partem, indeque totam substantiam refrigerãt, sic splene grauiter affecto sanguis in iecur recurrit, & præ copia, aut crassitie ipsius calorem extinguit, & sic sentire de reliquis partibus oportet, cùm vel nimio calore æstuant, & innatum iecoris dissipant, & ob exustionẽ humidi substantifici iecoris, ipsum ad frigidam temperiem ducunt, vel frigiditate extinguũt, vt affectis vtero, septo transuerso, ventriculo, meseræo, ieiuno intestino, & tenui, pulmone, thorace, asthmate, aut pessimo vlcere correptis, à quibus modis omnibus dictis compatitur, ac forsan dũ thorax laborat defectu cõmodæ ventilationis, calore cordis per suffocationem

extin-

extincto, quo & iecoris calor sensim imminuitur, & mille modis vitiatur. Quibus suppositis causas speciales huius affectus (quibus etiam natura peculiarius innotescet) triplicis esse sortis statuendum etiam iudico, cùm certum etiam sit tribus constare eius naturam. Nam iecoris morbus, nimirum distemperies, aquarum ductus in dicta loca, & ventris tumor præter naturam integrant ascitis essentiam, & conditionem. Sic profectò iecoris duo esse vitia dictum est: primum innati caloris defectum: secundum ipsius vitiosum habituale intemperamentum. Sed calore innato priuatur iecur vno è duobus modis, vel ex proprio, & peculiari eius affectu, aut per consensum ab aliquo vicino, aut non longiùs dissito membro. Vtcunque tamen sit, semper refrigerato iecore prodit: quæ sanè frigiditas, aut qualitas ipsa præsens, est calori contraria, quæ vim agendi habet, aut caloris natiui, & formæ priuatio, siue resolutio, aut caloris absentia: Itaque fit semper altero è duobus modis: nam aut succrescit ob substantiam innati calidi dissipatam (vt in febribus ardentibus, & diuturnis affectionibus, & vacuationibus prolixis: nam caliditas quæ substantiam non dissipat, hydropem non efficiet, bene tamen ad præternaturalem calorem iecur intemperabit: illa verò caliditas ipsum refrigerat, consumpta ipsius humida, & natiua substantia) aut eodem calore frigiditate extincto, quod frequentiùs ab extrinseco affectu, vel membro alio proficisci assolet. Sic hydropem generat sanguinis largior profusio, præsertim hæmorrhoidum, aut narium, mensium tamen non item: præterea ventris profusio diutina, maximè si accedat largior aquæ potus: sic puris, aut cuiusuis alterius humoris ex vlcere emanatio diutina, nec non & dolorosi, ac tabescentes affectus. Quibus omnibus vim innati caloris infirmari, ac ex consequenti eius munia, necessum erit, maximè si accesserit inordinatus opiatorum, aut frigidorum medicamentorum, & apozematum vsus. At frigidum affectum primò, & per se in iecur inferunt etiam ipsius scirrhus, diutina obstructio, & ciborum, ac potuum frigidorum copiosior ingestio, aut vlcus, vulnus, aut abscessus, modò hæ affectiones in iecore præsint, modò in membris vicinis, vt mox ex veterum sententia diximus, à quibus per venas, & arterias, aut quemuis alium colligantiæ modum, ipsi communicatur frigiditas. Quare verò aqua colligatur prędictis in locis, causæ sunt renes, quibus munus est sanguinis aquositatem trahere: quo fit, vt aliquando ipsis factis imbecillimis, per genus venosum vagetur adeo copiosa aquæ vbertas, vt vel calor suffocatione periclitetur, vel si natura potens sit, per dicta loca ad ventrem protrudat: aliquando verò licet renes non adeo sint imbecilles, aqua est adeo copiosa, & prauo vitio affecta, vt idem symptoma succrescat: nam vitium hoc vtcunque sit, renum iacturæ tribuitur, & ob id deficiente debita eorum actione (etiam si fit ob aquæ vbertatem, quæ naturæ modum excedit) in illos est regerendum. Quapropter generationis huius aquæ causa est iecur, redundantiæ verò eius per vniuersum corpus, & ventrem, renes, quia ipsam non expurgant: nam ob id censeo Auicen. dixisse causam ascitis esse, aut in virtute separatiua, aut in materia separata, aut in vijs. Sic etenim eiusdem collectionis in ventre natura sagacissima causa est, quæ cauens vrgentius periculum, loco dicto recondit, & tumorem efficit præter naturam, eo modo quo dictum est: sic enim constat tumoris causam esse collectionem, abundantiæ renes, generationis quidem aquæ, iecur.

Signa. Diligenter enim obseruare oportet vnde primum oriatur malum, non solùm præsagij ratione, sed etiã curationis, quæ ante omnia parti primario affectæ prospicit. Frustra enim hepati adhibentur remedia, cùm à renibus, ventriculo, liene, ieiuno intestino, me-A senterio causam principiumque ducit hydrops. Quapropter primò docere oportet quibus signis quæuis hydropis species dignosci faciliùs possit, deinde qualiter quæuis causarum dignoscatur, vt iuxta cuiusque naturam, & causam curationem instituamus. Monstrat signatim hydropem ascitem futuram, quod Hippocrat. scripsit 6. de Coacis dicens: *In biliosis turbata aluus reddens parua genituræ similia, mucosa, quæ ad aqualiculum dolorem faciunt, vrinæ quoque non facilè prodeuntes, vt ne in hydropicum malum desinant metuendum.* Quo loco impendentis hydropis significationem ostendere, ea omnia in vniuersum scribit, quæ hepar immodicè refrigerant, aut valdè obstruunt, aut febrili ardore torrent, aut multitudine, & B crassitie obruunt, particulatim verò graues, & inueteratos ipsius affectus, renum imbecillam secretricem, morbos item acutos ieiuni, & mesenterij, qui nec suppuratione, nec crisi finem habent: item & malum corporis habitum. At præsentem monstrant ventris tumor supino ægro latus, & per vniuersam regionem extensus; erecto quidem prolabens ad os pubis, quod tympanin non accidit: quippe aqua fluitans horum accidentium causa existit. Adest insuper fluctuatio aquæ, & tumor, vbi laborans cubat, prolabitur, & velut vndæ sonitum mouet. Præterea succrescit huic hydropi duplici ratione sitis, longè incompescibilior cæteris, & quæ potu crescit, & irritatur magis: nam cùm humor ille in ventre collectus C salsuginosus nitrosusque efficiatur, ab vberiori aqua in salsuginem versa, consortio præexistentis in ventre, siticulosiorem euasurum laborantem certissimũ erit: item quia non solùm sitis ea ratione succrescit, sed quia natiua humiditas absumitur, quæ potissima est huius symptomatis causa. Atque licet hæc sint signa quæ hunc affectum commonstrant, reperiuntur tamen alia, quæ signatim monstrant particulam, cuius occasione iecur patitur, & etiam affectus ipsius magnitudinem. Sic enim inquit Hippocrat. 2. prognost. *Hydropes autem omnes qui ex acutis morbis fiunt, mali sunt, non enim à febre liberant, & valdè dolorosi sunt, ac lethales: incipiunt autem plurimi ex partibus inanibus, & lumbis, quidam autem à iecore.* Præ-D terea vt distinguat Hippocrat. quando à iecore primario affecto, quando verò à prædictis partibus, refert paulò inferiùs, & præcipuè lib. de Coacis. *Quibus igitur ex partibus inanibus, & lumbis hydropum initia fiunt, pedes intumescunt, & alui fluor diutinus fit, nec soluens dolorem, qui ex inani parte efficitur, ac lumbis, nec molliens ventrem.* Quibus verbis constat, ascitem cui tumor pedum adiungitur, à principio ex inanibus corporis partibus prodire, tanquam signum assidens, non proprium adstruere: nam cùm primario affectu cor laborat, præfertur multis ante diebus pedum tumor, & subsequitur deinde hydrops. Itaque incipiente morbo, vapore sanguinis, hora vespertina prope noctem pedes inflantur, ac manè de-E tumescũt completa coctione, calore aucto, & coadiuuante calore lecti. Hac etiam de causa fit, quòd resurgentibus à somno oculorum palpebræ tumidæ appareant, quia ob humorum cruditatem pusillus calor in somno valuit vaporem eleuare, non tamen discutere, donec die superueniente dissipari contingat. Sed circa pedum tumores multa profectò, & notatu digna, se se offerunt expendenda: quippe œdematosus pedum tumor commune signum est, non solùm iecoris affecti primariò, verùm & per consensum, à quauis parte sit, nisi quòd interdum non à principio pedes intumescunt, sed crescente malo, nõnunquam verò mox à principio in tumorem eleuantur, nondũ iecore affecto, præludium, & signum futuri hydropis. In qua re primò sciendum est, quare crudus humor ad pedes potiùs dilabatur, deinde quomodo sequatur hydropẽ, & quando ipsum antecedat. Primi

causa triplex est: vna pituitosi, & crudi sanguinis naturæ, qui suaptè conditione deorsum magis fertur: deinde pedes in decliui loco positi, frigidi, offe pleni, neruis, & cartilagine, quibus sanguis facilè in flatus vertitur: tertia quòd longissimè distent à fonte caloris. His suppositis, pedes in hoc malo tripliciter intumescere contingit. Primò propter ilia, & intestina gracilia in tumorem, & in inflammationem ducta: quippe in his primò sanguis calorque natiuus elanguescit, quo in flatus, cum crudior sit, facilè commutatur, aut quia nequit partibus his assimilari, ad pedes qui proximi sunt prolabitur, in tumoremque eleuat. Prodit secundò prædictus tumor in conualescentibus, tum ex longo, tum ex acuto morbo: quo tempore non est adeò formidabile signum, si initio occurratur. Causa enim est non malignitas morbi, sed ciborum potuúmque copia, aut causa aliqua externa: natiuus enim calor tum in ventriculo, tum in hepate languens, & ex prægresso morbo ferè resolutus, tantum conficere nõ potest, quantum ægri appetunt, aut etiam quantum alendo corpori opus est: ideoque quod ex alimẽto vapores crassi, cruda crassaque excrementa congeruntur, viscera opprimendo facilè hydropem gignere queunt. Tertiò pedes quoque intumescunt ex iecoris proprio vitio, vt mox referam, quia diminutè sanguinem conficit. Sed primum nosces ex ilium, ac intestinorum gracilium dolore, & torminibus cum molesto, & graui pondere: secundum ex prægresso morbo & vitæ modo: tertium, quòd nil horum adsit, aut præcesserit. Solet etiam succrescere fluxus ventris, maximè ventriculo, & ilibus affectis, & iecur refrigerantibus: monstrant id chylosæ deiectiones ab obstructione, aut tumore præter naturam ortæ. Signum hoc tribus modis in hydrope apparet, vno incipiente malo; secundo, ex indebito vitæ modo in quouis morbi tẽpore: tertio, iam in deterius labente hydrope. Primũ quidem dum mox à mali exordio prodit, significat hydropem proficisci ab ilibus, & gracilibus intestinis affectis, vt mens est Hippoc. lib. de Coacis, dicentis: *Quibus igitur ex ilibus ortum habet hydrops, iis pedes intumescunt, & diuturna alui profluuia comitãtur:* quod sanè signum iudicatorium est non iudicans, perpetuò succrescente noua cacochymia, ideoq; nec ilium, neque lumborum dolores soluit, quia manet causa nimirum intemperies, aut earundem partium inflammatio, nec vẽtrem imminuit, quòd causa morbifica non excernatur, sed tantum corrupta alimenta: cuius euentus causa triplex reperitur: imbecillitas videlicet venarum, quibus tanquam manibus iecur ad se trahit alimentum adeò, vt nec visceri ad digestionem subseruiant, nec alimentum in ieiuno, & tenuibus intestinis morari possit, quæ si infirma quoque fuerint, grauata alimento, id omne confestim deorsum propellunt. Huius autem imbecillitatis causa est intemperies hectica, & frigida, & quæ iecur nõdum in consensum mali trahit, sed quod in mesenterio non inchoetur ampliùs hæmatosis: ob idque ad lienteriam huiusmodi profluuium referre oportet. Altera causa est in quibusdam obstructio à putredine, & phlegmone, quæ intercipit distributionem, in qua præter vim tractricem hepatis requiritur vasorum amplitudo. Tertia alimenti corruptio, & perennis biliosi excrementi coaceruatio, tum à putredine, tum ab inflammatione, & vehementi calore ieiuni, vel mesenterij, ex quibus vehementer morderi intestina, & irritari ad excretionem eorum quæ infestant, oportet, ex quo prodire diarrhœam necesse est, quibus nec dolores sedari possunt, cùm internus ardor, & intemperies hectica, quæ semper eadem generet excrementa, maneat: quo fit vt à purgationibus medicamento factis adhuc deteriùs se habeant qui sic affecti sunt. Præterea hydropem à morbo acuto prodire probat Hippocrat. loco prædicto, quia febris nõ

A soluitur ipsa adueniente, neque dolor qui præfuerat in ilibus, sed dolorosior efficitur homo. Item à iecore primariò affecto fieri, monstrat idem author ex tussiendi cupiditate, citra excretionem aliquam, quæ tussis si superueniat hydropi, grauis est, & periculo plena, vt Hippocrat. placuit 6. aphorismorum 35. & lib. de Coacis, dicens: *At quibus ab hepate tussis, vel facilè fit, pedes tument, aluus dura reddit, & ea vi tumores circa ventrem fiunt: secus res se habet si simul incipiat, vt iecore affecto.* Cuius dicti occasione in memoriam reuocare oportet tribus de causis hydropicis tussim superuenire posse: vno, dum defluxio à capite simul cum hydrope complicatur: cuius nulla, aut leuis habenda est consideratio, alio verò cùm ex B proprio iecoris vitio succrescit, quo tempore designat hydropem à iecore prodire, non ab alijs membris. Quapropter Hippoc. lib. de Coacis censeo dixisse prædictam sententiam. In qua re expendendum est tussim hanc, non esse veram, & completã tussim, sed solùm tussiendi cupiditatem, quæ confestim cessat, prodiens quidem ab oppresso diaphragmate propter tumorem, vel ab eodem diaphragmate attracto à grauitate iecoris ex tuberculo, vel scirrho, alligatur enim hepar septo quibusdam fibris, quibus deorsum reuulsis, vna septum trahitur, & ab hoc membranæ quæ thoracem interiorem comprehendunt, ex quo angustia spirituum instrumentis accidit, quæ hanc inanem tussim mouet. Quocirca siue hepat primario affectu laboret, siue etiam secundario, sed iam obfirmato, vt marasmo retorrido, duritie, scirrho, tumore, tussis, & eius cupiditas infestant. Terna tussis species, seu causa est desperati hydropis, vndecumque ortus sit, quo tempore non iam est tussicula, sed vera, & vehemens, ac difficilis tussis, à materia contenta in pulmone, quæ vi morbi, & præ copia, à capacitate ventris, cœcis ductibus eò regurgitat, & præsidia vitæ, ac spiritales partes expugnat. Quam tussim Hippocr. intellexit, cùm scripsit in salutaribus signis hydropicorum sitim non adesse: 6. tamen aphorismorum 35. *hydropicis tussim superuenire* statuit *malum:* item *si hydropicum tussis habeat* 7. aphor. 47. *desperatus est:* qua voce, *habendi*, notat vehementiam affe- D ctus qui iam naturæ dominatur, pertinax est, & ęgrè curabilis. Item quòd pedes antea intumescant, & quia venter dura eijcit, & difficulter, quòd nihil biliosum conscendat ad intestina, quo irritentur: quòd si aliquid aquosum descendere contingat, magni profectò periculi est signum, quia aluus soluitur præter modum. Pedes etiam iecore primariò affecto intumescere, ipsum, addita peculiari conditione, læsum esse, & ab eo malum prodire commostratur, vt antea diximus. Monstrat etiam iecur affectum paucitas excrementorum, & durities, vt in prognost. scripserat Hippocr. dicens, *nihil deiicit nisi dura quædam & necessitate coactus*, quoniam absunt causæ lienteriæ, & diarrhœæ, quas diximus in prædictis causis ob intesti- E na, & meseræon, item quia iecur retorridum, & aquã aliundè transmittit: & excrementa exurit, maximè quia diu morantur in aluo: quòd potissimum contingit per initia, nam postea plusiusto solent excernere, quod longè grauius est, quia corruptionem nõ leuem arguit. Quòd si ex diutina euacuatione prodeat ascites, id ex interrogatione facilè nosces, & quia vniuersum corpus emaciatur, pedes tamen & venter intumescunt: si verò ex suppressione fiat, vniuersum corpus simul cum ventre intumescit.

Quid verò ex ascite prædicere liceat, appositissimè docuit Hippoc. lib. 2. prognost. t. dicens *omnẽ hydropem ex morbo acuto ortum, lethalem esse*, quòd viribus mille modis resolutis accidat, & vitium essentialem imbecillitatem arguat, necnon & difficillimam curationem, quia vires præsidiorum efficaciam perferre non valeant, & à leuioribus exacerbetur magis: sic *Præsagiũ*

etiam

etiam is qui ab acuto morbo febrili prodit, grauissimus est, quòd humidi radicalis, & innati caloris dispendium arguat minus qui ex fluxu sanguinis prodit: item qui ex albis vteri purgamentis, ac manantibus vlceribus, & fistulis, & longè minor qui ex alui fluore principium traxit. Est tamen grauior, & difficilior qui ex iecoris scirrho prodit, minus qui ex vteri, & intestinorum, & longè minus, qui ab splene: cum hoc tamen longè faciliùs soluitur hydrops qui ex sanguinis vbertate, & mensium suppressione oritur. Præterea sunt præter hæc alia signa, quæ vel malum, vel bonum in ascite ostendere habent, idque pro ratione temporis, aut causæ: sic tussis superueniens malũ, quia arguit aquositatis aliquid in instrumenta respirationis adire: præcedens verò nõ ita, sed scirrhosum iecoris tumorem præponderare plurimùm. Item pessimum est laborantem difficulter respirare, pulmonẽ enim aliquid aquositans proprio motu attraxisse mõstrat. Præterea à ventris tumore crura intumescere, testes, ac pudendum, & lumbos, firmatum esse, & irreparabile damnum, maximè si accedat tussis sicca. Sic vrinam paucam, & turbatam lethalem fore scribit Hippocr. 6. de Coacis, quippe aliò transferri humorem arguit: desperatus etiam videtur is qui leuatus remedijs, renascitur: item cum vlcera per corpus erumpunt, quòd insanabilia fiant, cum hoc tamen si manantia sint, prodesse solent, maximè si ipsis manãtibus aliquo modo detumescant: signum quidẽ est, sanguinem defæcari per vlcera, & non per collectionem in ventre. Pari etiam ratione bonum portendit à principio alui fluxus aquosus sine cruditate, nam aliter periculosus in ascite, in anasarca verò salubris, vt eadem parte refert idem author: item remedijs cedere, & non reuerti, copiosè mingere, sitim tolerare, & alimentum membra extenuata capessere, faciliter respirare, probè aluum excrementa reddere, & leuiter ægrum moueri.

Curandi ratio. Cùm dictum sit vniuersam huius mali naturam tribus tantùm dispositionibus integrari, intemperie nimirum frigida, & plerunque habituali: aquosæ & serosæ substantiæ deductione (ob defectum tractricis renum, & aquæ vbertatem in vẽtrem: & vltimò collectione in ipso facta, quæ tumorem gignit, ob id profectò triplex necessariò succrescit in eo medendi ratio, vnicuique vna proficua, & peculiaris. Quippe iecoris intemperies reductionem ad antiquum temperamentum, & virium firmitudinem expostulat: genita item ab eo aqua deductionem ad vrinæ meatus, & eductionem prærequirit, quo minus subsit ad ventris tumorem efficiendum: at verò ventris tumor resolutionem, ac si id fieri non possit, aquarum quæ ibidem continentur, eductionem, siue id per expurgantia pharmaca fiat, siue per paracentesim, seu apertionẽ: quæ sanè opera longè inter se diuersa sunt, & diuersissimis postulant fieri auxilijs, & occasionibus. In quo opere exequendo, licet primo accessu videatur initium curationis auspicandum fore ab eo affectu qui reliquorum est causa, vt ab omnibus proclamatum est, res tamen & mali conditio contrarium exequi docet. Nam intemperamentum iecoris, quod generationis aquarum prima causa existit, malo iam facto aliam adhuc babet fouentem causam, quæ primò prouidentiam expostulat, nimirum ipsarum aquarum abundantiam, quæ ipsum iecur impensiùs refrigerat, ita vt nullis auxilijs intemperiem corrigere possis, ni priùs aquas eduxeris: secus tamen res se habet in curatione mali habitus, aut incipientis hydropis: quippe tunc ab intemperamenti reductione incipiendum est. Sed antequam aliquam ex prædictis methodis aggrediar, qualis victus instituendus sit, monstrare institui.

Victus ratio. Primùm itaque, sic affectis domus eligatur sicco aeri, & loco exposita, ac si maritima haberi potest reliquis præferenda est. Dormiat item, ac vigilet pari mensura, quippe illud coctioni efficiendæ magis confert, hoc verò distributioni: cui muneri magni est momenti exercitium, siue pedestre; & siue in lectica, aut in naui feratur laborans. Cibus offeratur sic affectis siccioris, & solidioris naturæ, & quantùm fuerit possibile facilis coctionis: sic panis supra mediocritatem coctus, aniso, vel fœniculo, cinnamomo, aut ligno aloe fermentato: ex auibus, quæ montanæ sunt præstantiores habentur, vt perdices, phasiani, turdi, turtures, columborum syluestrium pulli, & reliquæ quæ pingues non sint: quòd si haberi semper non possint, sat est gallinarum carnes assas præbere, pullorum, & caponum. Item ex quadrupedibus, cuniculorum, leporum, ceruorum, arietum, & aliorum quæ in montibus degunt carnes vtilissimæ sunt, maximè si ex eis paretur ius extenuans, cum petroselino, dauco, fœniculo, apio, pulegio, eruca, & cinnamomo: nec desunt qui maiorem horum copiam in cœna præbeant, quam in prandio, quòd feliciùs somno coquantur, & vigilia commodius distribuantur. Vtantur etiam passulis, amygdalis, caricis, & alijs quæ vim habeant exsiccandi, & ebibendi humiditatem inundantem, velut est anisi, dauci, ligni aloes, cariophyllorum, & cinnamomi puluis cum saccharo ante cœnam, & post prandium: bibant autem quàm paucissimum, quantum nimirum solatij gratia sufficiat, idque sit vinum tenue, & vetustum, medicata aqua dilutum, qualis est quæ ex cinnamomo, cariophyllis, ligno aloe, myrica, absynthio, aniso, aut sassafrasa paratur, denique quàm parcissimum bibant, & quàm plurimum laborent: nam potus longè magis sitim auget quàm extinguat, præterquam quòd malum auget aqua ipsa nitrosa salsaque reddita.

Medicamentorũ vsus. Quatenus verò ad id quod primò fieri debet, expẽdendum est, incipiendum esse in hac curatione ab euacuatione aquæ in prædictis locis congestæ. Itaque si constiterit (posthabita sanguinis detractione, quæ in ascite nulla lege exercenda venit, nisi iecore euidenter inflammato, idque parcè, & cautè) frigidam causam adhuc præesse, & iecur ea ratione languidum existere, primo mali accessu coniectandum est, opus non esse, vt Barbari consulunt, humorem educẽdum præparare, siue à causa frigida affectio prodeat, siue à calida: nam cùm serosa sit substantia, quæ neque coqui potest, neque attenuatione ad expulsionem indiget, frustra est laborantium gustum turbare, & ventrem potionibus replere, quæ forsan tumorem augent potiùs quàm causam illidere possint. Quapropter tribus præsidiorum sortibus aquas educere necessum est: primo, quo è ventre extrahas quod collectum ibidem immoratur, per ventrem ipsum: secundo, quo fluxuram ad ventrem aquam per vrinam deducas: tertio, quo discutere possis intrò extraque quod in ventre reliquum est. Cæterum dum hæc Medicus exequitur, aliud auxilij genus præstare per interualla tenetur, quo & viscus ipsum roboretur redeatque ad natiuum temperamentum, aut si quid obstructum est peruium fiat, simulque viscus ipsum expurget abstergatque, si quid ibidem impactum permanserit. Quapropter primo Medici accessu, implorato diuino auxilio, porrigere oportet id, q. ℞. *agarici trochiscati, & rhabarbari, ana* ℥. 1. *infundantur in decocto ciceoru, petroselini, & absynthij, & facta expressione adde syrupi rosati solutiui* ℥. 4. *& fiat potio.* Quo semel facto, vt si quid in venis vitiosum est, aut in vijs crudum expurgetur, ad ea te conferes, quæ specialiùs aquas educant: quæ non erit ab re mutare, ac variare mille modis, ne natura eis assuescat, & contemnat, vel horreat frequenti vsu. Quapropter in his qui leuiter in hoc malum inciderunt, nec plurimum venter intumuit, pilulas ex agarico trochiscato, rhabarbaro, & hiera simpl. Gal. cũ succo absyn-

thij amari, vel decocto laureolæ, vel turpeti, & oxymelite confectas porrigere poteris, aut si vetustior sit affectio, cum succo radicis ireos, aut mezereonis. Valent etiam pilulæ Rasis q. ℞. *rhabarbari, succi agrimoniæ, seminis endiuiæ, anà ʒ. 3. agarici ʒ. 5. foliorum laureolæ infusorum in aceto, & siccorum ʒ. 6. fiant pilulæ, quarum ℈. 2. satis sunt*: sed fiunt leniores demptis foliis laureolæ, & vehiores si formaueris succo ireos, aut oxymelite in quo maduerit mezereon, laureola, aut euphorbium. Item si hydrops ex obstructione, vel scirrho hepatis, aut splenis prodierit, magni vsus existunt pilulæ, q. ℞. *limaturæ chalybis ʒ. ß. pulueris foliorum laureolæ temperatorum aceto (aut loco eorum pulueris radicis ireos, aut sambuci) ana gr. 10.* sed præstantius, & securius, si id vehementer aluum turbauerit, *pulueris diarrhodonis ʒ. 1. aut hieræ Galen. ʒ. ß. succi absynthij quod sufficiat, vt fiant pilulæ, quarum sumat laborans ʒ. 1.* Præstat tamen eundem vsum, sed efficacius, id q. ℞. *decocti radicis sãbuci, seu ebuli, vel vtriusque ʒ. 1. vel decoctum earum in vino, aut hydromelite* ex quo solo beneficio, securius quàm quouis alio, nõnulli non leuiter conualuerunt. Iuuat etiam non parum succus brassicæ marinæ cum sero lactis: verùm adeo est ventri aduersum medicamentum, vt minus damnum mihi videatur, carere suo præsidio, quã frui eius malefico effectu: nam & ventrem subuertit, ac dysenterias nonnunquam mouet: *succus item prassij depuratus cum vino, & melle dosi ℥ 1.* in hydrope cum ictero mirum in modum prodesse creditur. Confert & vsu probatissimus habetur *succus radicis ireos depuratus à residentia*, & admixtus hydromeliti, sero lactis, aut aquæ stillatitiæ ex terebinthina, addito puluere rhabarbari; vel triasantalorum: præstatur etiam *cum hydromelite pondere duarum drachmarum, vel decocti eius ℥. ß. aut eiusdem pulueris ʒ. 1. cum oxymelite factis pilulis, quarum singulis diebus sumat vnam laborans* Sed pretiosius extitit ex eadem radice conseruam efficere hac lege: *excipe radicis iridis excorticatæ lib. 1. mellis ℥. 14. fiat conserua ea ratione qua efficitur caro citoniorum, addito aniso, ligno aloe, & fœniculo*. Nec minoris momenti est *tertio quoque die laboranti porrigere ℥. 2. huius decocti q. ℞. aquæ hordei decoctionis radicum ireos ℥. 4. mellis rosati ℥. 1. & ß. radicis ebuli ʒ. 2.* misceantur, & facta colatura porrige prædictam quantitatem. Purgat pari pensu prædictam aquam potus q. ℞. *seminis carthami conquassati ʒ. 3. radicis ireos ʒ. 1. cinnamomi ℈. ß. infundantur per noctem in ℥. 4. seri caprini.* Nec minoris momenti est q. ℞. *polypodij ℥. 1. & ß. visci quercini ℥. 1. seminis carthami ℥. ß. anisi, & fœniculi, anà ʒ. 1. conquassata omnia, & in ligatura vnà cum gallo decrepito coquantur, & laboranti detur manè ius galli*: item sine molestia aquam ducit *corticis radicis cucumeris agrestis puluerizati ℈. 1. mulsæ ℥. 1. vel fiat bolus cum succo absynthij, aut melle rosaceo*. Item laudat Gordonius maximis encomiis conseruam, q. ℞. *succi cucumeris asinini, & radicis eius, succi laureolæ, succi ireos, succi absynthij, & eupatorij, anà ℥. 3. resideant, & quæ supernatat aqua abijciatur, crassiori verò parti adde rhabarbari, & agarici, anà ℥. ß. spicæ nardi, seminis endiuiæ, scariolæ, portulacæ, lappæ, mastiches, tragacanthi, salis gemmæ, anà ʒ. 1. mellis colati ℥. 1. agitentur sub sole vase vitreo, & fiat veluti conserua, cuius sumat laborans ab ℈. 1. ad ʒ. 1.* Educit etiam hydropicorum aquam mirum in modum *stillatitia aqua ex purpureis floribus ireos, dosi trium drachmarum cum ℈. 1. electuarij triasantalorum, & granis 8. cinnamomi*. Præstat & manè sumere ℥. 4. *seri lactis asinæ cum trochiscorum de eupatorio, & de capparibus, anà ℈. 1. pulueris cariophyllorum, & cinnamomi, anà gr. 8.*

Hæc sunt inter pleraque quæ scripta apud varios authores passim reperiuntur, quæ mihi faciliora, & probatiora videntur ad aquas educendas, eum mi-

A nori virium dispendio. Superest modò docere horũ quodlibet, quo vti magis elegeris iuxta laborantis, & affectus indigentiam, per interualla esse adhibendũ, rarius, aut frequẽtius prout laborans tulerit, & aluus egesserit. Verum inter vnam & alterã cuiuslibet adhibitionem, coniectandum est clysmatis quoq; aquã esse educendam, nisi ipsa sua sponte fluxerit, facilè enim eisdem ob intestinorum viciniam aqua exudat, si die vno, aut altero ex intermedijs inter vnam, & alteram prædictorum pharmacorum exhibitionẽ, inieceris clysma, q. ℞. *mercurialis, betæ, parietariæ, anà m. 1. brassicæ marinæ, vel si haberi non possit, foliorum, aut radicis ebuli m. ß. foliorum senæ ℥. 1. seminis anisi, apij, rutæ, petroselini, & carthami, anà ℥. ß. fiat decoctum secundum artem, & adde benedictæ, & hieræ picræ, ana ℥.*
B *ß.* efficacius trahet si addideris *cucumeris agrestis aliquid, vel radicis ireos, aut asari, vel succi ireos ℥. ß. cum oleo rutaceo*: Præstat & id quod conficitur aliquo ex prędictis decoctis cum fermento, succo ebuli, & oleo liliorum: id etiam quod conficitur ex hydromelite, ex squilla cum oleo rutæ, & succo mercurialis, ac sicla, cum lacte seminis carthami.

Præterea interim dum hæc fiunt, quę vehementer purgare diximus per longiora interualla præbere oportet, vt subsit locus ijs quæ leuius purgare possunt, cum iecoris, & viscerum omnium robore, & firmitudine, ac si quid ibidem impactum manet abstersione, quia quæ talia sunt etiam infartu liberant: quales natura existunt quæ diximus prodesse in malo habi-
C tu, & id etiam q. ℞. *eupatorij, cuscutæ, passularum, liquiritię, & myrobalanorum citrinorum, anà ℥. ß. radicum apij, fœniculi, capparis, anà ℥. 1. agarici ʒ. 6. contundantur omnia, & coquantur vsque ad consumptionem medietatis aquę, & colaturę adde mellis lib. ß. sacchari ℥. 4. oxymelitis squillitici ℥. 1. & iterum bulliant vsq; ad densitatem mellis, & adde rhabarbari electi ʒ. 2. spicę, zingiberis, cariophyllorum, & rubię, ana ℈. 1. & fiat ad modum electuarij, cuius porrige ʒ. 3. cum aqua graminis, aut decocto absynthij.* Prodest & syrupus de eupatorio cum infuso rhabarbari, aut reducto ad modũ electuarij cum puluere eiusdem rhabarbari. Item & syrupus acetosus diarrhodon cum electuario triasantalorum, & rhabarbaro, vel de bizãtijs, aut de cicho-
D rio, cum pulueribus, aut decocto myrobalanorum citrinorum, quibus admiscere oportet aliquid trochiscorum de absynthio, aut de rhabarbaro. Mirabilẽ quoq; efficaciam habet opiata, q. ℞. *cõseruę radicis apij ℥. 1. capillorum veneris, & florum cichorij, an. ℥. ß. pulueris diarrhodonis ʒ. 2. triasantali ʒ. 1. cineris lumbricorum, & intestinorum lupi, ana ʒ. 2. cum syrupo de cichorio composito fiat opiata.* Præstant & tabellæ ex iecore lupi præparato cum saccharo, & rhabarbaro, ita vt fiant ex vna parte iecoris lupi, duabus rhabarbari, & tribus sacchari: quas etiam conficere poteris cum pulueribus intestinorum lupi, aut gallinæ, vel eius ventriculi: item conficies opiatam ex eis, & carne passularum cum syrupo de eupatorio, & pulueribus ligni a-
E loes, anisi, & spicæ, vel citra ipsos. Prosunt & tabellæ ex solo rhabarbaro, & saccharo confectæ, aut cũ pulueribus myrobalanorum. Item præstat diacurcuma aut dialacca, si iecur obstructũ sit: cui vsui deseruit dilutum rhabarbari cũ syrupo cichorij. Roborat insuper iecur lupi cũ carne passularum, & pulueribus squinanti; aut rhabarbarũ masticatũ, si ventriculus causam malo præstitit: ex quibus facilè tibi erit varias roborantiũ, & modicè purgantiũ formas effingere, iuxta laborantis indigentiã, & tolerantiã. Inter alia quæ censeo magni fore momenti est aqua arte chymica extracta quã scribit VVecKerus lib. 2. antidotarij specialis cap. 2. quæ inscribitur aqua nostra ad hydropẽ.

Verùm quia non sat est hæc omnia præstitisse, nisi (vt de more habet natura) per vrinã euoces quicquid aquosum in corpore fluxerim in ventris inanitatem abun-

abundat, ob id quæ potiora, & vsui vtiliora mihi videntur, hic recensere studui: nam hæc est potissima in hoc affectu vacuandi ratio, siquidem defectu, aut impotentia huius operis augmentum, aut principiũ sumit: quapropter censeo Auic. dixisse, *In ascite purgare vene*. Auxilia autem huius naturæ sunt, velut id q. ℞. *squinanti, cinnamomi, asari, masticbis, absynthij, anisi, & feniculi, anâ ʒ. 5. spicæ, aristolochiæ longæ, & petroselini. anâ ʒ. 2. rhabarbari ʒ. 1. & ß. cariophyllorum, croci, calami aromatici, cardamomi, an. ʒ. 1. mellis quod sufficiat vt fiat electuarium, cuius porrige ʒ. 2. cum aqua graminis tepida*. Præstat & decoctum horum omnium medicamentorum cum syrupo ex quinque radicibus, aut *serũ lactis asinæ, in quo per tres horas maduerit seminis petroselini, cardamomi, & calami aromatici, anâ* ℈. 1. præstat & ʒ. 1. *seminis viticis ex vino*, aut anagallidis cærulei succus per se, aut ciceris decoctum cum croco, *vel seminis hyperici ʒ. 1. cum vino, aut decocto graminis, vel rubiæ*: item polium, aut sampsucum ex vino bibitum, vel decoctum, non minus prodesse ferunt. Supra omnem tamen expectationẽ idem præstare scribitur *vermes terrestres* coctos, aut *in puluerem redactos cum vino epoto pondere ʒ. 1. aut tantundem carnis erinacei, excorticati, & siccati sole*: item ʒ. 1. *stercoris bubuli vsti, & vino epoti*. Verùm quod huic vsui in hoc affectu probatissimum reperio, est proculdubio vsus terebinthinæ, vel per se, vel cum puluenbus rhabarbari, aut myrobalanorum, vel diarrhodonis in forma pilularum, vel cum modico succo ireos, & sacchato.

Quibus factis, non erit ab re aliquando vomitum mouere, si à ventriculi vitio affectum proficisci comperiamus. Item sudorifica auxilia à nonnullis probantur, quæ potiùs gratia euaporandæ aquosæ humiditatis, si in partibus carnosis viget, quàm quòd ex ventre citra maximum laborem aliquid extrahere possint. Cui vsui satius fore arbitror ad balnea, vel ad siccas sudationes confugere, maximè ad sulphurea, & ad ea omnia quæ vim habeant vehementer discutiendi. Verum vtcunque vaporatio sit, siue naturalis, siue aquea, aut ex vino, vel balneum naturale, vel arte factum ex arena, sale, milio, vel tritico; cum opus sit ibidem laborantem diu immorari, verendum est ne longè antea vis eius exoluatur, quam aquæ substantię aliquid resolui possit, & ob id huic præsidio committendi non sunt nisi qui robustiores extiterint, iuuenes, & integro animo.

Cæterùm vt prodesse, quæ dicta sunt, promptiùs, & tutiùs possint, extrinsecus, & intrinsecus aquam insensibiliter discutere opus erit, ac reliquam omni arte consumere. Intus quidem per trochiscorum adhibitionem, quem vsum præstant diacurcuma, & dialacca, vbi gustus gratia cum aliquo serapio misceatur: item cõserua zinziberis, anthos, citri, aut eryngiorum, dianison, diagalanga, diaciminon cum vino: præterea trochisci de eupatorio, de absynthio, de rhabarbaro, de lacca dissoluti in oxymelite squillitico, & *factæ ex his pilulæ ʒ. 1*. Prodest & vsus theriacæ, & mithridatij: sed peculiarius, & incredibili efficacia (maximè si secus scatiho careat) *confectio quæ dicitur typhodes ab* Andromacho scripta, cuius vsus est *summo manè pondere ʒ. 2. in decocto passularum, aut aqua feniculi cum oxymelite squillitico*: debilibus verò sat est electuariũ diarrhodon, aromaticum rosaceum, vel trisantalorum, addito rhabarbari puluere.

Extrinsecus verò multa sunt quæ prodesse poterunt, cuius naturæ, & conditionis est, q. ℞. *vnguenti santalini ℥. 5. olei spicæ, & chamæmeli, anâ ℥. 1. pulueris squinanti ʒ. 2*. In vsu etiam sunt non sine magno beneficio, vnguentum marciaton, vnguentum agrippę, & vnguentum aragon apud Seplasiarios appellatũ. Præstat & aliud, q. ℞. *dialthea ʒ. 1. & ß. olei nardini, & absynthij, anâ ℥. 2. olei laurini ʒ. 1. vnguenti aragon,*

A *& marciaton ℥. 3. misce, & vniuersum ventrem vnge.*
Mirabilis etiam efficaciæ est oleum, q. ℞. *olei ℥. 10. cerusæ, & ceræ, ana ℥. 7. vitrioli, nitri, aloes, ana ℥. 3. aceti acerrimi quod sufficiat, terantur terenda, & in mortario agitentur, aceto deinceps affuso, ad mellis spissitudinem seorsum cerusa cum oleo coquantur, quibus mixtis addatur cera*. Probatum etiam reperio oleum hac lege extractum: ℞. *terebinthinæ lib. 1. thuris, mastichis, myrrhæ, ana ℥. 5. ladani, nucis muscatæ, cariophyllorum, galangæ, zedoariæ, cubebarum, ana ℥. ß. foliorum laureolæ p. 1. succi ebuli, & cucumeris asinini, ana ℥. 3 redigantur in puluerem quæ redigi possunt, & misceantur, ac fiat destillatio in alembico, qua venter tumens inungatur*. Præstat etiam inungere linimento, q. ℞. *aquæ vitæ lib. 4.*
B *olei rutæ, & amygdalarum dulcium, ana ℥. 5. butyri recentis ℥. 3. olei de castorio, & de euphorbio, ana ℥. 1. & ß. bulliant omnia in duplici vase ad consumptionem aquæ, mox verò adde succi ireos ℥. 2. succi lapati acuti ℥. 1. & iterum bulliant leniter*. Prodest & aliud q. ℞. *florum, & foliorum, atque corticum radicis ebuli, & sabinæ, ana manip. 3. radicis ireos ℥. 1. squillæ ℥. 2. coquantur omnia in lib. 3. olei laurini, aquæ vitæ lib. 1. & facta expressione in colatura dissolue saponis ℥. 3. fiat linimentũ*. Laudatur etiam *oleum squillæ, vel laurinum, in quo ferbuerit decima pars euphorbij, vel laureolæ*: vel id vnguentum q. ℞. *succi ireos, succi ebuli, & radicum sambuci. ana ℥. 1. succi cyclaminis ℥. ß. cardamomi, calami aromatici, hyssopi, ana ʒ. 2. puluerizentur, & cum modi-*
C *ca cera fiat vnguentum molle*. Quod si hæc non prodesse videantur, antequam ad emplastra, aut cataplasmata cogaris deuenire, sacculis vteris, qui recipiãt furfures, milium, panicum, sal, & sulphur: item fiant ex arena, sabulo, vel cineribus calfactis cum aniso, dauco, cariophyllis, hyperico, cardamomo, calamo aromatico, & alijs quæ discutiendi vim habeant. Itẽ vteris euaporationibus, q. ℞. *foliorum mezereonis, corticis radicis, & foliorum sambuci, ana m. 1. radicis, & foliorum althęę p. 1. seminis lini p. 1. & ß. anisi, fœniculi, seminis ocymi, hyperici, & petroselini, ana ℥. ß. bulliãt in pari portione vini, aquę, & aceti squillitici, & per infundibulum euaporetur vniuersus venter, vel somẽtis, aut vesicula*. Præstat & aliud, q. ℞. *sassafrasę, chelido-*
D *niæ ana m. 2. centaureæ vtriusque, hyssopi, hypericonis, foliorum mezereonis, ana m. ß. florum chamæmeli, & meliloti, anisorum, fœnugræci, ac seminis lini, ana p. 1. bulliant in sufficienti quantitate vini albi vsque ad consumptionem quartę partis, deinde igniatur lapis marcasitę, aut spuma ferri, & in decoctum proijciatur, cuius halitus laborans capiat in ventre, ac postea eodem decocto foueatur eadem pars spongia*: eiusdem efficaciæ est fotus ex lixiuio cineris quercus cum decocto prædictarum herbarum. Quo facto, emplastra adhibebis, quæ & vrinam cieant, & aquam in halitum digerãt; cuius conditionis est, quod fit ex farina lupinorũ, fœnugræci, lolij cũ absynthio, hyssopo, origano, & aceto mulso: item aliud ex *stercore bouis, & quarta parte*
E *sulphuris viui*. Prodest & vnguentum arthanitæ, vel laureolæ, vel cataplasma q. ℞. *foliorum althęę m. 2. radicum cucumeris syluestris, & ireos, ana ℥. 1. ficus siccas num. 20. omnia coquantur in vino albo, & fiat cataplasma*. Quartò loco fiat q. ℞. *cochlearum tritarũ quod sufficiat vt fiat cataplasma, cui adde spicę nardi, squinanti, asari, ana ʒ. 3*. Iuuamenti non mediocris est, q. ℞. *stercoris bouis lib. 1. stercoris capræ quar. 1. anisi, fœniculi, carui, ana ℥. ß. mellis parũ, fiat cataplasma*: sed maioris efficaciæ conficies q. ℞. *sulphuris viui ℥. 2. cimini ℥. 1. seminis apij, & petroselini, ana ℥. ß. cum carne cochlearum fiat cataplasma*. Maioris efficaciæ est, q. ℞. *thuris, mastichis, myrrhæ, ana ℥. 1. granorũ lauri ℥. 2. radicis angelicę ℥. ß. cyperi ℥. 1. & ß. stercoris caprini puluerizati ℥. 4 mellis colati quod sufficiat vt fiat emplastrum*. Eiusdem vtilitatis est quod recipit *succi thymeleę, cucumeris agrestis, & brassicę marinę, ana ℥. 2.*

succi asari ℥. 1. spicæ nardi, squinanti, anà ʒ. 3. excipiantur farina orobi, & lupinorum, & formetur emplastrũ. Præstantioris etiam efficaciæ est id: q. ℞. *stercoris bubuli, & capræ, anà p. 1. cineris quercus, & vitis, anà p. ß. salis, & sulphuris, anà ℥. ß. baccarum lauri, staphisagriæ, anà ℥. 1. ex quibus decoctis cum vino fiat cataplasma, cui adde vnguenti marciati ℥. 1. & ß.* Reperies aliud magnæ efficaciæ, q. ℞. *pulpæ colocynthidis, seminis altheæ, diagridij, aloes, myrrhæ, radicis maluæ, bdellij, anà ʒ. 1. & ß. radicis ebuli, & ireos, anà ʒ. 3. seminis maluæ, & cucumeris agrestis, cardamomi, euphorbij, anà ℥. ß. salis gemmæ ℥. 3. axungiæ gallinæ, & anatis quod sufficiat vt fiat emplastrum.* Confici etiam possunt alia *ex pulueribus amomi, spicæ, cinnamomi, anà ℥. 1. bdellij, gummi Arabici, croci, anà ʒ. 5. aloes, myrrhæ, thuris, carpobalsami, anà ʒ. 1. meliloti, radicis ireos anà ʒ 6. cariophyllorum, mastichis, anà ʒ. 6. rosarum rubearum, fimi columbini, anà ℥. 2. cucumeris agrestis, pulpæ colocynthidis, anà ℥. ß. temperentur cum vino veteri, & adde ceræ quod sufficiat.*

Quòd si neque hæc, neque alia quæ ex eisdem mira varietate confici possunt, prodesse videantur, ad vesicatoria confugere oportebit, quæ cautè administrabis, ne vltra vesiculas aliud grauius damnum efficias: itaque transacta hora dimidia ea auferes, & alijs vteris, quæ vim habeant aquas per vesiculas extrahere. Primò vesiculas eleuat q. ℞. *fellis taurini, & nitri anà partem vnam, piperis puluerizati partem ß. cum melle fiat ad modum cataplasmatis:* idem facies cum cantharidibus, & fermento: præterea ex radice cucumeris asinini, brioniæ, ireos, coctis sub cineribus, deinde mixtis cum stercore caprino, baccis lauri, & melle. Prosunt phenigmi ex radice scrofulariæ, & ranunculorum emplastri modò appositi. Quibus factis oportet vlcera apertè conseruare, superposito folio brassicæ, vngere butyro, vel oleo, aut globulis hederæ, vel ceræ, & permittere aquam fluere sexaginta dierum spatio.

Verùm si adeò malum indurerit, quòd ad chirurgismanus cogamur deuenire, tunc quidem tentare primò oportet varijs vstionibus ferro candenti factis, iuxta vmbilicum manantia vlcera excitare: quę quoque vsum præstant cutis ventris scarificationes, quas separatim, & paucas efficere oportet. Quòd si ad paracentesim veniendum sit, cùm paucis profuisse constet, cautè & cum præsagio id exequeris; quòd validum, & supra vires plerunque, ac veluti temerarium existat præsidium: & ob id curandum est vt ante fiat quàm corpus vniuersum refrigeretur, firmis existentibus viribus, corpore iuuenili, ventriculo robusto, ac laborante citra febrem existente, nec melãcholia redundante. Nam his legibus seruatis Aurelianus refert 3. chronicorum c. de hydrope, quibusdam prosperè successisse, maximè seruatis Pauli, Albucasis, & Mesues præceptis, qui iubent apertionem fieri ad latera vmbilici, qua parte ilia vacua, & inania sũt, & musculi ferè excarnes. Alij verò sunt qui apertionem moliuntur dextra parte, dum lien causa mali est, & sinistra dum iecur: alij verò ex eadẽ parte qua viscus affectum est, & si intestina in causa sint, quatuor digitis ab vmbilico, sed verso phlebotomo in latus. Hoc præsidio Aurelianus in hyposarca frequenter vtebatur. Asclepiades quidem in eadem quatuor digitis supra talum tibiam compungit interiori parte, ea profunditate qua vena inscinditur, vt ex cruribus, pudendo, & scroto aqua prolabatur. Hippoc. verò lib. de internis affectionibus, venas in scroto crassissimas secat in hydropicis, paulò post in eodem scroto, femoribus, ac tibijs frequentia vlcuscula scalpello incutit: sed neutrum periculo caret: cùm hoc tamen si probè duas fontanellas in cruribus aperueris, non erit ab re, sed id cautè facito, vt monuimus lib. nostro de præsi. art. med. iudicat. 3. ca. vltimo. Verùm, quod

A mihi securius videtur, est, ventris cutem scarificare, quo faciliùs, & securiùs medicamentis aqua spiret: aut scroto setonem affiges, adseruabisque apertum quantum sat sit, vt maior aquæ pars euanuerit. Quòd si horum aliquid prosperè successisse comperias, ad ea quæ iecur roborant reuerti oportet, & maiori diligentia exhibere, ne iterum aqua denuo generetur.

Cæterum si constiterit ascitem contraxisse ortum ex calida iecoris causa, aut inflammatione, vel febris adiuncta sit, aut vrina nimis rubra appareat, coniectandum est non licere aliquo ex prædictis auxilijs ita liberè vti, ac si hæc omnia desint. Quapropter tunc temporis statuendum est, syrupis frequentiùs esse vtendum, vt syrupo cichorij, intybi, & rosa-
B rum cum sero lactis capræ, vel asinæ. Item purgationem institues ex diluto rhabarbari, & corticum myrobalanorum citrinorum, aut succo carthami: quod per vices, & interualla repetes, & interualli tempore hoc puluere vteris q. ℞. *radicis cichorij siccæ, cuscutæ, seminis intybi, scariolæ, rhabarbari, anà ʒ. 2. hepatis lupi exsiccati ʒ. 1. spicæ, cyperi, santalorum rubeorum, absynthij, agrimoniæ, anà ʒ. 1. fiat puluis, cuius cum aqua lactis, aut cichorij porrige ʒ. 1.* Exteriùs verò iecoris regionem inunges vnguento santalino, ac puluere squinanti, & radicis lilij.

Tumores pedum œdematosos discuties lixiuio in quo incoxerint radices ebuli, & enulæ campanæ, rosmarinus, maiorana, thymus, laurus, & reliqua quę ad
C fotus efficiendos proficua esse diximus.

De tympania. Tympanites, quæ alteram hydropis speciem complet (in qua venter etiam in tumorem eleuatur, ac percussus tympani modo sonum profert) licet cognitu facilis ob id primo accessu videatur, non tamen ita facilè distinguitur ab ascite, neque promptè curationem admittit. Primum quidem, quia rarò absoluitur ab aquæ adhæsu, & consortio, quo signa adeo adinuicem confunduntur, vt vtra hydropis sit species difficulter iudicare possis. Secundùm verò, quia tormina, & circa lumbos, & vmbilicum dolores, nõ solùm tympaniam monstrare habent, sed & ascitem quæ ab ilibus, & lumbis, ac mesetæo fit. Præterea, si huiusmodi dolores adeò sunt rebellis naturæ, & con-
D ditionis, vt neque medicamentis, neque alijs auxilijs vsquam cedere possint, sed in hunc affectum proninus, tanquam in maius malum prosiliant, vt Hippocrat. docuit 4. aphorismorum 5. multò difficiliùs posse eos curari, cùm in hunc siccum hydropem tam deciderunt, nemo est qui ambigat. Appellatione enim sicci hydropis propriè tympaniam licet subintelligere, etiamsi Hippocrat. siccos morbos nuncupauerit, non solùm eos quos ex intemperiei siccæ excessu fieri comperimus, sed eos in quibus nihil de materia morbifica per idoneos meatus excernitur, & eos etiam qui in arterijs, & venis consistunt, & ex linguæ siccitate, & totius corporis calore cognoscuntur. Itaque hac in parte nomine sicci hydropis tympaniam
E intelligimus, ad differentiam ascitis, in qua non flatus vt in tympania, sed aquosus humor in ventre colligitur. Sed horum omnium rationes is rectè intelliget, qui huius affectus naturam exactè callueris: cui operi cogor à causarum cognitione, & numero initium sumere, quia ea lege innotescet clariùs huius mali conditio. Prodit igitur à flatu interclusio inter omentum, & peritonæum, cùm non possit penetrare, abireque, aut à calore discuti: quo fit, vt ibidem interclusus tumorem tympanitem appellatum, ac dolorem efficiat. Qui sanè solus tympanitis naturam sortitur, cùm ibidem inclusus vagari non permittatur, vt subsit differentia inter hunc tumorem, ac dolorem, & reliquos tumores, ac dolores qui circa vmbilicum, intestina, ac lũbos fiunt, quos profectò, præter id quod tympaniæ esse præludiũ scimus, loco & mobilitate ab ea differre arbitramur. Quippe in illis dolores

&

& tumores fiunt, quòd in intestinis, ventriculo, meseraicis, & partibus iuxta renes turgeat flatus, locum hinc inde mutans, iecore nondum compatiente. Verũ in tympania, licèt is quoq; flatus pręter causã, sine iecoris vitio fieri nequit, sicut nec sine eo quòd flatus interclusus nullibi exitũ sortiatur. Quapropter huius affectionis duplicem arbitramur esse causam: alteram petitam à ventriculo, intestini, meseræo & reliquis vicinis partibus, non vtcunque affectis, sed habitualiter & permanenter, vt mox referam: alteram verò causam exquirendam fore arbitror à iecore pręter naturam calido, opposito quidem frigidis ventriculo & prædictis partibus, infimo quidem & remisso, respectu frigiditatis & tenacitatis chyli & prædictarum partium: nam hac lege intelligere oportet flatus in tympania fieri à diminuto calore: quippe si de imminutione innati citra alterius additionem intelligatur, vnque nulla erit respectu ascitis in curatione difficultas: nam præsidia calida omnia essent omnibus partibus frigiditate affectis proficua: sed ob id profectò difficilis censenda est, quia causarum contrarietate constat, non quidem solùm, quòd vacuantibus & chirurgiæ non obtemperet, vt ascites. Præterquam quòd intemperies hæc frigida prædictarum partiũ, à quibus iecori cruda perpetuò præstantur aliméta, habitualis est, & fixa, ac permanens, & quæ nó in motu sed in termino iã existit, ita vt ab auxilijs nihil pati possit. Quo fit vt dolores intestinorum à flatu, cùm intemperies inæqualis est & frigus accidentarium, licèt materiam gignant, curationem recipiant: qui verò ab intemperie hectica intestinorum originem ducunt, nullis cedunt medicamentis, tum ob id, tum etiam quia perenni generatione propagãtur. Quo fit, vt optime dictum sit, hos dolores in siccum hydropem protinus commutari. Ex quibus sic constitutis prodit huius affectionis natura: nam licèt venter frigidus sit & prædictæ etiam partes, dum iecur optima fruitur temperie, diminutè quidem coquet, quod crudum illi remittunt prædictæ partes, ac flatum etiam generabit, sed cùm calor vigeat naturalis, vel paucissimus erit, vel ipsum discutiet, & ob id tympania non suborietur: ventriculo verò temperato existente, quãuis iecur excalfactum sit, exuret quidem sibi commissum chylum, flatum autem ex apta illa materia non generabit ampliorem quàm discutere possit. At cùm via & lege dicta, membra hęc adeo dissidente temperie contrariantur, proculdubio nihil aliud fieri potest, quàm eam flatus copiam concitari, quam calor natiuus iecoris, qui ob intemperiem calidam imbecillus factus est, & vterque minor frigiditate prædictarum vicinarum partium & excrementorum, & chylosæ substantiæ: quo fit vt flatus eleuentur plures, quàm in quouis alio iecoris intemperamento: quapropter eos discutere nequit tũ quia ob materiæ cruditatem copiosiores fiunt: tum etiam ob caloris impotentiam, quia eleuare quidem potuit, quòd præter naturam sit, discutere verò minimè, quia iniatus languidus exilbit: nam ob id dicimus omnem hydropem à frigido iecore oriri, quamuis in tympania iecur statuamus calido intemperamento laborare, hoc est innatum calorem ab extraneo adhuc præsente imminui & veluti refrigerari. Itaque ratio & natura huius affectus in hac flatus generatione sita est: nam & calidum iecoris intemperamentum innatum eius calorem deijcit, adeo vt cruditatem solùm generare possit: partes verò ipsæ quæ iuxta ventriculum degunt, iam frigiditate habituali affectæ (nam aliter non tympania, sed ventris inflatio fieret) pręter crudos quos gignunt succos, calorem quoque iecoris innatum & extraneum remittunt, vt solùm possit hos flatus eleuare, quia acutiem caloris compescit prædicta frigiditas, non quidem ipsum temperat et reducit ad medium, sed frenat pręA dictam actionem, manente eodem caloris principio.

Consistit igitur hæc affectio in habituali prædictarum partium frigiditate, cum iecoris impotentia, à calore pręter naturam suborta, dum proprium ipsius visceris calorẽ infirmat & remittit: quo flatus geniti per meseraicas inter omentum & peritonæum penetrantes, ob sui tenuitatem & venarum raritatem (siquidem per easdem in dictas partes permeat aqua, quæ crassior est aere vel flatu) tumiorem, quem tympanitem hydropen appellamus, generant.

Ad causas igitur specialiùs deuenientes, arbitramur, ventrem & intestina, tum ab internis, tũ ab externis causis & occasionibus, habitualiter posse refrigerari, maximè cùm ob indebitum vitæ institutũ B adeo copiosus sit pituitæ acidę, aut alterius pręternaturalis, prouẽtus, dum crassa sit & viscida, vt ibidem diu manens ventrem, meseræum, intestina, & vicinas partes lentè & sensim superet, & habitualiter refrigeret. In acutis verò febribus, etiam scimus refrigerari, necnon in iecoris incendio, quo circumpositarum partium calorem resoluit: & in vtraque causa (sicut iecur ob calorem febrilem incalescere) dum ventriculum frigidis potionibus & medicamentis purgantibus; aut ex defluxione infirmamus: ob id enim Auicen. dixit, plurimum causarum tympanitis est, corruptio digestionis primæ. Sic perennis fluxio partes nutritionis labefactans; idem non raro concitat malum: quod etiam à scirrho ibidem adhærente, C & refrigerante, à non purgata pituita, et reliquis causis quæ vim habent frigus radicaliter inducere, cùm medicamenta calida, quæ earum gratia adhibemus, plus iecur calfaciãt, quàm frigiditatem compescant. Prodit & à cibis flatum gignentibus: quandoque, vt Zoarus flatus, fit splenis vitio, quia materia ibidem contenta & crassa eleuat flatus magnam copiam, quam iecur forsan fabrefacit, et in pręd ictum locum transmittit. Verùm arbitrandum est, flatus solùm in splene genitos, non efficere tympaniam, nisi iecur maiorem eorum partem fecerit. Quippe flatulentus hic spiritus qui effecturus est tympaniam, ab humore crasso necessariò generatur: interdum verò ab intemperie intestinorum, non frigida vt in ascite, sed cum D calore languido materiam crassam in flatum resoluente: sunt enim flatuũ causæ calor imbecillus & materia humida: & cum hoc nequit tympaniam generare quiuis flatus, sed qui ex crassa materia ortus difficulter resoluitur: et ob id in hac affectione, quamuis iecur calidum sit, nequit flatum resoluere quem eleuat, & sic efficitur eius diutina collectio in ventre.

Facili negotio dignoscitur tympaniam esse, non tamen ita facilè ab alia hydropis specie absolui: quippe præter sonum tympani, quem edit percussus venter, nulla ipsius fluctuatio, homine in latus prolabente, vt in ascite, comperitur: vmbilici etiam prominentia id ostendit: ventris læuitas, qui quantumuis tumidus existat, nullum aut quàm paruissimum ponderis E sensum præbet. Adest & ventris tensio & ariditas, maior in principio quàm processu temporis, ob humiditatem denuo genitam: laborans ab eructatione leuamen non sentit: item dolent ventriculus circa vmblicum, & intestina, quorum potissimè affliguntur cœcum & colon, quod iuxta vmbilicum angustius est, et etiam propter vincula neruacea quibus colon & renes alligantur, & flatus etiam per vtranque partem excernuntur. Pulsus etiam maior & longior adest in hoc affectu, quàm in quauis alia hydropis specie, quia caret humore grauante, obruente, & impediente arteriam: vrina item rufa & intensa ob iecoris incendium.

Præsagire docet Hippocrat. lib. de Coacis præn. dicens. *In hydrope sicco sui significationem præmittente, tormina circa tenue intestinum incidentia mala sunt* & rursus inquit: *In hydropicis siccis vrina stillicidia mala.*

Causæ.

Præsagiũ

mala. Sed his missis, tympaniam cunctis hydropis speciebus arbitrandum est esse periculosiorem, vt antea exposuimus: tum ratione suæ naturæ, quia plures partes habet facto intemperamento affectas, in qua reliquas superat: tum verò ratione contrariarum intemperaturarum, quibus incurabilior efficitur, idque longè magis, quo magis inueteratus fuerit affectus.

Curandi ratio. Licèt tympania & ascites inter se aliquo modo cohærere videantur causa & curandi ratione, cum hoc tamen dissidet curatio ascitis ab ea quæ tympaniti debetur, quòd in illa vacuandum est plus in principio, & vltimò roborandum magis, ac discutiendum omni tempore minus, alioqui infirmabitur innatus calor, & deteriùs habebit laborans: in tympania verò longè minus vacuandum est in principio, alterandũ verò & roborandum magis, discutiendum quidem omni tempore vehementiùs, quia quod magis vrget, copia est flatuosæ substantiæ, ab hac verò ventris robur maius facescit negotium, cui calfacientibus subueniendum est, purgandum tamen minus, quia materia magis crassitie, & impensa frigiditate, quàm vberrima copia læditur. Præmissa tamen temperati & tenuioris cibi debita institutione, ita vt omnino sit flatus expers, cum potus non adeo exquisita parsimonia, sed mediocri, & ex vino diluto. aqua decocta ligno aloes, vel sassafrasa, aut cinnamomo, cariophyllis & corticibus citri: instituto etiam exercitio & reliquis, vt superiùs dictum est. Tunc verò mox à principio, non erit ab re leuioribus vti purgationibus, corroboratione & modica calfactione admixtis: huius naturæ est q. ℞. *aloes, epithymi, pulueris hieræ simplicis, rhabarbari, & agarici trochiscati, ana ʒ. 1. pulueris aromatici rosati ℈. 2. diamargariton is frigidi, rasuræ eboris, & diarrhodonis, anà ℈. 1. cum syrupo rosaceo, fiat massa, cuius laborans per interualla ʒ. 1. sumat*. Præstat item purgare infuso hoc q. ℞. *rhabarbari ℈. 4. spicæ nardi ℈. 1. agarici trochiscati ℈. 2. infundantur in aqua absynthij & cichorij, & facta expressione colaturæ adde expressionem ʒ. 3. seminis carthami, & cum melle rosaceo quod sufficiat ad gustus suauitatem fiat potio*. Prodest agarici & rhabarbari dilutum in vino factum, cum syrupo de mentha, de corticibus citri, de absynthio & reliquis huius naturæ. Quòd si simul flatus discutere, materiam tenuare & præparare ac purgare libuerit, quod morbo iam procedente magis probo, hanc præbe potionem singulis diebus, q. ℞. *corticis ficca ℥. ß. radicis eryngij ℥. 1. menthæ siccæ, hyssopi, betonicæ, absynthij, cichorij, & intybi, anà m. ß. anisi ʒ. 2. seminis apij, & petroselini, anà ʒ. ß. fiat decoctio in aqua & vino, & in libris 2. colaturæ dissolue syrupi de corticibus citri ℥. 2. postea in ligatura infunde carthami conquassati, & foliorum senæ, anà ℥. 1. & facta expressione adde sacchari quod sufficiat, vt fiat serapium, cuius cum aqua cichorij, sumat laborans ℥. 2. quotidie*.

Purgato leuiter corpore, quia parciùs & per longiora interualla in hoc affectu purgandum esse arbitror, ventriculo prouidendum est intus & extra, his quæ roborando calfaciant, & coctionem iuuent, qualis est inunctio ℞. *olei nucis muscatæ, olei menthæ, & absynthij ac abietis, anà ℥. ß. pulueris ligni aloes, cariophyllorum, galangæ, & seminis angelicæ, anà ℈. 1. cum cera fiat linimentum*. Prodest ante illitionem fouere partem decocto chamæmeli, anethi, rutæ, ligni aloes, cariophyllorum, absynthij, seminis angelicæ, menthæ, spicæ, & similium, maximè si hæc incoxeris pari vini & aquæ portione.

Interius verò ea deuoranda præstabis, quæ cum hoc quòd flatus discutiant, ventrem roborent & calfaciant: huius naturæ est conserua zingiberis viridis, vel corticis citri, anthos, eryngiorum, aromaticum rosaceum, diagalanga, dianison, & diaciminon, vel ex

A aliquibus ex his facta opiata cum syrupo ex corticibus citri, *cuius ʒ. 2. capiat ante prandium aut cœnam*, superbibito vino absynthite aut cariophyllorũ. Prodest & vinum Hippocras appellatum cum tabellis aromatici rosati: nec minoris est momenti theriaca, aut mirabilis illa compositio Cyphoides à Galeno & Andromacho appellata. 8. pharm. local. cap. 7. quam hunc vsui magni fore momenti arbitror. Præstat & *puluis seminis angelicæ, cum quadruplo sacchari ante prandium* sumptus: drageta item ex aliquo prædictorum puluerum, superbibito vino, maximè aromatis condito.

Ventrem autem primò inungere oportet prædi-
B ctis oleis, item vnguento q. ℞. *olei rutacei, & anethi, anà ℥. 3. succi rutæ, & absynthij, anà ℥. 1. vini ℥. 2. coquantur ad consumptionem succorum*, quibus adde *pulueris diagalangæ, seminis apij, cumini, ligni aloes, & cariophyllorum, anà ʒ. 2. ceræ quod sufficiat vt fiat linimentum, quo vtaris vbi prius partem calfeceris vino, cariophyllis & cinnamomo decocto*. Prodest & emplastrum, q. ℞. *stercoris vaccæ lib. 1. pulueris cumini & rutæ, anà ℥. 1. salis vel nitri & sulphuris ℥. ß. incorporentur cum vino & applicentur*: mirum quoque in modũ præstat emplastrum de baccis lauri, sicut aliud q. ℞. *stercoris caprini & bubuli, anà p. 1. ciueris quercus & vitis, anà p. ß. salis & sulphuris, anà ʒ. 3. baccarum lauri, & staphisagriæ, anà ℥. 1. quibus decoctis cum vino fiat*
C *cataplasma, aut cum axungia veteri fiat emplastrum, vel cum vino & oxymellite squillitico aut aqua vitæ*. Præstat & aliud, quod miris laudibus à Galeno extollitur, q. ℞. *fœnugræci ℥. 1. fimi columbini ℥. 4. resinæ, picis. ana lib. 1 axungiæ, veteris ℥. 2. ceræ lib. 1. quæ possunt liquefieri liquescant, & cætera ex aceto squillitico addantur, & fiat cataplasma vel ceratum*. Item parari possunt sacculi, q. ℞. *milij ℥. 3. salis ℥. 1. seminis anisi & fœniculi, anà ℥. 2. pulueris baccarum lauri ℥. ß. milium & sal torreantur, deinde cum cæteris mixta insuantur pannis lineis raris, & ventri adhibeantur*. Nec minoris momenti solet esse fotus cum filtro vel spongia ex vino, vel lixiuio, aut aliquo ex prædictis decoctis: prosunt & frequentes ac siccæ cucurbitulæ ventri ad-
D motæ.

Interim tamen dum hæc adhibentur (nam leniùs oportet in hac curatione procedere, & locum naturæ, vt in sese redeat, concedere) & purgantia quoque administramus, clysmatis flatus discutientibus vtendum est: huius naturæ sunt quæ conficiuntur ex decocto florum, & seminum, ac foliorum calidorum cum vino, vt sunt folia rutæ, maioranæ, anethi, flores chamæmeli, anthos, stœchados, semen anisi, petroselini, angelicæ & radicis eius. Quibus prudenter repetitis & per longiora interualla, mirum non est si leuamen laborantes recipiant, maximè si ex præsidijs ascitis huc aliqua transferas. Quòd si hæc omnia prodesse non videantur, vtendum est Hippocratis consilio
E & prudẽtia, qui cùm multis diebus vsus fuisset in his doloribus præsidijs calorificis, & nihil iuuaretur æger, transijt ad frigida, cum magna vtilitate & doloris leuamine: sæpe enim causa calida, quæ iecur infirmat, maioris est momenti, quàm frigida reliquorũ membrorum.

De anasarca. Licèt Aretæus anasarcam à leucophlegmatia distinxerit, & ob id quatuor constituere videatur hydropis species, vt nõnulli censuerunt, modum tamen leucophlegmatiæ ab ipso assignatum, vel nulla lege ad hydropẽ reduces, vel si communi modo intelligatur, eandem esse cum anasarca comperies, licèt causa differre videantur. Nam corporis colliquamentum esse leucophlegmatiam, à natura hydropis separata præterquam quòd non illi fuissent ex vsu alui fluxus, vt Hippocrat. 7. aphorism. est arbitratus, quinimo in colliquationibus perniciosi existunt: quapropter, neque arbitrandum est ita fieri, neque separari ab anasarca:

sarca: quinimo veramque veram aquam intercutem designare, ac idem esse (vt mox referam, constituta causæ differentia) propriùs, quàm ascitem & thympaniam, suspicandum est: quippe in illis duabus, aqua aut flatus inter omentum & peritoneum reconduntur, in hac verò inter carnem & cutem, quo fit vt iure optimo anasarca mereatur aqua intercutem appellari. Itaque anasarca ob id talis dicitur, quòd ab humore pituitoso, per carnem, sub cute, & iuxta carnem sparso & collecto fiat, & eadem ratione varijs nominibus insignitur, nimirum anasarca, seu hyposarca, aut hyposarcidium. Quas omnes species Hippocrat. 7. aphor. 29. nomine leucophlegmatiæ complexus est, dicens: *Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa superuenerint, morbum soluit*: id quod statuit, quia hoc genus hydropis à pituitoso humore & in vasis & in ambitu corporis collecto, illucque à iecore quouis modo refrigerato, genito & transmisso, prodit: vel in eisdem partibus corporis, ex totius carnis frigida intemperie, quæ alimentum in eam substantiam commutat. Quo factum fuit, vt hunc affectum etiam albam pituitam nominauerit. Hippoc. vt lib. de Coacis prænotionibus: & etiam multi præadducta sententia, loco leucophlegmatiæ vertunt albam pituitam. Cum hoc tamen per leucophlegmatiam, aliquando malum corporis habitum seu preludium ad hydropem intellexit, dum ille habitus à pituita fiat albus: vel modicè liuida, alijs quibusdam C admixtis humoribus, vt perbellè explicat eadem sectione, dum inquit: *A pituita alba aqua intercus superuenit*: quo loco per albam pituitam anasarcam non intellexit, sed malum corporis habitum, qui, ni citò præueniatur, in ascitem (quam generali vocis significato appellat aquam intercutem, nam speciali significatione, solùm indicat anasarcam) delapsa alba pituita in aquam colliquata, commigrat: Denique apud Hippocrat. alba pituita anasarcam morbum, non humorem significat: nam describens lib. de affectionibus, quæ sit hæc alba pituita, verè anasarcam depingit dicens: *Pituita alba totum corpus intumescit albo tumore, & in eadem die alia parte sibi mel iùs videtur habere, alia deteriùs, & tumor aliàs in* D *alia corporis parte maior & minor fit*: & paulò inferiùs inquit: *Morbus autem hic fit à pituita, cùm quis ex febribus diuturnis, qui pituitosus natura, impurgatus manserit, & pituita ad carnes conuersa fuerit: & non est hæc pituita albidior alia, verùm corporis color albidior apparet. Sanguis enim pituitæ copia albidior euadit, & non inest ipsi bonus color, quapropter albidiores apparent, vocaturque hic morbus pituita alba*. Quibus constat ex causa morbum sumplisse nomen, vt ipse author ampliùs explicuerat lib. 2. de morbis, dicens: *Intumescit totum corpus albo tumore, et venter ad contactum crassus est, & pedes ac femora tument, tibia item ac scrotum*: atque hæc de nomine huius affectionis dixisse sat sit.

E Eius tamen natura & conditio non satis innotescit, quam vt exactè perpendas scito, duas huius pituitæ albæ seu anasarcæ species Hippocrat. numerasse, lib. de internis affectionibus: primam incurabilem, quæ morituris solùm succrescit, cuius hæc refert verba: *Tertia tabes ab hac, hac patitur: medulla ipsis spinalis sanguine plena fit, tabescit autem similiter, et à canis venis, hæc verò pituita hydropiformi & bile replentur*: & subdit: *Homo statim niger fit & subtumidus, et partes sub oculis pallidę fiunt*. Alteram verò curabiliorem, ex redundante pituita per vniuersum corporis ambitum, quam verè anasarcam appellat, dissidentem multis numeris ab ea pituita alba quæ in hydropem migrat, & verè cachexia existit, quòd hæc solùm sit veluti totius corporis madefactio & mollitudo, ac merum symptoma, à pituita redundante ortum: illa verò quæ verè anasarca est, verè etiam mor-

A bus in quantitate adaucta, aut si magis velis, reductus ad genus tumorum præternaturam. Quippe Galen. lib. 5. de naturalibus facult. statuens differentiam inter adiectionem & agglutinationem inquit: *Cùm nutrimentum adycitur, sed non agglutinatur, fit species illa hydropis, quam anasarcam dicimus*: quibus verbis euidens efficitur differentia inter hanc & reliquas sibi similes affectiones: nam in illis forsan vitio humoris vel eius vbertate, quibus nutritoria vis superatur, tumor efficitur, in hac verò vitio facultatis, licèt simul adsit humorum ineptitudo. Nec desūt qui potiùs vitiū functionis & officij ob extrinsecam causam, puta humorem, quàm ipsiusmet facultatis, arbitrentur: verùm mihi verius videtur facultatem B læsam constituere, quantumuis difficile videatur totius corporis nutritoriam esse læsam: ratio tamen qua id cogor asserere talis est. Nutritoriam facultatem, nullum suorum munerum posse exequi in alimentū, citra perceptionem similitudinis cum alito, euidentissimum habetur: reliquum ergo est, peccasse in appositione alimenti adeo dissimilis, quòd post appositionem non valuerit assimilare, siquidem de lege habet simile solùm allicere & apponere: itaq; licèt functio assimilandi læsa videatur, id quidem facultatis vitio, non solùm humori debet tribui, siquidem apposuit dissimile: in quo sanè videtur errasse, ac ex cōsequenti coniectandum est, eam esse læsam. Nam si ipsa sui esset iuris iuxta omnes sui actiones, non hunc C morbum, quem fictitiam nutritionem arbitramur esse, pateretur, sed vel tumorem præter naturam œdematosum, aut scabiem, vel quemuis alium affectum, quo vis naturæ propellentis inutile & alienum alimentum, monstraretur; cùm verò id non effecerit, constat ipsam læsam existere.

His habitis, statuendum etiam est, duobus modis anasarcam posse corpori succrescere: vno quidem ex vbertate pituitæ in vniuersa corporis carne genitæ, ab intemperie frigida solidarum partium, quæ sibi commissum alimentum in eam vertit: & quamuis difficile videri possit, citra membri alicuius principis insignem refrigerationem, corporis vniuersum habitum refrigerari, mihi tamen non videtur im- D possibile: tum quia externæ causæ adeo solent externas partes intemperare, vt non satis si ad consueta munia probè exequenda consuetus caloris influxus, ita vt non rarò emori prę frigiditate integrum membrum conspiciamus: tum verò quia fieri potest, quòd soli pedes, tāquam à caloris fonte remotissimi, imbecillitentur, atque ob id pituita alba, dicta ratione impleantur, sicque sensim materia aucta ascendat, & cum hoc refrigeret etiam crura, inde coxas tandē ac ventrem repleat, & vltimò vniuersum corpus, ita vt solo vnius partis vitio vniuersum etiam refrigeretur, ac eandem sibi generet pituitam, leuissimo iecoris aut cordis facto vitio. Cui consimilem statuerunt nonnulli Medicorum alium, ab Aretęo sumpto prin- E cipio, nimirum dum corporis vniuersi humiditas liquatur, & non resoluitur, sed crassescit in poris carnium, ac ibidem impacta in tumorem eleuat corpus quod censeo dictum esse ab ipso, dum statuit fieri à corporis colliquamento: quippe à calore vniuersa humiditas corporis liquatur, tamen non resoluitur, vt dictum est, sed concretione attollit corpus. Quam sanè tumoris speciem omnino ablegandam ab hydropis specie antea diximus, quia hæc subitò fit, reliquæ verò sensim. Item hæc à calore liquante, omnes aliæ à frigore: præterea hæc alui fluxu deterior efficitur, illæ iuuantur: hæc etiam morti proximis succrescit, ex reliquis nonnulli euadunt: præterea in hac color ad nigrum vergens, & fœtore horribilis efficitur, anasarca verò albicat citra tam insignem virium iacturam. At fit anasarca secundo modo, & præcipuo, ex vitio iecoris, vt reliquę hydropis species, in quo ve-

luti

luti in officina humorum, ob eius frigidum intemperamentum pituitæ generandæ aptum, copiosiores fiant prouentus, cuius vbertatem cùm nutritoria facultas errans trahat, superare nequit, & praua ob id efficitur in vniuerso corporis ambitu nutritio. In quo sanè hydropis modo, duo necessariò reperiuntur in vno affectu complicati morbi: alter in iecore, ab intemperamento frigido ortus, quo vberior pituita succrescit: alter verò in vniuerso corpore, sine magno hepatis vitio, ab eodem etiam frigido intemperamento, quo nutritoria infirmatur facultas, et deprauatam efficit actionem. Quam equidem veluti concausam esse anasarcæ antea diximus, & nunc denuo statuimus, ita vt à prima anasarcę specie hęc dissideat, quia illa simplex affectio est, hæc verò ex duobus complicata, duas etiam causas sortita.

Causæ. Causas autem harum affectionum qui exactè studuerit venari, expendat externas & antecedentes easdem esse cum his, quæ reliquas hydropis species excitare natæ sunt, dissident tamen in modo læsionis, quem imprimunt in iecur, aut corpus vniuersum. Quippe in ascite iecur ex toto ferè impotens efficitur ac impensè refrigeratur, simul cum aliquo renum vitio: in tympania venter & intestina, intensa & habituali intemperantur frigiditate, ac iecur languidum efficitur natiuo calore, cæterum extraneo incalescit. At in anasarca iecur quidem perfrigeratur, non tamen adeo ac in ascite, sed quantum sat sit, vt sanguis plurima abundet pituita & cum hoc eodem intemperamento adeo oblæduntur venæ, vt ne minimum quidem pituitam mutare valeant. Quo fit vt vniuersi corporis nutritoria facultas similiter eadem intemperie vitietur, quo deprauata efficitur nutritio. Denique, licèt, externæ & antecedentes causæ eędem sint, modus tamen quem corpori imponunt, diuersissimus existit, generalior quippe est affectio, cæterum minor & leuior.

Signa. Licèt signis in hoc affectu opus esse non videtur (quia æger primo accessu sese ostendit, carnes habens emortuo corpori similes, & totum corpus intumescat, albidius fiat, & veluti madidum humido tumore appareat) cum hoc tamen, vt à malo corporis habitu (cui non rarò similis efficitur) distinguatur, aliqua recensere vtilissimum arbitror. Dissident quidē (etiam si partes in vtraque affectione in tumorem eleuentur) quòd si in anasarca digitum partibus tumentibus compressione adhibueris, impressa manet figura, diutiùs tamē in malo corporis habitu, humor quippe tardiùs reuertitur ad figuram quàm caro: verùm si idem in vtraque contigerit, vt non rarò solet, distingues profectò, quia partes in anasarca non detumescunt noctu, vt in malo habitu, quinimo plerūque tumorē contrahunt maiorem, præsertim partes supernæ. Præterea dissident, quia in malo habitu crura plerunque intumescunt, nisi iam migret in anasarcam, in qua omnes partes tumorem contrahunt. Item in anasarca licèt aliquando contingat ventrem tumere, non tamen est opus, vt in reliquis hydropis speciebus: primò quidem facies in ea, sicut posteriùs in reliquis, intumescit. Pręterea alui excrementa plerunque cruda excernuntur, sed aliquando admixta: tandem corpus omni actioni redditur impotens & ineptum, in somnum propensum, minus sitibundū, & forsan famelicum, si cruditas acorem contraxerit.

Curandi ratio. Cùm vniuersa huius affectionis natura sita sit in sanguinis pituitosi vberrima copia, constat quadruplicem esse necessariò vacuandi rationem: primam, quæ copiam deponat: secundam, quæ cruditatem coctione frænet: tertiam, quæ quod correctionem admittere nequiuit, purgantibus ac digerentibus auxilijs conterat & expurget: quartam verò & vltimam, quæ iecur & vniuersum ad antiquum temperamentum reducat. Circa primam huius curationis partem, coniectandum est copiam in his corporibus duobus modis posse succrescere: vno sanguinis vbertate, quo grauata iecoris & totius corporis facultas, nequit probè sanguinem conficere, sed pituitosum et crudum: altero verò pituitæ & crudorum succorum redundantia, cùm nimirum ex refrigeratis corpore & iecore à refrigerantibus intus & extra causis, citra sanguinis commercium & vbertatem, vt in primo modo, adde vt corpus vniuersum his scateat cruditatibus. Hæc autem dicta sunt vt si quis legerit omnes ferè authores in reliquis hydropis speciebus sanguinis missionem renuentes, & in hac sola anasarca libenter concedentes, non citra distinctionem eo auxilio alioqui grauissimo & periculo pleno, vbi opus non est, vti discat. Quapropter dum ex sanguinis vbertate, siue ex suppressis hæmorrhoidibus aut menstruis, vel quauis alia, siue ex demisso consueto exercitio abundantia prodeat, & ob id, vt Galenus aduertit. 6. aphorism. 12. copiosus sanguis paruus & frigidior efficiatur, tunc quidem sanguinem mittere necessum erit. Quod etiam consuluerat idem Galen. libro contra Erasistratum, cùm hydropes sanguine misso sanatos esse ait, nec non & quarto acutorum; nam cùm sanguinis copia calorem partium extinguit, id proculdubio remedium expostulat, minori tamen copia ob frigiditatem contractam in toto corporis habitu: satius enim est per partitas vices & interualla fundere, quàm vacuationibus & præexistente frigiditate, vires adeo infirmare, quòd morbo non sufficiant. Verùm si id non permiserit deiecta facultas, crura scarificabis vt consuluerat Galen. ex Archigene libro 9. pharmacorum local: nec non & Celsus libro 3. cap. 21. Sanguinem tamen mittes ex brachio dextro, & basilica vena, ac si ex mensium suppressione aut hæmorrhoidum oriatur affectio, facta semel prædicta vacuatione, curandum tibi erit suppressum fluxum concitare, aut supplere per talē venarum incisionem, aut per hirudines hæmorrhoidibus affixas. Quod sanè auxilium vel mox à principio, antequam vniuersus habitus ex toto refrigeretur, exequeris, vel si id prætereris, non nisi valentibus viribus. Verùm si constiterit anasarcam ortam fuisse ex his, quæ extrinsecus refrigerandi pessima frigiditate, vniuersum corpus & iecur vires habent, tunc quidem in memoriam reuocare oportebit, quāta diligentia & cura cauerit Galen. lib. de venæ sect. & 4. de sanitate tuen. sanguinis detractione, vbi crudorum multitudo præfuerit, aut sanguis ipse crudus à seipso, cùm secundùm naturam aderat, plurimum distat. Nam arbitratus est, idque iure optimo, non posse eo statu vires robustas esse: quapropter verendum est sanguinem detrahere, etiam si plerique neotericorum id statuerint, nam certissimum est pauco sanguine misso non liberari à suffocatione, & extinctione ocyssime ab impensa frigiditate periclitari: quamobrem satius est copiam alijs auxilijs tutò deponere, & si lentiùs, quàm breui tempore ægrum in deteriorem statum ducere.

Victus ratio. Verùm si sanguis missus fuerit, aut si eo auxilio opus non sit, tunc quidem humorem pituitosum omni arte, præmissa præparatione, educere ac minuere studebis, considerans priùs per quam regionem commodiùs id fieri possit. Quippe per victus commodam institutionem, per aluum, per vomitum, per insensilem euaporationem, & vltimò per chirurgiam huiusmodi corpora euacuari facilè possunt: nam cùm superabundans humor omnibus insit corporis partibus, omnibus etiam modis expurgari desiderat. Sic enim eum victum institues, qui siccæ sit naturæ & coctu facilis, ne facultatem grauet, neque quidquam habeat crassum & glutinosum, ne corpus ampliùs obstruat, non frigidum, non flatuosum, ne malum & causam

simul

simul augeant: ea tamen quantitate exhibeatur, quæ nec vires deijciat paucitate, quia morbus futurus est diuturnus, nec copiosè præstetur, ne mali causam adaugeat: panis in vniuersum sit bis coctus, & aniso aut cinnamomo fermentatus. Et quamuis prædictarum conditionum victus eligatur, conditura aromatum vilior parari potest, vt superiùs abundè dictum est. Sic & potus prædictis persimilis eligatur, aromatis etiam confectus, sed quàm parcissimus: sæpe enim sola potus parsimonia cum prædicta victus institutione, nonnulli in pristinam sanitatem restituti fuerunt.

Medicamentorum ratio. Quatenùs verò ad medicaméta attinet, cùm plerunque in hoc malo affectis, crudos succos in ventre & primis venis abundare: quapropter consultius B mihi visum fuit, principium curationis à vomitu auspicari, præstitis *rhodomelitis* ℥.1. *& ß. oxymelitis* ℥.ß. *aquæ fœniculi* ℥.1. *et ß. singulis diebus summo mane*: tertio verò die vomere instituat laborans raphani decocto cum oxymelite, maximè à pastu, cum acetarijs & varijs obsonijs sumpto. Quo auxilio bis terue in hebdomada vsus, si constiterit primam regionem aliquo modo ab his cruditatibus immunem esse, medicamentis purgantibus studeat diligens Medicus, eam quæ in venis maioribus viget, pituitam educere. Cui muneri, vt simul reliquias ventriculi conteras primò porrige hieram Gal. cum agarico trochiscato, vel infusum agarici & rhabarbari in liquore nouem infusionum rosarum Persicarum, addito turpeti modico C aut carthami: quo semel aut bis exhibito, te conferes diebus intermedijs ad vsum clysmatum, ex decocto polypodij cum ruta & calamentho in vino & vrina pueri. His quidem factis, quæ sufficere quidem solent, dum vitium ex abundantiori sanguine ortum duxit, si vel non satis esse constiterit, vel ex frigidiori causa oriatur affectio, ad efficaciora auxilia deueniendum esse consulit mali magnitudo & vrgentia: quapropter per epicrasim pituitam disponere vacuationi, & ipsam eo modo educere opus erit. Sic per aliquot dies porriges syrupum de absynthio, de eupatorio, de bisantijs, de hyssopo, de prassio, cum modico oxymelite simplici aut squillitico, & aquis aut decoctis quæ extenuandi & aperiendi vires habeant, vt D decoctum, q. ℞. *hyssopi, calaminthæ, pulegij, origani, anà m. 1. spicæ, asari & cinnamomi, anà* ʒ. 1. *anisi, cumini & carpesiarum, anà* ʒ. 1. *& ß. bulliant in lib. 6. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & prædicto syrupo adde eius* ℥.2. Item ex prædicto decocto serapium conficito, *adde foliorum senę* ℥.2. *carthami conquassati* ℥.1. *facta iterum ebullitione adde agarici* ʒ. 3. *& post colaturam adde mellis & sacchari quod sufficiat vt fiat serapium.* Postea verò purgare corpus vniuersum poteris pilulis de agarico, aureis, aut aliquo ex prædictis pharmacis in ascite scriptis: hoc vno animaduerso in hac curatione, solo purgantium per infernam aluum vsu, plures sanitati restitutos fuisse, si à principio mali id fiat: quam hac lege arbitratus est Hippocrat. ab eo affectu E liberari, vt antea retulimus ex eius mente. Quod sanè non temere & vtcunq; est intelligendum, sed quatuor conditionibus præmissis: primò nimirum, quòd laborans firmis existat viribus, alioqui tumore subsidente, larga per aluum effusa aqua, siue arte siue sponte, paulò post morietur: secundò, quòd affectio sit incipiens, antequam viscera imbecilliuate & intemperie habituali laborent: item quòd prædicto tempore, vacuatio sit vehemens & copiosa, non impar morbo: Vltimò verò, quòd id, quod excernitur, sit aquosum, sine alimenti cruditate, alioqui ob retentricis impotentiam fieri potiùs esset arbitrandum, quàm ex vi naturæ aut medicamenti.

Quòd si tie hæc omnia sufficere videantur, coniectandum est, id quod in venis carni proximis viget, non posse trahi, & adhuc aliquid densum & crudum eisdem & reliquis impactum manere, quod ea medi- A camenta expostulet, quæ præter id quòd attenuent, per vrinas quoque educere possint, velut est asari decoctum, cinnamomi, cardamomi, sabinæ, iuniperi baccarum, & rubiæ radicis, item vsus stillationis theriacæ, cum quo etiam externas partes inunges. Prodest decoctum ex vino factum cum dauco, sescli, radicibus asparagi & trifolij: *item* ʒ. 1. *radicis trifolij, aut eryngij, vel seminis viticis cum vino.* Eundem quoque vsum præstant, & etiam internas humorum reliquias conterunt, dialacca, diacurcuma, trochisci de eupatorio, de rhabarbaro, de rosis, & de absynthio: prodest & diarrhodon, aromaticum rosaceum, mithridatum, aut theriaca: quæ omnia præter id quòd B vrinam mouent, iecur quoque mirum in modum attemperant & roborant, quod maioris solet esse momenti in huius mali curatione.

Verùm quia peccantis humoris maior pars in ambitu corporis viget & in carnosis partibus, ob id extrinsecus pituitam euaporare ac discutere, sæpe magni fuit momenti: quamobrem sudores & omnem humoris discussionem tentare opus erit, non solùm exercitijs sub sole & aprico loco factis, sed & balneis, inunctionibus, frictionibus, & reliquis omnibus, quæ hoc munus præstare solent. Sic balnea aquarum sulphurearum, vel ex alumine & aqua marina, magni sæpe fuerunt momenti, si sole adhuc feruente corpori adhibeantur, dummodo à solis iniurijs caput sit C præmunitum. Prodest & arena, maximè in littore maris, corpus feruido existente sole sepelire, aut milio, sale, tritico, vel panico: sed propriùs id efficiunt calidi furfures, & pulueres lapidum qui pumices appellantur, chamæmeli, anethi, seminis rutæ, & similium. Quòd si laborans maluerit vestitum his pulueribus inter duo lintea reconditis & probè dispositis indui, non desunt qui vtilius arbitrentur, mirè enim discutiunt & calore partes roborant. Eiusdē est vsus inunctio olei irini cum modico aquæ vitæ, aut eodem oleo & sale aut sulphure: vel emplastrum conficies ex oleo prædicto cum pulueribus stercoris bouini vel cochlearum, quæ vstionem non sunt expertæ, sed exsiccatæ & redactæ in puluerem, quo plures & tumidio- D res partes corporis illineis, ibidemque resiccare sines, donec sponte decidant pulueres.

Quæ omnia si adhuc prodesse non videantur, velut in re desperata, ad chirurgiam veniendum est: in quem vsum consulunt Celsus lib. 3. cap. 21. & Aetius lib. 10. cap. 30. suras quatuor digitis supra talum sacrificare profundioribus scissuris, vt diu durare possit per easdem aquarum profusio: ac si copiosior tibi videatur euacuatio, fascijs ligabis crura, quo scissuræ comprimantur, & sequenti die ligaturis semotis, aut laxioribus factis, aquam fluere, quantum visum fuerit, permittes. Idem etiam in brachijs efficere poteris: ac si placuerit in altero aut vtroque crure fontanellam aperire, optimè facies; vel si supra iecur setonem E affixeris, aut in ea ventris parte, quæ magis intumuerit; vel vstiones paruas & frequentes per securiores corporis partes facies. Quod tamen cautè facito, ne omnino laborante ad impotentiam ducto, vel humoribus euocatis ad eas partes, maiori copia, quàm vel possit per scissuram fluere, aut natura regulare, in corruptionem degeneret pars. In reliquis verò auxilijs quæ & iecori & visceribus necessaria existunt; eodem modo res se habet, ac in alijs hydropis speciebus dictum est.

CAPVT VII.

De renum dolore, inflammatione, & vlcere.

LIcèt renes varias (vt quoduis aliud membrum) possint pati affectiones, cum hoc tamen quasdā habent cum vesica communes (eas nimirum, quæ ad

vrinam

vrinam pertinent) & alias sibi tantùm peculiares, in A quibus necessum non est vesicam coarctari. Inter quas (quæ numerosæ sunt) potissimum habent locum, quę dolorosæ existunt: nam reliquæ etiam cum vesicæ munere coincidere videntur, vt obstructio & aliæ huius census.

His suppositis, scito, tres potissimum affectiones renes pati, consequutionem quandam & veluti cohærentiam inter se sortitas: dolorem nimirum, velut inflammationis præludium: inflammationem ipsam; & vltimò vlcus. Quapropter, horum omnium hoc vno capite meminisse institui, tanquam eorum quæ consequutione quadam causaliter sibi correspondēt: quippe inflammationes non semper ex sola sanguinis vbertate fieri est credendum, sed plerunque euocatò sanguine ipso (licèt non plurimum abundet) à causa quauis, quæ dolore magno excitato, fluxionem quoque excitare sit nata.

De dolore. Quo fit, vt iuxta optimam medendi rationem mihi visum fuerit, doloris renum priùs meminisse, vt quantum fieri possit, ægri molestiam leniendo temperemus, & imminentem inflammationem inhibeamus.

Causæ. Prodit itaque dolor renum multis de causis, nimirum ab intemperie tam simplici quàm composita, cum materia aut citra ipsam: ab inflammatione & reliquis tumoribus præter naturam: ab obstructionibus, quæ vel à crassis fit humoribus impactis in meatibus, vel in eorum ventre, & à calculo in eis concreto: ab vlcere vel quauis alia soluta vnitate, à causa manifesta vel occulta, vt à fluxu humoris acris & mordacis, aut flatuoso spiritu. Quas sanè causas complexus est Hippocr. lib. de internis affect. statuens quatuor solùm esse: lapillum videlicet, ruptionem venæ, erosionem ab atra bile, & dolorem ex pituita & bile. Quibus constat sub dolore ex pituita & bile, omnes dolorum causas (præter solutam vnitatem, & lapillum) complexum fuisse: nam ex eis docet inflammationes fieri & omne rumorum genus, ac omnem insuper intemperatiam, ac consequenti ex pituita & bile flatuosum spiritum. Quapropter censeo dixisse Hippocr. 6. aphoris. 11. melancholicis & renum vitio laborantibus, hemorrhoides superuenientes bonū, cùm omnem cacochymiam soleant purgare hæmorrhoides. Præterea, frequenti experimento comperimus, ex capitis fluxionibus renes & dolere, & mille alijs modis laborare, vt idem author testatur, lib. de glandulis dicens: *Fluxiones ex capite fluunt, & cætera*: qua parte ad renes prolabi è capite humores euidenter monstrat, quos vel in exulcerationem, vel inflammationem, aut quoduis aliud morborum genus commigrare scimus. Nec minus dolerē ex vteri consortio est arbitrandum, tum quòd illis incumbat vterus, tum quòd plenitudine premat, tū vltimò quòd à flatu distentus renes attingens conterat, nec non quòd fluxionibus ex alijs corporis partibus euocatis rheumatica in affectionem in ipsis renibus concitet. Visum est etiam renes dolere, cordis consortio, in his quibus pus à thorace per vrinam expurgatur: quippe tā tenere pus illud præ calore magno attenua, in arenulas coocrescit, quæ postea doloris perpetui, & contabescentiæ causa existunt, renibus sanis existentibus. Dimitto causas externas, & ex internis plenitudinem & alia quæ paulò inferiùs sum monstraturus, ne vno in capite eadem bis scribantur.



Signa causarum. Sed dolere renes hac aut illa causa nosse, dignius esse sum arbitratus, si priùs dixero lumborum dolores plerunque renum dolorem æmulari: quapropter, necessum est id priùs, quàm auxiliares manus adhibeas, nosse et distinguere. Succrescunt igitur lumborum dolores & circa renes, intestinorum vitio: item iecoris aut splenis: tum etiam in febribus, tum citra ipsas, multis rationibus et causis: primò quia incalescunt propter decubitum, partibus pinguioribus à calore succensis. Interdum verò à lassitudine phlegmonodē, sanguine calido in magna venā & arteria redundante: nonnunquam & à musculis & spinali medulla dolor originem trahit. Præterea dolere assolent prædictæ partes fluxione ad ipsas, aut per easdem delabente: item ex lassitudine, ob laboriosum exercitium, tum extensis plus iusto musculis, tum succis ad ipsos euocatis. Quod vel ex febre præsente, vel ex prægresso exercitio aut ex cognita fluxione distingues: at renes dolere aut lumbos, quia renibus affectis plerunque vrina aliquo modo mutatur, lumbis verò raro aut nunquam. Sed causas sic noſces. Dum enim ex vulnere casu vel percussione facto renes dolent, ipsa laborantis enarratione patefiet: ex alijs verò causis non ita facilè, cùm intestinorum dolores sæpe nos fallant: nam renum & viarum vrinæ dolores tam similes sunt doloribus intestinorum, vt primis diebus omnino discerni non possint, quòd in vtroque & vrinam & deiectionem, aut lædi aut cohiberi contingat. Cæterum discernes facilè vrina, aut alui deiectionibus apparentibus: quippe ex renum dolore mutata mille modis apparet, sicut alui deiectio ex læsis intestinis: quod docuit Hippocrat. cognoscere lib. 4. popul. text. 78. in Historia Apemantinam vrina eorum quibus verè renes dolent, semper secum aliquid causæ dolorem inferentis adfert, vt mox referam. Itaque si ex flatibus crassis & caliginosis spiritibus dolor concitatur, tensionem in parte subitò magnam persentiunt laborātes, ita vt neq; moueri neq; erecto corpore incedere possint, nulla tū persentita grauitate: item mitescit à flatu excreto vel fomento adhibito; & iterum vehementer ac subitò irruit, nullis alterius causæ apparentibus signis, ac dolore sese extendente ad vicinas, ac non tatò ad distantes & connexas cum renibus partes. Verùm si ex obstructione prodeat, ex vrinæ suppressione aut paucitate, vesica nequaquam patiente, comperies: si tamen crassities humorum id effecerit, periodicus efficitur dolor ex aggregatione paulatim facta, maximè si iecoris aut ventriculi imbecillitas aut vitium huic malo causam præstiterit, quòd reddita vrina, crassum quid aut arenosum in ea subsidet. Renum insuper intemperiem calidam ostendit post dolorem & suppressionem, fuliginosum sedimentum vrinæ sanguinis monstrans, sicut pituitosum eorum frigiditatem: granulosum verò & album sedimentum iam ex colore ac siccitate lapides futuros, demonstrat. Humorum quidem acrium, mordacium & salsuginosorum decubitum ad renes, ostendit dolor acutus & exulcerans, sicut inflammationis principiū dolor cū grauitate & pulsu tensiuus, nec non & vrinæ color, ac excreta cum ea substantia: calculum verò doloris esse causam suo loco disces. Apparet præterea dolor in renibus diuersis temporibus, modò vehemēs cùm generantur & permeant calculi: modò grauis & instar ponderis cùm per sensibiles partes non mouentur. Sed cùm renum dolor fiat à calculo, arenulis, pituita, grumo, flatu, pure, vel calore ingēte, aut phlegmone, hunc cognosces ex febre continua & graui dolore in inflammato rene, item dolore pulsatorio: reliquas causas, vt dictum est, et de calculo latiùs scriptum reperies cap. de renum calculo.

Curandi ratio. Cùm ex quauis prædictarum causarum dolor in renibus concitetur, faciliter ab vniuerso corpore ob commoditatem & promptitudinem viarum, allicietur superuacui et viles etiam humores: ob id quidem verendum est, ne in inflammationem commigret affectio. Quapropter grandi diligentia studebis, eos quàm citissimè sedare, & causam illidere, ac corpus à recrementis protinus expurgare. Verùm cùm eadem sit via curationis quæ debetur nudis intemperantijs, & his quæ cum affluxu fiunt materiæ, post ipsius humoris

moris euacuationẽ(iuxta illud Galeni vnamquam-
que causam abscindere priùs, deinde ad eam quæ fa-
cta est discrasiam peruenite) ob id placuit intemperie
rum cum materia hic meminisse solùm, nam in ea-
rum curatione vtroque auxiliorum genere est opus.
Sic profectò dũ calidus, acris, mordaxue humor ad
renes confluxerit, coniectandum erit, initium cura-
tionis auspicandũ fore à corporis totiùs euacuatione,
sanguine misso, primo ex brachio(nisi hæmorrhoidũ
aut mensium præcesserit suppressio, nam eo tempo-
re à talo sanguis mittendus est) dextro ex basilica(ma
ximè si iecur prauos succos gignens, malo causam
præstiterit) ac mox ex sinistro, si & vires non admo-
dum labantur, & dolor vrgentior sit. Quòd si iecur
sese in renes exonerare comperiamus ex siti, vomitu
bilioso, calore iecoris & alijs signis, ex dextro bra-
chio bis sanguinem detrahes, aut alteram detractio-
nem ex saluatella eiusdem manus institues. Si tamen
his adhuc factis, dolor non quieuerit(et interim dum
fiunt) studendum est parti apponere quę dolorem se-
dare possint: cuius naturæ est q. ℞. *seminis papaueris
albi & capitum eorum, santalorum, rosarum, coriandri
præparati, anà ℥. 1. farinę hordei ℥. 2. decoquantur cum
mucilagine psyllij, seminis lini & fœnugręci, oleo rosa-
ceo & modico aceto, & fiat emplastrum.* Cui simile ex
mucilaginibus & pulueribus dictis parare poteris,
aut ex lacte muliebri & seminibus cum oleo rosaceo
& papaueris. Quo facto, curabis fomentis causam
doloris illidere, qualis naturæ est quod recipit deco-
ctum meliloti, violarum, florum nenupharis, rosarũ,
seminis lini, capitum papauerum, & foliorum mal-
uarum, ac violarum. Quibus factis, ab ipsa parte
quod confluxum est deriuare sanguine misso per ve-
nam tali sanius est, quàm per cucurbitam renibus af-
fixam & scarificatam, vt multi consulunt, nisi tanta
fuerit doloris vrgentia & virium imbecillitas, quòd
id cogaris efficere: quo tempore parti scarificatæ ap-
pones albumen oui, superspartis pulueribus santalo-
rum, seminis lactucæ, portulacæ, serici crudi & fœnu-
gręcæ, superposito pãno cannabino, aut stupa ex can-
nabi minutim inscissa, quæ diu ibidem permittatur
manere. Verùm si doloris immanitas & sæuitia bis
non cesserit, ad narcotica te conferes, exhibito priùs
syrupo papaueris, & sequenti die si id non suffecerit
ʒ. ß. *philonij Romani*, aut si corpus robustum fuerit,
ʒ. 1. item potibus vteris frigidioribus ex hordeo, por-
tulaca, buglosso, & aqua lactis cum syrupo rosarum,
vel portulacæ aut papaueris. Extrinsecus verò quæ
anodynam habent virtutem appones, velut vesicam
aqua tepida & oleo violarum plenam: aut emplastrũ
ex butyro, violis, & lenticula palustri, ex folijs malua
rum adiectis paucis folijs papaueris, aut decoctis ca-
pitibus ipsius cum succo portulacæ, & farina hordei:
lac item mulieris cum albumine oui & modico o-
pio, si aliter fieri non possit. Cæterum si hæc omnia
prodesse nõ videantur, ad purgans medicamentum
confugiendum esse consulit vrgentiæ ratio. Et si quis
dixerit, id potius in principio esse exequendum, cùm
potissimum acris & erodens materia ex purgatione,
quàm sanguinis detractione, infirmetur & extraha-
tur, expendat, in his doloribus qui ex confertim &
subitò facta fluxione fiunt, non esse mox à principio
expurgandum, donec cessante fluxione, si quid pro-
pe partem affectam fluxurum adest, dolores adau-
gens, & fouens, expurganti pharmaco citra nouæ flu
xionis periculum educatur. Quapropter mox à prin-
cipio, serapijs & potionibus frigidis exhibitis, corpus
purgare oportebit manna, cassia, syrupo violarum ex
infusionibus, si dolor mansuetior apparuerit, postea
verò vt dictum est, sanguinem mittes, et tandẽ seligẽ-
te pharmaco deinceps purgabis, si iecur huic malo
principium præstiterit, vel calidum sit venosum ge-
nus, rhabarbari infuso, aut foliorũ senæ, in aqua por-

A tulacæ vel sero lactis. Et his factis, si dolor non quie-
uerit, conijcito(maximè cessante febre) intemperiem
calidam relictam fuisse in parte, & eam solis frigidis
stude mitigare: aut malum iam in inflammationem
mutari, cuius signa paulò inferiùs leges.

Verùm si ex frigida caussa malum originem tra-
xerit, expende ac diligenter primò considera, impa-
cta ne in renum cauitatibus & vasis existat, obstruẽs
& distendens ac intemperans ipsos renes, vel aliun-
de fluat denuo, siue per interualla affectus repetierit,
siue denuo factus inopinatò affligat. Nam si aliunde
fluat, fluxionem primò inhibere oportet, ne calidis
auxilijs, & ijs quæ discutiendi vires habẽt, maior fiat
ad partem dolentem humorum prouentus: quod sa-
B nè facies cognita fluxionis origine. Quippe si caput
fuerit, & dolor plurimum non vrgeat, verendum nõ
est vomitibus, aut pilulis quæ caput respiciant purga-
re, & postea omni caput purgiorum genere materiã
fluxuram minuere: aut si dolor id nõ permiserit, aliò
fluxionem auertere frictionibus, ligaturis, & brachio-
rũ lauacris. Verùm quia vbi dolor vrget, leuiora hæc
sunt, quàm oporteat, cunctandum nõ est sanguinem
primò & ante omne aliud præsidium mittere, ex ea
vena quæ membrum à quo fluxio prolabitur respi-
ciat, & si eo adhuc sufficienter extracto dolores per-
stiterint, ex talo renis non dolentis sanguinem detra-
hes, parciùs tamen quàm in calida causa, & mox par
tem fouebis decocto chamæmeli, meliloti, anethi, stę-
C chados, ireos, fœnugræci, seminis lini, parietariæ, & si-
milium. Et si constiterit adhuc dolorem non quiesce
re, cucurbitam citra scarificationem partis appones,
& desuper emplastrum, q. ℞. *myrrhæ, thuris, anà ʒ. 3.
seseleos, squinanti, anà ʒ. 4. farinæ fœnugræci & seminis
lini, anà ℥. 1. & ß. florum chamæmeli, meliloti, anethi,
& ireos, anà ʒ. 2. olei chamæmelini, & cinnamomi quod
sufficiat, vt fiat emplastrum.* Item inunges renum re-
gionem oleis calidis, maximè oleo ex radice cucurbi
tæ siluestris, de styrace, de theriaca, balsamo, hyperi-
ci, Mathioli, & similibus: pręsertim per clysteria inie-
ctis, cum vino & decocto fructus alKeKengi & her-
barum calidarum. Verùm, si ne his quidem cessaue-
D rit fluxio, ac diuturna fiat & per interualla reuerta-
tur, fontanellam brachijs aperies, si ex capite fluxio
prolabatur, aut cruribus, si prope renes membrum
transmittens degat. Cessante fluxione, ei humori, qui
impactus renibus manet, prouidere oportet his quæ
renes purgare nata sunt, & his etiam quæ diuretica
cùm sint, renes ipsos ab spurcitia impacti humoris ab
stergere vires habent. Quo casu etiam hæmorrhoida
rum prouocatio & apertio summopere ab *Hippo. 6.*
aphoris. laudata est: quippe hæ à crassis humoribus ac
melancholicis recrementis renes purgare natæ exi-
stunt. Præterea terebinthinæ vsum mirum in modũ
prodesse scimus, ac rhabarbari & agarici dilutum in
aqua graminis: item lac seminis carthami, cum oxy-
E melite decoctionis petroselini & asparagi. Prosunt &
expressiones seminum diureticorum calidorum: tan-
dem in vniuersum ea medicamenta quæ copiosa re-
peries capite de calculo renum. Extrinsecus verò em-
plastris vteris, quæ vim habent concoquendi & discu
tiendi, vt loco dicto latiùs reperies, & capite etiam de
hydrope: nec minoris momenti est in hoc affectu v-
sus theriacæ & mithridatij. Quibus factis, si adhuc
dolor perstet, noctuque magis, & cum febre ac par-
tis pulsatione, coniectandum est in inflammationem
verti. Verùm si perstiterit, & per interualla repetat, ex
fluxu vel flatu aliunde ibidem transmisso arbitran-
dum erit proficisci.

Quòd si flatus crassi & densi occasione renes do-
leant, considerabis priùs, sint ne flatus intra renes &
venas eorum, aut in inuolucris, quod nosces ex fixo
dolore & permanẽte, si intra renes sit flatus, vel quòd
per interualla succrescat, si in inuolucris, præsertim si,

flatu

flatu excreto laborans sentiat leuamen: tunc vltra cõderabis, præsit ne in corpore, maximè in venis, crassorum crudorumue excrementorum copia, ex quibus flatus subingrediantur venas renum aut eorum inanitates: quod si constiterit adesse, purgabis primò corpus hiera & cassiæ fistulæ pulpa, vel hiera sola, aut decocto seminis cartami in liquore. 9. infus. rosarum facto, vel pilulis ex agarico & aloe factis, aut vltimò melle ex rosis Persicis, vel terebinthina. Quo facto, aut antè si dolor vigeat, potum aquæ feruidæ ex cinnamomo, aut aniso, vel camæmelo porriges, vel decoctum agni casti cum melle aut saccharo, si homo biliosus sit vel febris adsit. Item prodest decoctum seminis angelicæ, cinnamomi, aut anisi: theriaca etiam, diaciminon, dianison, electuarium aromaticum rosaceũ: sicut ex vsu est *mellis rosacei calidi* ℥. 2. *bibere ante prandium*: tandem his quæ vrinam moueant vteris. Verùm si intestinorum aut ventriculi vitio constiterit renum inuolucris præstitum esse flatum, tunc quidem principium curationis auspicari oportet à clysmatis, quæ vim habeant aluum purgandi: quo facto vomere coges laborantem, & si dolor adhuc perstiterit, clysmatis discutientibus vteris ex decocto cimini, calamenthi, anethi, rutæ & chamæmeli, cum vino albo & oleo amygdalarum dulcium, anethi, vel chamæmelicum melle rosaceo. Quibus factis ventriculum purgabis aliquo ex prædictis pharmacis: à quibus prosunt emplastra & fomenta supra renes adhibita, quæ ex eodem decocto, vino & oleo parari possunt, vt capite de colico dolore latiùs scriptum reperies. Ac si nihil horum profuerit, cucurbitas siccas parti & prope ipsam appones, & si cum hoc dolor creuerit, scito aliquid humoris iam in renes confluxisse, quod vel inflammationem, vel dolorosam obstructionem moliri incipiat, ita vt nouam prouidentiam prærequirat.

Inflammationis renum natura, & curatio.

Cùm communis omnium inflammationum natura vna sit, eadenique in omnibus, & sæpiùs in hoc opere eius meminerim, sat est hac in parte statuere, renum inflammationem esse tumorem calidum præter naturam, excitatum ab humoribus calidioribus in substantia, vel angustiis eorum meatibus, aut in his quibus teguntur membranis, obortum. Cuius sanè causam arbitramur esse fluxionem humorum, præsertim sanguinis calidi & crassi, aut tenuis & biliosi: itẽ paulatina crassorum congestio, quæ prohibito naturali effluxu, in putredinem agitur, ac certum quendam inflammationis modum gignit, à quo pus etiam mingi solet, & dolores ac labores inflammationi persimiles succrescunt, diutiusque perstant; & cùm nullis cedat auxiliis, tandem in puris mictum degenerat, cùm nulla vera inflammatio præfuerit, sed solùm humorum collectio, haud secus quàm pituitam à capite defluentem in pulmonem, verti in pus affirmat Hippocrat. Assolent etiam prædicti crassi succi immodico renum calore resoluta parte tenui, in durum verti tumorem: haud secus quàm ex inflammatione, vel vltra modum resoluentibus adhibitis, vel intempestiuè & diutiùs præstitis, quæ frigida sunt, indurari contingit.

Differentiæ verò harum inflammationum quibus tentari possunt renes, interdum à diuersis partibus, quæ in renibus afficiuntur, accipiendę sunt, vt Gal. 6. aphor. 5. apertè docuit: nam aut inflammatio exteriorem eorum tunicam & partem ad illam attinentem apprehendit, aut venas & arterias quæ ad renes conscendunt, aut substantiam carneam, aut membraneum illud corpus quod in interiori renũ ventre prętensum est. Item à diuersitate humorum ex quibus constat fluxio, differentiæ non parui momenti capi possunt, quia aut à crassiori sanguine, aut à bilioso & tenui pendent, si vera est inflammatio: aut, si spuria, ex crassa pituita in cauitatibus putrefacta.

Causa.

Fluxionis enim multæ possunt esse causæ, nimirũ copia vitiosorum humorum in toto, aut in iecore, vel in partibus vicinis, maximè si hæmorrhoides aut menses supprimãtur, renibus existentibus languidis; aut quauis alia occasione, qualis est ictus, casus, aut percussio. Item medicamenta diuretica, & quæ ad renes euocare aut allicere possunt prædictos succos. Insuper labores, exercitia, aut dolores earundem partiũ, sicut vehementes & continuæ equitationes, aut illarum partium cingulis vel fasciis arcta strictura, vel emplastrorum calidorum intempestiua adhibitio, corpore existente pleno. Item defluxus à capite, aut cruditas vẽtriculi, vel iecoris improba sanguificatio, quo sanguine cum sero attracto nihil mirum est, si aliquid in renibus permaneat, concitans grauissimos & diuturnos dolores, ac postea puris formam accipiat. Cui etiam damno causam præstat consueta & vtilis suppressa vacuatio, siue sanguinis, siue cuiusuis alterius sit succi. Pręterea induratorum tumorum duplex causa existit: vna caliditas quæ resolutione nimia induret: altera verò frigiditas quæ condensatione & concretione idem efficiat.

Signa.

Signorum verò, quibus in renum inflammationibus opus habemus, quædã ipsam monstrant inflammationem: nonnulla locum in ipsis renibus inflammatum: alia humorem confluentem aut ibidem aggregatum: item non pauca suppurationem, aut terminum ipsius tumoris. Sic profectò dolorosum renum affectum inflammationem sequi monstrat continens febris, quæ maior minorue est, pro ratione maioris vel minoris inflammationis, aut calidioris, vel minus calidi humoris. Tamen, vt refert ex Rufo Aetius, frequentissimè frigent partes extremæ, vt manus, suræque, & pedes: adest quòque frequens horripilatio, & circa noctem febris exacerbatur: dolor etiã aut grauitas in regione renum adest, qui sanè aut acutus cum tensione quadam est, & interdum adeo vrget, vt nequeant recti stare laborantes, vel, vt Aetius refert, incedere: maximè (vt Auicen. docet) cùm mẽbranæ, quibus inuoluuntur aut connexi sunt, inflammantur: quippe dum homo erectus est, tenduntur magis, & ob id intensiùs dolent, & pari ratione laborans neque sternutamentum fert, neque tussim, ob concussionem partium inflammatarum, quia maior concitatur dolor. Pari prorsus ratione, supinus æger minus molestatur, quam pronus, quòd hac figura penduli existant renes, & ob id ponderis sensu afficiantur: sic dum in latus renis affecti cubant, leuiùs se habent, dum verò in contrarium, ea lege deteriùs. Doloris autem modus in omnibus grauior est, licèt Aetius pulsatilem statuerit, quod censeo dixisse, dum ipsum renis corpus inflammatum non est: nam eo tempore pariter Hipp. & Gal. fatentur graui dolore premi: verùm si membranosæ aut arteriosæ partes inflammentur, aut ipsa inflammatio magna sit, mirum non est si pulsatio quoque accedat. Præterea ob consensum, quem renes habent cum laxiori intestino, vt Galeno visum est 6. popul. vel (vt refert Auicen.) ob colligantiam cum iecore, & ob id cum ventriculo meseraicarum ratione, vomitus pituitæ protinus subsequũtur, ac mox bilis, & nonnunquam æruginosæ, ob calorem iecori communicatum: quo fit vt deliria & cibi fastidium, minutæ excretiones, angustia, animi deliquium, & exsudatio succrescant. Vrina verò in principio tenuis & aquosa, in qua nil subsidet, & inflammatione procedente, rubicunda, crassa, & mucosa.

Humorem verò inflammationem efficientem esse biliosum monstrant acuti dolores, & intensiores febres, & omnia symptomata valentiora, cum faciei et oculorum rubore ac mentis perturbatione: vrina pauca, tenuis, & acris: cùm verò sanguis copiosior est, grauitas adiungitur, & vrina rubicundior, & crassior existit. Frigidum humorem attestantur tensio

maior,

maior, et maior longè grauitas, vrina decolor, et crassa, nonnunquam sanie perfusa, corpus & facies maximè tument & frigent, ac dolor obtusior & molestus. Melancholicus humor rarò confluit ad renes, neque scirrhosum tumorem gignit, nisi per alterius indurationem, vt mox referam, si priùs dixero quibus signis pars affecta in renibus dignoscatur.

Quippe cùm partem solam renis occupat inflammatio, dolor non est acutus, sed potiùs quasi pondus percipitur, et quasi tensio: nam intumescente substantia carnosa, distenditur eius membrana, & grauans distēdit membranas quibus dorso alligantur. Quòd si membranam inflammatio apprehendat, dolor est acutus, sicut dum vasa & internas eorum membranas obsidet. Quo fit vt rationi consonum videatur, dolorem acutum, qui membranas inflammari designat, pariter quoque biliosam monstrare inflammationem, aut tenuium humorum: sicut obtusum renū carnem, vel ex crassis humoribus: nam tenues succi facilius membranas permeant quàm crassi. Dextrū verò aut sinistrum inflammari, cognitu est facile, sicut difficile quo se vertat inflammatio: quod nunc monstrare aggredior.

Quippe si per resolutionem abitura est, vrina ex cruda, cocta & coloratior apparet, quia significat aliquid ab inflammatione resudare, maximè si dolor mitior fiat, & febris quodammodo remittatur. Verùm si vrina crudior perseueret, citra doloris aut febris remissionem, conijcies nihil ab inflammatione discedere, & ob id in abscessum vel scirrhum abituram: in scirrhum quidem, si alba & aquosa perstiterit vrina, & dolor plurimum remittatur, ac pulsationes quæ præfuerant delitescant: in abscessum verò, si tenuis sit, sed rubicundior, cum dolorum ac febrium maiori exacerbatione, quæ nullis cedat auxilijs: cum verò iam pus fieri incipit, rigores cum febribus admiscentur non pauci, & inæqualiter apparentes, idq; magis iuxta solis occasum. Aderit quoque prope ilia tumoris vestigium, cum ingenti dolore & calore, ac magno ponderis sensu, si æger in sanam decubuerit. Quæ sanè accidentia perfecta suppuratione mitiora apparent, à quibus plerunque liberantur homines, vel copiosa vrina micta cum copioso sedimento & probo, aut hemorrhoidum fluore, & vltimò puris copiosioris mictu.

Curandi ratio. Cùm phlegmonum omniū vna communis existat medendi ratio, non oportet iterum quæ sæpius diximus repetere: cæterum in particulari, cum victum sic affectis institues, qui parcus cùm sit, primis solùm diebus humectioris existat naturæ & lenis, quo non solùm citra maximum laborem natura beneficium capessat, sed etiam lenes & mulcebres reddant vrinæ meatus conscendentes succi. Sic ptisana, panis lotus, ius pulli vel eius caro ex vsu esse solēt, sicut noctu ius solùm vel ptisana, aut pyrum saccharo conditum: denique ad humidum et modicè frigidum primo accessu inclinet: & potus sit aqua saccharata, loco aquę mulsæ, quæ postea maioris est momenti quàm in principio, aut aqua hordei ad crepaturam decocti, maximè si ei miscueris purissimæ aquæ medietatem, quo minus ingrata fiat. Verùm licèt in quantitate exhibenda authores varient, ea tamen instituenda venit, quæ acres compescat succos, citra id quòd plurimum vrinam adaugeat: item valde frigida non sit, sed bibita paulatim, si aliter bibi non potest, appetunt enim sitientes ægri frigidum potum: cuius loco, vt siti & renibus prouideamus, aquæ purissimæ serapium violaceum aut de portulaca addere oportebit. Victu igitur, quiete, atque animi tranquillitate institutis, velut in reliquis inflammationibus, curandi ratio qua lege instituenda sit, perdiscendum est. Cuius occasione in memoriam reuocare oportebit, tripliciter renes inflammari posse: nimirum per paulatinam (vt ferunt) congestionem: vel per defluxum: ac vltimò pituita intra renum cauitatē collecta. Præterea præmittendum est, inflammationem quamuis vno è tribus modis posse terminari: videlicet per abscessum, per resolutionem, & vltimò per indurationem, ita vt Medico incumbat, naturæ motum & efficaciam tentari, vt illum sequatur, aut impediat, si opus fuerit: alioqui non leue in curationibus sequetur incommodum, si contraria adhibeat præsidia eis quæ natura expostulat. Quapropter placuit vniuersam tumorum præter naturam in renibus curationē in duo membra dissecare: quorum alterum omni inflammationi, vtcumque fiat, proficuum & commune existit: alterum verò naturæ modū sequi docet, & prout ipsa postulauerit, instituit vel resoluere, vel suppurare, vel quoduis aliud motius exequi. Quatenus verò ad primum attinet, tria sunt præsidiorum genera, quæ omnibus inflāmatis particulis proficua sunt & cōmunia, vtcunq; inflammatio principiū sortiatur: primum sanguinis missio & expurgatio: secundū repellens auxilium: tertium verò (si prædictis impediri non potest) resoluens aut suppurans. Verùm hac lege dispensanda veniunt, quòd sanguinis missio plerunque eis inflammationibus, quæ per decubitum fiunt ex vsu est, reliquis verò nequaquam aut rarò, & non nisi ob suppressionem alicuius sanguinolentæ vacuationis: quo tempore tutius foret ipsam reuocare. At expurgans medicamentum his quæ per paulatinam congestionem fiunt, reliquis verò rarò, nam frequenter ab expurganti medicamento fluxiones citatiores fiunt. Præterea inflammationibus illis spurijs, quæ pure facto aut fiente in cauitate renum concitātur, longè diuerso modo opus est pharmaco purgare. nam si aliquid est fluxurum, illud pharmaco (quod secretum sit à sanguinis natura) auertere & educere oportebit. Verùm si impactum quid in vijs fuerit, per id quod per renes purget, vel per diuretica, educi debet. Sic profectò, cognita hac inflammationis natura, primò purgabis cassia, & terebinthina, quantum sat sit, vt quod abundat iuxta prædictas vias, euoces ad communes ventris canales: postea verò tertio vel quarto quoq; die, pilulam terebinthinę porriges cum saccharo aut puluere liquiritiæ, qua quod in via vrinæ continetur purgari possit: post verò cassiam cum puluere liquiritiæ, aut aquā hordei & graminis cum saccharo porriges. At repellentia sola primò & necessariò inflammationibus quæ per defluxum fiunt, adhibenda sunt; non solùm per externa, sed per interna etiam, ne calidi renes quod à tergo repulsum est trahāt: quæ sanè auxilia spuriæ inflammationi adhibenda non sunt, ne maior fiat ad cauitates renum retrocessus: eis tamen inflammationibus quæ paulatim fiunt, adhibenda quidem sunt, verum admixtis resoluentibus, haud secus quàm quæ per defluxum fiunt, dum sunt in augmento.

Sanguinis detractio Quibus constitutis, dum per defluxum fit inflammatio, initium curationis auspicari debet à sanguinis detractione, in qua exequenda, nulla subest dubitatio, licèt de loco, vbi fieri oporteat, non parum digladiatum sit: cum hoc tamen dimissis authorum rationibus, artis vniuersalia præcepta consulunt, corporis & morbi statum ac tempus esse inspicienda, vt controuersiæ diluatur omnis occasio. Quippe corpore nimis pleno, à brachijs, iuxta optimam medendi rationem incipiendum est, ac licèt plenitudo non sit adeo insignis, si fluxio adhuc in principio est, pari ratione ab eius origine, si haberi potest, aut ad quā distantissimam partem reuellendum fore, est coniectandum. Deorsum enim vergūt humores facta collatione à iecore fluentis sanguinis origine, & ob id ad superna euocare rationabilius videtur. Verùm, si vel plenitudinis maior pars deposita sit, vel vrget magis quod in parte inflāmata impactum existit, vel prope

ipsam iam iam in inflammationem commigraturũ, procul dubio per venas tali deriuari commodius est: id enim sonant omnes Galeni & Hippoc. sententiæ, quamuis ambigere renes dictum sit. Itaque tantum sanguinis detrahes ex brachio, quantum plenitudinis maiorem partem deposuisse visum sit, & parum infra si vires id non permiserint: ex talo verò eam copiam detrahes, si vires id patiantur, quæ doloris inclementiam sedare possit; sin aliter, alijs auxilijs, anteq̃ vires labātur, quod reliquũ est, discutere tentare oportet, aut quàm citissimè in pus mutare, antequã maior pars renis excesa, sanitati postea omnino reluctetur.

Verùm liceat ne ita liberè medicamentis vti, quæ vel vrinas moueant, aut ventrem soluere possint, non est ita facile dirimere. In qua re statuendum est, inter initia humoribus concitatis & crudis, ac inflammatione ipsa efferuescente, nequaquam purgans medicamentum exhibendum fore. Cum hoc tamen nõ interdicimus mox à principio, si præsint cruditates in primis venis, nec calor ead partem dolentem irruant, cassia aut manna cum sero lactis purgare: nec non transacto inflammationis impetu, aut ante ipsum, si humor præparatus sit, ac eductioni facilis: cui muneri serapium ex infusionibus violarum, aut decoctum mercurialis cum saccharo, vel catholici modicũ porriges. Verùm quatenus ad ciendas vrinas attinet, nõ ita liberè facies, sed solùm vbi perfectè coctæ fuerint inflammationes, alioqui exacerbabis longè magis, & maiorem euocabis affluxum, vt doctorum ferè omnium est decretum. Quapropter differendum est, donec quieuerint dolores, & cessasse fluxionem compertes. Quo tempore ex vsu est decoctum (ex aqua, vino, & melle) graminis, petroselini, acori, chamæpitys, cassiæ, & polij, & aliorum quæ citra magnam caliditatem id munus præstant, velut sunt emulsiones seminum frigidorum maiorum, & cichorij, ac pimpinellæ decoctum, cum saccharo & aqua lupulorum.

Sanguine his omnibus modis misso, & cucurbitis furis & femoribus à tergo affixis, & scarificatis, si necessariam sanguinis detractionem non ferat laborans, studendum est omni arte fluxum humorum, aut saltem eum qui in proximis est partis affectæ venis repellere: primò quidem per clysteria, quæ sedandi dolorem, attemperandi ac modicè repellendi vires habeant, quale est quod recipit maluæ decoctum, ptisanæ succum cum oleo rosaceo: item decoctum solatri cum oleo rosaceo & mucagine seminis psyllij: valet & hordei decoctum cum eodem rosaceo. Quem quoque vsum præstat id decoctum q. ℞. *solatri & capitum papauerum, olei rosarum & violarum, anà ℥.2. seri lactis caprini ℥.3.* Quòd si alui excrementa ægrè prodicunt, ac dura admodum sint, quidem ex vsu est *decoctum maluarum, betæ, violarum & hordei lib. 1. cui adde olei violacei ℥. 3. butyri recentis & adipis anseris, anà ℥.ß. ac si opus fuerit,* adde *catholici ℥.ß.* excretis fæcibus, iterum ad clysteria quæ modicè refrigerent, confugiendum erit, dummodo neutra in magna sint copia, ne renes ab intestinis comprimantur.

In eundem etiam vsum extrinsecus, incipiente & increscente inflammatione, adhibebis oleum rosaceum cum modico aceto & succo polygoni & portulacæ vel lenticulæ palustris: quem quoque vsum præstat id q. ℞. *olei rosarum & violarum, anà ℥.2. calefiant cum cera alba, & adde succi coriandri, cichorij, et portulacæ, anà ℥.ß. aquæ rosarum ℥.1. aceti modicum, & fiat ad modum linimenti.* Præstat & polygoni succus cum oleo rosaceo & albumine oui, aut ex aliquibus ex his ceratum conficere, quod maximi esse momenti authores arbitrantur: præsertim quod conficitur ex oleo rosaceo, succo portulacę, & modico aceto cum cera: præstat & refrigerans Gal. cũ oleo omphacino: item *vnguentũ rosaceum cum vnguento populeone, anà ℥.1. quibus adde olei rosacei quod sufficiat vt fiat linimentum.* Magni etiam vsus est vnguentũ de cucurbita cum oleo omphacino ac pulueribus santalorũ, et rosarũ. Item emplastrum q. ℞. *foliorũ violarum, farinæ fabarum, anà ℥.1. farinæ hordei ℥.2. santalorũ rubeorum & rosarum, anà ℥.ß. olei rosarum ℥.2. succi solatri quod sufficiat vt fiat emplastrum:* quòd si prodesse nõ videatur, addere oportet *seminis psyllij & papaueris, anà ʒ.3. mandragoræ ʒ.1. opij ℈.ß.* vel si placet conficies *vnguentum ex rosaceo & gr. 6. opij cum croco & vitello oui,* & alia multa quæ reperies, to. 2. cap. de his quę renes refrigerāt. Quod si efficaciùs dolere cũ hoc comperiamus, aut saltem parũ prodesse, coniectādum est iam aliquid in parte adeo esse impactũ, quod discussionem desideret, & eo tempore addere oportet quæ vim habeant resoluẽdi ac digerendi, cuius naturæ est fomentũ ex decocto chamæmeli, anethi, meliloti, fęnugræci, seminis lini, althææ & maluarum: vel proderit prædictis vnguentis addere adipem gallinaceũ aut anserinũ cum oleo chamæmeli. Ac si constiterit affectionem iam euidentiùs inclinare, quæ validiùs discutiunt miscenda sunt, velut est oleum in quo ferbuerit polium, abrotonum, chamæpitys, asarum, & flos iuncei odorati cum modico aceto: item ex pulueribus earundem rerum cataplasma efformare oportebit, cum decocto chamæmeli, aqua mulsa & vino, addita farina fœnugræci & seminis lini cum radicibus & folijs althææ. Quem quoq; vsum præstant aquæ dulcis balnea, quibus principio transacto, tutò datur vti, non solùm resolutionis, verum & doloris sedandi gratia. In exequendis tamen his omnibus operibus, expendendum diligenter est, ne plus iusto refrigerantibus vtamur, ne induratio materiam contingat, vel calfacientibus, ne in pus si accedat humiditas, vel in immedicabilem duritiem commigret inflammatio: quapropter non est abre parum aceti prædictis fomentis addere, siue resoluere, siue quid aliud efficere velis; secus res se habet, si suppurare studueris.

Interim tamen dum hæc adhibentur, serapijs & apozemaris vti oportet, quæ præter id quòd in principio refrigerent, impetũ quoq; fluentium humorũ cohibeant, velut est syrupus rosatum & portulacæ cum aqua cucurbitę, hordei, vel in qua aurum sæpius extinctum sit. Quem quoq; vsum præstat decoctũ polygoni cum syrupo violarũ, aut aqua prædicta vel hordei cum modico syrupo papaueris, dummodo neq; conferum, neq; copiosè bibant: sat enim est mane serapium ex prædictis paratum porrigere, & vesperi iulepum sedandæ sitis occasione, qui ex aqua hordei, vel deaurata, & syrupo violarum & rosarũ conficiatur.

Verùm si ex febris ac dolorum & laborum exacerbationibus inordinatis, & horroribus etiã vagis, sed noctu magis (item ex grauitate maiori percepta in rene, dum laborans super sanum decumbit latus) constiterit, humorem suppurationis principium contrahere, quàm celerrimè curabis id fiat, vt protinus aperiatur. Quapropter, adhibebis primo accessu fotum cum spongia ex hydrelæo solo, aut facto ex decocto fœnugræci, seminis lini, radicum & foliorũ althææ. Quo facto, emplastrum supra renum regionem adhibebis, q. ℞. *ficuum siccarum, num. 6. pinguedinis & carnis dactylorum ℥. ij. radicis ireos ℥. 4. coquantur in lib. tribus hydromelitis ad consumptionem duarum partium, tunc malaxentur, & adde farinæ fœnugræci & seminis lini, anà ℥.1. olei sesamini & chamæmeli, anà ℥.1. & fiat emplastrum;* quem quoq; vsum præstabit aliud confectum ex folijs maluarum cum mucagine psyllij & butyro vaccino ac farina fœnugræci: vel aliud ex radicibus althææ coctis & extractis per setam, cũ butyro & farina seminis lini, fabarũ, fœnugræci, vitellis ouorũ & croco: itẽ cataplasma ex farina hordeacea, cum ficuum, maluarum & althææ ex aqua mulsa decocto. Quòd si malignã aut sordidiorem verearis putredi-

tredinem (eo quòd acrior fuerit calor, mordacior, & mali moris) tunc quidem prædictis addes aliquid rosarum, myrtillorum, erui ac lentium farinæ, quæ putredini obsistat. Quo etiam tempore clysteribus addes cassiæ parum, & olei amygdalarum dulcium, ac decoctum radicis althææ, quo faciliùs suppuratio fiat. Quòd si his adhibitis, ac cessantibus aliquo modo febre & accidentibus, nihil purulentum in vrinis apparuerit, coniectandum est nondum ruptum fuisse abscessum, esseque difficilis apertionis: quo casu addere prædictis oportet quæ id efficaciùs exequantur, vt fimum columborum, farinæ pollinem, vel liliorum alborum cæpam, squillam, prassium, aut squinantum: quòd si adhuc nó profuisse constet, tunc profectò ad diureticorum vsum confugiendum erit, vt antea retulimus: interim tamen cogendus est æger balneum adire, & aliquo modo moueri, clysmataque acriora recipere, quibus abscessus rumpi non rarò contingit.

Quod si tumorem præter naturam ex frigidis succis oriri comperiamus, prædictis emplastris, fomentis & inunctionibus addere oportebit radices liliorum, passulas sine granis, ficus in maiori copia, folia senecionis, oleum baccarum lauri, farinam orobi, & non nihil eorum quæ inscindendi & attenuandi vires habent: nam cùm crassa hęc materia difficilioris sit motus, non vrget idem periculum maioris fluxionis ad partem: quinimò, quod impactum est, faciliùs secedit. Quo etiam casu licebit audaciùs purgare, & alijs medicamentis, quæ vim habeant valentiorem, vti, vt agarico & pilulis eius, aut aggregatiuis cum modico agarico, vel ex terebinthina cum liquiritia & alijs huius naturæ.

Verùm, si pus crassius sit factum, & minimè mordax, aut caro vel pars inflammata in renibus durior, prædictis auxilijs tentanda est apertio, & balneis ac fotibus & alijs quę passim ex prędictis cófici possunt.

Cæterum si ad partem extimá renum inflámatio vergat, ita vt verendum sit apertionem non futuram ad meatus vrinarios, sed ad vicinas intestinorum sedes, à quibus ad intestinorum inanitatem per transcolationem fit commeatus, vel pure per emulgentes iterum ad iecur & ventrem ac intestina commeante, & aliquando inter omentum & peritonæum, id quod non minoris momenti solet esse, diligenter considerabis quid tunc agere oporteat. Quippe dum ad extima rumpi designat, lethalius est, quòd nullum illi præstet natura exitum: cum hoc tamen omnino despetádum non est, vel ipsum pus emplastris de stercore bouis resolui posse, vel ex bdelio, opopanace, & sagapeno discutere, vel setone inguini è regione renis affecti affixo, quo pus expirare possit, nam aliquando visum est, sponte eas partes dirupisse. Curabis etiam id efficere vlcusculis ferro candenti apertis, antequam intestina exteriùs attradantur. Quo facto, lacte vteris, balneis, sero lactis & farre, ne febris vltra pergat, & iterum appones emplastrum ex lithargyrio & mucilaginibus ac oleo papaueris. Quòd si constiterit tumorem ad extima vsque lumborum vergere, & etiam tactu supra renes facto dolor & pulsatio sentiatur, ita vt euidenter constet ambientem membranam potiùs quá renis substantiam inflammatam esse (nam in hoc solo casu, censeo renum in lumbis apertionem salubrem esse: quippe arbitror renes ferro candenti apertos nusquam aut rarò sanescere, licèt vita superstes maneat, calamitosa tamen & ærumnosa) sanius est ferro candenti supra renem affectum partem perforare, quo expiret virulenta substantia: id autem fiet appositis priùs emplastris, quæ pus ad extima renis euocent & partem attenuent, quo faciliùs apertio fieri possit. Postea verò vlcus abluere tentabis syringa, immissis quæ extergendi vires obtineant.

Quòd si in duritiem ac scirrhosam naturam tumorem commigrasse comperiamus, ex tenui vrina, difficultate incedendi & motus crurum, ab extenuatione iam inferiorum partium, ex omnimoda doloris priuatione, cum earum partium calore & veluti impotentia quadam: tunc temporis minimè est medicamentis innitendum prædictis, sed arbitrari oportet, difficilis & penè impossibilis curationis esse: & ob id lenientibus modicè rem ages, & ijs etiam quæ modicè discutiant. Cuius conditionis est emplastrum, q. ℞. *seminis lini, & fœnugræci, aná ℥. 5. seminis maluæ, & altheæ, anethi, & chamæmeli, aná ℥. 4. gummi Arabici, bdellij & terebinthinæ, aná ℥. 3. gummi liquefiant in aqua calida & fiat emplastrum.* Prodest & aliud ex axungijs gallinæ, anatis, & medulla crurum vituli, cum gummi Arabico & bdellio, aut modico plumbo vsto & cera: sed in re quæ parum beneficij ex præsidijs susceptatura est, hæc sint satis.

De renũ vlceribus

Placuit separatim de vlcere renum tractationem contexere, cùm non solùm ex rupto abscessu, sed mille etiam causis fieri soleat. Quas tamen omnes ad tres (calculo excepto) placet hac in parte, clarioris doctrinæ gratia reducere: prima quidem ex rupto abscessu prodit: secunda ab humorum acrium, erodentium & salitorum affluxu: tertia verò à resoluente continuum, vi & impetu, siue casus sit, siue percussio aut vulnus. Omnia tamen vlcera vtcunque fiant, vnam communem sibi vendicant curationem, quatenus vlcera sunt, vt paulò inferiùs sum monstraturus, si priùs dixero, quòd licèt renum vlcus difficile non sit nosse ex dolore cum positu, ex mictu sanguinolenti puris, ex lenta febricula, ex siti & alijs huius naturæ, non tamen est ita facile dirimere, an pus illud à renibus vel à vesica profluat: neque rursus leue inuentu est, à quanam ex prædictis causis renes exulcerati fuerint, cùm id non parum ad prouidentiam vtile sit. Quapropter expendisse oportet renes exulceratos esse, non solùm signis prædictis, sed si cum vrina carunculæ paruæ apparuerint, vt ex Hippocrat. constat. 4. aphoris. 76. nam prædictum tamentum essentiæ partis affectæ proprium indicium est, vt Galeo. etiam dixerat 6. de locis cap. 3. ac id maximè verum esse est arbitrandum, quo prædicta excrementa crassiora & rubicundiora extiterint. Idem etiam distinguit fœtor eorum quæ cum vrina excernuntur: nam si fœtida sint, à vesica prodire est arbitrandum, vt Hippoc. placuisse constat. 4. aphoris. 80. quòd si fœtore adeo graui careant, à renibus. Præterea sanguinis aut puris quantitas idem valet seiungere: nam copiosa sanguinis aut puris effusio, renes; parca verò, vesicam exulcerari ostendit: sicut mixta cum vrina admodum esse prædicta excrementa, à renibus prodire, impermixta verò ac veluti separata, & primò aut postremò excreta, à vesica. At vlcus ex rupto abscessu relictum fuisse, ostendunt præcedentis inflammationis signa: Ex re soluente continuum laborantis casus, & ea quæ illi contigerint: Ex defluxione verò, nihil horum præcessisse, sed vel suppressam fuisse consuetam aliquam vacuationem, aut hominé catarrhis frequenter tentatum fuisse, modò secus: vel corpus esse cacochymum, aut adesse membri mandantis peculiaria symptomata.

Morbi iudicium.

Licèt Galeno & omnibus compertum sit, renum & vesicæ vlcera difficillima esse, difficiliora censeri debent quæ in vesica existunt; & eorum quæ in renibus sunt, grauiora esse quæ ex erosione prodeunt, sicut quæ in sinibus: quapropter ad cicatricem quam citissimè vlcus ducere opus erit, & vulnus agglutinare, alinqui in vlcus transiens graue efficitur, & grauius si inueterascit: omnia tamen in tabitudinem degenerant, & aliquando in hydropem.

Curandi ratio.

Cùm mihi hac in parte solùm in animo sit, vlcus vt tale est ad cicatricem perducere, non placet causarum quæ complicationem præstát, meminisse: quip-

profluxionem alibi curare iam docuimus,& ob id solum quæ vlcera profunt scribam, præcauens ne laborans ex vlcere in febrem aut tabitudinem migret. Vlcera quidem in conspicuo posita, nonnullam vel leuissimam fortiuntur in curatione difficultatem, nisi ipsis accedat aliquid aliud,quod rectam medendi rationem aut euertat, aut remoretur:quæ sanè omnia longè grauiora fiunt, si in occulto sita sint:& adhuc longè difficilliora fient,si vel in emunctorijs aut corporis canalibus existant, vel medicamenta difficulter illuc permeare possint. Quæ sanè difficultates in renum vlceribus simul succrescere solent:quippe ob loci naturam & conditionem,vel fluxum,plerunque recrudescunt, vel præ dolore à corpore humores alliciunt,& præ caloris incremento & intemperie, non solùm caro non generatur & partes non coalescunt, sed & corporis vniuersum contabescit. Quapropter curaturo huiusmodi vlcera, hæc omnia respicere incumbit(nec non si à resoluēte continuum prodeat, nam eo tempore glutinari solùm desiderat; aut si à rupto abscessu, nā abstergi, exsiccari, carne impleri, & cicatrice obduci,expostulat; vel si ab humorū defluxione,(tūc enim humores aliò auertere & euacuare,ac postmodū ad prædicta opera peruenire proculdubio desiderat & cōsulit)& singulis prout magis mi nusue vrgentia perstiterit,prouidere. Sic profectò incipiens ab incumbente fluxu,siue acriū,& qui maiorem erosionem efficere possunt, siue secus: in cuius prouidētia,primò eam vitæ & victus instituēs formā, quæ inter omnes excessus media sit,alimenta eligens boni succi & copiosi nutrimenti, ex carnibus gallinarum,pullorum, & reliquarum auium, quæ optimi sint succi:nec dissi licet ranarum, piscium paruorum, & tructarum caro. Prosunt & passulæ,amygdalæ aqua rosacea reuirescentes,& nucis pineæ nuclei recētes duabus aquis maceratæ, panis lotus lacte, postea decoctus,far,& amylum,aut ptisana, & iura carniū prædictarum. Potus sit parcus & non admodum frigidus; vino item albo, aut non impensè rubro vtatur:sin aliter,aqua hordei & saccharo,vel pluuiali vti potent. In reliquis verò mediocritatem dictam tueatur,cauens omnino à venere,et laboribus,et animi perturbationibus:inhabitet tamen locum siccio- rem & in actiuis temperatum. Quòd si sanguinem nimium abundare constet,non ob id protinus & copiosè datur ipsum fundere,sed quantum sat sit,ne dolore maior ad partem fiat affluxus: nam verendum est,si plus detrahas,ne corpus in immedicabilem siccitatem deferas. Quo quidem semel misso,ac etiam, si secut calidum fuerit,ex saluatella, protinus à biliosis vel salsuginosis secrementis corpus purgare studebis, præparans priùs humores ipsos, ac mitigans his serapijs & potionibus, quæ simul renes atemperent & modicè abstergant, quales sunt quæ conficiuntur ex decocto maluæ,scariolæ, cichorij,papaueris, violarum,& portulacæ. Quem quoq; vsum præstat hordei & rosarum decoctum cum saccharo, aut ipsum decoctum cum syrupo rosarum, vel seminis althææ, & maluarum, cum syrupo violarum & papaueris, si dolor vehementiùs vrgeat. Quibus factis, corpus leuissimis purgabis medicamentis , ne humoribus plus quàm par sit turbatis,in affectam partem irruāt, aut vrina acrior reddatur : quapropter sat erit manna,cassia, syrupus ex 9.infus. rosarum aut violarum, vel catholici modicum. Verùm quod in hoc affectu communi fere omnium. Medicorum sententia, vtilius habetur, est vomendi vsus : quippe si semel aut bis in hebdomada assuescat laborans vomere , non solùm vbi salsuginosæ pituitæ, aut cuiusuis alterius humoris crudi vbertas ad vrinam confluens malum auget, verùm etiam peccantibus succis acrimonibus, biliosis, & mordacibus, quos quidem peculiari efficacia ad supernas euocabis partes, & eorum non paruam portionem vomendo purgabis.

Præmissa iam humoris prouidentia, vlceris quoque habenda est, nam si dolor adeo vrgens fuerit, quòd, corpore adhuc excrementis exorte, semper ad renes aliquid confluere accidat,ipsum demulcere peculiari diligentia oportebit. Per interna quidem(præter potiones ex decoctis maluarum,violarum,hordei,& syrupum de mucilaginibus,de papauere,& de portulaca,aut philoni ℈. 1. iuxta laborantis et virium indigētiam)mirum in modum huic muneri inseruit *vsus lactis*:quod sanè non solùm sedandi dolorem, lenēdi & attemperandi vires sortitur,verùm & vlcus ipsum abstergit, & quod magis ex vsu est, corpus reficit,& rabitudinem arcet, vt mox referam, si priùs dixero, qua via sedare extrinsecus dolorem liceat. Quod sanè ministerium præstat inunctio, q. ℞. *olei rosarum & violarum & axungiæ anatis,anā ℥.ß. fundantur & colentur,& adde seminis maluæ, lini & orobi,anā ʒ.ß. vitella ouorum num. 3. ceræ albæ ʒ. 2. misceantur omnia,& parti adhibe quod satis sit.* Prodest vnguentum populeon,rosarum, & resumptiuum:item oleum rosaceum & violaceum cum modico opij, aut, oleum cucurbitæ vel papaueris aut violarum cum vnguento cucurbitæ. Quibus non solùm dolorem sedabis, sed & calidum intemperamentum sæpissimè his vlceribus adiunctum attemperabis, quo faciliùs vlcus deinceps curari possit: quem quoque vsum præstare assolent aquæ dulces vel aluminosæ & tepida balnea.

Sedato dolore, curandum est omni diligentia, ne quid in renes præter naturam influat, ac ipsos etiam roborare his quæ vim habeant vlcus ipsum, si crudū sit,quo quomodo coquere:præstat id ceroium hhar gyri, additis mastiche & thure, item emplastrum q. ℞. *farinæ hordei, thuris,& mastichis,anā ʒ. 1. myrtillorum,rosarum rubearum,& chamæmeli,anā ʒ. 6. mellis, vini rubei, anā, quod sufficiat vt fiat* emplastrum. Quem quoque vsum præstat vnguentum,aut ceratū, vel emplastrum confectum ex oleo myrtino, cydoniorum,& omphacino,cum succo polygoni,seu plātaginis,mastiche,thure,bolo Armeno,santalis, hordeacea vel fabacea farina,ouorum albuminibus, & aceto. Poteris quoque laboranti tabellas porrigere, quæ *recipiant passularum, pisticorum, pini fructus, & amygdalarum dulcium torrefactorum cuiuslibet ʒ. 1. seminis althææ & halicacabi, anā ʒ.ß. seminis lactucæ & hyoscyami,anā ʒ.ß.amyli, tragacanthi, anā ʒ.ß. liquiritiæ ʒ. 1. seminis melonum & cucumeris, anā ʒ. 3. boli Armeni ʒ. 2. sacchari dissoluti in aqua rosarum & capillorum veneris quod sufficiat vt fiant tabellæ, quibus vis inest exsiccandi, adstringendi, conglutinandi sedandiq; dolorem.* Huius etiam vtilitatis est apozema, q. ℞. *hordei lib. 1. radicis apij & feniculi, capillorum veneris viridium, anā m. 1. mellis & sacchari, anā lib. ß. coquantur secundum artem, & mane porriges ℥. 5.* Eiusdem etiam vtilitatis est decoctum hordei, liquinitiæ, & tragacanthi. Quem quoque vsum præstant trochisci, qui *recipiunt seminum frigidorum maiorum mundatorum, anā ʒ. 2. boli Armeni, gummi Arabici, sanguinis draconis, seminis plātaginis, anā ʒ. 1. opij ʒ.ß. seminis apij ʒ. 2. conficiantur cum syrupo portulacæ, & fiant trochisci ʒ.ß.*

Interim tamen dum hęc fiunt,curandum est omni diligentia vlcera repurgare, quod mirum in modum efficiunt decoctum hordei, cum saccharo vel syrupo rosarum:decoctum etiam lentium & lupinorum, cum saccharo:lac seminum frigidorum maiorum extractum aqua hordei,addito saccharo:item serum lactis, cum syrupo violarum aut saccharo rosaceo. Sed efficacius inter omnia auxilia id beneficiū præstat lactis vsus, non tamen vtcunque & indiscriminatim:sed inter vlceris initia, vbi maiori abstersione opus est, lac asinæ vel equæ cum melle porrigendum erit: cuius loco cum saccharo exhibitum mirū

in

in modum prodeſt caprillum. At verò vbi vlcus deterſum eſt, ipſum efficaciùs agglutinat cum corporis refectione bubulum, cum ſaccharo aut melle. Eſt enim hoc præſidium vt alimentum & vt medicamentum efficaciſſimum: quippe ſeroſa parte abſtergit, caſeoſa cōſolidat, butyroſa verò & pinguoſa dolores ac morſus lenit & vires reficit, maximè dum ab vbere ſugitur. Præſtat quoque idem beneficium amylum, priſana, aut puls ex farina hordei, & denique alia pleraque, quæ capite de vlcere veſicæ reperies: inter quæ non minoris eſt momenti ſaccharum roſaceum rubrum cum boli Armeni modico, ſuperbibita aqua pluuiali aut portulacæ, vel decocto roſarum & myrtillorum: præſtat etiam huius ſacchari rubei mediocris ætatis decoctum, cum aqua lactis cucurbitæ factum: detergit etiam vlcus ac lenit dolorem, decoctum radicum althææ & cicerum rubeorum, cum melle vel butyro.

Quibus factis, ſi perſenſeris vrinam puriorem excerni, puſque eſſe minus & albius, ac non admodum fœtidum, ita vt poſſis conijcere vlcus ab omni ſorde eſſe immune, fluxionemque nullam eſſe ac dolorem mitigari: tunc quidem ad ea, quæ efficaciùs conſolidant, & vlcus carne implent, deuenies. Cui muneri efficaciſſimus eſt puluis, q. ℞. *terræ ſigillatæ* ʒ. 3. *boli Armenici, Karabe, dragacanthi, ſpodij, ſeminis melonis & citruli, anà* ʒ. 2. *ſeminis petroſelini* ʒ. 1. *ſacchari albiſſimi ad pondus omnium, & fiant tabellæ, vel fiat opiata cum melle roſaceo aut ſyrupo roſarum, vel fiant trochiſci.* Tandem ea omnia porriges, quæ ſanguinem cogere & inſpiſſare ſunt nata, vt coriandri ſemen, iniubas, ſebeſten, oryzam, fructus myrti, trochiſcos de corallo, & corallum arte chymica præparatum, item margaritas eadem arte præparatas, & reliqua huius naturæ, dummodo aliquid eorum quæ vrinam mouent admiſceamus, ſolùm penetrationis gratia. Item eiuſdem indicationis gratia ſupra renes adhibere oportet emplaſtrum ex lentibus excorticatis, malis, & pyris, ac cydonijs, granis myrti, roſis, & papauere, cum aqua myrti: vel fiat linimentum, q. ℞. *ſummitatum rhu numero 3. radicis rhamni* ʒ. 1. *& ſp. prima ſylueſtria numero 12. coquantur vſque ad conſumptionem duarum partium aquæ, & colaturæ adde gummi, pulueris balauſtiorum, roſarum, & amyli quod ſufficiat, vt fiat ad ſpiſſitudinem mellis, & dorſum illine.*

CAPVT VIII.

De mictu ſanguinis, ac de renum imbecillitate.

CVm ſanguinem mingere non vnica occaſione & cauſa, ſed ex varijs tum locis tum cauſis contingat, & ſubinde difficillimum ſit ei ſymptomati occurrere, ob id profectò, ea omnia hoc vno capite complecti placuit, vt facta adinuicem omnium conferentia, faciliùs vniuſcuiuſque natura & ratio innoteſcat. Cui vſui primò diligenter expendiſſe oportet, renes id munus corpori præſtare, nimirum ſanguinem ipſum à ſeroſa humiditate purgare & excipere, vt in veſicam delabi & percolari faciliùs & commodiùs poſſit. Quod ſanè opus renes exequuntur, munere duorum vaſorum quæ magna ſunt & ampla: quorum alterum incumbit, ab arteria quæ ſpinæ adhæret: alterum verò à vena caua: per quæ arbitrandum non eſt ſolùm trahi illam ſeroſam humiditatem, ſed bilioſi excrementi non parum, ac etiam tenuis ſanguinis non paruam copiam: illud quidem, ſi admodum craſſum non ſit, cum ipſa vrina permeat: ſanguis verò per vniuerſum renem aſpergitur, qui paulatim vaporis modo in totam ipſius ſubſtantiam extenditur, adhæreſcit & alimentum efficitur. Ex quibus conſtat, quòd, ſi quando acciderit eũdem

A tenuem ſanguinem ſimul cum vrina excerni, renes laborare, ſit exiſtimãdum, vt Gal. pla. c. 6. de locis, & 3. de cauſ. ſymptom. Vtcumque tamen fluat ſanguis ea parte (vt mox referam) ſympt. eſt in genere excretorum immodicè, toto genere præter naturam, ſequens quidem diuerſas tenum affectiones.

Quas ſanè diſpoſitiones vt quis exactè intelligere poſſit, diſtinguat primò ſanguinem mictu excretum à veſica, ab eo qui à renibus profluit. Quod optimè cenſeo Hippocr. diſtinxiſſe 4. aphoriſ. 80. dicentem: *Si ſanguinem & grumos mingant, & ſtillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum ventrem, & pectinem, & fæmen incidat, circa veſicam labor eſt.* Quod etiam clariùs expreſſerat ſequenti ſententia dicens: *Si ſangui*B*nem & pus minxerit, & ſquammulas & grauis odor adſit, veſicæ exulcerationem ſignificat.* In quarum ſententiarum prima, ne quis crederet ſemper in mictu ſanguinis renes laborare, rationem efficaciſſimam ſubiecit, qua veſicã laborare oſtenderet: ſcilicet quoties ſanguinem vel grumos mingendo, ſtillicidiũ fuerit adiunctum cum dolore in imo ventre, pectine, & inter fœmineo. Quo loco, non eſt intelligendum, vnumquodque dictorum ſolùm ſufficere, vt cõſtet ex veſica ſanguinem prodire, ſed ſemper omnia ſimul neceſſaria fore, licèt non ſemper eadem die omnia ſimul: ſat enim eſt vt ſemper ſe conſequantur. Nam dum ſanguis è veſica fluit, neceſſum eſt & in grumos conuerti, ob id quòd paucus ſit, ob venarum exiguita C tem, neq; adeo proritat ad meiendum, cùm ſit illi familiaris, nec rurſus adeo perfectè vrinæ miſcetur, vt qui ex renibus prodit, quo fit vt in grumos facilè conuertatur. Item probatur ſententię veritas, quia ſi morbus eſt in veſica, neceſſum eſt dolorem ſuccreſcere pectini, imo ventri & perinæo. Quòd ſi ab vreteribus ſit, ex poſitu doloris iuxta ilia obliquè deſcendentis, & ex ſanguinis paucitate dignoſces facilè, nam exiles ſunt vreterum venæ. Si tamen à veſicæ collo, maior erit in perinæo dolor ad caput pudendi porrectus, & ſanguis purus, copioſus, & cõfertim profluet. Verùm ſi à vaſis exeat ſpermaticis, vel nimius præceſſit coitus, vel acris & fœtida gonorrhœa, cuius occaſione partes illas exulcerari cõperiamus. Quibus omnibus D facilè colligitur veſicã laborare quidem, ſed per conſenſum à venulis proprijs, aut à vaſis ſpermaticis, aut ab eius collo, vel vltimò ab vreteribus. Sunt tamen alia ſigna, quę ſanguinis mictum ab ipſamet veſica per eſſentiam laborante profluere, oſtendere ſunt nata: qualia depinxit ſententia ſecũdo loco adducta, nimirum cùm ſquammulæ prodeunt cum ipſo ſanguine aut pure: nam credibile eſt, vas aliquod à re mordentẽ & abradẽte in veſica eſſe diruptum, à quo ſanguis profluit, ſi quidem ſquammulas nõ aliunde prouenire cum ſanguine, quàm ab ipſa veſica, certiſſimũ exiſtit, maximè veſicæ dolore non attingente aliquam ex ante dictis particulis. Contingit etiam ſanguinem cum vrina excerni per colliquationem, vt in febribus E non rarò conſpicimus, aduſtum tamen, tenuẽ, & praui coloris; cuius cauſam diſtingues ex febris ardore & condirione. Prodire quidem è renibus monſtrat tenuis ſanguinis mictus, quia eo ſolent nutriri: item ſi per circuitus exeat, ac ex ſenſu ægris iuxta renes percepto, & ex impenſa ſanguinis cum vrina permixtione, vel ſi repente maxima copia fluat, iuxta illud Hippocrat. 4. aphoriſ. 78. *Quicumque ſanguinem ſponte mingunt, ijs à renibus venula rupta ſignificatur*: item ex dolore cum poſitu, ſicut ex priuatione prædictorum ſignorum, quæ diximus, veſicam affectam atteſtari. Solet etiam tenuis ſanguis cum vrina mingi, iecore imbecillo exiſtente, velut in hepatica dyſenteria, quod non eſt parui momenti cognouiſſe ex tenui ſanguine, qui mox à principio cum vrina mingitur, poſtea tamen craſſeſcente.

Licèt è renibus ſanguis profiliat, coniectãdum eſt,

non quibusuis eorum vasculis læsis, sed certis ac dedeterminatis. Quapropter statutum reperio apud peritos anatomicos, teretibus vasorum fortibus fruiquippe à vena caua vtrinque in renes duo vasa inneruntur (nam alia duo quæ vena ipsa caua, vel ab ipsis emulgentibus in duas tunicas renes inuoluentes inferuntur, nequeunt sanguinis mictum vlla ratione mouere, quia eorum ductus non attingunt cauam renum inanitatem) quæ venæ emulgentes appellantur, insertæ quidem in eorum partem anteriorem, quam portam renum appellant, nimirum simam illam partem per quam ingrediuntur hæc vasa, & egrediuntur meatus vrinarij. Deseruiunt quidem hæc duo vasa delationi serosi sanguinis ad ipsos: quæ sanè siue abradi, siue rumpi, siue aliter infirmari contingat, apertis vel laxioribus factis meatibus, nusquam causa existunt mictus sanguinolenti, sed cùm improbè, ob aliquod ex prædictis vitijs, suctionis munere vtuntur, protinus, homo in ascitem transit, sero inter omentum & peritonæum collecto, vel vrina cum sanguine vniuersum corpus irruente, quo periculum suffocationis & extinctionis calidi succrescit. Cæterùm cùm prædictorum vasorum dextrum iam sui lateris renem ingreditur, in quinque ramos distribuitur, & in totidem sinistrum, circundantia renis molem vsque ad ipsorum gibbam, & extremis oris mutuò coeuntia. Per quę sanè vasa confluens cum pauciſſimo sanguine serum instillat in renum carnem, non quidem per ora quæ mutuò cohærent, sed per laterum poros, suscipitq; rem quicquid sanguinis permixtum labitur, permittens purum serum abire in ipsorum renum sinum, ex neruea substantia in ipsis excauatũ; possidensque plures ductus & fistulas, in quarum extremis adsunt opercula carnea, velut verrucæ (singulis vna) quæ acutæ sunt, & parum vnaquæq; in suam fistulam ingreditur, & modicè obturat, vt vrina à venis prædictis exudans, stillatim velut per colatorium in prædictam inanitatem excoletur.

Primus vrinæ sanguinolentæ modus. His sic habitis, statuendum est, à prædictis venis quæ vniuersum renem circumdant (nam licèt ab vreteribus etiam prosiliat sanguis, nõ tamen est huius considerationis) non è quatuor modis sanguinis mictum prodire posse. Primò quidem dum secernens renum facultas adeo languida impotensque est, aut concoctoria infirma, quòd neq; secernere, neq; secretum sanguinem conficere, & sibi in alimentum commutare possit, ac ex consequenti liberè permittat sanguinem cum vrina ad inanitatem renum defluere, & ibidem ad vesicam prolabi. Quem quidem affectum (quòd similis sit hepaticæ dysenteriæ) renum imbecillitatem Medici omnes appellarunt, eo quòd in eo sanguis excernatur aquosus atque serosus, & similis lotiuræ carnis nuper mactatæ. Cuius symptomatis morbum, in renum frigida & humida intemperie situm esse nemo est qui ambigat: quo fit vt qui sic affecti sunt, neque siti premantur, neque dolore; & vrina (vt dictum est) sanguinolento sero similis persistat; verùm mox à cibo ferè purum exit serum, post coctionem verò cum sponginso sedimento excernitur, quod flatulenti spiritus est soboles, ex quo effœtam vim renum licet colligere.

Secundus modus. Fluit etiam è renibus sanguis, non semper cum hominis damno, sed aliquando ex vi & robore naturę, actu nimirum excernentis facultatis, se se à superfluo sanguine exonerantis: quippe sanguis nonnunquam per circuitus ab ipsis renibus excernitur, in principio citra dolorem & laborem aliquem, haud secus quàm quibusdam naturis accidit, quibus salutis gratia, per hæmorrhoides, per vterum, per vomitum, aut fluxum sanguinis narium, sanguis ipse erumpit: & cum hoc non minus symptoma est in genere excretorum immodicè (quòd hæc sit sanguinis excretionis cõditio) & ad eorundem vasorum reserationem consequitur: Quo fit vt per interualla prædicta excretio succrescat, & leuamen haud mediocre laborantibus afferat: nam confertim naturæ impetu influente sanguine fit, qualis in crisibus contingit per anastomosim, hoc est tunica vasorum rarefacta, non velut in imbecillitate renum ob impotentiam: quippe sanguine hoc excreto, leuiores fiunt homines & vegetiores, verùm vbi diuturnior efficitur affectio, læsionem retentrici etiam communicat facultati. Quam affectionem dignosces & ab alijs distingues, quòd sanguinis transitum iuxta renes ægri percipiant, & quoniam nimis permixtus excernatur cum vrina, idque per interualla & copiosè. Item quia præcessit, vel consuetę vacuationis ex sanguine suppressio, vel exercitij intermissio, aut vberior victus ratio, vel membri alicuius defectus, & cum hoc non solùm nihil mali laborantes persentiunt, quinimo leuamen, nisi duret. Quòd si sanguis, veluti fuligo, fuscus & subobscurus prodeat, & vrina fuligine plena, cum fuliginoso etiã sedimento excernatur, corpus expurgari per renes, ac nonnunquam iecur calfactum et exustum commonstrat, aliquando tamen præludium erosionis, aut expulsionis calculi existit.

Tertius modus. Tertius fluendi modus non ratò efficitur, prædictis venulis quæ renes ambiunt & nutriunt, ruptis, scissis, aut excisis: nam licèt hæc tria diuersa videantur, vnicum tamen morbi genus efficere habent, nimirum solutam vnitatem, & ipsa velut diuersæ causæ haberi debent. Denique à rebus quæ scindendi vires habent, vel quæ rumpendi, aut sensim & paulatim erodendi, venæ illæ continuitatem amittunt, & ob id sanguinem aquosum sibi commissum citra delectum & percolationem in cauam renum liberè emittunt, quo mictus sanguinolentus efficitur. Cæterum licèt vnus sit in his omnibus causatum modis morbus, diuersas tamen vnusquisque habet causas, et diuersis etiam signis innotescit: quippe erosionem efficiunt solùm humores acres & mordaces, aliunde in renes per vasa dicta defluentes, quibus sensim & paulatim tunicæ exeduntur & sanguis dilabitur. Quod sanè nosces, quia sanguis sensim & paulatim excernitur, cum dolore pruriginoso renum in principio, mox cum vlceroso sensu, et nimis molesto, ac fixo, & perstante. At scissionem efficient, quæ, velut acuta, vim habent soluendi continuum, siue ictu, siue casu aut percussione fiat: quod facilè disces, si fluxus sanguinolenti occasionem quæsieris: item quia sanguis exit affatim, purus, copiosus ac repente, seruans naturalis sanguinis colorem & consistentiam. Præterea ruptionem efficere sunt nata ea omnia, quæ tensionem pariunt aut violentam extensionem, velut est immodica sanguinis copia, vel graue onus vltra vires leuatum, aut violenta luctando pugna, vel quoduis aliud quod similem violentiam inferat. Quod etiam nosces ex plenitudine esse, si nihil horum præcesserit, & sanguis absque causa manifesta prosilierit, vrinæ loco multus: quo fit vt dissideat à sanguine, quẽ iecur ad eam partem trãsmittit, qui per interualla repetit, mixtus vrinæ, & sine alicuius partis dolore, præterquã dextri hypochondrij: id etiam distingues si prędictarum causarum adsit aliqua cui regerẽda culpa sit.

Quartus modus. Quarto & vltimo modo, sanguinem per vrinam è renibus fluere contingit, prædictis venis renes circundantibus, apertis laxioribusque factis, & osculis patentioribus effectis, siue per anastomosim, vt antea dictum est, siue per diapedesim (vt multi falsò arbitrantur) id fiat, hoc est per apertionem osculorum & meatuum ipsarum venarum. Quo tempore venas morbum in via pati est arbitrandum (non quidem in intemperie, vt in renum imbecillitate dictum est) eaque dilatata & ampliori facta, licèt id aliquando à calore prodeat, cęterum calor non est primò lędens actionem, vt calor, sed via dilatata, cuius occasione

sanguis

sanguis prolabitur. Quàm affectionem nosces, quoniam solùm tenuis sanies sanguinis excernitur: item laborantes nihil mali in excretione aut antè persentiunt. Verùm licèt huiusmodi doctrina ab omnibus veluti probata habeatur, ego quidem, saluo meliori iudicio, arbitror per diapedesim, hoc est per apertionem osculorum quæ sunt in extremis venarum, sanguinem è renibus non posse fluere, si vera sunt quæ de anatome horum vasorum antea diximus. Quippe statutum est omnium ferè doctorum consensu, oscula venarum vnius lateris renis, osculis venarum alterius lateris eiusdem renis, in dorso eius cohærere & connecti, quod si verum est, dum oscula aperiri contigerit, sanguis in oscula sibi cohętentia commigrabit, non quidem in renis inanitatem. Quapropter censeo, diapedesim hoc in loco, potius nomine (vt dissideat à raritate vasorum, per imbecillitatem retentricis factam) quàm re vera esse intelligendam, solùm dum sanguis à venis exudat ob eius tenuitatem & raritatem tunicæ, magis quàm ob dictæ facultatis impotentiam. Et ob id non displicuit hos duos modos distinguere, & hanc anastomosin (siquidem dissidet ab ea, quæ fit ob imbecillitatem facultatis) diapedesim more vulgi (licèt cognita penitiùs rei natura) appellare, quia in ea morbus non est intemperies vt in vera anastomasi, sed morbus solùm in via, hoc est, apertio & dilatatio prædictorum pororum, vel caloris vi (vt dictum est) vel quod respectu tenuitatis sanguinis apertiores existant: & ob id, in hac, vt mea mens est, fluit sanguis: in vera autem anastomosi, quæ imbecillitate retentricis fit, tenuis etiam, sed dum residet vrina, aliquid crassius subsidere necessum est: in hac verò, quam abusiuè diapedesim appellamus, nequaquam.

Quid ex his omnibus modis prædicere liceat.

Cauere enim oportet eos, qui ex imbecillitate renum sanguinem mingunt, quippe facilè in atrophiã aut malum corporis habitum commigrant: ac licèt qui ex robore excernentis facultatis id efficiunt, aliquo modo leuari videantur, cum hoc tamen temporis tractu, assuetudine facta, si sanguis desinit fluere, graue est, nam ad aliam partem vergere erit coniectabile: si plurimum fluat, non ob id credendum est, semper fore salubre. Verùm si vena rupta sanguis fluat, vereri oportet, si copiosè profluat, ne in frigidum habitum corpus mutet, in lipothymiam aut syncopem, & si cohiberi non possit ita breuiter, in mortem, vel saltem ob sanguinem concretum in vrinæ immedicabiles suppressiones, aut in ea accidentia quæ sanguinem concretum sequi solent. Sic erosionem quàm citissimè compescere est curandum, ne in vlcus mali moris & diuturnum commigret affectio.

Curandi ratio.

Licèt in omnibus prædictis sanguinis fluoribus, eadem sit symptomatis ratio, nimirum sanguinis fluxus, & ob id vna quoq; erat futura compescendi via, nihilominus tamen, quia symptomata, haud secus quàm morbi, per ablationem suarum causarum mitigari propriùs desiderant, eò quidem duplex insurgit in omni sanguinis fluxu medendi ratio: altera quæ symptoma ipsum mitigare possit citra causæ respectum, quæ solùm nititur fluorem compescere: altera verò, quæ morbum à quo talis profusio prodit radicitus euellat. Verùm quia in curatione cuiusuis sanguinis fluoris, eisdem auxilijs vtrumque fieri potest, nimirum & morbum auferri & symptoma mitigari, ea profectò ratione curationem aggrediar, initio sumpto à renum ob distemperiem, imbecillitate.

Curatio imbecillitatis renum.

Cùm renes ob humidã frigidamq; aliquando, sed frequentiùs calidam intẽperiem, contingat imbecilles fieri, ac ex consequenti non probè sanguinẽ secernere, & vrinam solam ac puram percolare, primo mali accessu corpus exsiccare ac modicè refrigerare (nã frequẽtiùs à calore renum profluit) & probè nutrire, quo vires reficiantur, opus erit: quòd si simul sympt. prouidere velis, id ex ratione facies, & adstringentiũ adminiculo exequeris. Verùm quia imbecilles partes ob intemperiem reficere & ad antiquum robur reducere, difficile est, & non nisi diutino tempore fieri potest, ac in sanguinolentæ fluxionis perseuerãtia maximum vrget periculum, ob id simul fluxum compescere & intemperiem corrigere, ac viribus robur addere opus erit. Cui muneri victus instituẽdus est exsiccãs, & optimi nutrimẽti, velut est caro columbarum, turturum, perdicum, & cuniculorum. Prosunt lentes & oryza cũ lacte & panis bis coctus: potus sit aqua chalybeata, deaurata, vel decocta ex radice chinæ, aut ex rhu, vel myrti fructibus: in quo malo cauendum est vino, præterquam à rubro, nisi ex frigitate fluxio prodeat, vt his qui per loca niuosa iter egerunt, quibus album & generosum cõuenire est certum. Prętererea caueant omnino à venere, à decubitu supra dorsum, à laborioso exercitio, & ab vsu rerum diureticarum et calidarum. Hac victus & vitæ ratione instituta, protinus curandum est præbere quæ refrigerando modicè adstringant, ac firmitudinẽ renibus addant, vt quod ipsi ob contentricis impotentiam nequeunt continere, nos compressione & efficacia auxiliorum consequamur. Sic corpus leuiter purgabis syrupo ex 9. infus. rosarum rubearum cum expressione rhabarbari, aut corticum myrobalanorum, idq; primo mali accessu facies: ac interim dũ adstringentia adhibes, studebis per vomitum corpus exsiccare potiùs, quàm per pharmaca inferiùs purgãtia: vel saltem nullo alio vteris quàm *puluere ʒ.ß. rhabarbari cum ʒ.2. sacchari rosarum*, quod *bis terue in hebdomada* porriges. Quo facto præstabis tragacanthũ cum vino nigro, & symphitis aut polygoni succum cum puluere coriandri præparati & coralli. Hũc vsum etiam præstant trochisci q. ℞. *spodij ʒ.ß. verberis ʒ.3. seminis lactucæ ʒ.5. cum succo cydoniorum fiant trochisci, quorum ʒ.1. ex vsu est*: prodest etiam *inijcere in ouum, extracto albumine, pulueris seminis lactucæ ℈.1. & decoctum sumach, quantũ testa capiat*. Conferunt & *radix consolidæ maioris. gũmi Arabicũ & tragacantha macerata priùs, deinde feruefacta in vino austero. & ex colatura præbe ℥.1. & ß.* Prosunt pastilli de spodio cum aqua plantaginis vel *boli Armeni ℈.2. cum succo polygonij* aut *lapidis hæmatitis ℈.1. cum sacchari rosarum ʒ.2.* item decoctũ rhu cum pulueribus rosarum, corallorũ & terræ lemniæ: vel illud præsidium, q. ℞. *corallorum rubeorum, acacię, balaustiorum, anà ℈.1. succi sanguinariæ clarificati ℥.3. aquę deauratę ℥.2. misce & porrige ℥.1.* Prosunt *cremor ramentorum loti arboris, aut decoctum radicis spinæ albæ, cum succo plantaginis in forma boli, pondere ʒ.1.* itẽ saccharum rosaceum cum pulueribus boli Armeni, coralli aut myrtillorum. Eiusdem vsus existunt serapia ex myrto, ex rosis siccis plurium infusionum, addito in decoctione puluere cornu cerui vsti, aut lapide hæmatite, bolo Armeno, cum modico aceto: prodest & oxysaccharum (dum renes calore æstuant) cum pastillis de succino, aut de terra lemnia.

Extrinsecus verò iuxta renes ad inflammationem arcendam & calorem compescendum, inunctiones adhibere oportet, primò ex oleo rosarum, myrtillorum, ac de cydonijs, in quo incocta fuerint adstringentia: & dorsum insperges pulueribus foliorum rubi aut quercus, baccarum myrti, malicorij, balaustiorum, quos etiam cum posca aut vino adstringenti adhibere poteris. Ex quibus etiam cataplasmata conficies, q. ℞. *foliorum quercus, myrtillorum, rubi, & polygoni in puluerem redactorum. anà ℥.ß. malicorij, balaustiorum, anà ʒ.3. farinæ hordei part. 1. olei rosacei ℥.2. cum posca fiat cataplasma*. Potest etiam emplastrum parari ex mastiche, acacia, rhu & succo sanguinariæ, aut ex palmulis elixis cum aceto & malaxaris cum acacia & oleo myrtino. Prodest & aliud, q. ℞ *palmularum coctarum in vino adstringenti ℥. 3. foliorum*

plantaginis m. 1. gummi tragacanthi, ſucci ſemperuiui, & polygoni, anâ ℥.ß. farinæ hordei p.ß. fiat cataplaſma. Verùm ſi ex igne vel inſolatu prædictam fluxionem contraxiſſe principium comperiamus, non erit ab re dorſum vngere vnguentis, ſantalino, roſaceo, de cucurbita, ac refrigerante Galeni, cũ pulueribus coralli & myrtillorum, vel ex eiſdem ceratum conficere, & alia quæ tom. 2. capit. de his quæ renes refrigerant & calfaciunt copioſè repetiens ſcripta.

Curatio ſi ex vbertate ſanguinis prodeat mictus.

Dum ſanguinis ea copia in corpore viget (quæcũque cauſa ſit) quòd natura cogatur, melioris gratia ſe ſe exonerare per renes, non protinus cohibendus naturæ impetus, ſed primò permittere quod redundat fluere, aut parum minus, poſtea verò, ne vel natura aſſueſcat, vel imbecillior fiat, ſiſtere omni arte ſtudẽdum eſt. Quod ſanè opus duobus modis facies: primo ſanguine miſſo, aliquando in interuallo huius fluxionis (quòd fluxio hæc per circuitus plerunque repetat) vt auara facta natura, quod ſupereſt contineat: nonnunquam verò mox ab ipſo mictu, vt facta reuulſione eius quod fit, commodiùs fluxio cohibeatur. Cui vſui parcè & vt ferunt per partitas vices ſanguinem detrahes, ſolùm quidem quantum ſat ſit, vt fluẽtis impetum aliò euoces & ſubinde compeſcas: ſecundo verò quòd natura veluti impetu ruens non ſe poſſit cohibere, aut forsã quia ſucceſſione eius quòd vacuatur, in eam partem ſeſe inclinat: quo tempore fluentis ſanguinis impetum compeſcere opus erit, his quæ intrinſecus ſanguinem denſent & incraſſent, ac exteriùs vias contrahant. Sic autem locum iuxta renes ſpongia poſca imbuta irrigabis, aut linteis cum roſaceo & aceto & ſucco polygoni, cytoniorum, aut ſemperuiui: itẽ ex prædictis emplaſtris aliquod porriges, aut oleum omphacinum, myrtinum, vel cytoniorum, cum pulueribus coralli, roſarum, & ſanguinariæ. Per os verò aliquid eorum, quæ mox diximus partes firmare ac ſanguinem denſare poſſe, porrigere oportet: velut eſt ſaccharum roſaceum vetuſtius ſolum, cum aqua deaurata, aut cum pulueribus coralli, boli Armenici, & lapidis hæmatitis. Sed inter omnia prodeſt victus parſimonia, & maximè potus, vini abſtinentia, habitatio ad frigidum vergens: tandem ſi conſueta aliqua ſanguinis euacuatio ſuppreſſa fuerit, eam reuocare protinus ſtudebis; ſin aliter, ſuperiorum partium frictionibus, ligaturis & omni diuerſionum genere tentandum eſt fluentem ſanguinem aliò transferre.

Curatio fluxus ex ſoluta vnitate.

Vt ſoluta vnitas vnius rationis non eſt, ita diuerſam quoq; expoſtulat vnionis formam ac viam: quippe aliter vniri deſiderant, quę eroſione ſoluũtur partes: aliter quæ ſciſſione, & aliter etiam quæ diruptione. Sic profectò vbi corpus adeo eſt vitioſis ſuccis conſpurcatum, quòd eis ad renes confluentibus, contingat eorum vaſa exedi & exulcerari, primò ſtudendum eſt ab omni humorum ſpurcitia corpus immune reddere, inſtituta ea victus forma, quæ præter id quòd præexiſtentes ſuccos attemperet, vtiliores gignat, & carnis renutritioni idonea ſit. Quę vſum inter alia præſtant auium carnes, & earum ac animaliũ paruorũ extrema, vt hœdorum, porcellorum, anatũ, & anſerũ. Proſunt iura optimè ex carnibus prædictis expreſſa: item vſus amyli, farris, hordei cremoris aut eius farinæ, ac inſuper oryzæ, aut cibus albus appellatus, & oua ſorbilia. Potus ſit ex aqua deaurata, maximè ſi priùs ferbuerit cũ cinnamomo aut ſcorzonera. Pręterea ante omnẽ medicamentorum adhibitionem, corpus purgare inſtitues, exhibitis priùs ſerapijs, quæ cacochymiæ conditionem reſpiciant: velut ſi biliosa ſit, quæ bilem frenent, vt cichorij, acetoſæ, de ſucco agreſtæ, roſarum, de ſucco limonum & de granatis, cum aquis hordei, intybi, lactucæ, vel portulacæ: verùm ſi ſalſa fuerit pituita, ſyrupo veteris violarum, portulacæ, borraginis & ſimilium, cum aquis prædictis. Quo facto ſemel maiorem cacochymiæ partem purgabis, ac poſtmodum per vices & interualla veteris infuſo rhabarbari & corticum mirobalanorum, in aqua lactis, aut decocto papaueris, portulacæ, vel hordei: & tandem alijs veteris, quæ ſępius diximus humores acres & mordaces poſſe purgare: nec non & pituitoſos ac ſalſos: cuius naturæ ſunt agaricus, ſemen carthami, & folia ſenæ, vbi infundantur in aliquo ex prædictis decoctis. His quidẽ factis, eis medicamentis intus & extra vteris, quæ præter id quod vires habeant retundendi acrimoniam humorum, leniẽdi & obturandi potentiam ſortiantur, non quidẽ aſtringendi: quippe hæc preſſiùs adhærere cogunt tunicis venarum acres humores, quo maiores fiunt eroſiones: Huius farinæ eſt medicamentum, q. ℞. *lactis ouini* ℥.4. *aquæ meliſſophylli* ℥.1. *boli Armeni* ℈.2. *ſpicæ gr.*6. idem præſtat beneficium, q. ℞. *lapidis hæmatites* ℈.2. *aquæ colaturæ amyli, vel violarum, aut portulacę* ℥.3. Eundem etiam vſum pręſtat, et adhuc humorum acrium influxum ad renes cohibet, id q. ℞. *mucaginis ſeminis papaueris albi* ℥.ß. *pulueris dragacanthi* ʒ.1. *& ß. trochiſcorum de Karabe & raſuræ eboris, anà* ʒ.ß. *miſceantur cum ſaccharo violarum et fiant boli magnitudinis fabæ.* Prodeſt & ſaccharum roſaceum aut terra lemnia vel tragacãthum: item amyli vſus, ptiſanæ, & puls ex farina hordei. Quem quoque vſum præſtat, ſi cum dolore fiat eroſio, ſyrupus portulacæ, papaueris, violarum, & de mucilaginibus, cũ aqua hordei torrefacti: item ſi laborans vigil permanſerit, præſtat id medicamentum, q. ℞. *aquarum portulacæ & violarum, anà* ℥.2. *philonij* ℈.1. Cæterum extrinſecus ſupra renes adhibere oportet quę leniter attemperent, vt vnguentum ſantalinum cum roſaceo, additis pulueribus coralli et myrtillorum: aut vnguẽtum ex oleo violarum, roſarum, & papaueris ſæpius lotis, ac cera alba ad cerati formam cum puluere amyli, aut farinæ volatilis, vel coralli & roſarum. Proſunt & linteoli madidi ex mucagine pſyllij, ſeminis cytoniorum & lini, cum ſucco portulacæ & ſemperuiui.

Cæterum, ſi ſanguis fluat venis diruptis aut ſciſſis, primo acceſſu curabis ſãguinem mittere, & reliquum diuertere, ac poſtmodum firmare potu aquæ frigidę, & eo auxilio, q. ℞. *aquarum plantaginis & roſarum, anà* ℥.2. *pulueris conſolidæ maioris* ʒ.ß. *pulueris cornu cerui vſti & corali, anà* ℈.1. *miſce & fiat potio:* prodeſt & potus aquæ plantaginis, & ſanguinariæ, cum trochiſcis de Karabe: tandem his medicamentis vteris, quæ vim habeant agglutinandi, & vniendi, quæ diſciſſa ſunt: cuius naturæ eſt bolus Armenus, terra ſigillata, ſanguis draconis, tragacantha, & albumen oui, aut puluis contra caſum. Quorum loco aſtringẽtia quoq; adhiberi poſſunt, vt ſuccus plantaginis, ſanguinariæ, acaciæ, balauſtiorum, rhu, & ſimilium, vt alumen, gummi, & trochiſci Gordonij huic vſui proficui. Extrinſecus verò, ſupra dorſum primo acceſſu adhibebis albumen oui vehementer agitatum, cum pulueribus roſarum, coralli, et myrtillorum, vel idem albumen oui cum ſanguine draconis, & farina volatili, ac pulueribus balauſtiorum. Idem pręſtat emplaſtrum ex bolo, acacia, & aloe, cum aceto & aqua capitum roſarum. Tandem laborantem alere tenuiter oportet, & potus parſimoniam inſtituere, & corpus quieti mandare, ac ab omni animi perturbatione pręmunire, & hæc auxilia mutare, donec ſanguinis fluor quieuerit, tunc quidem quieſcere oportebit, donec conſtet partes vnitas eſſe.

Curatio ſi venarum foramina aperiantur.

Idem profectò erit curationis modus, cùm ſanguis proſilit ob eius tenuitatem, ac dum prę pororum apertione, hoc vno excepto, quòd in ſanguinis ſeroſitate, ante omne auxilium particulare, opus erit corpus expurgantibus pharmacis à ſpurcitia aquoſi ſucci vendicare frequenti rhabarbari, agarici, ſeminis car-

thami

thami vſu, maximè ſi iecur, aut ventriculum huic A malo cauſam præſtare conſtiterit: quo facto, & humorem incraſſabis, & comprimes laxos meatus adſtringentibus medicamentis intus, & extra ſumptis, quorum abundè meminimus. Sed peculiariùs corpore purgato vteris, eo quod non ſolùm aperitionem cō primat, verùm aduerſus intemperiem pugnet. Sic profectò, ſi calidioris intemperiei occaſione ſimul cũ humiditate pori aperiantur, vteris trochiſcis, q. ℞. *nucis cupreſſi, thuris, maſtichis, roſarum, & boli, ana* ʒ. 1. *& ß. coralli, Karabe, margaritarum, ana* ʒ. 1. *gummi arabici, tragacanthi, ana* ʒ. 2. *puluerizentur, & cum ſucco arnogloſſæ fiant trochiſci, quorum porriges* ʒ. 1. *cum aqua capitum roſarum ante prandium, & cœnam.* Verùm ſi frigiditatem malo cauſam præſtare cognoueris, B non nihil calidorum prædictis addes, vt pulueres nucis corticis, & cupreſſi, atque abſynthium. Deſuper verò cataplaſmata, & emplaſtra adhibere conuenit, quæ fiant ex ſucco meſpilorum, ſorbarum, & pyrorum, cum farina hordei, & pulueribus nuper dictis, & alijs quæ capite de ſanguinis fluxu diximus. Præter hæc omnia mirum in modum prodeſſe ferunt non contemnendi authores, cucurbitas naribus prope podicem affixas, ac ſi fluentis ſanguinis impetus fuerit copioſus, cum ſcarificatione; ſin aliter, citra ipſam.

Curatio fluxionis ſanguinis ex veſica.

Fluxus autem ſanguinis qui prodit à veſica, exndē omnino prouidentiam expoſtulat, præterquam quòd medicamenta, quæ extrinſecus proficua ſunt, adhibe C ri debent ſupra os pubis, & in parte ventris inferiori, niſi ſanguis à partibus veſicæ conſentientibus, & cohærentibus profluat: quo tempore tutius eſt, vel dorſo, vel iuxta ilia ea affigere. Item quæ per os ſumuntur, admiſcenda ſunt ijs, quibus faciliùs ducantur in vrinam. Præ oculis tamen tibi erit, ne aliquid ſanguinis in veſica concreſcat, & grumoſum fiat, quippe id breuioris periculi cauſa ſolet eſſe. Quod quidem noſces ex ſymptomatis quæ ſequuntur: nam & deliquium animi, vigilia, mentis turbationes, faciei pallor, extremorum refrigeratio, inquietudo, anxietas, & vrinæ ſuppreſſio apparent. Cui medeberis, vel ſanguine priùs auerſo alicubi, ſaltem per hæmorrhoidas, aut cucurbitas natibus affixas, & ſcarificatas: aut D ſi ſanguis abundet, & fluxio ſit copioſior, vena tali ſciſſa, vel brachij, ſi maior fuerit plenitudo. Item adhibitis aliquot ex prædictis auxilijs ſupra os pubis: in qua re cauere oportet iniectionem adſtringentium in veſicam ipſam, quippe id ſolet eſſe potiſſima cauſa concretionis ſanguinis. Quapropter ceſſante fluore, ſi prædicta accidentia ſuccreuerint, coniectandum eſt ſupereſſe grumos in veſica, & protinus porrigere oportet bibendum acetum mulſum, aut aquam mulſam cum decocto radicum apij, ſyrupum de quinque radicibus cum aceto, aut coaguli leporis ℈. 1. cum aceto mulſo, vel aquam ſtillationis foliorum raphani, ſolani, aut cum modico aceto ſquillitico. Præſtat & id, q. ℞. *radicis peoniæ, ariſtolochiæ, radicis ſabinæ, ana* ʒ. E s. *belzoini* ʒ. ß. *fiant pilulæ tres cum ſucco foliorum raphani, quarum ſumatur vna cum decocto cicerum:* præterea porrigere poteris ʒ. ß. *theriacæ cum decocto radicum apij.* Sed in veſicam inijcere poteris aquam mulſam; vel modicum lixiuij ex cinere ficus, aqua mulſa dilutum; vel aquam radicum apij, cum puluere ariſtolochiæ; aut coagulum leporis cum aqua ſtillatitia foliorum raphani, adiectis aceti guttulis. Quòd ſi ne his quidem vrina reddatur, cathetere, vel cerea candela extrahenda eſt, vt latiùs ſuo loco dicturi ſumus.

CAPVT IX.

De mictu puris ex abſceſſu, & vlceribus veſicæ, ac renum.

Signa diſtinctiua.

SIcut præcedenti capite diſtinximus ſanguinis mictum à renibus prolabentem, ab eo qui à veſica excidit, pari prorſus ratione de puris mictu agendum eſſe cenſui: quippe aliquando mingitur pus veſica nequaquam affecta, nonnunquam verò ex propria eius affectione. Quod quidem docuerat Hippoc. noſſe, & diſtinguere 4. aphor. 81. dicens. *Si ſanguinem, & pus minxerit, & ſquammulas, & grauis odor adſit, veſicæ* B *vlcerationem ſignificat:* quæ omnia neceſſum eſt ſimul adeſſe, vt puris, & ſanguinis excretio, ab ea quæ fit à renibus ſecernatur: nam antea dixerat: *Si ſanguinem, aut pus minxerit, renum, aut veſicæ exulcerationem ſignificat.* Verùm vt diſtinguat ex qua parte dictarũ prodeat, expulſioni puris è veſica addit ſquãmulas (quas à furfuraceo ſedimento craſſitie ſquammularum diſtingues) neceſſariò adeſſe, & grauem odorem. Sed illud ſolum eſt arbitrandum prodire ab his veſicæ vlceribus, quæ ex eroſione fiunt: nam pus quod rupto, aut ſciſſo vaſe gignitur, vel ex dirupto abſceſſu prodit, non prærequirit prædictas ſquammas: ſat enim eſt pus omne ab ea parte prodiens, grauiter olere, nam id illi eſt proprium tribus de cauſis. Prima C quia cum pars quæ putreſcit in veſica (nimirum interna tunica) non ſit carnea, tardiùs putreſcit, vel à violentiori cauſa, & ob id maiorem contrahit putorem. Secunda ob admixtionem partium aquearum vrinæ, quæ corrumpunt, & corrumpuntur, haud ſecus quàm aquæ putridæ in ſtagnis, & latrinis. Vltima verò ob moram quam contrahit in veſica, ob vrinæ retentionem naturalem. Præterea conſtabit pus è veſica fluere, quia non admodum permixtum, & cum vrina confuſum excernitur: quinimo dum ex collo, aut pudendi fiſtula prodit, ante vrinam, aut circa ipſam excernitur merum pus, vt ex Galen. 8. pharmac. local. conſtare arbitror, quamuis 6. de locis aliter videtur ſentire, tamen ſuam mentem paulò inferiùs D eodem capite apertiùs exprimit. At dum ex renibus, aut altioribus partibus pus emanat, non niſi plurimũ vrina admixtum it, ac minus fœtidum. Prodire autē à thoracis abſceſſu illac purgato, diſces ex dolore, & præcedente in ipſo inflammatione, difficultate reſpirandi, ac febre præcedentibus: à iecore, ex dolore dextri hypochondrij, & ſanies ruborem adhuc habet, aut aliquid rubrum admixtum: à renibus, ex ſignis præcedentis capitis diſces: ab vreteribus, ex doloris poſitu, & lapide præcedente, quem ægrè expulit laborans: ex veſica verò & pudendis partibus, ex nuper adductis ſignis. Præter quæ ſunt etiam alia ex vrina deſumpta, quibus Paulus, Aetius, & Galen. ſtudent venari locum exulceratum in veſica: cæterum adeò E variè ipſa ſcribunt, vt ſatius ſit ex loco dolente id colligere, quàm ex vrinæ contentis. Cum hoc tamen veſicam exulceratam oſtendit dolor in ea parte acutus, maximè mictionis tempore, & excretionis puris: aſſiduè etiam decumbunt, & neque erecti ſtare poſſunt, quòd dolores acuti ſint, & vlcera iniucunda, ob vrinæ aſſiduum contactum, & ob eius acredinem, & etiam quia ibidem aliquid eius manens (quòd veſica non ſe poſſit optimè comprimere) fœtidiſſima, & viſcida efficitur. Quòd ſi vlcus ſerpendo procedat, ſanioſum, & ſanguinolentum ſimul prodibit, cum vrinæ difficultate, & penis erectione, & dolore iuxta pubem. Verum diſtingues prope os veſicæ vlcus eſſe, quia tempore mictionis ſolum, hæc accidentia ſuccreſcunt, maximè in principio, & fine mictus, eò magis quò cauſa fuerit efficacior. Quòd autem vlcus ſerpens, & erodens ſit, multa demonſtrant: primùm mu

cosa

cosa illa, & cruenta excrementa, ramentis intestinorum in dysenterijs excretis simillima, cum dolore, & ardore: distingues autem, sit ne in collo, aut corpore vesicæ, quod (vt dictum est) ex corpore squammosa quædam recrementa plerumque prodeant, vt Hippocratis est sententia, ex collo verò seu ceruice excrementa prorumpunt crassiora, atque mucosa, nam crassior est particulæ substantia, in qua residet, & quasi stagnat mucosus, & viscidus quidam humor. Vlcera esse magna, & maligna ostendit dolor, non solùm mingendo perceptus, sed & exacerbatus vomendo, aut tussiendo, vel sternutando, quibus subiectæ particulæ musculis abdominis compressæ dolitant. Itaque vt summatim quis colligere possit particulam affectam ex pure cum vrina excreto, expêdat, cùm ex superioribus partibus profluit, exactè cũ vrina permisceri: è renibus, per partes quasdam inæqualiter dispergi: è vesica, adeo parum cum vrina permisceri, vt etiam sine ipsa exire possit: quanquam solùm pus sine vrina profluens, pudendorum abscessum, vel vlcus potiùs commonstret.

Causa, & vlceris ex abscessu dignotio.

Vlcerum quidem vesicæ causas innumeras esse, ac finitimas ijs, quas diximus, renes quoque posse exulcerare, nemo est qui ignoret: inter quas potissimum habet locum ipsius vesicæ inflammatio in abscessum commigrans. Ac nosces quidem relictum vlcus, à quo pus fluit, fuisse ex inflammatione, quòd præcesserit in ea parte dolor vehemens, sed maximè inter os pubis, & anum, febris continua, mentis turbatio, vigilia, bilis vomitus, vrinæ suppressio, egereodi cupiditas, qualis in tenesmo, ac dura etiam efficitur pubis regio, & intestioa, vel nihil, vel durum excernunt: adest vel hæmorrhoidum, vel mensium suppressio, aut lapis magnus, saltus, vel ictus, à quibus sanguis nô fluxit.

Curatio inflammationis vesicæ, & præcautio abscessus.

Præcauebis autem magno studio, ne in abscessum commigret inflammatio, ne vlcere facto immedicabilior efficiatur affectio. Quapropter primo mali accessu, sanguinem mittes, si plenitudo magna sit ex brachio; sin aliter, aut eo facto, vel si hæmorrhoidum, aut mensium præcesserit suppressio, ex talo, idque semel, aut bis, & ter, si vires constiterint; sin aliter, cucurbitas in natibus scarificabis, & copiosiùs sanguinem detrahes, aut suris, & minus extrahes, sed iteratò facies. Quo facto, omni diligentia studendum est ventrem emollire clystere iniecto ex hydrelæo in paruissima copia, aut ex oleo seminis lini, & lacte, vel ex butyro, & oleo amygdalarum dulcium. Sed tutius fore arbitror (nam clysteria forsan compressa vesica, maiorem concitabunt dolorem) insessionibus id opus exequi, maximè his, quę recipiunt decoctum fœnugræci, & violarum. Præstabis item fomenta ex eisdem cum vesica, aut spongia, & partes dolentes irrigabis oleo chamæmelino, vel amygdalarum dulcium in quo ferbuerit althæa. Quòd si adhuc his factis dolor non quieuerit, cucurbitam iuxta pectinem affixam scarificabis. Præterea balneis aquæ dulcis vteris, & tandem ad opiata, si casus vrgentia postulauerit, deuenies, facto initio ab inunctione, q. ℞. *olei papaueris* ℥.1. *axungiæ gallinæ, & anatis, ana* ℥.ß. *cum*, si non profuerit, *addes opij modicum cum myrrha, & croco.* Prodest præterea & cataplasma ex hordeacea farina, capitibus papaueris, & hyoscyami folijs. Quòd si vrina non reddatur, iterum fomentis tentandum erit ipsam euocare, nam cathetere in viris vti, non caret periculo maioris doloris, & inflammationis, quod fœminis non ita accidit ob viarum breuitatem. Quòd si vrina redierit, non erit ab re mulieris lac infundere, aut olei rosarum, & seri lactis modicum. Si tamen his factis adhuc perstiterit dolor, coniectabile est in pus verti, & auxilijs præcedentis capitis perficere studebis, & quàm celerrimè aperire: vlcere tamen facto, consi-

A milem habet curationem cum reliquis, quæ ab alijs causis proficiscuntur, vt mox referam.

Aliæ causæ vlceris vesicæ.

Prodit etiam vesicæ vlcus ex soluta vtcumque vnitate eius, aut venarum diruptione, & exesione, tantò grauiori, quantò magis ad extimam ipsius tunicam (interna exesa) solutio permeauerit. Prodit itaque vlcus ex humoribus salsuginosis, nitrosis, & mordacibus, à capite defluentibus, vel à toto iterum ad venã cauam remeantibus, aut à mixtione crudorum succorum ventriculi cum flaua bile, vel seroso, & acri iecoris calidi recremento, quibus mixtis ad vesicã euntibus, facilè prædictum vitium succrescit. Vltimò tamen (nam solutam continuitatem ex vulnere illato, eandem arbitror expostulare curationem, ac renibus B sic affectis scripsimus) ex aspero, aut grandiori vesicæ calculo vlcus fieri posse est arbitrandum: plerunque tamen iti vesicæ osculo, & musculo ipsam claudente. Verùm siue hac siue illa parte humores defluant in vesicam tenues, & fluxiles, ac facilè mobiles, cùm diu parti adhærere non possint, euidentissimum est, vlcus, aut exesionem efficere non posse. Quapropter necessum erit, aut suaptè natura viscidos fore, aut si tenues sint, pituita esse admiscendos, qua fixiùs vesicæ adhæreant: nam cùm erosio, & mordicatio non nisi ex diuturna mora fieri possint, ob id adhærentiam obtinere oportet, & visciditatem: quo fit, vt non leue sit vlceris indicium, cruenta, aut purulenta pituita cũ vrina excreta. Præterea (quod non parui momenti C ad curationem esse arbitror) expendendum est, vno è duobus modis prædictos humores in vesicam confluere: vno per venam cauam (quæ vel à toto suscipit, vel à iecore, & ventriculo) trahentibus venis, quas emulgentes vocamus, simul cum vrina prauum aliquid, vitiosum, aut imperfectè confectum: alio verò fluentibus humoribus per venas quibus vesica capessit alimentum, ac exudantibus in ipsius cauitatem, nam alioqui inflammatione periclitabitur. Est tamẽ non leuis differentia inter hos succos: nam qui fluũt per emulgentes, crassi sunt viscidi, & tenaces, qui si acres sint, vlcerum sunt factores, si verò mites, & citra acrimoniam, ita vt adhærentes non respuat natura, lapidi renum, aut vesicæ materiam substernũt: D qui verò per prædictas vesicæ venas dilabuntur, si nihil crassum in ipsa reperiant, cui adhærentes exulcerationem moliri possint, vrinæ ardorem, & non leuem acrimoniam præstantes, vrinæ difficultatem efficiunt.

Prognostica.

Quibus suppositis, vesicæ vlcus à quauis causa prodeat, vel non omnino sanescit, vel rarò aut cum difficultate: quo fit vt duobus modis periculum sit: vno ob prædictas rationes: alio verò, quia hi qui sic laborant ab insidente dolore, febribus, vigilijs, colliquatione vsque ad mortem premuntur. Quo factum est, vt iure dictum sit ab Hippoc. 6. aphor. *Renum vitia, & vesicæ quicumque dolores, in senioribus difficulter sanantur*: nec ob id credendum est, in reliquis faciliùs E sanari. Quippe multis rationibus vesicæ vitia insanabilia fiunt: primò ob assiduam susceptionem excrementi, & eiusdem expulsionem, quæ autem sanari debent quiescant oportet: secundò ob excrementi naturam, quod suaptè natura acre est, & mordax, nedũ cùm ob alicuius deprauati accessum, acrius, & mordacius efficitur: item ob angustas vias: ac insuper quia difficulter susceptant vim auxiliorum: nam licet vesica per pudendum possit accipere, ipsa sua natura frigida est, & nequit ipsum actuare, & ob id minus beneficij suscipere. Quòd si id verissimum est in omni doloris specie (licet prurigo, & vrigo non ita difficiles sint in vesica, vt inferiùs leges) quanto certius erit periculum in vlceribus ipsius, cùm ab Hippocr. etiam dictum sit, vesicam discissam non coalescere: quod quidem non solùm de vulneribus subaudiendum puto, sed de vlceribus quoque. Inquit enim Hippocr.

pocr. lib. de locis in homine, *Morbi antiqui difficiliùs sanantur, quàm recentes: oportet autem ex antiquis recentes facere, vt sanentur.* Vt enim lethaliora sunt vulnera, sic maiorem sanitatis spem habent, quoniam violenter inciderunt: vlcera autem vt curatu sunt difficiliora, ita lentiùs mortem afferunt: verùm quoniã omnino sanitatis spe carent, absolutè deteriora sunt, & longè grauiora, quæ ex erosione prodeunt, & quæ in vesica omnium pessima, quæ verò in collo non ita. Neque ob id non licet auxiliares manus non adhibere, quia multa solent peritis inopinatò accidere, quæ augent spem, & audaciam aggrediendi, quæ primo accessu videntur incurabilia: præterquam quòd mitigationis dolorum, & laborum gratia, multa licet tentare.

Curandi ratio.

Vt sunt curatu difficilia vesicæ vlcera, ita in artifice maiorem prærequirunt diligentiam, ne præsidijs malum exacerbari contingat, quod perniciosissimũ est in omni morbo, sed potissimum in his vlceribus ob dolorum, & laborum molestiam. Quapropter ea vitæ, & victus ratio institui debet, quæ præter id quòd laborantem reficiat tenui, & optima substantia, dolores quoque leniat, & humorum fluentium vim, & acrimoniam infirmet, & attemperet: ob id prætermissis quæ capite de inflammatione renum dicta sunt, huic etiam muneri proficua, nullum aliud (nisi febrium incrementa vetuerint) commodius alimentum haberi potest, quàm lac ipsum vtcunque sumptum: nam & ab vbere capræ, asinæ, aut ouis suctũ, vel postea cum pane loto feruefactum, vel cum pulte ex farina hordei exhibitum, mirum in modum omnem scopum complet: curabis enim semper ventre ieiuno, aut solùm per se præbere, ne alijs admixtum, vim & præstaturum beneficium amittat. Eundem quoque præstat vsum far, amylum, oryza cum lacte, aut iure pulli, vel ius ipsum cum portulaca, & in eo panis lotus, vel idem panis lotus cum saccharo, & lacte amygdalarum dulcium. Prosunt & carnes pullorum non solùm gallinarum, verùm auium omnium montanarum, quæ esui vtiles habentur: sic cuniculorum, & porcellorum syluestrium carnes: quia cùm sic affecti parum dormiant, potiùs expostulant optimæ substantiæ cibaria, quàm crassa, & copiosa.

Quatenus verò ad auxiliorum administrationem attinet, coniectandum primò est, an humores vlcus efficientes, per vreteras ad vesicam dilabantur, an per venas instillent in ipsam vesicam: quippe si illud acciderit, necessum est ab expurganti pharmaco curationem auspicari, quod præter id quòd humores acres, & mordaces alio transferat, leniendi quoque vires habeat, cuius naturæ est syrupus ex infusionibus violarum cum expressione foliorum senæ, vel seminis carthami, aut rhabarbari diluto, si constiterit ex miscella biliosorum iecoris cum ventriculi cruditatibus humores delabi: quem quoque vsum præstat mãna cum prædictis infusis, aut cassia fistula cum aqua lactis, vel hordei cremore. Verùm si compereris corpus vniuersum per venas præstantes vesicæ alimentum, sese exonerare, satius erit sanguinem primò mittere, & postmodum per interualla superuacuum humorem, & qui naturam irritat, per epicrasim purgare, ac balneis aquæ dulcis frequenter vti, necnon cucurbitis, frictionibus, & alijs quæ humores à consueto fluendi modo distrahunt. Disces autem per has, aut illas venas humores prolabi, quòd per vrinam sabulosa, ac pituitosa, & viscida recrementa copiosè fundantur, si per emulgentes, & vreteras fiat humorum descensus. Cæterum si ex alijs venis prodeat, saniosa, & cruenta aliquando prodit vrina, in quo parum, aut nihil subsidet, & nullius alterius recrementi vestigium adest.

Verùm si ex vulnere, vel abscessu, aut quauis alia continui solutione, quæ subitò facta fuerit, pus pro-

A deat, non opus est prædicta prouidentia vti, sed primo accessu curationem vlceris aggredieris, ante omnia considerans, vrgeat ne magis dolorum, vigiliarũ, ac laborum indicatio, quàm vlcus ipsum: quo tempore intus, & extra adhibere, atque infundere in ipsam vesicam oportet, quæ vim habeant leniendi, & mitigandi. Tunc enim vtendum erit serapijs violarum, borraginis, portulacæ, de mucilaginibus, & alijs huius census cum aqua hordei, amyli, aut sero lactis: quem quoque vsum, & alios etiam (vt dictum est) nõ parui momenti, præstat lac asinæ, aut capræ, vel eius serum, cum aqua portulacæ, & modico bolo Armeno diluto in prædicta aqua. Noctu tamen porrigere oportebit *syrupum papaueris, aut ℥ ß. philonij cum aqua cucurbitæ.* Item extrinsecus vesicam inunges oleo de papauere, mucagine psyllij, & semine citoniorum, vel fouebis lacte mulieris, aut asinæ, oleo de semine cucurbitæ, & melonum, cum aqua portulacæ, vel cremore hordei. Infundes tamen in ipsam vesicã ad temperandam, mitigandamque humorum acrimoniam, & dolorum sæuitiam remittendam, aquam mulsam, maximè saccharatam, aut lac cum expressione seminis cucumeris, vel expressionem seminum frigidorum maiorum, aut oui candidum cum aqua hordei, & pompholyge.

B

Quòd si vlcus inflammationi iungatur, sanguine misso ex talo, vel cucurbitulis iuxta suras scarificatis, aquam hordei infundes, vel eandem cum collyrio albo Rasis, aut decoctum plantaginis cum amylo, vel

C bolo Armeno. Cui vsui per intestina inijcies ptisanã cum rosaceo, & succum seminis lini, & cucumeris, vel lac cum eodem rosaceo, aut emulsionem seminũ frigidorum maiorum. Quòd si accidentia quieuerint, tunc quidem iuxta vlceris indigentiam, medicamenta infundenda sunt: nam abstersionis, & attemperationis gratia ex vsu est serum lactis cum saccharo, aut aqua hordei cum syrupo rosaceo, quibus semper admiscere oportebit aliquid eorum quæ vim habent leniendi dolores, velut est althææ, aut maluarũ semen, vel amyli, & pompholygis modicum, decoctum etiam corticis fabarum, & cucurbitæ. Quòd si ex recrementis vlcus sordidius apparuerit, quæ magis repurgent addẽda sunt, velut mel rosaceum cum

D leui hordei decocto. Verùm si vno eodemque pharmaco hæc omnia præstari possunt, id quidem facito: huius naturæ est, q. ℞. *rasuræ cucurbitæ ℥. 1. corticis papaueris ℥. ß. seminis alKeKengi, bombacis, & papaueris albi, anã ʒ. 1. & ß. quatuor seminum frigidorum maiorum, & seminis maluæ, anã ʒ. 3. hordei p. 2. facto decocto, post colaturam adde sacchari quod sufficiat, & inijciatur in vesicam.* Aliquando verò admiscere oportebit modicum collyrij huius, q. ℞. *cerusæ ablutæ ʒ. 1. sarcocollæ ʒ. 3. tragacanthi ʒ. 1. opij gr. 15. fiant collyria.* Cùm autem fluxio adhuc perstiterit, collyrium confice, q. ℞. *cerusæ, sarcocollæ, olibani, gummi, opij, sanguinis draconis ana partes æquales, cuius in lacte asinæ dissolutum modicum proijcies.* Prodest & singulis

E diebus sumere cum aqua cucurbitæ, aut fabarum viridium, trochiscum, q. ℞. *seminis citruli ℥. 1. boli Armeni, sanguinis draconis, gummi Arabici, seminis papaueris albi, amygdalarum dulcium, succi liquiritiæ, tragacanthi, & amyli, ana ʒ. 6. seminis apij, & granorum alKeKẽgi, anã ʒ. 2. opij ℈. 1. fiant trochisci, & eorum detur* ʒ. 1. Eiusdem efficaciæ sunt alij, q. ℞. *seminis melonũ, citruli, cucumeris, anã ʒ. 20. boli Armeni, gummi, thuris, sanguinis draconis, ana ʒ. 10. opij ʒ. 1. & ß. seminis apij ʒ. 2. formentur trochisci, & porrige ʒ. 1.* Alios etiã mirabilis efficaciæ conficies, q. ℞. *seminis citrullorũ, seminis portulacæ, & amygdalarum dulcium, hyoscyami albi, & papaueris albi ana partes æquales, & cum mucagine psyllij fiant trochisci, quorum porrige ℈. 2. aut* præbe *philonij ʒ. ß. cum aqua portulacæ.* Nec minoris momenti est vlcus abluere aqua stillatitia ex saccha-

ro,

ro, & hordeo decocto cum modico decoctionis eius, vel aqua etiam stillatitia cucurbitæ, & sacchari, aut ex malicorio cum hordeo, & radice maluarum, cum melle rosaceo.

Verùm dum ad cicatricem vlcus perducere est opus, prædictis aquis addes plumbi vsti modicum, aut pompholygis: vel ablues vlcera decocto hordei torrefacti cum modico puluere thuris. Item supra vesicæ regionem appones ceratum myrtinum, aut rosaceũ, vel id quod conficitur ex amylo, sarcocolla, cerusa, rosaceo, & cera.

CAPVT X.

De calculo renum.

REnum calculus (quem Græci nephritim, à parte affecta, vel lithiasim, seu morbum calculi appellant: quamquam nephritim omnem renum affectum, & lithiasim, vesicæ calculum propriùs significare, multi, vt Gorræus censuerunt) affectus est grauis, molestus, diutinus, & aliquando periculosus, adeo vt per se, & ex accidenti mortem afferat, aut vitam calamitosam inferat. Quapropter tria maximè nobis in hac re sese offerunt expendenda, vt à tanto malo (Deo fauente) prudentes, & cordatos homines præcauere, & afflictis aliquod præstare subsidium possimus. Primum sanè est ad vnguem docere huius affectionis naturam, differentias, causas, & locum affectum: secundum erit à lapidis generatione hominem præcauere: tertium verò & vltimum doloribus opitulari, & excretionem commoti lapidis celeriorem, ac tutiorem efficere.

Primum in hac disputatione mihi subit in examẽ, quis affectus sit renum calculus: quippe certum est variam sortiri naturam: nam cùm aliquam vitiat actionem, causa est morbi lædentis actionem: item vel vrinam supprimit, vel partes exulcerat; dum verò nihil horum efficit, sed solùm in renibus manet, aut ab eis excernitur, ad genus symptomatum, quæ fiunt in his quæ toto genere præter naturam retinentur, excernũturque, refertur: talis enim conditionis lapis in renegenitus existit. Esse quidem morbum intellectus non capit, cùm morbus solùm ad constitutionem, aut temperiem pertinere possit: superest igitur, cùm excernitur, solùm symptoma esse; & eò quòd contineatur in loco sibi non naturali, tanquam causam, morbum in via excitare, vrina suppressa: & quia partes exulcerat, aut lædit præter naturæ modum, dolores, & cruciatus maximos gignit: itaque causa morbi, vel symptomatis per se solùm existit, morbum autem constituere, aut symptoma nequit, nisi dũ excernitur, quia tunc ad excreta præter naturam reducitur.

Locus.

Differentias autem huius affectionis à quatuor potissimum sumendas fore arbitrandum est, nimirum à materia, à figura, à magnitudine, & potissimùm à loco: nam ab eo maximè prodeunt accidentium differentiæ, cuius hac in parte institui tractationem scribere, nam materia, & figura in causarum enodatione innotescet maximè. Locus enim licet varius recenseatur è varijs authoribus, & vnusquisque sibi ex his quæ accidunt in laborantibus, rationes eliciat, arbitror tamen triplicem esse in ipsis renibus generationis lapidis locum. Quippe frequentiùs in renum alueo arenulas, & lapillos fieri est existimandum, quas ex crassa materia, caloris ignei actione in sabulum conuersa, fieri est certum: quo loco si delabens materia præter crassitiem, viscíditatis etiam sit particeps, credendum est lapillos fieri: immoratur enim ob id magis materia, ac propterea concrescit in maiorem molem quàm arenula. Quas sanè arenulas non solùm in renibus, verùm & in vijs vrinarijs, ac in vesica, fieri omnes fatentur. Generantur insuper calculi in prædicto loco citra dolorem vllum, ac si parui sint, nulla vel leuissima molestia excernuntur, verùm si maiores, angulosi, vel asperiores existant, cum dolore, & grauissima molestia. Fieri etiam possunt lapilli in porositatibus illis, per quas vrina in renum inanitatem excolatur: quippe dictum est antea, è vasis quæ fiunt ab emulgentibus, & in omnem renum substantiam inseruntur, vrinam veluti instillare in eorum ventrem, quem plures obtinere ductus, vel fistulas, digitorum perforatorum instar, per quos, quæ à vasis instillat vrina, in dictam cauitatem prolabitur, in quibus foraminibus plerunque lapillos fieri, & certum est, & monstrat acerbissimus dolor, quem laborantes perpetiuntur in eorum commotione. Nam viæ illæ quæ angustissimæ sunt, facilè infarciuntur crassa aliqua substantia, quam in lapidem abire certissimum est: & cùm natura irritatur ab eodem calculo, vel ab aliqua externa, vel interna causa, quæ nata sit ipsum mouere, gliscit ad expulsionem, in quo opere prædictos dolores patitur, quantumuis in calculorum generatione nullum persenserit. Quos etiam non semper vnius figuræ, aut magnitudinis esse arbitrandum est. Generantur insuper calculi, & forsan maioris periculi authores, in renum ipsorum substantia: in qua re non parum fuisse controuersiæ comperio. Quippe fuere inter authores, qui existimarunt, solidam illam, ac densam renum substantiam, nulla ratione posse suscipere crassorum humorum eam portionem, quæ lapidi gignendo sit idonea, & ob id crediderunt, solũ quod tenue est ex sanguine illuc permeare, crassum verò per diapedesim, & prædictos ductus in renum ventrẽ prolabi. Quorum sanè ratio non omnino mihi displicet: verùm censeo calculorum hanc generationem principium sortiri in ipsorum vasculorum poris, qui ad carnem renum pertingunt (vt alij in poris qui ad cauitatem tendunt) & per nouæ, atque crassæ materiæ accessum ex ipsis vasculis adeo crescere, quòd in renum carnem extendatur ipsius calculi augmẽtum, adeo magnum, quòd visum sit vniuersum renem vsque ad extimam superficiem perforasse: quos si natura aliquando pellere tentauerit, præter graues, & diutinos dolores quos patitur, perforatum reliquisse renem conspeximus in dissectione. Horum sanè calculorum generationem censeo Galenũ dixisse esse semper cum dolore, nam videmus aliorum, qui in alijs partibus fiunt, sine dolore concrescere, licet non excernantur sine dolore. Itaque distingues, quonam prædictorum locorum calculus generationem sortiatur, ex dolore leuissimo in expulsione eorum qui in cauitate renum fiunt: at eorum qui in prædictis vasorum poris, quæ desinunt in cauitatem, fiunt, acerbiores sunt dolores, dum expelluntur, licet in generatione nullam inferant molestiam: cæterum non diu durat affectio, quòd in via sit calculus, licet longiùs sese extendat, quàm excretio eorum quæ in cauitate fiunt. Illorum verò qui in renum carne generantur, interim dum fiunt molesto, & perseueranti dolore premunt, non tamen intenso, & graui, quia parũ sentire renes statutum est, verùm dum excernuntur longè grauiorem concitant, & (quod illis proprium est) lentiùs mouentur ad expulsionem, ita vt sexaginta dierum spatium comsumpsisse in eo opere visum sit. Quæ sanè signa adduxi, vt hæc omnia ad curationẽ perficiendam ex vsu existant.

Materia.

Calculorum etiam differentia non minoris momenti, à materia, atque calore efficiente prodit: nam materiam huic operi præstat crassus humor, terreus, & lentus. Crassus enim humor si in parte quietus sit, calore agente in duritiem lapidosam proculdubio vertitur: talem enim consistentiam in balneis fieri cernimus ex aquæ calidæ subsidentia, quæ in tophaceam, & lapideam substantiam parti adhærescentem caloris munere commigrat. Cui sanè euentui simile

in

in renibus accidere conspicimus. Sic ex terrea substantia, vel tophum, vel arenosum lapidem generari certum est, quem facilè in arenas abire post exitum, aut forsan in transitu, experimento didicimus ex arenularum copia, præmissis grauissimis doloribus qui lapidem monstrabant. Quòd si crassitiei visciditas aliqua adiuncta sit, vel quod crassum est, licet viscidũ non sit, in plicaturis diu immoretur, tunc magis conficiuntur lapides, & duriores fiunt, ac minus friabiles: nec enim sola pituita crassa, & viscida arenularum, & calculi materia est, sed etiam alterutra bilis terrea, quæ cum pituita communem habet crassitiẽ, quia crassities cum calore renum iuncta, lapidi facit obnoxios. Vtcunque tamen fiant prædicti calculi, vel arenulæ, eum humorem prædominari ostendunt, quem color attestatur: nam modò fiunt flauiores, modò rufæ, & aliquando rubræ: quòd si solùm concretio ex pituita oriatur, cineritium colorem præ se ferunt, haud secus quàm ex purulento humore solo, aut cum pituita admixto. Itaque dum parum sanguinis cum pituita crassa, & lenta mixtum sit, vrinatum subsidentiæ color iuxta maioris excessum elucet, nonnunquam veluti pallido, & albo permixtus, aut ex rubro, & albo, vel ex flauo, & albo, aliquando tamen rufus apparet.

Efficiens. Altera verò causa quæ efficiens est, in renum ingẽti calore, & omnino præternaturam sita existit: quẽ sanè adeo habitualem debere esse arbitramur, vt nõ rarò huiusmodi affectus hereditarius habeatur: talis enim futurus est calor, qui lapides in corpore viuo ex humoribus gignat. Cùm hoc tamen non semper ab intensissimo fiunt calore, sed aliquando à paulo excedenti, licet etiam facto, quia veluti forma partis tenetur operari: non enim semper exurens futurus est calor, mediocriter enim excedens sufficiens est, vt statuerat Galen. 6. popul. par. 3. comment. 15. Neque ob id arbitrandum est à frigido posse fieri: nequit enim animus concipere, qua lege viuo animali tanta in visceribus præsit frigiditas, vt concretione lapidem efficiat, præsertim in renibus, quos mille rationibus calidus actu debere esse euidentissimum est. Itaque talis futura est proportio caloris ad materiam, quòd ille tenue resoluat citra fusionem, & liquationem materiæ; ea verò adeò sit crassæ substantiæ, vt si aliquid euaporatione ab ipsa educatur calore, reliquum quidem neque fundi, neque concoqui, neque superari ab eo aliquo modo possit: ex quo prodit in lapideam duritiem debere mutari, maiorem nimirum, aut minorem, prout calor vehementior, aut humor crassior, ac viscosior fuerit. Hunc autem generationis modum, docuerat Galen. 6. popul. dicens. *Calculi in renibus fiunt, assato, atque arefacto in renum cauitatibus, tum crasso, tum vitioso humore, in porosa renum substantia concreto.* & pari penitus lege compertum est reliquos authores scripsisse: nam Hippoc. lib. de internis affectionibus, sic statuit: *Huic morbus fit à pituita, quam ren suscipit in seipsum, nec rursus dimittit, sed cùm in ipso in tophum concaluerit, fiunt ex ea tenues lapilli velut arena:* idem lib. de natur. hum. sed clariùs lib. de loc. aere, & aqua dicens: *Quod crassissimum, ac turbidissimum coaceruatur, concrescit, primum quidem paruum, deinde maius fit.* De calore tamen refert Galen. lib. pharmàc. generalium. Nam quemadmodum in externis rebus permulta corpora quæ ignem contingunt, ab ipso torrentur, atque rursus ab aqua emolliuntur, ita in particulis inflammatis, ex humore ipso à calfacientibus, & exsiccantibus acerrimè desiccato, relinquitur quidpiam crassum, & viscidum, in articularibus tophaceum, & per nephritidas calculi. Nã cùm in renum aliqua ex prædictis partibus impactũ aliquid tenaciùs obtinuerit, & aliquid aliud ex eisdẽ venis, & eadem materia ibidem succrescat, præexistenti adhærescens, plus augetur, semper enim quod

A recens fluit priorem circundat, & ita in grandem molem succrescit. Quo causis accedit alui suppressio, quę maximè confert ad generationem nephritidis. Sic dum ventriculus, aut iecur sua excrementa propter angusta venarum ora transmittunt per peculiaria loca, maximè cùm humores superflui iuxta lumbos colliguntur, & frigidi sunt, ac hyeme concreti, calore accedente liquantur, aut ex putredine contracta acrimonia stimulant, aut præ copia contineri ampliùs non possunt, laxatis vijs ad vias vrinæ, lapillo, & arenulis materiam suppeditant. In senibus circa renes supprimi solent propter caloris infirmitatem, quo crassities exactè liquari non potest, vt ab ea parte ad alias descendat: in pueris ad vesicam descendunt,

B ibique subsistendo calculum procreant. Præter quas causas nullam aliam inuenies, nisi motiuas calculi, aut eas quæ natæ sunt calorem in renibus excitare, vt omnia quæ renum, seu vrinæ viarum calorem intendere queunt, meatusque illos coarctare. Sic excedens aeris caliditas, & siccitas, balneorum calidorũ vsus, exercitium immodicum, maximè à cibo, item supinus in lecto decubitus, vel arcta supra renes ligatura, ac omnes aliæ, quæ vel calorem concitare possunt, vel crudorum, aut crassorum succorum copiam suppeditare, id natæ sunt efficere.

Omnia ferè signa dolorem in renibus ortũ, à calculo fieri, & non ab alia causa (nam dum colicus est dolor distinguitur signis proprio capite adductis) cõ- *Signa.*

C plexus est Hippoc. lib. de prænotionibus, dicens: *Renum dolor repentinus cum vrinæ suppressione, aut calculorum, aut vrinarum crassarum missionem significat:* sed clariùs, & specialiùs docuit lib. de internis affect. sic scribens: *Quatuor morbi in renibus fiunt, à calculo autem sequentia patiuntur ægri, & dolor acutus incidit in renem, & in lumbos, & in testem secundùm rectũ situm, & frequenter mingit, & adstringitur paulatim, & supprimitur vrina, cum vrina procedit arena, & vbi per vrinæ meatum exit arena, dolorem fortem in meatu exhibet.* Itaque dum lapillus in renibus mouetur, præter crassam vrinam, quæ præcessit, licet videre contritos lapides in ipsa, & sabulosa frustula, quibus aliquo modo leuiores videntur laborantes. Alia tamen si-

D gna his addidit Hippoc. 6. popul. 5. præter ea quæ colicis communia sunt, nimirum *vomitum, & nauseã,* quæ licet colicis grauiora succrescant, vtrisque tamen à vomitu leuamen sequitur, quia laxiora fiunt intestina, quæ renes calculo afflictos premunt: & ob id meritò dixit, *& magis cùm à cibo implentur:* succrescit insuper sanguinis mictus, licet non semper, sed dum lapis asper fuerit: torpet etiam crus eiusdem partis, cùm affecto rene, ob vasa quæ in rene affecto distenta, & dolentia, dolorem cruri communicant. Præterea licet locis citatis dictum sit ab Hippoc. Galen. & reliquis, renum dolorem esse acutum 6. tamen popu. grauem refert fore: quod ita distinguendum censemus. Cùm enim in ventriculo renum figitur, vel sine

E dolore est, vel cum graui: vbi autem per vreteras incedit, vel etiam intra renes pungit pelliculam in exortu, acerbior est dolor, & sentiunt ægri mutatum doloris situm, imo & ad inguina descendere, qua parte vreteres committuntur vesicæ: quo tempore sanguinolentum aliquid meiere incipiunt, & dolor non est vt antea æquè fixus, verùm cùm laborantes mouentur, aut spinam flectunt, vehementiùs dolent. Itaque in renem dolor grauis est, quia nimirum corpus insensile, neruique expers, sentiente membrana obuoluitur, tum etiam grauissimus, & acerbissimus est, nimirum affectis vreteribus, quæ densæ, & crassæ, maximè simul distenta continente membrana egregiè dolent: ob idque cùm calculus in sinu oritur, solo descensus tempore vehementem dolorem mouet, reliquo sola grauitas molesta est; cùm verò in carne localem habet generationem, tristem quoque sensum

non

non admodum molestum inuehit, genitus grauitatis sensum excitat, cæterum dum à carne in sinum trabitur, acerrimus dolor cruciat. Durus enim & angulosus lapis densam renis carnem proscindens dolorem mouet, propter communicatam ab externis neruulis modico carnis interuallo sentiendi vim, præsertim à tumente rene distenta membrana, vt Galen. docuit 6. de vsu part. cap. 17. Denique in calculo renum non semper dolor adest, neque eodem modo, vt cùm iam intra carnem concretus, aut ad sinum peruenit, vel ex ipso ad vesicam per vreteras. Reliqua verò signa non sunt adeo certa, quòd fidem præstare possint, præterquam ea quæ mox referam monstrantia, & lapidem, & materiæ conditionem: quippe biliosi humores, & salsi, è locis iecori vicinis delabi solent in renes, vbi in calculum concrescunt, si lentor adsit tanquam gluten; aut in arenulas, si desit. Quòd verò etiã ob id vrina cohibeatur, obstructione videlicet vreterum, aut meatus vesicæ, à calculo, aut arenulis, multarum causarum syndromen conuenire oportet in tenui hoc & acri humore: vt immoderatum calorem renum, qui per euaporationem materiam induret: humoris copiam: magis crassitiem: maximè lentorem: expultricem facultatem languidiorem: meatus angustiores: aluum duram, & suppressam: hæreditariam quandam aptitudinem ad nephritidem, quæ temperamentum sequitur, & adhuc magis compositioné. Tunc profectò verum erit vrinam supprimi, & interdum sabulosam reddi, licet certum non sit sabulosam vrinam calculum significare, quinimo ea ipsa ratione magis tuti redduntur laborantes ab eius generatione, quòd crebra illa arenularum excretio valere renes expultrice ostendat, humorem verò neque multum esse, neque lentum.

Verùm cùm nephriticus dolor colico dolori persimilis existat, signa etiam scribere oportet, quibus vnum ab alio facilè distinguere possis. Quippe duo potissimum sunt, quæ maximè separant dolores intestinorum ab his, qui in renibus causam habent, nimirũ loci dolentis situs, & doloris conditio. Vbi enim vrget supra renes dolor, certum est ad intestina pertinere, non ad renes: præterea nephriticus ferè dextrorsum vrgit, nec ab eo loco vsquam ex toto discedit: colicus sæpè locum mutat, & in pectinem inclinat, qui etiam quauis vacuatione, & sursum, & deorsum, lenitur, quandoque integrè cessat: nephriticus etiam inanitionis tempore manet fortis, constante adhuc lapidis stimulo, doloris causa. Vrinæ verò, aut tenues sunt ab obstructione vasis vrinarij, aut suppressæ cũ dolore renum repente oborto, aut frequentibus arenulis intermixtæ: Accedit vomitus biliosus, post pituitosus, & è directo cruris (vt dictum est) stupor. Horum omnium exortum præcurrit grauitas, cum imbecillitate illatum partium, ex qua humorum copia, aut calculus ostenditur.

Præsagiũ Primò ex tenui vrina, aut suppressa in hoc malo, licet dolor, & affectio sit in altero renum, nihilominus ambo pati erit arbitrandum (vesica sana existenti) quod fiet, vel quia præ dolore fit attractio praui ad vtrumque renem, quo obstruatur, vel quia alter ab altero patiente compatitur, licet consensus ille non diu duret. Vtcunque tamen sit primo mali exortu, summa diligentia curandum est ne in habitum omnino fixum pertranseat, aut ex nimio dolore in inflammationem commigret, vel virium lapsum: illud quidẽ, quia vereri oportet obstructionem adeo cæcam, quæ periculo non vacet: hoc verò, ne vase aliquo dirupto immedicabile fiat vlcus. Hunc sanè affectum in adultis magis, quàm in pueris expectare oportebit, item in senibus non citrau, sicut in fœminis facillimè.

Præcautẽdi ratio. Duplex in renum lapide subest tantùm medendi ratio; altera quidem quæ eius generationem inhi-

A beat, aut genitum lapidem imminuat: & rursus secunda, quæ iam genitum, & aliqua occasione commorum, faciliùs educat, & suauiùs, ac dolores mitiget, quod laborantibus maioris momenti est, & ipsi magis exoptant.

Circa primam, quæ generationem calculi inhibere studet, considerare priùs tria hæc oportet: primũ, qua via possit materia calculo gignendo apta demi: secundum, quo modo renes tutò & citra aliorum membrorum discrimen temperari possint: tertium verò considerat, ac studet inceptum lapidem, & genitas arenulas, ante quàm in vnum concrescant, abstergere, & expellere. Circa primum, duo quidem curaturo exequenda incumbunt officia: primum erit B materiæ generationem inhibere, ea victus, & vitę institutione præhabita, quæ omnino sanitatem, & cruditatem interdicat, cuiusuis alimenti sit. Cibi præterea eligantur, qui duræ substantiæ non existant, sed qui facilè coctionem suscipiant. Cauendum insuper à lacte (nisi asininum fuerit, aut alterius morbi occasione præstitum) à caseo, & omnibus, quæ ex lacte fiunt: à crassis, ab acribus, dulcibus, tenacioribus, & pinguibus: tandem vtatur pullorum, perdicum, gallinarum, & auium, quæ mollis sunt substantiæ, carnibus: arietis item aut vituli, & capreoli, vel cuniculi carne, ouis sorbilibus, & alijs quæ huius naturæ sint: cauens ab amylo, ab hordei cibarijs, & alijs quę quo C dammodo, vel lentorem habent, vel emplasticam vim: item nihil supra modum actu, vel potentia calidum sumat laborans, ne renes plus iusto incalescãt. Vtatur vino si assuetus fuerit (sin aliter aqua tenui, aut per lapideum mortarium percolata) tenui, & albo, sed dilutissimo: sed satius erit ipsum omnino interdicere, si cognitum fuerit potissimam mali causam renum caliditatem esse, sicut dum ventris imbecillitatem, satius est modicum concedere: cœna sit semper parca, exercitium moderatum, quod neque cruditates patiatur, neque renes calfaciat: animi hilaritatem concilies, & in temperata domo, & regione habitet. Secundum quod materiam demere posse diximus, duo continet præsidiorum genera: primum est D vomendi vsus bis terve in mense, quod in præcautione quæ fit per materiæ ablationem, maioris arbitror esse momenti: diuertit enim crassos, & viscidos succos ab infernis partibus, & euacuat etiam eorum nõ paruam portionem. Quapropter huic præsidio innitendum est diligenter: quod si vel non sufficere videatur, vel laborans renuat, bis terve in anno licebit corpus purgare cassia, manna, vel syrupo ex infusionibus cum agarico, aut rhabarbari infuso, vel cũ expressione carthami, aut succo mercurialis cum saccharo ad formam serapij redacto, aut pilulis ex mastiche, hiera Galeni, & agarico.

Verùm quia licet parua sit materiæ huius copia, sæpè renes affecti, vel lapillos, vel arenulas gignunt, E & periculum sit ne concrescant, & in dolorem prorumpant, renes ipsos abstergere diligenter opus erit, & curare quo minus, nec cruda materia ibidem immoretur, nec si quid ex ea factum est, ampliùs increscat. Cui vsui primum locum habet (corpore à ventriculi cruditatibus per vomitum purgato) *terebinthina*, quam varijs modis parare possumus, vt iuxta laborantium gustum grata efficiatur. Primo ipsius *porriges ℥. 2. cum ʒ. 4. cassiæ fistulæ, & pulueris liquiritiæ:* item eiusdem *terebinthinæ ℥. ß. lotæ decies in aqua saxifragiæ cum saccharo, ad formam boli redactæ:* præstat *eadem quantitate aqua violarum lota cum catholici ʒ. 3.* Item eam parare poteris hac forma: *Excipe terebinthinæ lotæ aqua halicacabi ʒ. 2. pulueris tragacãthi, & liquiritiæ, anà ʒ. 1. cassiæ ʒ. 3. fiant boli.* Quæ lauè omnia prodesse etiam possunt in calculo commoto educendo, sicut *terebinthina ʒ. 4. lithontribon ʒ. 1. & ß. misce, & fiant boli.* Sed in præseruatione mitum

in

in modum prodest aqua stillatitia è terebinthina per alembicum, vel puluis eius hoc modo confectus: ℞. *terebinthinæ* ℥. 4. *vratur in lamina ferrea candenti tandiu, donec friabilis fiat, cuius pulueris porriges* ʒ. 1. *&* ʒ*ß. cum* ℥. 2. *aqua saxifragiæ, vel genistæ, &* ℥. ß. *oxymelitis*. Incredibili etiam efficacia renes expurgat extergitque arenosam sordiciem *oleum cydoniorum, nam si bis terve in anno quis eius* ℥. 1. *&* ß. *cum saccharo manè sumat*, ex salute proculdubio faciet. Postquam aliquo ex prædictis vsus fueris, ad stillantias aquas, & pulueres, atque condita, quæ renes abstergunt, semel, aut bis in hebdomada te conferes. Inter quæ non mediocre experimentum præbuit *aqua, quæ ex ligno quodam Indico decocta efficitur*, quæ post coctionem, aut infusionem varios præ se fert colores, nullo mutato sapore, neque odore, *cuius* ℥. *5. summo manè* porrigere oportet: ac licet aliqui cum cibis eam admisceant, nunquam mihi huiusmodi vsus arrisit, quòd velociter alimenta, & ante integram coctionem à ventriculo educat. Prodest & aqua ex calcitrapa (cardui quoddam genus) item ex carduo sancto, ex millefolio, ex gramine. Præterea ex gramine, petroselino, glycyrrhiza, asparagis, & adiantho cum succo limonum, & saccharo instillata. Sed ea pretiosior est, quæ extrahitur *ex corticibus fabarum, & ex caudicibus, ac floribus earum quant. lib. 3. cardui comestibilis lib. 4.* (& quia vno tempore auni non prouenient, loco eius adde *calcitrapæ lib 1.) pistentur omnia, & adde salis Indi, seu sacchari candi lib. 1. succi limonum lib. 1. & ß. succi seminum arantiorum lib. ß. decoctionis maluarum, & radicum althææ facta grandi expressione lib. 2. mellis lib. 1. instillentur per alembicum lento igne, & non permittatur comburi, neque liquores ex toto consumi.* Pari etiam efficacia existit aqua quæ per alembicū quoque extrahitur *ex libris 4. cardui comestibilis, ex lib. 1. & ß. succi limonum acrium, & p. 2. maluarum, & ex* ℥. *6. radicum petroselini, & lib. 1. sacchari, quibus pistatis cum lib. 3. aqua lupulorum instillatur aqua mirabilis efficaciæ, quæ cum aqua ex distillatione fabarum admisceri etiam potest.* Prodest semen vrticæ cum vino, aut semen citrulli cum aqua maluæ, vel saxifragiæ: vel puluis seminis arantiorum, petroselini, liquiritiæ, & sacchari ad pondus omnium. Item cochleare vnū seminis melonum cum saccharo ante prandium, vel emulsio eorum cum aqua sassafrasæ: aqua item decoctionis vrticæ, & seminis maluarum. Præstat mirū in modum *puluis ex virga aurea vino exhibitus quantitate* ʒ. *1. &* ß. sed maioris momenti habetur apud cordatos viros id, q. ℞. *pulueris seminis petroselini, & corticum radicum eius ana* ʒ. 4. *florum cardui stellati* ʒ. *8. desiccentur, & fiat puluis, cuius sume* ʒ. ß. *cū aqua fabarum, aut graminis*. Ex vsu quoque est *syrupus cardui sancti, & aqua calcitrapæ, anà* ℥. 1. Magni etiam momenti esse experimento fidissimo est compertum, *ius pulli decocti cum fœnugræco loto*, aut decoctū eiusdem fœnugræci loti cum aqua cinnamomi. Alia etiam reperies non minoris momenti, quæ habita E consideratione naturæ laborantis proficua quoque comperies.

Prædictis præsidijs expurgatis renibus, eos attemperare, & ad antiquum statum reducere studebis, cō siderans priùs an ex iecoris calore renibus prestitum sit aliquid, vel ex sanguine: quo casu, aut si suppressa fuerit aliqua sanguinis vacuatio, eorum refrigerationem instistues, primò sanguine misso, quod in viris ex brachio, & in fœminis plerumque ex talo facies. Quo facto, aut si renes consensu totius corporis calidi incalescant, balneis vteris aquæ dulcis, aut renes ipsos eadem aqua bis in hebdomada fouebis. Quòd si caliditas adeo intensa sit, vt etiam extra sentiatur, aut laborans nimium molestetur, ex vsu erit dorsum inungere vnguento rosarum resumptiuo, de cucurbita, refrigerante Galeni, oleo rosarum loto aqua hordei, vel A succo agrestæ: vnguento ex oleo violarum, cera, & butyro lotis aqua plantaginis: & quod vtilius esse solet, proculdubio est partes illas fouere lacte muliebris, aut asinę, summo manè, aut ante cœnam. Pari etiam vsu oportet laboranti porrigere *summo manè* ℥. *5. aquæ hordei cum saccharo, aut tantundem seri lactis caprini cum eodem saccharo*, vel emulsionem quatuor seminum frigidorum maiorum: nec minoris momenti est aqua portulacæ cum rosaceo saccharo, aut decoctum maluarum, & seminis althææ: quæ verò exteriùs supra renes adhibere oporteat leges to. 2. cap. de his quæ renes refrigerant.

Quòd si his omnibus factis (aut infectis) calculus iam diu genitus moueri ad exitum incipiat, curandū B est quadruplici medendi via ipsum quàm citissimè pellere, quò citius laborans à doloribus eruatur. Primò quidem per ea auxilia, quæ vias leniendo, apertioni citra dolorem promptiores reddant: secundò, per ea quæ motum citatiorem efficiant: tertiò quidem, per ea quæ lapidem comminuere possunt: Quarto verò & vltimò, per ea quæ aut omnibus prædictis admixta, aut per se solùm adhibita, vim habeant sedandi, & compescendi dolores, ac mitigandi accidentia, quæ in hoc affectu solent maius facescere negotium. *Curandi ratio.*

Primum itaque quod exequendum sese offert est, vias patentiores reddere, & partes ipsas laxiores, quo citiùs, & citra dolorem, aut cum leui, lapis excernatur. Verùm quia sæpè malum initium sumit à cruditatibus, vel saltem, licet ab alia occasione principium C sortiatur, in huiusmodi corporibus sæpissimè abundant in ventriculo, & primis venis, ob id eo medicamento protinus ab iniecto clysmate, purgare corpus oportet, quod præter id quòd aluum subducat, partes quoque leniat, & laxet. Huius naturæ est manna, iure pulli, aut decocto maluarum liquata, sed peculiari dote ea opera cassiæ fistulæ tribuimus, maximè si oleo amygdalarum dulcium extrahatur, vel si ipsa assumpta olei ipsius ℥. 2. superbibat laborans: idem beneficium præstant catholicon, & syrupus violarum ex infusionibus, cum aqua decoctionis seminis maluarum. Cæterum si vrgentior fuerit dolor, quā quòd D liceat topica auxilia differre, à vomitu initium curationis facies, & postea iniecto clysmate, ad ea quæ mox referam, te conferes: hoc vno semper obseruato, quòd si doloris sæuitia inducias præstiterit expectandi, satius longè est à prædicta purgatione initium sumere. At si constiterit sanguinem, vel redundare, vel inflammatione periclitari, siue à febre, siue à calidorum vsu, mox à sanguinis detractione (quæ etiam in vrgentia doloris præsentaneum existit præsidium) incipiendum erit. Et licet ambiguum sit apud authores ex quo loco fieri debeat, siquidem nunc ex brachio, nunc ex talo fieri debere, scriptum apud Gal. & plerosque reperitur, nos iam id dubium absoluimus in consilio capitis de sanguinis missione lib. de recto præsidiorum vsu: nimirum brachij venam esse tundendam, si plenitudo in toto corpore subsit: verùm si iam dolore, aut calore ad partes affectas prolapsa sit plenitudo, ex talo sanguis mitti debet: tum quòd commodiùs eo loco deriuetur, tum etiam quia sanguine ex ea parte extracto, patentiores, & laxiores efficiuntur viæ, per quas iturus est lapis, & ob id sine dolore prolabatur. Cuius forsan indicationis gratia, censeo Hippoc. dixisse corpus esse purgandum, & venam tali incidendam. Cum hoc tamen, dolorum, qui plurimum vires infirmant, gratia, minus sanguinis extrahere opus erit, quàm affectionem, & plenitudinem postulare constiterit. His factis, & interim dum fiunt, clysmatis primò vti oportet, q. ℞. *decoctū maluarum, violarum, althææ, caricarum, ac furfuris, cui addes olei amygdalarum dulcium, anethi, aut chamameli, anā* ℥. *1. &* ß. *mellis rosati* ℥. *2. pulpa cassiæ noui-*

ter

ter extractæ ʒ. 5. ac, si corpus purgatum non fuerit, *catholici, aut hieræ* ℥. ß. A quo si iterum alio opus sit, eodem vteris, dempta cassia, aut catholico, & addito butyro, vel adipe anserino, maximè si partes renibus proximas incalescere compeniamus, verùm si secus res se habeat, decocto addes fœnumgræcum, & althææ radicem, aut oleum in quo hæc incoxerint. Quòd si constiterit, vel flatus adesse, vel vias pituita infartas, clysteria conficies (à prædictis facto initio) quæ ex calidis, ac modicè flatum discutientibus fiat. Cuius naturæ est, q. ℞. *decoctum chamæmeli, anethi, rutæ, meliloti, fœnigræci, seminis lini, mercurialis, & similium, cui addes, vel vini modicum, vel mellis, item oleum chamæmeli, liliorum, vel amygdalarum dulciũ, & hieræ pieræ* ʒ. 6. Verùm si in animo fuerit dolorē magis sedare, ipsum conficies ex solo butyro, oleo amygdalarum dulcium, axungia gallinæ, & anatis, vel ex iure pingui cum saccharo, & vitellis ouorum: præualente tamen renum incendio, ex hordei decocto cum cremore quatuor seminum frigidorum maiorum. At cùm in animo est lapidem etiam frangere, mouere, aut ad motum concitare, decoctis prædictis addes ea, quæ præter id quòd vias actuali calore dilatent, & tunicas emolliendo laxent, vim quoque habeant aperiendi, & comminuendi quod impactum in vijs præfuerit. Huius naturæ est melissophyllum, pentaphyllon, daucus, ruta, radix acori, petroselinum, ac radices, & semen eius, & fœniculi, quibus etiam *adde lithontribon* ʒ. 3. cum modico vino.

Hanc insuper viarum apertionem, & laxitatem, præter clysmata, exequuntur fomenta, linimenta, emplastra, & omne insuper appositorum genus. Primò itaque à purgatione, sanguinis detractione, vel saltem à clysmate, partem dolore affectam (siue renes sint, siue vreteres) fouebis vesicis oleo dulci plenis, vel quouis alio ex prædictis, vel decocto ex vino, aut aqua chamæmeli, meliloti, maluatum, violatum, anethi, radicis althææ, fœnigræci, parietariæ, & reliquarum herbarum, quarum sæpius hoc capite meminimus. Oleũ etiam mirabilis efficaciæ efficies, & potes seplasiarijs iubere confectum huic vsui seruare, si acceperis oleum chamæmelinum, & fictili vase conclusis, & admixtis floribus genistæ, vas fideliter clausum stercorario fimo recondatur, ac relinquatur aliquot dies feruere, quo renes, perinæum, & vreteres inungantur. Et rursus in omnibus inunctionibus, & fomentis eandem adseruabis vtendi rationem, ac in clysmatis, addens paulatim quæ magis emolliunt, quæ discutiunt, quæ calfaciendo dilatant, prout laborantis, & mali indigentia postulauerint. Sic etiam fomenta cum spongia parare poteris, vel filtro, addito vino, mucagine psyllij, althææ, fœnugræci, vel oleo, aut lacte. Præterea renes, vel vreteres inunges oleo amygdalarum dulcium, sesamino, butyro, axungia, vel vnguento ex eisdem facto, aut addita mucagine althææ, seminis lini, & fœnugræci, dum necessitas leniendi, & humectandi partes vrget. Verùm si calfaciendo partes dilatare opus fuerit, his addes, aut solis vteris oleo chamæmeli, anethi, baccarum lauri, rutæ, iridis, & liliorum alborum: quem quoque vsum præstat oleum superiùs adductum, è floribus genistæ, & oleo chamæmeli sub stercore ferue factum. Verùm si fixiùs calfacere (quo partes magis aperiantur) opus fuerit, emplastris vteris ex prædictis oleis cum ouis frixis, & telis araneorum, cumino, & dauco, si flatus quoque discutere fuerit opus: vel ex eisdem oleis, & decocto prædictarum herbarum, maximè parietariæ, milij solis, squillæ, cœpæ, aut sisymbrij, & cum prædictarũ herbarum, pulueribus emplastrum conficies. Mirabilis efficaciæ, etiam ad doloris inclementiam mitigandi efficies ex mucagine fœnugræci, seminis lini, & althææ, cum parietaria, & malua coctis, & pistatis, addita modica seminis lini farina. Præterea si vias am-

A pliùs dilatare, ac tenuare quod in ipsis continetur, in animo fuerit, vti oportet oleo croci, scorpionum, vel amygdalarum dulcium, in quo crocus ferbuerit, aut semen angelicæ, cœpa, sisymbrium, squilla, parietaria, daucus, radix acori, petroselini, fœniculi, & similium. Motum autem celeriorem efficies, siue lapis sit, siue pituita crassa, cucurbita supra vreterum regionē adhibita: quod si bis die feceris, præterquam quod flatus discutit, ea ratione mirum in modum dolorem compescit. Eundem vsum præstat equitatio, motus, cursus, vel partis dolentis frictio cùm oleo croci facta. Pari prorsus ratione balnea aquæ dulcis, aut olei, & motum accelerant, & vias laxant, dolorem leniũt, & omne beneficium præstant.

B Quòd si his omnibus factis, adhuc perstiterit dolor, coniectandum est, aut lapidem maioris esse quantitatis, quàm quòd permeare possit per angustos vreterum poros, vel impactum fixumque alicui parti extitere. Quapropter ad ea quæ lapidem comminuunt, & per interna vias dilatare nata sunt, deueniendum esse consulit vrgentiæ ratio. Sic fidissimo experimento compertum est prodesse ʒ. 1. *lithontribon cum vino, vel aqua graminis, aut quouis alio decocto.* Præstat & *sanguis hircinus autumno extractus, ac sole exsiccatus, cuius* ʒ. 1. *ex aqua liquiritiæ prodest*: ex vsu quoque est à balneo renes, & pubem inungere, etiam à fomēto. Idem beneficium præstat *lapidis iudaici* ʒ. 1. ex omnium authorum decreto, licet Galen. lib. de ren.

C affect. duplicem eius sortem constituerit, marem nimirum, & fœminam, quo constat librum illum spurium esse: nam 9. simplicium solùm vnum genus huius lapidis constituit, cuius vsus maioris est momenti *cum oxymelite, aut aqua liquiritiæ*. Paratur etiam puluisculus non mediocris momenti ex radicibus petroselini, saxifragiæ, & pellis leporinæ crematæ. Sic & solus puluis leporis integri cremati cum croco in vase fictili: nec non & renes eiusdem siccati, & in puluerem redacti vino exhibiti. Item cinis vngulæ equi, plumarum columbæ, testæ cochlearum, cancrorum, vermium terrestrium, asellorum, passerculi quem caudam tremulam vocant, stercus murium in aceto tritum, lapis vesicæ hominis, aut repertus in vesicis, vel

D felle porci, hirci, vel vaccæ, puluis lapidis spongiæ, cinis corticum ouorum, ossium mespilorum, corticum auellanarum: puluis pullorum hirundinum combustorum, vesicæ apri cum vrina exsiccatæ, cornu cerui præparati, aut foliorum mori: *quorum omnium* ʒ. 1. *satis esse solet.* Stercus item columbinum mixtum cinnamomo, & ʒ. 1. *theriacæ magnæ cum syrupo de duabus radicibus*: valet & vinum feruefactum cum radice graminis, pentaphylli, semine maluæ syluestris, cinnamomo, polio, croco, quinque radicibus, corticibus cyperi, brusco, apio, raphano, cortice capparis, saxifragia, vrtica, chamepity, milio solis, nucleis cerasorum, amygdalarum dulcium, vel persicorum. Sed ex his omnibus varia etiam effingere poteris quę

E magni solent esse momenti: quale est illud, q. ℞. *decoctum sabinæ cum aqua graminis, aut pulueris eiusdem sabinæ* ℈. ß. *cum eadem aqua*: item aliud, q. ℞. *cineris leporis combusti, lapidis iudaici, spongiæ, sanguinis hirci, acori, pulueris seminis petroselini, & seminis althææ ana partes æquales, & cum melle fiat electuarium, cuius* ʒ. 1. *& ß. porrigere poteris.* Conficies item alia, q. ℞. *cassiæ ligneæ* ʒ. 2. *seminis apij* ʒ. 3. *myrrhæ* ℥. 1. *olibani* ʒ. 3. *lapidis iudaici* ʒ. 1. *seminis pastinacæ, piperis, & anisi, anà* ʒ. 2. *spicæ nardi* ʒ. 1. *& ß. amygdalarum amararum* ʒ. 3. *asari, & pulueris ireos, anà* ʒ. 1. *seminis papaueris albi, & seminis cyperi, anà* ℈. 4. *mellis quod sufficiat, fiat opiata.* Sed satius mihi semper visum fuit *trochiscorum de alKeKengi* ʒ. 1. *porrigere*, vel cum lithontribon, aut theriaca magna aliquem ex prædictis pulueribus admiscere, & vino, aut aqua seminis maluarum, & liquiritiæ dissoluere, vel in forma boli præbere.

re. Verùm in his & similibus administrandis, cautè te geras oportet, ne calculosos calidis lædas magis, sed per longiora interualla eis vteris, & alijs admiscebis, licèt fœmineis corporibus licentiosiùs præbere possis. Alia etiam huic vsui proficua & magni momenti capite sequenti reperies.

Sed si adhuc perstet doloris incleméntia, ad ea quæ dolorem sedant, deueniendum esse consulit doloris vrgentia: quæ sanè præter ea quæ vias laxare, dilatare, ac lenire posse dictum est, quæ etiam suo modo dolorem sedant, intus & extra adhibenda sunt. Exteriùs quidem vnguentum, q. ℞. *olei amygdalarum dulcium, scorpionum, & axungiæ gallinæ, anseris, & anatis, ana* ℥. ß. *philonij Romani* ʒ. 3. *ceræ parum.* Aliud etiam parabis, q. ℞. *vnguenti aragon* ℥. 1. *& ß. mucilaginis althææ & seminis psyllij* ℥. 2. *olei chamameli, olei croci, & axungiæ gallinæ, ana* ℥. 1. *opij gr.* 3. *ceræ quod satis.* Item partem inunges oleo de papauere, vel vnguento populeo cum croco; vel id conficies, q. ℞. *opij* ℈. ß. *styracis, croci, myrrhæ, castorei, anà* ʒ. 1. *agitentur cum vino dulci aut ex decoctione maluarum & præbe* ℈. ß. Quod pari pensu parabis hac lege: *excipe liquiritiæ, myrrhæ, stiracis, asari, spicæ celticæ, squinanti, seminis paliuri, halicacabi & bismaluæ, anà* ʒ. 1. *apij, petroselini, rubiæ maioris, anà* ʒ. ß. *opij* ʒ. ß. *croci* ℈. 1. *cum syrupo capillorum veneris, & vino albo, aut aqua vitæ fiat opiata, diu agitando in mortario calido porrige* ℈. 1. Item porriges syrupum papaueris, vel *theriacæ recentis* ʒ. 1. *aut philonij* ʒ. ß. & hæc dormituro exhibebis, vel dum dolor sæuius ingruit. Verùm cùm diu dolores perstant non est minoris efficaciæ (maximè si in sinistra parte ventris dolor adsit, & splen etiam malo consentiat) emplastrum ex vtroque diachylone cum meliloto, & oleo scorpionum, aut capparum.

CAPVT XI.

De lapide vesicæ.

LIcèt euidentissimum sit in eodem affectus genere consistere renum & vesicę calculos, cum hoc tamen, in multis dissidere inter se certissimum esse arbitror. Nam præter locum vbi quisque generatur, etiam dissidium constituere scimus ætates, & corporis status, in quibus generationem sortiuntur: item materia, nec non & modo caloris, atque causis etiam antegressis: quorum omnium, saltem ad præcautionem ediscere prouidentiam conuenit. In primis studendum est scire, cur Galen. 6. popul. parte 3. tex. 15. dixerit, vrinarum crassitiem potissimam esse lapidis vesicæ causam. Namque inquit: Crassitudo multa in vesica collecta, & in vnum coaceruata, si diu ibidem remanserit, concrescendi coagmentadique initium, alio adueniente, capit. Prętetea constat ex neotericorum maiori parte, calorem quoque requiri in vesica, cæterum mediocrem sufficere: & ob id arbitrantur plerunque lapides vesicæ succrescere magis in pueris & senibus, quàm in iuuenibus & ijs qui calore abundant. In quarum sanè causarum assignatione, multa ac magni momenti dubia nobis sese nunc offerunt. Primum quidem, cur in plerisque corporibus adhuc senilibus vrina excernatur crassa, in qua subsidet crassæ pituitæ incredibilis copia, & lapides non fiunt. Secundum, qua nam ratione, quando pueris vna ferè est viuendi ratio, prædictis cruditatibus gignendis apta, & omnibus etiam viget sufficiens calor, cur non fiunt illis omnibus aut pluribus lapides. Tertium, cur non fiunt in eorum renibus calculi, si quidem per ipsos descendit apta materia, & eosdem calore renum pollere est arbitrandú. Quartum, cur ex calculis renum vesicam adeuntibus, non fiat in ipsa lapis, quinimo protinus ejciatur quantumuis magnus sit, & paruus lapillus in vesica genitus adeo tenaciter ibidem adhęreat, quòd in immedicabilem molem succrescat.

Primum dubium. Circa primum experimento quotidiano compertimus, tam in senibus quàm in pueris frequenter vrinam mingi crassam, & in qua postea pituitosum colligitur sedimentum, idque copiosum, & cum hoc lapides non gigni. Cuius euentus causam esse arbitramur, humoris crassitiem sine lentore, quo fit vt etiam si vrina diu immorante in vesica crassum colligatur, nihilominus tamen vesicæ expellenti, haud secus quàm vrina, cedit id crassum quod in ea continetur, quia cùm lentore & viscidi tate careat, nullibi adhæret & pronnus excernitur, & ob id non lapidescit. Secundam quidem causam censemus esse, caloris vesicæ & vrinæ mediocritatem, quòd solùm nactus sit vrinam ipsam agitare ac mouere, non quidem coquere aut adurere & exsiccare. Quo fit, vt in huiusmodi corporibus, vrina excernatur crassa & turbulenta, signum quidem expulsionis eius quod cum ipsa è toto corpore prolabitur: verùm cùm vrina mingitur tenuis, & cum hoc in ea subsident filamenta quædam crassa ad modum viscidæ pituitæ, coniectabile quidem tunc est tenuem mingi, quòd plurimum crassi intus impactum maneat, haud secus quàm matulæ adhæret illud quod excernitur, quamuis paucum sit, & in matula corticem generat solutu difficilem: ex quo coniectabile est aliquid in vesica manere, quod impactum duritiem etiam contrahat, ac forsan longè maiorem.

Secũdum dubium. Secunda dubitatio quærit, cur plerisque puerorum non fiat lapis in vesica, siquidem ferè omnibus est eadem intempestiua viuendi ratio, & etiam omnibus abundat calidum sufficiens, saltem plus quàm cæteris corporibus. Cuius dubitationis grana expendere oportet, licèt multi neotericorum arbitrati sint parum caloris sufficere ad vesicæ calculum gignédum, euidentissimum esse & rationi philosophicæ consonum, longè maius incendium prærequiri: nam etiam si statutum sit à philosophis omnibus, pariter duritiem fieri à calido, nihilominus tamen eo maiori opus est calore, vbi ab ipso & non a frigido debet fieri lapis, quo in frigidiori loco & frigidior præfuerit materia ipsa. Nam si resolutione tenuis substantiæ durities contrahenda est, quo maior fuerit calor, eo longe maior fiet soliditas & durities, materia ob visciditatem renitente omnimodæ resolutioni, sed ea potissimùm causa fieri debet homine existente viuo, & non concretione à frigido, ergo necessariò maiorem mediocri prærequirit calorem. Diximus enim lib. 2. de recto præs. vsu. capit. de emollit. induratorum, varias esse sortes & differentias, inter quas potissimæ sunt, quæ à calido resoluente, & à frigido indurante succrescunt: sed earum, quæ à frigido fiunt, duplex est conditio, vna cùm frigiditas condensans intrinseca est rei condensatæ, in qua licèt calor principium mixtione media præstet, frigidum tamen vltimam in indurando adhibet manum, vt metallis omnibus contingit, quo fit vt à calido liquari possint, quia ab eo principium traxerunt, verùm semoto calido protinus indurantur ab intrinseco principio. Quod sanè lapidibus non accidit, qui solùm fiunt à frigido intrinseco & extrinseco, & ob id non liquantur, nisi forsan ab humido tenui, quod frigidum externum comprimendo extraxerat. Secundo modo à frigido indurantur multa, cæterum externo, idque duobus modis; vno coacta & condensata propria rei quę concrescit humiditate, vt in gelu & grandine contingit, quo fit vt à calido protinus liquescant: alio verò à frigido externo exprimente humidum, vt in lapidibus contingit. Quibus præmissis, non erit difficile credere, vesicæ lapidem à nulla prædictarum frigiditatú posse concrescere, licèt in corpore à frigido fieri possint duri ac scirrhosi tumores, dú Medicus in-

inflammationibus adhibet indiscretè & proteruè quæ refrigerandi & comprimendi vires habent. Verùm iu vesica vbi nulla præcesserunt auxilia impensè refrigerantia, credibile non est, posse lapides à frigido externo concrescere, neq; ab interno, nam partes viuentis hominis tanto pollent calore, quantumuis natura frigidæ sint, vt non capiat intellectus id lege vlla posse fieri: nam priùs vesica corrugaretur frigiditate, & lapides laminosi non fierent, sed veluti in rebus externis integri & vnius compagis, sed cùm nihil horum accidat, credibilius videtur, laminas illas & lapides omnes in vesica genitos, à calore fieri potiùs quàm à frigore. Præter quam quòd ratio in promptu euidentissima est, quia nusquam calore liquescũt nec emolliuntur: quo fit vt frigidum siccum non fuerit eorum causa, sed calidum siccans, nam aqua potiùs emollescunt. Item vniformis & fidissimus euentus id efficaciùs attestatur, namque non semper, neque in omnibus pueris aut senibus, quantumuis frigidi existant, & frigidis abundent succis, lapides reperiuntur, sed in quibusdam: ijs nimirum, quibus in vesica & intestinis ac vicinis partibus calor præter naturam succrescit non mediocris. Quinimo arbitror, ardorem vrinæ, pruritum & reliquos vesicæ affectus, in quibus calorem pollere comperimus, certissimum esse præludium & potissimam causam generationis lapidum vesicæ: sic enim ex vrinæ ardore in hæc mala plerumque laborantes commigrare, certissimum haberi debet, vt in causarum tractatione expressissimis authorum verbis constabit euidentiùs. Præterquam quòd vbi crassa adest pituita in loco frigido, calor natiuus fundere & liquare solùm potens existit, ad concretionem verò & resolutionem, maiori opus est: & ob id sapientissimus ille Hippocrat. (& id etiam Medici omnes, quamuis mordicus & inuiti adstruunt) non vt ij obscuris verbis & pusillum constituentes calorem, sed clara oratione cum ingenti calore id fieri statuit. Sic enim Hippocrat. lib. de locis, aere, & aqua scriptum reliquit: *Quorum quidem aluus satis fluida est ac sana, & vesica non ardens, neque stomachus vesicę valde coardescit, ij facilè vrinam eiciũt, & in vesica nihil ipsis congregatur: quorum verò aluus ardens ac feruida fuerit, iu his necesse est etiam vesicam idem perpeti, cùm enim magis quam pro natura fuerit calfacta, stomachus ipsius inflammatur. Vbi verò hæc perpetitur, vrinam non dimittit, sed in seipsam concoquit & adurit, & quod quidem tenuissimum in ipsa est, excernitur, & quod purissimum est transit & emingitur: quod verò crassissimum ac turbidissimum est, coaceruatur & concrescit, primum quidem parum, deinde maius fit. Dum enim voluitur ab vrina, quicquid crassum compactum fuerit ad seipsum adaptat atque sic augescit & in tophum concrescit: & cùm vrinam emittit ad vesicæ stomachum allabitur ab vrina impulsum, & vrinæ emissionem impedit, & dolorem vehementem exhibet.* Quibus verbis euidenter cuiuis constare arbitror, ex calido intenso & efficaci necessariò fieri horum lapidum generationem. Item reddens dictorum causas paulò inferiùs interdicit pueris lac biliosum ac feruidum, & vinum: & subdens rationem inquit: *Ventrem enim percalfacit & vesicam, quare vrina dum aduritur, hæc patitur.* Consimilem sententiam adduxerat idem author libro de natura humana, dicens: *Quibuscunque verò eadem serosi humoris species in vesicam proruperit, à loci caliditate, calida & alba fit, & segregatur: & quod quidem rarissimum est, superstat, crassissimum verò infra mergitur. Fiunt autem & calculi pueris propter huius loci caliditatem, itemque totius corporis: viris autem calculi non generantur propter corporis frigiditatem.* Qua item sententia euidenter constat dubij propositi veritas, non sat esse calorem puerorum ad gignendos lapides, quantumuis cruditatibus abundent, sed opus esse addito & exu-

A rente. Verùm si quis dubitauerit, vnde nam pueris lactantibus succrescat is calor, expendat id Hippocr. docuisse lib. 4. de morbis dicentem, non solùm ex lacte, dum pituita nutrix abundat, prouenire, sed etiam ab eodem lacte causam efficientem prodire: quippe inquit: *Et puer si à nutrice lac non purum suxerit, sed biliosum velut dixi, morbosus fit ac debilis, & in præsens maximè affligitur, quamdiu lac prauum ac morbosum suxerit.* Qua sententia duo constant, primum non necessum esse, pueros interim dum lac sugunt, calculo laborare, sat enim est morbosam vitam agere: secundum, ab ea ætate & alimento morbosum contraxisse calidum quoque apparatum in vesica, quo postea vtens crassiori cibo & intemperantiori B vitæ modo, in calculorum generationem commigrare: quippe is calor additus natiuo in hæc mala prorumpit. Senibus autem succrescit idem affectus, quia vtraque causa copiosè abundant, materia nimirum crassa, & calore acquisito ex vini vbertate, quo in subsidium inclinantis & frigidæ ætatis vtuntur. Quibus exactè consideratis, constat ratio, quare non omnibus pueris, neque senibus, semper lapides succrescunt, sed his, cùm vino & calidis vtuntur cibarijs, quibus prædictas partes incalescere est æquum, ac ex crudis succis lapides fieri: illis verò, quia licèt calore abundent, non tamen semper est vltra medium, habito respectu suæ naturæ & ætatis. Quapropter statuendum est, calculum fieri plerumque & maximè C (possit ne fieri aliter, tertium dubium absoluet) cùm materia multa crassa ac terrea cum lentore cogitur in vnum in vesica: nam primum ad quantitatem ciceris aut fabæ conglobatur, cuius pars intima concrescit, & quoniam eijci non potest, quia quamcumque partem tetigerit, ibidem adhærescit ac fixa manet, tandem calore intensiore naturali parte tenui consumpta in lapillum concrescit, & sic alia lamina suscepta, maior indies maior efficitur: quo fit, vt hi lapides margaritarum more corticibus constent.

Tertium dubium. Quæritur tertium dubium, cur in puerorũ renibus, nunquam aut ratò calculos fieri contingat, quantumuis maiori polleant calore quàm vesica, & idem met crassus succus per ipsos ad vesicam dilabatur. D Cuius dubij occasione statuendum est, quòd licèt ex materia crassa calculos fieri conspiciamus, illud tamen fit ob loci siccitatem, aut ob vehementiam caloris humidum resoluentis. Præterea crassa materia in pueris diuersa est à senum crassa materia: quippe hæc crassa est pituita viscida & cruda: illa verò quæ in pueris uisitur, licèt cruda sit, non tamen est adeo crassæ substantiæ, sed crassitudinem comparat potiùs ob copiam, quàm ob peculiarem conditionem. Quo fit, ut cùm hæc in uesicam descenderit, dicto modo concrescat, quia copiosior existit & calor intensus: at cùm in renibus tanta colligi non possit ob loci angustiam, & parua à calore fusa protinus dilabatur excatque à renibus, ob id quiE dem in eis rarò aut nunquam lapides generari possunt. In senibus uerò in renibus & uesica facilè lapides gigni conspicimus: nam cùm latiores sint meatus in renibus, ita ut plus crassæ materiæ contineant, & materia uiscida & crassa ex natura, atque calor siccior, ob id facilè utrobique generari possunt, quia diutiùs maior copia ibidem immoratur crassæ ac uiscidæ pituitæ.

Quartum dubium. Inuestigat quartum dubium, qui fieri possit, quòd calculo renum grandiori in uesicam conscendente, non ibidem moretur & fiat uesicæ lapis, cùm ex minori in uesica genito frequenter fiat. Cuius dubitationis gratia scito, scriptum esse apud uarios authores, calculum uarijs modis in uesica posse gigni: uerum qua lege intelligendum sit, non esse scriptum. Quippe generari trifariam referunt: uno modo ex arena concreta condensataque, haud secus q̃ tophus,

nullis

nullis laminis intertexta, sed in vnum congregatis, & veluti leui glutino aceruatis arenulis, ex quibus media quædam substantia fit inter sal, & lapidem: nam sal nunquam lapidescit, quoniam humidum potentia est vt glacies, & ob id a b aqua liquescit: tophus verò tardiùs: lapis autem, qualis qui verè & propriè in vesica generatur, nunquam. Secundò verò gignitur ex lapide iam concreto in renibus, idque longè rariùs, vt meo, & multorum iudicio suspensis probaui, quoniam vesica illum, (ni alia succrescat causa, quæ eum coerceat, & conglutinet) cum vrina, statim expellit, eò quòd naturam molestet, quæ ob id immotarieum nō sinat, sed protinus pellere studeat. Cui opera accedit, quòd cùm renum calculus nudus sit, nullo glutine obductus, adeo vesicam contactu vexat, vt diu non possit retineri, & ob id non augeri. Nam cū neque calculi, neque arenæ, alicui vesicæ parti adhæreant, sed cum vrina vageatur, fit facilè vt cum illa pariter excernantur, nisi pariter in vesica affectus, & apparatus calculis etiam gignendis idoneus existat: nam eo tempore mirum non est, si ibidem adhæscens viscidæ pituitæ consortio vestiatur, coerceaturque detineatur, & augmentum suscipiat, ac vrinā cohibeat: & id quàm rarissimum est, quia maior pituitæ crassæ copia in renibus detinetur effectura calculos, & ob id non semper in vrina adeo copiosa est, quæ vtrisque sufficiat. Qui verò calculi in vesica oriuntur, & tertium modum constituunt, ex fæce vrinæ generantur, cum membra naturalia imbecilla fuerint, velut in pueris, & senibus, tunc materia illa crassa simul cogitur, & paulatim durescit calore vrinæ ipsius, aut vesicæ, vel vicinarum partium. In quo loco genitus ob id, & quia paruus est à principio, molestiā non infert, ac ex consequenti non pellitur (vt renum calculi, & arenulæ) donec maiorem magnitudinem nactus à vesica separetur (quippe dum gignitur plerunq; adeo tenaci vinculo ipsi adhæret, vt donec præ ponderosa magnitudine, & vrinæ copia separetur, vrinæ exitum non impediat) & postea subitò vrinam supprimat: quo conijciendum est, ex vna solùm vrinæ suppressio ne, lapidem esse, & non mediocris magnitudinis, quā tumuis antea nullum eius præfuerit vestigium. Nam licet sensim gignatur, & corticibus constet imperceptibili generatione factis, confertim tamen, subitò, & sensibiliter, vrina suppressa sui notitiam præstat, quia contingit separari, & ad os vesicæ protinus adire. Itaque quia rarò ex renum lapillo in vesica cōcrescere maiorem comperimus, ob id tantum duos generationis modos constituimus.

Lapidis vesicæ causæ. Breuiter institui causarum lapidis vesicæ tractatio nem dirimere, cùm non leuis earum pars, cum his, quas renum calculos posse efficere diximus, communionem habeat. Dimitto quidem materiam, & efficientem causam, nam satis de eis me dixisse arbitror: solum verò ad eas me conferam, quas pro præcautione lapidis vesicæ scitu necessarias fore sum arbitratus. Quas sanè vnanimi omnium authorum cōsensu, esse eas nemo negabit, quæ succum crassum gignere sunt natæ, vt ex Galen. constat 14. meth. Sed specialiùs eas exprimit lib. de renum affect. dicens: *Ea verò ex quibus generantur calculi, sunt permixtio in cibo, & intromissio cibi super residuum cibi, & labor post cibū.* Adhuc tamen specialiùs eas exprimit lib. de cibis boni, & mali succi, dicens, calculos solum gignere edulia crassa, crassosque succos, maximè cum homines calidiores plus iusto fuerint: sed ex eodem lib. cōstat, vinum rubrum, & casei copiam, & lacticinia omnia, tandem ea quę in mari gignuntur, siue falsa, siue secus sint. Sed ne tempus in recensendis his cōteramus, statuendum est, quotidiano euentu comprobatum esse, eò miseriæ in vitæ luxu, & praua victus institutione esse deuentum, & vt non solum pueris, & senibus (vt antiquitus scriptum erat) sed & iuuenibus, & omni bo-minum sorti, & ætati: idq; non solum ex lactis, & casei vsu, vel alimentorum crassorum, sed ob intempo- ramentum etiam, & frequentes cruditates, adhuc ex boni succi cibarijs calculi prouenıant. Quod insinuat Gal. lib. de ren. affect. dicens. *Satietates, & cruditates hunc morbum non solum exacerbant, sed etiā pariunt vbi nullus erat: quapropter nihil feruens est ingerendum, quod renes, & vesicā possit calfacere:* & paulò inferius subdit: *Maximè autē ad succi mali morborum que generationē facit cruditas assidua, siue ea boni, siue mali succi cibos sequatur:* & iterū eadem parte refert degenerare in articulares, & calculosos affectus. Cęterū licet hæ cruditates materiā suppeditent, tamen speciali ori conditione tenentur insigniri, si futuræ sunt materia lapidum: inquit enim Gal. lib. 3. de alimentorum facult. c. 17. *vbi succorum crassities cum ardenti calore iungitur, calculi generantur:* & eodem lib. *Calculos (inquit) solent gignere edulia crassa, crassi succi, maximè cùm homines calidiores iusto fuerint, siue ob naturalem intemperiem, siue ob alium quendam affectum ipsis postea innatum, non tamen pro caloris modo meatuum transitus latos habeant:* & sic libro 5. de sanit. tuend. dixerat: *Calculos in calidioribus generant cibi crassi succi.* Itaque in summa quatuor necessariò requiruntur causæ calculorum generatrices: materiæ crassæ viscidıtas, siue ab hoc, siue ab illo alimēto prodeat: viarum strictura, & coarctatio: expellentis facultatis impotentia: & vltimò excessiua illarum partium caliditas. Quas omnes diligenter considerare oportebit, vt iuxta omnium indigentiam, & conditionem, præcautionem, & curationem huic affectioni necessariam instituamus.

Signa. Tot solent vesicæ succrescere affectionum varietates, tum quæ sensibus à laborante possunt percipi, tum quæ ad modum excernendi vrinam pertinent, quòd difficillimum videatur, obscurum, & maximè abditum discernere, à qua nam causa oriatur earum qualibet dum apparet, cùm ferè simillima sortiantur signa, & omnes ab vna causa prodeant, aut variæ causæ ad vnius generationem concurrere soleāt, ita vt perdifficile sit distinguere, vtra earum in affectum concurrat. Referam tamen quæ frequenti experimento certiora esse comperimus, & probata sunt fidissimo authorum omnium decreto: sed primò distinguam quæ ambigua sunt: nam licet omnia in quouis affectu reperiantur, non tamen omnia eodem modo, & ordine, sed quædam ab initio vnius visuntur, quæ in alio affectu non nisi in fine, & alia pariter vario modo. Verùm in lapide dignoscendo, statuendum est, quædam esse signa quæ ipsum futurum ostendunt: alia quæ incipientem: nonnulla quæ crescentem: & alia quæ perfectum. Sic profectò vrina crassa præludium est futuri lapidis: arenosa signum incipientis: alba & perspicua facta: cruenta mucoribus plena iam adulti: suppressa grandioris: cum renesino, & doloribus, longè maioris, ac exulcerantis iam vesicam, ita vt recto intestino communis fiat affectio. Sed qualiter vnumquodque id valeat monstrare, iam audies. Inquit enim Hippocrat. 4. aphorismorum 79. *Quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo:* quod sanè signum tam est incertum, & infidum, vt nullum aliud incertius reperiri possit. Præsertim cum idem author lib. de internis affect. renum calculum monstrare copiosam arenam cum vrina excretam referat: quinimo eadē parte taxat antiquos, qui ex arenulis venātur magis calculum vesicæ, quàm renū. Prætereà experimento fidissimo constat, plerosque eorū qui calculum patiuntur, non emittere arenas, aut eorum qui arenas mittunt, neque renum, neque vesicæ calculo laborare. Sed dimissa varietate hunc locum exponentium, veram arbitrandum est fieri sententiam, si aliquid illi additum sit, quod necessariò deesse constat: nam

nam is est Hippocr. loquendi laconicus modus, quo in aphorismis plerunque vtitur. Id quidem est, verum esse aphorismi sensum, dum arenosa hæc & subsistūt & frequenter subsistunt. Cuius doctrinæ gratia duo expendisse oportet; vnum quidem arenosum sedimē non solùm in vesica posse gigni, sed in renibus, & in iecore, & venis, cęterum distingui, quòd iecoris, & venarum arenulæ (ex sanguinis adustione ibidem facta, aliquando per sanitatem ex calido iecore, aliquādo in morbis, flauiores, & auricolores, vt non rarò in declinatione febrium ardentium ex sanguine contingere scimus) subtiliores sint, & flaui coloris raròque aut nunquam subsideant, sed cum vrina innatent sedimento immersæ, aut matulæ adhærescentes. Item, quæ ex renibus prodeunt, plerumque subsidēt, licet aliquando innatent, & cum hoc crassiores existunt, & inæquales, omnes tamen flaui, & rubri coloris magis, quàm cinericij, aut subalbidi. At quæ ex vesica decidunt, crassiores, albidiores, inæquales, & in fundo matulæ residentes visuntur: quo fit vt ipsis hac lege visis, certissimum sit lapidis indicium. Reliquum verò quod consideratione dignum existit in earum excretione est, prædictas arenulas semper debere subsistere, non per interualla, vt in reliquis quas mox memorauimus: sic enim verbum illud præsentis temporis (subsistunt) ostendit, non quidem aliquādo: præterquam quòd renum arena, arena quidem est, non arenosum sedimentum. Differunt profectò non parum arena, & sabulosum sedimen: quippe hoc constituitur non ex arenulis, sed ex frustulis, ac laminis, & pannis portiunculis semipituitosis, & iam ferè concretis, quæ ex lapidibus excidunt ob frequentes motus, & longè magis cùm lapis vnus non est, sed varij existunt. Huius veritatis probatio est, exhibitio eorum quæ calculum minuunt: nam ab assumptione (maximè si vel equitando, vel quouis alio modo se exercuerit laborans) maiorem prædicti sedimenti arenosi copiam comperies, indicium quidem lapidis ibidem existēntis: qui si durus fuerit, laminosa aderit subsidentia: si tophaceus, lapidum frusta apparebunt: quòd si nil horum adsit, lapis proculdubio non est.

Aliud profectò signum non minoris dubitationis est, vrinam aliquando apparere tenuem, & perspicuā, quod omnino prædicto opponitur, cum antea dictū sit hunc affectum fieri in his qui vrinam mingunt albam, & crassam. Sed dirimitur controuersia, quia dū lapis gigni debet, mirum non est si vrina crassa mingatur: quinimo ex crassitie eius quod remansit in vesica, lapis futurus prædici potest. At cùm iam genitus sit, crassum lapidi adhæret, & vrina mingitur clara: item calore quod crassum est concrescit, & vrina ipsa ob cruditatem talis excernitur, nam fatigata lapidis consortio natura, nequit vrinam coquere, ac mutare, sed qualis in vesica suscipitur, separata parte crassa, mox excernitur. Præterquam quòd ob irritamentum, quam paucissimum ibidem immoratur.

Aliud insuper est signum, quod diuersas solet designare vesicę affectiones, nimirum pituitosum sedimētum, nam id non solùm lapidis generationem attestatur, sed & defluxum à toto, vel capite, aut ventriculo, quod sanè citra lapidis concretionem frequenter prodire conspicimus, corpore sese per vrinam expurgante. Verùm cùm vesica calore immodico affecta est, pituitam allicit, & aliunde transmissam recipit, & receptam exurit, ac facilè in lapideam substantiā vertit, quod ex hoc excremento venaberis alijs signis adiunctis: quod monstrat adhuc clariùs, dum excernitur cum difficultate, & ardore, maximè si aliquando appareat, ac nonnunquam delitescat.

Sed missis his signis quæ ambigua sunt, ex pluribus in vnum simul collectis certitudinem capessere oportet, vt Hippoc. statuit 4. de morbis, dicens. *Cæterum morbus signa quinque habet, nam vbi meiere vult, dolo-* A *rem habet, & vrina plurimum fluit, velut in vrina stillicidio, & est subcruenta, nimirum vesica à lapide exulcerata, & vesica inflammata est, verum hoc signum inconspicuum est, indicat autem summa pars præputij: quandoque mingit arenosa.* Adducit etiam alia signa pariter simul iuncta lib. de locis, aqua, & aere dicens. *Quare pueri* (quia frequenter ijs accidere scripserat) *calculosi fricant, ac trahunt pudenda, videtur enim ipsis causa mictionis de loco esse: signa autem sunt in his qui hæc ipsa patiuntur, vrinam splendidissimam calculosi mingunt, ad similitudinem seri, eo quòd id quod est crassissimum, ac biliosissimum isthic manet, & coaceruatur, ac concrescit.* Sed Galen. lib. attributo de Dinamidis, alia etiam colligit dicens: *In vesica qui nascitur* B *calculus sequentia habet signa, pleni videntur, & cibo saturi, frequentes sentiuntur inflammationes ventris, & strepitus, videnturque oscitare, neque oscitant, sed totum os diducunt: sequitur totius corporis stupor, somnus grauis, vrina liuida fit, & vix egreditur, intumescunt etiam pudenda, & inde calculi fiunt:* quæ sanè signa recensere studui, quòd ex his aliqua quibusdam proficua, alijs alia fore arbitratus sim. Verùm in summa in huiusmodi affecta, vrinæ apparent crudæ, & subalbidæ, sedimentum arenosum, aut squammosum, vrinæ stillicidium adest, & ad vrinam reddendam frequenter impelluntur, & aliquando vrina repente supprimitur. Rasis autem, & alij ex veteribus, tanquam euidentissimum adstruxerunt C esse huius mali signum, laborantes dum meiere student, aut dolore vexari, aut ad erectionem membri excitati, forsan ob consensum partis, quæ veluti titillatur lapide, cum extremo membri, seu capite eius, & ob id, ea pars semper condolentia afficitur, vel simul erigendi cupiditate tentatur. Præterquam quòd ponderis sensu in vesicæ regione, frequenter premuntur sic affecti, & nullibi quiescere possunt, sed moueri, & crura alternatim mouere coguntur, quod solet esse non minus certum quàm candens signum. Præter hęc omnia vtilissimum quoque est, vel digito per anum immisso, ipsum lapidem tactu perquirere, vel immissa per pudendum candela cerea, aut cathetere ipsummet explorare: haud difficile e- D nim ijs probationibus tibi erit nosse, sit ne lapis an secus, si diligenter examines. Nec minoris probationis est, dum vrina suppressa existit, laborantem supinum ponere, cruribus eleuatis, atque ipsum concutere: quòd si tunc vrinam reddat, signum est calculo fuisse obstructam: quod eleganti quadam sententia dixerat Hippoc. lib. de Coacis præ. tex. 51. sic dicens: *Calculosi ita figurati vt ne lapis in meatum vrinarium procedat facilè meiunt:* quibus verbis, & præsidium, & signum scripsisse constat.

Præsagiū — Miserabile profectò malum, quod neque curatum neque citra curationem periculo caret. Cum hoc tamen ex his qui eo affecti sunt, non curati citiùs pereunt: curati verò licet citius aliquando intereant, eua- E dunt tamen nonnunquam (quia satius est aliquod experiri auxilium quam nullum) & ex his ij magis qui pueri sunt, & inter reliquos qui viribus constant, & ij etiam qui vel senectutem caducam non agunt, vel prædoloribus, & inedia admodum consumpti non sunt: tandem vsque ad 60. annum non pauci curantur, non tamen omnes tutò aperiuntur, nam perpetuum est quod fieri debet, & cùm nulla alia sit salutis in arte medica via, neque ratio curationis præter apertionem, arbitrandum est non omnes laborantes sanitati posse restitui. Cum hoc tamen licet aliquando alijs auxilijs vti authores consulant, censeo rarò aut nunquam profuisse, apertionem verò vel mortē accelerare, vel Deo Maximo fauente saluberrimū fieri auxilium. Nec minoris momenti est ad certum futuri boni, vel mali præsagium eliciendum, notitia magnitudinis lapidis: quippe qui grandior est, non sine

peri-

periculo extrahitur, conuulsi enim plerunque moriũtur homines. qui longè minor, haud tutò extrahitur, quia vel non apprehenditur, vel apprehensus protinus effugit, aut frangitur, quo fit vt irritum fiat plerũque lethale vulnus. Qui verò mediocris est magnitudinis tutius extrahitur, idque securiùs in euntibus vere & autumno, quàm alijs temporibus: verùm si dolores, ac febres vrgeant, ne laborans languidus efficiatur, ac ineptior ad perferendum scissionis laborẽ, quouis tempore fieri potest, dummodo inclemens æstus, aut gelu non sit, sed cœlo sereno. Nec plurimum immorandum est, sit ne Luna increscens, aut decrescens, si necessitas vrgeat, & periculum sit in mora, ne vel lapis plus iusto crescat, vel laborans languidior fiat, hæc enim periculosiora sunt: verum si omnia, quæ scrupulum sortiuntur, vitari possunt, longè tutius, & vtilius erit.

Curandi ratio. Licet vesicæ lapis idem natura sit affectus cum renum calculo, in curatione tamen, & præseruatione aliquid habet peculiarius: nam præter auxiliorum efficaciam, quæ maior in vesicæ lapide, quam in renũ, prærequiritur, etiam ex occasionibus, & causis aliquid peculiarius elicitur, quod diuersissimum est ab eo, quod in renum calculi curatione requiritur. Itaque in præseruatione, quæ maioris est momenti, maiori diligentia studendum est causas illidere: & si quid generari inceptum est, antequam vel in lapideam duritiem mutetur, vel in magnam succrescat molem, comminuere, abstergere, & à vesica quàm citissimè expellere. In qua re eadem est instituenda victus ratio, & idem vitæ studium, ac eadem prorsus purgandi tum ventriculum, tum corpus vniuersum, tum caput, institutio: cæterum diuerso modo, in hoc quod est genitos calculos comminuere, & abstergere, ita vt hic comminuendi modus, proficuus etiam sit renum calculis, non tamen omnino è contra, licet aliqua vtrique affectioni prosint. Præterea adeo est vtilis, & necessarius, vt etiam in curatione proficuus visus sit, dum duritiem lapis non contraxit immedicabilem. Et ob id in duas potissimas partes dissecare hanc curationem institui: vna quidem præcautionẽ, & curationem nondum concreti lapidis instituet, reliqua verò lapidem iam indutatum respiciet.

Ad primam igitur, quæ præcautioni metæ proficua est accedendo, nihil noui adscribere placet, præter ea quæ capite præcedenti diximus: verùm dum iá aliquid concrescere incipit, præcauere oportet, quo minus in lapideam duritiem migret, sed longè ante id præpedire opus erit. Quod sanè fiet, si præstiteris ea præsidia, quæ lapidem frangere nata esse authores scribunt, antequam ipse in duritiem concrescat solidiorem: nam eo tempore prodesse aliquando comperimus, postea verò ratò aut nunquam. Quapropter si præfatis signis constiterit, materiam in vesica contentam aliquo modo induratari (quod nosces ex ardore vrinæ cum pituitosa excretione) tunc quidem considera, quatuor esse medicamentorum genera quæ lapidem comminuere possunt, vt iuxta maiorem, aut minorem concretionem, & vetustatem hoc, aut illo vtaris. Sic enim si lapis conglutinari cœperit (nam id est primum principium, vt Hippoc. 4. de morbis fatetur dicens: *Glutinum quidem fit, pituita ad fæcem admixta, & primum parua lanugo superstat, deinde quod accedit arenosum fit, glutino fiente pituita)* tunc quidẽ his auxilijs (ex his quæ Gal. 9. phar. loc. annumerat) vtendum est, quibus dissoluto debile, & nondum cõcreto glutine, faciliùs lapis dissoluatur. Quem vsum præstat, inter alia quæ breuitatis gratia prætermitto, *nicotiana Indorum* calidissima herba, ab eisdem *tabaco* appellata, cuius *puluis pondere* ℈. *ß. cum aqua saxifragia exhibitus*, plurimum huic vsui conducit: veluti stillatitia eius aqua, asparagi, & cardui comestibilis, qua mirum in modum quàm plurimos ab huiusmo-

A di malo liberatos vidimus. *Calcitrapa* etiam (cardui genus quoddam) miris laudibus apud populum extollitur, licet nullus antiquorum eius meminerit (præter Rembertum Dodonæum, & Ruellium) cuius indies maiorem agnoscimus in purgandis renibus, & vesica vim, & efficaciam: dum *stillatitius eius liquor sũmo manè pondere duarum vnciarum sumatur*, cũ hoc tamen maiorem in hoc opere præstat efficaciam puluis seminis, aut florum eius. Eiusdem naturæ est puluis centinodij, graminis subtiliter triturati, caulium, fabarum vmbra siccatarum, virgæ aureæ, ac reliquorum quæ renum lapidem frangere antea diximus. Quòd si his exhibitis non profuerit, & cum vrina pituitosius, & laminosum friabileque sedimentum apparuerit, ad secundum genus transeundum est, con-

B stans quidem ex tenuibus partibus, acido sapore, & copiosa humiditate cum calore moderato. Quippè talia in lapide frangendo efficacissima existunt: nam à tenuitate habent vt penetrent densas, & iam concretas lapidis partes: ab aciditate quòd incidant, & disiungant gluten iam iam ferè concretum: à copioso humore, quòd madefaciant, & veluti emolliant quod calore indurari cœperit, egent tamen moderato calore ad penetrationem: nam quæ acriùs calfaciunt, magis excoquunt, & indurant. Cuius generis sunt succus limonum, oxalidis, radicis rubi, betonica ipsa, graminis radix, adianthum, asplenium, smirnij semen, rumicis radix, vitis lachryma, semen maluæ syluestris, radices cannarum, blitu, saxifragiæ, vrticæ,

C amygdalæ amaræ, nuclei cerasorum, persicorum, & alia huius cẽsus. Quem quoque vsum adimplet aqua illa mirabilis stillatione extracta ex cardui folijs, succo limonum, & sacchato, præcedenti capite huic etiã muneri instituta. Tertij verò generis medicamenta ea sunt, quæ impropriè lapides incidere dicuntur: nã abstergendo tantùm atterendoque superficiem, plurimum huic vsui conferunt: talia autem sunt omnia quæ sua asperitate abstergunt, & veluti atterunt, duo enim corpora aspera simul collisa atteruntur inuicem, & comminuuntur. Quem sanè vsum præstant pleraque ex his quæ apud authores reperiuntur, qualia sunt vitrum contritum, lapis spongiæ, lapis lyncis, cinis leporis combusti, cinis corticum ouorum, la-

D pis vesicæ hominis, aut apri, lapis gallorum, cornu cerui, lapis vesicæ fellis bouis, puluis pseudosmaragdi, cinis etiam nocticularum, cicadarum, & cantharidum, licet hæc etiam alia ratione prodesse possint. Quarto loco ea porrigere oportet medicamenta quæ copiosam vrinam prouocent, vt quod ex lapide excussum est, & in arenulas, aut frusta comminutum, inundante multa vrina facilè pellatur: huius naturæ sunt seminum frigidorum maiorum lac, aut ipsa in puluerem cum sacchato cando redacta: quæ sanè præter beneficium prędictum, calorem immodicum lapidum generatorem attemperant, & compescunt, ac vrinam mansuetiorem reddunt. Verùm ne quid huic tractationi deesse videatur, ex his omnibus, aut

E alijs quæ capite præcedenti diximus, aliqua efformare, & componere oportet, quæ vsui probatiora existant, Tale est, q. ℞. *sanguinis hirci præparati* (præparatur primò dum hircus vsus fuerit petroselino, folijs raphani, & alijs huius naturæ) *lapidis iudaici, lapidis vesicæ fellis vaccæ, asari, amygdalarum amararum, seminis cucumeris, bdellij, costi, pulueris virgæ aureæ, singulorum partes æquales, mellis quod sufficiat fiat electuarium*: quibus etiam addi possunt *seminis althææ, & petroselini, anà* ʒ. 2. *si electuarium sit sex vnciarum.* Serapium etiam confici potest, q. ℞. *radicum apij, fœniculi, & petroselini, virgæ aureæ, milij solis, anà m.* 1. *seminum dictarum herbarum, anà* ʒ. 2. *cichorij cum radicibus, scolopendrij, anà manip. ß. contundantur omnia mediocriter, & bulliant in* 6. *lib. aquæ ad medietatem, tandem diuidatur hæc quantitas, & in*

medietate bulliat ʒ. 1. cantharidum sine alis, & capitibus (quibus frequenter in potionibus hac lege vsus est Hippocrat. libr. de internis affectionibus, & de natura muliebri) *quæ priùs in puluerem debent redigi, & transacta prima ebullitione coletur, & adde sacchari libram vnam. Alteri tamen decoctionis medietati adijciatur mellis lib. 1. & bulliant donec fiat syrupus: eius tamen qui cantharides recipit, sumat laborans quarto quoque die ℥. 1. & intermedijs diebus alterius syrupi sumat ℥. 3.* Stillatitia item confici potest aqua, q. ℞. *radicis asparagi, cannarum, saxifragiæ, virgæ aureæ, milij solis, singulorum lib. ß. quibus tantundem foliorum addere oportet aceti squillitici lib. 4. succi limonum lib. 2. vitri vsti lib. ß. polij montani lib. 1. quæ omnia adinuicem pistata, & commixta excepta vase vitreo instillentur, cuius, aut vino, aut aqua decoctionis althææ porrige ℥. 1.* Hæc quidem à me dicta sunt, non quòd existimem lapidem (nec mediocriter durum) aliquo eorum, aut omnibus posse frangi: nã multis iam annis experimento fidissimo obseruaui, & à veteribus, ac probatissimis huius temporis Medicis obseruatum accepi, nullum horum auxiliorum adminiculo sanitati fuisse restitutum. Sed id dictum fuisse arbitrandum est, vt si forsan omnino concretus non est, his conteratur, quod fieri mirum in modum assoler, & etiam ne desit copia auxiliorum ei qui calculi generationem, & principium inhibere studuerit: nam eo vsque possunt aliquid hæc auxilia, non vltra, quantumuis ab imperitis velut certa, & magni momenti habeantur. Interim tamen, narcoticis curabis dolorem sedare: quippe doloribus conteruntur, ac imbecillitantur summopere: Id quidem facies eo, q. ℞. *succi liquiritiæ ℥. ß. myrrhæ, styracis, thuris, mastichis, anà ʒ. 1. gummi tragacanthi, & arabici, anà ℈. 2. opij, corticis mandragoræ, anà ʒ. 1. papaueris, alKeKengi, seminis endiuiæ, plantaginis, & bismaluæ, anà ℈. 2. cum syrupo iniubarum fiat opiata, cuius sumat aut ℈. 2. aut ʒ. 1.* Qua etiam vteris in vlceribus vesicæ cum dolore.

Verùm si his omnibus adhuc ex arte factis, vel lapis non imminuatur, vel eius augmentum non inhibeatur, tunc iam ad extractionem eius vniuersa medentis diligentia dirigenda est. Nosces autem tempus iam huius auxilij adesse (licet satius Aretæo, & viris doctissimis visum sit, tutiorem esse apertionem, quo minor fuerit lapis: nam dum maior fuerit, vesica quoque necessariò sauciatur, & licet periculum apertionis euadat laborans, vel vlcerata manet, vel fistulosum superest foramen, per quod vrina perpetuò instillat, & ob id inquit idem author securiùs excidi dum valdè paruus est lapis, si inhæreat calculus vesicæ, nam dum liber vagatur cum vrina, os vesicæ exulcerat) ex colliquationibus cum minori dolore, & mitioribus accidentibus, præterquam quòd vrina liberaliùs redditur. Verùm si lapis liber est, & cum vrina per vesicam vagatur, maximè si grandior sit, vrina cruenta aliquando mingitur, dolores sunt vehementes, virilia sæpius attinguntur, vt etiam retulerat idem Aretæus, nam verendum est, ne febribus, & doloribus, si diu differatur, adeo contabescat laborans, vt sæuitiam auxilij perferre non possit: quãdo enim meiunt sic affecti, dolent, tractant, trahuntque pudenda tanquam calculum cum vesica exempturi. Anus quoque vitij particeps redditur, pruritu, & tenesmo laborat, ambo enim inter se copulantur, ita vt vno affecto, & alterum afficiatur pariter: & propterea inflammato podice, vrinæ exitus clauditur, & vesica exacerbata sedes non deijcit, vrina supprimitur, & per interualla liberè exit, & iterum suppressa grauiores concitat dolores, in suppressione circa perinæum vt in collo vesicæ inhæreat lapis, vrina verò exeunte in toto ambitu remanet molestia, & vesica ponderosum sentit dolorem. Quibus signis, & facta ex digito, aut can-

A dela per tactum certiori probatione, curandum est ipsum lapidem extrahere, priùs tamen curabis vrinã reddi: quod latiùs institutum reperies, sequenti capite de vrinæ suppressione, vbi aduersus omnem causam præsidium reperies: vel propulso lapide cathetere, candela, iunco, hastula petroselini, digito, aut motu corporis violento, vel facto supino decubitu cruribus elatioribus, & corpore vehementer commoto. Item fomentis, & insessionibus ex decocto violarũ, althææ, parietariæ, chamæmeli, meliloti, fœnugræci, & seminis lini, ac inunctionibus ex oleo dulci, axungia gallinæ, anatis, vel butyro, & mucagine psyllij, & seminis citoniorum. Quibus factis, & corpore purgatione, aut si plenum fuerit, leui sanguinis detractio-
B ne, ne vires labantur, præmunito, die sereno mediæ temperiei, in quo non vigeat aliquis syderum aspectus huic muneri aduersus, corpus artifici huius ministerij perito committes, sed maximè orationibus, eleemosynis, ieiunijs, & sacrificijs sacerdotum, vt Dominus noster misereatur illi, & præstet felicem euentum, ac salutem.

CAPVT XII.

De vrinæ suppressione, & de ea quæ vesica non patiente fit.

C CVm vesicæ officium sit, admittere, & recipere serosum iecoris, & totius venosi generis excrementum, ipsumque continere, & rursus ex voluntatis imperio, & naturæ adminiculo tempore reddere, mille modis in vtroque munere deflecti cõperimus. Quippe secernens venarum vis primum locum tenet, seligens in alimentum quod vtile existit: quo fit vt inutile vagum supersit, quod renes per emulgentes venas huic muneri dicatas, incredibili efficacia trahunt, vt inde sibi alimentum capescant, sero in eorũ substantia percolato ad inanitatem eorum. Quod sanè postmodum pellitur per meatus vrinarios, seu vreteras appellatas in vesicam (ipsa non quidem trahere, vt Galen. 6. de locis cap. 3. visum est, licet contrarium asserat 5. de vsu partium cap. 2. nam trahit
D solùm per vreteras sibi adhærentes, non propria vi, & hoc est trahere, nimirum per vreteras: & non trahere, hoc est per propriam vim) quæ sanè receptum excrementum continet, & vndique vi suarum fibrarum, maximè transuersarum comprehendit adeo, vt nullum inane reperiatur spatium, ne vrina, animale se mouente, vndique fluctuaret, ac flueret. Quod etiã præcauet musculo ipsius vesicæ voluntariè operante, ac continente ipsam, ne citra animalis imperium dilaberetur. His sic constitutis, in munere continendi, aut retinendi vrinam, multa succrescere symptomatum genera, proculdubio comperimus, quæ quidem omnia reducere ad triplex læsionis genus oportet, vt in quauis alterius membri actione reperiri cõtingit.
E Primum quidem in actu meiendi omnino ablato, ischuriam, seu vrinæ suppressionem Medici appellant: secundum in eiusdem actione diminuta, quod symptoma stranguriam, seu vrinæ stillicidium continet: tertium quidem situm est in deprauata eiusdem vesicæ actione; nimirum cùm vrinam quidem reddit homo, sed cum dolore, & difficulter, quod sanè vitium dysuria nuncupatur. Cui damno alia duo symptomata, quæ in vrina visuntur, necessariò adiungere oportet, nimirum vrinæ abundantiam, seu vbertatem, siue ea cum voluntatis imperio excernatur, quæ propriè diabetes nuncupatur, siue citra voluntatem, aut inter dormiendum, vel secus. Sed omnibus ad cuiusque proprium caput relegatis, solùm hac in parte animus est, de vrinæ suppressione, seu ischuria tractationem contexere.

Supprimitur igitur vrina, & vesica veluti sui mune-

ris

ris oblita conspicitur, vno è tribus modis: primo quidem quia vrina non trahitur à renibus: secundo quia licet trahatur, non tamen recipitur: tertio verò & vltimò, quia etiam si recipiatur a vesica, ab ipsa nõ emittitur. Atqui licet sola ea vrinæ suppressio, quę vitio fit vesicæ, verè & propriè ischuria à veteribus nuncupetur, reliquarum etiam quæ nomine proprio carent, vt Galen. visum est 3. de caus. sympt. cap. 2. hac in parte meminisse operepretium duxi: nam & grauiores, & periculosiores sunt, & magis præsidijs orbatæ: tum ob rei difficultatem, tum verò quia nullus vt par est, earum meminerit, forsan ipsarum magnitudine deterritus, quamuis Galen. loco citato, & 1. de locis affect. cap. 1. ac Barbarorum nonnulli earum leuem quandam mentionem fecerint, curationem tamen, aut contempserunt, aut ignorarunt. Quapropter primò ab earum tractatione me expediam, paulo diligẽtiùs rem considerans, ac præsidia scribens, quę vsu, & ratione mihi probatiora visa sunt. Secundò verò ad legitimam ischuriam deueniam, studens diligenter illi auxilia proficua docere.

De vrina suppressione vesica non patiente.

QVum statutum sit renes, & vesicam officio, & colligantia ita inter se connecti, vt rarò alterũ sine reliquo lædi conspiciamus, saltem vesica, quæ & proprios luit affectus, & eos etiam, quos renes pati cõspicimus, maximè quatenus attinet ad vrinæ tractum, & percolationem: ob id vrinam nõ reddi à vesica conspicimus, tum per essentiam patiente ipsa, tum verò per consensum. Cæterum contingit vesica non læsa, sed omnino vrina orbata, & vacua, vrinam supprimi vno è quatuor modis. Primum quidẽ optimè aduertit Philotheus 7. aphorismorum 46. statuens quandam esse obstructionem in crassioribus intestinis, à crassa, & viscida pituita ortam, quæ prohibet anadosim, seu distributionem ad hepar, & consequutione quadam succorum generationem, & subinde vrinæ secretionem: quo fit vt corpus humiditate plenum mille accidentibus prematur, & vesica nihil vrinæ suscipiat, nec contineat. Secundo fit emulgentibus, vel obstructis, vel non sugentibus. Tertio renibus obstructis, aut præ imbecillitate non trahentibus vrinam. Quarto verò & vltimò vreteribus adeo obstructis, vt ne minimum vrinæ percolare possint.

Quouis enim prædictorum modorum vrina non conscendat in vesicam, lethalis omnino efficitur affectio, vt prudenter scripserat Aretæus lib. 2. de causis diuturnorum cap. 3. dicens: *Quòd si supra renes intercludatur vrina, paucis diebus superstites ægri moriuntur:* ratio tamen mortis haud dissimilis est, ijs qui aqua suffocati moriuntur: extinguitur enim vtrisque calor, verùm diuerso modo: nam suffocatus aqua moritur, quòd ea ventriculus plenus septum comprimat, & spirituum, ac respirationis cohibitione vita priuetur: cæterum in his quibus vrina supprimitur, ipsa deducta cum sanguine per vniuersum genus venosum, prohibita quæ per arterias fit transpiratione, ob venarum plenitudinem, compressione in ipsas illata, suffocat: velut antea dictum est, quia protinus ipsis succrescit pulmonis hydrops, cuius interuentu ocyssimè suffocantur. Denique, licet præsidiorum vi per sudorem, vel per expurgans medicamentum aliquid aquosum excernatur, superest tamen adhuc tanta in vasis omnibus vrinę copia, vt perpetuo pulmonis motu, ad ipsum tanta vrinalis substantię copia trahatur, quòd protinus suffocatus moriatur homo. Præterea, non rarò in tumorem veluti aquosum corpus vniuersum attollitur, & refrigeratus laborans aqua illa, quæ in extimis frigiditatem contrahit, moritur. In quo malo non minus graue, & molestum Medicis est, ra- A tò aut nunquam esse adinuentum tantæ efficaciæ præsidium, quod magnitudini mali par existat; tandem enim multis tentatis nihil prodest: & ob id cordati Medici viso affectu, protinus præsagio vtuntur, potiùs quàm præsidijs. Cum hoc tamen Deo auspice conabimur methodo, & arte aliquid adinuenire, quod forsan vtile, & proficuum erit.

De intestinorum obstructione.

Verùm si ex obstructione crassorum intestinorũ affectio suboriatur, eo quidem fiet, quia impedita distributione alimenti ad hepar, neque alimenti fiet confectio, neque vrinæ vlla separatio, & vniuersum corpus atrophia contabescet, venter vomitione perpetua infestabitur, aut aluus liquidiora excernet: inflatur vterque venter, torminibus afficitur, & homo B sibi ipsi redditur grauis, & impotens. Verùm licet aliquo tempore vrinæ aliquid excernat homo, sensim longè minus erit, donec præ siccitate corpore consumente vniuersam humiditatem, viæ arescant, corrugentur, & omnino nihil fluat, aut si quid fluxerit non recipiatur, quo regurgitante in venosum genus, cùm omnino sit præter naturam, molli, & laxo tumore partes eleuantur citra nutritionis beneficium, vrina nulla in vesicam conscendente: quod hydropicorum nonnullis accidere conspicimus, ablata omnino anadosi, ob intestinorum prædictam obstructionem ex crassis succis obortam. Quo fit vt prope mortem, & venter detumescat, & nulla vrina reddatur, quia nihil aquosum quod in ventrem fluat, aut serosum quod in vesicam, C generatur in iecore, ob prædictam anadosis priuationem. Quod cùm acciderit, & his signis præcognitum fuerit, & maximè quia sensim, & paulatim fit suppressio, diligenter studendum est, quantumuis vomitibus, & alui deiectionibus infestetur homo, ipsum crassum humorem educere expurgantibus pharmacis, quæ vim habeant deobstruendi, & extergendi, atque expurgandi, liberandique intestina ab infartu. Cui sanè muneri præbere oportet *terebinthinæ ℥. ß. cum puluere liquiritiæ*, vel eandem cum pulueribus senæ, aut decoctum senæ cum oxymelite, vel mel squilliticum cum infuso agarici, aut lacte seminis carthami. Verùm antequam horum aliquid porrigas, præstare oportet *oxymelitis* D *simpl. aut squillitici ℥. ß. cum mellis rosacei ℥. 1. vel mellis squillitici ℥. 1. cum decocto liquiritiæ, idque octo, aut duodecim diebus, cogens primò laborantem tertio, aut quarto quoque die vomere.* Quo facto, clysmatis vteris ex decocto mercurialis, chamæmeli, & saluiæ cũ melle, & sale, nullo adhibito oleo: quòd si aliquid ampliùs purgare studueris, vel agarici dilutum, vel foliorum senæ decoctum addes, aut *catholici, vel diaphœnici ℥. ß.* Quibus præmissis, ad prædictas purgationes deuenies, & postea laboranti porriges aliquod ex antidotis quæ chalybem recipiunt: quod si feceris antequam ex toto vrina cohibeatur, maximi erit momenti. Ipsaque cohibita *theriacæ singulis diebus porriges ʒ. ß. & desuper bibendas dabis hydromelitis ℥. 3.* aut si E id præ calore frequentiùs porrigere displicuerit, *singulis diebus ex vsu erit sumere hydromelitis ex aqua liquiritiæ ℥. 3. oxymelitis squillitici ℥. ß.* Interim tamen corpus balneis aquæ dulcis committes, nam & affectioni quæ atrophia est, & symptomati ex vsu erit, ac vias siccitate, & corrugatione contractas dilatabit, ac insuper si quid vrinæ per ambitum corporis præfuerit, discutiet. Quòd si laborans nequiuerit præ imbecillitate id ferre, oleis amygdalarum dulcium, sesamino, liliorum, & seminis lini, dorsum, vreteras, & vesicæ regionem inunges: item fomentis vteris resoluẽtibus, calfacientibus, & quæ vim habeant dilatandi prædictas partes, qualia adduximus capite de colico dolore, aut de ileo.

Ex emulgentiũ venarum læsione.

Accidit etiam prædicta vrinæ suppressio ob aliquod vitium venarum emulgentium, quod sanè vel in impotentia trahẽtis, seu sugẽtis facultatis situ est,

vel in obstructione : nam cùm munus horum vaso- A
rum sit, perpetuo motu à renibus sumpto principio,
& procedente vsque ad venam cauam, à qua oriun-
tur, vrinam allicere,& sugere,& has actiones tempe-
ramentu vitio, mille modis lædi contingat, fit facilè,
vt etiam in his vasis idem mali genus re vera accidat.
Quod quidem continget ad aliquod iecoris, vel renũ
intemperamentum,prædictis vasis etiam præstitum,
& commune per colligantiam factum, quale est fri-
gidum,& humidum. Quo fit vt hydropicis non raro
accidat ventris,& totius corporis maior tumor,& ce
lerrimum mali augmentum,quòd paucissimam red-
dant vrinam: eam tamen paucam reddunt,quòd va
sa prædicta,& renes præ frigiditate trahere desierint,
& ob id abundat serosus humor in prædictis parti- B
bus. At si impotentia eò crescat,quòd omnino desi-
stat à tractione facultas,prorsus etiam supprimi vrinã
continget. Quod sanè malum non raro euenire asso-
let, eisdem emulgentibus obstructis à pure, sanguinis
grumo,& crassa,atque copiosa pituita,vel tuberculo,
aut re aliqua extrinsecus comprimente. Obstructio-
nis horum vasorum causa, aliquando in virginella,
mensibus nondum cœptis, conspeximus vrinam ite-
rum remeare ad iecur, neque per venam portam ad
meseraicas, & per intestina conscẽdere, ac per anum
excerni,aliquando cum grauissimis lagonum, & late
rum doloribus, nonnunquam secus: quam curauit
vsus chalybis, reserans vijs, & vrina conscendente
per propria vasa.

Signa causæ huius. Verùm cùm symptoma hoc,siue ab hac,siue ab il
la causa oriatur, vnum sit, signis distinguere causam,
& ipsam cognoscere opus erit: nosces autem ex emul-
gentium,vel renum imbecillitate suppressionem ortã
fuisse, quòd citra dolorem alicuius partis, nec mole-
stiam præsentem, aut præhabitam laborans omnino
vrina sit orbatus, quod nulli aliarum causarum acci-
dere est credendum. Item in reliquis causis vrina su-
bitò & affatim supprimitur,in hac verò paulatim, &
sensim redditur minor indies magis,ac magis,donec
ex toto supprimatur. Tandem in alijs vrina,antequã
supprimatur,statutis, & consuetis temporibus excer-
nitur : in hac verò causa,non solùm pauca vrina, sed
per longiora interualla meitur, quia quàm paucissi-
mum in vesica colligitur. Et licet idem quoque signũ
adsit in intestinorum obstructione, distinguetur ta-
men, quòd vrina in illa sit alba, ob defectum actio-
nis iecoris, quam supplere vesica non potest : at in
hac imbecillitate, cùm vrina boni coloris ad vesicã
conscendat, & ibidem aliquantulum immoretur, li-
xiuij instar excernitur, quod colorata descendat, illa
verò decolori qua ratione hæc subit intensiorem,illa
verò remissum colorem. Præterea,id nosces ex præ-
gresso aliquo affectu,vel iecoris,vel renum,qui ex fri-
giditate ortus adhuc præfuerit: adiungitur etiam dor
si veluti impotentia,& laxitas quædam,quæ citra du-
bium attestatur frigidum, & humidum illarum par-
tium intemperamentum. Constabit tamen malum
ab obstructione ortum ducere, ex subita suppressio-
ne, & ex causis præsentibus, aut præcedentibus, quæ
natæ sunt,aut humores ad obstructionem efficiendã
monere,aut materiam obstructioni aptam suppedita
re,qualis est crassorum ciborum esus, intemperata vi
tæ institutio, ex potibus, & exercitijs mox à cibo: itẽ
intempestiua, & importuna medicamentorum vri-
nam mouentium adhibitio,corpore existente crudo
& humoribus crassis pleno.

Curandi ratio. Qui rarò accidere arbitramur iecori, aut renibus,
& prædictis venis imbecillitatem, præsertim frigidã,
& humidam, citra materiæ accessum succrescere,
quæ licet non obstruat,imbibita tamen & adhęrens
extrinsecus, vel cum ipso sero prolabens, prædictam
pariat impotentiam: ob id quidem principium cura-
tionis auspicari oportet à leui,& repetita purgatione,

A cum rhabarbaro,maximè in substantia præstito. Sic
enim facta prima purgatione ex infuso eius, & lacte
seminis carthami,cum syrupo rosarum rubearum ex
infusionibus,vel cum expressione agarici,& rhabar-
bari, deinceps rhabarbarum masticandum porrige-
re oportebit, aut ex puluere eius cum saccharo factis
tabellis,maximè si admiscueris aromatici rosati mo-
dicum,vel cum oxymelite,aut melle rosaceo, vel mi-
ua aromatis condita. Quibus factis,quæ verè vrinam
mouent,ad ipsosque vrinæ meatus deferunt,porrige-
re opus erit : quippe hæc cùm calida sint, intemperiẽ
corrigere sunt nata, & ob acrimoniam, facultatem
lacessunt, & tenuitate præstita vrinam mouent ad
eas partes copiosam, atque hæc arbitror esse maioris
B momenti, quàm quoduis aliud ex medicis auxilijs.
Inter quæ non minoris momenti est vsus terebinthi-
næ abietis cum puluere aliquo ex his, quos diximus
lapidi renum esse ex vsu, vel cum puluere liquiritiæ.
Præterea diureticis præmissis,dorsum inungere opor
tebit oleo belzoini, Matthioli, aut aqua vitæ instilla-
ra ex theriaca, terebinthina, squilla, & vino rubro,
aut facta ex eodem vino,cum maiorana, rore mari-
no,saluia, & petroselino cum radicibus. Prodest &
inunctio ex oleo naphthæ, balsamo,petroleo,oleo ru-
tæ,oleo cœparum,de pipere,aut cinnamomo: neque
erit ab re iecur, & omnes ventris partes eisdem inun
gere. Verùm tanquam vltimum præsidium ad bal-
nea naturalia ex sulphure confugere oportebit,quod
C magni solet esse vsus. Sed illud mihi vtilius visum fuit
semper, nimirum curationem aggredi dum vrina im
minui cœperit, nam in tam graui affectu vtilior est
præcauendi quàm curandi ratio. Et ob id factis ex
prædictis medicamentis purgationibus, instituto ex-
siccante,& calfaciente victu,& omni viuendi gene-
re, maximè si potus sit ex vinis medicatis, & aroma-
tis conditis, sudare ex decoctoguaiaci, sarsæ parillę,
aut radicis Chinæ, corpus oportebit : nam licet pe-
riculum sit, ne vrina ad extimas corporis partes tra-
hatur, id quidem vereri non oportebit, quia prædi-
cta pharmaca, præter id, quòd sudores mouent eius
quod in ambitu corporis est, vrinas quoque singulis
diebus summo manè epota, mouere nata sunt. Ve-
D rùm vt hoc terrore decepti Medici non deterrean-
tur à saluberrimo hoc præsidio,addere decoctis opor
tebit quæ vim habent irritandi, ac mouendi vrinas,
velut semen dauci, vrticæ, cardui stellati, petroseli-
ni, radicis fœniculi,& asparagi,quibus vias vrinæ ser
uientes irritari ad tractum, & pulsum vrinæ certissi-
mum erit. Præterea oportebit viscerum vires robora-
re vsu aromatici rosati cum semine angelicæ, aut ip-
so semine cum saccharo in forma boli : diambra vti
etiam oportebit cum triplo diarrhodonis: prodest &
theriacæ vsus,aut mithridatij: benefacit electuarium
de hyacintho, conserua acori, aut radicis carlinæ cũ
vino aromatico.

Si ex obstructione earundem emulgentium supprimatur vrina Licet obstructio communis sit affectio venis emul
E gentibus, renibus, & vreteribus, placuit tamen seor-
sim emulgentium obstructionis meminisse, vt signis
eam à reliquis distinguere possimus, ac simul cau-
sas venari, etiam si postea curationem vnam omni-
bus communem statuere commodius videatur. No-
sces autem [illegible]tum obstructionem, quòd subitò &
repentè vrina delitescat, nulla in renibus, vesica, aut
vreteribus apparente læsione, neque præhabita in
eisdem partibus affectione aliqua, quæ possit earum
affectum monstrare. Præterquam quòd vel decu-
bitus morbi alicuius præcessit, vel crassorum ali-
mentorum esus, aut aliorum intempestiua assum-
ptio : sed maximè, vt præcedenti paragrapho dixe-
ram, cùm morbo aliquo existente crudo, aut crudo
ventriculo,vel non vacuato corpore,laborans impru
denter vsus fuerit diureticis,quibus aliquid crudũ, &
obstruẽs necessum est ad vias vrinæ trãsmitti. Huius
etiam

etiam mali causa est, si quis in dorso percussus sanguinis grumo ibidem impacto prædictam obstructionem perpetiatur. Huius curationem mox leges.

Si renes & vreteres obstruantur.

Cùm renum obstructione, aut vreterum, vrina supprimitur (præter imbecillitatem eorum, quæ similia habet signa, & consimilem curationem cum imbecillitate emulgentium, quam adduximus) non est cognitu difficilis causa: nam rarò accidit aut nũquam, nisi in vtroq; rene & vtrisque vreteribus par malum insit: quippe si in altero sit tantùm, facilè reliquum vrinã trahet, & per vreterem sibi proximum mittet vrinam. Cæterum rerum euentus, vsus, & ætas nos iam docuerunt alio etiam modo posse huiusmodi suppressionem vitio renũ suboriri, quod maximam B mihi intulit & alijs doctissimis viris admirationem. Quippe fuit vir quidam illustris, Hieronymus à Roda Pincianæ cancellariæ Præses, cum Flandriam vt præfectus totius exercitus in rebus pacis, & iustitiæ, Philippi inuictissimi ac maximi Hispaniarum Regis iussu adiret, calculo dextri renis affectus, quadraginta diebus dolore incredibili cruciabatur, qui sanè adeo fuit intolerabilis & pertinax vt nullis cesserit præsidijs: tãdem post dies prædictos, lapidẽ nucleo dactyli persimilem & æqualem proiecit, euasitq; superstes & sine dolore trium annorum spatio. Postea tamen in Hispaniam reuersus, vt præesset prædictæ dignitati, iterum sinistrum renem apprehendit consimilis dolor vehementia & duratione, tandem consimilem C lapidem proiecit post quadraginta dies, multis adhibitis præsidijs. Euasit quidem à dolore, sed non à grauiori malo: nam trãsactis tribus diebus à lapide proiecto, suppressa est omnino illi vrina, tandem iterum conuocatis Medicis conuentum est inter omnes, nullam aliam esse causam, præter obstructionem ab arenulis, aut calculo, & pituitosis succis, quibus profectò vir ille plurimum abundabat. Quod equidem videbatur rationabilius, in homine calculoso, pituitoso, & ad modum cibis & potibus intempestiuè vtente: tandem affectio nullis cessit præsidijs, & post trigesimum diem obijt. Facto tamen dissectionem postulante, inuenimus renes grandi foramine perforatos à cauitate renis vsque ad dorsum eiusdem, nihil tamẽ D pituitæ neque arenularum neque alterius rei, cui tribui posset vrinæ suppressio, neque in ipso, neque in vreteribus repertum fuit. Vbi necessum et rationi consonum erat conijcere, illa foramina relicta fuisse à lapidibus illis, quos tanto labore proiecit, quòd in carne renum geniti fuissent, & ea magnitudine creuerint, quæ renes ipsos vndique perforare valuissent. Postea tamen ob prædicta foramina renes non potuisse suctionem moliri, vt palam cuiuis erit, si exactè conieceri t renum officium & structuram illi muneri dicatam. Potuisse tamen vno rene perforato, altero vrinam allicere, tribus illis annis intermedijs inter vnam & alteram lapidis proiectionem, iam verò vtroque aperto non potuisse. Placuit historiam fideliter recensere, quam proprijs oculis sum contemplatus, non quòd huiusmodi malum vllis possit cedere auxilijs, sed quòd oporteat id signis distinguere ad certitudinem præsagij proferendam, si iterum forte acciderit. Quippe idem malum conijcere oportebit, vbi post tot dies grãdior lapis excernitur ex renũ carne: quippe perforati renes erit necessũ, & subinde nõ posse vrinam allicere. Nam quis aliam causam subesse vsquam intelliget, si post lapidis grandioris excretionem, vrinam supprimi conspexerit, maximè si idem in vtroque rene acciderit. Sed probat hanc solam esse causam, quòd laborans nullam in renibus neque in quauis alia corporis parte persensit molestiam, toto suppressionis tempore, quod esset impossibile, si noua lapidis vel alterius rei adfuisset generatio, & ob id longè magis molestantur laborantes, à quauis re præter naturam accedente, quàm à forami- A nibus illis. Quo fit vt ex vrinæ difficultate hac ratione orta, nullam vel leuissimam laborantes persentiãt molestiam: quòd si dixeris, idem quoque accidere in emulgentium & renum imbecillitate, scito non posse fieri subitò, vt in foraminibus illis, neque præcessit lapidum magnorum expulsio: sed de hac causa, quæ nullum admittit præsidium, hæc dixisse sit satis.

Verùm cùm vrina supprimitur obstructis renibus, vel vreteribus, scito vna è quatuor causis posse, fieri, nimirum ab inflammatione, vel tuberculo cuiusque prædictarum partium, vel eis vicinarum, quæ compressione dictas vias coarctet, vel à calculo, aut sanguinis grumo, vel densa, atque viscida pituita ibidem impacta. At nosces inflammationem aut calculum esse, ex signis quæ adduximus capitibus præcedentibus de inflammatione & calculo renum, & pari ratione in eisdem auxilia proficua & necessaria reperies. Quòd si ex grumo sanguinis, vel pituita prodierit, nosces primum ex prægressa sanguinis fluxione per meatus vrinarios, vel quòd præcesserit ictus, casus, percussio, aut magni ponderis subleuatio, quibus sanguinem fundi, vel fusum concrescere erit arbitrandum, cuius grumum vias obturare coniectabile est: maximè cùm repente & totius corporis dolore, atque grauioribus accidentibus vrina supprimatur. Quippe concretus sanguis ea solet efficere symptomata, quæ veneno similia existunt: quo fit vt si vrina supprimatur, cum corporis angore, extremorum frigiditate, lenta febricula, frontis ac ceruicis frigido sudore, præcedentibus quæ sanguinem fundere potuerunt, credendum sit sanguinis grumum id fabre facere. Verùm nulla harum occasionum præcedente, neque apparentibus prædictis symptomatis, si vrina supprimatur, maximè si non omnino subitò, sed parca aliquibus antea diebus præfuisset: item si neq; calculi aut inflammationis signum vllum apparuerit, coniectabile profectò est, ex crassa pituita ortam fuisse obstructionem. Quibus accedit ante acta vitæ ratio cruditatibus & crapulis dedita: quibus omnibus accedit (quantumuis diu retenta sit vrina) vesicam nullomodo molestari, quòd in omnibus his causis omnino vrina careat.

Quæstio.

Duo tamen ante curationem mihi expendenda succrescunt: primum, an sufficiat vnius emulgentium, renum, aut vreterum obstructio, aut læsio, vt fiat omnimoda vrinę suppressio: reliquum verò, quid mali vel boni ex huiusmodi suppressa vrina Medicus prædicere possit. Circa primum, prętet ea quę diximus capite præcedenti, duo mihi sese offerunt expendenda, primum est, eam sortiri renes inter se connexionem, eam etiam in substãtiam similitudinem, vt facilè sit conijcere, altero affecto, reliquum quoq; eundem affectum passurum. Secundo verò, & quod verius esse arbitror est, actionem illam trahendi vrinam, communem esse vtrisq; simul, non alteri. Nam E licèt duo renes huic muneri facti sint, non ob id est quòd alter corũ eam efficere sufficiat, sed quòd ambo necessariò existãt ad tam validam actionem perficiendam. Quippe certum est vtrunque renem trahere, cæterum alterum, vel leuiter, vel quàm paucissimum, nimirum quantum sat sit, ne protinus in morbosos incidat affectus homo: verùm cum hoc tractio illa prout secundum naturam ex vsu est homini, vtriusque simul agentis est, non alterius: quòd si alter altero affecto, agere aliquid possit, non quidem est quãtum oportet & necessum existat, vt post aliquod tempus in affectum aliquem defectu actionis alterius nõ procedat laborãs. Actus etenim trahendi cuiusq; maior est, dum ambo simul trahũt, quàm in quouis corũ altero otiante: viuit quidem homo deficiente vnius actu, sed mille morbis obnoxius, quia cùm valida illa actio ad puritatem sanguinis necessaria sit, deficiente vno, debiliter fiet & morbosè, licèt ad vitam

suffi-

sufficiat alterius actus, morbosam tamen & ærumnosam. Cum hoc profectò experimento didicimus in affectionibus quę grauissimæ sunt et doloribus inmersæ ingenuissimis, licèt alter renum liber sanusue existat, nihil tamen trahere posse, quia in grauissimis doloribus vnius, facilior est consensus, quàm in qualis alia affectione: qua quidem cessante, si ex toto cesset, vt in doloribus renum contingit, ambos trahere certum est, sin aliter & in non dolorosis affectionibus, dum in altero affectio subest, mediocris efficitur tractio, vt in casu posito contigisse narrauimus.

Præsagiũ

Quatenus verò ad præsagium attinet, hoc saltem expendendum est, eam suppressionem, quæ supra vesicam fit, multis rationibus cunctis alijs periculosiorem: primò, quia si vrinam renes aut emulgentes trahere aut suscipere non possunt, procul dubio longe minus præsidia quibus ab affectione liberentur, trahere poterunt: sed si ad eam partem non perueniant, prodesse nequibunt, ergo constat grauitatis periculi euidentioris ratio. Erit cum hoc signum spei, aliquid, quantumuis parum sit, vrinæ reddi, maximè si turbidior apparuerit: nam quæ clara exit, pressioris obstructionis est indicium, & eò salubrior erit, quò copiosior & turbidior. Tandem imminentis periculi indicium est difficulter respirare (quia signum est, pulmonem ad se allicere vrinalē substantiam) singultire, (quòd arguat vrinam imbibitam iam in ventris substantia, ac regurgitare à iecore in omnes partes) aut graui somno corripi: quippe euidens est argumentum, non solùm caput recipere, sed putrefieri etiam prædictum serum, & in caput euaporare: vtcunque tandem accidat, vrgentioris & certioris periculi est prædicta affectio.

Curandi ratio.

Licèt obstructionis (quam solùm hac in parte curare institui) quadruplicem assignauerim causam, tumorem videlicet præter naturam, sanguinis grumū, lapidem, & pituitosum ac crassum succum, cùm inflammationis iam meminerimus, & capite præcedēti, lapidis, superest solum ea obstructio curanda, quæ aut à grumo sanguinis vel eius copia prædictis partibus impacta fit, vel ex crassis ac viscidis succis, quod frequentiùs accidere comperimus. Nam sæpissimè vi & seuitia dolorum, in his qui calculos patiuntur, attrahitur ad dolentes partes tanta huius succi copia, quæ nata sit post dolorum leuamen, prędictā obstructionem moliri. Quod quidem vitium, licèt accidere possit renibus, vreteribus aut emulgentibus venis, vna eademq; methodo et eisdē medicamentis curari desiderat. In qua curatione, cū triplex sese offerat exequēdum officium, vtrum eorum primo teneatur aggredi peritus Medicus, non est ita inuentu facile: quippe considerare oportet obstructionem, vrinæ copiam, & accidentia, quæ ea retenta succrescunt. In qua re primò conijcies, an morbus adhuc sit in principio, vbi parum aut nil vrinæ copia vrget (nam hæc est quæ suffocationem innati caloris molitur) vel copiosior iam in corpore abundet, quæ certior est prædicti periculi vrgentia & causa: item an aliquod succreuerit accidens, velut difficilis respiratio, somni grauitas, singultus, & vomitus, quibus mors citiùs accersitur, nam ex cuiusque vrgentia principium curationis venaheris. Sed sit ita, quòd aliquis suppressione prædicta corripiat, ac mox Medicum accersat, eo tempore studendum est generoso atque libero animo (namque laborantes nihil aliud expostulant, neque ab auxilijs concupiscunt, quam meiere, sed Medicus causam illidere solum conetur oportet) obstructionē quam citissimè aperire, & ob id antequam vel vrinæ copia vel accidentia ad se curationem vertant (nam tunc sanitatem laborantis ac vitam tueri est perdifficile) ipsam demere oportebit. Quod sanè facies, præmissa eadem die purgatione leui, qua excreméta viarum deponere possis, & sequenti die confugiendum

A est (si laborans sanguine nō abundet, nam tunc non erit ab re parum eius extrahere) ad ea auxilia, quæ vi & efficacia magna cuiusque corporis partis obstructiones illidunt: nam & eorum vi, & efficacia exercitij arbitror haud difficilè aperiri posse prædictas obstructiones, vt reliquarum partium. Quod sanè auxilij genus quia nusquam quisquam tentauit, ob id censeo non profuisse, & nullum ex sic affectis sanitati fuisse restitutū. Auxilium tamen hunc malo proficuū arbitror id omne quod ex chalybe præparato aut citra pręparationem conficitur: sed huic vsui vno è tribus modis parari mihi vtilissimum fore videtur: primò exhibitis ʒ.1. *& ß. litrontribon cum ʒ.1. limaturę chalybis subtiliter limati, quæ omnia dissoluantur in a-* B *qua graminis, & calida ægro adhibeantur,* & mox sese per locum accliuem & decliuem exerceat: & idem sequenti die faciat, inuncto eius dorso ante prādium & cœnam oleo costino, de croco, scordionum, aut de squilla. Præterea secundò eidem muneri præstabis *dialaccæ ʒ.2. chalybis ʒ.1. dissoluantur in ℥.1. oxymelitis simplicis, & cū aqua decoctionis seminis petroselini, dauci, & graminis, fiat potio,* qua sumpta etiam laborans sese exerceat. Tertiò parari potest aliud nō minoris momenti q. ℞. *diacurcumæ, & theriacæ, ana ʒ.ß. pulueris sanguinis hirci & seminis petroselini ac rubiæ, anà ℈.1. chalybis ℈.2. oxymelitis squillitici ʒ.3. cum aqua radicum diureticarū fiat potio,* & pariter laborās se exerceat. Idem conficies ex hantidoto hæmagogo C cum chalybe & aquis prædictis, & cum semine hederæ & lapathi, centaorij minoris, virgæ aureæ, vel vrticæ. Sed mirum in modum censeo profuturam terebinthinam abietis, cum iure aliquo, aut in bolis cum saccharo candito exhibitam. Præterea eiusdem efficaciæ est ius galli cum croco, cinnamomo, petroselino, & modica resina pini. Pari ratione prodesse scimus pilulas, q. ℞. *myrrhæ, assari, aristolochiæ vtrisque, seminis capparum, anà ʒ.1. spicæ nardi, squinanti, anà ʒ.1.ß. apij, petroselini, agnicasti, anà ʒ.1. cum oxymelite fiāt pilulæ.* Præstat & succus limonum cum aqua graminis, asparagi, aut decocto fœniculi marini. Item aqua stillantia ex terebinthina cum squilla & D oleo cytoniorum, quam admiscere oportebit cum omnibus cibarijs & iuribus: prodest & puluis corticis liquiritiæ cum vino. Quòd si senseris in emulgentibus obstructionem esse, addes prędictis infusionem rhabarbari, aut agarici, vel expressionem carthami, idque trium quatuorue dierum spatio facies. Prodest & suffitus per infundibulum sumptus, q. ℞. *vini albi libr. 4. amygdalarum amararum pistatarum ℥.2. anisi ʒ.3. seminis sesame ʒ.4. sinapis ʒ.2. seminis petroselini ʒ.3. origani ʒ.3. & ß. bulliant lento igne, & suffiatur laborans per infundibulum iuxta rectum intestinum.* Prodest vinum infusionis cęparum mane sumptum: ex vsu quoque est puluis, q. ℞. *virgæ aureæ ʒ.2. liquiritiæ ʒ.4. corticum auellanarum ʒ.3. puluerizentur et cribrentur subtiliter, & mane sumatur ʒ.1. & ß. cum vi-* E *no;* item succus raphani cum vino sumptus. Præstat etiam *aqua stillatitia ex succo fabarum viridium, ex semine raphani, maluarum, cardui sancti, & semine sinapis, omnia conquassentur, & per alembicum stillentur, & sumat laborans ℥.ß.* Renes verò & vreteres inunges sanguine vulpis, de quo fertur mirum in modum prodesse. Quòd si nihil vrinæ excerni conspexeris, iam ad secundam indicationem deuenire oportet, cui munus est serosam abundantiam respicere, cuius occasione periclitatur laborās suffocatione & extinctione caloris innati totius corporis habitus: quæ licet non sufficiat ad sanitatem recuperandam, leuat tamen & diutiùs prorogat laborātis interitum. Quo casu necessum est ad ea medicaméta confugere, quæ aquas educunt, velut in hydropicis ars præcipit: quo tépore corpus purgabis lacte seminis cartami & succo iteos, aut *aqua stillatitia ex theriaca, radice lilij, se-*

mine

mine carthami, radice cucumeris asinini, & terebinthina, cuius ℥. ß. porrigere poteris. Neq; displicet, si corpus plethoricum sit, si sanguinoletæ vacuationis aliqua præfuit suppressio, ex iecore aut quauis alia parte sanguinem detrahere, vt subsit ventilationi locus, & ne ocyus laborans suffocetur. Verùm si ne his quidē prodesse videatur, ad stillatitias aquas confugiēdum est, si bis terue et pluries fęces instillētur, donec in puluerem reduxeris, et eorum cum aquis aliquid præbueris. Cuius rei gratia in balneum Mariæ inijcere poteris squillam, parietariā, asparagi radices, lupulos, cicera vino madefacta, aut aceto, vel succo limonum, ononidem, rutam, pulegium, myricam, adiantum, marrubiū, helenium, semen alKeKengi, raphani folia & radix cum aceto in quo maduerint, & sabinæ modicum: ex quibus ad fæcis indurationem & exsiccationem fiat instillatio, qua vteris modo dicto. In quo casu veluti in desperato *ad gr. t. vel 2. cantharidum cum ℈. t. seminis dauci & ameos, deueniendum* foret consulit vrgentiæ ratio, maximè si *protinus porrexeris ius galli veteris cum radicibus diureticis*. Ferunt etiam ℈. 1. *olei ex chalcantho* prodesse, si optimè sit pręparatum. Atque postquam id feceris, curandum est, id vrinæ quod ad partes carneas & minutas venas migrauit, per ipsam cutim educere: quod sanè facies vel balneorum aquæ dulcis aut sulphureæ vsu: nam in hac suppressionis sorte, tanquam erroneum arbitror, mox à principio mali balneis vti. Quippe præter id quòd partibus obstructis internis, neque obstructioni quidquam opitulantur, impediunt vrinam deferri ad proprios meatus, eamque ad extimas partes euocant. Quapropter solùm serosa humiditate per ambitum dispersa, vt diffluatione vel sudore resoluatur, euacueturque prodesse possunt. In qua etiam indicatione maximi fore momenti sum arbitratus, sudores mouere ligni guaiaci, aut sartæ parillæ decocto in aquis stillatitijs facto, quo vrinas etiam mouere solemus. Verùm vbi iam serosus humor per corporis ambitum diuagatur, solùm habet locum prædictum auxilium, non ante, ne idem contingat ac ex balneis intempestiuis damnum. Fugiēdum etiam est in hoc casu ab his, quæ vesicæ adhibita aliquando prodesse solent, cùm ponùs molestiam quàm beneficium afferre queant: satius enim erit eo tempore, dorso adhibere fomenta & inunctiones ex *oleo de tabaco, aut decocto eius, parietariæ, cæparum & porrorum, quibus addere oportet cantharidum* ℈. 1. Sed confert insuper ad eădem indicationem complendam & rursus gratia mitigationis symptomatum, cucurbitis vti diuersis corporis partibus adhibitis, maximè cum scarificatione: tum vt aquam à fontibus caloris, & membris præcipuis distrahant: tum verò vt symptomati alicui subueniant, vt somno (cuius ratione eisdem & oxyrrhodinis vti oportebit) scapulis affixis & brachijs, aut gratia singultus dorso & ventri, facta insuper inunctione ex oleo naphæ, angelicæ, chamæmeli, thenacæ, & reliquorum, quæ vim habent digerendi. Quibus factis, sperandum est, Deo fauente, malum subsidere: quo tempore deueniendum est iterum ad ea quæ incidendo prosunt, addito prædictis oxymelite, & dorso fomentis ex spongia aut vesica cum aceto squillitico, vel de radice cucurbitæ syluestris, vel emplastro ex squilla, oleo liliorum, aut ex vrtica, apio, petroselino, althæa, stercore bouino cum melle, & reliquis huius naturæ, quæ sufficere videntur in re abdita & nouiter tractata.

De ea suppressione, quæ fit vesica affecta.

SI vesica per primogeneam affectionem patiente vrina supprimatur, multis profectò modis id posse fieri scimus: vtcumque tamen fiat vesica affecta, vera ischuria iure optimo appellatur, quæ distenta præ

A copia vrinæ vesica à superioribus causis distinguitur. Sed vt modos ac naturam huius suppressionis exactè expendas, scito tria necessariò prærequiri ad vrinę expulsionem legitimam. Primum est vesicæ sensus, quo pondus, grauitatemue, aut quamuis aliam molestiam percipiat animal, qua ad excernendum excitetur facultas, cui id munus incumbit. Secundum robur & integritas facultatum huic muneri seruientium. Tertium verò & vltimum, viarum per quas vrina exeat, expeditio et liber exitus. Quo fit vt quouis horum deficiente, necessum sit vrinam non reddi: sic profectò ob sensus defectum, resoluto nimirum neruo sensifico à lumbis & osse sacro descendente, per quem vrinæ morsum, molem, & pondus sentiens vesica, excita

B tur ad hanc naturalem & inuoluntariam vrinæ excretionem (licet Galen. contrarium videatur statuere: nam intelligendum est de resolutione ori eius, quæ non suppressionem sed fluorem nata est efficere) ipsam detineri contingit, vt in paralysim inferiorum partium corporis patientibus non rarò conspicimus. Nam vbi nullus aderit pōderis sensus, qui animal ad expellendum excitet, proculdubio potentia omnino otiabitur, ac ex consequenti vrinam non reddet, vt delirantibus frequenter contingere cernimus.

Supprimitur etiam deficiente naturali potentia excretrice eiusdem vesicæ, cui munus est, vt sese comprimens transuersarum fibrarum adminiculo, & ociantibus atque laxatis obliquis & rectis vrinam pellat:

C quæ sanè imbecillis facta id munus non exequitur, & ex consequenti vrina non redditur. Cui causæ reduci potest nimia vesicæ extensio ab immodica vrinę copia vltra modum & tempus retenta. Repleta enim tensaque vesica, quantum ipsa distenditur, tantum meatus eius arctior angustiorque euadit, & ipsa vesica impotens deinceps ad sese contrahendum, vt contingit his qui vrgentibus negocijs vel conuiuio occupati meiere nequeunt, aut diu obliuiscuntur. Huic etiam causæ accedit resolutio musculorum abdominis, quibus excernendi munus pari ratione incumbit: quo fit vt ipsis resolutis, cùm vesica non satis comprimi possit, vrina quoque non reddatur. Cum hoc tamen arbitror hanc solam causam non sufficere vrinam continere: nam prædictos musculos non fabre

D fecit natura vt vrinam excernant, sed vt excretionē perficiant, inceptam tamen à facultate naturali: & ob id arbitrandum est, vrinam non supprimi horum vitio omnino, sed non reddi omnino manente semper in vesica aliqua eius portione, ita vt vesica indigeat ad integram excretionem eorum musculorum adminiculo, nō quidem ad excretionem simpliciter. Supprimitur insuper vrina ab emortua secernenre facultate, non vt in paralysi, vt dictum est, sed vt in acutissimis non rarò contingit febribus: quemadmodū dixerat Hippocr. lib. de Coacis non longe à principio, hæc scribens verba: *Ex perfrigeratione intercepta vrina, pessimum*. Cuius rei gratia sciendum est in his

E morbis duobus modis vrinam posse supprimi: vno in criticis iudicationibus, in rigore & frigore aluo & vrina suppressis, quæ salutem potius (si salutaria præcesserunt signa) quam mortis præludium existunt: altero verò emortuo calore vesicæ, & perfrigerato neruo qui in vesicam distribuitur: quippe huiusmodi vrinæ suppressio non prodit, quia incendio absumatur serum, aut non trahatur ob renum infirmitatem, aut non exeat propter obstructionem à calculo, grumo, carumcula & similibus, aut eò quòd sursum refluat contracto intus calore, & motionem criticam aggrediente: quippe hæc sine periculo manifesto sunt (licet aliquando abscessum ad partes superiores commonstrent, aut recursum ad principalia, quod periculo nō caret) sed prodit ab extinctione innati caloris facto ab extraneo calore (sicut aliquando ab externa frigiditate) febrili & maligno, quæ per refrigerationem

nata

nata est inferre. Calor enim & consumit & consumitur subtracto humido, quod est caloris subiectum, & ob id calor febrilis spiritus inchoat, refrigeratio verò succrescēs perficit: quam sanè frigiditatis noxam prima omnium percipit vesica ob lapsum proportionalem, cuius calor facilè à frigore extingui potest: nam est in patiente vesica duplex dispositio, & in agente duplex vis, calor nimirum & frigiditas. Quo fit vt non excernat perfrigerata, quia vel neruus sensificus amplius non sentit extincto calore, vel quia vesica sese colligere nequit emortua facultate excretrice: quippe in phreniticis alia ratione supprimitur, vt dictum antea est. Cum hoc tamen sciendum est, ex hac eadem causa inuoluntariè aliquando fluere vrinam, vt in his qui morti proximi sunt, differentiæ tamen ratio constabit cap. de vrinæ incontinentia.

Vltimò tamen supprimitur vrina vitio meatus vrinarij, quod sanè vitium multiplex esse potest: nam aliquando musculus vesicam claudens adeò conuulsione comprimitur, vt etiam si vesica mille modis expellere conetur, nequaquam tamen excernere possit: item meatus obturatur, vel ab humoribus crassis, à sanguinis grumo, à pure, à tuberculo, aut tumore quouis præter naturam, à carne supercrescente, caruncula, verruca aut cicatrice, vel vltimò à lapide vesicæ ipsum meatum iuxta collum vesicę obturante: qui sanè omnes sunt modi, quibus in vesica contingit vrinam supprimi, quod ad vnguem nosse & cuiusque causam distinguere opus erit, vt cuique proficuum auxilium adhibere possimus. Nec obliuioni tradendum est, per consensum vicinorum membrorum adeò vesicam & vrinarium meatum solere comprimi, quòd prorsus vrinam non reddat, vt fœminarum plerisque accidere conspicimus ob vteri consortium: cuius vitio (siue ex frigiditate externa contrahatur, siue ex flatu) non raro comprimitur vesica & vrina supprimitur, sicut aliquando alui excrementa, quod de alijs partibus pari pensu subaudiendum iudico.

Signa causarum.

Si præterierimus signa, quibus causam distinguere cuiuis liceat, constabit facilè, quæ intersit differentia causarum, quantumuis affectus sit vnius naturæ. Deficere sentientem potentiam nosces, primò quia licèt vesica in tumorem eleuetur, eo quòd copiosam contineat vrinam, & tumor in pube appareat, quo distinguitur ab spuria suppressione, tamen non excitatur, vt eam reddat, expellatque facultas naturalis, quia cum molestiam aut pondus non sentiat, non gliscit ad expulsionem: maximè si abdominis musculi pariter resoluti sint, tunc enim naturalis potentia, non sese contrahit, neq; animalis compressione iuuat, & ob id nihil excernitur. Quod vitium resoluta potentia vel sentiente, vel mouente musculis, vel vtraque fieri est credendum: nam cùm sine molestia homo non excernit, vrina vesicam replente, id solùm esse est arbitrandum, maximè si cum hoc, alia etiam membra resolutionem pati comperiamus: qualis nam præfuerit causa, haud difficulter nosces ex prægressis: si vitam laborans egerit intemperatam, nimio potui indulserit, si ab alto ceciderit, ita vt in vertebis spinę aliquod subsit luxationis damnum. Verùm si ob vitium excernentis ipsius vesicæ facultatis vrina supprimatur, duobus signis id tibi manifestum facies: primo ex causa, quæ cùm necessariò frigida & humida intemperantia futura sit, impossibile est eam laborantes non percipere, maximè cùm adsit ignauia & frigiditas vicinarum partium: secundo, quia licèt laborans ab vrinæ pondere molestetur irriteturque validè, nequit tamen vrinam reddere: quòd si conetur musculis abdominis id efficere, quàm paucissimum emittet, si tamen manibus vesicæ regionem compresseris, longe maiorem extrahes vrinæ copiam. Sed id etiā venaberis ex prægressis causis quippe si laborans in locis degit humidis, diu natationi in frigidis aquis sese dedit, A vsusue fuerit frigidissimis præsidijs in regione vesicæ gratia alterius mali, facile erit causam & morbum nosse. Cæterum si vrina suppressa sit musculi colli vesicæ conuulsione, vrina quidem non reddetur, sed magna cum violentia naturæ & potentiæ animalis musculorum abdominis, idque guttatim & cum dolore continuo atque acutissimo ipsius colli vesicæ. Quod sanè facilius nosces ex tactu: nam durum apparet perinæum, et partes recti intestini dolore etiam coarticiuntur: tandem similis succrescit dolor, ei qui ex lapide ibidem impacto accidere solet: differt tamen quòd in hac causa vrina redditur aliquando copiosè, lapide separato à vesicæ collo, in conuulsione B verò nequaquā, nec dolor cessat vt in calculo: tandē cathetere aut cādela facta probatione, exacerbatur dolor, & in calculo mitescit, separato à parte dolēte. Cōuulsionem etiā iudicabis ex causa, quæ plenitudo maiori ex parte existit, ex mēsibus aut hæmorrhoidibus suppressis, ex ictu in ea parte nō probè curato, ex soluta vnitate vel punctura, quarū ratione pronus sanguis missus non fuit, aut aliquod acre medicamētum præstitum fuerat. Verùm si ex ore vesicæ occluso vrina supprimatur, idque ab inflammatione, vel quouis alio tumor fiat, facilè nosces tactu, dolore, febre, tumore sensibus percepto: si tamen à lapide meatum obstruente fiat, ex signis capitis præcedentis nosces, præter id quòd quo maior fuerit, minus obstrue- C tur foramen, & quo minor, magis, quia penitiùs in cauitatem sese inserit: & ob id mihi non placuit eius signa iterum referre. Verùm sanguinis grumus, pituita, aut pus dum id malum efficiunt, ex ante fluxo sanguine, vel præexistente vlcere in vesica noscuntur facilè, vt Galeno placuit lib. 6. & 1. de locis affect. præcessit item ictus, casus, aut percussio, & etiam cathetere immisso parum vrinæ fluit, & cum ea sanguinis ramentum, & insuper adsunt grauissima accidentia cum animi deliquio & resolutione. Si tamen cum vrina aliquando pus excreuerit natura, modò tamen supprimatur, licebit eam causam conijcere, maximè si præcesserit abscessus, vlcus, aut vulnus. At si turbida vrina aliquando apparuerit, & postea supprima- D tur, coniectabile erit, ex crassis viscidisque succis cohiberi, & foramen obturari, maximè si id ante acta vitæ ratio etiam attestetur, vt capite de vrinæ difficultate latius scripturus sum. Quòd si harum signa non apparuerint, iuxta optimam rationem conijcies verrucam, carunculam, callum, vel supercrescentem carnem adesse in vrinario meatu: maximè si primo accessu difficulter reddatur vrina, postea tenuiter, & tandem supprimatur: sed huius rei probationem, candela vel cathetere firmiorem inuenies. Præterquam quòd vrinam, quantumuis prosperè successisset, aliquando subitò supprimi contingit, quòd spongię modo prædicta caro intumuerit, pituita vel quouis alio succo ibidem imbibita, & ob id licèt cathetere aut E candela aliquomodo excernatur, iterum supprimi contingit, ni resoluentibus auxilijs id studueris exsiccare: qui sanè euentus fidissimum præstat indicium prædictarum causarum: lapidem verò hoc malum efficere, præcedenti capite monstrauimus. Sæpe etiam multi affectus simul complicantur, vt vlcus, calculus, & caruncula, ita etiam species affectus noscetur artificiosa coniectura, vel cathetere, aut iunco immisso: vt ex eo quod cuspidi adhæsit, coniectura in scientiam euadat.

Curandi ratio.

Curandi autem ratio tātum est varia futura, quantum causarum varietas numerosa existit. Sed in genere duplex medēdi via proficua apparet: altera quidem quæ symptomati subueniat, & altera quæ causam illidat: namque dum vrina suppressa est et laborantem premit, alienum ab omni ratione videtur, aduersus causam pugnare, sed vrinæ tantùm excretioni prouidendum erit. Quod profectò fit dilatatis vtcunque

curique

cunque meatibus, & vijs laxioribus factis, vt vrina facilius instillet, aut aliquo ingenio, catbetere nimirum, candela vel iunco extrahatur. At si vitio expultricis facultatis affectio pullulauerit, compreßione manuum supra vesicæ regionem facta, vrinam proijcies: quod etiam facies, si facultatis sennentis impotentia fiat, vel musculorum abdominis resolutiooe: nam hac lege vesicam à plenitudioe vrinæ vendicabis, quo deinceps securiùs necessarijs præsidijs vti possis. Verùm cùm ex vitio meatuum retenta fuerit vrina, vias ipsas latiores reddes fomentis, euaporationibus, insessionibus, aut inunctione ex oleo amygdalarum dulcium, seminis lini, chamæmeli, anethi, scorpionum, liliorum alborum, oleo etiam nardino, costino, irino, & rutaceo, cum butyro vaccino, & adipibus gallinæ, anseris, & anatis, in perinæo, & iuxta partem pudendam facta: inuoges etiam easdem partes vnguento dialthææ, vel aragon, aut theriaca. Prosunt et fomenta vel insessiones, ex decocto maluarum, violarum, althææ, fœnugræci, semiois lini, meliloti, chamæmeli, anethi, rutæ, artemisiæ, sampsuchi, & seminum althææ, & maluarum: et facta insessione, vel fomento ex vesica, aut filtro, vel spongia locus perfundi debet aliquo ex prædictis oleis calido. Item naturam irritare oportet ad meiendum iniecto modico oleo cæpæ, aut porri, per syringam in pudendi caput: item cimicibus confrictis, vel nitro, aut nitri spuma ibidem appositis, aut facta exteriùs iounctione cum eodem oleo. Quòd si neque adhuc his factis, vrinæ quidquam excernatur, iunco, candela, hastula petroselini, aut cathetere studendum est vias dilatare, quibus si quid in via inhæret, auferatur, liberiorque maneat vrinæ exitus. At vesica vrina iam destituta, ac laborãte à dolore & molestia immuni, iuxta suppreßionis causam curationem aggredieris, nequaquam vtens potulentis aut diureticis auxilijs.

Si ex imbecillitate prodeat curatio.

Si igitur excernentis facultatis vitio et impotentia vrina non redditur, quòd vesica frigiditate præter naturam sit affecta, post extractam vrinam, quàm citißime corpus purgabis medicamẽtis, quæ frigidos succos educere poßint, vt iofuso agarici cum syrupo ex infusionibus, expreßione seminis carthami, aut infuso foliorum senæ cum syrupo ex infusionibus: nec minoris momenti est terebinthinæ vsus. Quo facto, eam victus rationem instituas, quæ modicè calfaciendi & exsiccandi vires habeat, potum instituens ex decocto ligni guayaci cum liquiritia, radicis chinæ, sassafrase, aut sarsæ parillæ. Quo facto frequẽtiùs vteris insessionibus, aut fomẽtis prædictis vel vnguento, q. *℞. olei nardini, costini & rutacei, anà ℥. 1. olei scorpionum ℥. ß. mastichis, florum stœchados, anà ʒ. 2. castorei ʒ. 1. sagapeni & bdellij, anà ʒ. ß. dissoluantur gummi in vino albo, & addita cera fiat vnguentum*: item vnguẽto agrippæ, vel comitissæ, quæ mirum in modum prodesse solent. Eundem quoque vsum præstat oleum de pipere, de cinnamomo, de cariophyllis, de belzuino & de theriaca, vel cum aqua vitæ, vel ipsa sola per se. Calorem etiam reuocat cucurbita cum multa flãma eisdem partibus affixa, vel cataplasma impositũ ex farina fœnugræci, pulueribus chamæmeli, anethi, seminis rutæ, baccarum lauri, stercore caprino, & vino dulci, ac melle.

Si ex sensus defectu aut resolutione musculorum fiat suppreßio.

Verùm si ex sensus defectu aut musculorum, abdominis resolutione vesica vrinam reddere nequeat, præterquam quòd vtile est sensum excitare immisso in pudendi caput aliquo ex prædictis pharmacis, omni arte curandum est, ijs quæ stupefactos sensus excitant vti, & præmissa purgatione, humiditatem in eisdem partibus exsiccare & ebibere opus erit, oleo de castoreo, de belzoino, oleo vulpino, oleo vetustißimo cum ambra, oleo de pipere, petroleo, & vnguentis ex eisdem factis, cũ sagapeno & opopanaco. Præterea aqua vitæ fouere partes oportebit, aut decocto A ex ligni guaiaco, vel vini ex eius decoctione, cum cinnamomo, saluia & ruta: prodest etiam inungere vniuersam vesicæ regionem sanguine vulpis calido. Prodest & cataplasma ex pulueribus prædictis cũ aqua vitæ & melle. Cæterum si locum concesserit affectionis vrgentia, balneis sulphureis, aut sudationibus ex ligni guaiaco, vel radicæ chinæ vtendum erit. Quòd si his adhuc malum non cesserit, sed vrina paulatim cohibeatur, fontanellam altero crurum aperies, qua quod pituitosum ac humidum est, tàm in hac causa quàm in vesicæ imbecillitate, sensim & paulatim spiret: quo facto, dorsum prædictis oleis interim vngere opus erit, & sedi adhibere artemisiæ folia, cum myrrha & aqua vitæ trita: præterea fouenda pars est deco B cto origani, thymi, anethi & centaureæ cum oleo rutaceo, & de castoreo, addita aqua vitæ.

Si ex sanguinis grumo supprimatur.

Quòd si sanguis concretus meatus obturauerit, his vtendum est medicamẽtis, quæ lapidem comminuere posse diximus præcedenti capite. Habet tamen hic proprium & peculiare huiusmodi causa, quòd semper aliquid calidorum pharmacorũ sibi commisceri desideret: quippe nõ sat est tenuia, acida, acria, aut humore multo inundantia porrigere, ni caliditatis aliquid obtinuerint. Quapropter his qualitatibus prædita medicamenta, idonea sunt grumo dissoluendo, vt caliditate fundatur quod concretum existit: cuius naturæ sunt oxymel potui datum, maximè confectum decocto artemisiæ, rubi, & betæ, & earundem herbarum C succi, cum leporis aut hædi coagulo, admixto aceto mulso. Tandem his omnibus admiscebis, quæ vim habeant alexipharmacam, accidentium & ipsius sanguinis concreti gratia: sic theriacam admiscebis, aut mithridatium, aut conseruam ex acido limonum succo confectam cum lapide bezaar et electuario de gẽmis. Item cordi præstabis quæ poßint vires roborare, vt vnguentum naphtæ cum pulueribus diamargaritonis frigidi, aut vinum calidum cum cariophyllis, diambra, & diamusco.

Si ex pure concreto fiat suppreßio.

Cùm purulenta excretio adeo copiosa, crassa, ac viscida profluit, vt impactum eius nonnihil ibidem immoretur vrinam cohibens, tunc quidem ea auxi- D lia adhibenda sunt quæ abstergendi vires sortiantur, maximè si eis miscueris quæ tenuandi vim habeant, velut est aqua hordei cum melle, sacchato rosaceo, vel decoctum lentium cum melle: item stillatitia aqua ex hordeo, terebinthina, & sacchato. Idem etiã præstat aqua lactis, aut stillatitia ex eadem aqua, si si priùs in ea incoxeris saccharum, mel, alumen, & cortices hordei & lentium. Sed sic affectis singulis diebus bibendum dabis lac seminum frigidorum maiorum cum sacchato. Et pari prorsus methodo incedes, si pituitam constiterit vrinam supprimere, hoc vno adseruato, quòd in hoc casu purgare per aluum corpus vniuersum potiùs oportet, aut membrum cuius occasione pituita conscendit ad vesicam, aut per E vomitum si ventriculus causam præstiterit. Nec minoris momenti fore arbitror corpus decocto radicis chinæ sudare, ac sæpius eius aquam bibere.

Si ex lapide suppreßio fiat.

Multis profectò modis, lapide vel à renibus excreto, vel in vesica ipsa genito, vrinam supprimi comperimus: nam primo aut lapis sese inserit ipsum pudendi foramen, prætergrediens osculum vesicæ: quo tempore curandum est, primò Hippocratis consilio vti, qui lib. de Coacis scribit: *Calculosi ita figurati, vt ne lapis in meatum vrinarium procidat, facilè meiũt.* Quippe experimento comperimus duplici corporis figura, lapidem à vesicæ collo dimoueri: vna plurimũ inflexo corpore, qua calculus seponitur in albumem vesicæ, & mox vrina in decliue posita in fistulam subit vrinariam: altera verò dum corpus supinè positũ, sublatis femoribus & clunibus concutitur, quo in aduersam spinæ ciuitatem calculos relabatur. Quod si ex debilitate vesicæ vrina supprimatur, decliue sit laboran-

borantis corpus, quo vesicæ ceruix decliuis etiam & A prona sit. Quo facto ferramento vnico per canale pudendi immisso, ipsum extrahere conandum est: aut si id fieri videatur perdifficile, saltem manibus frangere, vel ferramento forcipis figura facto, quo compresso lapide, facilè frangi contingit. Verùm si id fomentis, vnctionibus, & euaporationibus, extrahere nequeas, curabis ipsum in vesicam iterum immittere, cathetere, vel quouis alio instrumento, ne laborãs suppressione periclitetur. At si lapis paruus sit, cæterum qui osculum vesicæ non possit permeare, id cognosces quòd omnino suppressa sit vrina, quia totam cauitatem ingressus totam obstruit, quo tempore curandum est quouis instrumento ab ore vesicæ seiungere. Si tamen lapis grandior sit (quod nosces, quia cùm omnino non se possit in os vesicæ insinuare, non ex toto vrina supprimitur, sed semper aliquid, excernitur, licèt cum difficultate) post quam ipsum remoueris, statuẽdum tibi est quod Galen. scripsit lib. de renum affect. dignotione, nimirum certissimum esse, nullum reperiri in arte auxilium, quo suppressio ex hac causa contracta radicitus curari possit, præter operationem manualem. Nam licet à plerisque authorum curandi ratio in hac causa sita sit in lapidis comminutione, neque tutò, neque facilè, & vt certiùs loquar, nunquam id ars nostra consequetur: non facilè, quia dissita est vesica à locis per quæ deuorantur medicamenta: quo fit vt antequam lapidem pertingant, in itineris medio omnem vim & efficaciam amittant: non quidem tutò, quia vehementis naturæ esse oportet medicamenta lapidem frangentia, quorum efficaciam neque partes per quas deferuntur, neque rursus vesica cùm membranosa sit, citra grauissimam noxam perferre poterunt, modò per syringam in vesicam ipsam immittas, modò deuoranda porrigas. Quæ tamen, etiam si citra hæc damna ingerantur, nunquam visa sunt lapidem fregisse, quòd eorum vires conterat vrinalis substantia. Id tamen superest consilij, scilicet dum lapis nondum omnino concretus est, ea ex vsu fore, dum tenuium existunt partium & incidentia, atque attenuantia sunt, qualia adduximus præcedenti capite: dum verò induruit, satius est ad operationem manualem peruenire, quàm frustra tentare, quæ aut profutura non sunt, aut maius damnum allatura, cuius rei prouidentiam adduximus præcedenti capite. Interim tamen dum apertio fit, præcauendum est ne nimium crescat lapis, vomitibus, purgationibus, & moderatissima victus & vitæ institutione: item dolorem, tenesmum & vigilias mitigare oportebit, ne vires adeò labantur, vt sufficere tanto operi non possint: quod facies his quæ somnum conciliant, & inunctionibus iuxta perinæum mitigatorijs ex oleo de semine cucurbitæ aut amygdalarum dulcium, vel ex vnguento cucurbitæ aut rosarum, item ex vnguento santalino: præterea per clysteria ex iure & hordei decocto, oleo amygdalarum dulcium, & saccharo. Per pudendum verò si fieri possit nihil immittes, emolliuntur enim partes colli vesicæ quo faciliùs à lapidis ictibus exulcerantur, licèt primo accessu videantur dolores mitigari.

Si ex carne aut callo in cauitate pudẽdi vrina supprimatur.

Dum carnis extuberantia, cuiusuis naturæ sit, in vrinario ductu adnascẽte, supprimitur vrina, eadem quoque lege primo symptomati subueniendũ est, tamen deposita vrinæ copia prædictis auxilijs, longe diuersa ratione aperit, desiderari. Namque solùm ea auxilia huic obstructioni proficua fore constat, quæ caruunculam perforandi, & carnes excedendi vires habent: præmissa tamen medicamentorum copia, quæ emolliendi et laxandi carnem et carunculam ipsam, dilatandique partes efficaciam sortiuntur, per insessiones, fomenta, inunctiones & emplastra. Quibus factis, tentare conuenit hastulas petroselini, maluarum, aut iunci per pudendi canale ad vesicæ vsque cauitatem immittere, quibus caro aut caruncula, si fieri potest, perforetur. Quod si ob duritiẽ fieri nequeat, immittenda leuiter est candela cerea (cauendum tamen ne eius aliquid intus excidat) quod si ita res cesserit, vt caro rumpatur, quod ex falsa & candelæ noua portione ingressa cognosces, maiorem te existima huius negotij fecisse partem. Cæterum si candela non satis fuit, conficiẽda est virgula plumbea, qua iterum conari oportet carnem dirumpere: ac si hæc non profuerit argenteo cathetere vtendum est, donec caro paulatim & leniter perforetur. Sedato tamen sanguinis fluore, si quis fuerit, & relicta ibidem per diẽ cerea candela, aut petroselini hastula, postea extracta curiosè est inspicienda, qua in parte sit con- B nisa & compressa (nam pars perforata, ad similitudinem nerui aut cordæ cuiusdam, candelam solet cingere & excauare) circa quam est obducendum medicamentum huic muneri proficuum, exsiccans nimirum & erodens, quod carnem depopuletur & exedat, qualia sunt ex metallicis & mineralibus plura. Cæterum quia periculum est, ne etiam sana caro aliquid ab huiusmodi patiatur; ob id miscere atque alterare ea opus erit, & etiam accipienda est priùs mensura loci patientis per ceream candelam, & qua parte (vt dictum est) candela ipsa sanguine aut pure maculata apparuerit, eadem profundo foramine excauanda est, atque in foramen immittendum causticum medicamentum, vt qua parte candela signata C fuit ex rupta carne, in eandem medicamentum immittatur. Verùm quia in rebus dubijs & periculo plenis, satius est expertis vti, quàm intrepidè noua experiri, placuit ea scribere, quæ experimento fidelissimo probata comperimus. Primum ex vsu est illud quod conficitur ex calce & lithargyrio, quod mirũ in modum primo accessu prodesse solet: postea verò transactis aliquibus diebus ex vsu est illud, quo sæpe & tutò vtebatur Lusitanus quidam in hac re peritus, non sine magna omnium admiratione. Quod sane ℞ *æruginis, auripigmenti, vitrioli, aluminis rupei, singulorum ℥. 2. perfusa acerrimo aceto, inter duos marmoreos lapides ducantur accuratissimè, redactaque in leuorem tenuissimum exponantur soli caniculari, exsiccatus puluis* D *rursus aceto affuso ducendus ac læuigandus est, similiterque soli exponendus, id quod octo aut nouem dierum curriculis facere est necessum donec partium summa tenuitate acquisita, omnem prorsus acrimoniam atq; mordacitatem amiserint:* namque valida medicamẽta ex aceto diebus plurimis contrita, morsu quidem & acrimonia facilè orbantur, vires tamen non amittũt. *Confecto itaque puluere, accipito argenti spumæ, quod lithargyros appellatur ℥. 2. olei rosacei ℥. 4. quibus per coctura ad emplastri consistentiam redactis, illius ℥. 2. permisceto cum pari portione prædicti pulueris, aut minori, si corpus fuerit imbecillum, vel acriori sensu præditum.* Poteris insuper conficere *ex prædicto puluere aliud veluti linimentum cum modico olei amygdalarum* E *dulcium aut de seminibus cucurbitæ, cum modicissima cera, ita vt fiat linimentum, sed admiscere oportet pulueris ʒ. 1. cum ℥. 4. olei prædicti & ʒ. 2. ceræ albæ purissimæ.* Et tandem ipsum poteris efficacius aut remissius efficere, quantum persenseris mollius, aut cũ mordicatione suum munus exequi. Atq; ob id & hac ratione admixtum arbitror esse id vnguentum, quo vtitur peritus quidam Italus, Augustinus de Alaba nuncupatus, quo mirum in modum carunculas & quasuis alias excrescentias citra dolorem & molestiã extirpare comperimus: quinimo sæpe vlcerum ipsius pudendi dolorem & cruciatum leuat, eodem linimẽto intincta candela, quam circundat linteolo tenuissimo à principio ad cuspidem, & super linteo vniuerso vnguentum illinit efficacius aut minus, prout necessitas sedandi dolorem aut erodendi carnem sese offert. Cæterum vnguentum arbitramur esse idem

magis

magis minusue oleo & cera admixtam: addit profectò vt censeo, pompholygis præparati nonnihil, & hac lege non opus est excauare candelam, quo vnguentum excipiat, sed per vniuersam illinire. Quòd si ex lue Gallica & virulenta gonorrhœa hæc mala in pene & vesica suboriantur, copiosiora præsidia repones libro de morbo Gallico capite de virulenta gonorrhœa.

CAPVT XIII.

De vrinæ stillicidio & ardore.

ALterum symptoma quod vesicæ in ipso meiendi munere accidere scimus, in diminuta eiusdem actione situm, stillicidium vrinæ Medici appellant, (& nonnulli eiusdem ardorem) eo quòd guttatim parum & frequenter vrina excernatur, idque cum calore, conatu ac vi, & nonnunquam cum dolore. Est sanè affectio tenesmo simillima, cùm parũ in ea excernatur, licèt vehementer id nitatur laborans. Neque ob id credendum est, similem esse hanc affectionem ei, quam difficultatem nuncupamus: etiam in stillicidio, licèt dolor, ardor, ac vehemens in meiendo conatus adsint, parum vrinæ aut nihil excernitur; at in difficultate, etiamsi hæc eadem accidentia comperiamus, vrina tamen non guttatim, sed confertim & copiosè excernitur. Quod quidem malum solius vesicæ symptoma esse asseuerat iure optimo Galen. lib. 6. de locis, licèt viarum etiam vitio prodire possit (dimitto hac in parte criticam stranguriam seu vrinæ stillicidium, cuius meminerat Hippocrat. lib. 1. popul. par. 1. text. 41. quòd in hac acres humores per renes ab vniuerso corpore expurgentur item abscessum stranguriosum, cuius etiam prædicto non dissimilis meminit. 3. popul. part. 1.) attinens ad immoderatum excretricis facultatis irritamentũ, etiamsi excretio sua natura diminuta sit, quòd parũ aut nihil permittatur vrina in vesica immorari, et ob id, vt guttatim congeritur, ita guttatim & diminutè excernitur. Neque huic sententiæ aduersatur Galen. lib. de diff. symptom. & 3. de causis capit. 2. statuens symptoma hoc situm esse in genere excretorum immodicè, atque insequi deprauatum motum excretricis vesicæ facultatis: nam aliud est facultatem; validè irritari & immodicè excernere in modo & conatu, aliud verò immodicum esse quod excernitur. Sic enim in hoc symptomate ipsa facultas immoderatè excitatur ad expellendum, & frequentissimè expellit, & ob id ad immodicè excreta reduxit Galen. cæterum quia id quod excernitur est quàm parcissimum, ob id ad diminutam excretionem quantumuis validè excitetur facultas, iure optimo reduximus. Scio tamen non defuturos qui ad deprauatam vesicæ actionẽ id pertinere statuant, quod mihi profectò mirum nõ videtur: nam prout quisque hoc vel illo modo considerat prædictum symptoma, sic profectò ad hoc vel illud genus facilè poterit reducere.

Causa. Habes hoc mali genus causas (vt Galen. scripserat lib. 6. de locis cap. 4. & 3. aphoris. 1. 6. & 25. & 5. 58. & 7. 48.) in vniuersum duas: quarum prima iterum in tres causas dissecta est: vna cùm vrina ipsius acris existit & mordax, secunda cùm ex acrium & mordacium humorum adhæsu contracta est mordacitas, et tertia ex ardore (vt Barbari fatentur, quorum nonnulli eam affectionem, ardorem nuncupatunt) cùm videlicet viæ vrinæ exsiccatæ, ab eo humore destituantur, quem gignit natura in adenosis carunculis, quas velut duas glandulas ad ceruicem vesicæ, lentum sed non crassum gignentes humorem, apposuit, quo mãsuetior reddatur adhuc naturalis vrina. Qui sanè humor exsiccatur, vel ex nimia & frequenti ve-

A nere, vt ex Gal. constat 14. de vsu part. vel ex nimia ariditate et macie corporis. Proficiscitur etiam ex inflammatione prædictarum glandularum, maximè exeunte sanie, vel ex hæmorrhoidibus etiam inflammatis: item ob seminis calorem & potissimum serosæ illius substantiæ causa, & tunc coitum præcedere solet retentio, dum corrumpitur, vnde puris reiectio, pudendi mador & erectio succrescunt, vel propter infectæ mulieris vitium, quod contactu contrahitur, idque potissimum cùm quis semẽ iam commotum retinet. Præterquam quòd sola vrina naturalis, vbi prædictæ partes exsiccantur immodica venere, sufficiens est prædictum effectum gignere, quia acriùs

B mordet ob defectum humiditatis naturalis prohibẽtis prædictam mordicationem. Secunda verò causa est retentricis facultatis impotentia, cùm videlicet grauata, & si pauca etiam vrina sit, eam confestim pellit, antequam coaceruetur, haud secus atque intestina alimẽtum nondum mutatum in lienteria. Sed in harum causarum prima & secunda, non patitur vesica primario & proprio affectu, sed vitio aliarum partium: in tertia verò per primogeneam affectionẽ. Verùm has causas mille occasionibus succrescere est coniectaodum: primò quidem ex iecoris vel totius corporis calida intemperie, quæ nitrosam generat, aut genitam talem reddit vrinam & mordacem ac ichorosam: qua dilabente in vesicam, rationi conso-

C num est, eam frequenter excitare ad excernendum. Fit etiam acris et mordax, ex adhæsu biliosi aut acris humoris, vel nitrosi succi, quos generat calida & sicca intemperie (quantumuis in Gal. litera lib. 3. aphor. com. 16. scriptum reperiatur, præter siccam & calidam insuper et humidam: arbitrandum est enim codicem esse mendosum, & intellixisse siccam) quibus in vesicam conscendentibus, mirum non est si stranguria suboriatur. Quos etiam humores autumnalibus tẽporis succrescere, atq; prædictũ affectum concitare duplici nomine comperimus: tũ ob temporis inęqualitatem, qua partes redduntur imbecilles: tum etiam quia autumni tempore, quo frequentiùs hanc affectionem comperimus, copiosior fit acrium & vi-

D tiosorum humorum prouentus, vt Galen. refert. 6. aphor. 55. & 3. com. 9. dicens: *Autumnus morbis, qui ex corruptione fiunt, assimilatur: nam cum biliosi & exusti humores cæteriq; vitiosi in æstate geniti liberè difflari non possint, vt in æstate, intrò versi ad interiora viscera hos grauiores affectus gignunt.* Puris etiam aut purulenti seminis mictio frequentissimè prædictum affectum gignere comperimus. Pręterea vrina efficiter mordax & acrior, cum pituitosus simul atque salsus humor in vesicam conscendit: quippe ex viscidítate adhæret fixiùs tunicis vesicæ, & ob salsuginem à bile vel nitroso humore contractam, efficaciùs mordet, & maiori impetu stillicidium mouet. Quæ sanè causa cũ frequentior sit, diligẽtiùs venit expendẽda:

E nam & caput & ventriculus & corpus vniuersum in vesicam, dum malè afficiuntur, crudos succos immittunt, salsugine hac insignitos. Considerabis tamen (quod cap. de dysenteria aduertimus) an pituita salsa efficiatur per putredinem, an seri adusti admistione, vel ex adhæsu pauci amari, quippe id ad curationem maioris est momenti, quam primo accessu videri possit. Vlmmò tamen prædicta affectio succrescit ex vesicæ vel ceruicis eius vlcere vel calculo, cui in vesica existenti ardor semper comes est, cui causæ accedit etiam vicinorum membrorum consensu posse lædi, vt vtero, recto intestino inflammatis aut aliter affectis, vel intemperatis. Sic enim prægnantibus accidit, quibus ob vterum crescentem vesicamque comprimentem, vrina stillatim profluit non tarò, sicut in tenesmo & intestinorum uitijs. Nam ex inflammatione prædictarum partium, uel quouis alio tumore, contingit dupliciter fieri: quippe ariditate &

te & vicinia, vesica sit affectionis particeps: aut intumescentibus his duabus particulis comprimitur, sicut & prægnantibus accidit, cum fœtus est grandior. Dimitto etiam lapidem, carunculam, aut carnem supercrescentem in collo vesicæ, aut pudendi via, quibus aliquando intercipitur meiendi actus, nonnunquam verò & vrina guttatim profluit. Altera autem causa, quæ primogenea est & propria vesicæ, ab eius intemperie originem ducit, sita quidem in impotentia retentricis facultatis vesicæ ipsius. Cuius doctrinæ gratia sciendum est, vesicæ interiorem membranam contextam esse varijs fibrarum sortibus, quas dum intendit, vrinam continet, et si solùm transuersis operetur, exprimit. Præterea in vesicæ collo musculus adest, cui incumbit vrinæ meatum eousque claudere, quousque animal meiere velit, ex pondere vel acrimonia vrinæ lacessitum: nam antea (cùm sensus & appetitus moueant animal) licèt velit, non tamen meiere poterit. Huic etiam musculo incumbit, ipsam vrinam permittere fluere, idque voluntariè (licèt actus meiendi sit naturalis à vesicæ vt expellente factus) vel cùm malè afficitur, inuoluntariè, vt paulò inferius latius scripturus sum. His habitis, cum facultas continens in vesicæ fibris sita, ob aliquod intemperamẽtum languidior facta est, tunc quidem vt guttatim admittit vrinam ab vreteribus, ita prorsus guttatim ipsam expellit. Contingit autem hoc malum frequentius vesicæ, ea aliqua occasione refrigeratæ, vt dum Australes venti, vt Galen. aduertit. 3. aphor. nimium perflant & permeant ad intima, maximè si præsit simul aliqua humiditas, quibus resolui videtur vesica, namque nequeuntibus his fibris præ laxitate vrinam continere, protinus exciditur & guttatim profluit. Itaque in prima causa expellens facultas supra modum & ante tempus excitatur, in hac verò retentrix languida parum operatur: vtcunque tamen sit, quod excernitur minutissimum est, & ab eo excretionis modo affectio denominationem sumit.

Causa. Vt affectus innotescat, signis opus non habemus, cùm de se notissimus existat, ea tamen nobis necessaria sunt, vt causas nosse & distinguere possimus. Sic prodire ex acrimonia vrinæ, vtcunque acrimonia contracta sit, facilè nosces ex dolore, tenesmo, & molestia: vrina enim delabente vltra modum naturæ consuetum, aut supra partem exesam, exulceratam, vel phlegmone oppressam, nequit citra dolorem excerni: quippe actiones quæ in nostro sitæ sunt arbitrio, si dolorosæ extiterint facilè cohibemus, vt videre est in parua pleuriticorum respiratione, quæ ob id parua efficitur (licèt maiorem calor adauctus prærequirat) quia præ dolore nequit animal thoracem distendere quantùm necessitas expostulat. Atqui cùm meiendi actus quodammodo sit voluntarius, & ob adductas causas nequeat in hoc affectu citra dolorẽ fieri, conatur animal eundem cohibere, & rursus acrimonia vrinæ lacessitum, iterum excitare, in quibus sita est stillicidij ratio. Verum prædicta accidentia pari ratione prodeunt ex vlcere, tumore præter naturam, aut partis calida intemperie: quod nosces ex signis quæ præcedẽtibus capitibus reperies. Quod si dolor non adsit, et vrina eodem modo excernatur, credibile est ex impotẽtia contentricis facultatis prędictum symptoma suboriri. Ardoris vrinæ causam disces, si præcedentem victus formam aut vitæ modum quæsieris. Quippe nonnunquam fit ex defluxu humorum post equitationem longam aut celerem, vel acrium immodicum vsum: at si ob hæmorrhoides fuerit, ipsæ monstrabunt: verùm dum ex scissuris ani vel colli vesicæ suboritur, solus vrinæ ardor absque puris effusione apparebit, sicut pus copiosum vlcus vitiosius factum. Si tamen post coitum, præsertim cum infecta, glandulis inanitis prodeat, monstrabitur ex pudendi erectione sine causa, & ex redditione vrinæ cum maximo dolore, profluit etiam sanies aliquando liuida, virescẽs, cum mordicatione in meatu. Dissidet tamen pudendi erectio in hac affectione, à libidinosa erectione, quia fit etiam contractio cum dolore, non in neruo cauo, quia sic erigeretur potiùs quàm inflecteretur, sed fit hæc erectio ob plenitudinem aut inflammationem vel inanitionem in meatu vrinæ: ex quo prodit, vt qui tunc coëunt, erecto membro, illis scissura fiat aut vlcus, quo dolorosior & molestior efficitur.

Disces tamen ex interrogatione anteactæ vitæ, qualis præcesserit occasio, aut pręsit adhuc causa quę affectum concitet, vt non solùm curare discas, sed & præ cauere: nam grauissimus est affectus, & vt Aretęus refert lib. 2. diuturnarum cap. 4. (quippe sæpissimè in lapidem vesicæ commigrasse visum est, præsertim cùm vita crapulis dedita cruditates gignit) pręter id quòd nullus vesicæ affectus placidus est, qui acutus existit inflammatione, vulnere, conuulsione, et febribus immedicabilibus, interficit: vlcus verò, abscessus, resolutio, aut lapis magnus tolli nequeunt. Quæ sanè omnia grauiora difficilioraque existunt in senibus quàm in reliquis: nam si affectio ex acutis sit, ob languidum robur citius interimit, si ex diuturnis, frigidis, & cum frigidis humoribus, tardiùs sanescit & difficiliùs coquitur, et ob id diutius patiuntur, donec contabefacti pereant, nullum à præsidijs suscipientes leuamen, vt Hippoc. docuerat lib. 2. aphorism. 40.

Stringere ante omnia mihi est in animo, quorum ex sic affectis, non licèt in hoc capite curationem instituere: quippe dum per cõsensum aliarum partium vesica patitur, aut si inflammatione, vlcere, lapide, vel abscessu, & carne excrescente à proprio munere deficit, proculdubio præcedentibus capitibus medẽdi ratio quærẽda est. Quapropter hac in parte solùm de eo stillicidio vrinæ, quod ab acrimonia vrinæ ipsius, vel ab impotentia facultatis prodit, agere instituo. *Curandi ratio.* Sic profectò (prætetquam quòd ubi est opus sequentis capitis curationem diligenter, in gratiam huius affectus, legere) dum ob vrinæ mordacitatem & acrimoniam stillicidium succrescit, triplex erit medendi ratio, iuxta trium causarum, quibus vrina redditur acrior diuersitatem. Primò namque ipsamet talis efficitur citra commercium extraneæ substantiæ, sed solùm ex alimentis & potibus, quæ nimium iecur excalfaciunt, aut ex ipsius iecoris calida intemperie, qua serosa substantia, quæ ibidem gignitur, acrior sua natura euadit. Quo tempore vrina in vesicam conscendente, mordicationem, & irritamentũ infert validum, cui protinus subuenies victu, qui eam mansuetiorem et temperatiorem reddat: nam carnibus vtendum erit pullorum, elixis cum lactucis, & scariolis, vel cucurbita, ouis sorbilibus, pane loto: lactucis et scariolis elixis cum lacte amygdalarum dulcium: amylo etiam vteris, farre, aut farina hordei cũ iure pulli, vel aqua, butyro, & sacchara: prodest & ptisana, vel ius pulli cum hordeo & sacchara violarũ decocto. Potus sit aqua saccharata vel hordeo decocta, aut radicibus buglossæ vel scorzoneræ: quòd si corpus senile fuerit, aut consuetudo inueterata, dilutiore vtens vino, non tamen ex toto auferes. Inunges quoque renum regionem vnguento santalino & rosaceo, dorsum refrigerante Galen. de cucurbita, vel resumptiuo. Balneis quoq; aquæ dulcis vteris, fugiens ab omni vacuatorio auxilio. Hoc tamen vnum in hac causa magni solet esse momenti, nimirum ea pręsidia adhibere, quæ vrinali humiditati admixta, ipsam reddant mulcebrem & lenem: cuius naturę sunt emulsiones seminis melonum & cucurbitæ, cum aqua maluarum, aut seminis earum, extractæ, vel decoctum aut aqua stillatitia maluarum, portulacę, sonchi, & similium, cum sacchara aut syrupo violarum,

papaue-

papaueris, vel de portulaca. Nec parui est momenti lactis capræ aut asinæ vsus, quippe quod & calorẽ attẽperat, & vrinã mansuetiorẽ redditi valet & serapiũ de mucilaginibus, & mucilago ipsa psyllij & seminis cytoniorũ, cum aqua maluarũ & saccharo feruefacta.

Verùm si vrinæ acrimonia ex pure, bile, aut salsa pituita sibi admista succrescat, longe alia est incedendũ via (quippe à vitiato semine si prodeat, cap. de gonorrhœa reperies curationem) nã si à pure suboriatur præter vlceris aut rupti abscessus (à quibus suboriri potest) curationẽ, abstersione et agglutinatione omni arte vlcus ipsum curabis, & pus quod exit cõtemperare studebis atque admiscere, quo minus mordax exeat: quod facies ijs quæ nuper diximus, & iniecto in vesicã per syringã sero lactis, decocto hordei cum saccharo, decocto etiã maluarũ & seminum althææ & syrupo violarũ & rosarũ. Inunges etiam vesicę regionem ac iuxta perinæum oleo amygdalarũ dulciũ, vel de semine cucurbitæ & melonis, de papauere, vnguẽto rosarum aut cucurbitæ, & tandem omni diligentia studendũ est q̃ citissime vlcus ad cicatricem deducere, vt suo loco abunde dictum existit. Cæterũ si ex acriori bile aut salsa pituita malum oriatur, omni diligẽtia curandũ est humorem imminuere, aliò transferre, & admiscere ac attemperare. Sic primò eandem victus & vitæ rationem institues, quá nuper in prima causarum scripsimus, & protinus ante omne aliud auxiliũ, leui aliquo pharmaco corpus purgabis, cuius naturæ est cassia, sero lactis superbibito, aut mãna in eodem C sero vel aqua hordei & maluarũ liquata, item syrupus ex 9. infusionibus violarum. Verùm quia salsa pituita nó vno modo efficitur, eius generationem primo diligenter inquires, ac iuxta id purgãria hæc aut illa, vel quæ attemperent porrigere studebis, vt latiùs scriptũ reperies cap. de dysenteria. Quo facto diligenter residuũ humoris studebis contemperare, & admiscere aliquo ex his quæ nuper adduximus, & tãdem per aluum aut vomitũ per vices & interualla purgabis. Cui vsui pituita salsa redundante, siue à capite defluat, vt non rarò assolet, siue in ventre genita et bile admixta talis fiat, siue ex putredine prodeat, vomitibus bis aut semel in hebdomada factis, curandũ est ipsam à vijs consuetis auertere, et cum hoc paulatim imminuere. D Verùm si bilis amarior sit, diluto rhabarbari in copiosiori aqua maluarum aut violarum, vel lactis aut borraginis, per ventrem bis terue in hebdomade expurgabis, porrigens inter vnã & aliam purgationem aliquid eorũ quæ vrinam contemperare diximus. Quòd si rhabarbari vsus non profuerit, conseruam ex floribus violarum cum saccharo porriges, aut decoctũ eius singulis diebus.

De sanguinis detractione.

Quibus factis, in dubium vertere institui, an liceat aliqua occasione in hoc malo (si febris non adsit, nã si ea sit, nulli est dubium) sanguinẽ detrahere. In qua re docet Hipp. lib. 6. aphor. 36. & 7. 48. vrinæ stillicidiũ & difficultatem curare vena poplitis interna scissa: quæ sanè sententia vt dubia est, ita periculo non careret eius præceptũ sequi. Cuius ratione abdubitare primo oportet, an in quouis vrinæ stillicidio, vel quauis E eius difficultate, liceat sanguinem mittere: nã ex Hippoc. & Gal. prædictis locis videtur constare, solùm esse mittendũ, vbi ex vesicæ vel partium vicinarum inflãmatione prodeunt, siquidem docent ex talo debere fieri, & huius etiam sententiæ sunt ferè omnes authores. Verũ cum hoc statuendũ est, vbi ex bile acriori aut salsa pituita malum oritur, etiam necessum esse sanguinem detrahere, tum diuersionis, tum etiam refrigerationis gratia. Quo fit vt parcè & partitè, ne vires (quibus in hoc malo laborantes summopere opus habẽt) labantur & concidant: nam hoc solo terrore, plerisq; visum est, nullo modo sanguinem esse mittendũ, verùm cum hoc mittendus est prædictis rationibus citra vllam dubitationẽ, parcè & in mali initiu.

A Quapropter licèt ab Hipp. dictum sit ex talo absolutè esse mittendum, non semper id venit exequẽdum: sed in prædictorum succorum redundãtia semper ex interna brachij vena, nisi defluxio à capite fiat, nam tunc ex cephalica commodiùs fiet. Item dũ ex vesicæ aut vicinarũ partium inflammatione affectio prodit, non semper ex talo mittendus sanguis est, sed primo inflammationis accessu ex brachio, maximè corpore existente pleno: procedente verò morbo, ex talo deriuationis gratia: dixit tamen Hippocrat. solum ex talo, quia ex ea parte misso sanguine solùm vrinæ stillicidium leuamen susceptat, quod à parte affecta deriuatione sanguis extrahatur: cæterum aliarum indicationum gratia, ab alijs etiam partibus mitti potest. B Vltimò tamen videndum est, dum ex talo sanguis mitti debet, an sẽper ex interna eius vena mittẽdus sit: namque non desunt inter neotericos, qui per verbum illud Hipp. internam tali venam, intelligant venas quæ sunt sub cute, ad differentiam earum quæ sunt in cute, et scarificatione scindũtur: verùm id prętermittamus, nó enim in animo est contumeliosũ esse, scio enim diuisionem hanc nullius esse momenti, ac præter mentem Hipp. & Gal. cùm pari ratione in pleuritide internã cubiti venam secare iubeát, & per internã axillarem intelligant omnes Medici. Sed cẽseo prædictum virũ, in excusationem sumere locum quendã Galen. 5. de vsu. part. qua parte vtranque tali venam, tam internã quàm externam ab eodem trunco disseminari, & ob id frustra videri prædictam distinctionem consignare, nimirum inter venam internam & externam, hoc est, quæ in externa parte pedis apparet, & ea quæ in interna, ac consequẽti, quid aliud authores voluisse per internas intelligere. Cuius dubitationis interpretationem nos adduximus, lib. de recto præs. vsu. cap. de sang. mis. statuentes ex Auic. & alijs, quòd, licèt vtraque vena ab eodem trũco disseminetur, cum hoc tamen certissimum est & experimento confirmatum, partes internas maiorem communionem cum trunco interno, & externas cũ externo sortiri, & ob id quæuis pars affecta, vterus nimirum & vesica in internis, & coxendix in externis, suam exposcit sectionis differentiam, adeò necessariam & proficuam, vt nulla lege excusatio prædicta admittenda sit.

Cæterum sanguine misso, vbi opus fuerit, aut non misso, si affectus non postulauerit, clysmatis ex lacte, ex decocto hordei, maluarum & mucilaginibus, oleo rosarum violarum & amygdalarum dulcium cum buryro, tertio quoque die prope somnum vtendũ erit. Prosunt & aquæ dulcis balnea: fomenta item ex decocto maluarum, violarum, rosarũ portulacæ, chamæmeli, meliloti, & seminis lini: eiusdem vsus sunt insessiones seu euaporationes, item & inunctiones ex oleo rosaceo, violarum, nenupharis, papaueris, amygdalarum dul. & buryro vaccino, aut axungia anatis, vel anseris cum mucilaginibus psyllij, seminis cytoniorũ, & althææ: conficies insuper prædicta vnguenta, quæ superiùs adduximus: & etiam illud, q. ℞. *buryri recentis* ℥. 1. *oleorum & rosarum and*, ℥. 1. ß. *olei papaueris* ℥. 1. *mucaginis seminis psyllij & cytoniorum aqua rosarum extractę and*, ʒ. 2. *santalorum omnium & trochiscorum de camphora and*, ʒ. 1. *cum modica cera fiat vnguentum*. Prodest mirum in modum syrupus ex mucilaginibus à Matthæo de Gradi scriptus: item is, qui conficitur ex decocto, quod *recipit lactucę, scariolę and, part. 1. florum violarum, part. 2. capitum papauerum numero 2. seminis psyllij & cytoniorum and*, ʒ. 3. *emulsionis seminum frig. maior.* ℥. 4. *colentur omnia & clarificentur, & cum saccharo fiat syrupus*. Præstat & puluis, qui *recipit seminis papaueris* ℥. 1. *seminis lactucę & portulacę parum tosti and*, ʒ. 3. *pulueris liquiritię, & quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum*

rum anà, ʒ. 1. sacchari candi violati. ʒ. 3. misce & fiat puluis, cuius cum ouo sorbili vel cum iure summo mane laborans sumat. ʒ. 1. Inter omnia quidē quæ prodesse nō parum, sum compertus, est butyrum ex amygdalis extractum ingestum ante cibū: si tamen velis alia præsidia præstare, quæ vtiliter expertus sum in hoc causarum genere, leges vltimam partem sequentis capitis. Verùm si à capite salsuginosum humorem fluere nobis compertum sit, & prædicta auxilia nō prosint, curandum est, fontanellam in altero brachiorū aperire, qua expitet humor ad inferas partes prolabens, quo solo præsidio censeo plures ex hac causa affectos liberari posse.

Altera verò causa, quā tertio loco statuimus, sita in defectu humidi glandularū, quas diximus esse iuxta pudendum, ac ex nimio coitu exsiccari, vt Gal. aduertit. 14. de vsu part. eā solùm expostulat curandi rationem, quæ in renutritione sita, humorē copiosiùs gignat, ac humectet & reficiat. Quam quidē exequeris victu optimi, copiosi, & humidioris nutrimenti: balneis etiā, quiete, & omni refectionis genere. Insuper in vesicā per syringam immittere oportebit vel mucaginem psyllij, vel lactis aliquid, aut decoctū hordei cum syrupo violaceo: item oleum de cucurbita, tum infusum, tum illitum: prodest etiam inunctio ex butyro, & pleraq; ex his quæ præcedentem causam cōpescere diximus. Verùm si ex inflammatione prædictarum glandularū seu adenum aut parastatarū, vel exulceratione ab infecto semine, aut retēto & vitiato, vel vltimò à contagiosa fœmina fœdato, protinus ex talo sanguinē demes, & syringa quæ repellunt in vesicā infundes, vel clysteria, cuius cēsus sunt, hordei decoctum cum syrupo violatū, aut aqua plantaginis vel solatri cum eodē syrupo, vel rosarum. Quòd si dolor vrgeat, vel ingens calor, albumen oui fortiter agitatū & dilutissimum aqua solatri erit inijciendū, vel lac mulieris, asinæ, aut capræ. Verùm si adhuc fluxionem aliquā vigere constiterit, ad ea quæ modicé adstringūt veniendū erit, dummodò corpus priùs casia vel māna purgaueris, vel serapio ex infusionibus violarum cū aqua lactis, præmissis serapijs & apozematis, quę huic muneri prodesse superius diximus: tandē ad extimas inunctiones: vltimò tamen ea curandi ratio instituenda est, quæ acrimoniæ puris proficua existit, quem vsum præstat leniuum, q. ℞. *aquæ maluarum.* ℥. *4. syrupi violarum.* ℥. *1. & ß.* item *decoctum hordei & maluarū quantitate.* ℥. *12. in quo extrahatur lac.* ℈. *1. seminis hyoscyami & papaueris albi, ac mucilago* ʒ. *2. psyllij, lactis amygd. dulc.* ℥. *ß.* cuius manè, aut dū laborans it dormitum, *porrige.* ℥. 2. Prosunt *trochisci alKeKengi pondere.* ʒ. *1. cū.* ℥. *2. prædicti decocti &* ℥. *1. serapij violacei:* item aqua acetosæ cum syrupo portulacæ vel papaueris, vbi ardor vehemēs fuerit. Sed partes calidas inunges liquore albuminis oui agitato cū lacte mulieris: vel hoc, q. ℞. *mucaginis seminis psyllij & cytoniorum extractę aqua cucurbitæ violarum.* ℥. *2. lactis mulieris.* ℥. *1. liquoris oui* ℥. 2. Item in magno ardore prodest ceratum rosaceū cum mucagine seminis hyoscyami & papaueris: valet & *oleum rosaceum lotum aqua plantaginis, cum duobus gr. opij. & modico vino.* Quòd si vlcus præfuerit & velis ipsum detergere, infundes in pudendum aquam hordei cū saccharo, aut lactis serum cū eodem saccharo aut syrupo rosaceo: at si mens fuerit consolidandi, amylum addes aut cerusam lotā, nutritam lacte caprillo, dummodo lapidis suspicio non sit, quo tempore ab his glutinosis fugiendū est: vel partē fouebis vino austeriusculo cū succo plātaginis aut virgæ pastoris depurato, & bolo armeno, mumia, trochiscis de Karabe, de terra lennia, & de spodio *quorum etiam.* ʒ. *1. poteris per os porrigere cum syrupo violaceo aut rosaceo.*

Quòd si vrinæ stillicidiū ex secundo causarū genere ortum duxerit, iuxta illius naturam præsidia quoq; A administrare oportebit: sita nanque est eius ratio in impotentia retentricis facultatis, quæ ab intemperamento frigido & humido, aut solùm humidiori, languidior facta, nequit statuto tempore vrinā adseruare, sed protinus defluere permittit. Quo casu instituta vitæ & victus ratione exsiccante & modicé calfaciēte, facto mensæ principio à passulis cum granis & vino, vel carne cytoniorum sicca & iterum vino decocta cū saccharo & cinnamomo, vtatur carnibus plerunque assis, in cœna ouis sorbilibus, aut conditis cinnamomo & caryophyllis. Vino vtatur generoso aut aromatis cōdito, vel aqua radice chinæ sarsa parilla, vel ligno sancto decocta, aut cū cinnamomo, vel aniso, aut sassafrasa indica. Quatenus verò ad humorem B peccantem attinet, ipsam pituitam (præmissa diligēti præparatione ex rhodomelle, oxymelite, syrupo stœchados cū aqua maioranę aut origani vel radicis chinæ) purgabis infuso agarici cum syrupo ex infusionibus, aut diluto foliorum senę, vel expressione carthami cū eodem syrupo, aut pilulis ex terebinthina cum rhabarbaro & puluere liquiritiæ: item pilulis aggregatiuis, masthichinis, de agarico, vel ex his quæ conficiūtur ex agarico, rhabarbaro, mastiche, & hiera simplici Galeni. Hanc sanè purgationē primo mali accessu copiosiorē institues, postea tamen per vices & interualla purgabis, studens humorem non solùm conterere, sed à vijs etiam vrinæ diuertere: inter vnam tamen & reliquam purgationem, veteris theriaca, mi- C thridatio, aut instillatione theriacæ & mellis squillitici, aut eodē melle squillitico. Quo facto oleo aut sanguine vulpino partem illinies, & cum oleo de pipere, de cinnamomo, de styrace, de abiete, de petroleo, balsamo, oleo Mathioli, de hyperico, & de rore marino. Verùm si hęc non prodesse constet, ad sudationē ex decocto ligni guaiaci, sarsæ parillæ & radicis chinæ, confugiendum esse consulit rei natura & causa: a quem quoque vsum præstant balnea naturalia, maximè ex sulphure. Et si ne hæc quidem prodesse comperteris, fontanellam altero crurum aperire oportebit, qua spiret pituita in prædictis partibus imbibita, quod præsentaneum solet esse præsidium, sicut potus D aquæ sulphureæ naturalis vel aluminosæ.

CAPVT XIIII.

De vrina difficultate.

VLtimum verò symptoma, quod actionibus vesicæ succrescere diximus, in deprauata eius actione situm, Medici vrinæ difficultatē appellarunt, quia in eo vrina magno cruciatu atque dolore, aut cum vi & efficacia, nec non & meiendi libidine expellitur, cæterum in maiori quantitate quàm in stillicidio. Est enim penis & vesicæ, veluti dysenteria intestinorum, difficultas, sicut stillicidium velut recti intestini tenesmus. Sic enim Gal. 6. aphor. 36. & ma- E ximè. 7. 48. expressit huius affectionis conditiones, statuens consistere in duobus, nimirum in vrinæ excretione cum dolore, aut cum difficultate. Itaque laborantes in excretione vrinæ, aliquando persentiunt dolorem & molestiam maximam, adeò vt in medio actus meiendi subsistāt, & pertimescant vrinā reddere, ita vt perterrita natura vrinam cohibeat, à cuius acrimonia postmodū irritata, iterū excernere conetur, licèt cū eodem dolore. Aliquando verò excernitur cū difficultate, hoc est conantibus musculis abdominis vesicam comprimere, & vesica etiam seipsa comprimente irritata ad excretionem, sed nequeunte actum perficere. Differunt tamen in hoc, veluti tenesmi difficultatis genere à stranguria, cui proprium solet esse, quia in hac vrina solùm excernitur guttatim, quantumuis natura conetur expellere; at in difficultate, licèt vi & conatu excernatur vrina, exit

tamen

tamen copiosior. Pertinet igitur vrinæ difficultas ad vesicæ peculiarem actionem. nam cùm eius munus sit vrinam continere, donec animal voluntatis imperio excernere instituat, & postmodum ipsam propria vi & efficacia pellere, stillicidium vrinæ ad primum eius munus attinere certissimum existit, sicut expellendi difficultatem ac vitium ad secundum. Vtcunque tamen sit, affectio soli visicæ propria est & sita in genere excretorum vel retentorum, vitiosè & præter naturæ modum, vt placuit Gal. lib. 3. de caus. symptom.

Causæ.

Vt dupliciter fieri hanc affectionem dictionem est, ita & eodem modo duo sortiri causarum genera erit statuendum (præter causam externam, nimirum ictum, casum aut percussionem, quorum non minor habēda est ratio, dum ab eis malum oritur) primum quidem causam continet in diminuta actione excernentis facultatis ipsius vesicæ, in quo sita est vera difficilis redditionis vrinæ causa & ratio. Nam sicut in huius facultatis impotentia stranguria sita est, ita in eiusdem irritatione cum modica imbecillitate (quæ licet conetur, nequeat actum cōplere) difficultas consistit: quippe dictum est, villorum transuersorum ope vesicam à se exprimere vrinā, quo fit, vt ipsis nequeūtibus omnino opus perficere ob imbecillitatē aut impedimentum, studeat natura vi & conatu quod mole stat pellere, quod vix aut difficulter potest, atq; ob id in subsidium aduocat musculos abdominis, quibus C etiam nititur quantum potest expellere: quod sanè efficit, cæterum difficulter & cum vi atque conatu maximo. Pari prorsus ratione idem symptoma accidit, dum nerui à lumbis & osse sacro ad vesicā peruenientes, quibus pondus aut acrimoniam vrinæ persentit, modicè resoluuntur vel torpescūt: tunc quidem adeò dilatatur vesica vrinæ copia (vt solet accidere his, quibus pudoris causa, aut ob mentis detentionem, vrina non redditur: etenim eo temporis dum meiere non conantur, vrina stillatim profluit, quod Galen. dixerat 6. de locis: verùm iam in se reuersi sic detenti homines vrinam reddunt, non quidem guttatim, vt antea, sed cum difficultate & vi) vt in meiendo sese non possit vesica comprimere, nisi iuuantibus prædictis D musculis abdominis, & natura vi etiam conante supra modum ipsam excernere: quo tempore contingit copiosam & confertim excerni, & sic fit mictus tardior, sed copiosior, et cum difficultate. Secundum verò causarum genus continet eas omnes, quæ meatus mictioni seruientes coarctare possunt, licèt non ex toto, nam tunc suppressio non difficultas succrescit: neque rursus ferè ex toto, quia tunc stillicidium efficitur, sed dum mediocriter obstruuntur, nam tūc vrina quidem excernitur magis quàm in stillicidio, sed cum difficultate. In harum cēsu primum locum tenet inflammatio prædictarum viarum, vlcus cum tumore, leuis caruncula, super crescens caro, humorum acrium sed maximè pituitosorum & salsorum af E fluxus, qui natus sit prædictas vias angustare potiùs quàm naturam lacessere, nam hoc ad stillicidium, illud verò ad difficultatem pertinere est arbitrandū. Frigus item internum aut externum, velut Borealiū ventorum, siccitas quæ corrugatione coarctet, & tandem omnis intemperiei inæqualitas quæ dolorem & coarctationem nata sint concitare. Quibus causis accedit alia non minoris momenti, nimirum vteri decubitus ad vesicæ collum, vt in moniali diui Iacobi triginta dierum spacio conspeximus, quæ nullis nisi vterinis leuabatur præsidijs, diu enim (spacio nimirum vnius & duorum dierum) vrina supprimebatur, postea verò cum difficultate & dolore copiosam reddebat. Quæ causæ cùm vias angustiores reddunt, præter id quòd dolorem concitant, cogunt etiam naturam ad expellendum gliscere, & cùm præ viarum angustia liberè non possit, conatur vi & efficacia id

A efficere, ac licèt vrinam excernat copiosiorem quàm in stranguria, id tamen consequitur cum eadem violentia, dolore, ac molestia.

Signa causarum.

Cùm prædicta meiendi difficultas citra dolorem succrescit, licèt cum vi & efficacia fiat, proculdubiò ab impotentia secernentis proficisci erit credendum, maximè si citra ponderis aut vlceris vel acrimoniæ sensum reddatur, & æquali tenore ac tempore sanitatis, & pari etiam copia, licèt cum vi & efficacia prorumpat, & non nisi munus compressione iuuante. Verùm cum tenuiter excernitur, & minor adest vrinæ impetus, coniectādum est ab aliqua causa vias coarctante fieri, maximè si cum difficultate accedat B quoque dolor & molestia. Sic enim à casu vel ictu vel percussione proficisci, monstrabunt quæ præcesserūt, & ex ipsa laborantis relatione perdisces. At ab inflammatione fieri, propria eiusdem signa monstrabunt, vt suo loco abunde diximus: verùm si cum dolore pus exierit, à rupto abscessu, & puris acrimonia & coarctatione ab eodem facta, coniectandum est prodire meiendi hanc difficultatem. Cæterum si cum dolore vesicæ, ac citra ponderis sensum & cum distentione fiat, ab spiritu flatuoso fieri est arbitrandum. Quòd si tensio non adsit, & dolor vrgeat ac difficulter vrina excernatur, ab inæquali intemperamento prodire conspicies: quale nam sit intemperamentum, quæ adsunt & vigent qualitates, & quæ præcessit vitæ & victus forma, facilè monstrabunt: nam ex ventis qui perflant, & si dormierit homo in locis frigidis, humidis, stagnosis, vel præcalidis, senexue sit, aut nimio potui frigido indulgeat, cognosces. At si ab aliquo humore vias coarctante fiat, necessum erit eius aliquid cum vrina excerni, ac eius colorem mutare ad propriam cōditionem: & si ex callo vel carne crescente, catheteræ vel candela perdisces, sicut si à lapide: item si ex sanguinis grumo, ex sanguinis fluore præcedente, aut causa nata efficere eius profusionē. Ab vteri decubitu proficisci comperies, ex tensione, dolore, & coxendicum molestia, ac menstruorum defectu, vitio, aut diminutione.

Curandi ratio.

Habent hæ duæ affectiones hoc proprium & peculiare, vt ferè eadem præsidia vtrique possint prodesse. Quapropter ad curationem cuiusque verumq; caput licebit diligenter expendere: sed in primis dum ex procatarctica causa quis difficulter meierit, casu nimirum aut ictu, ante omne auxilium sanguinem ex talo mittes, si corpus plenum non sit, aut difficultas ex vteri prolapsione prodierit; sin aliter primo ex basilica, & postea ex talo. Quo facto vesicæ ac perinæi regionem inunges rosaceo & modico aceto, superspársis pulueribus rosarum & myrtillorum, aut simul cum prædicto rosaceo admiscebis, & parti appones. Deinceps verò leuiter uesica manibus comprimenda est, ut citra dolorem quod continet pellat, idq; facies bis terue die, si uesicam inflammari contingat; sin aliter, rariùs, & ea auxilia præstabis quæ superiùs scripsimus.

Facultatis secernentis vitium ac sentientis torporem curare studebis, eadem omnino methodo, & eisdem auxilijs, quæ dicta sunt præcedenti capite, in resolutione uesicæ: præter quæ corpus purgare studebis pilulis mastichinis cum agarico & hiera simplici confectis, aut ex rhabarbaro & mastiche factis, uel cum infuso foliorum senæ in aqua nouem infusionum rosarum facto. A qua purgatione, uesicæ regionem & perinæum inungere oportebit oleo iasminorum, de belzoino, de styrace, de castoreo, de nuce indica, nardino, costino, & unguento marciato: præstat & inunctio theriacæ dilutæ in uino, aut oleo vulpino uel sambuci, aut oleo scorpionum. Cæterum huic causæ, & frigori prædictas partes intemperanti, prodest unguentum, q. ℞. *olei anethini & scorpionum ana, ℥. 1. castorei ʒ. 2. galbani ʒ. 3. coquantur in balneo Mariæ*

& fiat linimentum. Prodest & aliud, q. ℞. *olei lilio-rum* ℥. 1. *& ß. olei cucumeris asinini* ℥. ß. *galbani & o-popanacis, ana* ℥. 1. *pulueris caryophyllorum, macis, cy-peri & angelicæ ana,* ʒ. 1. *cum cera fiat linimentũ:* eundem quoque vsum præstant fomenta & insessiones ex decocto maioranæ, artemisiæ, hyssopi, thymi, parietariæ, & rosmarini. Item emplastra ex eisdem oleis supradictis: vel omentum hœdi recenter extractum & calidum adhibitum, aut pellis cuniculi calida, cũ axungia eiusdem facta prius inunctione: item emplastrum, q. ℞. *raphani contusi, parietariæ, & sisymbrij ana, manip. ß. ex quibus coctis & contusis cum axungia cuniculi, fiat cataplasma.* Quibus factis, & interim dum fiunt, viscidam frigidioremq; pituitam parabis aqua mulsa vel rhodomelle cum modico oxymelite & decocto thymi, fœniculi, & origani, postea verò prædictis pharmacis purgabis: tandem corpus vel insidoribus vel balneis committes, vt præcedenti capite dictum est: at si totum corpus vesicæ consentire videatur, fontanellam in altero crurum aperies.

Verùm si ex humore acri & mordaci, aut alia calorifica causa, vrinæ difficultas principium traxerit (nam sanguinis grumum, inflammationem, vlcus aut crescentem carnem, capite de suppressione vrinæ curare docuimus) præmissa ex cassia, vel manna, aut syrupo violatum ex infusionibus, cum aqua lactis, purgatione, ac sanguine etiam misso, ad corporis tefrigerationem deuenies, inungens partes oleo violatum, cucurbitæ, & nenupharino; aut ex eisdem fiat ceratum, *additis gr. 4. camphoræ pro singulis cerati vnciis.* Prosunt & fomenta vel insessiones rosarum & violarum facto decocto cum semine lini, fœnugræci, & althææ, maluis, & papauere, seminibus etiam additis: prosunt & linimenta ex butyro & vnguẽto rosaceo, vel resumptiuo, & refrigerante. Item per os sumere oportet syrupum violarum, portulacæ, papaueris, iuiubarum & boraginis cum aqua stillatitia ex acetosa, plantagine, & pentaphyllo, aut cum decocto portulacæ, & lactucæ, vel expressione seminum communium. Præstat & lac amygdalarum dulcium cum amylo, aut lac capræ vel asinæ, aut serum lactis cum cremore hordei. Ante cœnam tamen præstat ius pulli confectum cum radicula althææ & semine cytoniorum & hordeo: item mirabilis est efficaciæ summo mane ventre ieiuno, *ouum crudum calidum ex gallina sumere spatio duodecim dierum.* Sed maximi vsus esse didici amygdalarum hac lege confectum, *excipe seminum psyllij, melonum, & cucumeris ana,* ʒ. 2. *seminis althææ & cydoniorum ana,* ʒ. 1. *seminis lactucæ, hyoscyami albi & papaueris albi ana, gr.* 12. *gummi tragacanthi* ʒ. 1. *& ß. fiat decoctum, & in leni colatura dissolue lac amygdalarũ dulcium cum sacharo albissimo, & in prædicto etiam decocto,* si vlceris suspicio sit, *dissolues bolum armenum, terram sigillatam, aut sanguinem draconis:* item porriges lac vstulatum, vel syrupum myrtillorum, aut rosarum viridium vel siccarũ: præterea saccharum rosarum vel diasantalum, aut tragacanthum frigidum. Item sumat laborans *singulis diebus* hunc puluerem, *q.* ℞. *seminis melonum excorticati* ʒ. 2. *seminis citruli, cucurbitæ, portulacæ, papaueris albi ana,* ʒ. ß. *seminis hyoscyami albi* ʒ. ß. *sacchari albissimi* ℥. 3. *fiat puluis, cuius porrige* ʒ. 1. Ex vsu quoque est ʒ. 1. *trochiscorum de alkekengi cum syrupo violarum:* laudatur etiam vsus vitellorum ouorum recentium cum oleo amygdalarum dulcium, vel saccharum violarum, quod gustui gratius solet esse. Sed inter omnia prodesse compertmus balnea aquatum dulcium, & inunctiones per dorsum ex vnguento rosarum, resumptiuo, refrigerante, oleo violatum, loto muliebris lacte: prodest & infusio eiusdem lactis ab vbere super dorsum. Mirum etiam in modũm prodest lithargyrij ceratum dorso & perinæo apponere, aut easdem partes inungere eo, q. ℞. *lythargirij* ℥. ß.

A *ceræ lotæ, tutiæ ana,* ʒ. 3. *aceti & succi plantaginis quod sufficiat, fiat ad modum linimenti.* Nec minoris momenti esse constat clysmata ex lacte, ex decocto maluarum, violarum & hordei cum oleo rosarum, violarum, butyro, & saccharo: item ex oleo amygdalarum dulcium cum emulsione seminum melonum, cucurbitæ, & citruli; ac si dolor plurimum vrgeat, confugiendum est ad *oleum de papauere, tum clysmati additum mensura* ℥. ß. tum exterius illitum: quem quoque vsum præstat dolentes partes inungere vnguento populeonis, aut *lacte mulieris cum grani* 2. *opij.* In quo etiam casu *ad* ʒ. 1. *vel ß. philonij persici aut romani* confugiendum erit: quippe exolutione, & animi angore, atque deliquio, periclitantur non
B vtcumque laborantes hoc perniciosissimo affectu. Insuper per syringam in penem iniicies, *lactis muliebris aut vaccini* ℥. 2. *sarcocollæ vel amyli* ʒ. ß. dummodo nulla adsit lapidis suspicio: quòd si malum ex vteri recursu ad vesicam suboriatur, recurrendum est ad caput de vteri recursu & reuersione, lib. nostro de fœminarum morbis.

CAPVT XV.

De vrinæ incontinentia.

INter deprauatos meiendi actus, non minoris momenti esse diximus eos, qui ad vrinæ incontinen-
C tiam pertinent: nam triste est & miserabile malum, animal vrbanis & intellectualibus negocijs dicatũ, in actu excernendi perpetuò existere: & ob id opus est benignissimum & magni pretij, ipsum ab ærumna hac turpi & calamitosa præsidijs eruere, quantum possibile fuerit. Cuius affectionis occasione, & vt clarius elucescat eius natura, scire oportet, meiendi actum neque omnino esse naturalem, vt multi censuerunt, neque ex toto voluntatis imperio subditum, vt Galen. pulchrè aduertit. 6. de locis cap. 3. sed in eo exequendo, duas necessariò interesse actiones omnino diuersas, naturalem nimirum & animalem, quarum aliqua deficiente, actionem hanc fieri est impossibile. Hactum enim vni datum est, excrementũ hoc
D à vesica, dum aliquo modo molestiam persentit expellere, cuius muneris est naturalis potẽna expultrix, tum intestinorum tum vesicæ: alteri verò excrementa hæc à vi excemente commota ac impulsa, liberè permittere fluere, cui officio assistit musculus oris vesicæ, & transuersus recti intestini vehementer ipsum claudens: quippe hæc instrumenta licèt non sint expulsioni dicata, permittunt tamen fluere pro arbitrio animalis, quod naturalis pellere nititur. Quo fit vt in actu meiendi prædictus musculus nihil operetur, quinimo ocietur & quiescat ab opere sibi instituto, quod est vrinam non permittere fluere citra voluntatis imperium: operantur tamen eo tempore quo vrina excernitur, tum vesicæ excernens facultas, per
E transuersas fibras agens, laxatis obliquis & rectis (quibus vrina continetur aliquo modo, & quibus præstitit natura neruum sensificum à lumbis & osse sacro descendentem, per quem vrinæ morsum, molem, & pondus sentiens excitarur ad naturalem & inuoluntariam excretionem) tum verò musculi abdominis, quos equidem certum est quiescere & ociari, cùm musculus colli vesicæ exprimat vrinam continens & cohibens, ne exeat citra voluntatis imperium. Quapropter statuendum est, has vesicæ & intestinorum actiones vtrasque facultatem exposcere, quarũ altera operetur, & altera quiescat, ex cuius quiete & alterius munere actio meiendi perficitur in vesica. Præterea expendenda est Galeni doctrina 5. de vsu par. capit. 16. vbi loco statuit triplicẽ musculi vesicæ vsum: quorũ primus est, ne aliquid vrinæ in meatu vrinario relinquatur, adeo validè sese volũtariè comprimere,

vt

vt veluti saltu & vi quod reliquum est expellat, quo nihil intersit ibidem: secundus vt os vesicæ claudat omnino, quæ vera eius est actio: tertius verò, vt excernendis excrementis viã patefaciat & præstet, quam potiùs cessationem ab actione esse arbitramur. Quibus suppositis euidenter constabit, vrinæ incontinentiam duplicis esse naturæ: alteram quam propriam censemus, reliquam verò impropriam seu spuriam: impropriam quidem scimus pertinere ad vesicæ corpus, nam retinens eius facultas dum languet, stillicidium frequentiùs, vel aliud symptoma concitat: propria verò ad prædictum vesicæ musculum, essque motholam & præter naturalem actionem, & muneris continendi vrinam cessationem, ob quam symptoma oritur ad excreta immodicè attinens. Differt tamen à stillicidio, quòd citra dolorem succrescat, quia in eo adest actus musculorum abdominis, citra quorum adminiculum nequit facultas pellere, quia claudit musculos vesicæ ac impedit vrinæ exitum, ni ex vi prædictorum musculorum pelleretur: at in mictu inuoluntario, ipsa vrina defluit, quia eam exire permittit prædictus vesicæ musculus. Quod quidem symptoma in duplici esse differentia arbitramur: nam aliquãdo omnimodam arguit facultatis iacturam, quia eius munere omnino priuatur animal, quo tempore vera vrinæ incontinẽtia succrescit: aliquando verò solùm apparet diminuta eius actio, velut in his qui se in lecto permingunt, idque tantummodo inter dormiendum: quorum omnium hac in parte causas recensere, ac medelã adscribere est in animo.

Causæ. Causas incontinentiæ vrinæ (vt ipsa incontinentia duplex est) duplices necessariò licèt constituere: quasdam quæ propriè sunt veræ incontinentiæ, & reliquas diminutæ ac somno factæ. Sic profectò incontinentiæ prima causa est imbecillitas continentis facultatis, quæ talis redditur, resoluta vesicæ facultate. In qua re primo expendendum est, triplicem posse in vesica resolui facultatem: quarum vna est ea, cui incumbit vrinam in cauitate continere retinens appellata, ac operans ope fibrarum transuersarum, quas intendit vt retentionem moliatur. Secunda est sentiens, per totum vesicæ corpus dispersa, qua vtitur ad percipiendam qualitatem aut copiam vrinæ, vt expellat natura statis temporibus: quippe nisi molestiæ sensus præcedat, nulla fiet vrinæ excretio. Tertia verò & vltima est motiua animalis in musculo colli sita, cuius ministerium est continere vrinam, aut (vt propriùs loquar) cohibere ne citra animalis imperium exeat. Quibus suppositis, statuendum est, vt antea dixeram, impropriè dictum esse, primam facultatem, quæ merè naturalis est, resolui, neque dum imbecilla redditur (quod illi magis proprium est) mictũ efficit inuoluntarium, sed forsan indolorosum stillicidium, quòd ipsa ociante aut nequeunte continere, expultrix aliquid exprimere semper nitatur, adeo vt stillatim vrina fluat: nos autem id symptoma impropriam vrinæ incontinentiam vocabimus. Præterea, neque admodum propriè adhuc dicitur, sentientem facultatem vesicæ resolui, cùm id propriùs de motiua intelligi debeat, preterquam quòd illa resoluta, potiùs cohibet eius naturalem & consuetum effluxum, quia cùm natura molestiam non percipit, non excitatur ad expulsionem. Quo fit vt propria resolutio musculo vesicæ debeatur, quippe vel homine somno graui oppresso, vel delirio correpto cõtinere vrinam nequit, vel musculo acrimonia, putredine, aut salsugine humoris lacessito, vel irritato, dilatari cogitur, & sic vrinam permittit defluere: vltimò verò ipso resoluto: quam sane resolutionem multis modis fieri euidentissimum est. Primò quidem à frigore densante spiritus animales, & canales aut neruos, per quos deferuntur, item neruorum fibras quibus musculus intertexitur, dummodo frigiditas hæc calo-

A rem nata sit extinguere, alioqui potiùs retentionem & compressionem vrinæ molietur: nam sicuti frigidi est condensare dum extrinsecus occursat, ita mortificare dum intus permeat, maximè si cum humiditate adiungatur, nam hac lege senibus accidit inuoluntarius mictus, & his qui in locis frigidis & humidis degunt: secundo obstructis meatibus, vel humore imbibito, laxiori facta neruosa substantia, aut plus iusto repleta, quo ineptum redditur instrumentum ad continendam vrinam. Quæ sanè resolutio fit vno è quatuor modis, nimirum obstructis reliquis neruis: aliquando obstructo solo hoc neruo qui ad hanc partem peruenit: sæpius verò sequitur obstructionem priorum neruorum à quibus hic deriuatur: tertio contingit læso neruo per compressionem aut dilacerationem factam à re soluente vel comprimente, vt Gal. retulit 6. de locis cap. 4. accidisse cuidam, qui ex luxatis vertebris spinæ inferioris è regione vesicæ, comprimebatur neruus proprius ad hunc musculum pertingens: quarto verò vitio illius musculi accidit vrinæ incontinentia, nimirum quando musculus it transuersus aut dilaceratus ob grandioris vesicæ lapidis extractionem aut artificis imperitiam qui scindendo musculum attingit, aut extrahendo, lapidem dilacerat. Quo fit vt quamuis vulnus curetur & ad consolidationem ducatur, semper tamen hoc incommodum homini infert, vt vrinam continere nequeat, sed fluat ipso nolente. Itaq; hos læsionis modos inspicere oportet, & cõsiderare an ab externo frigore, casu, percussione, aut dilaceratione, vel luxatione proueniat: an ab interna causa inflammãte, obstruẽte, laxãte aut replẽte musculũ vel eius neruũ, modò in exortu, modò verò intra musculum ipsum.

Adijcies tamen prædictis causis aliã, quam Hipp. lib. de Coacis præscribit dicens: *Quibus incogitanter vrina procedit, & pudendum retrahitur, de spe depositi sunt:* qua sententia statuendum est, ipsum intelligere, non de vesicæ aut musculi colli eius paralysi seu resolutione, sed de totius corporis, & maximè vesicæ mortificatione, ab extincto calore vel totius, vt in his qui morti sunt proximi, vel partium illarum, vt in his quibus ex vlcere, vel tumore, vel casu, aut ictu corrũpitur substantia, & emoritur calor. Sed mirandum est, quo modo cohæreat sententia hæc cum ea quam adduximus cap. de suppressione vrinę ex eodẽ Hipp. etiã in Coacis præ. vbi hæc refert verba: *Ex perfrigeratione intercepta vrina pessimum:* qua parte intelligendum est de perfrigeratione, quæ fit per emortuũ calorem ipsius partis aut totius. Ex quo subdit dubitandi ratio, quomodo ex vna & eadem causa adeo diuersi suboriantur effectus, ac suppressio vrinæ & eius inuoluntarius fluor. Cui dubitationi dicimus, textum hunc vltimum intelligendum esse de perfrigeratione quæ solùm lædit sensificam vesicæ facultatem, alterum verò precedentis capitis, de ea perfrigeratione quæ omnes interficit & perdit, & sic in illo solùm dicit *pessimum esse*, in hoc verò, hoc est in primo, *de spe depositi sunt*, quia nequeunt sanitati restitui, sicut hi quibus solùm sentiẽs facultas resoluitur. Quas sanè causas facilè colliges ex diligenti interrogatione vitæ anteactæ, atque etiam ab his quæ præcesserunt & adsunt.

Causæ verò, quæ noctu & inter dormiendum vrinam fluere cogunt, vim habent plerunque in pueris & humidioribus naturis, sunt tamen longè inefficaciores & debiles quàm præcedentes: & ob id inter dormiendum meiere, signum est minoris mali prædicti musculi, & facilioris causæ, quàm dum innoluntariè fit mictio, idque ob triplicẽ rationem: vna quia fit inter dormiendum, dum sic affecti profundiori corripiuntur somno, quippe tunc minus est animalis potentia actionibus intenta, & ob id minus resistit actibus naturalis potentiæ expellentis:

secunda quia sic afficiuntur, quia abundantiores humiditate existunt, quo fit, vt musculus faciliùs resoluatur, & vrina sit abundantior: tertia quia sic affecti admixtam habent cum vrinæ copia acrimoniam & mordacitatem, quia persentita, excitatur ad expulsionem facultas tempore somni, quo motiua ociatur magis quam reliquæ potentiæ, & ob id facile contingit his tribus causis simul coeuntibus vrinam inuoluntariè fluere inter dormiendum: quia præterquam quòd musculi potentia eo tempore ociatur, grauata retentrice vesicæ, & excitata quæ expellit, assistente etiam imaginatiua potentia, animal mouetur ad permissionem fluxus vrinæ, quo tempore vrina copiosè fluit, cæterum dum solùm est vitio musculi, guttatim instillat citra vllum facultatum aliarum actum.

Præsagiũ Accidit plerumque vrinæ incontinentia pueris & valde senibus: illis ob immodicam humiditatem: his verò ob virtutis defectum à frigiditate impensa, quibus omnibus accidit potissimum, cum nimio potui indulgent, sic enim dum dormiunt, tantam copiam continere nequeunt: sed accidit omnibus, maximè dormientibus, ob adductas rationes, aliquando tamen prægnantibus dum fœtus est grandior. Verùm quæ ex ictu, casu, luxatione, vel musculi percussione succrescit cum inflammatione & alijs accidentibus, periculo non vacat, quinimo nullum admittit artis præsidium, neque ab eo subsidium susceptat, præsertim, si, vt dictum est, ab emortua fiat facultate; quæ verò à musculo ociante, medio modo se habet.

Curandi ratio. Licèt quatuor statuerim vinorum sortes, quibus prædicta affectio succrescit, duas primas (quæ in frigiditate & humiditate musculi claudentis vesicã, aut neruorum huic muneri seruientium sita est) vna medendi ratione firmabis & corriges, nimirum per ea auxilia, quæ vim habeant calfaciendi, vel exsiccandi & calfaciendi simul. Reliquas verò duas quæ in soluta vnitate sitæ existunt, vnam etiam communemque exoptant, leui tamen dissidio differentem. Si igitur ita accidat, quòd vel neruus vel prædictus musculus humore frigido abundet, ita vt vel facultas permeare ad instrumentum liberè non possit, aut si transierit, musculus sit adeo laxus, mollis & infirmior factus, quòd vndique vesicæ os claudere ac premere nõ possit; tũc profectò, præmissa victus institutione, quæ exsiccandi & calfaciendi vires sortiatur (qualis est ex passulis, pane bis cocto, carnibus pullorum, caponũ, perdicum, turturum & cuniculorum assis, aut elixis cum dauco, cinnamomo, aniso, coriandro præparato & cariophyllis: cum potu etiam ex aqua decocta radice Chinæ, sassafrasa Indicá, sarsa parilla, aniso, vel cinnamomo, parca etiam instituta cœna ex ouis sorbilibus cum puluere cinnamomi, aut pyris assis cùm modico vino) ante omne aliud auxilium studebis exactè venari occasionem, an restiterit, vel suppressa sit aliqua consueta vacuatio: nam iuxta cuiusque naturam iterum reuocare studebis, ac si id fieri non possit, corpus purgabis, si cacochymiam causam esse cõstiterit, eo pharmaco quod illi è directo respondeat. Si tamẽ menses aut hæmorrhoides suppressæ fuerint, tunc quidem sanguinem mittes, si eos reuocare ita facilè non sit, ex talo parcè, & per interualla, quæ tunc sat sit copiam deponens, ac si crudior iam sanguis cohibitus factus fuerit, vt non rarò assolet, parciùs sanguinẽ detrahes, & mox purgabis infuso foliorum senæ cum syrupo rosarum rubrarum ex infusionibus, vel modico rhabarbaro, aut diluto corticũ myrobalanorũ cum aqua deaurata & prędicto serapio: postmodũ verò ad ea quæ partem roborant (vt mox leges) deueniẽdum erit. Verùm si ex defluxu pituitæ fluxilis quæ semper defluat, aut crassæ, quæ ibidẽ imbibita, prędicta mala efficiat, morbus suboriatur, cauendũ erit à sanguinis detractione, nisi corpus pari pensu sanguine abundauerit, quinimò præmissa præparatione ex rhodomelle

A diluto aqua sassafrasæ aut radicis chinæ, aut ex syrupo hœchados cum modico oxymelite, vel rosarum cũ decoctione ligni guaiaci, corpus purgabis his quæ pituitam educunt, vt infuso agarici, foliorum senæ & expressione seminis carthami cum syrupo ex 9. infusionibus. Quem quoque vsum præstant pilulæ de agarico, aggregatiuæ, aut confectæ ex rhabarbaro, agarico, & mastiche: cui etiam affectioni prodesse scimus ʒ. 1. *pulueris mechoacani Indici cum vino aut iure pullis* prodest & purgatiõ ex conserua rosarum Persicarũ, cum succo etiam rosarum confecta. Sed facta quauis harum purgationum, deinceps paulatim vacuare studebis, *exhibito infuso* ℥. 2. *agarici in liquore 9. infusionum rosarum*, aut cum prunis damascenis, decocto foliorum senæ & saccharo conditis, vel apozemate ex

B his & ligno guaiaco, redice Chinæ & sassafrasa Indica. Quibus factis, exercitio vt par est imperaro, corpore ieiuno, quod in parte impactum est studebis discutere, & si quid adhuc in corpore superest diuertere à parte affecta, & tandem resoluere & cõterere, in quo munere vti poteris sudationibus ex ligno guaiaco, sarsa parilla, radice Chinæ, aut ex decocto sassafrasæ: itẽ balneis sulphureis naturalibus vel arte factis: tandem fontanella, si humor à capite fluat, brachijs erit affigenda, sin aliter altero crurum. Interim tamen dum hæc fiunt, intus & extra studendum est, quod superest aut parti est impactum discutere: quorum primũ facies *theriacæ* ʒ. 1. *in aqua sassafrasæ, vel myrti granorum, aut vino liquata:* item *castoreũ gr. 8. cum aqua bor-*

C *raginis*. Prodest etiam ad cohibendum vrinæ fluxũ, puluis, q. ℞. *granorum myrti, glandium torrefactorum, corticum thuris, cimini, cyperi anà partes æquales, fiat puluis & detur* ʒ. 1. *cum vino.* Valet etiam confectio, q. ℞. *nucis cupressis, thuris, myrtillorum, cimini torrefacti, fimi columbarum anà,* ʒ. 3. *succini, coralli rubei, rosarum rubearum anà,* ʒ. 2. *conseruæ cytoniorum quod sufficiat, fiat confectio, cuius sumat laborans* ʒ. 2. Ferũt etiam prodesse ad compressionem prædicti musculi, & discussionem eius quod ibidem impactum est, aut ad calfaciendũ, si causa solùm frigiditate lædit, inunctiones, fomenta, insessiones & clysmata rerum calidarum: cuius census est inunctio ex oleo vulpino, co-

D stino, de pipere, de belzoino, de styrace, de abiete, de ruta, balsamo, aut petroleo, vel oleo hypericonis, de rore marino, vel eo quod ex ligno guaiaco extrahitur, vel de cinnamomo, cariophyllis aut aniso extractis arte chymica: ex quibus cum ladano aut cera possunt fieri vnguenta vel cerata huic vsui proficua. Item insessiones, aut fomenta parari possunt ex vino decoctionis roris marini, anisi, dauci, cimini, chamæmeli, pulegij, anethi, saluiæ, ligni guiaci & amaraci cũ granis myrti: prodest & partes vicinas perfricare aqua vitæ, decocto guaiaci aut malicorij, vel maioranæ in vino. Clysteria etiam parabis, quæ maximi momenti solent esse, velut est id, q. ℞. ℥. 8. *decocti saluiæ, rutæ, primulæ veris, myrrhæ, chamæmeli, stœchados; olei castorei & omphacini anà,* ℥. 2. Cui simile est, quod con-

E ficitur ex *decocto rosarum siccarum, maioranæ, saluiæ & malicorij* ℥. 8. *olei myrtini* ℥. 2. aliud item conficies, ex eodem decocto & modica theriaca. Sunt insuper quædã quæ potui data vrinæ fluorem cohibent, velut est leporis testiculus tostus ex vino odorato, vel potio calaminthæ & myrrhæ ante cęnam: item pulmo hędi, lingua anseris, galli guttur, vesica suilla, tauri, & capræ: sed satius est probata & rationalia præsidia adhibere, quàm hæc quæ minoris arbitror esse momenti.

Verùm si ex vertebrarum luxatione aut dilaceratione musculi vesicam claudentis, vrinæ incontinentia succrescat, longe aliter rem agere oportet. Quippe dum ex vertebrarũ luxatione prodit (licèt curatu sit difficilior & periculosior) studendum est ante omne aliud auxiliũ, luxatas vertebras reducere, ac si id fieri ita facilè nõ possit, quod in articulis aliquid humoris

indu-

induruerit, emollientibus dorsum lenire oportet, & postea ipsum dirigere, ac tandem quod ibidem imbibitum est, balneis sulphureis, frictionibus asperis, inunctionibus dictis profligare oportet. At si id non profuerit, lumbis, perinæo & pectini ea præsidia sunt adhibenda, quę resoluendi, roborandi ac firmandi prędictas partes vires habeant qualia sunt quæ nuper diximus & capite de paralysi abunde scripta reperies. In dilaceratione verò prædicti musculi, si ex lapidis extractione fiat, oleo ex terebinthina vtendum est, aut, eo quod apud nos de Aparicio appellatur, mirabilis profectò efficaciæ in neruorum & musculorum solutionibus, superpositis emplastris aut oleis adstringentibus, velut emplastrum quod conficitur ex oleo omphacino, rosaceo, myrtino & pulueribus rosarum & myrti cum albumine oui, aut cum cera facto linimento. Præstat emplastrum ex vino adstringenti cũ pulueribus rosarum myrtillorum corticum mali granati, boli armeni, terræ sigillatæ, & sanguinis draconis, aut ceratum ex eisdem cum oleo rosarum.

Verùm si ex ictu aut casu affectio prodeat, priùs sanguine misso ex brachio, ac postea ex talo, solo albumine oui cum rosaceo & myrtino oleo, ac pulueribus rosarum & myrtillorum rem ages; postea verò, superposito cerato ex rosaceo & bolo armeno, sanguine draconis & myrtillis; vltimò tandem, si intemperies supersit, cerato ex lithargyrio.

Eis verò qui inter dormiendum in lectum mingunt, ferè eadem quæ prædictis ex paralysi vesicæ affectis, prodesse poterunt. Verùm ne tibi adhuc specialiùs desit præsidiorum copia, curabis, parciori potu instituto, eoque ex aqua decocta aniso vel radice Chinæ, & præstito cibo exsiccanti ex passulis, amygdalis tostis & alijs carnibus, diligenter exquirere, an humidius solito & debito corpus existat: quo tempore institues purgationem per epicrasim factam, in pueris ex conserua rosarum Persicarum, aut lacte seminis carthami, vel infuso foliorum senæ cum syrupo de rosis rubeis: in adultioribus verò cum pilulis de hiera, aggregatiuis, mastichinis, aut ex rhabarbaro & agrico & mastiche, ac vltimò eis, quas Barbarorum nonnulli plurimum laudant, quæ recipiunt myrrhæ, castorij, costi, cupularum glandium, pyrethri ana, ʒ. 2. & ß. terantur & conficiantur cum succo myrti. Quę si non prosit, corpus sudatorijs auxilijs leuioribus committes, frictionibus asperioribus, exercitijs, & bis omnibus quibus corpus exsiccari contingit. Postea verò perinæum & pubem inunges prædictis auxilijs, maximè cum theriaca & oleo belzoini: item cum oleo rutæ & abietis, superspersis pulueribus boli, sanguinis draconis, myrtillorum, mastichis, rosarum, stœchados, maioranæ & myrrhæ: prodest etiam inunctio cum sanguine vulpis, maximè si ex paralysi prædicti musculi affectio suboriatur. Oportet insuper partem fouere & euaporationem excipere ex decocto saluiæ, herbæ paralysis, rutæ, corticis quercus & corticis pini ac mespili anà, m. 2. ligni guayaci. p. 2. coquantur in lixiuio: aut vino: eiusdem quoque vsus existunt ex decocto guaiaci cum rore marino, maiorana, & corticibus pini: Item ex vsu est sumere in prima mensa glandes & amygdalas tostas. Curandum insuper est bis terue noctu laborantem excitare, vt vrinam reddere securiùs possit: præterea *theriacæ aut mithridatij* ∋. 1. porrigere poteris, præsertim pueris & puellis pituitosis: Item oleis, paulo ante scriptis, quæ arte chymica extrahi, diximus, bis die perinæum & pudem inunges.

CAPVT XVI.

De diabete.

SEsciam offert & vltima sors eorum symptomatum, quæ in excretione vrinæ contingere antea

A dictum est: nam cùm euidentissimum sit, vesicæ actionem in meiendi munere aliquando aboleri ex toto, nonnunquam verò imminui, ac non rarò viriari, in hoc vitiato actionis genere sitam esse eam affectionem, quam Medici diabetem appellãt, nulli esse dubium arbitror. Quippe non minus vitiatum aut minoris momenti vitium existit quod in adaucta actione situm est, quam quouis alio modo. Quapropter statuendum est, diabetem esse subitam potus omnis per vrinas cum magna siti profusionem. Cuius definitionis occasione, tria huic affectioni nomina succrescunt, & triplicem ob id præstant considerationẽ curationi summopere necessariam: quippe ob subitum & celerem transitum diabetes nũcupatur, nam B ea est huius nominis interpretatio: celeriter enim trahitur, & longè celeriùs defluere permittitur, ita vt ob id necessum sit, celerrimum efficere trasitum ab ore in matulam ipsam: sic enim vt potus ingestus est, ita excernitur per vesicam, aut nihil vel parum immutatus, quo fit vt sola hac ratione diabetes nuncupetur. Statuitur secundo in definitione, esse transitum potus omnis, ex quo prodit copiosam colligi in matula vrinam, adeo vt iure optimo hydrops matulæ nuncupetur: nam sicut in hydrope naturalis inter omentum & peritonæum cauitas aqua perpetuo fluxu impletur, ita profectò matula frequenti et copioso mictu plena semper superest: quo fit, vt multi definierint, prædictam affectionem esse profluuium vrinæ, C vi renum raptæ, vbi potioni concolor est ipsa vrina, fusa toto corpore materia, aut à capite, aut seri copia. Quam sanè sententiam tuetur Aretæus definiens esse carnium & membrorum in vrinam colliquationem, ob quam summa totius corporis macies, & copiosior multo vrina redditur, quàm potus sit: quia nõ id solùm quod bibitur protinus crudum meijtur, sed humor etiam copiosus à renibus colliquato corpore trahitur, in quo sanè præcipuam diabetis rationem consistere arbitror, & ob id etiam hydrops matulæ dicitur. Tertiò statuitur in prædicta definitione, diabetem esse magnam & subitam vrinæ profusionem, tamen cum magna siti: cuius accidentis occasione Medici ferè omnes dipsacum appellarunt: nam cùm D renes perpetuo trahendi desiderio teneantur, & incessanter à iecore omnem humorem alliciant, atque à venis; & hæ à ventriculo; & huiusmodi motus sine intermissione patiatur natura, fit profectò vt implacabili siti premantur laborantes, cuius occasione dipsacus nuncupatur hic affectus, hoc est quasi vehementer sitiens. Itaque à celeritate motus diabetes, à copia excretę substantiæ hydrops, & ab accidẽti quod sequitur, dipsacus nuncupatur.

Neque immerito profectò antiquitas hæc tria nomina huic affectioni præstitit, nam iuxta cuiusque rationem vna prodit consideratio, ita vt magni admodum momenti tres insurgant considerationes, quibus integrari vniuersam huius affectionis naturam E euidentissimum existit. Prima sanè prodit ex celeri transitu eius quod potatur: ex qua diabetes similis est lienteriæ. Nam sicut in hac cibus qui ingeritur citra vllam transmutationem eijcitur, patientibus ventriculo & intestinis, ita prorsus in diabete, vt ex Galen. 6. de locis, & 1. de crisibus capit. 12. euidenter constat renes precipuè, ac non rarò vesicam affici. Cum hoc tamen non cuilibet lienteriæ diabetem conferre licebit, sed ei tantum, quæ vehementissimam quoque cibi appetentiam, caninam appellatam, sibi adiunctam habet: nam sicut hi qui canina appetentia vexantur, affatim impleti, paulo post euomunt, aut alui fluore corripiuntur, non valente ventriculo ipso deuoratorum põdus ferre, ita prorsus renibus ac vesica accidere coniectandũ est. Quippe ad modum caninę appetentiæ ventriculi, renes quoq; ipsi auidissimè multum serosę substantiæ alliciunt, & cùm eam non

possint continere neque conficere, protinus pellunt ad vesicam. Interest tamen differentia, quòd lyenteria, quæ comitem habet caninam famem, paulatim videtur contrahi, cum manifestè constet quando incipit, & rursus quando increscat ac vigeat: in diabete verò non item, imo videtur repente ferè oriri & consistere. Cuius dubij rationem reddens Galen. statuit, cibi appetitum qui in ore stat ventriculi animalem esse appetentiam, quæ sine sensu esse nequit: renum verò quibus incumbit serosum humorem attrahere, appetitum naturalem esse, & citra sensus aliquam perceptionem fieri, ideoque principium & incrementum prædicti appetitus, non ita facilè animaduertimus, quia sensum latet, & ob id repente fieri iudicamus, quamuis etiam sua tempora sortiatur.

Secunda consideratio prodit ex immodica copia, non ingestæ substantiæ modò, sed etiam excretæ: quorum alterum à læsione vnius potentiæ, & reliquum à læsione alterius prodire est compertum. Nam vt antea diximus, aliud in hoc affectu est, celerem esse eorum quæ ingeruntur transitum, & aliud, copiosum quod ingeritur & appetitur. Quippe celer transitus causa est copiosæ excretionis, siquidem plurimum trahitur & nihil detinetur, & ob id plurimum meijtur. Sed vehementis tractionis causa nō ita in promptu est (mox tamen leges) tractum verò esse copiosum prodit, non solùm quòd ingestum sit plurimum, sed quòd corpus quoque colliquari accidat ac sanguinem exsiccari. Quæ sanè consideratio tanti est momenti, vt nulla medendi ratio proficua sit arbitranda, si citra eam procedere institueris: quippe hæc modum ponit appetitui, & corpus præcauet, & vniuersam ferè curandi rationem moderatur ac dirigit.

Tertia verò & vltima consideratio versatur circa sitim, quæ ex celeri transitu serosæ & potulentæ substantiæ, ac ex vberrima eius profusione succrescit. In qua quidem consideratione sciendum est, renes interdum vehementi appetitu trahendi vrinam vexari, quem cùm exequantur, copiosum serum ad se alliciunt, sed mox attractum præ imbecillitate continere adseruareque nec momento temporis queunt, & ob id statim ad vesicam per vreteras delabi sinunt: quem postea vesica eius pondere excitata excernit, sed vbi iam à renibus decessit vrina, iterum inaniti trahunt è proximis venis serosum humorem, qui sanguini mixtus erat, quo vbi sanguis fuerit destitutus, vasa eum continentia exsiccata à iecore trahunt, iecur verò à ventriculo & intestinis, quo exsiccantur venæ ventriculi, præsertim quæ ad os eius attinent, quo fit vt ab indigentia & appetitu naturali renum, prædicto modo potus desiderium & appetitus animalis excitetur. Fit igitur quasi repetitus circulus, quia statim ex ventriculo iecur rapit epotum humorem, & à iecore venæ, à venis renes, vnde fit vt assiduè sitiant, nec potu satiari possint, & plurimam subinde vrinæ copiam excernant. Atque licèt verum sit, appetitum quoque succrescere huic affectioni, cum hoc tamen statuendum est nos latere eius principium, quia non protinus ac incipit copiosus mictus, sitis quoque succrescit, sed dum corpus & humores humiditate & naturali sero priuantur, & ob id dictum est repente ferè suboriri.

His tribus considerationibus præhabitis, expendenda nunc est huius affectionis natura, sita quidem in renibus ipsis tanquam in propria sede, licèt Galen. eius etiam principium vesicam quodammodo statuat, scribens hunc renum vesicæque affectum, similem esse ventriculi intestinorumque læuitati. Consentit quidem quodammodo vesica & copia vrinæ premitur, cum hoc tamen neque ipse morbus nec morbi causa est in vesica, sed in solis renibus. Est autem attrahendæ vrinæ inexplebilis cupiditas, & retinendi impotentia: ex qua conclusione constat, diabetem

A esse symptoma in genere excretorum immodicè, excedens à naturali statu quantitate & qualitate, ac insequens noxam functionis ipsorum renum. Ex hac quidem sequela, sciscitādum superest, supposito, symptoma esse facultatum quæ in renibus vigent, cuinā facultati propriū existat, & rursus à quo morbo prodeat. In qua dubitatione, licèt Galen. diuersis in locis varius videatur in recensendis potentijs quæ læduntur, rei tamen veritas est, eandem sententiam vbique tueri & docere. Nā statuerat 6. de locis attractricem & retinentem summopere lædi, & ob id necessitate huius dicti coactus, lib. 1. de crisibus addidit, concoquentem & retinentem veluti extinctas esse in hac affectione, quo fit vt tum ex eius mente, tum vltimò, ex

B ipsius affectionis natura constet, necessariò omnes tres facultates oblædi, concoctricem nimirum, attrahentem, & retentricem. Nam cùm in diabete celeris futurus sit serosæ substantiæ transitus, oportuit retentricem languidam esse: quippe si munere suo fungeretur, cohiberet vtique vrinæ celerem exitum, ac ex cōsequenti non constaret affectio ex celeri transitu. Pari prorsus ratione oportuit, coctoriam renum extinctam apparere, cùm nullum sui muneris exequatur finem, quia retinens quæ illi ministrat, omnino ab actione desistit. Verum si quis diligentiùs expendat Gal. sententiā de coctrice læsa in diabete, proculdubio reperiet, non potuisse intelligere in verbis libr. 1. de crisibus, de coctrice renum, sed de venosi generis

C & iecoris coctrice: nam renes, præterquam quòd vrinam non concoquunt, si obtinuissent propriam coctricem, qua alimentum sibi conficiunt, languidam, proculdubio vrina potiùs excerneretur sanguinolenta quàm tenuis & clara, & ob id credendum est solùm intellexisse de venarum ac iecoris coctrice. Credibile enim non videtur coctoriam renum labefactari, cùm vrinam renes non conficiant, & eorum coctricem solùm nutritioni subseruire, licèt alijs aliter videatur, & renum coctricem appellemus aliquādo, sequuti Galen. loquendi modum. Item ex necessitate naturæ eiusdem affectionis prodit, attractricem esse summè irritatam ab ingenti appetitu: nam cùm naturam diabetis integrari constet, non modò ex celeri

D transitu, sed ex copioso mictu, necessum vtique est, copiosum potum expetere, & omnem succulentam sanguinis & corporis substantiam allicere & trahere, vt appetitui satisfacere possit: quibus accedit expellentem quoque præ pondere aut acrimonia excitari ad celeriorem pulsum. Quo fit vt omnes oblædi opus sit, & his omnibus modis renes infirmari, vt diabeticum affectum gignere possint, vt expresserat 7. method. cap. 8.

Causas huius affectionis, varias, diuersas, ac sæpe contrarias reperies apud authores scriptas: quippe Aretæus inter Græcos præstantissimus, fieri à frigiditate statuit: nec desunt inter Arabes qui id quoque asserant: Paulus à calore: Aetius à calore cum humorum Causæ

E mordacium affluxu. Quam sanè varietatem censeo ortam fuisse à Galen. qui nullibi, quod ego legerim, causas diabetis integrè expressit. Cæterum statuendum est, tot esse causarum differentias, quot potentiarum diuersarum læsiones. Quapropter statuendum est, vehementis tractionis renum causam esse eorum calidam intemperiem, vt Alexandro & Paulo visum fuit. Celeris verò vrinæ transitus genuina existit causa, idem calor, qui deijcit retinentem facultatem, sed potissimum immodica vrinæ copia, eiusque cum prædicto calore humiditas, quorum alterum facultatem infirmat, alterum verò grauat, quousque permittat defluere. At expultricem etiam ad celeriorem pulsum lacessit affluxus humorum biliosorum, & salsedinem præ se ferentium: nam ex mordicatione illa & graui etiam vrinæ pondere, gliscit hæc potentia ad expellendum, non reluctante retentrice.

Præte-

Præterea appetitum excitat naturalem attrahendi v- A rinam in ipsis renibus, tum humiditatis, tum ipsius vrinæ inanitio & indigentia, quæ necessariò sequitur ex celeri eius transitu. Quòd si aliquando concoctrix facultas (vbi aliquid vrina ibidem immoretur) non possit suum munus perficere, mirum non est, si statuerint Barbari Medici cum Aretæo, morbi frigidi occasione fieri, nimirum defectu caloris innati & eius extinctione, quo coctionem partes supradictę moliuntur: verum prædictam caloris priuationem seu refrigerationem contractam fuisse plerunque vi caloris pręter naturam exurentis, haud secus, quàm hydropem aliquando in fine febrium ardentium fieri dictum est. Cum hoc tamen non desunt ex iuniori- B bus qui ex frigiditate positiua suboriri statuant, & probent euentu in his qui potibus nimium refrigeratis niue vtuntur: in quibus vel calorem coquentem venarum & iecoris extingui contingit, (quo facillimum est conijcere velut crudum prorsus, vt in lienteria proijci) vel renum atractricem plurimum excitari, abingenti renum appetitu ex prædicta frigiditate, haud secus, quàm in fame canina cibi appetitus in ventriculo excitatur: referuntque id ad duarum facultatum renum impotentiam seu vitium, ex immodica illa frigidi intemperantia. Quod se arbitrantur probasse ex Galen. 7. metho. cap. 8. vbi omnem actū cuiusuis partis ex duarum qualitatum intemperantia deijci statuit. Sed ne quis horum rationibus deceptus C vt iacet hanc doctrinam sectetur, cùm frigiditas in renibus nequeat eo modo ac in ventre appetitum excitare (cùm in hoc sit animalis & in renibus naturalis) præter quam quòd tractus in hac causa alia ratione fit ac in legitimo dipsaco: dupliciter enim fieri statuendum est: vno illegitimè, copiosa redundante serosa humiditate: alio verò legitimè & propriè, virtutibus renum malè affectis. Nam refrigerans iecore & venis, verissimum est crudam & copiosam vrinā gigni, quam trahentes renes protinus reijciunt, tum ratione pōderis, tum quia dissimilis est, nullum inde capessescunt alimētum, quo fit vt auidiùs trahere gliscant; & cum tractum sit eiusdem naturæ, eodem modo proijciunt, & iterum trahunt, ac sic in perpe- D tuo versantur tractu, quantum sat sit ad spurium dipsacum factū citra trahentis vitium, licèt plurimum trahat, quia non trahit ex intemperie sed ex indigentia: qua lege intelligere oportet eos qui ex frigida causa diabetem oriri statuunt, et hinc est quòd etiam fami caninæ assimiletur. Quo fit vt mirandum non sit, si adeo varios morbos variasque causas adduxerint authores in diabete, siquidem variæ oblæduntur facultates, & varijs modis. Superest tandem caloris præter naturam varias posse esse occasiones & causas: internas quidem vt febres ardentes: externas verò vt ciborum acrium, calidorum, & mordacium esus, vel vini potentioris immodicus vsus, aut adhæsus ignis iuxta renes, insolatus, vel immoderatū exerci- E tiū. Humorum verò acriū, mordacium, salsuginosorū affluxus vel ex toto vel ex iecore nimiū calfactis, aut à cerebro salsam pituitam instillante, nec non à prauo vitæ & victus instituto.

Signa. Signis profectò videbatur opus non esse, cùm affectio cognitu facilis sua natura existat: verùm quia ipsi similis quodammodo est vrinæ fluor, oportet disiungere et signis vtrunque distinguere. In primis itaque vrina copiosior multo redditur, quàm potus fuerit (quod in fluore vrinæ non accidit) quia corporis colliquationem sibi habet adiunctam: item cum dolore aliquando vrina excernitur, vt scribit Aretæus, quod in fluore non reperitur. Sic & viscera ipsis vri videntur, omnia fastidiunt, animo sunt dubio, saliuā habent albam & spumantem, præcordia grauia & sitim in compescibilem, ac si ampliùs increscat morbus, calor mordax in visceribus sentitur, ex perenni

A & violenta seri attractione, abdomen corrugatur, venæ intumescunt, & qui sic afficiuntur tabidi fiunt ex vi trahendi venarum immodica, qua totū corpus necessaria fraudatur substantia. Quòd si vel modico tempore ab excretione vrinæ abstinuerint, tument lumbi, testes & ilia, haud secus quàm in hydrope, quod serum in prædictas partes instillet. In summa acutus & grauissimus perniciosusq; existit morbus, & qui cito & grauibus symptomatis interficit.

Curandi ratio. Curandi rationem huic affectioni proficuam, neque vnam neque sufficienter efficacem inuenire hucusque authores valuerunt: cuius difficultatis causam esse arbitror, quòd facultates variæ ab vna so- B lùm intemperantia oblædantur, quæ licèt vna sit, & ob id facilè ab vno contrario mitigari oportuisset, varijs tamen conditionibus affecta, varios quoque læsionis modos fabrefacit: quippe sola calida & acris caliditas tractum mollitur vehementem: hæc eadem a- queo sero quem traxit admixta imbecillitatem retentrici præstat, item eademmet cum vrinæ vel alicuius humoris mordacitate & acrimonia aut salsugine excretricem irritat & accelerat: præterea ipsa etiam caliditas calido innato consumpto atque resoluto, frigiditatem gignit, qua concoctoria facultas iecoris & venarum infirmatur. Quo fit, vt licèt refrigeres attēperesque prædictam caliditatem, nisi modum etiam sibi adiunctum compescas, nihil vtile & proficuum C efficies: id autem efficere quàm difficile sit, præter authores etiam monstrat euentus. Quapropter prudenti Medico opus est, qui præter id quòd ad mensuram refrigerare sciat, reliquas etiam qualitates frænare possit citra alterius noxam. Sic etenim vt minus erres, considerare oportet, sit ne sola renum intemperantia (quod rarius accidit) an cum aliquo ex biliosis aut salsuginosis succis adiuncta: item an ibidem defluat vi & iudicio alicuius morbi febrilis, vel ex iecore calido & bilioso, an toto corpore ad calorem intemperato, an vltimò ex capite salsam pituitam instillante. Quòd si ex nuda intemperie prodeat, eam curationem institues, quam proficuam fore mox leges intemperantiæ cum affluxu materię, ipsa iam educta D & consumpta: & ob id sat erit id semel scribere. Igitur si ex calidi, acris, aut salsuginosi humoris in renibus imbibiti diabetes oriatur, triplex erit medendi ratio: vna quæ humorem educat: altera humoris substantiam aliò transferat & discutiat: & tertia quæ renum calorem attemperet: nam triplex est læsionis modus qui succrescit ex prædicto calido succo: primus quidem est valida attractio: secundus ex vrinæ copia deiecta retentio, & tertius non mediocris expulsio ex succorum acrimonia. Quarum affectionū neutra curari potest, prius quàm succi redundantia imminuatur, & ob id, ab ea simul cum leui attemperamēto initium curationis auspicari oportet. In quo opere, primò eum victum & vitæ modum institues, E quo & aluus soluta sit, & animus à pathematis liber. Cui ea alimenta porriges, quæ parum serosæ humiditatis gignant, & cum hoc quæ plurimum nutriant, cuius naturæ sunt extrema animalium & auium: item aues montanæ, & syluestres, carnes recenter interfectæ, atque oua sorbilia & ptisana. Prosunt & olera quæ frigidæ sint naturæ: vitanda quæ salsa sunt & acetia aut mordacia. Pro potu porriges aquam deauratam aut hordeo decoctam cum vino rubro & crasso, cui addes succum malorum punicorum, aut decoctum pomorum seu pirorum astringentiū. Postea verò siue à iecore, siue à toto corpore prodeat biliosus, aut acris, & salsus humor, præmissa eiusdem temperatione syrupo violaceo, borraginis, nenupharis, rosarum, de portulaca, de papauere & similibus, cum aquis cucurbitę, hordei, sendis, lactucæ & scariolæ, protinus & ante omne aliud auxilium, purgabis manna, cassia, & syrupo ex infusionibus violarum cum infu-

so my-

so myrobalanorum aut rhabarbari. Purgatione semel facta, antequam morbus vetustior fiat, venam secabis, parcè tamen & partitè, idque maximè si vitio iecoris calfacti aut totius corporis affectio succreſcat. Verùm si ex imbibitione humoris biliosi & acris in renum corpore malum prodeat, ex talo sanguinem mittere, magni fore momenti arbitror. Præmissis his vacuationibus, interim dum intemperiem corrigere studemus, paulatim oportet humorem peccantem ad ventrem & alias partes euocare, iuxta Hippocr. sententiam 4. aphoris. vltimo, vbi statuit quòd vrina multa noctu reddita, paruam significat deiectionem alui: quo theoremate videtur significasse, quòd in alui profluuijs, si humoris ab aluo ad vesicā fiat auersio, alui profluuium mitescet: atque etiam vice versa, si immodica vrinæ excretio sit, illi facilè subueniemus facta aluo citatiori & fluidiori. Quo fit vt iure optimo dixerit Galen. lib. de hirudinibus, reuulsione & cucurbitulis, vrinę profluuia ad alui deiectiones & sudores esse reuellenda, vt idem statuerat 6. epid. 2. sed vtiliter institues etiam bis aut ter in hebdomada vomere, maximè si à salsa pituita malum oriatur. Insuper clysmatis est agendum blandioribus, nõnunquam prædictis pharmacis per vices & interualla vtendum: cui vsui præstat *masticare bis aut semel in hebdomada* ℥. 1. *cassiæ fistulæ, & pulpam eius deuorare, superbibita aqua hordei vel cucurbitæ.*

Quibus factis, si humores aut auerti aut euocari omnino possibile non sit, seram venarum substantiā ad cutem omni ingenio euocabis, vt faciliùs quod superest, continere possit natura. In quo opere sudores mouere oportebit, vel radice chinæ, vel decocto pentaphylli, aut florum papaueris erratici vel buglossi: tandem id tentabis medicamentis, quæ calida non sint, sed solùm tenuium partium, aut copioso vapore turgentibus: quod etiam tutissimè mouere poteris cucurbita aqua calida plena & pedibus aut sub alis admota. Idem etiam exequi poteris, & commodiùs profectò, balneis aquæ dulcis, quibus non solùm ad extima euocatur serosum in venis contentum, sed attemperatur etiam corpus vniuersum & iecur. Item corpus fricabis summo mane diligenter, præsertim manibus vnctis oleo amygdalarum dulcium, aut de semine cucurbitæ, cum modico sale aut nitro. Præterea exerceri coges laborantes, ac tandem illis potum imminues, non tamen adeo rigidè quòd sitim tolerare deinceps nequeant. Quòd si hæc omnia prodesse nõ possint, ea deuoranda præstabis, quæ quodammodo vias coarctent & serum crassius reddant: cuius naturæ est sanguinariæ vel plantaginis succus, ex vino nigro bis die præstitus, aut palmularum decoctum, baccarum myrthi, pyrorum, mespilorum & simphyti cū aqua tepida admixtum, maximè si inter coquendum vermes terrestres addideris. Prodest & saccharum rosarum decoctum & admixtum terræ lemniæ, bolo, trochiscis de succino de spodio, cum syrupo ex succo omphacij, myrtino, rosarum, siccatum & aqua plantaginis. Item exteriùs renibus adhibebis quæ consimiles vires habeant, & cum hoc ipsorum feruorem attemperent: cuius naturæ est emplastrum, q. ℞. *pampinorum vitis, summitatum salicis, portulacæ, virgæ pastoris, semperuiui anà, m. 1. post leuem coctionem pistentur, & adde farinæ hordei lib. ß. olei rosati & aceti, anà, ℥. 2. fiat emplastrum,* quod actu frigidū prædictæ parti adhibeatur. Præstat & eidem apponere succum solatri, & pampinorum vitis, cõ oleo omphacino, & modico bolo armeno. Parabis etiam aliud, q. ℞. *succi lactucæ, portulacæ, pampinorum vitis & vmbilici veneris, anà ℥. 1. farinæ hordei ℥. ß. gummi tragacanthi infusi in aqua rosacea ʒ. 3. mucilaginis seminum cytoniorum ʒ. 3. olei rosacei & myrtini, anà, ℥. 1. & ß. hypocistidis, balaustiorum, corallorum rubeorum & rhu obsoniorū anà ʒ. 2. aceti & ceræ parum, vt fiat vnguentum.* Ferũt etiam laminam plumbeam dorso appositam mirum in modum prodesse.

Quòd si hæc adhuc non sufficiant, intemperiem calidam, siue sola à principio perstiterit, siue cum humorisaffluxu (vbi copiam sufficientem deposueris) compescere & attemperare deinceps studebis præstitis serapijs & apozematis, quæ id valeant efficere, velut est syrupus violarum cum aqua cucurbitæ, aut syrupus portulacæ vel de mucilaginibus cum aqua hordei, tãdem ptisana aut puls ex farina hordei: prosunt apozemata ex aqua cucurbitæ & hordei cum syrupo de rosis siccis aut de papauere & portulaca: item conserua violarum, buglossæ, borraginis & rosarum cum pulueribus electuarij de gemmis aut diamargaritonis frigidi. Sed exteriùs id quoque tentabis efficere, inunctis renibus, perineo & iecore, vnguento rosaceo, santalorum, refrigerante Galen. de cucurbita & resumptiuo. Præstat & inunctio ex oleo rosaceo omphacino, cytoniorū, de papauere, myrtino, aut nymphææ cum modico aceto. Iecori etiam opitulatur, q. ℞. *santalorum omnium ʒ. 2. succi plantaginis & cichorij ana, ℥. 1. olei rosacei & myrtini anà, ℥. 1. & ß. ceræ et aceti parum,* supra quod adhibere poteris epithema q. ℞. *aquarum cucurbitæ, rosarum, & portulacæ anà, ℥. 4. aceti rosati ℥. 1. santalorum omnium & trochiscorum de camphora anà, ʒ. 1. misce.* Ex vsu quoque est iecur & renes inungere eo q. ℞. *olei rosarum & myrtillorum anà ℥. 1. vnguenti de cucurbita ℥. ß. pulueris coralli, eburis & sanguinis draconis anà, ʒ. 1. ceræ quod sufficiat.* Quòd si placuerit dorso cataplasma attingere, ℞. *foliorum hyoscyami, papaueris, solani, ac rosarum anà, m. 1. portulacæ & vmbilici veneris anà, m. ß. santalorum, corallorum rubeorum & balaustiorum anà ʒ. 1. olei rosacei, seminis cucurbitæ & cytoniorum, anà, ℥. 1. contundantur quæ contundi possunt, & misceantur cum succo solani,* & modico aceto, ac fiat cataplasma. Verùm si hæc non prosint, ad narcotica deuenire consulit vrgentiæ ratio: cui vsui præstabis laboranti id, q. ℞. *carnis cytoniorum & conseruæ rosarum anà, ℥. 1. mucaginis tragacanthi & seminis cytoniorum extractæ aqua rosarum anà, ℥. ß. amyli ʒ. 3. boli armeni & sanguinis draconis anà, ʒ. 1. misce & cum syrupo papaueris fiat opiata;* præterea laboranti præstabis *dum it dormitum,* si hæc non prosint, ʒ. 2. *vel* ʒ. 1. *philonij Persici vel Romani cum polygoni succo & modico vino:* item extrinsecus renes inunges oleo de papauere vel vnguento populeonis.

At si ex capite salsam pituitam delabi compereris, scito nullo alio præsidio citius & tutius malum posse corrigi, quàm in brachijs aperta fontanella: quod experimento fidissimo comprobatum habeo.

CAPVT XVII.

De gonorrhœa, seu de spontanea seminis profusione.

CVm gonorrhœa sint, vt Galen. placuit 6. de locis capit. 6. & Aetio, ac Paulo, seminis inuita ac præter voluntatem excretio, quæ continuè naturalibus non intentis, ex retentricis naturæ facultatis imbecillitate proueniat, quòd sine venere (vt refert Celsus) sine nocturnis imaginationibus, sic fertur, quòd interposito spatio, tabe hominem consumat: & cùm etiam sit alia seminis excretio, quam Galen. loco citato, voluntariam seu naturalem appellat, ob id profectò, qua parte semen fiat, qua etiam ad tempus recipiatur asseruetúrque, & per quas vias tandem excernatur, quo modo fiat excretio, vt particulam affectā faciliùs in hoc malo inueniamus, & quibus causis ac facultatum læsionibus prodeat, expendendum diligenter est. Quarum dubitationum gratia, sciendum primo erit, huic seminis ministerio varia dicasse naturam instrumenta, diuersaq; vasa: nam ab arteria ma-

gna,

goa, magna itidem vena iuxta renum regionem, vaſa quædam deriuantur ad teſtes, & ipſos pertingunt, atque eo pertinentia multipliciter & varicosè reuoluuntur. Quorum ſanè officium eſt, ſanguinem qui futurus eſt materia ſeminis, tranſmutare, & ad naturam ſeminis ſuſcipiẽdam parare: quo fit, vt in eiſdem albeſcere incipiat, & quo magis prope teſtes accedit, eo magis, magiſque albeſcat, donec tandem perfectionem & integritatem ac veram ſeminis formam in teſtibus ſuſcipiat. A teſtibus autem vaſa alia ex denſiori materia et ferè ex neruacea ſubſtantia fabre facta, caua etiam, vt venæ & arteriæ, ortum habent, quæ quaſi miniſtri teſtium ſunt, & elaboratum ſemẽ ſuſcipiunt, adſeruantque. Quod equidem ſemen ſiue ſponte ſiue ſecus profluat, ab his vaſis per fiſtuloſum neruum, quo præcipuè conſtat penis, impulſum vi quadam, generationis & coitus tempore eiaculatur. His habitis, expendendum inſuper eſt quo modo ſemen excernatur ſecundum naturam, & quo modo aliter: quippe non quomodocunque ſe habentibus prædictis inſtrumentis, commodè fieri poteſt ſeminis proiectio: nam & neruum fiſtuloſum dilatari oportet, vt faciliùs ſemen propelli poſſit, quòd lenta quadam ſubſtantia ſemen conſtet: & rurſus vaſa quę an teſtant ac ſemen elaboratum adſeruant, opus eſt in ſeipſa contrahi & quaſi conuelli, ita ſanè fit vt maiori vi ſemen propellat. Quo fit, vt in epilepſia, & his qui conuelluntur, ſi vehementior fiat motus, ſemen quoque effundatur, fit tamen contractio illa naturalis, quæ ad modum conuulſionis exiſtit, non quidem ab exſiccatione inanitioneue, ſed potiùs ex eorum vaſorum plenitudine, quæ diſtenſa in latitudinem, ſecundum longitudinem contrahuntur & abbreuiantur: at plenitudo tunc & fit ex copioſo ſemine & vberrimo ſpiritu, qui partim in ſemine mixtus cum eo confluit, partim verò ex arterijs ibidem coegeritur quod penis intenditur, erigiturque, præeuntibus quibuſdam imaginatricis motibus, & alijs quæ huic operi neceſſaria exiſtunt, quibus ſimul concendentibus, ſemẽ natura tranſmittit. Verùm dum ſeminis effuſio inuoluntaria eſt, & morboſa, longe aliter res ſe habet: namque neruus ille fiſtuloſus non dilatatur, quia non eunt cum ſemine alij ſpiritus ex arterijs, & ipſum ſemen eis orbatum exit. Præterea non comprimuntur vaſa, quæ ſemen adſeruare diximus, & ob id non exit ſemẽ confertim et ſubitò, quia nulla vis concurrit ad eius effuſionem, quinimo laxantur & aperiuntur prædicta vaſa, & cùm neruus fiſtuloſus non dilatetur, ſemen inſtillat paulatim & lenè, & ob id citra delectationem excernitur ac citra penis erectionem, quia paulatim effluit, non confertim & ſubitò: hæc enim ſolùm ſunt quæ dolorẽ aut delectationem inferunt. Quem ſanè morboſum actum, vt ad vnguem calleas, ſcito Galen. 6. de locis cap. 6. dictas vacuationis differẽtias referre: priorem quidem naturalem, quia conſtans natura ſuo munere fungens, noxia quæq; opportunè pellit: alteram ſymptomaticam: illam quidem exequuntur prædicta inſtrumenta, agentia, vt primo loco dictum eſt, more naturali, compreſſione nimirum vaſorum ſemen continẽtium, & dilatatione fiſtuloſi nerui: ſymptomaticam verò eiſdem potiùs ocianitibus, ac modo dicto ſecundo loco agentibus, aut potiùs patientibus, quam vi & efficacia naturæ, & ob id ſymptomaticæ vacuationis duas enumerat ſpecies: quarum vna eſt vbi nihil agente natura, ſponte ſua contentum à continente loco effluit, quia cõtineri à vi & potentia ibidem operante non poteſt, velut contingit in morituris ſudor & ventris fluxus, cuius naturæ etiam eſt ſpontaneus ſeminis fluxus. Cui plerunque accedit vaſorum, quæ ſanguinem à caua vena, & magna arteria, alliciunt, auida trahendi cupiditas, quam multi non expendentes, rarò ſalubre præſtant auxilium.

A Quippe ex ſanguinis attracti vbertate, plerunque vaſa, quæ continent, imbecillitantur, & id malum efficiunt: quem tractum ſolet mouere calida prædictorum vaſorum intemperies, haud ſecus quàm in diabete renes efficere dictum eſt: ex quo prodit ocyſſimè corporis vniuerſi contabeſcentia, & ſitis, ac animi deiectio: quæ omnia expendiſſe ad curationem magni eſt momenti. Altera verò ſpecies fit, quandò morboſus ipſe affectus expellit, vt contingit in epilepſia dum ſemen effunditur: nam ex conuulſione prędictarum partium expellitur ſemen vi, non tamen naturali ſed violenta, ex non naturali motu à cauſa præter naturam facto, licèt naturali quodammodo ſimilis exiſtat. Quibus etiam modis aliud addidit idẽ B Galen. nimirum vbi vacuatur quoque idem ſemen, non tamen deficiente retentrice, vt in prima ſpecie, neque morbo pellente, vt in ſecunda, ſed natura irritata, ac leges proprias inuertente. Itaque cùm retentio naturalis fiat, cùm clauſus permanet meatus, & contentum à continente haud quaquam impellitur, ſed contra comprehenditur atque retinetur, & retẽtio non eſt naturalis, ſed fit ob excretricis facultatis imbecillitatem, ſequitur neceſſariò excretionem fieri ob retentricis infirmitatem, aut ob aliquam diſpoſitionem, quæ haud ſecus quàm naturalis ipſa excretoria vis prædictas partes mouere poſſit. His habitis, ſtatuendum eſt veram gonorrhœam eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè, pertinens quidem C ad ſola vaſa ſpermatica (non ad pudendum vt priapiſmus) & ad eorum retentricem facultatem languidam & omnino ferè deiectam. Quamobrem arbitrandum eſt, reliquos duos inuoluntarios ſeminis fluxus, non propriè dici gonorrhœam, ſed per ſimilitudinem quandam: nam Galen. aſſerente loco citato, ſeminis excretio aliquo modo animale munus efficitur, quod non repugnat fieri, præeunte in aliquo eius actu, potẽtiæ interioris monere, haud ſecus quàm in mictione fit, ſiquidem voluntas in mictu locum habet in muſculi otio, in ſeminis verò excretione, quodammodo videtur in via ſemen ſtimulare. Ingreditur namque in ſemine excernendo muſculi vaſis ſeminarijs ſecernentis contractio, huius enim ope D ſaltem expreſſio fit, cui conſentiunt brachia & crura, quòd etiam contrahantur ſimul. Verùm in excretione non naturali, propriùs ad retentricem naturalem vtriuſque partis, tum veſicæ, tum verò ſeminariorum vaſorum referendum eſt. Eſt tamen differentia, quòd vrinæ inuoluntaria excretio, potiùs ad muſculi reſolutionem, impropriè verò ad retẽtricem naturalem pertinere erit arbitrandum: ſeminis tamẽ ſpontaneum profluuium, propriùs ad naturalem retentricem languidam, impropriè quidem ad prædictum muſculum, vt de ea ſeminis effuſione, quæ in epilepſia contingit, dictum eſt. Theodorus Priſcianus & Moſchio inter fœmineos affectus gonorrhœã quoque nuncuparunt & annumerarunt: cum ex Py- E thagora, Democrate, Hippocrat. & Epicuro euidenter conſtat fœminas quoque ſemen idq; fœcundum præſtare: quod Galen. & Medici ferè omnes probarunt. Licèt Hippon philoſophus, quem ſequutus eſt Athenæus, ſtatuerit, ſemen quidem emittere, cæterũ illud eſſe infœcundum; Ariſt. ex Zenonis & Stoicorum fere omnium ſententia ſolùm tribuit fœminis ſemen æquiuocè tantum, quos ſequitur Auerroes 2. collec. 10. vtcumque tamen ſit (nam latiùs diſputaturi ſumus hanc controuerſiam lib. de principijs artis medicæ Deo fauente) fœminis gonorrhœa velut viris ſuccreſcit, & eiſdem ſignis dignoſcenda ac eadem methodo curanda ac in viris. Qualis verò naturæ ſit Gallica gonorrhœa, & quomodo ab ea, quæ in hoc capite ſcribitur, diſſideat mille modis, & curationem reperies libro de morbo Gallico capit. de virulenta gonorrhœa.

Causa. Causas verò & occasiones vnde quis in hanc affectionem inciderit, diligenter venari oportebit, nam & via curationis facilior multò constabit, ac certiùs & clariùs morbi natura elucescet. Inter occasiones vna est nimia veneris abstinentia, maximè si priùs ea assuetus fuerit homo; contrà verò ex immodico coitu in hunc affectum multò plures inciderunt. Quod fieri comperimus vno è duobus modis: primo quidē ex immodico vsu, vt dictum est, alio verò ex congressu cum inquinata fœmina, siue menstruis sit occupata, siue Gallico morbo infecta, siue alio vitio quod pudendas partes occupet & conspurcet. Quippe infecta mulier per pudendi canalem halitum suæ infectionis infundit, qui ad parastatas perueniens (parastatæ sunt glandulæ semen retinentes, quæ sunt in vasis eiaculatorijs in easdem parastatas desinentibus) mille modis conspurcat, inflammationibus, vlceribus, scissuris, vel resiccationibus in pudendo virili factis, à quibus vel vasa adeo imbecillitantur, vt semen effluere sinant, vel semen vitiant, ita vt aliquādo exeat sanies liuida & virescens cum mordicatione in meatu vrinario: cuius occasione membrum erigitur cum contractione & dolore, quia non fit erectio propter repletionem nerui caui (vt antea dictum est) siquidem túc non inflecteretur, sed quia virus illud ad vrinarium meatum permeans, id malum efficit. Quod sanè vitium, nisi citò præueniatur, iecori efficitur commune, & vniuersum hominem eadem labe inficit & conspurcat: quo fit vt pronnus in pudendi pustulas aut vlcuscula erumpat, in bubones & capillorum defluuiū, & tumores, qui hominem miserè perdunt. Quam quidem seminis defluxionem neoterici Gallicam gonorrhœam appellarunt, quia non à vasorum imbecillitate solùm, sed à corrupto & vitiato semine, & à læsione prædictarum parastatum, & vasorum quæ in ipsas terminantur, & omnium quæ spermatica vocātur. Prodit etiam communis gonorrhœa ex ingentibus laboribus, præsertim eorum qui lumbos & renes supra modum calfaciunt, vt in longiori equitatione, maximè in solis ardoribus aut vestibus nimium calfactorijs. Item prodit ex seminis ipsius vitio, quod vel retentum nimia copia grauat, vel mala qualitate inficitur, quia acrius & mordacius redditur, siue id à prauo vitæ & victus instituto prodeat, siue à quauis alia causa. Præterea cùm omnis excretio quæ fit in corpore viuenti, fiat à facultate propellente aut ociante, arbitrandum est, vitia seminis quæ acrimoniam aut copiam præ se ferunt, expellentem vasorum semper lacessere: ea verò quæ aut in tenuitate, humiditate, vel frigiditate consistunt, semper ad retinentem facultatem attinere, cuius etiam conditionis est calor, exercitium, insolatus, ac nimius veneris vsus. Quibus adiungitur humida & calida, & aliquando frigida prædictorum vasorum intemperies, qua facultas torpida seu resoluta affecta, munus retentionis non exequitur: quas potissimum exquisitæ gonorrhœæ arbitramur causas. Alia insuper gonorrhœæ species, quæ in conuulsionibus accidit, causam habet vehementem prædictorum vasorum concussionem.

Signa. Eam enim gonorrhœam, quæ propriè & verè talis existit, ab ea, quæ impropriè talis est, distingues, quòd hæc cole fit intento ac rigido, licèt euerso & cum seminis effusione, etiamsi inuoluntariè profluat, haud secus quàm in legitima; quam dignosces quòd citra penis erectionem fiat, & citra vllum sensum doloris vel molestiæ, præterquàm profusionis. Ea verò quæ ab excernente fit facultate, dum irritata est, acrimoniam infert in pudendi extremitatem, ac sæpe vniuersum eius canalem exulcerat, mordet & dolore non leui afficit: præterquam quòd ea quæ excernuntur non referunt seminis speciem, sed vario colore affecta, fœtore insigniuntur graui, idque maximè si gonorrhœa ex Gallica lue contracta sit, quod in legitima gonor-
A rhœa non accidit, in qua solùm liquida & alba excernuntur, licèt aliquando crassa prodeant seminis vbertate, nullum prauum odorem referentia. At si ex externis occasionibus prodeat, ex interrogatione disces.

Præsagia. Nunquam prædictæ fluxionis consuetudo salubris est, cùm vel eo, quod vtile futurum corpori est, defraudatur homo, vel vitium præ se ferat, signum maioris mali, aut causa non minoris. Sic gonorrhœam passi ob immoderantiam veneris, in tabem plerumq; degenerant ob imbecillitatem retentricis: in atrophiā, quòd colliquari in vtraque causa corpus sit necessū: in illa, à corpore trahentibus vasis ob indigentiam: in hac verò, vniuerso corpore ob prædicta vasa trans-
B mittente ob consensum, & ne desit ad propagationē speciei materia. At quæ Gallica est, mille accidentia accersit, quæ vel hominē tollunt, vel miserè totius vitæ cursu torquent. Accidit plerumque pubertatem agentibus: viris non rarò: fœminis frequentiùs: hæc tamen est differentia, quòd vera gonorrhœa viris frequētiùs accidit, rariùs quæ spuria existit (hoc est) quæ ex alijs humiditatibus semini simillimis efficitur, ac ob id varium præ se fert colorem. At fœminis hæc spuria, in qua per vterum ipsæmet & vniuersum corpus purgantur ab albis & varij coloris purgamentis, frequentissimè accidit: quæ verò ex semine fit, in virginibus quàm rarissimè accidere visum est, vt ex Galen. constare videtur 2. de semine capit. 1. in alijs ve-
C rò frequentiùs.

Curandi ratio. Nec temerè, nec protinus, aut vtcumque gonorrhœam sistere expedit: nam sæpe visum est, eos qui studuerunt huiusmodi seminis profluuia importunè & violenter sistere, præsertim antequam corpus ab spurcitijs purgetur, bubonibus fuisse correptos, inflāmatione testiculorum, renum & lumborum doloribus, & mille alijs affectionibus vexari. Quapropter priùs quam parti affectæ manus adhibeamus auxiliares, corpori vniuerso prouidendum est, ne nobis quid simile aut deterius contingat. Ea igitur erit ponor medēdi ratio, quæ vnamquamque causarum illidat, initio sumpto ab ea quæ potissima est: hæc namque retentricis facultatis vasorum impotentia existit: quæ
D sanè à duplici causa principium trahere solet, nimirum ab exuperante vasorum tractione, orta quidem ab intemperie humida & calida vasorum, non eorum quæ trahunt, sed eorum quæ semen continere diximus. Si verò ex trahentium vitio profusio accidat (hoc enim frequenter succrescere solet, licèt ab impotentia retentricis malum oriatur, quòd nō possint adseruare tantum semen, sed defluere permittant, & ob id vasa inanita præ fluore auidiùs trahunt, haud secus quàm in diabete) quod nosces ex dorsi grauitate, seminis vberrima copia, corporis iactura, sitis intensa, oculorum cauitate, cutis scabritie & alijs, quæ calorem nimium earum partium attestentur. Cuius beneficio leges caput de diabete, & præsidijs huic mu-
E neri ea parte adductis, vteris: inter quæ lamina plumbea lumbis alligata magni solet esse momenti. Item quæ modicè sanguinem minuunt, vasa refrigerant, & quodammodo seminis acrimoniam retundunt, vt sanguine misso, & parca victus forma instituta, seminis vbertas minuatur, & reliquis præsidijs mitescat eius acrimonia, quo securiùs deinceps quæ coercendi fluxum & comprimendi laxas partes vires habeant, adhibere possimus. Quam legem adseruabis in his qui ab intermissa venere in hunc affectum prolabuntur, præterquam quòd inutile non erit, quinimo necessarium sanguinem detrahere. Verùm si ex continentium vasorum imbecillitate semen profluat, nō neglecta causa attractionis prædicta, quia plerumque ambæ iunguntur, curationem institues, victu exsiccāte, parco, & solidioris substantiæ, velut sunt perdices, gallinæ, turtures, & cuniculi, nec non & caro arietis

aut

aut vituli quæ aliquando adstringente aliquo condiantur, vt cydonijs, mespilis, & vuis acerbis, sparsis pulueribus coralli, margaritarum, boli armeni, terræ lemniæ: & rasuræ eboris. Parari etiam fercula oportet farre, oryza cum granis vuæ acerbæ: prosunt in prima mensa passulæ, amygdalæ tostæ, anisum vel coriandrum præparatum saccharo conditum: tandem vniuersa victus & vitæ ratio veluti in paralysi instituenda est: sit etiam potus ex decocto sasafrasæ Indicæ, ex radice Chinæ, aut ligno sancto, vel aniso, aut baccis myrti.

Præmissa victus & vitæ institutione, curandi ratio à totius corporis leui purgatione auspicanda venit, ex decocto senæ in aliquore. 9. infusionum rosarum rubearum, vel purgatur homo infuso rhabarbari vel agarici cum modico syrupo rosarum: prosunt & pilulæ mastichinæ, de hiera, cum modico agarico & rhabarbaro. Purgatione facta, ante quam ad topica auxilia conscendas, humorem in prædicta vasa confluentem, à quacunque parte prolabatur, aliò transferre & imminuere oportebit. Sic etenim semel in hebdomada vomitum concitabis, quo ventris cruditates, quæ plerunque huic malo fomentum præstare assolent: excernantur, facta priùs ex melle rosaceo per aliquot dies præparatione. Verùm quia non rarò ab inundante in vniuerso corporis ambitu & venoso genere humiditate, gonorrhœa prodit, laxatis & imbecillioribus factis prædictis vasculis, ab eodem quoque ipsam educere ac inanire opus erit, per balneorum sulphureorum vsum, sed maximè per sudationes ex decocto radicis Chinæ & corticibus radicis ligni sancti. Quòd si neque purgationes frequentes, nec vomitus, nec balnea, nec sudationes prodesse possint, conijcies protinus aliquid esse iam in prædictis vasis imbibitum, cuius habenda ratio sit. Quod profecto fit tribus modis: Primo quidem his auxilijs quæ vim habeant digerendi ac resoluendi quod imbecillitatem molitur. Cuius naturæ sunt fomenta ligni sancti, camæmeli, saluiæ, maioranæ, pulegij, origani & absynthij ex vino facta: quod etiam facies ex decocto sulphuris, rutæ, abrotoni, anethi, foliorum lauri & baccarum eius. Idem beneficium præstant emplastra ex eisdem herbis facta cum farina seminis lini, fœnugræci, radicis ireos cum vino & sapa: inunctiones quoque ex oleo irino, belzoini, stiracis, terebinthinæ, de pipere, de caryophyllis, aut cinnamomo. Prosunt etiam cerata ex eisdem cum ladano, terebinthina, & cera, addita puluere ireos: quem quoque vsum præstat vtrunque diachylom cum puluere chamæmeli & ireos. Quibus, si omnino causa frigida sit, addes calida quæ adstringant & robur retentrici addant, vt sunt thus, mastix, cortex thuris, anisum torrefactum, origanum & ciminum. Sed confici potest ad firmandam partem id oleum q. ℞. *mirrhæ, aloes, spicæ nardi, sanguinis draconis, mumiæ, opopanacis, bdellij, carpobalsami, mastichis, gummi Arabici & styracis ana, ʒ.2. & ß. musci ʒ.ß. terebinthinæ ad pondus omnium, & mixta instillentur, donec oleũ, quod mirabilis est efficaciæ, exeat.* Quòd si bis adhuc fluxionem sisti non constet, arbitrandum est simul cum humiditate caliditatem vigere, quo tempore ab his calorificis omnino abstinere, & frigidis adstringentibus rem agere oportet. Quapropter præmissis vacuationibus, adstrigẽtibus, & resiccantibus vti oportet, quorum vberem copiam paulo inferiùs leges: à quibus, si adhuc affectio perstet, tutissimum est consilium, fontanellam altero crurum aperire, qua expiret humiditas quę vasa laxiora reddit, quo auidiùs & firmiùs deinceps vasa complectantur. Scito tamen, omnibus medicamentis huic affectioni ex hac causa & reliquis per potum proficuis, admiscere oportere serapium de acetositate citri, aut conseruam eius, tanquam medicamenta magni momenti.

A Quòd si profusio fiat ex seminis vitio in vasis contracto, vel ex alimentis, aut ex danno à cõpioso vel vitioso sanguine & reliquis humoribus mutuato, ita vt acrius, calidum, & mordacissimum effectum vasa excitet ad expulsionem, & corpus etiam conterat & colliquet, instituta victus & vitæ ratione temperatioris ac frigidioris qualitatis, melioris substantiæ, & copiosioris nutrimenti, sanguine misso, parcè tamen vel ex iecoris vena, ipsum attemperare deinceps opus erit, syrupo granatorum, cichorij, rosarum, de papauere, de nenuphare, de agresta & similibus, corpus purgabis ea lege, quam præcedenti capite scriptam reperies, nimirum cassia, manna, syrupo ex infusionibus violarum, aut rosarum rubearum, cum sero lactis, aut aqua hordei. B Quo facto, sero vteris caprino & omni arte studebis calorem corporis compescere aut humores attemperare, incrassare, ac vias quodãmodo coarctare, humore præsertim frænato: cui vsui nõ mediocris pretij existunt balnea vel dulcis vel ferratæ aquæ, aut ex decoctione prędictarum herbarum. Quæ sanè omnia facies, si prælibteris cum cibis viticis & cannabis semen, præsertim tostum, item semen & folia lactucæ ac earum cauliculos: à vini potu cauere sic affectos oportet, quinimo aqua frigida instituenda illis est, maximè ferrata aut deaurata. Tandem hoc syrupo vteris, q. ℞. *sanguinariæ, acetosæ, plantaginis, anà p. 1. portulacæ, capreolorum vitis, vmbilici veneris & rubi anà, m. 1. & ß. myrtillorum, semi*- C *nis coriandri præparati & seminis papaueris albi anà, ℥. ß. foliorum lactucæ, florum nenupharis, borraginis & violarum anà, p. ß. foliorum rutæ, viticis, menthæ, et calaminthæ siccorum anà, ʒ.3. bulliant secundum artem in aqua pluuiali quantum sat sit, cuius recipe lib. 4. succi rosarum rubearum, granatorum pomorum acidorum anà, lib. ß. misce, & cum saccharo & exiguo aceto fiat serapium, cuius sumat laborans* ℥.2. Cui similem effectum præstat aliud, q. ℞. *granorum myrti, ossium granatorum anà, ℥. ß. balaustiorum, corticum granatorum, hypocistidos anà, ʒ.2. seminis cotoniorum, seminis acetosæ & rosarum rubearum anà, ʒ.1. coralli rubri ʒ.ß. bulliant in sufficienti quantitate aquæ chalybeatę et vini nigri ad consumptionem tertiæ partis, & adde ℥.3.* D *huius decocti pulueris mirobalanorum citrinorum ʒ.1. & ß. & detur bis aut ter in hebdomada.* His consimilis est alter, q. ℞. *foliorum scariolæ & endiuiæ anà, m. 1. seminis rutæ, lactucæ, citruli, nymphææ anà, ℥ 1. contũdantur omnia crasso modo & infundantur in lib. 4. aquę pluuialis, et bulliant ad consumptionem duarum tertiarum, & facta colatura cum saccharo fiat syrupus, cuius ℥.3. mane porriges.* Præstat idem beneficium electuarium, q. ℞. *sacchari rosati vetusti ℥.2. spodij ʒ.2. coralli rubei ʒ.1. & ß. mirobalanorum citrinorum ℥.ß. cum aqua plantaginis aut syrupo de succo limonum fiant boli, quorum sumat laborans ʒ.3.* Item potui dabis, dum laborans it dormitum, id q. ℞. *granorum myrti, balaustiorum, corticum granatorum, gallarum, corticum pi*- E *nearum, hypocistidos, acatiæ anà, ʒ.2. spodij ʒ.1. & ß. rosarum rubearum, coriandri pręparati anà, ʒ.3. bulliãt in sufficienti quantitate aquæ chalybeatæ vsque ad consumptionem tertiæ partis, deinde coletur, & colaturæ adde sacchari quantum sit satis ad conciliandam dulcedinem.* Prodest & electuarium, q. ℞. *conseruę borraginis, & de succo citri anà, ℥.1. aromatici rosati ʒ.3. cineris intestinorum gallinæ lotorum aqua absynthij ℥ ß. seminis agni casti ʒ.1. & ß. cum syrupo rosarum fiat opiata.* Summopere etiam iuuat puluis, q. ℞. *cineris pellicularum stomachi gallinę ℥.ß. anisi ℥.1. coralli rubri vsti & loti ʒ.1. agni casti ʒ ß. sacchari albi ad pondus omnium, capiat ante cœnam cochleare vnum.* Pastilli etiam parentur, q. ℞. *seminis rutę, agni casti & vrticę anà, gr. 5. seminis lactucę, portulacę, plantaginis & papaueris albi anà, ℈. 1. seminis coriandri pręparati & cannabis torrefacti anà, gr. 4. seminis rosarum, coralli rubei,*

rubei, & santalorum and, ʒ. 6. seminis melonum ʒ. 3. sacchari dissoluti in aqua rosarum quod sufficiat, fiant pastilli, quorum vnum capiat laborans cum vino rubro aut aqua chalybeata. Quod si vrgentia fluxionis, & doloris his non sedetur, *ad ʒ. ß. philonij Persici cum ℥. 2. sacchari rosarum* tutò & vtiliter peruenies.

His factis, exteriùs balneis aquæ dulcis humores ac semen attemperabis, & si quid redundat ad extima reuocabis. Item partes iuxta pudendum maximè petinæum & renes inunges, & præter alia quæ huic vsui proficua reperies, ex vsu quoque erit vnguentum, *q. ℞. olei rosacei omphacini, cytoniorum, nenupharis & myrti and, ℥. 1. cremoris seminis lini & cytoniorum extracti aqua rosacea and, ℥. ß. foliorum rutę, agnicasti, & menthę and, ʒ. ß. bulliant in predictis oleis, & facta expressione, adde pulueris coralli, santalorum rubeorum, sanguinis draconis, & boli Armenis and, ʒ. 1. cerę quod sufficiat, & fiat vnguentum.* Aliud parabis, q. *℞. olei myrtillorum, mastichis, & omphacini and, ℥. 2. pulueris nucum cupressi & myrtillorum and, ʒ. 1. & ß. macis, cariophyllorum, & agnicasti and, ʒ. ß. cerę quod sufficiat, vt fiat vnguentum aut ceratum.* Eundem etiam vsum præstat q. *℞. radicis ireos ℥. 1. myrtillorum, foliorum lentisci & cupresi and, ℥. 2. rosarum rubearum & santalorum and, ℥. 1. seminis agnicasti ʒ. 1. fiat decoctio in lib. 2. vini rubri:* fœminis verò hæc eadem præsidia adhibebis inguinibus & vesicæ lateribus vsque ad latera pudendi.

Verùm si ex vbertate seminis, otiosa vita, & lasciuis actibus plena, alimentorum copia, & alijs quæ copiosum semen gignunt, affectio suboriatur, maximè si laborans continens sit, huic medeberis (si vxorem non duxerit) tenuiori victu, opportunis laboribus & exercitio, abstinentia ab spectaculis, cogitationibus, & colloquijs, quæ venerem incitant: preterea ieiunijs orationibus, vigilijs, & omni continentiæ & parsimoniæ disciplina, quod præstantius huic malo præsidium existit. Insuper etiam eis vteris quæ exsiccare semen possunt, sicut illa vitanda quæ ipsum augere. Prodest in hoc malo vsus seminis agnicasti, aut rutæ sacchari condiri: item & conserua vel syrupus de succo citri, vbi priùs sanguinem miseris: nam in his bis teruè in anno sanguinem mittere, peculiare est præsidium, sicut laminam plumbeam renibus affigere, vel vnguentum refrigerans, rosatum, aut santalorum: item aliquod ex nuper dictis medicamẽtis, quæ refrigerandi & conterendi semen vires habeant.

Quòd si gonorrhœa ex Gallico morbo contracta sit, licèt diutiùs duret, minus tamen corpus contabescit, cuius sanè curandi ratio vniuersa, in iecori & totius corporis prouidentia sita est, haud secus quàm morbus ipse Gallicus, sudoribus, vnctionibus, apozematis, & alijs quæ eandem vim habent, qualia latiùs scripta reperies libro nostro de morbo Gallico.

CAPVT XVIII.

De podraga, ischiade & reliquis articulorum doloribus.

Audax temerariumque facinus, & omni imprudentia plenum, omnibus viris doctis & prudentioribus semper visum fuit, aggredi id negotium, cuius finem aut felicem euentum, fidissimo & diutino experimento firmatum est, nunquam quequam fuisse consequutum. Et cùm omnem animum (quantumuis generosus sit) conterat & infirmet euentus dubia spes, aut forsan certa desperatio, decreueram articulares curare non aggredi, quòd quotidiano euẽtu sit cõfirmatum, radicitus hunc affectum sicut & alios, artem nostram nõ posse adeo euellere, vt semel curatus iterum atque iterum non redijsset, & in medio floridæ iuuentutis & maiori salutis splendore, ve- A lut occultus truculentusque hostis non insilijsset, impetumque intolerabilem fecisset: quippe omnes ferè aut saltem plures eorum quos semel apprehendit, totius vitæ cursu miserè & calamitosè viuere cogit. Cũ hoc tamen, ne plura huic operi deesse viderentur, fretus diuino auxilio ipsumque implorans, conabar aliquid frugis in hac re scribere, vt si ex toto nõ possint articulares affectus eradicari, saltem mitigare, aut præcauere, efficereque vt per longiora interualla repetant, studebo. In qua re, primò quid omnes articulorum morbi commune habeant monstrabo: & rursùs quid peculiare vnusquisque sortiatur, vt cuique propriam possimus adscribere naturam, causam, & curationem.

B Ante tamen statuendum est, articulorum nostri corporis (quibus hæ affectiones propriæ existunt) varias esse sortes, quas tres tantùm genere existere comperimus, licèt quodlibet genus in multo plures species diuidatur, quibus hac in parte opus non habemus. Ossa enim coalescunt aliquando sine alicuius materiæ interuentu, vt in mollioribus & fungosis: vel materia aliqua mediat, vt in duris & siccis per symphisim, hoc est per simplicem adnascentiam, vt quorundam ossium capitibus accidit, quibus addidisse aliquid natura videtur, quòd breuiora essent quàm oporteret: vel per leuem alterius substantię interuentum. Secundo modo committuntur inter se ossa per synarthrosim, quæ leuem quendam motum C admittit, & in tres alias differentias dissecatur, nimirum in suturam, gomphosim & harmoniam. Tertio quidem, ossa cohærent per diarthrosim, quæ nihil aliud est, quàm ossium compositio, quæ ad motum voluntarium comparata est, vt quæ ex duobus ossibus constet: vno cauitatem habente, & reliquo caput in suam cauitatem recipiente: quo constat motum exerceri manifestum. His habitis, statuendum est primã ossium connexionem adeo presso nexu & coarctato fieri, vt nihil possit intercidere quod dolores possit concitare: præterquam, quòd licèt aliquid intersit, quia ligamentis non vincitur & coarctatur, ob id dolores non infert. In secunda verò, ad pensum leuis motus, leues etiam succrescunt dolores, quia aut nul- D lo ligamento cohærent ossa vt capitis suturæ, aut sensu leui prædita sunt, vel plurimum discedere à se mutuo nequeunt, & ob id plurimum dolere non possunt. In tertia quidem ossium connexione omnes articulares morbi sedem habent, videlicet vbi ea est inter duo ossa cauitas & amplitudo, quòd spatiari ac moueri liberè possit alterum os in alterius foramine, in quo sanè spatio eum contingit prolabi humorem, qui facta grandi extensione, prædicta symptomata efficiat, & varios articulorum dolores.

Præmittendum insuper est, hoc habere omnes articulorum dolores commune (non loquitur hic de dolore ex ictu, casu, aut luxatione articulorum, quantumuis intensè doleant, licèt possit articularis mor- E bus ab his etiam causis suboriri) nimirum quòd vt verè articularis morbus sit, siue arthritis, siue podagra aut ischias dicatur, prærequirit materiam fluentem ac morbum effecturam, quæ prolabatur in cauitatem articuli, videlicet in sedem illam, per quam caput ossis spatiatur: quòd si ibidem non fit, spurium potius & illegitimum fieri articularem morbum est arbitrandum, quantumuis intensos accersat dolores, quàm legitimum & verum. Quippe vniuersa huius mali ratio, vt Galen. apertè fatetur. 6. aphoris. 49. sita est in hac peculiari conditione, qua veluti essentiali differentia, ab omnibus alijs articulorum morbis dissidet: nam in prolapsione humorũ fluentium per venas ad cauitates articulorum, eos primò suscepiant articulorum loca (quo morbi natura integratur) deinde circunstantia omnia vsque ad cutim: qua ratione fit, vt abscedentibus à se inuicem ossibus, ligamenta,

menta, neruique & tendones adeo tendantur, quod dolores & cruciatus maximos generent, quia simul cum articulationibus tenduntur & veluti dilacerantur. Ex hac etenim humorum prolapsione in articuli cauitatem prodit Hippocr. dixisse, non solum hos dolores, nec materiam dissipari & euacuari ab ea parte ante quadragesimum diem, quia spatium illud calore orbatum, nequit ante id tempus prædictum munus perficere. Nam si in solis carnosis aut ligamentosis partibus extitisset humor, cùm hæ innumeris gaudeant venis & arterijs, longè citiùs euanesceret resolueretur que. Quo fit vt credibilius sit his tantùm partibus legitimum articularem morbum proprium esse, sicut reliquis spurium & illegitimum.

Sed in hac re dubitabit aliquis & meritò, quì fieri possit, quòd intra articulos dilabatur materia, siquidem dum ipsa non resoluitur, sed in tophaceam migrat naturam, extra articulum concrescit, ita vt videatur vero similius extra contineri, quam intus prolabi. Verùm si quis rem diligenter examinet, reperiet eadem ratione, neque in vinculis, neque in tendonibus materiam permanere, siquidem extractis tophis, vincula & tendones illæsi conspiciuntur, quod erat creditu perdifficile, si in eis contineretur materia dolores concitans. Quo fit vt arbitrandum sit, materiam tam in spatijs quàm in tendonibus in halitum digeri: in spatio quidem, quia cùm latior locus sit, faciliùs inde euaporat discuntur que, præterquàm quòd articuli dum mouentur concalescunt, & ita calefit & attenuatur, & quasi funditur ac ad facilem digestioné paratur, pariterque in tendonibus & vinculis: quo fit vt in neutris tophaceam acquirat naturam. In membranis verò quia motu carent & calore, ac prope ossa exi stunt, mirum non est si ibidem materia conspicuè & frequentiùs induretur. Cum hoc tamen non renuo concedere in articulis, in ligamentis & reliquis partibus aliquando posse concrescere: quod probant dearticulationes quæ tophis indurescentibus succrescunt: item & dolores, qui quouis motu facto prædictis membris sic affectis concitantur, præsertim cùm tortuosa sint, & nulli actioni idonea.

Præterea id etiam omnibus articularibus morbis est commune, nimirum prædictas neruaceas substantias pati necessariò, & ob earum affectum (siue per consensum ab ossium discessu, siue per essentiam humore ibidem imbibito) dolores succrescere intolerabiles & immanes. In qua re expendisse & exquirere oportet, quanam ratione plures ex articulorum affectibus motum omnino auferre aut ferè oblædere citra vllum dolorem possint, solùm membris motu orbatis: alios verò motu illæso dolores, siue moueatur membrum (quod longè dolorosiùs fit) siue secus, adeo acerbos excitare, quòd videantur ferro aut vinculis ossa & ligamenta dilacerari vi & efficacia incredibili. Cuius rei gratia in memoriam reuocare oportet, articulorum ligamenta duplicis esse naturæ: quedam enim sensu prædita manifesto existunt: nonnulla verò sensu omnino orbata, nimirum ea quæ ex tendone constituta vicem ligamenti gerunt: velut sunt ea quæ tibiam cum coxa coniungunt, & femur cum coxendice: quippe hæc cum ossis cartilagine nascuntur, & quasi ab ipsa oriri constat, chondrosyndesmi appellata, nullumque à neruis susceptannia beneficium, ac ex consequenti sensu carent: illa verò quæ sensu prædita existunt, vt quæ à perioſtio sortiantur principium, membranosa etiam sunt & neruorum filamentis intertexta validissimis, vt quæ duo ossa vehementioribus motibus dicata colligatura erant: tendones etiam dolêt vt nulli esse abscondituũ arbitror. Quibus perspectis facile erit distinguere controuersiam, ac scire, quare partes quædam motu orbentur citra dolorem, vt ex quæ ex tendone constitutæ, vicé ligamenti gerunt, aliæ verò dolorem vehementé concitent.

A His duobus suppositis sequitur etiam aliud non minoris momenti, nimirum essentiam omnibus articularibus doloribus communem sitam esse in ratione symptomatis, videlicet doloris, cæterum proficisci à complexu & syndrome plurium morborum, qui ex vna humoris defluxione prodiens, varios concitat affectus: nam humor in cauitatem articuli prolapsus, solutionem continui efficiens ob separationem vnius ossis ab alio (quæ licèt contigui sit disiunctio, extensionem tamen in partes vicinas efficit) cauitatem replens in via morbum parit, aut in loco non naturali sibi: postea verò inflammationem & succensionem contrahens, inflammatorium gignit affectum: hoc est (non veram inflammationem, siquidem nunquã visum est conuulsione corripi eos qui articularibus

B morbis sunt oppressi, quæ neruosarum partium inflãmationibus ferè communis existit) intemperiem articuli & partium omnium circunstantium cum humorum affluxu, qui nõ inflammationem vt dictum est, parit, sed humorum imbibitionem citra abscessum & collectionem, quæ verè apostemosa sit. Quippe arbitrari potius oportet vel illius partis venas adeo repleri, quòd partem in tumorem eleuent, vel aliquid exudare (præter id quod in articuli cauitatem prolabitur & stillat) in carneam substantiam, quo pars intumescit & longè minores fiunt dolores, quàm si citra partis exterium tumorem, totum humoris quod fluit in articulum prolaberetur: & ob id, dum pars intumescit, dolores subsident & quiescunt aliquantu-

C lum. Itaque præcipua affectus ratio sita est in dolore, morbus verò qui causa est, in continui solutione ob articulorum disiunctionem & ligamentorum extensionem: item & in inæquali intemperie, quæ affluxu materiæ vtrumque vitium præstat: cum hoc tamen vt inflammatio medelam susceptat, eò quòd ex defluxu principium trahat.

Præterea omnes articulares affectus duplicem habent causarum sortem omnibus communem (licèt quilibet specialius aliquid præsequitur, quod suæ speciei constituiuum existat) nimirum articulorum impotentiam (siue ex natiuis principijs, siue ex indebito vitæ instituto proueniat) ac humorum abundantiã, dum vtraque causa simul concurrat, vt ex Galen. 4.

D aphor. 28. & 29. apertè videtur constare, eo quòd neutra seorsum id præstare nata erit. Quod probat euidens ratio, siquidem articulares dolores per interualla repetunt, & datur locus intermedius à dolore immunis, quamuis eadem præsit articulorum imbecillitas quæ per se dolorem efficere nequit, quo fit vtraque causa opus sit: illa quæ recipiat & congreget humores præ imbecillitate, & hæc qua humores, qui ad eam partem fluunt, distensionem efficiant. Natiua autem impotentia dupliciter succrescit: vno modo ex primæua articulorum structura & conformatione, qua laxiores, molles, & ea ratione ineptos ad motum efficiat, & quæ non sufficiat discutere quod ad ipsos confluit: quo fit, vt aptissimi existant excremen-

E tis recipiendis, & facilè motu continuo ad se quidquid in corpore superuacuum fuerit alliciant, & cùm digerere non valeant, promptissimè in hæc mala procidant. Secundo verò modo impotentia contrahunt in articulis, qualis à patre arthritico, podagrico, aut ischiadico præstita fuit in principijs generationis: quippe is est vnus ex hereditarijs morbis: nam cùm osseæ partes ex seminali materia fieri habeant, quidquid imbecille & morbidum patres obtinuere, facilè filijs communicant. Succrescit non minus prædicta impotentia ex desidiosa vita crapulis & ebrietati dedita: quippe podagram Bacchi & Veneris filiam finxerũt antiqui. Venus enim intempestiua & immodica summam parit articulorum impotentiam, quæ facilè in podragam commigrat, maximè si accedant causæ quæ recrementa adaugent, vt intermissio consuetæ

euacua-

euacuationis, cuiusuis succi sit: quo certum est articulos debilitatem contrahere accedente venere. Nam ob id dixit Hippocra. pueros, eunuchos, & fœminas podagra non vexari: sed adeò vitæ luxus creuit, vt eunuchos, fœminas, & pueros in hos morbos delabi non rarò conspiciamus: cùm scriptum sit Plinij temporibus, paucos fuisse visos podagricos, quod Seneca etiam pulcra alia ratione confirmat. Quippe accedente venere succrescit concussio, motus, & concalfactio articulorũ, ex quo celeriùs eò materia decumbit: atque etiam fit vt podagrici magna parte salaces: quibus si diuersorum atque crudorum ciborum copia accedat, facilè quod superest, in eam partem allicitur. Sunt etiam quæ imbecillitatem pariant aliæ non paucæ nec minoris momenti causæ, vt frequentes equitationes, quemadmodum de Schyris retulit Hippocrat. lib. de locis, aqua, & exercitium intempestiuum à cibo, compressio calceamentorum, item calorifica & humectiora exercitia, & frequentia balnea. Ob id quidem senilem ætatem his doloribus expositam esse, euidẽti experimento est confirmatum, quia motus instrumenta refrigerari iam incipiunt: quo fit vt per totum vitæ discursum doloribus premantur, licèt remissionem & interualla suscipiant.

Altera autem causa quæ non minoris est momenti, in humorum qui ad particulam fluunt vitio, sita proculdubio existit: in cuius enodatione tria mihi expendenda (etiam omnibus articularibus communia) sese offerunt. Primum sanè est qualis naturæ sit materia, quæ nata sit id malum efficere: nam neque in hoc authores concordi animo existunt. Statutum enim est ab Hippocrat. lib. de internis affectionibus & Galen. ac veteribus omnibus, ex quouis humore articulares affectus fieri posse, vbi ea vbertate abundant, quòd inundationis fluuiorum modo alueum excedant egrediantúrque, & è venis exiliant per diapedesim aut anastomosim: quo profectò constat potius copia quàm solo vitio fieri posse. Et quanquam id dogma à veteribus receptum fuit, non defuere inter neotericos, qui mordicus aduersus omnes statuerint, solùm pituitosum serosumq; succum id malum posse efficere. Sed his missis tenendum est, omnes humores in id conspirare posse: quod probant varij tumorum colores, dolores, diuersi, accidentia varia, terminus declinationis non vnus, ac rursus curandi ratio varijs modis instituenda ex necessitate diuersitatis causæ: quòd si vnus tantùm esset humoris modus, non opus esset tanta in curatione & consideratione varietate. Hoc tamen expendes, quòd licèt articulares affectus omnes, omnes etiam humores possint efficere, cum hoc tamen arthritidem plerunque sanguinis vbertas: podragam cum sanguine bilis vel pituitæ fluxilis copia: ischiadem pituitæ fluxilis maiori ex parte redundantia, licèt id quoque aliter possit accidere, vt paulo inferiùs monstrabo. Nam euidentissimum est, humores frigidos & crassos; non posse sub propria forma, adeo angustos meatus permeare, nisi adminiculo bilis flauæ, quam scimus faciliter discuti, manereque pituitosum & crassum, ac nonnunquam in tophos abire. Itaque fiunt hi morbi natura interiùs ad articulos transmittente quantitate aut qualitate molestos succos: idq; hyeme præsertim genitos, quos ver fundens in articulos agit, sicut æstate ob oratios fructus plures quoque gignuntur, quos autumno in articulos mittit, non tamen plurimos, quia æstas plures dissipauit.

In qua re superest adhuc tanquam summè necessarium disserere qualis naturæ sit humor, qui in podagram degenerare sit aptus: nam licèt succi abundẽt, aut vitiati sint, non ob id sequitur in articulares affectus protinus degenerare. Quapropter sciendum est, ex communi ferè Medicorum sententia, hos debere esse crudos; quippe putridi, aut alter vitiati rarò aut
A nunquam fiunt huius mali causa. Verùm quia cruditas varijs modis consideratur (putredine nimirum aut defectu coctionis) videndum est quę harum causa proximior sit. Cui dubitationi dicendum est eam solam, quæ defectu fit caloris coquentis, huic malo causam præstare, cæterum cùm calor multis modis deficiat, statuendum quoque erit, solam eam cruditatem aptam esse quæ caloris raritate & tenuitate fit. In qua re scimus, calorem fieri rariorem & huic cruditati aptum (intelligimus enim de calido innato & substãtia eius) vno è tribus modis. Primo ob partem pinguiorem quæ ab eo superatur & educitur, vt in frequentioribus actibus venereis, vel in frequentissimis et copiosis sanguinis detractionibus contigit. Se-
B cundo ob dissolutionem eiusdem caloris à calore externo, veluti his contingit qui frigus nullo modo experiri volunt, & aromatis, aut vinis potentioribus vtuntur. Tertio rarescit calor & impotens efficitur, quòd ei admisceatur aliquid incoctum, sed calidum, vt in his qui vitam agunt otio & crapulis deditam, quippe in his non consumitur humidum aqueum. Itaque impotens & rarior efficitur, per detractionem vtilis, aut additionem inutilis, vel à seipso, vt à calore. Sic profectò in his quibus aliqua prædictarum caussarum viget, perpetuam aut frequentem cognoscimus podagram, maximè si accedat temporis iniuria cruditatibus gignendis apta, ac idonea etiam eas fũdere. Denique ex his quæ hucusque dicta sunt, euidẽ-
C ter colligitur corpora fieri huic malo paratiora vno è tribus modis: potestate nimirum, veluti sunt quæ calorem aliquo ex tribus memoratis modis habent rariorem & imbecillum in iecore, corde, & venis: secũdo præparatione, vt qui crudum aliquo ex tribus modis genitum iam habent in venis: tertio verò actu, quemadmodum sunt corpora, quæ vel habent in articulis habitualem dispositionem, vel actu laborant. Præter quæ etiam considerare licèt, hãc cruditatem suscipere bilem, pituitam & melancholiam, nec non & sanguinem, & ita fiunt podagræ genera iuxta numerum humorum: nam vbi cruditas aduenit in bile, fit æstiua podagra: si in pituita, hyemalis: si in omnibus humoribus aut sanguine, vernalis, & si in humo-
D re exusto, autumnalis.

His suppositis statuendum est, hanc cruditatis sortem non esse vtcumque genitam, & vt reliquæ, quæ vel febres, defluxiones, & cæteros morbos procreãt, sed aliquid sortiri peculiare, quo magis in hunc affectum articularem, quam in reliquos commigrat: id quidem est humores fieri tenuiores cum fusione & mordacitate, quibus facile ab omnibus partibus reijciuntur donec ad articulos perueniant, qui ob natiuam & contractam etiam à causis dictis impotentiã, eos facillimè susceptant, & susceptos continent, donec vel omnino resoluantur (quod ante quàm fiat longè imbecillior remanet articulus, quo faciliùs deinceps alios admittit) vel resoluta parte tenuiori
E crassa in tophum degeneret. Quæ omnia si quis diligenter pensitet; reperiet proculdubio, quæ corpora ex his possunt sanitati restitui, quæ verò præseruari per diuinum tempus, & quæ neutrum. Quippe si caloris tenuitas ex crapula & otio suboriatur, & ea ratione cruditas, sanitati eos restituet victus parsimonia et exercitio, vt legitur apud Porphy. in vita Plotini de senatore Romano. Nec maioris difficultatis est podagra ex calore ambientis vel vini aut aromatum, si aquæ fiat potor laborans, & regionem in frigidiorem ac temperatiorem mutet. Verùm si ex resolutione pinguosæ partis humidi fiat caloris raritas & impotentia, siue ex venere, siue ex sanguinis profusionis frequentia, proculdubio, & insanabilis fit, & crebris accessionibus laborãtem summopere torquet & infirmat. Quapropter arcendi sunt sic affecti, à venere & à sãguinis crebris profusionibus, vt mox referam.

Præte-

Preterea quiuis humor sit qui redundat, vno è duobus modis efficere potest quemlibet ea prædictis morbis: videlicet per defluuium, aut per paulatinam congestionem: hoc tamen est dissidij, quòd quiuis articularium morborum qui per defluuium fit, cùm è venis prolabatur humor, rarò simplex est, nec vno constat solùm humore, quinimo varijs, & plerunque confusis. At qui paulatim congeritur, siue à capite, siue à xecrementis partis prodeat, maiori ex parte ab vno tantùm humore ortum ducit: quinimo qui hac lege fiunt dolores, morbi Gallici soboles semper existunt, quo & diutius durant, & non ex toto delitescunt, neque laborans ad antiquum regreditur statum, sed dolore semper videntur premi per vniuersum periostiũ extenso.

Habent etiam hi dolores aliam causam præter dictas, communem etiam, nimirum siccitatem articulorum, contractam ex consumptione humiditatis naturaliter in articulo existentis, vt Hippocra. statuerat lib. de internis affect. cuius latiùs meminero paragrapho de podagra.

Sequitur secundò disceptandum, à quibus nam partibus prædicti humores in articulos prolabantur, nam id quoque in controuersiam ducunt authores non contemnendi. Quippe statuunt falsum esse, ab alia parte quàm à capite fluxionem hanc proficisci, atque insuper addunt non fieri à cerebro, sed ab externis partibus quæ extra caluariam sunt, & intra cutim, licet principium etiam, & occasionem habere possit ab internis: quippe copiosus excrementitiusq; humor, pituitosus, & tenuis per suturas caluariæ euaporans, cohibitus à crassiori cute, cùm non possit spirare, paulatim congeritur, & pronius ad articulos truditur, non per venas neque per arterias, sed per extimas tantùm, quæ proximæ sunt cuti partes. Sunt etiam qui asserant, à cerebro proficisci fluxionem hãc, ex recrementis ibidem præter naturam congestis, & eam fieri per venas, iterum ad ipsas remeantibus prædictis recrementis, quæ per palatum, nares, aut spinalem medullam assueuerant expurgari. Cæterum cùm mille modis videatur hæc sententia aliena ab omni ratione, & eam infirmauerint alij authores, ob id satis mihi erit statuere, originem aliquando fluxionem sumere à ventriculo: quippe ex ventris doloribus articulares dolores subortos fuisse conspeximus, & authores non contemnendi scripserunt. Interdum verò ab intestinis prodeunt fluxiones, quæ in articulos prolapsæ grauissimos concitant dolores, vt ex Hippocr. & Galen. constat 6. popul. parte 4. comment. 3. nam ex colicis, & renalibus doloribus non rarò visum est fieri. Item succrescunt articulares dolores, feminæ, menstruis, aut puerperio deficientibus. Præterea viris ex intercepto sanguinis consueto, & vtili hæmorrhoidum fluore, quinimo ex quauis vtili, & consueta euacuatione suppressa proficisci, omnibus viris doctis euidentissimum fit. Sed specialiùs assuescit fluere à capite, à quo intra tunicas tendonum per foramen nuchæ pituita exudat, quæ per palatum, aut nares purgari assueuerat: quod lib. de glandulis, & de locis in homine euidenter etiam docuerat Hippocr. à quo censeo Fernelium mutuasse: itaque à capite multis rationibus fieri has ad articulos defluxiones arbitrandum erit, non tamen semper, nec solùm per extimas infra cutem partes, sed per venas quæ in capite plenitudine turgentes, ac pituitosis, & tenuibus succis abundantes in articulos sese exonerant: & nonnunquam vt docuerat Hippocrat. per spinalem medullam intra tunicas tendonum, nec opus est materiam iterum ad venas remeare, sed per tunicas delabi. In quibus doloribus longè ante, dorsi, & omnium ferè membrorum, vel lassitudo, vel molestia, vel leuis dolor percipitur; qui postea materia collecta vno in loco grauiores concitat. Specialiùs tamen & frequentiùs totius corporis consensu hi dolores succrescere assolent, quod plerunque articulares dolores potiùs, quam podagricos, aut ischiadicos, posse concitare arbitror: quippe (vt dictum est) fluxionis modus quasi inundatio fluminis, & illuuies quædam in cauitatem articulorum, & partes vicinas succrescit: & vt communi venarum damno vniuersum corpus plenitudine affectum est, ita communi vitio afficiuntur articuli ferè omnes, aut partes illæ circunstantes. Longè tamen frequentiùs ex iecore prodit fluxionis materia: nam cùm cacochymia, aut vbertate, vel cruditate esculentorum, vel excrementorum id fieri debeat, & horum omnium vitiorum officina sit iecur affectum, aut alimentorum qui in ipso coquuntur vitiosa conditio, ob id profectò ab ipso ad venas commeatus horum vitiorum fieri, & ab his ad venarum extrema, & articulorum inanitates, arbitrandum erit, vt latius inferiùs leges.

Tertium verò & vltimum, quod disputatione dignum iudicaui, est scire, quibus vijs hi humores in articulos dilabantur: nam sunt qui asserant, neque per venas, neque per alias vias ad articulos effundi sanguinem, aut alium humorem sanguini mixtum, quia potius fieret in illis partibus inflammatio, quàm quiuis alius affectus: quin potius dolentes partes ad se trahere ex vicinis quod superuacuum existit. Namque non solùm adstruunt non fieri per venas, neque per neruos, neque per conspicuos meatus internos, sed per partes, & meatus exteriores, qui proximi sunt cuti. In qua re ego sentio aliquando hos dolores fieri, vt dictum est, cæterum rariùs, frequentiùs tamen per venas, & membranas tendonum, ac sæpe neruorum, & conspicuos, atque occultos carnis, & reliquarum partium corporis meatus: cæterum frequentiùs, & cõmuniùs per venas, & communia vasa quibus alimentum partes suscipiunt. Probat hanc veritatem diebus aliquot ante doloris accessum, venas partis turgere, & tumore conspicuo manifestas esse: quippe credendum non est, tumorem præexistentem, aut post dolorem subsequutum in partibus, ex attractione, aut euocatu à dolore facto succrescere, sed potius ex humore in venis partis vberiùs congesto, fluxuro quidem ad inanitates articulorum: quo fit, vt quo magis post ingentes dolores partes intumuerint, longè minus doleant, quòd humor tumorem efficiens, non permeet ad locum dolorem effecturus, sed ibidẽ permaneat. Quod sanè si ex attracto partes intumescerent, procul dubio longè magis dolerent, quo tumidiores extitissent.

Hæc autem sunt omnibus articularibus doloribus communia, & signa, ac præsagiendi principia cõmunia quoq; præstant: verum quia hæc commodius in vniuscuiusque doloris speciei disceptatione explanare mihi visum fuit, ob id in eũ locũ adseruare studui.

Præseruandi ratio.

Est quoque præseruandi quædam ratio his omnibus affectibus communis, & ob id eã ante cuiusq; tractationẽ scribere placuit. Potissima enim salutis pars sita existit in præcautione malorum quæ succrescere assolent: nam duo sunt quæ homines desiderant: sanitate nimirum citra intermissionem frui, quam si amiserint, recuperare amant, & omni diligentia student. Sic in salute tutanda præcauendaque in articularibus morbis, duo potissimum scitu necessaria existunt, nimirum causas infirmare aufferreque eodem prorsus modo, ac in morborum profligatione: secundum longè esse faciliùs causas compescere tempore sanitatis, quàm dum morbus iam incepit, aut viget. Circa primum statuendum est, vt duplices sunt horũ dolorum causæ (nimirum articulorum impotentia, & humorum vbertas, aut vitium) ita prorsus duplicẽ esse præcauendi viam, & rationem: videlicet articulorum firmitudinem, & reductionem ad antiquum statũ, & humorũ imminutionẽ. Verũ quia articulo-

rum impotentia plerumque aut natiua existit, hæreditaria, vel diu facta, & habitualis, & fixa, aut ex magnis occasionibus, & causis contracta, ob id, huic nō plurimum esse innitendum, ne frustra tempus, & operam perdamus, consulit curandi ratio. Nam, vt statutum est à Gal. & veteribus omnibus, vtramque causam simul iunctam necessariam esse ad horum dolorum constitutionem, ita prorsus altera deficiente, reliqua nullius erit momenti, & efficaciæ. Quo fit vt si humorum abundantiam, aut vitium imminuas, proculdubio morbum ipsum quoque præcauebis: nā citra humorum abundantiam, aut corruptelā, impossibile est, siue articulorum pra sit impotentia, siue externa, aut interna accedat occasio, articulares dolores succrescere. Quapropter studui, loco huius imbecillitatis, quam emendare nequimus, docere externas & internas occasiones præcauere: quippe hæ sæpe morbosum apparatum mouent ad articulos, cuius accessu ipsi deinceps infirmantur, aut si antea sunt imbecilles, faciliùs suscepiant.

Itaque nunc duo mihi subsunt agenda in præcautione: alterum est humorum copiam, & congestionē inhibere, aut iam coogestam minuere: reliquum verò erit interdicere, aut præcauere occasiones quibus humores hi aut excrementa fundi, liquari, & ad articulos ipsos moueri contingit. Inter auxilia quidē quæ primo operi proficua esse possunt, nullum aliud profectò vtilius, & tutius, ac facilius adinuenies, quam eā victus, & vitæ rationem instituere, quæ humorū augmentum, vel vitium nata sit inhibere. Sic victus parsimonia (cœnis plerunque sublatis) ferè omnem scopū implet: nam præterquam quòd humorum generat minimam copiam, genitam quoque conterit, & euacuat, ac naturam reddit auaram, quo minus aliquid ad affectas partes transmittat. Pari prorsus ratione, ea victus conditio eligenda est, quæ humori quondā fluēti ex opposito aduersa sit: quippe si humor tenuis est fluere solitus, vel biliosus, & serosus, alimenta futura sūt paulo crassiora, quo minus fluere possint ex eis genio succi: si verò ex crudorum succorum abundātia malum oriatur, vt facilius concoquat natura, & minus crassa supersint excrementa, tenuiori, vel mediocri victus forma vtendum est. In omnibus tamen hanc legem seruabis, nimirum quòd alimenta sint optimi succi, non acria, non salsa, non mordacia, & acuta, neque ea quæ vim habeant incidendi, attenuādi, vel laxandi, & fundendi, aut aperiēdi meatus, nec rursus copiosam præstent, & serosam humiditatem, vt sunt fructus horarij. Quapropter carnibus vtatur homo arietis, vituli, caponum, gallinarum, cuniculorum, & alijs quæ eiusdem sint naturæ: quæ sanè neq; sale, neque aromatis plurimùm condiendæ sunt, simplicitatem enim alimentorum, & puritatem summopere exoptat hæc præcauendi ratio. Vinum verò omnino interdicere, non solùm in curatione, verùm in præcautione, consultissimum fuit apud omnes authores, & nunc experimento quotidiano confirmatum: ita vt non defuerint qui in solis vino, & venere omnē huius mali rationem constituerint. Verùm si ætatis, ventriculi, aut cordis indigētia, eo oportuerit vti, parcum sit nigrum, satis dilutum aqua deaurata, vel ex radice Chinæ decocta. Si tamen ex cruditatibus ventriculi materia foueatur, modicum concedere poteris, aut loco eius aqua vti decocta fœniculo, cinnamomo, & similibus, vt inferiùs leges. Verùm si venarum vitio id fiat, à vino abstinendum est prorsus. His sic constitutis, constat humores non minus congregari, ac vitiari in his corporibus, alimentorum vbertate, & vitio, quàm suppressa consueta, & vtili vacuatione, cuiusuis sit conditionis: quapropter eam reuocare protinus, tutissimè, & citissimè præcauet. Verùm quia reuocatio suppressarum fluxionum non ita facilis est, ob id prædicta victus parsimonia, interim dū

A reuocatur, vtendum est: aut si neutrum sufficerit, instituta vacuatione iuxta humoris ideam peccātis, malum præcauebis. Pari prorsus ratione succrescunt in corpore excrementa, ex dimisso exercitio: quod iterū instirues, lentè tamen, & paulatim factum, ne humores calore exercitij fusi, ad commotos articulos faciliùs confluant. Cæterum quia hæc non semper sufficere possunt, aut corpus nequit his legibus adstrictū viuere, sed maiori licentia vtens, vbertatem, & vitiū humorum congregat, ob id statutis temporibus, antequam vitium, aut copia naturam lacessant ad motū eorum, idoneis vacuationibus ipsos conterere oportebit. Quapropter vt ex Celso constat, sanguis semel missus annuam in his affectibus promittit sanitatē. Et ob id in arthritide maximè, & in quouis alio articulorum

B dolore qui à sanguine prodit, ineunte vere sanguinem fundes, quantum postulauerit plenitudinis ratio, maximè si suppressa sit aliqua sanguinis vacuatio. Hoc tamen in præcautione obseruandum est ad venæ sectionem, quòd si arthritis sit, ex communibus brachiorum venis sanguis mittendus est: in alijs verò, particula quæ dolore assuescit affligi, venā quæ vtiliùs secanda sit, ostendet: nā in podagra brachiorum venas scindes, sicut in ischiade: in chiragra verò ex talo sanguinem fundes, nisi suppressa vacuatio aliud monstrauerit. Senioribus verò, & his qui habitualem habent morbum, sanguinem non mittes, longè enim citius in morbum deduces, quia vires ocyssimè labuntur, sat enim est, vel victus parsimonia vti,

C vel leui purgatione. At dum vitiosus humor causam malo præstare assolet, purgandum profectò eisdem tēporibus est, siue per vomitum (vt inferiùs sum monstraturus) siue per aluum humoris conditio vacuationem futuram monstret. Hoc tamen obseruandum est, videlicet quòd dum ventriculus, & prima corporis regio huic malo præstat principium, vomendū est ter quaterve in mense, ante tempus quo natura assuescit dolores concitare: quod si laborans renuerit, aut non profuerit, terebinthinæ vsum cum rhabarbaro experimento fidissimo, & grauissimis authoribus firmatum reperio. Idem beneficiū præstabit hiera simplex Gal. cum agarico. Verùm si vniuersum corpus humores regerere assuescat, arthriticis pilulis purga-

D bis, ac si id semel, aut pluries feceris, & cum hoc malū reuertatur (maximè si de morbo Gallico suspicio sit) sudationes instirues ex radice Chinæ sola, aut cū modico guaiaco: quod cautè facito, vt cōsulit Celsus quē ablegandam esse consulit à plerisque articulorū morbis sudationem, vtpote quæ maiores concitat fluxiones suo calore, ac promptiùs cogit humores recipi in articulis propter mollitiem, & dilatationem ipsorum: quod de balneis pari ratione licet intelligere; vel fontanellam in sano crure aperies si manus patiātur, vel in brachio si pedes. Quòd si in capite humores congregari assuescant, pilulis cocchijs, de agarico, vel Arabicis vteris. At si ex iecore humores acres, serosi, vel

E aliter vitiati prodeant, purgabis rhabarbari infuso cū myrobolanis, & syrupo ex rosis rubeis. Si tamen serosi humores abundent, syrupo solutiuo ex rosis Persicis vteris cum expressione seminis carthami: & pari ratione si adustum quid fuerit, diluto foliorum senæ cū aliquo ex prædictis syrupis, vel manna vteris. Hoc vnum in hac curatione adseruabis, nimirum acriora medicamenta prædictis adhibenda non esse: quippe non rarò ob humorum vehementem commotionē, dolores, qui diu quieuerant, succrescunt.

Superest adhuc vltimam causam expendere, cuius ratione non rarò articulares dolores accidere assolent. Quippe licet corpus purgatum sit, & ab alijs humoribus immune, adeo occasiones solēt quosuis succos turbare, quòd solæ hæ dolores accersant. Sic proculdubio immodicus veneris vsus, ob impensam humorum agitationem, & facultatum impotentiam,

solus

solus podagricos creat ex fortissimis hominibus. Venus enim immodica cruditates generat, & humores resoluto vitali spiritu vitiat, & ob id materiam huic malo præstat: potentias imbecillitat, & articulos, ac insuper in humoribus concitat motum. Pari etiam ratione animi passiones, otium immodicum, intempestiuum exercitium, vigilia intensa, somnus profundior, crapula, & ebrietas mille modis huiusmodi dolores accersunt. Item cæli status (vt paulo inferiùs monstrabo) nec non aeris, regionis, & habitationis conditio. Quarum rerum certam legem, ac vnam rationem scribere, quæ omnibus proficua sit, mihi perdifficile videatur: nam sunt qui australibus ventis, sunt qui alijs benè, malève se habeant: sunt qui in regionibus humidis, sunt etiam qui in sicciotibus, frigidis, aut calidis. Quapropter experimento iuuamenti, aut læsionis sumpto, præcautionem cuique proficuam instituere oportebit: hoc vnum tamen certò scio omnibus fore proficuum, nimirum his omnibus vti temperationibus, & medijs, vtpote quæ nullo extremorum lædere possint: & hæc de præcauendi ratione sufficiant.

De arthritide.

Articulatium morborum nomen, & genus meruit is dolor, qui omnes, aut plures articulos occupat, arthritis olvid appellatus: cuius natura peculiaris, quæ ipsum ad constituendam speciem ab alijs dissidentē contrahit, proculdubio est, non dolorem, symptomave esse, & in ossium articulationibus vigere (quod cōmune est, & genericum omnibus articularibus morbis) sed plures, aut omnes articulos occupare (quod nulli reliquarum specierum accidit) item non prærequirere articulorum eam imbecillitatem, quæ facta sit, & habitum acquisierit, sed longè leuiorem, licet requirat maiorem multo humorum copiam, quæ nata sit omnes articulos adire. Nam ex duplici causa, quæ complexu mutuo hos affectus efficit, articulorū imbecillitatem innatam, aut factam cum leui humorum copia requirit ischias, aut podagra: at arthritis maiorem longè humorum copiam, & leuiorem imbecillitatem, eamque potius à causa extrinseca ortā, nisi hereditarius fuerit affectus, & adhuc in eo quædam partes imbecilliores supersunt alijs, ita vt rarò arthritis succrescat, frequentiùs tamen podagra, chiragra, aut ischias. Quam sanè doctrinam probant duo euentus, quos euidentissimos comperimus in arthritide: primus est partes dolore corripi, principio accepto ab ipsarum tumoribus, cum è contra podagricis, & chiragricis accidere visum sit, nimirum primò partes dolere, postea in tumorem eleuari: secundus quòd arthritis non requirit quadraginta dierum spatiū ad resolutionem humoris, vt in podagra, & reliquis statuit Hipp. 6. aphor. 49. Primus sanè prodit ab hac peculiari conditione, qua insignitur arthritis, nimirum prodire semper à totius plenitudine, quam in omnes articulos deponit natura, tumefactis venis, & prolapsa etiam materia in partes ligamentosas, membranosas, & carneas: licet statuendum sit, aliquid etiam in articulos prolabi, cæterum id quàm paucissimum esse, quo fit vt facillimè resoluatur, quia aptiores sunt prædictæ partes humoribus quibusuis discutiendis, quàm osseæ articulationes, in quibus necessum est tēpore diuturniori suppleri, quod caloris impotentia nequit efficere: quibus etiam accedit articulorum imbecillitatem non esse adeo intensam, ac in reliquis doloribus, & ob id, citius resolui humores. Sequitur tertiò ex his omnibus non ita frequenter redire arthritides, ac podagram, & ischiadem, aut chiragram, quia cū imbecillitas non sit habitualis, omnibus causis quæ grandiores non sunt, facillimè resistit: quo fit, vt quā rarissimè, aut nunquam reuertatur, nisi vitæ intemperantia copiosam congreget plenitudinem: at in podagra, & reliquis à leuioribus causis, & in minori materiæ copia redit dolor, & frequentiùs ingruit, quia articuli sunt longè imbecilliores ex natura, & quia semel ibidem suscepta materia imbecillimi remanēt, & susceptioni paratiores. In arthritide verò, radicitus discutitur materia omnis, quo nihil superest quod impotentiam articulorum adaugeat.

Causæ.

Habet quidem causas arthritis cum reliquis articulorum doloribus communes, & veluti peculiarem, & intrinsecam habet plenitudinem vasorum, præsertim sanguinis: externam verò omnem occasionem, quæ articulis laborem, & exercitium afferat insuetū, quo ipsi incalescant, laxentur, & dilatentur, ac humores fusi, efferuescentes, & commoti in ipsos confluāt, quos facilè pars labore effecta laxa, & imbecilla, alliciat, aut suscipiet. Quales verò sint causæ quæ laborem, laxitatem, aut calorem articulis afferant, superiùs diximus, sicut eas quæ sanguinis, & reliquorum succorum vbertatem ministrare possunt. Nec prætereundum est hac in parte, posse ab articulorum siccitate arthritim suboriri, sed hanc causam in podagra specialius enodatam reperies. Interim tamen scito, ex siccis temporibus, aut alimentis, vel inordinatis exercitijs, adeo resiccari articulorum humiditates (non ligamentorum, aut osseæ substantiæ, sed mucilaginosæ intra articulum contentæ) quòd spuriam arthritidem generet, maiori impotentia ad motum præstita cum mitioribus doloribus.

Signa.

Affectus sua natura cognitu facilis existit, quippe dolent citra causam manifestam plerunque omnes corporis articuli: verùm cum hoc à Gallici morbi doloribus, qui his sunt similes, non ita facilè distingues. Vtrunque enim doloris genus easdem partes videtur infestare, & eodem modo: cæterum dissident, quia Gallicus rarò aut nūquam fit cum tumore, qui si fortè apparuerit, non in omnibus articulis, sed in aliqua signatim parte comparebit: at arthritis cum tumore, in omnibus, aut pluribus plerunque cōspicuo. Præterea Gallicus sensim paulatimque ingruit, & non simul in omnibus, aut plerisque: arthriticus verò, licet paulatim causa in membro adhuc dolente gigni possit, in articulos tamen ferè omnes, subitò affatim, & confertim decidere oportet. Item Gallicus dolorem infert iuxta periostion, in intima particulæ regione: arthriticus autem in extimis, vbi tumor apparet, & in intimis etiam. Insuper Gallicus plerunque semper habet comitem diuturnum capitis dolorē: arthriticus rarò, aut leuem. Præterea Gallicus noctu, & in tēporum mutationibus, maximè austrina, & calore lectuli exacerbatur: arthriticus omnibus diei partibus citra vllam remissionem, nisi præstito auxilio. Etiam Gallicus incipit post bubones venereos repercussos, & intrà versos: arthritis verò post crapulam, dimissū exercitium, aut cum plenitudine acceptum. Cognito affectu, fiat ne à sanguine venaberis ex venarum, & totius carnis tumore, rubore, tensione, & continuo dolore. Vrinæ his sunt mediocres, aut parum à naturali mutatæ, præterquam quòd nubeculæ instar, sedimentum in medio apparet. Quòd si prævaluerit in sanguine bilis, color inter rubrum, & pallidum medius aderit, dolor acutior cum maiori, & euidentiori calore, qui maius susceptat à frigidis leuamen, quàm si à solo fieret sanguine. Tumor citius apparet cum exacerbatione per tertium: sitis valida: febris intensior cum vrina etiam subflaua, & acri. Verùm si pituita redundauerit, color albus subter cutem apparebit, & tactui cedet ad modum tumoris pedum in hydropicis: dolores nonnunquam mediocres, sed qui per plures horas durant, & paulatim aliquando increscunt. Quòd si salsa sit pituita, pruritus accedet maximus cum mordacitate: vrina item tenuis, & crasso sedimine plena. Sic ex atra bile, fieri nosces ex atro partium colore, frigoris sensu, & dolore frangenti simile, ac veluti abradente profundas particulas, quarto tamen die exacerbantur manifestiùs accidentia.

Præsagiũ. Verùm ab hac causa orta arthritis difficulter curationem suscepıat, quia nullo cedit præsidio. Præterea si præsto huic affectioni præsidium non attuleris, plerunque in habitualem podagram commigrat. Et licet dictum sit à veteribus ferè omnibus, podagrã, chiragram, aut ischiadem in arthritidem mutari, censeo non exquisitam esse arthritidem, sed etiam quæ ex tribus prædictis conflatam arthritidem æmulatur: quippe aliud est, hominem his omnibus simul iunctis vexari, & longè aliud arthritide ex vna communi causa, & vno generationis modo: nam illæ licet simul iũctæ reperiantur, varijs tamen de causis, & occasionibus fieri possunt, & ob id arthritidem nõ constituũt, licet omnes articuli doleant. Succrescunt frequenter hi dolores vere & autumno, quòd sic affecti, & parati in eos incidere, neque sudant, aut mingunt his temporibus quantum assueuerant.

Curandi ratio. Cùm id quod magis in articulorum doloribus perpetuò vrget, sit dolorum, & laborum, ac vigiliarum sæuitia, non tarò coguntur Medici eisdẽ vniuersam præstare curationem, neglecto morbo, quem primò auferendum esse consulit medendi ratio. In qua re vel nihil vel parum beneficij laborantes susceptant, & non tarò, leui, aut fucato leuamine præstito, in longè maiora mala dilabuntur, aut affectio in diuturniorem commigrat, quòd euerso ordine curationem sequamur, nulla causarum, & morbi habita prouidentia. Quapropter, licet laborantes anxiè expostulent quàm citissimè ab his molestijs liberos esse, & concupiscant quæ possumus, & quæ non possumus: eũ hoc tamen generosi Medici est, præstito mitigatorio auxilio, vniuersam curationem, & omne studium in morbi ablationem conuertere, quæ certior erit, ac securior mitigationis ratio.

Sic à primo mali insultu ea vitæ, & victus ratio instituatur, quæ aerem ministret temperatum, & si biliosa fuerit fluxio frigidiorem: alimenta quæ modicè nutriant, quibus sobriè quoque vtatur, ita vt neq; copiam adaugeat, neque vires plurimum deijciat: licet primis diebus tenuior forma sit instituenda, quãtum sat sit, vt auara facta natura, minus ad articulos transmittat. Potus sit aqua deaurata, exercitium nullum, somnus moderatus, aluus soluta clysmatis, & animi perturbationibus laborans sit exors.

In curatione verò statuendum est, siue solius sanguinis plenitudo sit (quam huius mali potissimã causam esse diximus) siue quæuis cacochymia admixta, modò persẽt cruditates, modò secus, à clysmate sanguinem esse mittendum. Nam vt ex Hippoc. & Galen. constat lib. 3. popul. eadem omnino iustituenda est prouidentia aduersus causam in curatione, ac in præcautione: inquit enim: Quæcunque ex recta ratione faceremus morbis præsentibus, melius est eadẽ, vel ipsis iam incipiẽtibus, vel incepturis moliri: quod maximè verum est, de his morbis quæ à fluxione humorum pendent, & quando sunt in initio. Quo fit, vt iure optimo teneamur, & plenitudinem minuere, & impetum ad articulos auertere, vt præceperat lib. de sanguinis miss. capit. 19. quod nullo auxilio commodiùs facies, quàm sanguine misso. Primis quidem diebus diligenter, & copiosiùs, iuxta virium cõsensum: postea verò per interualla, quo vires morbo, & præsidijs sufficere possint, idque ex brachijs, & interna vena facies: quia sicut in acutis morbis, vt consuluerat Hippocrat. 4. acutorum 14. ea scissa, partes principes promptius euacuantur, ita & vniuersum corpus. Verùm si ex suppressa aliqua sanguinis consueta, & vtili vacuatione arthritis oriatur, non protinus reuocanda: quinimo priùs plenitudo ab ea exorta deponenda per venas brachij scissas, postea verò quòd superest, auertendum deducendumque per venas partis, per quam solebat fluere, proximas. Quapropter ex talo sanguinem mittes, & affectu à vehementia subsidente, si diu perstiterit, suppressam fluxionem reuocare studebis per hirudines, si hæmorrhoides obcæcatæ fuerint, vel per ea auxilia quæ citra humorum turbationem, & nouum motum, menses mouere nata sunt: cuius naturæ existunt cucurbitæ femoribus affixæ, ac nonnunquam scarificatæ, vel scissiones venæ tali, per quas parum sanguinis, sed frequenter extrahatur, maximè si superiores partes magis doleant. Cauere tamen in hac curatione omnino oportet reliqua quæ menses mouere nata existunt, vt quæ maius damnum sint allatura, citra id quòd menses mouere possint.

Cæterum in opere purgationis multa etiam consideratione digna nobis sese offerunt. Primum quidem est, arthritidem peculiariùs exposcere, & ferre longè meliùs purgationes, quàm podagrã, aut ischiadem: nam cùm humor sit in omnibus vasis, & ad omnes articulos fluat, & vniuersus in motu existat, naturam potius habebimus adminiculantem medicamento exhibito, quàm quòd sperandum sit, ob id citatius moueri, & in partes dolentes irruere, vt in reliquis articulorum doloribus frequenter conspicimus: quinimò salubriter euacuatur redundans copia, & quæ adhuc superest in vasis, auertitur à locis dolentibus, & ad ventrem reuellitur. Cum hoc tamẽ in sanguinea arthritide longè minus est purgandum, idque tardiùs, & mitioribus medicamentis: exacerbatur enim sanguis pharmacis actionibus, & calidioribus, ac bilescit, & ob id longè deteriùs se habent laborantes. Quo fit vt necessum sit, sedata doloris vehementia, & inclinante affectu, post sufficientem sanguinis detractionem, manna, cassia, aut syrupo ex rosis rubeis purgare, semper tamen roboris gratia, & vt viæ arctiores fiant, & fluxui ineptiores, aliquid rhabarbari, vel corticum myrabalanorum admiscere, quo etiam serosam sanguinis partem (qua ipse fluxibilior efficitur) educamus. Verùm si biliosa fuerit plenitudo, licet sanguis etiam mittendus sit, non tamen differenda purgatio est, donec ex toto quod superabundat, vena scissa extrahamus, sed bis terve sanguine misso, protinus purgare conuenit (etiam si vlteriùs sanguinem detrahere opus esse videatur) medicamẽto quod vires habeat bilem educere: qualis naturæ est *in liquore nouem infusionum rosarum mannæ* ℥. 2. *dissoluere*, vel purgationem instituere, cum syrupo solutiuo ex additione senæ, aut manna diluta in infusione foliorum senæ. Quippe si vlteriùs purgationem differas, feruidior fiet vniuersa sanguinis massa, ac ex consequenti fluidior, & forsan cogeris plus sanguinis extrahere (vt laboranti doloribus oppresso subuenias) quàm vires ferre possint, in morbo, aduersus quem diu sunt pugnaturæ: præterquam quòd refrigeratio hac lege contracta, non est ex vsu his affectionibus, vt quæ fiat potius defectu caloris, & spiritus euanescentis, ac resoluti sanguinis missionẽ, quàm euacuatione biliosorum, quæ insufficienter efficitur sanguine misso. Ob id primo accessu copiosiùs purgare licebit, quo facto, si quid sanguinis superest euacuandum, tutius efficitur, & liberior subest via alijs purgationibus, si eis opus fuerit. Cæterum si pituitosa sit, aut melancholica plenitudo, parciùs sanguinem mittes, & per plures, ac partitas vices, longioribus interuallis factas, quo in sanguinem aliquid pituitæ mutari possit, admisceríque adæquatiùs, vt vtilior existat sanguinis detractio: frequentiùs tamen erit purgandum, nõ tamẽ ita copiosè, sed per epicrasim, vt quod arte, aut vi naturæ purgationi disponitur, aptiùs, & faciliùs educatur. Quo etiam purgationis modo desuescit natura à consueto fluxu, & transmissionis loco: idq; facies infuso agarici, aut carthami succo cũ syrupo rosarũ Persicatum. Verùm quod in hac causa vtilius fore arbitror, est (quantũ sanguine, aut bile redundãtibus idẽ perniciosum existit) purgare pilulis

aggre-

aggregatiuis, arthriticis, de agarico, & reliquis quæ vim habeant humores à distantissimis partibus allicere, vt trifera persica, benedicta laxatiua, electuario elescopi, diaturbit cum rhabarbaro, & diaphœnicone: eiusdem quoque naturæ sunt pilulæ cocchiæ, fœtidæ, aureæ, de sagapeno, de hermodactilis, aut de opopanace: nec minoris momenti esse arbitror (si febris non adsit) terebinthina, & rhabarbaro purgare. Quas purgationes repetes, iuxta laborantis indigentiam, robur aut affectus diuturnitatem: nam habito horum omnium respectu, plus minusve, frequentius, aut rarius eis vteris.

Factis prædictis tum sanguinis, tum redundantis humoris vacuationibus, longè maiori vsurus es prudentia in administrandis topicis auxilijs, quàm in quouis alio articulorum dolore. Quippe siue repellentibus vtaris, siue discussorijs, aut anodynis, semper lædes: nam cùm fluxio fiat ad plures articulos, ab ipsis repellere verendum est, ne in principaliorem partem decumbat fluxio, cùm plures partes, quantumuis minus principales sint, efficaciores, ac potentiores existant ad membrum principalius pellere, si repellentium beneficio iuuentur. Si tamen quod contentum est discutere velis, proculdubio longè magis sperandum est, ex tot partibus calfactis, humores plurimum fundi, ac vias laxari, & ad partes ipsas ipsos euocari. Item si mitigare studueris, imbecilles, ac effœminatas reddes partes, & longè molliores, quo certum est iterum longè faciliùs in eundem morbum, aut aliquam eius speciem casuras. Quapropter hoc mihi persuasum habui, & experimento vtilissimo obseruaui, longè satius esse, nullo vti particulari auxilio, quàm spe leuis mitigationis, in grauiora pericula laborantem deferre. Cum hoc tamen non erit ab re, vni aut duabus partibus ea adhibere præsidia, quæ profutura podagricis affectionibus inferiùs scribam. Hoc tamen vnum eis ex vsu fore arbitror, corroborationis gratia iam inclinante affectu, & vt discutiatur, siquid adhuc remanet in partibus, nimirum vino rubro chalybeato, solo aut aqua ferrariorum admixto vti.

De podagra, et chiragra. Quantumuis genere eædem sint hæ duæ affectiones inter se, & cum arthritide, cum hoc tamē aliquid habent peculiare, quo ab ipsa dissident natura, & curatione. Est itaque podagra (& pari pensu de chiragra est subaudiendum, circa naturam, causas, & curationem) articulorum pedum, & manuum inflammatoria defluxio cum dolore. Quibus verbis apertè innotescit huius mali natura: quippe citra defluxionem fieri est impossibile, si vera, ac legitima futura est podagra: item prærequirit succensum existere humorem citra collectionem quæ abscessum efficiat, nam aliter phlegmonis, aut alterius tumoris præter naturam conditionem sortietur, non podagræ. Præterea dolorosum prærequirit symptoma, alioqui mollitudo succrescet articuli, & laxitas, non podagra. Ratio primi est, quia cùm huius mali natura sita sit in articuli extensione, & separatione, necessium proculdubio erit, aliquid humoris in eius articulationem, & cauitatem procidere, cuius occasione partes discedant, & ossa abinuicem separentur. Ratio etiam secundi est, quia si humor non inflammetur, aut saltem incalescat, iudicationem non sortietur, sed necessariò, humore diu permanente, in alium affectum mutatur podagra: incalescentia enim & feruor iudicij est causa: nam ad pensum caloris præter naturam, natura nititur ipsum mutare, & deuincere, cauens ne calor ille partibus adhærescens, ipsam omnino ac eius innatū calorem infirmet, perdat, & superet. Tertij verò ratio est, quia cùm humor, quantumuis tenuis sit, non possit in cauitatem articuli prolabi, nisi per ligamentorum substantiam, dolorem ob id non mediocrem eō citat, sed longè grauiorem, cùm ad discessum articu- A li ipsa quoque ligamenta tenduntur, ac veluti dilacerantur.

Quo supposito, statuendum est, podagram esse duplicis naturæ, & conditionis: vnam quidem legitimam, & exquisitam: alteram verò spuriam, & illegitimam: illam quidem solùm constitutam, & genitam ab humore intra articuli cauitatem prolapso, quæ ob id gutta à Barbaris dicitur, quia stillatim, & guttatim in eam partem procidit. Hanc verò duplicem vlterius arbitramur esse: vnam, quæ fit humoribus in tunicis ligamentorum, & tendonum, in neruis, aut in eorum venis, turgentibus, & distendentibus, nulla eorum portione in articulos prolapsa: alteram verò quam Hippocr. arbitratus est fieri ex sicci- B tate, hoc est contrario prorsus modo, ac legitimam generari diximus, nimirum per resiccationem humiditatis intra cauitatem articuli ad faciliorem motū præstitæ: quod sanè nouisse ad curationem non est parui momenti, vt mox referam, si priùs causas cuiusque adduxero. Quibus addes has omnes posse insigniri, & fœdari Gallica conditione, qua mille modis ipsam simulat, & variat, ac miris varietatibus cū temporis diuturnitate immutat.

Podagræ & chiragræ causas easdem esse, cum his quæ articularibus morbis sunt communes euidentissimum est, hoc tamen habent proprium, & peculiare, quòd maiori ex parte (sicut arthritis à totius plenitudine, licet articuli non sint adeo imbecilles) conci- C tentur ex articulorum impotentia, quantumuis morbosus corporis apparatus sit leuis, aut externa occasio parui momenti. Probat hanc veritatem, morbum posse esse hereditarium, cuius morbosum apparatum credendum non est à parentibus contrahi, sed solùm partium natiuam impotentiam, quæ leuissimis causis in similem affectum ducit genitos. Habet etiam hic affectus aliud peculiarius (licet non desint qui arthritidi etiam tribuant) nimirum spuriam podagram à siccitate articulorum posse etiam fieri. Cuius causæ solus meminit Hippoc. lib. de internis affectionibus, vbi statuens doloris coxendicis causas, scripsit à bile, & à siccitate posse fieri. Qua parte non licet per siccitatem intelligere siccam intemperiem partium soli- D darum articulum ipsum constituentium, ossium nimirum, aut ligamentorum, sed solùm consumptionem glutinosæ illius humiditatis, quam natura præstituit articulis, gratia facilioris motus. Nā cùm à causa aliqua, præsertim externa, prodierit prædicta humidi consumptio, tunc profectò, articuli motus præpeditur, & dolor quidam leuis succrescit: ac licet Hippocr. huius causæ solùm meminerit in ischiade, pari quoque ratione arbitror alijs articulis posse succrescere. Huius causæ dolores scripserat Hippocr. 3. aphorismorum 16. in siccioribus constitutionibus suboriri: quod cōfirmauerat Galen. eodem commento. Immodicæ enim aeris siccitates (inquit) articulorum humiditatem consumentes, eos ad motum difficiles, E ac impotentes reddunt, doloremque hinc nonnunquam inuehunt. Cum hoc tamen hos dolores visus est à consortio arthritidis ablegasse, quod nos intelligimus à legitima, & vera, verùm sub spuria posse contineri nemo negauit, siquidem concessit Hippoc. loco nuper citato. Sed causas consumptionis prædicti humidi eas arbitramur esse, quæ articulorum naturalem humiditatem resiccare possunt: quo fit vt diutinum, ac vehemens exercitium sub sole factum, vt Hippoc. docuit lib. de internis affectionibus id plerūque efficiat: præterea aeris immodicæ siccitates id natæ sunt efficere, vt 3. aphorismorum 16. nam consumptis humiditatibus, quæ ad articulos fluxuræ sunt, id facilè succrescit, & arthritidem accersit, si diu duret aeris intemperies. Quibus accedit æstuosus, ac diutinus affectus, qui temporis tractu easdem conterit, ita vt ab his conualescentes ægrè incedat, & cum

Causæ.

dolore, ac difficultate: sicut qui vel tenuissima victus A ratione, aut nimis resiccanti vsi fuerint, velut refert Hippoc. 2. popu. par. 4. de his qui orobos comederũt, quibus genuum dolores succrescebant.

Frequentior tamen & communior podagræ, & chiragræ causa est ea, quæ nata existit, vel plura in aliquo membro congregare excrementa, quæ id tanquam potentius ad pedum, ac manuum articulos regerat, quod frequentiùs iecori intemperato, aut capiti imbecillo contingere scimus, vel quæ humoris alicuius magnum cum sanguine suggerat prouentum, vel quod in ipsa particula indies aggregatur, ac postmodum in articulum decidat. Nec arbitrandum est vt excrementum congeritur sensim, & paulatim, ita & in articulum migrare: quippe tunc nullum inferret dolorem, sed arbitror iuxta articulos aggregari, & B copia facta subitò, & affatim in articulum decidere, vt latius leges in ischiadis causis. Quæ autem sint causæ quæ hos succos hac lege gignere natæ sint, superiùs diximus: & ob id vitare oportet quæ prauos succos gignunt alimenta, aut exercitia, & animi passiones, quę genitos vitiant, vel vitiatos mouent. Sunt etiam causæ quæ præter id quòd alimenta vitiant, aut cruditates generant, ipsas mouent, & articulos infirmant, vt vetus vinum immodicum, & quoduis exercitium si intempestiuum fiat, aut excedens sit, maximè si consuetum intermittatur exercitium, aut præter consuetudinem, corpore existente crudo, aut pleno, quis eo vtatur. Tandem omnes causarum sortes ad sex tantũ genera reducuntur: nam quædam materiam subster C nunt, huic morbo gignendo idoneam, qualia sunt cibaria praui succi, acris, mordacis, & crassæ substantiæ: quædam probos cibos, & laudabiles vitiant, ac ad deterrimam conditionem mutant, vt iecoris, aut ventriculi, vel capitis intemperamenta adeo praua cõditione affecta, quòd ad nuper dictas qualitates eos muteut, quantumuis laudabilis sint substantiæ, & cõditionis: rursus alia prædictos succos ad articulos mouent, & exagitant, vt exercitium, insolatus, calidiores, aut frigidiores venti, ira & quoduis aliud quod natum sit vel humores fundere, vel repellere, vel vias aperire, aut quomodolibet mouere: Præterea aliæ articulos infirmant, vt assiduus labor, calceamenta, aut D vestimentum quoduis nimis arctum, balneorum calidorum frequentia, & tandem omnia quæ ipsos calfacere, laxare, aut mollire nata existunt: Vltimò tandem sunt etiam aliæ causarum sortes, quæ id omne efficere habent, velut est veneris immodicus intempestiuus, & insuetus vsus, aut vini meracioris vbertas, vel frequentes cruditates. Item frequenter & copiosè in quouis dolore sanguinem mittere, præsertim ętate iam inclinante, vel rursus eadem ætate non minuere cibi quantitatem in iuuentute assuetam. Hæ enim causæ, tum vires labefactant imminuta innati calidi substantia, & morbo habituali facto, tum cruditates generant, humores vitiosos reddunt, articulos infirmant, & tandem humores exagitant, & mouent, ac E ad articulos deferunt: quæ sanè omnia curaturo magni fore momenti arbitror, quibus addes venereæ cõtagionis consortium, quo molestior, diuturnior, & curatu difficilior efficitur.

Signa, Signis nec ad symptomatis, neq; ad morbi cognitionem opus habemus; causarum verò signa, præter ea quæ adduximus paragrapho de arthritide, nõ sunt admodum obscura: quippe ex natura ægri, ex colore articuli, doloris proprietate, ex his quæ prosunt, aut obsunt, ex anni tempore, ex cæli statu, ex prægresso vitæ modo, ex proxima occasione petita, ex diligenti interrogatione cognosces. Quòd si ab articulorum exiccatione malum oriatur, nosces facilè ex prægresso diuturnoque morbo, ex causis quæ præcesserunt, siccare aptis, ex leui dolore cum maiori ad motum efficiendum ineptitudine, ex cutis extimæ siccitate, & maximè quia nullus apparet tumor, neque tactu dolor persentitur, quod alijs speciebus non ita accidit.

Præsagia. Studendum est diligenter ne articulorum dolores ex habitu fiant, aut ipsi sæpius repetant, ne habitum contrahant, quippe tunc difficulter sanitati integrè restituitur homo (nedum cùm in tophaceam substãtiam commigrat humor in articulos confluxus) quinimo fidissimo acceptum est experimento, curatos lõgè deteriùs se habere: nam præsidia non possunt non afferre imbecillitatem corpori (si sanguinis mistio, aut expurgans sit medicamentum) aut parti affectæ, ex adhibitione topicorum, quæ aut laxant, & effœminant articulum, dum anodynam sortiuntur vim, vel calfaciendo alliciunt, aut refrigerando crudiorem reddunt humorem, & discussioni ineptiorem efficiunt: præterquam quòd si partem roborent, ad principalius membrum deducitur humor maioris mali causa futurus: ob id profectò principijs mali, maiori est vtendum diligentia, ne in habitum commigret, cùm postea non solùm nihil boni præstare possint, quinimo longè fixiorem reddant affectum, & ob id frequentiùs rediturus sit, quantumuis primo accessu videantur malum aliquando mitigare, & compescere: quippe (vt inquit Auicenna) dolore marcescit, & extenuatur membrum. Efficitur habitualis ex eiusdem materiæ congestione ob eandem vitæ deprauatam constitutionem: item ob senectutem ex natiua impotentia huius ætatis: in conualescentibus qui improbè se gerunt. Quo fit vt pueri podagra non laborent, vt ex Hippoc. 6. aphorismorum 30. euidẽter colligitur. Præterea confirmatur, quia in autumno frequentiùs ingruit huiusmodi affectio (cùm ob aliquã occasionem priùs non concitatur) quòd ex horarijs fructibus, & potibus in æstate sanguis vitietur, & maximè quòd partes imbecilliores sint eo tempore, sicut vere, quòd liquescant ex hyeme concretæ cruditates. Sic fœminæ ex consuetæ vacuationis suppressione plerunque podagra corripiuntur, alioquin verò minimè, licet arthritide non raro corripiantur, ob demissum exercitium cum sanguinis vbertate, aut ob intẽpestiuum, vel accedente alia causa, quæ sanguinem, & humores fundat.

Curatio. In curandi munere, circa podagram multa sese mihi offerunt expendenda, quæ curaturo, & laboranti, Deo auspice, spero non parum profutura. Primũ quidem monitum velim lectorem, ne communi errore deceptus arbitretur, quòd sicut duplex est podagræ causa, nimirum articulorum imbecillitas, & humorũ prauorum redundantia, ita quoque futura est duplex curatio eius affectus dum viget, & in accessionem assurgit, quinimo necessum est conijciat, articulorum roborationem potius ad prophylacticam, & præcautoriam curationis partem attinere, quàm ad verè curatiuam. Quippe periculo non caret, vigente accessione, & humorum confluxu ad articulos, tunc ipsos roborare, quinimo (vt antea dictum est) longè grauiora mala, & inopinata pericula succrescere visum est, ex huiusmodi opere, non raro. Quapropter in præcautione impensa cura, & diligentia adhibenda est circa huiusmodi imbecillitatem, antequam eius occasione articulus humores susceptet: nam tunc solùm humoris fluxui, fluentis, & fluxi habenda cura est: & postea nulla humoris sorte prædominante, ad articuli roborationem deueniendum est, ne morbus reuertatur. Nam duo sunt quæ exoptant qui his doloribus infestantur: primum vt à dolorum inclementia eos tueamur: secundum verò, vt morbus ampliùs non reuertatur, aut quàm rarissimè. Et ob id roborationis munus ad prophylacticam partem relegamus, solùm hac in parte facta mentione alterius causæ.

Humorum prouidentia (quam vt veram curationem hic instituimus) triplici perficitur munere, (vt humores ipsos tribus omnino modis lędere cõspicimus)

nimi-

nimirum vniuersali vacuatione, quæ fluxuros respicit: reuulsione, quæ fluentes: & euacuatione ab ipsa parte affecta, vel ab illi proxima, quæ in particula contentos, aut mox casuros educit. Præter quas quarta non minoris momenti addenda est, quæ dolores mitigare, ac compescere studet, non vt dolores leniat solùm (quod non est huius considerationis) sed vt sedato dolore minus humores ad partem euocentur. Circa primum statuendum est, doloribus incipientibus omnem curam impendendam esse iuxta corporis morbosum apparatum: qui sanè siue ex sanguine, siue ex quouis alio humore fiat, semper sanguine misso demendus est, quantum par sit vt viribus non labentibus minor fiat. Hoc tamen habet peculiare sanguinis abundantiæ, quòd copiosiorem expostulat euacuationem, quam non solum citra virium iacturam ferre potest, imò longè vegetiores, & maiores sanguine misso apparent, quod in aliorum humorum redundantia non ita euenit: nam licet sanguinem mittere sit opus, longè citius vires labuntur, tum ob id, tum ob dominium reliquorum humorum: quo fit, vt plus minusve extrahendum sit, quo magis accesserit, aut discesserit à sanguinis natura. Quapropter si sanguinem redundare constiterit, primo mali accessu, longè tutius erit à distantioribus partibus à parte affecta ipsum fundere, maximè si suppressione alicuius sanguinolentæ fluxionis, malum fiat: id enim tolerat innoxiùs natura, & postulat affectionis tempus, quod principium est. Verùm si vitiosos succos abundantiores esse constiterit, tunc quidem propiùs ad partem affectam accedere erit opus, & venas non longè ab ea distantes tundere, vel saltem eas, quæ maiorem habent cum ipsa communionem, quo minori copia extracta, (quia maiorem vires non tolerabunt) maioris sit commodi. Ex eius rei ignoratione, & ex largiore, & frequentiore sanguinis detractione facta in quouis dolore, nõ pauci ex his, qui articularibus morbis premuntur, aut habituales nacti sunt affectus, aut in eam imbecillitatem deuenerunt, quæ maius damnum attulit, quàm ipse affectus. Quòd si habitualis iam fuerit affectio, non plurimum innitendum est, quouis dolore accedente, in sanguinis detractionibus: quippe sic imbecillior effecta totius corporis natura, vitiosos, aut prauè consectos copiosiùs generat succos, qui postea ob corporis, & articulorum imbecillitatem, ex largioribus, & frequentioribus sanguinis detractionibus longè frequentiùs dolores succrescunt. Quapropter pluribus consului ab his frequentioribus sanguinis profusionibus abstinere, qui tardiùs in dolorosas ob id inciderunt accessiones, maximè cùm parciori victus forma deinceps vtuntur, si corpus inclinantis fuerit ætatis. Nec nos terrere debent febres quæ succrescunt vt accidentia, nec cogere ob id sanguinem mittere, quippe hæ cessant protinus vt cessat fluxio: secus res se habet si febris alterius sit naturæ, & causæ, aut aliquod membrum princeps adierit malum, quippe tunc tutissimum est sanguinem detrahere; sin aliter, minimè, faciliùs enim conualescunt laborantes, & tardiùs incidunt in dolorosam accessionem nullo sanguine misso, quàm si ipsum extraxeris: nequit enim resolutus, & imbecillus calor, ita promptè humorem superare, & discutere, ac mox denuo alios generat succos longè deteriores, deficiente caloris robore ob sanguinis detractiones; turpius enim est, in hæc mala laborantem ducere sanguine misso, quam non misso paulo diutiùs dolorem ferre, qui sua spontè mox cessabit corpore superstite robustiori.

Neque arbitrandum est (vt fere omnes authores statuunt) in vitiosorum humorum redundantia, protinus esse, malo adhuc in principio, & augmento existente, purgandum: quippe cùm ratio mali sita sit in

A humorum motu, proculdubio, ipsis vlteriùs motis vi purgantium medicamentorum, citatiùs in particulã affectam ruunt: quo fit vt multi eorum, qui purgans medicamentum sumpserant his temporibus, denuo grauioribus doloribus premerentur, & affectio quæ quadragesimo die finienda erat, nouo affluente humore, longè diutiùs protraheretur. Quapropter experimento fidissimo obseruaui, tutissimum, & rationi consonum esse, tardiùs vti purgante pharmaco, si humores lentè fluant, aut in huius affectus inclinatione. Quippe mox à principio multi faciunt, decepti humorum apparenti turgentia, nam cùm conspiciunt ad varios articulos fluere, arbitrantur id fieri ob humoris, aut naturæ turgentiam, ac motum de parte in

B partem, & mox ad purgans medicamentum confugiunt, & forsan non sine magno periculo. Quippe humorum motus ad varios articulos in hoc malo, diuersissimus longè est ab humorum turgentia, vt hæc affectio à turgentibus longè dissita est: nam in hac humores à toto, vel à parte, & ab internis ad extimas partes fluunt, quo minus impendet periculum, quia non est idem humor qui omnes partes peruadit, vt in turgentia, sed partem humoris fluxuri mittit natura ad pedes, partem ad manus, & brachia. Præterquam quòd interna viscera in his fortiora sũt, & externa membra imbecilliora: at in turgentibus verè interna viscera plerunque languidiora existunt, & motus eiusdem humoris fit de membro ad mem-

C brum vel princeps vel internum. Quapropter in his si expedit, eadem die purgandum est, ne fiat decubitus ad princeps membrum: at in articularibus, forsan ex vi medicamenti, quinimo necessariò, trahendus est humor motus, naturæ impetu ad extimas partes missus, ad interna viscera, quo fiat purgatio, quo faciliùs in membrum princeps decumbet, quã dum natura rectè operans ipsum in articulos trudit, quem motum alioqui securiorem, nos interturbamus, & diuertimus, ac retrahimus ad internas partes vi medicamenti: Quapropter generosum Medicum non decet turbari, nec ob varios partium dolores, protinus ad purgantia confugere, sed dolores ipsos mitigare, ac lenire, donec faciliùs, & securiùs res agatur. Ve-

D rùm dum corpus satis per sanguinis detractionem euacuatum existit, & ad varias, & supernas, aut internas partes conspicimus, impetu, & more turgentiæ humores irruere, ita vt vereamur ne simul in aliquod membrum princeps dilabatur, vt aliquando in caput assolet, tunc quidem nil ampliùs concitari poterunt humores, quinimo naturam reddent adminiculantem, ac probè admittunt, & expostulant expurgans medicamentum. Qualia autem debeant esse in vtroque casu, nimirum inclinantibus doloribus, aut sæuiente irruenteque in varias partes humorum impetu, non est ita inuentu facilè. Sciendum tamen in hac re, in sanguinis redundantia nunquam, aut solùm inclinante affectu purgandum esse, vt si quid

E crudum præ doloribus, aut biliosum ob calorem factum est, tunc extrahatur blandioribus pharmacis, vt cassia, manna, (dummodo rhabarbari infuso diluantur, ne plus laxent partes, & humores fluxui aptiores reddant, potius quàm ipsos alliciant) syrupo ex infusionibus cum expressione corticum myrobalanorum, & si quid biliosum apparuerit, rhabarbari: sic electuarium catholicon, confectio Hamech simplex, & diasenæ eundem vsum præstant: valentioribus tamen in his vti non consulo. Verùm si cacochymi sint humores, ipsique lentè à principio fluant, purgandi non sunt: sed dum malum inclinat, seligenti purgatione, ne reuertantur ob residui copiam, purgandi sunt. Sic biliosos rhabarbaro, infuso senæ; & pituitosos agarico, turpeto, carthamo si aquosi sint; & diaphœnicone, cum syrupo rosarũ Persicarũ, & alijs huius naturæ. Ac si pilulis vti velis, leuiores porriges;

vt sunt mastichinæ, de assaieret ex Auic. item ex hiera simplici, & agarico confectæ: paulatim tamen ad maiores deuenies, vt sunt aggregatiuæ, de hermodactylis, & arthriticæ: nec minoris momenti est diatur bith à Montagnana scriptum, quo multi cum felici euentu vtuntur: similiter & vsus terebinthinæ cum rhabarbaro. Eisdem tamen vti poteris materia furiosius mota, in minori tamen dosi, siquidem motus humoris vicem præstat medicamenti, ac forsan est velut eius calcar. Omnibus tamen admiscere oportet, quæ vim habeant roborandi vias, ne humor citius deinceps moueatur: quapropter rhabarbari, aut corticum myrobalanorum modicum his omnibus addes. Verùm dum humor impactus est, & iuxta partem affectam inhærens, gummosum aliquid addes, ac semina etiam, & aromata, quæ vim habeant attenuandi, & liquandi, quo faciliùs medicamentum trahere possit quod impactum est: atque hæc de purgatione, & sanguinis missione, habito respectu ad vasorum plenitudinem, vel cacochymiam, & humorem fluxurum, sint satis.

Vlterius prædicto humori fluxuro, nec non & fluenti prouidendum erit: cui sanè propriè reuulsio retractioque proficua existit. In quo opere ferè eadem subministrat ars instrumenta, ac in curatione simpliciter dicta, licet non omnia exequi tutò possimus. Retrahuntur etenim fluentes humores sanguine misso, expurganti pharmaco, non tamen pari commoditate nisi ad interna vergat fluxio: vomitu etiam, sudoribus, & frictionibus totius corporis. Verùm si cacochymi humores consuluerint expurganti pharmaco vti, considerandum est inueteratane fuerit affectio, an corpus senile, aut languidum, vel facilè resolubile: quippe tunc nec confertim, nec per epicrasim purgandum est: illud quidem ne imbecillius reddatur corpus, & cacochymiæ plus generet: hoc verò ne dissuescat natura à consueta ad articulos transmissione, citius enim hac curatione periclitatur: sat enim erit eo tempore bis terve, per maiora interualla leui vti medicamento, quo & aliquid expurgetur, & vires meliùs se habeant, & consuetudo adseruetur incolumis: vereri enim oportet si ad articulos vergat fluxio retractionem sine euacuatione, & cum ipsa non nisi plurimum malo vrgente. Sic profectò sanguinis missione retrahimus ab articulis humores qui fluunt: nam si ex capite fluxio fiat, communem, aut cephalicam venam cõtrarij lateris scindes: si dextra manus doleat, sinistram, & aliquando dextrum etiam crus tundere magni est momenti, & grauissimi authores consulũt si dextrum crus, sinistri etiam brachij cephalicam tũdes: quod si adhuc magis reuellere velis, eiusdem brachij venam carpi aperies. Verùm si iecur malo caussam præstiterit, præter venam basilicam quam primo aperies, non erit abs re ex saluatella vltimo loco sanguinem mittere. Quòd si vteri consortio malum oriatur, siue manus, siue pedes doleant, ab incolumi pede tutiùs, & vtiliùs sanguinem mittes: tum quia altero pede male habente, reliquum scarificare iussit Galen. tum verò quia ab ea parte fiet commodior à membro mandante euacuatio. Secus res se habet, si grandis admodum fuerit in corpore (siue ea occasione, siue quauis alia) plenitudo: tunc enim necessum est eam priùs per brachiorum venas euacuare, siquidem eo tempore non minor fit reuulsio, licet non sit ea quę originem respicit. Purgatione enim, cautiùs tamen & vt dictum est, vitiosos humores reuellimus, qua occasione, siue vniuersum corpus his abundet, siue ventriculus eos crudosque quotidie gignat, nullo alio auxilio (non solùm præcautionis gratia, quod tutiùs arbitror posse fieri, sed & curationis) fluentium reliquias reuelles, & fluxuros euacuabis commodiùs, quàm per vomitum. Quapropter, præmissis alijs vacuationibus, consulo, vbi pituitosus humor præualuerit (siue solus fluxionem conciter, siue alijs admixtus) quarto quoque die, & facta priùs diebus intermedijs ex rhodomelle præparatione, vomere. Sic pari ratione, si caput fluxionis origo sit, & impetus quodammodo cessasse videatur, per epicrasim purgare (quo natura dissuescat a consueto fluxionis loco) vtilissimum est, his pharmacis quæ caput respiciant, cæterũ in parua copia, ea nimirum quæ sufficiat, non corpus turbare, sed à capite aliquid per ventrem educere. Purgabis etiam fluxione residua aliquo modo corpus vniuersum, & ventrem crudis, ac frigidis humoribus plenum, quo ad intestina reuellas, & viscera robores, pilulis ex terebinthina, & rhabarbaro, aut factis ex eadem terebinthina, & pulueribus hieræ simplicis Galen. si ex ventre fluxionem prodire constiterit.

Quòd si articularis affectio Gallicam contagionem sortiatur, duo mihi probatissima obseruaui præsidia: primum dum corpus, ac venosum genus adhuc vbertate prauorum succorum abundat, maximè in venis iuxta articulos, quo vtiliter vsus sum in diuturnis affectionibus, & qui alijs remedijs non cedunt. Huius descriptio se habet in hunc modum: ℞. *sarsæ parillæ lib. 1. rasuræ ligni guaiaci ʒ. 3. & ß coquantur in lib. 10. aquæ ad tertiam, & selige sarsæ parillæ ramenta, & contere in mortario lapideo, donec fiat veluti massa, & exprime in prælo, adseruaque lac quod ibidem extrahitur, & iterum scobem dissolue in ʒ. 4. prædicti decocti, & in prælo iterum exprime, & sic facito ter, vel quater, & expressiones omnes admisce cum residuo decocto, & finito residere, & clariorem partem recipe: item chamæpityos ʒ. 5. coquito mediocriter, & facta colatura adde foliorum senæ ʒ. 6. & iterum bulliant, ac colentur post 12. horas, & his omnibus adde lac seminis carthami extractum ex ʒ. 9. in aqua stillatitia cichorij, & agrimonij, anà ʒ. 6. sacchari quod satis vt fiat serapium, cuius porrige tertio, vel quarto quoque die ʒ. 3. vel 4. ac poteris etiam agarici non nihil addere, si parum egesserit laborans.* Reliquum præsidium est cùm iam humores Gallici in articulis, aut prope ipsos inueterauerint, torporemque & leuem dolorem inter mouendum inferunt: quod sanè tanti solet esse momenti, quòd desperatos ad mediocrem sanitatem reduxerit: *fit tamen ex trium gallinarum carne, quas contusas elixare oportet cum sarsæ parillæ ʒ. 13. chamæpityos ʒ. 6. epithymi, & polypodij, anà ʒ. 1. & ß. limaturæ monocerotis ʒ. 7. cichorij, fumariæ, pimpinellæ, & capillorum veneris, anà manip. 1. agrimoniæ manip. 2. quæ omnia post coctionem in alembicum conijcies, & instillabis, vel in duplici vase, & instillationis illius summo manè cum modico pane dabis laboranti ʒ. 1. & in iuribus, aut obsonijs alijs admiscebis ʒ. 2. singulis diebus.* Sudoribus etiam non contemnendi authores consulunt materiam fluentem ad articulos, ad cutem reuellere: quo præsidio doloribus vigentibus, aut incipientibus, vel vtcunque existentibus, non vteret: quippe articulos laxare, emollire, ac infirmare, idoneus existit sudor: præterquam quòd humores fundit, ac liquat, quorum licet aliquid ad cutem euocetur, retrahaturque, coniectabile est, ad laxos, & dolentes articulos non minorem copiam fluxurã. Quapropter cum premeditatione, & non sine timore prę cautionis gratia, vsui esse potius possunt, quàm ad reuellendum si fluxerint, idque maximè, dum corpus morbo Gallico oppressum sit, aut pituitosis scatet succis in carne, & partibus extimis. Pari prorsus ratione subaudiendum est de balneis, cuiuslibet sint qualitatis, & fortis, præsertim si calida sint actu, quę renuere omnino oportet ni habitualem velimus reddere morbũ. Sunt etiam qui vrinam mouentibus pharmacis reuellere, & ad vesicam diuertere humores nituntur: quod profectò dum humores ipsi adhuc in motu existunt, siue incipiat, siue vigeat impetus, grauioris solet esse periculi: nã præter id quòd plures & longè citatius ad

arti-

articulos mouentur, si forsan ad vesicam eant, vel exulcerationem, vel difficultatem, vel lapidi materiã præstant. Quapropter, si his vsurus est, purgantibus per ventrem admisceto, vt diuretica attenuet, & purgantia per aluum attenuatos alliciant & expurgent humores. Verùm si habitualis fuerit affectus, quo minus purgabis, minus lædes: satius erit eo tempore optima vitæ ratione instituta ab omni auxilio supersedere, melius enim est vires diu integras adseruare, quàm leuis mitigationis gratia in languorem immedicabilem corpus ducere, morbo integro manente.

Habita fluxuri & fluentis humoris prouidentia, mox & interim fluxi ac in articulos prolapsi magna habenda est cura, vt qui maius facessat laboranti, & ob huius molestiam, Medico etiam negotium. In qua re, licèt à Medicis omnibus statutum sit, fluxum humorem & in particula contentum, protinus repellendum aut coquẽdum esse, ac mox discutientia admiscenda, quo id quod impactum manet, per insensilem halitum digeratur, & postea solis repellentibus esse vtendum, ac in omnibus his temporibus anodyna & lenientia pharmaca esse admiscenda, aut per se sola adhibenda; cum hoc tamen, quia particulæ natura, fluxi humoris conditio, loci dispositio, & morbosi affectus ratio aliquid peculiarius sibi circunscribunt, prædictis scopis vel contrarium vel diuersum; ob id profecto, neque temerè, neque vtcunque, neque semper, aut quibuslibet medicamentis horũ aliquid ten- C tare licet. Dixeram enim superiùs, quanta afferat pericula incautè repellere: nam ad alias partes maioris periculi non raró commigrat repulsus humor, vel in eadem concretus duritiem immedicabilem contrahit, & non raró materiæ maiorem copiam ad interna ex extremis pellit. Si autem minus aut plus, quàm par sit, aut vbicunque, diaphoretica & resoluentia porrexeris, non minus lædes, aut euocatis plus iusto ad particulam humoribus, aut præexistentium nimium resolutis & exsiccatis tenuioribus partibus, quo terrestres & longè duriores supersunt. Pari ratione anodyna laxant, & narcotica imbecillitant partes ipsas. Quibus periculis plures homines cautiores facti, maluerunt potius dolores citra leuamen perfer- D re, quàm leui quodam & momentaneo beneficiu suscepto, in grauiora pericula et frequentiores dolorum accessiones delabi. Cum hoc tamen, his qui impatientes sunt, & dum modo ab inclementia dolorum eruantur, nihil horum formidant, adhibere oportet, corpore puriori & vacuo reddito, in principijs, quæ modicè refrigerãdo potius quam per adstrictionem, repellendi vim habent: adstringentia enim constrictionem materiæ in parte maiorem moliuntur, quæ licèt sanitatis tempore ad corrigendam morbosam articuli laxitatem proficua sint, humori fluxo in prædictas cauitates aduersissima existunt. In frigidorum tamen administratione hoc obseruato, quod (ne opus sit vehementioribus aut eis diutius vti) semper E quæ anodynam vim habeant ipsis admisceantur. Verùm hæc anodyna non quæcumque esse oportet, sed si materia calida sit, quæ modicè attemperandi vim habeant; si verò acris & mordax, quæ leniendi; si frigida, quæ modicè calfaciẽdi aut actu calida sint. Quapropter materia à prædominio calida existente (nam rarò contingit vnius solum humoris fluxionem fieri), pedibus aut manibus primo accessu adhibere poteris, quæ ex lacte solo vel cum oleo rosaceo aut violaceo parari possunt: item emplastrum ex mica panis, oleo & lacte, aut ex farina hordei & fabarum cum eodem lacte, vel ex eadem mica panis madida aqua rosacea vel succo solani & lacte, cocta cum modico oleo donec fiat cataplasma. Paratur etiam emplastrum ex folijs hyoscyami in lacte bubulo coctis: itẽ si pars nimium rubeat, *Recipe cerusę ℥. 2. dissolue in aqua intybi & modico aceto, & fiat vnguentum.* Item,

A irrigationes ex aceto & rosaceo cum modica mucilagine psyllij, si in profundo humor hæreat: verum si in superficie sit, oleo prædicto cum vini guttulis vteris; prodest & cataplasma ex farina hordei & fabarum cum posca & oleo dulci. Apponuntur etiam verbasci flores & folia, lenticula palustris, psyllium, nymphæa, violaria, & portulaca trita per se vel cum rosaceo, aut facto emplastro cum mica panis & modico aceto: idem præstat, q. ℞. *olei rosarum omphacini & aquę violarum vel solani anà, ℥. 2. pannis etiam sępius supra partem appositis.* Præstat, quoque si ardor sit magnus, id q. ℞. *succi semperuiui & lysimachię anà, ℥. 3. aquę eiusdem ę maluarum, & lactis vaccini anà, ℥. 2. ponantur su-* B *pra partem.* Præterea prosunt lutea ouorum (nam albumina nonnihil constringunt) cum oleo rosaceo et modico succi solani. Sed maioris momenti compertum est plerisque fuisse emplastrum ex medulla cassiæ fistulæ, cum oleo violarum & mica panis. Dimitto hac in parte alia non pauca auxilia, quibus passim vulgus, authorum consilio, vtitur, vt aquæ frigidæ inspersio est, vel appositio pharmacorum quæ adstringendo roborant & repellunt, cùm re vera hæc omnia vetuerit Galen. non solum in chronica arthritide, sed in ea etiam quæ à membro dilabitur principe: quippe inquit lib. 2. de natura humana com. 11. *Iam non raró cùm in morbo articulari & podagra artus humores penetrent, & illinc repulsi in principem aliquam* C *partem inuasissent, morte conspeximus hominem affectum esse, vnamque restare spem salutis, si ad artus retrahere eos valeamus.* Atque licèt videatur in omni arthritide id esse intelligendum, arbitror re vera ita non esse, cum ipsemet 5. aphor. 25. repellendum fore in his affectionibus statuerit: sed intelligendus est per repellentia, ea quæ roborant & constringunt non esse adhibenda, ne fiat ad prædictas partes recursus, & in critica etiam & ea cuius humor delabitur à capite. Quòd si constiterit humoris impetum coercitum aliquo modo esse, proderit ad intemperiem compescendam ceroto ex lithargyrio, vel vnguento santalino vti, & alijs huius naturæ: prodest & hordeacea farina, cum cytonio & aceto, in modum cataplasma- D tis adhibita.

Verùm si copia humoris adhuc permanserit, quò faciliùs postea digeri possit, coquendus liquefaciendusque humor est anodynis, & his quæ, vt coctionem moliatur natura, aut resolutionem, (quod longe tutius existit) tenuant, liquant, & digerunt. Cuius naturæ est q. ℞. *radicis maluarum & altheæ anà, ℥. 1. violarum & maluarum anà, par. 1. florum cichorij, violarum & melissæ anà, part. 1. & ß. fiat decoctio in iure intestinorum & contundantur, & adde vitella ouorum numero 4. farinæ lini & fœnugręci anà, ℥. 2. olei chamæmeli ℥. 2. misce.* Præstat etiam emplastrum de mica panis factum cum eodem decocto; vel cataplasma ex prædictis farinis, oxymelite, & axungia galli- E næ vel oleo chamæmeli: quæ sanè omnia & reliqua huic vsui proficua mutabis frequentiùs, & ne siccescant curabis.

Cæterum quia doloris vrgentia sæpe magnum facessit negocium, ob id ad ea quæ dolorem leniunt transeundum erit, vel si placet, reliquis admiscebis. Huius naturæ est quod Alexander commendat cataplasma ex folijs brasciæ coctis læuigatisq; diligenter, quibus adijce fæcem aceti, & duo crudorum ouorũ lutea, & rosacei modicum, ac mixta simul apponito: nec minoris momenti est aqua ranarum per stillationem extracta aut per decoctionem. Mitigat etiam semen psyllii, si in aqua feruenti maceretur, & cum mucagine & hordeacea farina fiat molle cataplasma, idem præstat rosaceum & betæ succus: nec minoris momenti est emplastrum ex cassia fistula antea scriptum. Quòd si dolor adhuc ampliùs vrgeat, his addes opij modicum cum croco, vel vnguenti

popu-

populeonis quod visum fuerit, aut olei de papauere, à quo minimum sumere erit opus. Cæterum *opij solùm vsque ad grana. 6. addes ℥. 2. cuiusuis alterius anodyni, vnguenti populeonis tertiam partem, olei vero de papauere medietatem.* In eundem quoque vsum præstantur cicutæ, papaueris, mandragoræ, hyoscyami folia læuigata cum ouorum luteis, rosaceo & farina bordeacea: quæ auxilia sæpius mutare oportet. Idem beneficium præstat mica panis posca imbuta cum succo semperuiui solani vel portulacæ: item lenticula palustris cum succo portulacæ, aut oleo rosaceo, vel de papauere: probatissimi vsus est in doloris vehementia id q. ℞. *solani, violarum anà, m. 1. florum hyoscyami. m. 2. florum violarum & chamæmeli anà, p. 1. fiat decoctio in lacte, bis cum axungia porci contusis & cribratis crocique ℈. 1. addito fiat cataplasma:* quæ lanè omnia mox auferes, & partem oleo dulci aut aqua tepida ex decocto thymi, pulegij & similium, vel posca calida ablues. Vteris insuper his quæ somnum conciliant, vt syrupo papaueris, de portulaca, aut philonio.

At quia resoluendi munus eisdem fit medicamentis, quibus pugnare oportet aduersus frigidorum humorum inclementiã, ob id, ne eadem medicamenta sæpius cogar repetere, frigidorum prouidentiam aggredior. In quorum administratione, quę non minus requirũt vniuersalem euacuationem per sãguinis detractionem, præparationem, purgationem, & vomitum, expendendum est, quòd neque in principio fluxionum pituitosarum, neque in statu calidi fluxus, valida discutientia adhibenda sunt, vt multi ex authoribus, sumpta occasione à priscorum decretis, consuluerunt: quippe aliud est discutere copiosam densamque materiam in tumoribus contentam, & longè aliud, eam quæ in articulis continetur: nam illa nisi adhiberis quæ validè discutiunt ac digerunt, à mitioribus potius in pus vertetur, quia expostulat (cùm crassior sit quam, quę in articulos decubuit) attenuari, fundi, & liquari, alioqui non discutietur. Cum hoc tamen potius vteter his quæ potestate calida sint, quã quæ actu: nam illa, quantumuis minore polleant calore, temporis tractu efficaciùs agunt: hæc verò magis euaporando indurant: sic profecto, materia quæ decubuit in articulos, cùm tenuis sit, & fluxilis (qua sæpe articulus mucidus efficitur: & tendonum capita inualida ad firmum tenendum articulum: quo fit vt veluti paralysi affecti, nec crura, nec lumbos erigere ac firmare possint, qui sic affecti sunt, quod plerunque dolore cessante succrescere cõperimus: maximè cum Medicus plus iusto mitigatorijs & blandioribus auxilijs vsus fuerit, aut complicatus fuerit affectus cum iecoris imbecillitate vel malo corporis habitu) mitiora desiderat auxilia, quæ tantùm nata sint leniter eam ducere: nam à vehementioribus quod tenuius est dissipabitur, & crassum durius remanebit: et ob id necessum est in materia frigida adaugere efficaciam, in calida minimè. Quapropter primo mali accessu (si frigida sit materia) aut in statu materię calidioris, ea porriges quæ leniter digerunt, quale est q. ℞. *olei chamæmeli & anethi anà, ℥. 1. pulueris ireos ʒ. 1. misce.* Aliud, si dolor vrgeat, conficies, q. ℞. *mucaginis seminis lini & fœnugręci extractæ in aqua stillatitia chamęmeli ℥. 2. pulueris chamęmeli ʒ. 2. olei liliorũ & sambuci anà, ℥. 1. axungię anseris ʒ. 6. fiat linimentum:* item aliud maioris efficaciæ ℞. *vnguẽti dialtheę & resumptiui anà, ℥. 1. mucaginis seminis fœnugræci extractæ aqua stillatitia chamæmeli ℥. 2. pulueris ireos & iuæ arteticæ anà, ʒ. 1. & ß. emplastri meliloti ℥. 1. malaxentur omnia in oleo liliorum & fiat vnguentum:* prosunt etiam terebinthi folia trita cum adipe suillo & oleo. Quòd si materia durior sit, vteris linimento, q. ℞. *vnguenti marciati & dialthææ anà, ℥. 1. butyri recentis ℥. 1. & ß. oleo liliorum, amygdalarum dulcium*

A *& lumbricorum anà, ℥. ß. ceræ quod sufficiat.* Aliud etiam maioris momenti ℞. *olei lumbricorum, liliorum, & anethi anà, ℥. 3. olei rutæ ℥. 2. vini albi & sapæ anà, ℥. 3. ranarum communium numero 30. salis ℥. 1. coquantur ad ossium separationem, & facta forti expressione adde terebinthinæ & croci parum, & fiat linimentum,* quo partes rigidæ & tensæ vngantur. Idem præstat aliud q. ℞. *asellorum & vermium anà, ℥. 2. coquantur in sapa ad dissolutionem, quibus adde axungiæ gallinæ & anatis, anà ℥. 2. reducantur ad formam linimẽti.* Præstat & oleum vermium, asellorum, hepatis ranarum & gallinarum: item oleum in quo torpedo coquatur, maximè si ei aliquid ex calidioribus addideris, vel miscueris prædictis vnguentis. Corroborat mucidos

B articulos & qui corpus sustinere nequeunt, neq; motum efficere, vt contingit his qui malo etiam corporis habitu & perpetuo defluxu laborant simul cum doloribus, emplastrum, q. ℞. *vini rubri lib. ß. olei lumbricorum & de rore marino, anà ℥. 1. ß. olei de Aparicio ℥. 1. aquæ vitæ ℥. 3. pulueris cornu cerui spongiosi ℥. 2. pulueris chamæmeli ℥. ß. salis ʒ. 3. bulliant omnia ad vini consumptionem in duplici vase, & adde cremoris fœnugræci & seminis lini, anà ℥. 2. pulueris iuę ʒ. 3. sulphuris viui ʒ. 2. emplastri confortatiui Vigonis & Guillen Seruen & oxicrocei, q. s. vt fiat ad modum emplastri mediocris consistentiæ, aut melioris.* Prosunt etiam fomenta ex oleo & sale: item ex decocto parie-

C tariæ, origani, calamenthi, chamæpityos, chamædryos, iuæ arteticæ, radicis ireos aut floris eius, & axũgijs ibidem liquefactis. Quòd si dolor ampliùs vrgeat, cataplasmatis vteris quæ recipiunt farinam fœnugræci, seminis lini, cicerum & lolij cum aqua mulsa aut vino tenui decocta, addito oleo nardino, vel theriaca, mithridatio, vel conserua de hyacintho, aut oleo Mathioli: prodest & cinis radicis brassicæ aut cauliculorum eius cum axungia gallinæ. Præstat & emplastrum, q. ℞. *prædicti pulueris ℥. ß. stercoris bubuli & farinæ hordei, anà ℥. 2. cum aqua mulsa fiat emplastrum:* idem facies ex stercore vaccæ cum melle, aut capræ cum posca & farina hordei. Item ℞. *farinæ fabarum ℥. 4. decoquatur in decoctione ranarum*

D *& iuæ arteticæ in oleo & vino facta, & formetur cataplasma.* Huic quoque vsui subseruiunt amaraci folia, item thymus, sisymbrium, satureia, pulegium, sampsuchus cum serpyllo, & fœniculo, ac mentha, tum emplastris admixta, tum in puluerem redacta & cataplasmatis addita, tum etiam decocta ad fotus & irrigationes efficiendas. Poteris etiam ex eisdem & alijs ceratum conficere, quale est id, q. ℞. *olei scorpionum & lumbricorum, anà ℥. 3. axungiæ anatis, anseris & butyri, anà ʒ. 2. terebinthinæ lotæ aqua vitæ ℥. 1. & ß. diachylonis quod sufficiat vt fiat ceratum:* item aliud recipit emplastri diachylonis lib. ß. sulphuris, iridis, aristolochiæ, anà ℥. 1. chalciridis ℥. ß. malaxentur cum oleo rutaceo & reducantur ad formam ce-

E rati. Alia etiam non pauca reperies apud authores scripta, quæ mitiora reddita, non mediocris erunt commodi.

His omnibus factis, si adhuc humorum reliquiæ superfuerint, ad balnea ex feruenti musto te conferes vel ad ea quæ ex oleo & sulphure fiunt, vel ex oleo & sale, vel ex vinaceis, quæ profecto, si corpus priùs vacuationibus præcaueris, magni solent esse momenti vbi per interualla repetit affectio, & iam videtur subsidere & quiescere ac inclinare. Nam in reliquis, quæ ob Gallicam contagionem aut quauis alia causa, vel semper vel ferè durant, ex vsu non sunt: quinimo sæpe (licèt primo accessu videantur prodesse) maioris mali & intensioris doloris ac diuturnioris affectionis solent esse causa. Sed de balneorum vsu in articularibus affectionibus non minoris momenti controuersia suboritur. Quippe extant authores non contemnendi qui id consulant, quos nisi prudenter inter-

pre-

prætereis, in mille errata protinus incides. Extat enim Aetius qui lib. 3. ser.4. cap.48. fomenta & balnea mille mudis parari iubet: sunt & alij authores qui id quoque consulunt. Verùm si quis eorum verba & mĕtem callere velit, reperiet facilè podagricum affectum (hoc est imbecillitatem articulorum) neque rursus humoris vbertatem curari posse balneorum adminiculo: soluũtur enim quouis balneo humores, effœminantur articuli & laxiores redduntur, quantumuis resolutoria aut adstringenti vi polleant, nam plus præualent aquæ humiditas & tepor, aut calor ad humorum fusionem & articulorũ laxitatem, quàm possit aquæ aut mineralis vel cuiusuis alterius medicamenti vis ad resoluendum: præterquam quòd Aetius solùm consulit in declinatione & ad conterendas mali reliquias corpore iam satis vacuato eis vti, quo nihil possit ad partem confluere, licèt aquæ calore aut humiditate partes laxentur, quod fieri est necessum quouis balneo. Quapropter Galen. 2. metho. capit. 20. eleganti discursu statuit omnibus articularibus morbis balneum esse aduersissimum: & licèt ibidem loquatur de balneo aquæ calidæ, quod febrientibus erat vtile, nihilominus tamen balnea omnia, quæ actu vel potentia calorem sortiantur, idem & efficacius possunt efficere. Quippe ratio propter quam balnea articularibus morbis aduersa existunt, sic exprimitur à Galen. ea parte statuente, *primo adhuc in febribus si pars aliqua princeps languida sit, maioris esse detrimenti & periculi, & ob id nulla lege esse administranda*: de reliquis verò particulis sic scribit: *Quòd si præterquàm quòd nulla princeps pars imbecilla sit, etiam inferioris notæ partium aliqua sit inualida, veluti podagrici pedes, & iis qui articulari vitio laborant, vniuersi corporis articuli, maxima salutis pars ægro cõparabitur ex balneo, ipsis infirmis partibus quæ superuacua sunt excipientibus. Assolent enim nonnunquam & citra balneum superuacanea in partes infirmas confluere: à balneo verò magis, vtpote succis ipsis per id liquatis, tum vijs per quas meent patefactis: ambo enim hæc ex moderato calore proueniant necesse est.* Quæ sententia euidentissimè constant rationes, quibus facillimè probari potest, necessariò quæ articularem patiuntur imbecillitatem, & maximè quæ eam contraxerunt habitualem corpora, summopere infirmari, ac diutiùs laborare, & forsan habituale contrahere damnum, licèt primo accessu videantur iuuari, resoluta aliqua eius humoris, qui ibidem morabatur parte. Quo fit vt mihi persuasum semper habuerim fugiendum esse in huius mali curatione à balneorum vsu, nisi in his doloribus qui per interualla repetunt, cùm iam inclinant: quo tempore sale, nitro, sulphure aut vinaceis, vt dictum est, vteris, nõ alijs: sicca enim balnea porriges vtiliùs quàm humida; omnia tamen inclinante malo, ad conterendas reliquas: nam vbi causa integra est, omnia & singula aduersissima existunt, nam si aliter feceris, maximè si affectio sit ex his quæ ob contractum habitum ferè semper affligunt, aut in his quæ comitem habent Gallici morbi contagionem, proculdubio summopere lædes.

Verùm si constiterit à capite fluxionem fieri, ad fontanellas in brachijs adapertas deuenies, quibus plures homines ab his doloribus immunes multis diebus fuisse conspeximus.

Cæterùm quia sæpe reliquiæ humoris, quæ in corpore supersunt, cõspurcata omnium humorum massa nouũ dolorem accersunt, ob id eos conterere opus erit, factis iterum atque iterum minutis purgationibus, pilulis in præcautione scriptis: & si caput malo causam præstiterit, hoc vteris serapio, q. ℞. *mellis rosacei* ℥. 3. *syrupi stœchados* ℥. 1. *decoctionis arthriticæ & betonicæ lib.* 1. *diagalangæ* ʒ. 2. *fiat syrupus*. Item hoc vtatur masticatorio bis in hebdomada, q. ℞. *pyrethri contusi* ʒ. 3. *decoquatur in oxymelite & masti-*

A *ce* ʒ. 1. *ac postea colluatur os aceto rosaceo & aqua frida*: præstat mane aliquibus diebus porrigere *theriacæ* ʒ. ß. Præstat etiam hoc, q. ℞. *conseruæ acori vulgaris* ʒ. 2. *conseruæ anthos & stœchados, anà* ℥. ß. *zingiberis conditi* ʒ. 2. *aromatici rosati, diagalangæ, anà* ʒ. 1. *coralli præparati & cranij humani præparati, anà* ʒ. 2. *cum syrupo de corticibus citri fiat opiata, cuius mane per aliquot dies sumat laborans* ʒ. 1. *superbibens parum aquæ absynthij*.

Quòd si ex resiccatione humidi existentis intra articulos, spuria hæc podagra suboriatur, studendum est, velut corpus hecticum, omni arte reficere, tum cibis boni succi & copiosioris nutrimenti, ac mucilaginosæ humiditatis, tum balneis aquæ dulcis, aut deco- B ctionis maluarum, althææ, seminis psyllij, cytoniorũ, ac lini, vel fomentis ex eisdem: item inunctionibus ex butyro, axungijs, medullis, mucilaginibus, & tandem moderato exercitio, & alijs, quæ copiosa adduximus capite de febre hectica, cauentes omnino ne vlla vacuatione aut diuersione vtamur. Frequentissimo euentu constat plerosque ex his quibus diu dolores durant, ita vt nullis cedant auxilijs, pati deinceps tophaceam substãtiam in digitis tum manuum tum pedum, idq; vel ob humoris crassitiem & terrestrem conditionem, vel ob incuriam exhibendi medicamenta resoluentia. Quo fit, vt malam figuram adepti manci supersint distortis & trombosis digitis, materia in articulis contenta ad gypsi naturam versa.

C In qua re sciendum est hos tumores superesse difficilis resolutionis, quòd fiant ex ichorosa, aut serosa, & semiputri materia, vel in terream naturam versa: si primum, antequàm in vlcerationem aut duritiem immedicabilem degenerent, aperiendi sunt, & ea lege curandi: si secundum, & corpus non admodum vetustum fuerit, cutis inscidenda est, & tophacea materia leuiter vel abradenda vel vrenda paulatimque extrahenda, tum ferramento aliquo, tum medicamentis emolliendα, quo faciliùs cedat separeturque à carnosa substantia: curandum tamen ne id fiat interim dum dolores vigent, ne longè magis ad afflictam partem confluant, ac si quid manserit in articulis impactum, antequam ad immedicabilem duritiem perue- D niat, vtendum est diachalcitide à principio cum modico seuo caprillo vel oleo de cucurbita, & postea solo, quò magis resoluat.

De ischiade.

Ischias, præcipua & grauior articulorum affectuũ species, quamuis essentiam nanciscatur in dolore sitam, ac in inflammatorio affectu, à quo dolor concitatur, nomen tamen accepit à loco affectionis: Quippe ischion grandis quidam est articulus, in quo ossis femoris caput cum osse coxendicis alligatur: quæ sanè colligantia & cohærentia cum aliquo intercedente humore disiungitur & separatur, ac veluti dearticulatur ischias, seu, vt Barbari scribunt, ziatica, sciatica vel vt ex Plinio constat, ex articulo hoc coxendicus dolor appellatur. Est quidem hæc affectio prædi- E ctis essentia & sympt. similima; dissident tamen dolorum vehementia & extensione ac situ: hoc quidem quia articulus in profundo situs existit: vehemẽtia, ob neruosarum partium vbertatem, quę eam partem attingit: extensione quidem, ob colligantiam multarũ partium sibi vicinarum, & quia nerui etiam nõ parui momenti per eam partem descendunt: quo fit vt nõ raro circa poplitem reperiatur etiam dolor vsq; ad pedem, initium sumens (vt visum fuit Paulo lib. 3. c. 77. & Aetio lib. 12. c. 1.) à lũbis & partibus circumuicinis vigens etiam in genubus. Cæterum vt hæ differentiæ clariùs elucescãt, statuendũ est, coxendicis dolorem esse duplicis naturæ & conditionis: alterum legitimũ et verum, genitum quidem ex articuli separatione ab humore ibidem congesto aut defluxo intra pixidem articuli: qui licèt dolorem non inferat ea parte, efficit tamen ob distensionem neruosarum partium quę

cir-

circunstant, ingentes & diutinos dolores: reliquum verò spurium & illegitimum, factum ex vitioso temperamento simplici, aut cum affluxu humoris ad ligamenta & tendones, et vsque ad cutem per carnem prædicti articuli: vel etiam ob consensum vteri malè affecti à partu vel grauidationis tempore. Nam cùm ligamenta vteri ad internam coxendicis partem alligari certum sit, dum ligamenta hæc à flatu, à frigore, ab humore, vel ab vteri retractione ad contrariá vel supernam partem malè afficiuntur aut distendũtur, persimiles dolores concitare euidentissimum est.

Causas habent hi coxendicis dolores inter se diuersas, sed ab alijs articulorum doloribus certo quodam modo diuersissimas, quarum cognitio maioris est momenti ad integram huius affectus naturæ cognitionem, & ad exactam curationem. Statutum quippe est, omnes articulorum dolores duas tantùm sortiri causas, præter siccitatem quam adduximus, nimirum articulorum impotentiam, & ad ipsos humorum confluxus: cæterum coxendicus dolor habet etiam altas illis consimiles, verùm quæ dissimilem exoptant curandi rationem, ob dissimilem modum, quo in articulo congregantur. Quippe certum est fieri ab articuli impotentia, contracta vt reliqui articuli sortiuntur, atque etiam ex frequenti equitatione, aut ascensu in magnis equis, vel ex frequentiori venere. Prolabitur prætere a humor in articulum pituitosus, sanguineus, ac nonnunquam melancholicus, cæterum, cum bile aut tenui & seroso aliquo succo admixtus: decidit etiam biliosus humor in articulum, quod multi negarunt, sed re vera, vt ex Hippoc. constat lib. de internis affectionibus, à bile etiam visus est accidere, sæuissimosque dolores concitare, tantò sæuiores, quantò sincerior profluxerit. Differentia autem in hoc genere causarum, non leuis succrescit nimirum, quòd in reliquis articularibus morbis hi humores, aut is qui affectum effecturus est, vel crisis ratione, vel per defluxum à toto vel à parte aliqua, congregatur intra articulum: at in ischiade, his etiam modis, & per paulatinam congestionem ab humore fluente, vel ab excremento non expurgato neque ibidem consumpto. Quippe aliud est ex partibus vicinis paulatim aliquid fluere, aliud quidem alimentum in excrementum vertere, & aliud ex proprio alimento plura congregari excremẽta ob partis impotentiam, quæ nequit ea purgare: aliud à capite prolabi: item aliud à toto irruere: & etiam diuersum est per decubitum aut alterius morbi iudicium fieri, quæ omnia curaturo maximè sunt proficua. Quæ sanè vitia alias habent anteriores causas, vt sunt ventris cruditates, exercitij demissio, suppressio hæmorrhoidum, mensium aut alterius vacuationis consuetæ & vtilis. Alterius autem ischiadis quæ illegitima est & spuria, cũ duplex sit, duplices quoque sunt causæ: nam ea quæ fit extra articulum in ligamentis & partibus carnosis ac neruosis, venarum plenitudine aut vitio plerumque fit, & maximè à crassioribus succis, vt ex suppressis hæmorrhoidibus plerunque conspicimus, vel ex morbo Gallico, aut alijs succis, quos externa frigiditas ibidem perfrigerando condẽsat ac indurat. Sunt etiam aliæ causæ, quæ & materiam suppeditant: aliæ quæ ipsam mouent ad partemque euocant, vt de anni temporibus superiùs dictum est. Reliqua autem ischiadis species, quæ vteri fit consortio, vel ab eius plenitudine, contractione, frigore, aut flatu sæpius succrescit: cæterum id vel humore iuxta partem prædictam transmisso, vel flatu incluso, vel vtero contrahente ligamẽta quibus coxæ alligatur: quo fit vt maiori ex parte dolor iuxta inguem appareat, signum quidem quo euidentiùs fieri ab hac causa comperimus.

Signa. Signis tantùm distinguere opus est causæ naturam & operandi modum, nam hæc sunt quæ variam A curandi rationem metiri possunt: sic profectò per decubitum fieri monstrabit prægressus morbus, in cuius inclinatione coxa dolore cœpit. A toto corpore humorem delabi, ipsius grauitas, color, & plenitudo aut vitium monstrat: à capite, catarrhosum præfuisse caput, & nunc ab eo immune, præter quam quòd præcessit ipsius grauitas: à ventriculo ortum monstrat frequens cruditas, aut vomitus consueti suppressio: à carne & partibus circumiacentibus, monstrabit dolor perseuerans, quod alijs causis non accidit, nam frequentiùs per exacerbationes ad pensum fluxi humoris inuadit: ab excrementorum partus congerie, dolor lentus articulorum promptior laxatio, ac forsan B mox à principio. Qualis verò sit humor fluxus, præter partis colorem, tumorem, vitam anteactam & doloris conditionem, monstrabit etiam motus morbi celeritas, vrinæ color, accidentium natura, & signa omnia quæ prima huius capitis parte adduximus, ac ea quæ scripsimus in arthritidis dignotione. Verùm si morbus fuerit spurius, facilè monstrabitur eo quòd, nisi articulus moueatur, parum aut nihil dolet, quòd intra ipsum humor non sit, nam tunc cùm perpetuò articulum disiungit, ita perpetuo premit dolore. At si ab vteri consortio doleat, vel ab inguine bubone aut alio vitio obsesso, plerunque dolor magis iuxta inguem compatebit, dolorque ibidem vehementior erit, in postica verò leuior, prætorquàm C quòd aderit hæmorrhoidum vel mensium suppressio.

Præsagia. Malum hoc (scribit Celsus) rarò hominem dimittit, si semel assuescat: qui verò ex sanguine fit dolor (quod rarò accidit) vt constat ex Galen. 10. de compositione pharmac. loc. citissimè curatur, & pari ratione ex bile, cęterum sæuior est. Præterea vt ex Hippocrat. 6. aphorism. 59. & 60. constat, quibus coxa excidit, præ mucorum abundantia, his diuturnus efficitur affectus, & sæpe crus tabescit: sic qui tophis molestantur in carne excrescentibus, rarò aut nunquam sanitati restituuntur. Item hyeme australi, ex salsa pituita succrescere hos dolores sperandum est: aquilonia, ex tenui & fluxili: aduentante vere, ex hu-D morum fusione: æstate, ex adustis succis aut biliosis, qui pituitosos ex cruditatibus genitos exacuũt & mouent. Si verò ex vteri consortio fiant, laborantem citò vel subitò sanitati restitui constat, nisi mensium aut hæmorrhoidum suppressione fiant: quippe tunc nisi probè redeant, aut arte in grandioribus & senioribus fœminis præueniatur, sanguine per statuta interualla misso, difficiliùs curantur.

Curandi ratio. Curãdi rationem consimilem ferè exoptat ischiadicus dolor, cum reliquis sui generis, iam in victus ratione, quàm in rerum non naturalium vsu. Verùm cum hoc in sanguinis detractione, expurgantium vsu, ac particularium præsidiorum administratione, nõ parum euariat à reliquorum indicatione: quapro-E pter iuxta cuiusq; causæ indigentiam, generalia hæc præsidia administranda esse arbitrandum erit, initio sumpto à sanguinis detractione. In qua re, vnum hoc tanquam commune & probatum principium haberi debet, nimirum, quòd incipiente dolore cuiusuis causæ accessu fiat, semper à sanguinis detractione auspicandum erit, solùm causæ naturæ habito respectu, quatenus ad quantitatis mensuram extrahendam attinet, nam copiosiùs in calidioribus succis quàm in frigidis, ipsum extrahere oportebit. Verùm semper sanguinem mittere ante omne aliud auxilium opus erit, a quo tamen loco & quoties, aut quantum, specialiorem requirit causarum indagationem. Quippe si vteri aut hæmorrhoidum consensu vel suppressione malum oriatur, proculdubio ex reliquo crure sanguinem mittere, longè tutiùs & vtilius est, quam ex quauis alia corporis parte. Cæterum si in corpore ob prædictam suppressionem grandior succreuerit ple-

nitu-

nitudo, necessum erit à venis brachiorum priùs sanguinem fundere, ne copiosiori sanguine inferiùs confluente, ob tali scissionem, longè maior fiat obstructio: quo facto ad venas tali (vt dixi) sani cruris deueniendum erit, extrahendumque quantum vires ferre posse visum sit. At si capitis vitiò malum oriatur, primò ex contrario brachio sanguinem mittes: postea verò ab eo quod è regione cruris affectum est. Cæterum si per decubitum alterius morbi conxendi eius dolor fuerit, ab ea parte, per quam commodiùs reuellere possis, sanguinem fundes, dum modo ad membrum mandans humores fluentes non reuoces: quippe id summè perniciosum est, poteris tamen sanguinem fundere à venis quæ materiam fluxuram ex membro mandante euacuent. Dum tamen ab vniuerso corpore sanguis (quòd copia eius corpus plenum existat) profluit, considerabis, sitne vetustus dolor, an nuper concitatus, nam si recens sit, citra vllam dubitationem à venis brachij cõtrarij lateris, sanguinem primò fundes, quousque plenitudinis maiorem partem deposuisse constet; quod verò reliquum est, ex brachio eiusdem lateris extrahes. Quo facto, ac dolore perseuerante, ad scindendas cruris affecti venas deuenies: quod fieri potest vno è tribus locis ipsius cruris, non tamen indistinctè et vtcunque: nam quæuis prædictarum suum præstare habet beneficium, quod altera nequit. Sic enim præceptum est Hippoc. Galen. & reliquorum in poplite aliquando esse scindendam venam, item nonnunquam in talo iuxta externam partem, sciaticam appellatam venam: præterea non mediocri experimento comperimus & à Gainerio maximè commendatum, in pede ipso eam venam scissam, quæ est inter minimum digitum & sibi vicinum, maximi fuisse iuuamenti. In qua re arbitror tundendam esse venam poplitis, dum ex plenitudine (quam per superiorum venarũ scissionem iam deposueris) malum ortum duxit: tali internam, cùm ab vtero aut hæmorrhoidibus vitium oritur: eam verò quæ est inter digitum minimum & sibi proximũ, cùm ad quod in penitioribus partibus (non intra articulum, quippe sanguine misso non euacuatur) nimirum quod in tendonibus & ligamentis continetur, casu vitium vetemur in eorum spatia: at sciaticam venam tundimus, dum à venis maioribus supra articulum existentibus, euacuare nitimur. His sic habitis, vt quisque iuxta laborantis indigentiam hac vel illa scissione vti discat, humoris ideam considerabis, nam licèt, cuiusuis sit naturæ humor, semper sanguinem mittere sit opus, & pro modo & situ humoris fluentis aut fluxi, ex hac aut illa parte fieri debet venarum scissio, cum hoc tamen quantum liceat extrahere, sola humorum idea & natura monstrare nata erit, vt sæpius dictum est: ita tantò parciùs mittes, quantò vetustior fuerit affectio, aut humor frigidior, corpus senile aut viribus languens: audaciùs tamen in contrarijs statibus & humorum conditionibus.

Quo facto & interim dum fit, humorem purgationi disponere opus erit: in cuius euacuatione hac vti oportebit lege, quòd in pituitosis ac melãcholicis humoribus, nunquam aut quàm rarissimè vtamur purgantibus per infernam aluum: nam cùm coniectabile sit à ventriculo aut splene, vitiosos plerunque humores succrescere, dubium non est, quin ratius sit per vomitum expurgare: efficitur enim reuulsio quæ maioris in hoc affectu momẽti est, & per conueniẽtem regionem euacuatio. Quapropter præstitis præparationibus ex rhodomelle, in pituitosis succis, oxymelite & similibus; ac syrupo botraginis, & melle et rosaceo, in melancholicis, cum aquis & decoctis quæ sæpius huic vsui adduximus, bis in hebdomada laborantem vomere coges. Verùm si biliosus sit humor qui fluit, aut copiosiori bili admixtus, licèt optimum sit vomere (vt omnes ferè ex Galen. præcepto authores consuluot) cum hoc tamen mitioribus medicamentis bilem ad infernam aluum ducere, maioris solet esse momenti. Cæterum si ex partis vitio indies succrescant iuxta articulum excrementa, nullam arbitror fore vtiliorem vacuationem ea, quæ fit per epicrasim. Inter præsidia purgationi aptiora scriptum est à veteribus omnibus acria clysteria (etiam si dysenteriam concitent) proficua summopere fore: quippe hæc & materiam diuertunt, & à parte quodammodo videntur deriuare: horum sanè decoctum conficiunt ex centaurio minori, linocosto, chamæmelo, stœchade, aut abrotono, cui addes vel electuarium indum, catholicum, diaphæniconem, hieram simplicem aut logodij, vel pilulas fœtidas, vel de hermodactylis, aut succum ireos, & huiusgenus alia.

Verùm quia hæc duo præsidiorum genera, solùm nata sunt materiam fluentem aut fluxuram euacuare, constituere oportet alia quæ id etiam efficere possint, & cum hoc fluxam iam & intra articulum contentam dissipare, & educere: huius naturæ sunt sudationes ex guayaco, si humor pituitosus sit & vetusta affectio, vel morbi Gallici soboles; verùm si vetustior fuerit, & humor serosus & fluxilis, sudationes fiant ex radice chinæ. Quòd si verearis sudationibus vti, ob reliquorum articulorum laxitatem quæ facilè succrescit, fomentis vteris spongia adhibitis ex vino calido, vbi ferbuerit iuniperus, vel aqua vitæ imbibita, aut decocto q. ℞. *saluiæ, foliorum lauri, foliorum sambuci, iuæ, stœchados, roris marini, chamæmeli, radicum ebuli, anà m. 1. fiat decoctum, quo vtere*: vel fiat sic; *Excipe radicum & foliorum ebuli, & althææ, anà manip. 1. foliorum rutæ, sabinæ, sambuci, & pulegij, anà manip. ß. florum chamæmeli, fœnugræci, & meliloti, anà par. ß. decoquantur in tribus partibus olei & vna vini, & vtere*; fomentum item institues cum lixiuio ex cinere cruris equi aut cerui, & aqua fabrorũ cũ modico sale. Prosunt & euaporationes prædictarum decoctionum supra ignitos lateres factæ, aut per infundibulum ex vase vbi fiunt, sumptæ. Eiusdem etiam efficaciæ sunt fotus ex succo rutæ, saluiæ, & iuæ cum aqua vitæ.

Quòd si ne hæc quidem prodesse videantur, ad ea auxilia, quæ simul dolorem leniant & materiam discutiant, deueniendum erit, quippe repellentibus in hac affectione vti non parum erit periculosum. Quapropter post hæc, & interim dum sanguis mittitur, præsidijs vteris, quæ in podagra profutura esse diximus: quòd si non profuerint, quia profundior est locus vbi continetur humor, efficacioribus vti oportebit, dummodo prædictis vtaris, interim dum corpus sufficienter euacuas: his verò quæ mox referam sufficienter iam corpore euacuato, nam cùm vehementiora sint, si corpus impurum steterit, verendum est ne plus ad partem affectam euocent, maioremq; dolorem concitent. Quapropter facto à leuioribus initio, primum vnges partem oleo irino, de castorio, de piperibus, & de pyrethro, cum modico aceto, & axungia, vel cum vino, & oleo dulci: item Pauli emplastro vteris, quod fit ex lupinorum amarorum farina cum oxymelite. Præstat & vnguentum Altomaris scriptum folio 680. quod *recipit cremoris seminum maluarum & althææ, cuiuslibet ℥. 3. farinę fœnugræci & seminis lini, anà ℥. ß. adipis anserini & suilli, anà ℥. 4. olei rutacei & chamæmelini, anà ℥. 1. & ß. ceræ & aceti parum, fiat vnguentum*. Item emplastrum ex mẽthastro fluuiali cum oxymelite confectum: idem præstat ruta cum melle trita, vel emplastrum ex costo, ex furfure cum sapa & sale: item ex stercore bouino, aut caprino, cum farina hordei, melle, & aceto: idem præstat hyssopus humida. Præterea emplastrum ex farina hordei, cammonio, & aceto: valet & mel cum sale: ruta cum passularum carne: cinis caulium cum adipe. Præterea fœnũgræcum

in

in vas fictile conijcito, & simul affundito poscam sufficientem, & coquere finito donec dissoluatur, & adde mellis quod sat fuerit, & iterum bulliant, & terantur, ac parti appone, quod facito duobus tribusve diebus. Verùm dum adhuc fluxio instat, & dolores exacerbantur, necessum est cum emollitione & mitigatione resoluere: ad hoc ex vsu est, q. ℞. *symphyti rasi minutim incisi & triti lib. 1. & ß. mannæ thuris ℥. 2. ouorum recentium, num. 4. iterum misce, & adde adipis suilli veteris lib. 1. & læuigata parti apponito.* Nec minoris momenti est, q. ℞. *picis partes duas, sulphuris viui partem vnam, trita & mixta parti apponito.* Conficies etiam cataplasma, q. ℞. *foliorum rutæ, althææ, saluiæ ac sambuci, anà part. ß. coquantur, & adde olei irini & de castorio, anà ℥. 1. & ß. cremoris fænugræci & seminis lini, anà ℥. 1. farinæ lupinorum & hordei, anà ℥. 1. cum posca fiat cataplasma:* idem fieri potest ex folijs lauri, pulegij, sabinæ & ebuli cum eisdem farinis & oleis. Vngatur etiam vnguento aragon, marciaton, aut Comitissæ: vel vtere emplastro q. ℞. *succi foliorum rutæ, sambuci & calaminthæ, anà ℥. 1. bdellij, opopanacis, ammoniaci dissoluti in aceto, anà ℥. ß. myrrhæ & resinæ, anà ℥. 4. cremoris seminis lini, althææ & fænugræci, anà ℥. 1. & ß. farinæ hordei, & fabarum ac lupinorum, anà ℥. 6. picis & ceræ quod sat fuerit.* Aliud etiam conficies non minoris efficaciæ, q. ℞. *succi ebuli lib. 1. succi hederæ ℥. 2. olei antiquissimi & rutacei, anà lib. 1. ß coquantur & adde styracis, castorij, anà ℥. 3. opopanacis, ammoniaci, anà ℥. ß. dissoluantur in oleo, & adde parum ceræ.* Præstat & *diachylonis cum sulphure ℥. 1. pro lib.* vel idem *diachylon cum chalcitide,* vel si morbi Gallici suspicio sit, adde *emplastri ranarum quod sufficiat.* Quòd si ne hæc quidem omnia adhuc prodesse videantur, ad vesicatoria emplastra deuenire aliquando cogit vrgentiæ et vetustatis affectionis ratio: maximè humore nimis frigido apparente. Quæ sanè medicaméta ego semper recusaui, nam potius solent nouam fluxionem concitare (maximè cùm ob morbi diuturnitatem, corpus neque sufficiéter purgatum, neque proba vsum vitæ institutione comperimus) quàm fluxũ humorem discutere. Cum hoc tamen, si vrget necessitas, adhibere oportet medicamentum ex radice cucumeris agrestis cum axũgia: valet & id q. ℞. *vrticæ Græcæ, saluiæ, anà m. 1. salis p. 1. contundantur & bulliant in vrina, & partem ablue.* Aliud conficies, q. ℞. *absynthij, radicis ebuli, furfuris triti, anà m. 1. stercoris columbini lib. 1. & ß. salis lib. 1. coquantur in aceto, donec acetum consumatur & fiat emplastrum:* præstat etiam solùm vinum cum stercore columbino: vel aliud quod maioris efficaciæ est & sic efficitur: *Iberidis radicem tundito, & cũ axungia admisceto, & per tres horas in viris, & duas in feminis suprapartem finito, & postea partem ablue tepida.* Vnguentũ item facies, q. ℞. *euphorbij & nitri, anà ℥. 1. olei liliorum ℥. 3. ceræ quod sufficiat:* conficitur etiam ex ficubus & sinapi. Sed maioris pretij arbitror esse *mel anacardinum supra partem illitum, dummodo spatium sit tantùm vnius horæ,* quo remoto bullæ aperiátur & permittátur fluere. Præstat & causticum ex capitello viuæ calcis & alumine & mox sublatum: eiusdem vsus est oleum cum nitro adeò agitatum; quòd ad linimenti formam reducatur, quia efficaciùs resoluit & minus causticum est.

Superest adhuc quoddam remedij genus, quod & fluxuro & fluenti ac fluxo humori ex vsu existit, nimirum vstio partis affectæ, vel alterius. In qua re non satis conuenit inter authores qua in parte fieri debeat: nam ob ignorationem differentiæ causarum, quibus ischiadicus dolor succrescit, varias inter se sententias proferunt, quòd alter vnam causarum, & alius reliquam consideret, & sic iuxta hanc vel illam considerationem, huic vel illi parti vstionem iubet fieri. Summa tamen rei est, quod in dolore coxendices qui fit per alterius morbi decubitum, quia nulla superest materia antecedens, articulus proculdubio vrendus est, vstioque supra ipsum efficienda, vt expiret quod in ipso continetur & exsiccetur pars ipsa. In ea tamen, quę fit ex imbecillitate articuli, qua sibi excrementa congregat, quæ mucidum reddunt ipsum articulum, aperienda in eodem crure fontanella est, vt per ipsam instillet quotidie, quod indies in ipso cógregatur: & pari prorsus ratione in eadem parte excauáda est, si ab vtero aut iecore malum oriatur. Verùm si ex defluxu à capite fiat dolor, brachium eiusdem lateris aperire oportet, aut, vt probatissimi authores consulunt, vrere aut scindere conuenit cartilaginem, quæ in medio auris eiusdem lateris existit, quam nullo alio in casu proficuam fore erit arbitrandum. Quod pręsidium relatum mihi fuit à viro quodam præstantissimo: proficuum tamen eo esse potest, quia ibidem scinditur arteria quædam minutissima, quæ per eam partem perreptat. Si tamen totius corporis consensu dolor succrescat, in contrario crure fontanella est aperienda.

Finis libri quarti quo primus Tomus absoluitur.



DE MORBO GALLICO LIBRI DVO.

QVORVM PRIMVS EIVS NATVRAM & curationem in genere continet: Secundus omnium eius accidentium,

EODEM LVDOVICO MERCATO AVCTORE.

PRAEFATIO.



AM est caduca, corruptibilis, & varijs miserijs obnoxia mortalium natura & constitutio, tamque varijs rebus constructa, vt lege, methodo, ac certo numero comprehendi calamitosæ vitæ & affectuum varietas difficulter queat. Ac licet Galen. dictum sit, certa esse morborum, quibus premimur, genera, & statutas differentias: cum hoc tamen, eò quòd quæ præter naturam sunt, varia existunt, & dissimilia, incomprehensibilique errore inuoluta, vt Plato docet: prodit proculdubio indies noua affectuum ratio & sors, quæ prædictis & statutis minime coniungi potest. Et inter alia quæ humano generi accidisse mala comperimus, vnum hoc vulgatissimum est, infestissimum, miserabile, & atrocissimum, quod plerique appellant morbum Gallicum, ortum quidem non multis ante annis. De cuius occasione, principio & natura tam varie authores senserunt, vt vix duos eiusdem sententiæ reperire possis. Nam sunt qui ex India asportatum fuisse ferant: sunt etiam qui in obsidione Neapolitanorum, cum Galli prouinciam hanc expugnare tentarunt, principium duxisse ferant, ex Gallis nimirum militibus, qui cum labore essent defessi, fœminis accederent, mox pudendo exulcerato, in huiusmodi affectum incidebant: forsan ob vitæ intemperantiam, & ob fœminarum labem, aut spurcam aliquam & sordidam intemperiem. Sunt etiam qui referant, ex Hispanorum luxu in eodem bello ortum duxisse. Sunt insuper alij, qui mille monstra fingunt, asserentes, non esse nouum affectum, sed reducibilem ad veteres: nam quidam ad elephantiasim, alij ad psoram, multi ad impetiginem, & non pauci ad continui solutionem, alij ad intemperiem referre ausi sunt: inter quos existimarunt aliqui, morbum esse cutaneum: alij capitis affectum: multi crurum & brachiorum, quidam cordis & ventriculi, & sic iuxta varietatem accidentium quæ secum affert, quisque pro arbitrio iudicabat, huius aut illius esse naturæ. Nos autem clariori & breuiori stylo curabimus eius naturam & accidentia adinuenire, quibus cognitis, facile erit quid non sit intelligere. Quam sanè tractationem (præterquam quòd dissecta est per duos libros, quorum primus continet omnia quæ ad eius naturam & curationem vniuersalem pertinent: & secundus peculiarem cuiusque accidentium medelam) in sex potissimas partes diuidere est in animo. In prima referam, cuius naturæ & cuius partis primò sit affectio: in secunda, quas causas sortiatur: in tertia, quibus signis causa & morbus distingui & cognosci facile possint: in quarta, quam habeat communem & peculiarem curandi rationem: in quinta autem, quid hecticis corporibus & puerulis morbo Gallico correptis proficuum existat; in sexta autem & vltima, qua via & ratione cuique accidentium, vel parti, ex his quas mira varietate hic affectus perdere nititur, subueniendum sit.

CAPVT I.

De essentia & sede morbi Gallici.



V per dictum est, ad varia membra, & varias affectuum naturas Medicos huiusmodi affectum reduxisse: quibus post habitis, credēdum est, affectū tot partibus communem, non posse vni, eiq; priuatæ esse proprium neque peculiarem, nisi illa cæteris omnibus sit communis. Sic capiti non conuenit primò, quia sensum tantummodò & motum corpori præstat, cùm A affectus hic sentientibus & sensu carentibus particulis affinis sit. Neque rursus cordi, nam ossibus quoque & ijs partibus quæ frigidæ sunt, & omnino calore destitutæ, accidisse comperimus. Qua facta consideratione, credibile est, multo minus posse subijci priuatis & singularibus particulis, quæ nullum habent commune officium: nam licèt hæc nō minus quam B reliquæ afficiantur, non quidem vt sedes & principium affici existimandum est. Superest igitur, ei parti esse proprium & peculiarem, cui proprium quoque est, omnibus partibus aliquid præstare, idque fixum, stabile & permanens; huius enim naturæ iecur est, cui munus incumbit alimentum particulis omnibus

 impar-

impartiri, siue calidæ sint, siue frigidæ, siue duræ, siue osseæ & cartilagineæ, siue molles & membranosæ: nam licet cerebrum quoque communis officina sit, id quod ad partes transmittit, non est stabile & fixũ, sed breuissima dissipatione fluit & refluit: sic quoque cor, spiritum & calorem cunctis partibus præstat, nõ quidem permanentem & fixum, sed influentem. At iecoris natura ob id huic misero ministerio magis incumbit, quod materiam præstet singulis corporis partibus eo sigillo infectam & signatam, quòd idem in omnibus eluceat vinum, iuxta cuiusque rationem & naturam, nec non & humoris, qui ad easdem partes transmittitur: cuius humoris naturam & formam illam veneficam induit quæuis particularum, cum ex eo alimentum capessat: quod sanè vitium neque vita libus, neque animalibus spiritibus accidere conspicimus: formæ enim partium illis vtuntur tanquam instrumento, cæterum illos non informat: verùm materia quam iecur transmittit, in veram ossis substantiam & naturam carnis, membranæ, vel cuiusuis alterius partis commutatur, ita vt idem ferè venereus habitus fiat in omnibus aut aliquibus partibus, ac eum ferunt à iecore humores. Ex quo euidenter constare arbitror, communem omnibus partibus affectionem communem hoc membrum obsidere.

Ex quo etiam constat, difficilem esse, diuturnam, grauem & ægrè curabilem huiusmodi affectionem, eo quòd congenea sit singulis membris ob alimenti rationem. Sic tanquam firmum & stabile dogma asserimus, iecur esse huius affectionis sedem & originẽ, licèt ab extrinseca contagione principium sortiatur, antequam in iecur irruat. Atqui licet diuersas partes affici comperiamus, malum quidem principium sortitur ex iecore, demandato per alimentũ consensu: cũ hoc tamen credibile est, iecori succrescere per cõtagium, sumpto principio ab aliquo membro peculiari, quod postmodum suum vitium ipsi communicauit. Sic enim plerunq; ex venereo concubitu pudendum & obscœnas partes principium mali vitiasse, euidentissimum est, alios quidem ex respiratione per osculum alicuius infecti corporis, vel adhæsum (maximè corpore sudante) infectos fuisse non nullos etiam ex vestimentis: dimitto nutrices, à quibus infantes pollutũ lac sugunt à mammis; & infantes viciatis nutricibus alitos, aut ex vtero vitium sortitos, nam susceptam primum labem, siue in cute, siue in pudendo, siue in quauis alia parte, iecori ocyssimè, eo modo quem inferius sum monstraturus, communicatur vnum, à quo deinceps vel corpus vniuersum, vel imbecillem aliquam particulam pati conspicimus. Sed consideratione dignum existimo, qui fieri possit, aut qua ratione contingat, quòd susceptum contagium iecori corporis illius, quod suscipit, magis, quàm cuiuis alteri membro insideat & communicetur. Cui dicimus, id necessario subsecuturum propter sympathiã & connexionem, quam habent humores, in quibus hoc venenum insidet, cum iecore, humorum etiam similium officina; maximè cum infecti corporis iecur sympathiam sortiatur cum iecore inficiendi corporis maiorem, quàm cum quouis alio membro. Sic enim conspicimus ophthalmiam vnius corporis oculis alterius communicari, & phthisim pulmoni, difficilem respirationem thoraci, & ea lege luem veneream iecori.

Sed de naturali substãtia huius affectionis minor succrescit difficultas, neque pauciores reperiũtur de eadem re sentientes. Multi enim existimant distemperiem esse: alij solutam vnitatem ob graues dolores: aliqui affectionem cutaneam: nonnulli elephantiasim. Sed ex his qui distemperiem existimant esse, qui dam censent distemperiem esse cum affluxu materiæ, ob tumores & defluxus quos conspiciunt: alij quidem citra ipsum, eo quòd cruciatibus cernant premi laborantes, citra alicuius humoris notam. Rursus eorum qui distemperiem constituunt, multi tenent, calidam esse & siccam; quod falsum videtur arbitrandum, cum alexipharmacis calidissimis & siccissimis plerumque curetur: alij censent, frigidam & humidã esse: nonnulli frigidam & siccam: atque cum eorum omnium quæ diximus, aliquid prævaleret in vno subiecto reperiatur, aliud verò in alio, sic quoque vnusquisq; illius naturæ iudicat affectum. His prætermissis (quorum rationem inferius referam) est quidem morbus Gallicus, affectio quædam contagiosa, nullum morbum per se constituens, sed cuilibet adiuncta, quæ veneni instar omnia corpora, omnesque corporis particulas aggreditur, sumpto ex contagione principio, & non aliter, tuberculis, maculis, vlceribus & doloribus se prodiens, qui non nisi externi cuiusdam veneni occursu & concubitu, aut alio impuro tactu contrahitur. Quo fit, vt hoc venenum minus efficax sit, quàm reliqua, quæ halitu aut ad distãs impingitur: nam hoc solum in humore quodam prouehente vires habet; qui in parte ente nudata cum insederit, adhæsu mucosæ aut humorosæ substantiæ, contactu quidem eam primum, deinde proximas, reliquumque corpus vniuersum productione quadam inquinat. Non enim eius, qui lue percussus est, solus halitus contagione quapiam vnquam polluit, sed is in pudenda muliebria humorem eiaculatur atq; inserit, cum quo virus illinc in iecur, & ab eo sensim in vniuersum corpus spargitur: in integram verò cutim si incideret, vix officit. Quapropter censendum est, affectionem esse simpliciter et occulte contagiosam, vt dissideat ab euidenter contagiosis, velut phthisis, lepra, & alij huius naturæ.

Ex qua proculdubio descriptione euidentissimè constare arbitror, totam huius mali naturam & rationem pertinere ad formam seu modum substantiæ, quo membrum huic affectioni primò dicatum afficitur. Constatq; huius dogmatis veritas, eo quòd ex reliquis quæ cetera morborum genera constituũt, nullum habet tantam vim & efficaciam, quod licet contagio efficere possit, tum sua omnia corpora indistincte, aut omnes corporis particulas conspurcet. Præterea reliqua morborum genera, quæ ad figuram & vnitatem pertinere cernimus, per contagium quidem communicari minimè possunt: sed cõstat, morbum Gallicum, carnem & cartilagines, membranas & ligamenta, & quod difficilius est, ossa deuastare; quod quidem nulla ratione potest efficere, si vnius tantùm morbi naturam retulisset. Quamobrem existimandum est, eius esse conditionis, quæ sapit sortem & naturam causæ vniuersalis & æquiuocæ: causa enim particularis vni affectioni adstricta est, & vnum tantum habet contrarium: at morbus Gallicus cum communem & æquiuocam naturam sortiatur, & nulli adstrictus sit morborum generi, ob id procul dubio varios parit affectus, variasque expostulat curandi indicationes: quæ enim vicem causæ formalis gerunt, in vno quoque composito multa efficiunt diuersa & varia, iuxta rationem medij aut instrumenti. Sic morbus Gallicus cùm sitam habeat sui naturam in modo substantiæ, seu forma, varia posse non est diffitendum. Hac profectò ratione prodit, auxilia huic malo proficua à tota substantia prodesse: sic lignum Guaiacum licèt euidenti quadam qualitate prosit, alexipharmacum quoque agit. Atqui licèt aliquando sit necesse ea adhibere medicamenta, quæ qualitate aliqua manifesta prosint, non quidem mor bi ratione ea adhibere est opus, sed alterius rei extrinsecus accedentis, vt paulo inferius docebo: quippe habet hic morbus sibi comites varias qualitates & varios affectus, quorum ratione ad qualitates contrarias peruenire cogimur.

CA-

CAPVT II.

De morbi Gallici differentijs, & eius & earum causis.

INter difficilia quæ in hoc morbo sese antiquitus
obtulerunt, primum quidem videtur obtinuisse lo
cum, causam dignoscere, & eius naturã adamussim
æstimari: nam cùm tanta varietate morbum viderent
ludere, nequibant profectò vni causæ eam varietatẽ
reducere: ex quo promulgatum fuit, causam fuisse ab
abditam & cognitu difficilem. In qua hæsitatione
causæ naturam & varietatis causam, prout res per-
mittere videtur, aperire est in animo. In qua re sta-
tuendum est, cùm hanc affectionem constet esse ex
simpliciter contagiosis, constare profectò, neque ex
alimentorum impuritate nec vitio suboriri: præser-
tim cum non minus in primariæ notæ viros & prin-
cipes selectissimis cibis vtentes, quam in infimæ sor-
tis homines hactenus impetũ fecerit. In qua re scien-
dum est, aliud esse, quærere causam procreantem cõ-
tagiosam & virulentam hanc naturam in genere, &
aliud, causam seu occasionem, qua sese in humanis
corporibus insinuet: & longè aliud, causam miræ va-
rietatis quam in corporibus concitat hoc pestiferum
morbi genus, quum vnũ tantum sit, & vnius naturæ.
Circa primum causæ modum sciendum est, eius cau
sas eas esse, quæ deprauatam illam naturam concita-
re habent, siue sit contrarium & omnino oppositum
nostræ naturæ temperamentum, siue contrarium
substantiæ modo, siue vtrumque ex quibus contrarie
tas à tota substantia pullulat, quæ vbi nobis vtcunq;
accidit, nata est nos perdere, & nostrã substantiam
(siue ossea, siue carnea sit) perdit & depopulatur.
Quod profectò satis est prænosse, vt mali naturam &
potestatem cognoscamus, nec non & operandi mo-
dum, vt contrariam instituamus prouidentiam & cu
rationem, quantum possibile fuerit; videlicet quæ po
tens quoque sit à tota substantia, seu ex modo substã-
tiæ (quæ forma & materia constat) prodesse possit.
Quo supposito, hoc habet proprium, quatenus ad se-
cundum causæ modum attinet, quod cuicumq; cor-
pori accedat, tãtum sese in ipsum insinuat, quantum
passurum corpus permiserit. Quo fit, vt semel aliqua
occasione orta, non nisi contagione afficere visa sit:
quapropter immediata & potissima causa censetur
occulta, & venenata qualitas, concubitu aut alio im-
puro congressu & contagione contracta, quæ licèt le
uis admodum sit, ac ferè corporis expers, sensusque
nostros effugiat, non simplex & per se existit, sed in
humore aut alio quouis corpore inhærescit: quo vt in
subiecto in nostrum corpus commigrat, & instar vi-
rulentiæ venenatorum animalium efficere habet, la
titans aliquo tempore, ac postea maiori sæuitia efflo-
rescens, miris varietatibus insignitur, ita vt omnes
morbos, omniaque eorum accidentia secum accer-
sisse videatur. Fuit quidem abdita et abscondita hu-
ius affectus causa, quod neque ad aerem, vt contagio
si affectus, neque ad victum, neque ad humorum exu
perantiam, quæ ex improba victus ratione profici-
scitur, reduci aliquo modo possit. Sed cum ex conta-
gione originem trahat, palam est, duplices obtinere
causas: externam nimirum & euidentem aliquam, a-
liam internam. Nam vt eiusdem affectus censemus
alterius affectus sibi similis causa est, ob id ex ea con-
tagionis sorte existit, quę ex vno in alium migrare ha
bet. Verũ cum citra mediũ aliquod aliquid in aliud
agere nequeat, ob id causas externas medij vicem ge
rere asserimus. Sic prima causa externa est congres-
sus duorum corporum, quorum alterum sit hac lue
affectum. In qua sanè re coniectandum est, inter hos
congressus quosdam efficacius alijs agere, & huius

A mali vim in aliud corpus regerere: sic pudendarum
partium connexio & vnio potissimam præstat huic
malo causam: nam cum hę partes suapte natura mol
lis sint substantiæ, & quæ facile in calorem concitan
tur, rarioresque fiunt, ob id quidem harum partium
congressus primò huic malo causam præstare credi-
tur, nisi velis potius occasionem dicere: cæterum nõ
æque in omnibus, nam qui breue habent pudẽdum,
tardius corripiuntur: qui glandem habent tectam,
magis huic malo resistunt, quia cutem habent durio
rem: qui citò semen excernunt, difficulter corripiun-
tur: qui minus venereis complexibus gaudent, tardè
quoque comprehenduntur hoc morbo: qui seniores
sunt, minus quam iuuenes: frigidi minus quàm cali-
B di; & qui iam inueterati sunt in hoc morbo, minus
corripiuntur nouis accidentibus, quàm qui ipsum mi
nus sunt experti. Præterea causam huic malo pręstat
oris ori adhæsus: quo fit, vt qui sic frequenter osculã-
tur, linguamve aut saliuam alterius infecti degustãt,
prauis oris vlceribus mox corripiantur, sicut alijs ob-
scænæ partes vlceribus & pustulis afficiuntur. Mox
huic malo causam præstat cutis cuti adhæsus, qua sor
te qui hoc morbo afficiuntur, sese scabie fœdati con
spiciunt. Cui quoque malo externam causam pręstat
lectum, indumentum, vas & quoduis aliud, quod fre-
quentius ab infecto corpore tractari contingat, præ-
sertim si inficientis malum recens sit, nam inuetera-
tum non ita facile cuiuis adhærescit.
C Causam verò internam præstant tria, nimirum
commeatus alicuius substantiæ contagiosæ, quale, se
men genitale plerunque est, est menstruum, aut hali-
tus per respirationem immissus, vel saliua osculis su-
scepta: quæ sanè substantiæ dum corpus aliud perua-
dunt, simile inferunt corruptionis principiũ ei, quod
à corpore à quo decidit persimile trahit. Secundo ex
corporis apparatu non leue principium causa trahit.
Tertio verò & vltimo ex spirituum & caloris modo
aut vitio: sic enim (vt dictum est) iuuenes citius seni-
bus hoc morbo corripiuntur, quia calore abundant,
quo citius sese in imas corporis partis venenum ab-
scondit. Pari quoque ratione qui ardentius concum-
bunt, & fœminam amplexantur, ocyssime corripiũ-
D tur: sic etiam qui frigidi sunt natura, aut non admo-
dum concitati ad venerem accedunt, difficulter in-
ficiuntur: nam cum potissima susceptionis veneni
causa sit pudendarum partium calor & efferuescen-
tia, hic sanè est, quòd qui frigidè amant, aut frigidæ
sunt naturæ, tardius & difficilius hoc affectu corripiã
tur. Sic etiam qui imbecilles sunt natura & spiritibus
carent, licet, difficulter venenum suscipiant, ob calo-
ris defectum, susceptum semel vehementissime eos-
dem premit, quia nequit resistere facultas spiritu &
calore carens vehemẽtię & malignitati illius veneni.
Ex quibus sanè causis euidenter constat, potissimam
& immediatam esse venenosum contagium, & reli-
quas solum suscipiendi aut regerẽdi principium præ-
E stare: nam cum affectus is non sit de genere pestilen
tium, plures nõ interficit, cum verò non sit de genere
vulgarium, plures non apprehendit, quia eius ratio &
causa potissima non consistit in his, in quibus com-
municant, nimirum, in aere, cibo & potu, sed solum
sita est in huius affectus proxima causa, adhæsus vide
licet & vicinia eius corporis, quod labe hac infectũ
est: quam quidem susceptare id corpus facilius valet,
in quo tria hæc genera causarum nuper dicta ada-
mussim concurrunt, id vero minus, in quo dispari pro
portione repetiuntur.
Sed expendendum iam est secundò, quæ nam sit
causarum mira varietas, quæ tot sortitur accidẽtium
in hoc malo differentias: nam aliquando, licet vni-
cam sortiatur naturam, mille dolorum generibus la-
borantem premit: sæpe pustulis, prauis vlceribus, pilo
rũ defluuio & cutis defœdatione ipsos conspurcat, sæ

pissime quidem tumoribus præter naturam, bubonibus, talpis, & alijs quæ totum corpus viciant. A Quam sane varietatem duplici fieri causa arbitramur: vna quidem ex venenositatis natura, quatenus redolet conditionem causæ æquiuocæ: habet enim hoc proprium, quòd ex modo substantiæ præter naturam sit, quòd nullam habeat certam neque determinatam rationem agendi, sed iuxta subiecti & instrumenti naturam varia efficere possit, præterquam quòd tam immanis & truculenta sit huius maligni affectus efficacia, vt quæ frigida sunt, calida ve, dura aut mollia superare ac deuincere habeat. Ex qua causa principium sortitur varietas, quæ reperitur in corporibus hoc affectu correptis: nam et temperata corpora & biliosa, melancholica & pituitosa, robusta & debilia corripi conspicimus, quod sane nulla alia lege fieri potest, quam ex vehementissima, efficacissima, & æquiuoca eiusdem affectus natura. Sed conspicimus varietatem quoq; sortiri in bis quæ morbo accidunt: nam aliquando alopeciam simulat, nonunquam psoram, aliquãdo scabiei naturam repræsentat, frequentissime pustulas, nonnunquam tumores præter naturam omnis generis æmulatur, tandem secum habet comitem variũ & acerbum omnium dolorũ genus, quibusdam distillationis naturã præfert, alijs vlcerũ, & omnium ferè morborũ & accidentium naturam sapit, eum ipse vnius tãtum sit naturæ, vt dictum est.

Sumit insuper ansam & occasionem ad huiusmodi varietatem, ex materiei cui coniungitur & cohæret, & alicuius particulæ apparatu. Nam quibusdam cutis adeo languida est & impotens, ac humor tenuis, vt facile transmissum humorem à partibus internis patiatur, & ob id protumpi pustulas, scabiem, & impetiginem, aut tumores præter naturam contingit: alijs quidē suapte natura caput imbecille existit, quibus vel talpæ fiũt in eodem, destluxiones, aut graues & intolerabiles dolores: quod quidem pari pensu de reliquis corporis particulis coniectãdum erit. Præterea accidentium, quæ superueniunt, natura & conditio talis est, qualis materia cui venenosa hæc qualitas subijcitur, existit. Si dum tenuis, acris, & mordax existit, vel cutem inuadit, & alopeciam generat exesis pilorum radicibus, vel si mordacior exstiterit, exulcerationē parit. Quòd si prædictus humor in corporis cauũ irruat, vel perniciosas efficit dysenterias, vel oris, faucium, narium, aut palati exulcerationem molitur: vel quod frequẽtius est, si ossa irruat, depasci tur quidem membranam ambientē, & os ipsum carie putrefacit. Verùm si vagantes succi pituitosi sint, hinc quidem diutinos & nocturnos dolores oriri necesse est: hinc ligamenta articulorum et ossium tunicæ contagiosa & virulenta humiditate emollescunt, dolore premũtur, aut sensu vel motu priuantur: hinc etiã oriuntur prolixi & ægrè curabiles, & qui rarò ad suppurationem veniũt tumores, quibus antea carnē, mẽbranas, & ossa vitiari & corrũpi accidit, quàm ad suppurationē deuenire. Verùm si humore bilioso corpus tedũdauerit, maligna vlcera fieri, & pustulas carboni persimiles. At dum melancholicus humor in corporepræ est, rarò hæc venenosa lues imprimitur: cæterum semel impressa difficulter aut nunquam ex toto abscinditur & curatur: nam hæc est frigidorum & siccorũ natura, vt difficulter admittant ac dimittant quæ impressa semel susceperint: ex quo sanè humore fieri grauissimos, perpetuos & implacabiles capitis dolores certũ est. Sang. verò redundante, bubones, alarũ et adenosarũ partiũ tumores, et hæmorrhoides vlceratas, rubras pustulas, & alia his similia fieri cõspicimus. Atq; licet hęc inter se diuersa sint, vnicã tñ oĩa sortiuntur naturã, morbi nimirũ Gallici. Quæ sanè licèt omnibus communis existat, cum hoc tamē vt diuersa efficit accidentia, communem expostulãt medendi rationem, & cuique etiam peculiarem.

CAPVT III.

De signis morbi Gallici.

TAm est vulgare hoc morbi genus, tamque multis alijs implicitum reperitur, vt vix ipsum iam ab alijs distinguere queas. Ratio huius est, quia semper sibi comitem adnocat aliũ affectum vulgarem, quem (licèt notissimus sit) à seipso differre facit, ex mala illa qualitate quam ex propria natura illi communicat: quapropter proprijs signis ipsũ mox distinguere atq; nosse oportebit, & protinus qua lege cum alijs implicitus dignosci possit. Sic profectò quones B crebræ & exiguæ maculæ pulicum puncturis similes, aut lentiginis instar rubeæ aut flauæ erumpunt, luem veneream adesse venaberis, maximè si accedat pilorum defluuium, aut si in barba, capite vel fronte pustulæ paruæ efflorescant. Præterea si in pudendis vel extuberat, vel excoriatur, vel virulentum quid apparet: item si cruciatus & dolores ingentes vnius, vel plurium, simul, aut alternatim, partium exacerbentur: si tophi duri emineant, si raucedo appareat, si vlcusculum aliquod in faucibus aut ore. Certior profectò fies, si interrogaueris, vsus ne fuerit venereis cũ ignota aliqua fœmina; vel si hydrargytum aliquando degustauerit: quibus accedit frontis non naturalis eminentia, splendor, vel color totius faciei mutatus à naturali, qui diu duret, & dolor etiam diuturnus. C Verùm dum alteri morbo adiungitur, & clam insidiatur, occultatur que longe difficilius nosces. Sic quidem, buboni, vlceri, tumori alicui præter naturam, doloribus podagricis, pustulis, defluuijs capillorum, & omni generi defluxionis adiunctus, licet prima facie prædictorum vnumquodque, vt est, appareat, tamen ex maligno huius contagionis adhæsu, tam importunæ & virosæ naturæ efficitur, vt longe videatur à propria natura differre. Quapropter non solum prædictos affectus cognoscere oportet, sed quando intra cuiusq; naturam latitet, & simulata sit venereæ contagionis pernicies. Ob id quidem iure optimo ex quatuor licet huius affectus naturam cognoscere: primò D quidem ex substantia & natura ipsius affectus: secundò ex causis; tertiò ex analogia: quartò & vltimò ex symptomatis. Eiusdem mali substantia sua sponte quidquam ostendere nequit, vt quæ non nisi ab accidentibus monstrari possit, licèt iudicio nostro, ex differentia quam præstat affectui cui coniungitur, & ex mala illa qualitate qua ipsum à seipso differre cogit, facile venabimur, affectum illum alterius esse naturæ quam communiter conspicimus: quod si peritus medicus in quouis affectu diligenter expendat, quantum à se ipso dissentiat, facile inueniet, sortiatur ne naturam veneream, an secus. Causæ quoque, præcipue externæ id proculdubio ostendere valent: nam facta diligenti interrogatione, cui nam fæminæ adhæserit E laborans, quanam ad hæsus forte, osculo ne, an concubitu, facile erit id malum venari. Neque obstet, ad iudicium proferendum de hoc morbo, trium, quatuorve, aut quinque mensium spatio non concubuisse, cùm infectæ fœminæ aut viri contagiũ sex, octove mensibus integris adseruari in corpore latitans possit. Quod si ita esse compertiamus, in aliam protinus considerationem, quæ tertium signorum genus complectitur, deueniendum erit: id quidem educitur ex analogia: nam conijcere eo tempore oportet, an alteri morbo vel symptomati affinis, persimilis aut analogus sit is qui proponitur: nam per similitudinem ceterius in ignotorum affectuum cognitionem deuenire assuescimus: præterquam quòd si antea præfuit in corpore impetigo, alopecia, vel tumor aliquis diuturnus, aut dolor, facilius huic qui præfuit associabitur venerea contagio, quam quod credendum sit, aliud

de

de nouo malum accersere, licet possibile sit. Cuius signi certitudinem auget quartum signorum genus, quod complectitur differentias omnium morborum seu accidentiũ quæ huic affectioni succrescunt: quippe aliquando morbus aliquis ex Gallica lue principiũ sortitur, aliquando vero contagio ipsa alicui prędictorum succrescit. Sed nequis simulata morborum omnium natura decipiatur, quid vnusquisq; affectus habeat à sui natura alienum & diuersum, quo à se ipso differre videatur, & morbi Gallici naturam referat, nunc docere conuenit. Nam quis non mirabitur omnigenam & variam dolorum naturam, quam præsefert huiusmodi doloris conditio ab omnibus quæ auctores referunt, quippe alias habet sibi proprias et peculiares, quibus efficit dolorem esse Gallicũ. Quarũ vna, est quod in vna eademque membrana, & in vno etiam loco varias efficiat doloris differentias. Primum quidem, quis non mirabitur dolorem ex causa frigida, qualem sæpe comperimus sic affectis, acutissimum esse, mordacissimum, & maximè vehementem, ita vt abradi ossa & exuri aliquando referant laborãtes, contra propriam frigidi naturam. Rursus dolorem calidum vehementissimum alioqui, exurentem, mordacem & acerrimũ, diuturnum esse & difficulter curabilem, cum Hippocrati dictum sit 6. popul. sec. 1. to. 7. *Dolores antiqui frigidi, noui vero calidi:* ex qua sane conditione diligẽs medicus iure optimo venabitur, dolorem illum esse venereæ contagionis. Prætereà tumorum præter naturam subiecta sibi ossa & membranas carie & corruptione fœdantem, **C** quis non suspicabitur & à seipso differre, & naturam morbi Gallici sapere; Item tumorem præter naturã esse de sorte eorum qui suppurationem aut resolutionem admittũt, & nec suppurari nec resolui, velut bubonibus & tuberculis per cutem efflorescentibus sæpissime euenire conspicimus, non erit nisi ex Gallica conditione quam sortitur. Præterea suppurati ex parte aut resolui, & rursus quod remanet carnosum, durum, & immedica bile superesse, aliunde non euenit quam ex venerea contagione. Vlcera simili modo dum Gallicam naturam sortiuntur, id proculdubio haud obscure monstrant: nam admiratione dignum videtur, pudẽdi vlcuscula, quę paruissima admodum sunt, licet appareant primo accessu purgata, cum hoc **D** tamen neque coalescere, neque cicatricem admittere, nisi maxima cum difficultate, videntur. Item remanet in eodem vlcere callosa quædam eminentia, seu cicatrix, soboles quidem & præludium maioris mali, cum cicatrix in omnibus vlceribus certissimũ sit salutis indicium. Huic consimilem naturam habent oris & narium vlcera, ne dicam de reliquis, quæ toto corpore adnascuntur, quæ licèt paruissima sint, absconditum habent et latitans vitium ossis, vel mẽbranarum corruptionem, vel tanta putredine pollẽt, vt vix ea ad sanitatem perducere queas: quod si aliquando consequaris, non communibus vlcerum auxilijs, sed eorum ope, quæ longe videntur peregrina. Habet tamen id peculiare & proprium quod princi- **E** pium semper nanciscatur à leui quodam malo, qualis naturæ est leuis quædam pudendi exulceratio, oris vlcusculum, aut importuna raucedo citra præcedentem defluxum orta. Quamobrem diligens medicus, si in aliquo laborante malum persenserit, cuius naturam & conditionem differe à se ipsa cõspiciat, interrogare primo accessu oportet ea quæ superius retulimus, et insuper an perpessus fuerit leue aliquod pudẽdi vlcus, à quo superfuit cicatrix dura et tuberosa, vel raucedinem, aut aliquid ex his quæ memorauimus; quod si concesserit, proculdubio credendum est, pręsentem affectionem veneream esse. Verum si renuerit, alterius sciscitari oportet, pustulas ne obtinuerit aliqua corporis parte rubro septo circundatas, principio prominentes, citrà dolorem, aut cum leuissimo,

A posteà verò latas & squamosas, difficulter procidentes & maculam relinquentes indelebilem: cui signo maiorem fidem præstat pilorum defluuium, præsertim eorũ, qui in barba & palpebris apparent. Sed longè euidentius id monstrare habet color ex viuido in plumbeum & subalbidum mutatus, præsertim cum morbus aliquis non præcesserit, neque inedia neq; aliqua causa, quæ calorem mutare nata sit. Conqueruntur etiã qui sic afficiuntur, vel de insolita corporis lassitudine, grauitate & impotentia, vel si toto corpore bene habeant, aliqua tamen pars importunè doleat. Febriculas etiam perpetiuntur inordinatas, nulli febrium speciei adstrictas, vagantes, & quæ corpus non videntur conterere; habentque varia & innumera accidentia, quæ nulli morborũ sorti possunt reduci præ **B** varietate & confusione. Præter quæ omnia plerique gonorrhœam virulentam & fœdam perpetiuntur. Ex quibus omnibus ad inuicem collatis, aut consideratis seorsum, facile erit huiusmodi affectum nosse, & ab alijs distinguere.

Præsagium in quauis morbi Gallici differentia, & in ipso morbi genere.

SEd expendendum est iam secundò, quæ nam sit causa miræ varietatis apprehensionis membrorum. In qua te sciendum est, hoc habere peculiarius ex facili aut difficili adhærentia, iuxta renitentiam aut imbecillitatem membri affecti: nam licet vna sit huius morbi cõditio & natura, sæpe figuram mutat, **C** & alium morbum simulat, ratione eius cui adhæret, & partis quam lædit, & humoris cui insidet, vt latiùs inferiùs sum monstraturus, si priùs dixero, quantum difficultatis in curatione huic morbo succrescat ex prædicta varietate.

Quippe inter morbi Gallici affectiones, omniũ curatu periculosissima ac difficillima est quæ à pudẽdis inchoat: nam cùm huic particulæ venenũ insederit, in ea primitus pustulam excitat, mox vlcusculum, ac protinus sensim & occulte longiùs serpens partium continuatione interiora omnia peruadit, non solùm spiritus atque humores, sed carnes & partes omnino solidas consimili affectione vitiat. Nam vapor ille in pudendis semel cõceptus, aut humor tenuis ductu ca- **D** uo pudendi intro irrepens, vasa spermatica tuale afficit, ita vt virulenta gonorrhœa mox succrescat, quæ turpissimè cum grauissimis accidẽtibus eijcitur: hinc venæ cauæ, arteriæque maioris spiritu labefactato, bubo erumpit in inguine, & cum execrandum hoc malũ in iecur peruenit, sanguis breui polluitur. Quo fit, vt non multò post perniciosa illa labes internorũ, foras velut victrix remigret, cùm fœdàto iam sanguine, qui in artus, musculos, & cutẽ desseminato, facilè contractum maleficium ac virus cognoscitur. Protinus enim vel ruffę maculæ in cute efflorescunt, vel liuidæ, rubentesque pustulæ eminent, quibus vlcuscula crustosa & herpetes accedunt: nonnullis succrescunt vlcera caua atq; maligna, aliquãdo ob bilis accessum **E** exedentia, sicut melancholia abundãte cancrosa, aut ob pituitam sordidiora, & humore quodam mucoso fœndoq; manantia, vel dum sanguis abundat, carbũculosa, omnia tamen labris insignita pręduris, tumentibus & inuersis, sub quæ non raro ossa quoque carie èxesa conspiciuntur aut latitant. Quod si leuia in huius mali principio signa contemnãtur, virus celeriter in cerebrum sese insinuat, in quo varia & superuacua ac pituitosa excrementa colliguntur, quæ si inter meninges & cranium interclusa contineãtur, magnum & acerbum dolorem citra tumorem conciliant: verum si sub cute foras circum pericranium emergant, tophos proferunt, & carie incompescibili ac putredine ossa corrumpunt, nonnunquam ab spongiositate humefacta incipiente, deinde ad membranam os tegentem properante; sæpius verò à membrana inituo

tio corruptionis accepto in os prorumpit, ipsumq; cariē exedit: nam licèt pituitosa videatur materia, veneni tamen maleficio perfusa, acrimoniæ particeps efficitur. Quæ sane interdum à capite in articulos, vel potius in medios artus deturbata, cruciatus immanes & diuturnos, qui noctu maxime inualescunt, & nonnunquam in tophos præduros, indolentes aut dolorosos supra ossa commigrat. Verùm cum humor tenuis est, nec valde acris aut mordax, neque adeo maligna materia existit, hæc nec circa periostia moratur, neque ad cutim progressa illam exedit aut exulcerat, sed pilorum duntaxat radices malignitate foetiens, effluuium concitāt pilorum, qui tamen postea repullulant, cum primum extincta est morbi malignitas. Itaque ex prædictis constat, venenum huius mali solum per contactum communicari: nam inquinatur duntaxat vel purus ab impuro, vel impurus ab eo qui sit longè impurior; à simili verò, aut à minus impuro nunquam: ideoque æquè impuris citra offensionem congredi licet; sic tamen vt vterque puriorem alium contactu labefactare possit.

Sed vt integra supersit huius malignæ contagionis natura, statuendum est, quòd licèt vnam in omnibus adseruet sui veneni rationem cum hoc tamen varijs distingui potest ordinibus, iuxta sæuioris aut mitioris conditionis modum: omnium enim leuissima ac mitissima est ea in qua barbę aut capitis pili citra aliam offensionem decidunt: nam solum in crasso vapore aut tenuissimo humore eius malignitas sita existit, qui in corporis sūma effusus (quo facilius euanescit) pilorum radices exedit. Paulò autem deterior est ea, qua cutis vniuersa crebris maculis minimè extuberantibus efflorescit lentiginis instar, interdum verò latioribus, modo flauis, modo rubris diu durantibus, donec radix mali delitescat. Grauior prætereà iam et vera lues existit, quæ veras pustulas, tuberculave profert, primum quidem circa frontem & tempora, in capite & barba, ac denique in reliquo corpore plana, rotunda, sicca sine pure, & crusta postmodum obducta: quæ si negligantur, cutem excauant, donec vlcus fiat virulentum & sordidum, signum profecto, iecur iam habitum illum perniciosum contraxisse, & maxime cum iuxta aut intra nares erumpunt, vt ossa illa quàm tenerrima, nec non et palatum ipsum periclitari corrosione videantur. Quarto loco ea deterior succrescit, quæ ossa, solidas partes, vincula, membranas ac neruos adoritur et corrumpit, adeò varijs symptomatis & virulentiæ differentijs insignita, vt morborum omnium veluti congeries videatur.

CAPVT IIII.

De communi morbi Gallici curandi ratione.

PRimo quidem huius morbi malignissimi accessu, nullam aliam curandi rationem adinuenerūt medici, quam ducti similitudine quadam ad elephantiasim, per analogismum ducta curandi methodo. Quam sane medendi viam licet profecisse comperiamus, minus fuisse tutam certò scimus. Verùm his nostris temporibus, cum iam hominum diligentia creuisset, alieno malo perterriti, rectam, rationalemque medēdi viam iuxta morbi & causarum naturam adinuenerunt: quam sanè nos quoque insequuti in medium proferre studebimus. Vt primo huius operis capite dictum est, triplex insurgit ad curationem indicatio, iuxta tria quæ consideratione digna eo loco esse diximus: nam primo morbi naturam & substantiam rimari opus est, deinceps generationem excrementorum, quibus subijcitur huius affectionis natura: tertiò verò conditionem alterius affectionis, cui virulenta contagio adiungitur. Cæterum licèt primum sese offerat morbi natura, non tamen primo

A indicationem curandi præscribit, neque rursus affectio cui coniungitur, id primo etiam efficere potest: sed primam omniū indicationem scribit excrementorum & prauorum humorum generatio, & decubitus: secundam, affectus cui connectitur conditio: tertiam verò & vltimam morbi ipsius natura. Primum quidem prouenit ex accidentium grauitate quam infert excrementorum prouentus: secundum ex recta curandi ratione, quæ morbum respicit: vltimum verò ex prophylactica, quæ præcauet, quominus morbus reuertatur, radicitus auulso principio. At qui licet morbi natura causæ rationem videatur obtinere in hac affectione, excrementorum tamen generatio rapit sibi indicationem & considerationem causæ: qua ratione sane optimo ab excrementorum generatione B initium curationis desumimus.

Ante omne tamen opus considerabis, recens ne, an inueterata sit affectio, vel graui aliquo symptomati adiuncta, vel solis maculis aut leui affectione efflorescens, item corporis affecti naturam, conditionem, facilitatem aut difficultatem patiendi, aut tolerandi grauia aut leuia auxilia: calida enim & sicca natura temperari aliquo modo auxilia huic morbo proficua desiderat, nec validas perferre potest inedias. Item sit ne citra viscera contaginsa illuuies, an in carne & ossibus ac membranis, vt illi prius prouideas, quam ad alexipharmaca & sudatoria, vel maiora auxilia deuenias: & denique multa tibi subsunt consideranda, quæ si prætermiseris, dubium non est, quin in maius C damnum laborantem deferas.

Expendendum quoque est, hanc sortiri conditionem huiusmodi malum, vt & morbi natura & excrementorum seu humorum vacuatio, eadem sibi vendicent medicamenta, eadem auxilia, & eodem tempore, quatenus ad morbi Gallici essentiam pertinet. Verùm; quia præstita humorum & excrementorum materia, præter venenosam naturam, quam ex contagiosa venere mutuatam habent, sua quoque expostulant medicamenta, vt biliosus humor quæ bilem, & melancholicus quæ melancholiam purgent; obid quidem commixta esse pharmaca oportet, ex his nimirum quæ morbum Gallicum respiciant, & ex his etiam quæ cuiusque humoris ideam æmulentur.

D Pari quoq; ratione cum dictum sit, morbum Gallicum nullam propriam circunscribere morbi speciem, sed omnibus alijs coniungi, ob id quoque, qualis fuerit natura morbi cui coniūgitur virulentia Gallica, talem sane oportebit instituere curandi rationē, admiscentes semper pro Gallico consortio id quod illi respondere sit compertum. Sic quidem Gallicum vlcus, vt vlcus curari debet, cæterum nō simpliciter; sed vt vlcus Gallicum.

Sed vt cuiuis innotescat, qualiter pugnandum sit aduersus Gallicam virulentiam & humores ab eadē progenitos, animo priùs cogitet, vniuersā huius morbi rationem constitutam esse in fixa, connaturali, & radicata quadam natura, ex qua humores seu excre- E menta quæ fiunt, eiusdem conditionis esse par est. Secundò conijcere oportet, præsidia ea efficacia esse donata, quæ ex opposito morbo sit aduersa: item quæ connaturalem illum habitum radicitus euellere et depopulari possit: vltimò verò quæ infectos humores expurgare citra aliorum noxam possit.

In qua re necessum est docere, medicamenta huic morbo ex opposito aduersa in triplici differētia constituta existere. Prima sanè eorum est, quæ venenosa quadam qualitate fortiori, & efficaciori ei quæ in morbo Gallico præest, illi sese opponit: cuius sanè naturæ existit argentum viuum (quod in argenti fodinis colligitur, seu hydrargyrum, quod argentum viuum arte factum ex lapide quodam in eisdem fodinis reperto efficitur, aut ex minio vel plūbo, vt multi de re metallica scriptores protulerunt) ferè omniū

medi-

medicorum sententia, & omnia medicamenta quæ ex eo confecta huic vsui prodesse scimus, siue per inunctionem, siue per suffumigium, siue quouis alio modo fiant. In quo sanè medicamento licet inuenta sit antipathia, dissensus & contrarietas Gallico morbo aduersa, eam non sine ratione nonnulli suspicantur sitam esse in modo substantiæ, seu forma ipsius argenti viui: eum hoc tamen asserimus, operari mediātibus quibusdam potentijs, quas sibi insitas ex manifestis qualitatibus habet. Harum sanè altera est, summa partium tenuitas & mobilitas, quam naneiscitur argentum viuum ex sulphurea materia, nec non & aerea (quippe cum aer sursum euolare semper nitatur, et ob argenti grauitatem impediatur, fit facilè, vt hinc inde perpetuo motu agitetur) quarum plurimū participat: cuius sane ratione in intima corporis viscera, & additas ipsius sedes sese insere absconditas, licet superficies solum perungatur: quo fit, vt peruadat quamuis partem, itē vt nulla subterfugiat à præsidio huius auxilij. Præterquam quod eadem parte sulphurea, & partium tenuitate atque calore aereo, vias & poros facile dilatat, per quos ipsum ingrediatur, & egrediatur materia peccans. Altera verò qualitas stigiditas sanè est, & regulata atq; coercita humiditas, quibus vim & efficaciā obtinet repellendi omne id quod ex aduerso sibi fuerit inimicum. Nec desunt qui eius formam, seu, vt rectius loquar, modum substantiæ, omnino morbo Gallico aduersari statuant (qui non omnino improbabilia loquuntur) ob id procuIdubio, cum mediante tenuitate & aerea parte in corporis intima sese insinuauerit, & mediante frigiditate repellendi vires habeat, & ex modo substantiæ luem Gallicam vt contrariam aggrediatur: ob id ab illis partibus ad quas peruenerit, ad extimas & per medias, quas tenuitate suarum partium, & aereo calore præparauit & dilatauit, repellit profectò ad communes corporis canales, & sic propria illi inest & peculiaris vacuandi ratio per os sputo, per guttur vomitu, per intestina copiosissimis alui fluxibus, & nōnunquam per vberrimos sudores. Fundit enim atque liquat non solum pituitam, sed etiam ipsarum solidarum partium substantiam, vt ex his proprium & peculiarem humorem eliciat atq; expurget. Quo fit, vt cheradas extirpet, profusa per os maligna pituita, schirros etiam emolliat atque resoluat: nam pollet humiditate partium tenuitati coniuncta. Dolores etiam tum calidos, tum frigidos, mitigat, illos, quidem per se refrigerando, hos vero ex accidenti per ventrem & os deturbando atque purgando.: quapropter iecori hoc malo affecto proficuum existere omnes fatentur. Qua sane argenti viui natura sic considerata, euidenter constabit, cuius num temperamenti sit & naturæ: nam licet inter auctores controuersum sit, frigidum ne sit, an calidum, quibusdam asserentibus frigidum esse, alijs verò calidum, cum hoc tamen ex his quæ diximus constabit, cum partibus constet diuersæ naturæ, diuersas quoque habere potentias, calfaciendi nimirum & refrigerandi; hoc verò ob partes aqueas, quas sortitur, illud quidem ob sulphureas: sic quidem vtriusque factionis rationes si in vnum coniunxeris, veram constitues sententiam.

Secundo modo easdem indicationes complet & perficit aliud medicamentorum genus, cui munus inest, veneni huius vim & feritatem retundere & radicitus morbum deuastare, ac è iecore & reliquis visceribus propellere. Item humores seu excrementa, quibus inest Gallica hæc lues, excernere quoque & deuastare: quæ sanè opera hæc medicamenta longe alia ratione & efficatia, ac argentum viuum, exequūtur. Sunt quidem ea lignum guayacum, sarsa parilla, radix Chinæ, iuniperi decoctum, vel pini sicci vel fraxini, aut cuiusuis alterius calidæ arboris: quæ omnia

A licet vulgatissimi sint vsus, qualiter id efficere habeant, non ita facilè constat. Nam communi fere omnium decreto cōstat, ex humorum attenuatione & resolutione per insensilem halitum id beneficium præstari. Nos tamen paulo diligentius rem studebimus expendere: nam primū lignum Guayacum, farsam parillam, & radicē Chinæ triplici virtute in hoc opere pollere est arbitrandum: namq; ex aduerso prauæ opponuntur qualitati, quo fit, vt pleraq; medicamenta quæ caliditate pollent, & sudores mouēt, morbo Gallico prodesse, non possint, quòd nihil habeāt ipsi aduersum. Sunt enim prędicta hæc medicamēta veluti alexipharmacū & theriaca, in quo conuenire videntur cum argento viuo, licet antipathia diuersa

B sit ab ea, quæ interstat inter argentum & morbum Gallicum. Proficua item sunt, quia funditùs morbū à partibus euellunt, idque efficere habēt mediante ignea caliditate qua pollent: cuius ratione exeditur, dissipatur, & conteritur substantia illa cui inhæret Gallica contagio. Qua solum occasione dictum esse cēseo, iunipero, pino, & reliquis in esse vires aduersus morbum Gallicum, nō quòd prima ratione tanquā alexipharmacum id possint, vt Guayacum, sed secūda solum, nimirum quia exurentia & calidæ sunt natura: ita vt scobes & ramenta si quis deuoret, exustio ne veluti à calido veneno alterabitur. Cæterum eorū decoctum moderata pollet caliditate, quantū sat est, vt hanc secūdam intentionem compleant; sed in hac

C quoq; re cum argento viuo conuenire scimus, diuersa tamen ratione: nā argentū repulsu, frigiditate, & trāsmissione ab internis partibus ad extimas, ad internos canales, vt dictum est, humorem pellit: cæterum lignum sanctum, & reliqua huius sortis medicamenta, non frigiditate quæ repellat, sed caliditate quę dissipet, & per insensilem halitum digerat, id beneficiū præstat. Tertiò quidem prædicta medicamenta humores omnes radicitus excernunt, poris & foraminibus totius corporis reseratis vi & caliditate actuali & potentiali, & humoribus ipsis in halitum & sudoris naturam commutatis: in quo etiam cum argento viuo conuenire videtur, diuersa tamen ratione: nam argentum modo dicto expellit, lignum verò non sua

D sponte & vi, sed disponit humores & corpus, vt facilius per ipsum expirent. Ex quibus iam constare arbitror, non omnia medicamenta quæ sudores mouēt, morbo Gallico esse proficua, neque omnia quæ caliditate pollent, neque rursus ea quæ alexipharmaci vires habent, sed illa tantùm, quibus omnia hæc simul inesse comperiamus, cuius naturæ credimus esse tria illa prima medicamenta quæ primo loco retulimus.

Se se iam offert tertium auxilij genus, quod tertiā indicationem complere diximus: nimirum humorū expulsionem citra respectum ad Gallicam contagionem, sed solum habita ratione naturæ, & abundantiæ illius humoris, quam sane indicationem primo fore exequendam asserimus. Ob id antequam ad pe-

E culiarem curationem deueniamus, operæpretiū est, eam expendere quæ veluti viam & præparationem præstat ad maiorem & propriam huius morbi curationem. Quam sanè adimplere oportet optima vitæ institutione, sanguinis detractione & expurgatione, quorum seorsim meminisse erit operæpretium.

CAPVT V.

De vitæ & victus institutione.

CVm correptum aliquem venereæ contagione curandum susceperis, duo ante omnia considerare oportebit: primum, quo nam effectu polleat magis in eo corpore huius contagionis natura, vlcere ne, an tumore præter naturam, pustulis aut alopecia, vel quouis alio: nam peculiare aliquid monstrare habet

in curatione is morbi complexus: secundum morbi ipsius in genere naturam: nam iuxta id peculiarius vitæ institutũ scribere oportebit. Quo facta consideratione, victus sit boni & laudabilis nutrimenti, siccioris naturæ, moderatæ quantitatis, ne par simonia victus in longissimo affectu deficiant, aut vbertate plus materiæ morbo præstent: interdiu plus ingerant, noctu minus, à fructibus horarijs abstineat: ex oleribus borraginem, cichorium, & atriplicem edant. In prima mensa passulis & amygdalis tostis vtantur, in vltima vero coriandro præparato sacchato confecto, aniso, corticibus citri, & alijs rebus & aromatis quæ sacchato condiantur. Carnibus vescantur auium, gallinarum presertim, caponum, perdicum, cuniculorum, vituli & arietis: fugiãt ab omni piscium genere & ab omnibus carnibus salitis, & ab his alimentis quæ plurimum melancholiæ generant. Vinum fugiant omnino, nisi ventriculo admodum exposcẽte, aut viribus languentibus, quod tunc tenue sit, dilutũ & aquosum, sed præstat maxime loco eius præbere aquam aniso, fœniculo, liquiritia, vel passulis decoctã: præstantior tamen omnibus est ea in qua ferbuerit lignũ aloes, sassafrasa Indica, sarsa patilla, radix Chinæ, & omnium efficacior existit quæ cum interiori medulla Guaiaci & pauca liquiritię incoquitur. Quibus vtendum est toto anni cursu, ni plurimum Canicula æstuauerit.

Exercitium mox à principio morbi, facta leui purgatione aut sanguinis detractione, summopere est cõmendandum, vtpotè quod à partibus internis, in quibus viget huius mali radix, ad extimas potẽter reuocat: prætet quàm quod etiam conterit & contabefacit non solum quod præter naturam est, sed solidam ipsam substantiam. Ob id profecto agriculæ, messores & fossores citius sese ab huiusmodi malo expediunt: quippe hac via plurimos fuisse sanitati restitutos scriptum est, & experimento quotidiano confirmatum. Cęterùm in agricolis & robustis corporibus exercitium sit totius diei spatio & multis diebus seriatim: in alijs verò corporibus in lucta, armis & ludo paruæ pilæ, vel in quouis alio tandiu perstet laborãs, quidiu sat fuerit ad copiosi sudoris prouocationem: à quo mox sese in lecto colligat laborans, & ocyssime pannis contegatur, donec natura totum quod exercitio tenuatum est, sudando excutiat. In reliquis vero corporibus, quibus in animo est morbum non ex toto eradicare solo exercitio, ipsum commendare oportet quotidianum & ante cibum, idq; varium, iuxta varietatem partis affectæ. Sed in hoc quoq; opere præmittere non minus oportet vniuersalem totius corporis prouidentiam, quam in quouis alio ex grandioribus, quæ ars huic affectioni proficua adinuenit, sanguine nimirum misso, & purganti medicamento præsumpto.

Somno vtantur huiusmodi laborantes moderatissimo, non diurno, non à cibo, sed aliquibus horis sumpto post cœnam: quòd si somnus defuerit, omni arte conciliandus est, nè immodica vigilia spiritus dissipentur, & vires adeò labantur, quod morbo non possint sufficere, & ne etiam ob easdem causas plures generentur cruditates, quę postmodum materiam morbi adaugeant.

Cauere etiam huiusmodi laborantes à venere cautissimè oportet, donec in pristinam sanitatem redigantur, ne aut alijs affectionem communicent, aut ipsi infirmiores facti sese ab ipsa liberare non possint.

Pari quoque ratione cauere oportet omnem animi perturbationem: nam facile ex animi pathematis diu perpessis, interna viscera languore contabescunt, quo fixius ipsis contagium adhæret.

Solum habitent & cœlũ calidum & siccum, dummodo in excessu non sit, & summè contrarium laborantis temperamento, naturæ & consuetæ habita-

A tioni, deterius enim eo tempore erit corpori & viribus, quam proficuum frigido hoc morbo.

CAPVT VI.

De sanguinis missione.

HIs sanè omnibus corpus præmunitum præparatumque ad purgationem & sanguinis detractionem ipsum ducere oportebit. De sanguinis detractione in hoc affectu, fieri ne debeat, an secus, non satis conuenit inter neothericos, quibusdam ex toto eã renuentibus: quippe existimant, affectum esse frigidum, & ob id alienum à sanguinis detractione: alij vero censent tanquam in morbo magno plurimum san
B guinis esse extrahendum: sed missis vtriusque factionis rationibus, censemus primo mali accessu sanguinem esse mittendum, tum plenitudinis auferendæ ratione, tum vero vt purgantibus, quæ vehementiora debent esse, expeditior liberiorque via subsit, tum vltimo vt ex iecore maior sanguinis portio educatur, ne in maiorem materiæ copiam, aut ad plures corporis partes sese veneni virulentia extendat, vt frequentissime accidisse comperimus in his, qui vt infamiam fugiant, occulte & religiose cauent, quo minus aliquis huius mali principium intelligat, donec ipsum præualens iam & furibundum, in bubones, vlcera aut pustulas degeneret. Cum hoc tamen sanguinem mittere aggredieris, non subitò neque confertim, sed per
C interualla, vbi licet grandis copia extrahatur, quod proficuum est, vt habitus præter naturam maiorem partem auferat, & minus vires labi contingat. Verùm licèt id primo mali accessu factum sit, non ob id supersedendum est succrescente aliquo accidente, ab vlteriori sanguinis detractione, quod in alijs morbis qui subitò soluuntur, efficere summoperè veremur. Nam quouis tempore succrescat bubo, pustula, tuberculus, aut inflammetur vlcus, vel dolores fiant acerbiores, audacius in his corporibus sanguinem mittimus, quàm in sanis, vel quouis alio morbo affectis, etiam si robustiores videantur: præstat enim corporibus pestifera hæc lues nescio quam virium firmitudinem & roboris integritatem, quod non solum labo-
D ribus ingentibus, & magnis cruciatibus tolerandis idoneam reddit, verum & sufficientem ad maxima auxilia perferenda, vt ab eis, quamtumuis languida videatur, leuamen susceptet. Cum hoc tamen medicus diligens & prudens cantè & per interualla sanguinem fundet, ne deceptus communi hac ratione, in aliquo singulari turpiter decipiatur, vt non raro accidit imperitis & imprudentibus impostoribus.

Sed maius adhuc in Gallicis bubonibus dubium suboritur, an liceat aliquo modo sanguinem detrahere; & ex vtraque parte, enim non desunt opiniones et rationes, quæ liberè asserãt, sanguinem non esse mittendum in bubonibus: cuius ratio est, ne materia ibidem contenta tardius ad suppurationem veniat: alij
E rursus sanguinem extrahunt, vt fluxionem prohibeãt: alij prætereà sunt qui in principio sanguinem esse detrahendum asserant; alij non nisi in fine: quibus ego respondere studebo vnica tantum ratione ex arte & experimento deducta: nimirum in bubonibus qui ex morbo Gallico fiunt, humore aut sanguine adhuc fluente, non licere ipsum extrahere; quod prima facie videtur præceptis artis aduersum, siquidem potissima sanguinis detractionis indicatio, aduersus fluentem sanguinẽ vires habet: cæterũ in bubonibus Gallicis longè aliter efficere oportet, si quidem pars quæ patitur, emunctorium est, & naturæ officium existit ad similes partes transmittere. Atqui cum reuulsio quæ fit sanguine detracto, fluxioni tantùm debeatur, ob id bubonibus durante fluxione fieri non debet: tamen censeo cessante fluxione sanguinem esse detrahendum aliquando, nam deonerata natura faci-

faciliùs conficit in bubonibus pus, quod maioris est momenti in eorum curatione. Cum hoc tamē dum corpus plenius est, aut inguina summoperè dolent, vetendum non est sanguinem mittere, quo laborans facilius possit labores perferre, idque facies per interualla, quo minor fiat reuulsio ab emunctorio, & sufficiens plenitudinis euacuatio.

In alijs verò morbi Gallici accidentibus, præsertim quibus dolor adiunctus est, sanguinem in dubitanter mittes, tum vt plenitudinē demas, tum vero vt humorum impetum compescas, idque maxime efficere curabis, quo præstantior fuerit particula in quam humor decumbit: nam si ex ignobilioribus fuerit, sanus arbitror esse, vires ad diuturnum morbum debellandum integras adseruare sanguine non misso, quam gratia iucunditatis ipsum mittere, & vitium labentiū gratia in medio curationis subsistere.

CAPVT VII.

De humorum præparatione.

SAnguine quidem detracto, humores præparare ad expulsionem par erit, in quorum præparatione obseruandum est, id opus diutius esse exequendum: nam humores hac lue infecti, et eius contagionis mala qualitas non nisi longo tempore frænari possunt. Præterea præparationem oportet esse duplicem: alteram quæ cuiusque humoris naturam respiciat, cuius gratia adhibere oportet ea medicamenta, quæ biliosis, melancholicis, & pituitosis humoribus proficua sint: reliquam vero, quę non humorem, sed in quouis humore veneream contagionem respiciat. Cæterum in vsu horum auxiliorum obseruandum est, semper adinuicem admiscenda esse quæ cuique humori proficua sint, & Gallicam luem respiciant: ob id syrupis & potionibus omnia simul commiscere, conueniet, si radicitus malum euellere libuerit. Sic cuique dictorum theriacæ modicum admiscere non erit inutile, vel tantundem mithridatij quamobrem laboranti dormituro præbere oportet ʒ. ſ. cuiusuis prædictorū dilutam aqua ligni Guayaci, vel Chinæ, aut sarsæ, iuniperi, aut radicis carlinę: summo tamen mane porrigo syrupum humori peccanti, proprium & peculiarem cum aliquo ex prædictis decoctis: quod sanè fieri debet, donec constet, humorem mitiorem & obsequentiorem esse, et corpus fluidius: nam in his malis cum in vrina nullum cruditatis vestigium appareat, sat est, iuxta crassitiem & renitentiam humoris coniectari, quando purgandum sit. Quo tempore id medicamētum porrigere opus erit, quod vehementia & electione prædictos humores purgare natum sit. Verum nequis temere & inconsultò in hoc morbo humorum præparationem & purgationem aggrediatur, opera quidem summopere necessaria ad maiora auxilia (vt sudores, munctiones, & suffumigia) necessum esse iudicaui, ex præparantibus et purgantibus medicamentis nonnulla cuique humori proficua veluti exemplar monstrare, vt facile sit ad eorum pensum reliqua excogitare.

Sic quidem biliosum humorem præparabis, non ijs solum quæ refrigerant, veluti in febribus ab ipso exortis & reliquis morbis, sed semper eis auxilijs vteris, quæ vim habeant potius humectandi modice, & incidendi, quam plurimum refrigerandi: renuit quidē morbi natura quę plurimum refrigerēt, tum quod crassiores ex morbi lege sint humores: tū vero quod morbus & mala qualitas fixius partibus adhæreant: quapropter vitare oportet frigida & adstrigentia, ac nimis exiccātia, in his præsertim siccis, qui biliosi sūt, sed tantū porrigenda erunt quæ cum modica refrigeratione incidant, & parum humectent: huius naturę est syrupus borraginis, cichorij, de soncho, de radici-

A bus cū aceto rosarum & similium, dūmodo aliquid acetosum ipsi admisceatur, & addita etiam quātitate aliqua eorum medicamentorum, quę morbi naturam respicere superius diximus. Sed si caliditātem vigere cōperiamus, diluere syrupos oportebit aquis hordei, decoctione radicū cichorij, buglossi, prunorum damascenorum, & alijs huius census. Pituitā pari ratione præparabis exhibito prius melle rosaceo, oxymelite simplici, syrupo borraginis, vel de radicibus, sine aceto vel cum ipso; ac si caput infestare comperiū sit, addito syrupo stœchados, sicut dum vētriculus & viscus aliquod, adiecto syrupo de mētha, vel de absynthio, aut de corticibus citri: semper tamē in vsu mihi est omnibus admiscere mel rosaceū, aut oxymel simplex, additis etiam decoctis anisi, fœniculi, dauci, sar-B sæ, ligni Guayaci, chamæpityos, scordij, & aliarum herbarum, quæ calfaciendi & digerēdi vires habeāt; quæ sanè humoris conditio vt frequētius purgari desiderat, ita diutius quoque præparari. At melancholicus humor vt difficilius, dum vitiatur, ad antiquum statū redit, ita prestius præparari ac diutius desiderat, si velimus laborantem ab importunis accidentibus, quæ efficit, liberare. Sic enim duplex erit præparandi ratio: altera quæ humorē purgationi disponat: altera vero quæ idem efficiat, cæterùm habito respectu ad coctionem, aut, vt rectiùs loquar, ad correctionem et attēperamentum, quod maximi est momenti in hac curatione. Disponit quidem ad purgationem medicamentū omne quod vires habet attenuandi humo-C rem ipsum, & vias reseṫandi: qua in re pensitare prius oportet, longe, diuersam esse melancholiæ naturam à reliquis humoribus: quippe cum eius crassities terreæ sit naturæ, neque calidis, neque incidentibus, neque siccis præparari vsquam tutò potest. Calida quidem sicciorem reddunt, sicca duriorem efficiunt, incidentia exasperant, & quodammodo segregant, nō attenuant. Quapropter solum superest ea prẹparandi ratio, quæ fit ijs medicamentis, quæ humido calore prædictum humorem liquant: sic enim, quæ melancholico humori prosunt, humidissima esse tenentur, & modicè calida. Huius naturæ sunt syrupus borraginis, lupulorum, capparum, fumariæ, capillorum veneris, & ijs consimiles decoctiones, quorum copiam D reperies capite de quartana: hoc tamen in hac curatione adseruato, quod semper diluriores porrigas syrupos, maximè cum ex herbis aliquam siccitatem contraxerit. Verùm dicet aliquis, & merito, medicamenta quæ alexipharmacum agunt, veluti lignum Guaiacum, & reliqua huius naturæ, humori melancholico aduersissima esse, vt pote quæ sicca sunt, & ob id summopere fugienda. Cui respondendum venit, id esse etiam illi summoperè necessarium, non tamen quouis tempore, sed dum iam vi aliquorum medicamentorum liquescit melancholicus humor: proficua enim eo tempore sunt sicca medicamenta, quæ vim habeant ebibendi & exiccandi quod liquatum est; quippe si antea adhibueris, durescet & solidior E reddetur melancholia. Qua ratione censeo obseruatum esse à peritissimis medicorum, non statim primo huius mali accessu confugiendum esse ad sudorifica & maiora alia auxilia: quod intelligendum arbitror de humoribus melancholicis, qui tardè ad maturitatem perueniunt, & tantū abest quòd prædictis alexipharmacis & medicamentis cedant, quòd potius durior, grauior, & difficilior reddatur affectus simul & humor: vnde nonnulli eo auxilio deteriores euadunt. Altera vero præparandi ratio, quę vt corpus ad maiora auxilio disponatur, iudicio nostro proficua est, sita existit in paulatina humorum crassiorum vacuatione, vt mox referam.

CAPVT VIII.

De purgatione & præparatione humorum.

VErùm ne quis temere & inconsultò huius morbi curationem per expurgantia medicamenta aggrediatur, multa considerare hac in parte antè instituit: quorum primum est, purgationes morbo Gallico profuturas plures debere esse, quasdam copiosas, quasdam verò minutas & per epicrasim factas. In qua re sciscitandum vlterius est, copiosas purgationes his tantum corporibus ex vsu esse, in quibus virulenta purgatio in humorum massa viget potius & prædominatur, quam in membris solidis, aut in aliquo viscere. Et rursus eas profuturas arbitramur, cum in animo est aliquod exequi grandius auxilium, siue sudatorium sit, siue hydrargyro constet. Præterea minutas purgationes vtiles esse censemus imbecillimis corporibus, & in quibus solidæ partes quotidiana & paulatina generatione virulenta excrementa congregant. Item profuturæ sunt his, in quibus necessum est mali reliquias post maiora auxilia residuas sensim & paulatim conterere.

Secundum quod considerare expediet, est, medicamenta his vsibus proficua debere esse vehementia; quod duplici ratione necessum fore arbitror. Prima, quia venereæ contagionis sedes plerumque adest vel in intimis corporis partibus, vel in extimis & longissimis interuallis à vijs ductuum distitis: quo fit, vt expediat medicamentum esse vehementis naturæ, si trahere teneatur à reconditis & remotissimis partibus: leuiâ enim vel iecoris regionem, vel primas venas non transcendunt: & ob id sæpe vitiosorum humorum turbationem, non vacuationem, & accidentium exacerbationem moliuntur. Secunda vero ratio circunscribitur à crassitie, renitentia, & pertinacia humorum Gallica lue affectorum: qui sanè non leuibus neque mediocribus medicamentis cedere vsquam visi sunt, quinimò eisdem potius exacerbantur & mouentur, quo longe maiora mala subsequuntur. Cum hoc tamen in principio mali fugiendum est à validis medicamentis, ne omnium humorum agitatione, venerea contagio in omnes sese inferat, insinuet, & extendat. Quamobrem ex his quæ inferius teferam, quæ mitiora sunt, præmini debent, tantoque intendi & maiora exhiberi, quanto morbus in vetustatem longius deuenerit, quo tempore leuioribus nullus est locus: secus res se habet in debilibus, & macie ac morbi diuturnitate, accidentium sæuitia & præstantia, & eonunuis febribus, confabefactis corporibus.

Tertiò verò & vltimò considerandum est, id medicamentum cuique esse præstandum; quod humori peccanti ex æquo respondet. Sic enim biliosis quæ bilem, pituitosis quæ pituitã, & melancholicis quæ melancholiam purgent, porrigenda sunt.

Quibus considerationibus præmissis, id medicamentum purgans biliosis instituere oportet, quod optimè & immolestius purget, velut in delicatioribus & debilibus corporibus *rhabarbari infusum pondere ℥.1.ß. cum syrupo ex infusionibus*: sed in robustioribus tutò & audacter porrigere possumus *electuarium de succo rosarum Nicolai, vel Mesues, quantitate ℨ.3. vel 4. cum pulpa cassiæ fistulæ in bolis, vel solùm, si maius, dissolutum in decoctione biliosa, vel admixtum syrupo ex 9. infusionibus rosarum aut violarum*. Sic enim iuxta maiorem aut minorem virium & habitudinis corporis tenorem, plus minusve laborantibus porrigere oportebit, repetitaque subinde purgatione, iuxta laborãtis indigentiam. Neq; ob id ante quamuis purgationem syrupis vtendum est semper: molestum enim id esset, & operosum in diuturnissimo

A hoc morbo, & vbi opus est toties purgare. Quamobrem exhibito aliquo ex decoctis, quæ inferius referam, morbo Gallico proficuis, ad reliquas purgationes deueniendum erit: quas moliri oportebit minori ipsius pharmaci exhibita quantitate, si frequentius agendum sit. Quem quoque vsum ad implebis pilulis ex rhabarbaro, aggregatiuis, vel his quæ ex aloe: rhabarbaro & agarico conficiuntur.

Pituitam sane diutius præparatam purgabis infuso agarici, admixto syrupo ex infusionibus rosarum, aut eodem *agarico trochiscato cum ℨ.6. catholici*. Quẽ quoque vsum præstat electuarium diachartami, sed efficacius quidem *diaphænicon pondere ℨ.4. cum syrupo ex infusionibus*. Præstat electuarium Indum maius

B & minus: sed efficacius & vtilius pilulæ cochiæ, fœtidæ, Arabicæ, vel de agarico, & aliæ ex carthamo & agarico conficiuntur. Huius sanè humoris purgatio nem frequentius instituere oportet, ac diutius ad eam moliendam præparare, quod plerunque in hoc humore necessum esse conspicimus.

Melancholiam purgare in futures longè vehementioribus medicamentis, si vires tulerint; sin aliter, eisdem quidẽ, sed in minori quantitate & frequentius. Primo etenim accessu purgabis syrupo confecto ex infusionibus rosarum Persicarum & folijs senæ, vel prunis damascenis eisdem folijs senæ cõfectis. Quod si vires & morbus hæc tenuerint, aut ob magnitudinem contempserint, *ad confectionem Hamech te con-*

C *feres, cuius ℨ.4. in melancholica potione dissolues, addītis ℨ.2. syrupi rosarum Persicarum*: nec desunt qui medicamenta ex elleboro confecta porrigant, aut ex lapide lazuli, sed mihi ad purgandum corpus, vt idoneum fiat maioribus auxilijs suscipiendis, hæc sufficere videntur: nam de reliquis purgationis modis ac formulis, quibus toto morbi Gallici discursu vtendũ est, latius & specialius inferius sum acturus, vbi maximam copiam omnium reperies cap. de conferendis huius mali reliquijs.

CAPVT IX.

D *De necessaria corporis & humorum præparatione ad sudationes, inunctiones, & suffumigia suscipienda.*

VErùm ne quis illotis, vt aiunt, manibus temere & inconsultò maiora aggrediatur auxilia, ea nimirum quæ radicitus hunc morbum extirpare nata sunt, & grande hoc ministerium imprudenter præstitum reddat non solum inutile, verùm summoperè nocuum, & omnino saluti aduersum, expendat, multa esse prius consideranda, citra quæ auxilium nullius est momenti & frugis. Sunt autem auxilia hæc, sudationes ex ligno Guaiaco, sarsa parilla, China, & alijs huius census: inunctiones per hydrargyrum, necnon & suffumigia, quæ vt sunt maioris efficaciæ, ita granioris periculi. Quorum auxiliorum vsus vt rectè ce-

E dat, non solum opus est corpus & humorem præparare, sed inceptum opus, si nõ probe cesserit, alijs auxilijs perficere, aut si vltra modum naturæ processerit, compescere & moderari, quo tutius & vtilius fiat præsidium. Cui sane ministerio primum considerabis, nulla lege corpus esse sudationi, aut cuiuis alio ex prædictis auxilijs committendum, citra insignem præparationem, tùm corporis, tùm humorum. Sic profectò vtcunque corpus hac lue affectum sit, primitus sanguine mittes bis aut ter, si facultas aut corporis extenuatio non renuerint: quapropter censeo illud corpus quod vni sanguinis detractioni tolerandæ idoneum non sit, minimè sufficiens esse sudationes perferre, maxime cum necessaria sit sanguinis detractio, non solum vt humorum copia minor fiat, sed vt locus detur maiori ventilationi, quæ necessaria est ad maius caloris augmentum in sudationibus concitan-

citandum. Quo facto, corpus semel, aut bis (si A impurius cognoueris esse) purgabis aliquo ex prædictis medicamentis, ita vt ad mediocrem puritatem corpus reducatur citra virium iacturam: præterea curandum est, aluum fluxam obtinere, tertio quoque die clysmate purgante iniecto. Quibus factis, consulendum est, an laborans facilius, promptius, & iucũdius sudare possit in stupha, quam pannis in lecto coopertus, & id diligenter instirues quod illi iucundius, & vtilius fore cognoueris. Quippe si oudus sub stupha delegerit sudare, ipsam parabis ad modum semicirculi tabellis tenuissimis structam, & linteo quodã crasso, & denso extrinsecus munitam ad modum semicirculi, qua corpus vniuersum contegatur, quam laborans ingressus sudationem ab assumpto medicamen B to speret, vapore aliquo suscepto per tubulum ex media, aut extrema eius parte corpori præstitum; quæ sanè sudandi ratio (si iecoris incendium non vetuerit) placidissima, & vtilissima existit. Verùm si in lecto sudare magis laborans elegerit, ab assumpto aliquo ex infrascriptis sudatorijs, corpus diligenter cooperire, ac præmunire ab omni aeris externa iniuria oportebit. Quibus factis, tantum sudare est permittẽdum, quantum citra anxietatem, & animi angustiam laborans ferre valuerit, dum modo spatium trium horarum non transgrediatur.

Quòd si his omnibus præmunitus laborans sudare nequiuerit, coniectandum tunc erit, an causa sit C humorum crassities, an virium debilitas, vel cutis, & carnis densitas: hæc enim tria sunt quæ sudationem impediunt. Sic si vires languidæ sint, sat erit semel in die, aut tertio quoque die sudorem mouere, reliquo temporis interuallo viribus reficiendis adseruato, nec inconueniens erit his diebus iusculis, & modico vino vires reficere. Verùm si humorum ineptitudo, & crassioes causam præstiterint, ipsos attenuare, ac discindere oportebit: quod facies, si loco cœnæ, aut ante ipsam præstiteris minorem eiusdem decocti sudatorij quantitatem, cum syrupo fumariæ, vel oxymelite, aut syrupo de radicibus, vel alio decocto, qđ vires habeat attenuandi, & incidendi: aut si laboranti porrexeris tres, aut quatuor vncias stillatitiæ aquæ D calidæ ex ligno guaiaco, sarsa parilla, & lupulis, quam hoc modo parabis. ℞. *ligni guaiaci rasi lib. 1. sarsæ parillæ lib. ß. rasuræ pini ℥. 5. lupulorum m. 4. bulliant vase cooperto in lib. 3. aquæ ad medietatem, & tunc omnia proijciantur in alembicum vitreum, & destillentur: cui adde interim dum destillantur, theriacæ, electuarij de hyacintho, & de Alchermes, anà* ℥. 1. & ß. Postea vero mane sudatoriam potionem porriges, & corpus cooperies, vt quod noctu attenuatum est, facilè in sudorem spiret. In his autem quibus crassities hæc aut humorum causa est diminuti sudoris, vera humorum præparatio, & genuina est ipsorum extenuatio per tenuem, aut tenuissimam victus institutionem: expeditior enim & efficacior sic redditur calor ad prædi- E ctorum extenuationem. Quòd si cutis densitas à natura, vel ab externo frigore, aut carnis soliditate sudationem vetuerint, corpus ipsum præparabis ab assumpto sudatorio, vtribus aqua tepente, aut decocto aliquo attenuante plenis corpori adhibitis, nimirũ plantis pedum, aut crurum coxis, vel inguinibus, aut sub alis. Prosunt & lateres calentes vino irrorati plantis pedum affixi: idem facies, ac humores quoque ipsos attenuabis sacculis ex milio, sale, semine anisi, fœniculi, & chamæmeli eisdem partibus appositis. Quod si adhuc hæc prodesse non videantur, antequam corpus pannis cooperias, vel sudatorium porrigas, ipsum manu calida diligenter fricabis, donec rubor efflorescat per vniuersam cutim. Item sudatorium diuides in duas portiunculas, quarum alteram calidam porriges à principio, reliquam vero transacta semihora calidiorem.

A Sudatione igitur perfecta, corpus, & primò caput diligenter mundis linteis exterges, & aliò transferes laborantem, nimirum, ad reliquam eiusdem lectuli partem, & donec hora, ad minus, transierit, nihil alimenti porriges: postea vero tenue, aut mediocre instirues, iuxta laborantis vires, & tempus quod sudationi dicare studes. Quibusdam enim robustis sat est vitella duorum ouorum cum passulis, & amygdalis, ac pane biscocto porrigere; alijs vero pullum assum, aut medietatem eius, vtrisque tamen pro cœna vitella ouorum porriges, & aquam quam inferius scribam, potui dabis. Cæterum si vt non rarò accidit, humores Guaiacino decocto, aut quouis alio liquato, & fusi in fauces, dorsum, ventrem, aut articulos furiosiùs B quam antea profluxerint, doloresque & cruciatus, ac labores denuo concitauerint, non ob id decet generosum medicum turbari, nam quod liquatur, per stantia conteritur, & consumitur: sed coniectandum tũc erit, corpus vlteriori indigere purgatione, aut sanguinis detractione, & interposita sudatione alterũ, aut vtrunque efficere, ac phlegmagogis corpus purgare, & iterum ad sudationes peruenire.

Transactis itaque decem, aut duodecim diebus, mox vbi à sudore illius diei quieuerit, ℥. 3. *aquæ cardiacæ* ad debellandam huius mali sæuitiam, & perniciẽ porriges: vel si laborans fastidierit, ʒ. 1. *pulueris eiusdem virtutis:* quippe hæc mirum in modum extirpare à iecore, & carnoso genere radicitus reliquias huius C mali nata sunt. Vtrunque autem medicamentũ scribere hac in parte institui, nam inferius multis vsibus proficuum arbitror.

Aqua cardiaca.

Aqua autem cardiaca ℞. *foliorum saluiæ, menthæ, maioranæ, rutæ, hyssopi, origani, summitatum betonicæ, anà m. 1. contrita omnia in vase reconde in loco calido, & desuper obrue aqua cardui benedicti, & quotidie agitentur, ne acescant: & post sex, aut octo dies, abiecta residentia, expressus, & colatus humor seruetur. Rursus excipe foliorum plantaginis, calendulæ, melissæ, verbasci, hyperici, centaurij minoris, pimpinellę singulorum m. 2. bis post quatriduũ macerationem, & expressionem abiectis, rursus accipies scordij, morsus diaboli, fœniculi, petroselini, buglossi, borraginis, anà m. 1. angelicę* D *parum: quibus dies totidem maceratis, expressis, & abiectis. Recipe radicum angelicę, dictamni, tormentillę, betonicę, & zedoariç, anà ʒ. ß. radicis cyperi ʒ. 3. nucis muscatę, cariophyllorum, anà ʒ. 1. seminis fœniculi, citri, acetosę, cardui benedicti, baccarum iuniperi, anà ʒ. 2. rasurę eboris, cornu cerui, ligni aloes, santali citrini, cinnamomi, anà ʒ. 1. croci ʒ. ß. predictum puluerem expresso liquori commiscebis, addesque mithridatij selectissimi lib. ß. theriacę veteris ʒ. 4. & in alembicum vitreum proijcies, & Iunij ardoribus sex, octo ve dies expones, donec ferueant, & perfectè fermententur, tandem fiat destillatio lento igne in duplici vase.* Præterea aquam nõ minoris efficaciæ efficies, si hæc omnia simplicia va- E se quodam vitriato cum aqua cardui sancti quindecim diebus fimo equino calente recoxeris: dosis trium sit vnciarum.

Puluis cardiac.

Pulueris autem cardiaci conditio talis est: *Excipe rasurę eboris, cornu cerui iunioris, margaritarum, anà ʒ. ß. ligni aloes, santali citrini, ossis de corde cerui, & seminis angelicę, anà ℈. 1. seminis fœniculi, coriandri preparati, anà ʒ. 1. foliorum menthę, plantaginis, verbenę, pimpinellę, anà ℈. 2. radicis tormentillę, betonicę, zedoarię, ana ʒ. ß. florum betonicę, calendulę, & genistę siccorum, ana ʒ. ß. sacchari rosati triplum, fiat puluis tenuissimus, dosis sit cochlear vnum initio pastus, & ante sudorifici cremoris haustum.*

Quibus sic consideratis, si sors tulerit, necessum esse ad inunctionem ex hydrargyro peruenire, non minori, sed longè exquisitiori diligentia corpus, & humores præparare opus erit, non solum sanguine misso, & expurganti medicamento, sed facta prius diebus

bus aliquot ante præparatione, & correctione homo rum venerea contagione infectorum. Nam cum per repulsum, vi & efficacia argenti viui factum, ad interiora viscera, & communes canales ex omnibus corporis partibus humores recurrere teneantur, vt sputatione, sudore, & alui fluxu excerni possint, necessum est, eorum venenum post purgationem, & sanguinis detractionem, frænare, & compescere alexipharmacis, quæ nuper diximus, aqua nimirum, & puluere cardiacis cum decocto medullæ guaiaci, summo mane sumptis. quominus membra principalia humorum contactu oblædantur. Sic corpus huic grauissimo auxilio nullo alio modo commodius dispones, quã per institutam sudationem. Quippe ab assumpto decocto guaiacino, antequam corpus pannis contegatur, ipsum inunges: nam guaiacum, alexipharmacum est argento viuo, & contagioni venereæ, & rursus ita sudando corpus aptè disponit, vt minori quantitate, præterquam quod minus lædatur, longè magis sputationem, sudorem, aut alui fluxum moueri comperies, idque minus molestè, & securius: nam citra guaiaci sumptionem, inunctiones ex hydrargyro minus tutæ existunt.

Eadem prorsus præparatione, excepto guaiacino decocto, corpus ad suffumigia parabis, sed longè cautius regeres, nam periculosior est curandi via. Qualiter autem ab accidentibus quæ superueniunt, corpus vindicabis, & quousque agendum est in huiusmodi auxiliorum administratione, inferius scriptum latiùs reperies.

CAPVT X.

De sudandi ratione, & sudatorijs auxilijs.

INter multa, & eximia auxilia, quibus medici antiquiores, ad quorum manus primo hæc lues peruenit, vtebantur, primum locum semper obtinuit sudandi munus, vt quod ex intimis, & extimis corporis partibus simul vim habeat radicitus veneream luem extirpandi. Et rursus inter omnia medicamenta, quæ huic vsui proficua inuenerunt, tanquam præstantius iuniores medici vnanimi consensu probarunt decoctum sarlæ parillæ, ligni guaiaci, & radicis Chinæ, licet alia etiam magni momenti reperiri possint. Sed antequam particularia hæc expendam, necessum est docere, sudationem in hoc affectu potius quàm in alio proficuam, & necessariam esse: nam cùm dictũ sit, vniuersam huius affectus rationem pertinere ad substantiæ vitium, tum iecoris, tum tertiæ corporis regionis, nullum aliud adinuenies auxilium, quo omnibus simul mederi possis. Sudor quippe vacuatio vniuersalis est, qua venosum genus, & tertia corporis regio sese ab excrementis exonerare habent: is namq; radicitus humorem, & corruptam substantiam conterit, & per insensilem halitum digerit. Verum cum fixas, altasque habeat hæc affectio radices, necessum procul dubio est, validioribus præsidijs, quibus in alijs morbis antiquitas vtebatur sudorem prouocare. Huius census est decoctum medullæ guaiaci, quod primas censeo in hac re tenere: atqui cum maior beneficij pars pẽdeat ex proba conficiendi forma, in hac re immorari oportebit.

Guaiaci decoctiones. In primis itaque duplex est decoctionis Guaiaci differentia: altera simplex, qua communiter vtimur, solum habito respectu ad veneream contagionem: alia rursus composita, quæ multiplex est, iuxta membri, aut affectus cui mederi intendimus, naturam, & differentiam. Hoc vnum tamen in ligno guaiaco obseruatissimum habeo, nimirum longè efficaciorem esse interiorem partem ipsius ligni, quam extimam, & ob id semper ea vti magis placuit, & feliciter cessit. Simplex tamen conficitur decoctum vario modo, prout laborans ætate, virtute, aut morbi vehementia pollet, vel è contrario. Sed communiter paramus *ex lib. ß. interioris ligni guaiaci rasi, & lib. 16. aquæ*, licet apud neotericos huic aquæ quantitati communiter adijciatur lib. 1. ligni: tamen hæc est differentia, quod ipsi tantum decoquere sinunt, quantum par est ad tertiam partem absumendam, nos autem decoquimus, donec tres partes absumantur: præterquam quod ipsi vniuersa ligni substantia vtuntur, nos autẽ solum eius interiori, & nigriori parte. Ex quo euidenter constabit, quòd quanto quis maiorem instituerit ligni copiam adijcere, minor longè præ requiritur coctio: quanto verò minorem, tanto maior, & sic iuxta ætatem, naturam, vehementiam, aut debilitatem affectus, licebit vehementius, aut debilius efficere decoctum: dummodo inter coquendum, vas sit adeo coopertum, quod spirare nihil possit, neque feruere adeo magna ebullitione, quod egrediatur spumosum aliquid. Modus autem præparandi est, quod *spatio viginti quatuor horarum madescat in aqua calida, & postea coctio fiat lento igne, & ante integram coctionem adde liquiritiæ modicum, seminis citri, fœniculi, radicis acetosæ, anà ʒ. 1. facta deinceps colatura in vase uitreo adseruetur.*

Secundo modo longè pretiosius, & vtilius, delicatis, ac fœminis, aut imbecillimis, & fastidiosis corporibus parabis, & non minus efficax, hoc modo: *Excipe pulueris nigri interioris guaiaci ʒ. 9. vuarum passarum, glycyrrhizæ, seminis cardui benedicti, anà ℥. ß. rasuræ cornu cerui ʒ. 1. macerentur horis viginti in libris tribus aquæ tepentis in vase nouo diligenter luto chymico obsignato, deinceps in duplici vase feruefacito ad minimum horis decem, & vsui post colaturam adserua, cuius decocti ad ℥. 8. vsque porrigere poteris.* Eisdem etiã corporibus idem decoctum pretiosius hac lege parabis: *Excipe interioris guaiaci subtilius rasi lib. 1. & ß. aquarum buglossæ, borraginis, & arteticæ per instillationem extractarum lib 5. seminis fœniculi ℥. ß. cinnamomi ʒ. 2. madescant, & calfiant leniter per horas quadraginta, & postea facta colatura vsui adserua.* Aliud etiam non minoris momenti, & efficaciæ, sed longè suauius conficies decoctum, *si aliquod ex prædictis instillaueris post coctionem cum pulueribus anisi, & glycyrrhizæ per mortarium lapideum:* quippe efficacius redditur ex mora infusionis, & suauius ex colatura e *quorum ad ℥. 8. porriges.* Item *ex omnibus prædictis in duplici quantitate exhibitis, cum lupulis, cum rasura buxi arboris, aut pini, & semicoctis stillatitiam aquam per duplex vas, aut in balneo Mariæ parabis, cuius noctu ℥. 3. cum laborans it dormitum, porriges, & summo mane quatuor,* siue sudorem concitent, siue secus, magni fore momenti in Gallica curatione comperies. Solent insuper vulgares medici aliud parare decoctum robustis, & pituitosis corporibus proficuum, confectum quidem *ex vino, & ligni maiori copia, & transacto tantum leuissimo feruore,* nam vinum vi sua calidissima, & substantiæ tenuitate, facilè guaiaci vires susceptat.

Sed compositum parabis decoctum ad coniunctos cum venerea lue affectus varijs modis: nam sic ad veneream podagram adijcies hermodactylos, & iuam arteticam: ad paralysim decoctis addes saluiã, maioranam, stœchadem, anisum, fœniculum, & mellis modicum: in iecoris affectionibus addes agrimoniam, radices diureticas, & cichorei, hordeum, & rosas: cui affectioni tutissimum erit, & maximè in distemperie calida ipsius iecoris, ipsum decoctum efficere in aqua stillatitia cichorei, aut vniuersum decoctum per alembicum instillare, quod mirabilis est efficaciæ. Splene verò vinoso, decoctum parabis addito scolopendrio, borragine, lupulis, & floribus. Sed in gratiam ventriculi affecti addes absynthium, mentham, nardi spicam, lignum aloes cum aniso, & fœniculo.

niculo. In thoracis verò affectionibus, decocto addere oportet carduum sanctum, radicem quinque folij, iuiubas, prunas damascenas, passulas sine granis, violas, capillum veneris, & liquiritiam. Cæterum vt exemplo sit: *Excipe rasuræ interioris guaiaci lib. ß. corticis eiusdem triti* ℥. 2. *macerentur horis 24. in lib. 6. aquæ, & in coctionis fine consumpta medietate, adde polypodij quercini, & glycyrrhizæ, anà* ℥. ß. *granarum iuniperi, seminis cardui benedicti contusi, anà* ℥. 2. *scabiosæ, capillorum veneris, florum stæchados, & anthos, anà p. 1. mellis optimi* ℥. 3. ac si humor crassius fuerit, ad de *succi laseris* ℥. 1. *cuius ad* ℥. 7. *vsque porriges.* Quod si etem extergere, & expurgare ab scabie velis, fumariam addere erit operæpretium: quæ omnia si quis diligenter animo pensitet, quæ veluti aliorum exempla tradita sunt, facilè iuxta affectus, & partis affectæ naturam, decoctum parare poterit. Item pro ratione peccantis humoris: nam biliosis addes quæ bilem frenent, & melancholicis quæ melancholiam: sic illis addes arnoglossum, agrimonium, flores cordiales, & alia id genus: his vero epithymum, polypodium, thamarindos, myrobalanos, & pruna damascena, ac fumariam, & lupulos: sic & pituitosis aristolochiam, & gentianam, & mellis modicum. Ac licet potui aquam parare assueuerint Medici ferè omnes, scobe iterum decocta, quia ingrati efficitur saporis, hac lege parato: Excipe *rasuræ guaiaci lib. ß. glycyrrhizæ* ℥. 1. *passularum* ℥. 2. *macerentur in decem libris aquæ, & postea coquito ad consumptionem duarum librarum.*

Dimitto etiam hac in parte consultò ligni guaiaci naturam, & electionem; sat enim est nosse, ponderosum, pingue, & subnigro colore insignitum præstantius esse.

Sarsæ parillæ decoctiones. Ex sarsa parilla consimili modo variæ fiunt decoctiones non minoris momenti, quippe hæc ex vno trunco numerosa sobole in diuersas degenerata, maximis viribus pollet in lue venerea extirpanda: nam tantam in eius viribus inuenerunt neoterici efficaciam, vt existimauerint minorem eius quantitatem plus posse in prouocandis sudoribus, quàm maiorem ex ligno guaiaco. Habet enim eius decoctum lentoris cuiusdam nonnihil, quo viscerum primigenium fouere videtur, & siccitatem illorum præpedire. Quippe ad hominem relata, vel temperata videtur, vel secundi gradus initium non transcendit: nam potius partium tenuitate quam caloris vi aperire, ac sudores mouere conijciendum est. Sic profectò doloribus, vlceribus, tumoribus Gallicis, & omni eius fluxionis forti exiccandæ proficua existit, dummodo iusta eius quantitas non excedatur: & ob id lib. 10. aquæ tantum addunt ℥. 4. ipsius, facta decoctione ad consumptionem medietatis, quam censemus esse communē decoquendi rationem. Ego tamen in hac re existimo, posse iuxta hanc quantitatem sudorem quidem prouocare, vt decoctum ligni guaiaci, cæterum malū ita radicitus extirpare non item, nisi in imbecillioribus, & fragilibus corporibus. Ob id quidem maiora opera guaiaci decoctum efficere habet, & robustioribus corporibus proficere, quam sarsa parilla. Sed huius medicamenti decoctum variè quis parare poterit, prout maiorem, vel minorem efficaciam in eo requirere studuerit: addita nimirum maiori quantitate sarsæ parillæ, vel facta maiori decoctione, vel præstita minori aquæ copia. In quo etiam decocto consimiles compositiones efficere possumus eis, quas adduximus de guaiaco. Sed præter communem coquēdi modum, etiam paratur hac lege: *Excipe sarsæ parillæ* ℥. 2. *& ß. frustatim dissectæ macerentur horis duodecim in lib. 4. purissimæ aquæ, deinde coquantur igne remisso, vase probe obturato, dum pars media exhalarit, & decoctum colo transfusum vsui seruetur.* Parabis etiam hac lege: *Excipe sarsæ parillæ* ℥. 4. *comminuantur,* A *& contundantur probe in lib. 7. aquæ in vase probe luto obsignato, vt nihil expiret, & coquantur in duplici vase octo horarum spatio, & facta colatura vsui serua.* Item efficacius, & pretiosius decoctum conficies, si exceperis sarsæ *mediocriter tostæ lib. ß. contundatur in mortario ita accuratè, vt cum aliquo ex prædictis decoctis, cremoris aliquid prælo extrahatur, cuius porrige* ℥. 4. *aut quinque.* Parabis etiam non minoris momenti decoctum his, qui iecur, aut vniuersi corporis temperiem calidam habent, in aquis factum stillatitijs ex buglossa, borragine, & cichorio. Præterea si efficacius, & gratius efficere libuerit, ℥. 6. *sarsæ in lib. 10. aquæ ad dimidias coquito cum glycyrrhiza, aniso, aut fæniculo, vel quouis alio medicamento, quod partem affe-* B *ctam respiciat, postea in mortario lapideo percolare sinito, quorum omnium ad* ℥. 8. *vsque porrigere poteris.* Item compositis affectionibus eadem lege, quam de guaiaco adduximus, decoctum parare probe poteris.

Radicis Chinæ decoctiones. Verum de radice Chinæ aliter sentiendū est, quippe in minori quantitate maiores suppeditat vires, quàm quoduis aliud ex prædictis pharmacis. In qua re existimo id non fieri, quod plus possit in eradicanda venerea contagione, quàm lignum, aut sarsa parilla, sed ex eo, quod rarioris, & spongiosioris sit substantiæ, quæ promptè vniuersas suas vires transmittit in aquam, & ob id minori opus est quantitate, aut longè minorem coctionem patitur, vt vniuersa eius vis C in aquam transeat. *Sat enim est* ℥. 1. *& ß. aut ij. decoquere in lib. 8. ad consumptionem tertiæ partis, vel medietatis.* Dilutius tamen vel efficacius efficere poteris, imminuta aquæ quantitate, vel facta maiori, aut minori coctione, iuxta laborantis indigentiam, aut vires. Eam tamen eliges, tanquam vtiliorem, & efficaciorem, quæ rubri est coloris, & aquam reddit vini nigri dilutioris persimilem. Simili quoque modo eius decoctum conficere studebis, iuxta leges superius adductas, & eisdem omnino modis. Silentio tamen breuitatis gratia prætereo huius, & reliquorum medicamentorum, quæ sudorem mouent, historiam, & vires, nam mihi hac in parte solum in animo est, vtendi modum docere.

Decoctiones omnium trium simul. D Præter prædictos decoctionum modos, expendisse oportet, alios non minus vtiles, & fidissimo, ac diutino experimento probatos reperiri, quibus tutò quis vti poterit, ex omnibus his medicamentis confectos: quippe ex guaiaco, sarsa, & China debitè decoctis, ita efficax efficitur, & vsui proficuum alexipharmacum, & sudatorium, vt plures, quos neutrum illorum per se valuit ad sanitatem perducere, hoc solo restitutos comperiamus. Sic profectò *excipies ligni* ℥. 6. *sarsæ* ℥. 3. *radicis Chinæ* ℥. 1. *& facta 24. horarum spatio infusione in lib. 16. aquæ ad medietatem coquito:* cui adijcere pari ratione poteris ea medicamenta quæ parti affectæ, aut affectioni, iuxta adductas leges vsui proficua constiterit: qua decoctione per alembicum in- E stillata, mirum in modum prodeais, vel *si eiusdem decoctionis* ℥. 3. *dormituro dederis.* Vel sarsæ, aut ligni, vel Chinæ maiorem, vel minorem quantitatem adijcies, aquæ imminues, aut adaugebis copiam, pro laborantis indigentia, & temperie. Sed inter omnia medicamenta id mihi semper vtilius visum fuit his, qui horrorem decoctionis horum medicamentorū fugere studuerunt, q. ℞. *ligni guaiaci lib. 1. sarsæ lib. ß. radicis Chinæ* ℥. 2. *incidantur omnia in minutissimas partes, & lignum in puluerem redigatur in lib. 10. aquæ feruentissimæ, & bulliant leuiter spatio vnius horæ postea in colatorium lapideum prouciantur, donec omnino liquor instillet, cuius cum modico cinnamomo, aut aniso* ℥. 4. *aut 5. porrigere poteris.* Ex eadem quoque infusione, *additis theriacæ, & mithridatij, anà* ℥. 3. *cum herbis floribus, aut radicibus affectioni, aut membro affecto proficuis, instillatitiam aquam per alembicum extractam*

tractam potes efficere, cuius ℥.6. calidæ mane sumptæ magnos solent mouere sudores, & radicitus malum extirpare: *porriges horum omnium ad ℥.8.*

Alij non pauci reperiuntur sudationis modi: cæterum non agunt vicem alexipharmaci, sed tantum sudorem mouent: huius naturæ est syrupus sancti Ambrosij, *q.ij. mellis p.1. coquatur in lib.1. & ß. aquæ pluuialis, usque ad eius crepaturam, postea adde vini albi veteris tertiam partem, bulliant parum, & colentur.* Instillatio etiam non minoris momenti elicitur hac lege: *Excipe radicis bryoniæ, enulæ campanæ, florum roris marini, & fumariæ recentium, ana lib. ß. theriacæ ℥.4. omnibus commixtis atque contusis, in massa farinæ triticeæ inuoluantur, & coquantur in furno, postea minutim frangantur, & instillentur.* Experimento etiam fidelissimo confirmatum reperi, decoctum serpentum (quæ apud Hispanos vocantur culebras) vtilissimas mouere sudationes, quibus radicitus sæpissimè conteruntur reliquiæ huius contagionis, & maximè si ligni vel sarsæ aliquid addideris: abscindes quidem capita, & caudas serpentum, licet viuos decoxerint empirici ois vtentes. Censeo quidem in Gallicis doloribus, tumoribus, & vlceribus, vbi inueterata fuerint, magni fore momenti huiusmodi decoctionem, maximè si ex ea, & reliquis quæ diximus, instillationem parateris, cuius modicum cibis admiscebis in his quibus diu inueterauit malum, aut doloribus podagricis cōplicatum est.

CAPVT XI.

De inunctionum differentijs morbo Gallico proficuis.

FRequentius tamen adhuc nostra ætate Medici omnes, quantumuis timidi, aut cautiores sint, inunctionibus vtuntur, quia experimento didicerūt, ferè omnibus profuisse: nam his, quibus nullum aliud auxilium præstitisse didicerunt, hoc solum præsidium attulerunt. Quamobrem, quò res aliqua vtilior & difficilior sua natura est, eò oculatius expendenda venit: & ob id de inunctionum natura, & vsu paulo diligentius agere institui. Sed, vt rem à primis principijs aggrediamur, expendisse oportebit, in quo potissimum consistat vis, & efficacia inunctionum: quibus modis componi, & efformari debeant: quibus corporibus adhibendæ sint, quousque, qua rursus lege, & methodo.

Circa primum, ex communi omnium medicorū consensu constat, totam inunctionum vim in argento viuo sitam esse, quantumuis venefica, & maligna qualitate polleat, nam eius perniciem, & venenatam conditionem retundunt medicamenta, quæ illi admixta frænum, & attemperamentum præstant, quibus ab eo separatur quidquid lethale exibit, nisi imprudenter eo vtaris. Nam pleraque malorum, quæ authores referunt nostris corporibus præstare, solum per se adhibitum habet efficere, medicamentis vero quibus inunctiones constant admixtum, ea bona quæ mox referam molitur: nam eius mobilitatem impedit, & compescit oleosa, & pinguosa substantia, quibus necessario ad inunctiones efficiendas admiscetur. Obtunditur enim vis, & aptitudo ad motum, mediante pinguedine, aut in minutissimas partes dissecatur præparatione necessaria. Nam præparatur æstiuo sole, & humana saliua, dum sæpius in mortario agitatur: appellant medici argentum viuum extinctum. Qua sanè præparatione fit, vt minus præponderet, quia plurimum attenuatur, & ob id ad plures partes peruadit: quo fit, vt vni nocere non possit, quemadmodum dum citra præparationem corpori adhæret. Nam si aut cor, aut neruos lædere conspicimus, eius frigiditatem demimus, & attemperamus ea bdis medicamentis, quibus admiscetur. Vltimò facultatem, vim & robur, & spirituum tremorem roborantibus, & quodammodo adstringentibus medicamentis, quorum vim intus permanentem præcauet hæc mistura, & expulsionem humorum quodammodo iuuat. Cum hoc tamen non ita parui momenti res inunctio est, si indiscriminatim, vtcunque, & sicut ab auctoribus vulgariter scribitur, cuiuis adhibeatur. Quippe sicut huius auxilij vis in salute reparanda maxima est, ita profectò non minor existit in eadem conterenda. Hydrargyrum itaque (vt quisqua sciat qualis naturæ sit præsidium hoc) non modo calidorum humorum feruorem, atque impetum coercere, obtundere, siccitatem attemperare, & malignitatem cohibere natum est, sed etiam calida, ac sicca viscera ita humectare, atque refrigerare potest, vt quam paucissimum bilis deinceps congerāt. Quo fit, vt tutò omnis generis scabiem demulceat, atque pruritum compescat, impetiginem, psoram, lichenas, lepram, & alia huius naturæ radicinis euellat. Præter hæc bona quæ præstat, non caret ingenti maleficio, nisi quis cautè, & prudenter eo vtatur: nam occulta proprietate caput petit, ita vt immodicas defluxiones, atque sputationes molestissimas moueat, & infestissima alui profluuia: fundit enim atque liquefacit non solum pituitam, sed & ipsarum solidarum partium substantiam, vt ex eis proprium, & peculiarem humorem eliciat, atque expurget: quod licet venefica qualitate efficiat, proficuum tamen & summoperè necessarium corpori venefica contagione affecto existit. Quo fit, vt scirrhos emolliat, atque resoluat, dolores omnes, tum calidos, tum frigidos mitiget, hoc propria frigiditate, omnes vero purgatoria vi qua pollet, ob sulphuream, & humidam etiam vim qua pollet, quantumuis contraria videantur, ita vt vel extremis illitum partibus omnia quæcunque intus delitescunt, moueat, colliquet, ad os, ventrem, aut cutem vi & impetu incredibili pellat. Cum hoc tamen inter omnia hæc bona quibus prudenter, & à perito artifice præstitum abundat, adeò perniciosæ est naturæ, vt si indistinctè, aut temerè alicui adhibeatur, facilè grauissima mala, & mortem accersat, ita vt veteribus iure optimo inter venena habitum reperiamus. Nam cum vim habeat purgatoriam ingentem, tam supra, quam infra, siue intus sumatur, siue extrinsecus applicetur, verendum est, ne in lethalem superpurgationem ob ingentem vacuationem degeneret. Quippe quidquid sensim colliquat, vndique primum in vētriculum, deinde in fauces, ac denique in os regerit, vt continua mucosi sputione excernatur per vacuationem diuturnam, ita vt & carnes, tendines, & vsque ossa lædere sit natum.

Quapropter nouiter, & vtiliter alia à vulgari vtendi norma adinuenienda est, qua securius eius beneficio miseri laborantes frui possint, & non solum quæ ab hydrargyro creari solent pericula declinentur, sed etiam reuersionis metus omnis tollatur. In primis præmissa debita corporis (vt superius dictum est) & humorum præparatione: item ante huius auxilij vsum, apozemate simul sudatorio, & expurganti quindecim, aut viginti diebus præmisso (nec mireris, si dixerim quod alibi negaueram, nimirum sudatorio, & purganti vtendum esse præparatorio, cum videatur moribus contrarijs, & naturæ aduersis, ipsam & humores agitare: nam in hac curatione, sicut hydrargyrum id effecturum speramus, pari ratione anteire oportet præparationem) inunctionem aggredieris, singulis diebus quinta, sexta ve hora ante meridiem, cremore, aut decocto sudatorio sarsæ parillæ, aut guaiaci sumpto, ægrum iuxta ignem iungi curabis. Primo quidem die pedes, crura, & brachia tantum: secundo vniuersam dorsi spinam ad scapulas vsque, cauens diligenter caput, ceruicem, & anterioris thoracis partes: *conteres autem in vnaquaque vnius diei*

vnctione vnguenti ℥. 1. & ad summum ℥. 1. & ß. Inun- A cto corpore, pannis probe contegere expediet, donec medietatis horæ spatio sudauerit, plus, minusve, iuxta corporis robur: nam si vires aliquo modo lapsæ fuerint, ab incepto sudore desistendum, & ægrum calido, & nouo linteo inuolutum aliò mutabis, ac si sudor iterum emanauerit, finito viribus recreatis profluere, dummodo corpus linteis frequenter exterges, quominus exoluatur. Quòd si citra sudatorium volueris vnctionem facere, non errabis, dummodo id efficias in robustis corporibus, aut in vetustis affectionibus, quibus sudationes non profuerunt, in quibus maiorem vnguenti quantitatem consumes, aut vim eius adaugebis.

Qua sanè curandi ratione vteris tribus, quatuor, B quinque, aut sex diebus, plus minusve, prout laborans tulerit, & postulauerit affectio, ac mox ab inunctione desistes, ne copiosior fiat humorum profusio, ac si fortè fuerit, non protinus cohibenda, sed vires roborandæ sunt, quo possint immodestiam vacuationis perferre, donec ex toto virulentia mali euanuerit. Verùm si euacuatio humorum non ita ex voto succedat, singulis diebus, aut tertio quoque die, vel sudatorium aliquod porriges, vel expurgans cum guaiaco, vt si quid vi argenti commotum est, antequam aliò commigret, excernatur. Expende tamen, quod si vel laborans resolutioni sit facilis, vel corpus rarum, & facilè obsequens, sat erit tunc alternis diebus inungere, alternatim porrigens sudatoriam, aut purgantem C potionem, vel aquæ cardiacæ ℥. 2. Quod si durius corpus sit, sexies, aut octies, vel decies per interualla inter vnam, & alteram sudationis diem inunges, quo & securius agas, & radicitus humorem reuellas. Nam interim dum laborantes ex guaiaco sudant, inungere, mihi tutius, & vtilius semper visum fuit. Verùm si doloribus, aut articulorum impotentia laborantem premi videas, tunc quidem die intermedio inter vnam, & alteram inunctionis diem, mane articulos, ceruicem, & dorsum inunges oleo ex saluia arte chymica extracto, cum medulla ceruina aqua vitæ sæpius lota: idem beneficium præstat stillatitius ex theriaca, aut mithridatio liquor: consimile bonum infert vaporatio per æstuariolum arte factum, quo laborans sese D cooperiat, suscepta ex herbis aqua incoctis, è quibus per tubulum ad æstuarioli alteram partem vapor excurrat. Itaque tanto hæc curatio tutior erit, quanto longior, ita vt mihi semper visum fuerit, inunctiones quæ parum argenti recipiant, ad quindecim, aut viginti dies vsque continuare, ne quæ supersunt fermenti veteris vestigia, reuersionem morbi iterum efficiāt, ac ne symptomatum sæuitia longè deterior ex imbecillitate, & partium corruptione supersit laborans, quam ante curationem: nam hæc bona non nisi sensim, & pedetentim in lue venerea fieri posse, vsus, & ratio docuerunt: secus res se habet in robustis, & ruralibus hominibus, quapropter non omnino damnāda est consuetudo, quæ in hospitijs de more est, nam E corpora quæ in eis curanda suscipiuntur, facilè tolerant maiorem hydrargyri quantitatem, qua citius se à morbo, & laboribus eruunt.

Sed inunctiones variè apud chirurgos parantur, ac licet omnes consimilem habeant vim, & efficaciam, nihilominus tamen ex vsu erit, iuxta corporum & naturarum varietatem, & morbi inclementiam, & pertinaciam, varias quoque hac in parte recensere, vt quisque pro singularis corporis indigentia, vtiliorem eligere possit. Prius tamen quam hæc aggrediar, ediscere oportet, qua nam ratione hydrargyrū, & pinguedines præparentur, vt tutius maior adhuc quantitas adhiberi possit. *Hydrargyrum itaque primò aquis succi saluiæ, & aceti partibus maceretur, deinde sublimati momentum adiicito, diu agitando, tandem sinito, vt abiecto inquinamento, sincerum relinquatur.*

Præterea ipsum præparabis *vino fuluo cum aromatis, transacto illo feruore, adiectis ad finem sale, & aceto: deinde per pellem subactam percoletur:* multi etiam & frequentius humana saliua præparant. Item *hydrargyri lib. cum sublimati ℥. 2. & aquæ fontanæ lib. 3. rudicula diu agitatur, vt quidquid plumbi continuerit, in aquam deponat, qua effusa, purissimus deprehenditur, & longè purior apparebit, si id sæpius efficeres, imminuitur enim hydrargyri quantitas, maximè si vltimo loco, stillatitio saluiæ liquore, aut ipsius succo abluatur.* Assungiam verò, vt vsui proficuam efficias, hoc modo præparato: *Excipe saluiæ, betonicæ, stœchados, origani, menthæ, sampsuchi, roris marini, chamæmeli, & lauri, anà p. 1. radicis calami aromatici, baccarum lauri, & iuniperi, anà ℥. ß. aquæ vitæ lib. 1. succi saluiæ, & ebuli, anà lib. ß. assungiæ suillæ recentis lib. 4. ferueant in vase angustiori, dum aqua, & succi spirent, assungia vero deinde torculari exprimatur, & vsui seruetur.*

His suppositis, primam compositionem sic efficies, præsertim si laborantis natura frigida sit: *Excipe argenti viui præparati ℥. 2. assungiæ porcinæ, vnguenti Marciaton, & dialthææ, anà ℥. 3. olei mastichis, de theriaca, & de lauro, anà ℥. 1. thuris, & mastichis quod sufficiat vt fiat linimentum.* Aliud item parabis ex helenio, eisdem naturis vtile, q. ℞. *argenti viui ℥. 4. succo saluiæ, & tantillo terebinthinæ admisce, deinde adde assungiæ suillæ præparatæ lib. 1. radicis helenij coctæ in hydromelite contusæ, & colatæ, & butyri sine sale, anà lib. 1.* Aliud etiam eisdem naturis proficuum conficies, q. ℞. *hydrargyri ℥. 4. cum olei amygdalarum amararum ℥. 3. permixtas mucaginis seminis fœnigræci extractę aquę vitę, assungię pręparatę, butyri recentis loti in succo saluię, anà ℥. 3. mucago, assungia, & butyrum coquantur ad linimenti crassitiem, deinde oleum amygdalarum admixtum argento viuo addatur cum moschi gr. 6.* Calidis verò naturis id proficuum institues, q. ℞. *butyri sine sale, olei rosarum, adipis hædi lactantis, anà lib. ß. argenti viui ℥. 3. confingito.* Præterea temperatis naturis sic vtile parabis, *butyri recentis sine sale, adipis suilli, anà lib. ß. argenti viui pręparati ℥. 2. & si adeps, & butyrum* vino albo, & saluiæ succo eluantur, argentum viuum deinde adijcito, & sedulo misceto cum mosci granis tribus. Quòd si corpus pruriginosum sit, & scabrum, *excipe radicis helenij, acetosę, oxylapathi, anà ℥. 2. morsus gallinę, fumarię, chelidonij, anà m. 1. coquantur in hydromelite, & tusa omnia colo transmittantur, & adde argenti viui oleo rosaceo permixti ℥. 4. butyri recentis ℥. 8. adipis capreoli adhuc lactantis, olei amygdalarum dulcium lotarum in succo fumarię, anà ℥. 2. & fingito linimentum.* Aliæ autem reperiuntur apud omnes scriptores communes compositiones, quas moderari, & vsui securiores efficere, atque hac in parte scribere placuit: quarum prima ℞. *hydrargyri extincti ℥. 4. olei veteris ℥. 4. olei thuris ℥. 2. olei mastichis, & laurini, anà ℥. 1. pinguedinis porci ℥. 3. cerę virginis ℥. 2. dialthęę ℥. 1. thuris, mastichis, sagapeni, anà ℥. 1. terantur, & liquentur singula iuxta cuiusque naturam, & fiat linimentum: cęterùm hydrargyrum admiscetur frequentissima agitatione, dum ab igne cętera separare studemus.* Aliud linimentum ℞. *pinguedinis gallinę, & assungię porcinę, & vrsi, anà ℥. 4. olei liliorum alborum, & laurini, anà ℥. 4. pinguedines non eliquentur, sed diligentissimè in mortario agitentur, ac sensim addatur hydrargyrum, facta agitatione spatio duarum horarum, & postea addere oportet pulueris thuris, mastichis, myrrhæ, ammoniaci, styracis, saluiæ, stœchados, lithargyri, & cerusæ, anà ℥. ß. qui pulueres sensim infundantur facta maxima agitatione, donec ad linimenti formam omnia redigantur.* Aliud autem linimētum vulgare in hospitijs paratur, q. ℞. *assungiæ porcinæ lib. 1. olei chamæmeli, & irini, anà ℥. 3. terebinthinæ, & resinæ, anà ℥. 1. ceræ parum, argenti viui extincti in succo limonum ℥. 4. fiat vnguentum.* Aludi etiam non mino-

minoris momenti, & maioris efficaciæ reperies, q. *℞. vnguenti Marciati, & Aragon anà ℥. 1. axungiæ porcinæ lib. 1. olei chamæmeli, & anethi, anà ℥. 1. olei laurini ℥. 2. argenti viui extincti in succo limonum ℥. 5. resinæ, & terebinthinæ, anà ℥. 2. fiat vnguentum.*

Sed inter omnes inunctiones quas hucusque legere potui, aut experimento probare, ea mihi semper visa fuit tutior, & vtilior, quæ & hecticis corporibus, & pueris hac lue affectis, ac omnibus ferè vtilissima, & proficua fuit, & leniè, ac innocuè magnum præstitit omnibus beneficium: nam & sola corpori adhibita, & interim dum laborantes sudant, & dum apozemate purgatorio viuntur, semper proficua fideliter inuēta est: huius autem descriptio talis est: *Pinguedinis porci pluries aqua fumariæ ablutæ lib. 2. butyri vaccini recentis abluti aqua vitæ, & fumariæ ℥. 9. axungiæ anatis, gallinæ, & anseris sæpius prædicta aqua lotæ, anà ℥. 2. & ß. pinguedinis vrsi, pinguedinis equi, & pinguedinis hominis, anà ℥. 3. & ß. pinguedinis serpentis ℥. 2. pinguedinis taxi ℥. 1. dialthææ lib. ß. theriacæ Andromachi ℥. 4. olei lauendulæ ℥. 2. & ß. olei hypericonis, & laurini, anà ℥. 1. & ß. vnguenti Agrippæ, vnguenti Aragon, & vnguenti Marciati, anà ℥. 4. pulueris mastichis, & sandarachæ, & thuris, anà ʒ. 7. pulueris ligni aloes, macis, cinnamomi, cariophyllorum, anà ʒ. 4. pulueris stœchados, maioranæ, saluiæ, anà ʒ. 7. pulueris radicis smilacis asperæ ℥. 1. & ß. pulueris visci quercini, & roris marini, anà ʒ. 7. euphorbii præparati cum succo limonū, & succo citri, & granorum eius, oleo violarum, & amygdalarum dulcium, & puluerizati subtilissimè ʒ. 11. postea addatur argenti viui extincti cum saliua hominis, gummi, succo limonum, & oleo violaceo, vel cum dialthæa,* (pro pueris, & hecticis corporibus) *℥. 3. pro reliquis vero ℥. 6. & fiat linimentum ad vnguenti formam.* Quo sanè medicamento tanquam mitissimo, & securissimo vti liberaliter possumus in quouis venereæ contagionis affectu.

Verùm ne quis illotis manibus, & citra debitam considerationem, vsum horum auxiliorum aggrediatur in quouis gallico affectu, expendere oportet, axungiam, præter beneficium superius dictum, doloribus conferre, & papulis, quia digerit, & mitigat: olea quidem conferunt, quia rarefaciunt, ac digerunt etiam. Cæterum hæc calida esse oportet, vt dolores mitigēt, sudores euocent, ac per insensilem halitum quoque digerant. Sic laurino oleo frequentius vtimur, dum scabies viget, in papularum copia vnguento Marciato, quia partes in tumorem eleuatas digerit: adstringentibus vtimur, ne plurimum penetret argentum viuum, præterquam quòd facultatum dispendium interdicunt: alexipharmaca verò & aromata permiscemus, ne virulenta contagio membra principalia oblædat: ob id non parum errant qui solis axungijs, & pinguedini admiscent argentum viuum, nam licet citiùs operetur, grauiùs tamen offendit.

Verum quia ex hydrargyro vacillant plerumque dentes, nigricant, & os tetrum spirat odorem, his omnibus subuenire oportet, & primo dētium motui hoc præsidio, q. *℞. coralli rub. granæ finissimæ, sanguinis draconis, lapidis hæmatitis, mastichis, gummi iuniperi, margaritarum non perforatarum, acaciæ, latii, balaustiarū, anà ʒ. 2. aluminis ʒ. 3. mellis rosati ℥. 4. aceti scyllitici ℥. 2. succi plantaginis ℥. ß. confice vnguentum, & adde musci, & ambræ, anà gr. 2. cuius in linteo noctu aliquid dentibus appones:* mane tamen ablues hoc decocto, q. *℞. aquæ capitum rosarum, & plantaginis, vini stiptici, anà ℥. 3. aquæ ferrariorum lib. 1. mastichis, thuris, radicis vtriusque consolidæ, rhois, granorum, myrti, rasuræ guaiaci, anà p. ß. coquantur, & os collue.* Idem facies, si acceperis quantum par sit, prædictorum puluerum, & cum candido oui linimentum formaueris, dentibusque, & gingiuis in linteolo adhibueris. Dealbabis igitur atque firmabis dentes, eo q. *℞. succi limonum*

A *℥. 3. in vitreo vase ponatur: cui adde aluminis vsti ʒ. 3. & linteo exasperante in hoc succo madido dentes confricentur;* idem facit id quod *conficitur ex melle, & sale æquis portionibus, atque ad soliditatem feruefactis; quibus in puluerem redactis vtere, ac mox os ablue aqua vitæ, aut decocto prædicto.* Dealbat etiam mirum in modum dentes aqua, q. *℞. aristolochiæ viridis, succi limonum, anà ℥. 6. aquæ vitæ ℥. 3. aceti fortissimi, & mellis virginei, anà ℥. 3. prasii viridis ℥. 1. & ß. pumicis marini, coralli rub. pulpæ ossis sepiæ, anà ʒ. 2. puluerizentur, & pistentur, vt in alembico instillari possint.* In qua re est expendendum, primam instillationem inutilem esse, reliquas vtilissimas: quibus vteris, dentibus prius fricatis panno aspero, & postea stylo ex pi-
B no aqua madefacto ipsos extergito: ac postea eodem linteo absterge. Fœtorem autem compesces, si *acceperis panem recenter coctum, & crebris foraminulis excauatum infunde in lib. 2. vini albi odoriferi, florum roris marini, & lauri, anà p. 3. mellis virginei ℥. 6. myrrhæ ℥. 1. misce, & per alembicum instilla, & os instillatione collue.*

CAPVT XII.

De Gallicis suffumigijs.

ALtera rursus sudandi ratio (quam aliquando plurimum inualuisse comperimus per suffumi-
C gia factam) hodierna die spontè ab vsu recessit, quantumuis huius auxilij aliorum affectuum gratia frequētiùs meminerint prisci illi medicinæ parentes, & nos etiam lib. nostro de recto præsidior. artis medicæ vsu, capitibus de sudandi ratione, & purgantibus per sputum. Verum ne videatur huic tractationi quidquam deesse, placet hac in parte suffumigiorum vsum scribere. In qua re expendere oportet, quòd licet antiquorum suffumigia mitissima admodum sint, Neotericorum tamen quæ reperiuntur, tam sæua, & periculo plena existunt, vt vix prudens, & cordatus Medicus eis vti tutò possit. Nos tamen tutioris doctrinæ gratia, mitissima suffumigia adducemus, & ex valentioribus aliqua, vt quis pronunciato periculo, cum timo-
D re eis vti discat. Sunt tamen suffumigiorum duo genera: aliud generale, quod toti corpori debemus: aliud vero particulare, cum tantum vnius partis vitiū respicere studemus. In omnibus tamen suffumigijs cauere oportet omni diligentia, & studio, ne laborās in animi deliquium prolabatur. Secundò vero expendisse oportet modum, & confectionem suffumigij. Iuxta primum, corpus purgatione præmunire oportet, & his omnibus quæ antea diximus capite de præparatione. Ante suffumigium tamen reficere laborantem oportet, si biliosus sit, sacharo rosaceo. Verum si ventriculum sortiatur imbecillem, offa vini, vel duobus sorbilibus ouis, ad quorum pensum diligens medicus reliquis accidentibus quæ præsentia
E sunt, aut futura pertimescit, prouidebit. Præterea contegere oportet corpus pannis vndique circunductis, ne suffumigij vapor in aerem externum expiret, sed vniuersus à corpore suscipiatur, dummodo caput, & nates præcaueamus, quominus suffumigium degustent, nam suffocatione, vel alijs grauissimis accidentibus periclitabitur homo. Præterea non diu persistē dum est in suffumigio, saltem prima die, sed donec corpus quodammodo incaluisse videatur: & sic sequenti die immorabitur plus laborans, præcauentes, ne adeò persistat, vt animo deficiat, aut aliquo symptomate corripiatur. Cessandum præterea à suffumigijs eo tempore est, quo vel spuerit sufficienter laborans, vel sudauerit, vel pro viribus aluum habuerit solutam. Neque omnes has vacuationes in vno laborante expectare, aut mouere oportet, præsertim si accidentia quæ vires prosternant, supercrescant. Sed

vtcun-

vtcunque suffire studueris, siue partem aliquam, siue A totum corpus, idem reperies suffumigij genus in duo tantum genera partitum: in vehemens nimirum, & in leue: leuium autem suffumigiorum duplex reperitur descriptio, vtraque vtilissima, quarum prima ℞. *thuris, mastichis, aloes, myrrhæ, anà ʒ.1. cinnamomi, styracis, spicæ, nucis muscatæ, anà ʒ.ß. carabe ℥.ß. musci gr. 4. ex quibus tritis cochleare vnum super ignitos carbones proiice.* Secunda vero ℞. *santalorum omniũ, anà ʒ.1. nucis muscatæ, maceris, schenanthi cariophyllorum, camphoræ, asari, anà ʒ.ß. carabe ℥.ß. terantur, & addita terebinthina fiat pastillus, ex quo fiat pilula ʒ.1. quæ supra carbones proiecta fumum expiret.* His duabus addere placuit tertiam non minoris momenti, q. ℞. *styracis, belzoini, ligni aloes, galliæ muscatæ, anà ʒ.* B *ß. gummi hederæ ʒ.1. ladani ℈.2. schenanthi, & cinnamomi, anà ʒ.ß. animæ, & carabe, anà ℥.ß. terantur, & cum styrace liquida fiat massa.* Vehementissima vero suffumigia ex eisdemmet medicamentis conficiuntur, additis cinnabrio, aut sandaracha Græcorum, vel auripigmento, aut præcipitato, hoc est argento viuo in puluerem redacto: Neoterici tamen huiusmodi suffumigia scribentes, cuiuis ex tribus medicamentis nuper scriptis *addunt ℥.ß. cinnabrij, vel præcipitati, aut sandarachæ*, quod temerarium, & periculi plenum arbitror: ego tamen sanius esse duxi in periculosissimis remedijs, paulatim adijcere validum medicamentũ, quam ex copiosa quantitate laborantem ducere in C immedicabile damnum. Sic profectò prædictis tribus suffumigijs *addere à ʒ.ß. ad ʒ.1. cinnabrij, præcipitati, aut sandarachæ*, idque cum præmeditatione, & præsagio, & non nisi in desperatis affectibus.

CAPVT XIII.

De conterendis reliquiis humorum in his quibus maiora auxilia non profuerunt, aut perferre recusant, vel nequeunt.

ADeo se se dum inueterascit, in carnem, & corporis substantiam insinuat hæc sæuissima contagio, & pestifera affectio, quod neque sudoribus, ne- D que hydrargyro cedere plerumque visa sit. Aliquando verò licet primò accessu mitescere videatur, adeò altas clam, & occultè insidiantes recondit radices, vt post aliquot non solum dies, aut menses, sed & plures annos, maiori feritate sæuire, hominemque perdere non rarò cernamus. Nam ex necessitate naturæ contagionis, & ob humorum abundantiam copiosissimus succrescit excrementorum prouentus, quo vel morbus adhuc in suo vigore perstat, aut maiori feritate reuertitur. Quas sanè radices peritiores medici radicitus euellere studuerunt sudoribus, inunctionibus ex hydrargyro, & suffitibus. Verùm cum his curationibus non semper subsit locus, quod laborantes præ impotentia perferre non possint, aut præ timore E non velint: & rursus cum adhuc his factis, supersint eædem excrementorum reliquiæ perniciosam reuersionem effecturæ, vtilissimum iudicaui, & proficuum fuisse probauit experimentum, medicamenta excogitare, quibus idem beneficium laborantes consequi possint. Cui sanè vsui multa mihi ratione, & experimento probata auxilia subsunt, quibus tutò quiuis vti poterit, magno cum laborantium commodo.

Sic primi generis auxilium sit, laboranti porrigere aquam decoctionis sudatoriæ ligni guaiaci, aut smilacis asperæ in potu quotidiano, in prandio, & cœna, cyathos duos in meridiano prandio, vnum vero in cœna, quo auxilio quam plurimos leuatos vidi, & ex toto liberatos. Imbecillibus verò, extenuatis, & pueris porriges in prandio, & cœna decoctum foliorum pentaphylli, quantum illis par fuerit, & citra nauseã tolerauerint: & summo mane, ita vt possint superdormire, *decoctionis radicis eiusdem pentaphylli ℥.4. calidas: decoctio fiat ex ℥.3. radicis in lib. duabus aquæ ad medietatem pro tribus vicibus.* Secundum esto, apozemata, seu setapia, quæ simul vim purgatoriam, & alexipharmacam sortita non rarò plures quos hydrargyrum, aut sudationes non restituerunt, in pristinam salutem reduxerunt. Et quamuis plures ordinãdi formas passim comperies, placet primo hac in parte eius meminisse, q. ℞. *sarsæ parillæ, radicis Chinæ, polypodij, passularum, radicis cichorei singulorum ʒ.1. plãtaginis, agrimoniæ, borraginis, fumariæ, ceterac, scolopẽdriæ, scariolæ, pimpinellæ, calendulæ, anà m.ß. florum cordialium, & genistæ, anà p.1. seminum frigidorũ maiorum, & fœniculi, anà ʒ.1. & ß. rasuræ eboris, & cornu cerui, anà ʒ.2. seminis citri, cardui, & tormentillæ, anà ℈.4. foliorum senæ ℥.1. & ß. coquito ad libram, & in colatura dissolue syrupi de succo acetosę, de limonibus, & violarum, anà ℥.1. & ß. fiat apozema, cuius porrige ℥.4.* Valet huiusmodi medicamentum summopere ad reliquias conterendas, vbi iecur calidum est, & siccum, & corpus etiam excarne, & febricula confectum, maximè si viscerum obstructionibus prematur. Cui, si velis aliquid eius, quod reliquum fuit, purgare, *addes in ligatura rhabarbari ʒ.4. foliorum senę ℥.2. ex quo porriges ℥.4.* Eiusdem naturæ est apozema q. ℞. *rasurę interioris guaiaci ℥.6. polypodij quercini, vuarum passarum, anà ℥.1. macera horis viginti in libris sex aquę, deinde igne remisso coquito ad medietatẽ, & adde* (vbi siccum, & calidum corpus fuerit) *radicũ cichorij ℥.4. agrimonię p.2. vel* (vbi corpus pituitosum fuerit) *baccarum iuniperi ℥.1. radicis helenij siccę ʒ.3. capillorum veneris m.2. ferueant rursus, donec librę duę duntaxat supersint, & adde foliorum senę ℥.2. seminis fœniculi, & cardui, rasurę cornu cerui, anà ʒ.ß. bulliant parum, & post refrigerationem diligenter colentur, & colaturę adde syrupi violarum ℥.3.* Conficies item aliud, q. ℞. *rasurę interioris guaiaci ℥.2. corticis eius ℥.1. sarsę parillę ℥.1. & ß. radicis Chinę ʒ.6. epithymi, & polypodij, anà ʒ.3. iuę arteticę ʒ.6. & ß. asplenij ʒ.5. eupatorij, & capillorum veneris, anà m.2. radicum asparagi, fœniculi, & cichorei, anà ℥.2. & ß. in fine decoctionis adde rhabarbari ʒ.3. foliorum senę ℥.2. & ß. coquantur in lib. 10 aquę ad consumptionem medietatis, & adde cinnamomi quantum sat sit ad conciliandum gratum saporem.* In hoc apozemate considerabis, gratia eorum quibus calidum est iecur, additum fuisse eupatorium, item & radices cichorei, ac rhabarbarum: eorum verò quibus splen vitiatum est, aut melancholia abundat, asplenium: quibus articuli dolẽt, iuam arteticam, quorum beneficio *addi possunt hermodactylorum ʒ.3.* aliter verò nequaquam, turbant enim serosos succos, & impediunt crassorum purgationem, ac forsan sudorem. Præterea, si hydropis suspicio, aut vestigium præsit, vel difficulter laborans purgauerit, robustusque fuerit, *non erit ab re radicis ireos ʒ.1. aut duas addere.* Hæc enim omnia in hac & reliquis compositionibus adseruare conueniet, vt facilè quisque intelligat iuxta cuiusque peculiarem indigentiam, & naturam, hoc salutari præsidio vti: cuius *singulis diebus*, aut si laborans imbecillus fuerit, *tertio quoque die ℥.4. aut quinque* porriges, vel *quãtum par sit vt laboranti bis, terve aluus soluatur:* idq; summo mane dabis, vt laborans pannis coopertus dormiat, vt si fieri possit, aliquid eius quod tenue est, per sudorem expiret, vt post modum per aluum quod crassum fuerit, expurgetur. Aliud etiam apozema cõficies non minoris momenti, q. ℞. *radicis Chinę ʒ.6. sarsę parillę, & interioris ligni guaiaci, anà ℥.1. & ß. absynthij pontici p.ß. pimpinellæ siccæ m.1. capillorum veneris, & saluię, anà p.1. & ß. epithymi, & polypodij, anà ʒ.3. cardui sancti, & calcitrapę, ana p.1. coquantur in lib. 8. aquę ad medietatem, & facta colatura adde pulueris diarhodonis, & diamargaritonis frigidi, anà*

ʒ.1.

ʒ. 1. & ß. theriacæ, & mithridatij, anà ʒ. 1. seminis melonum conquassati ℥. ß. foliorum senæ ℥. 2. & ß. anisi ʒ. 1. bulliant leniter, & iterum colato. Hoc apozemate vteris in his quibus vires cordis, & ventriculi dejectę conspiciuntur. Sed expende, quòd si omnia hæc apozemata gustui gratiora, & non minus vtilia velis efficere (quod summoperè exoptant miseri laborantes) percolare per mortarium lapideum poteris cum cinnamomo, aniso, fœniculo, vel corticibus citri: nam quod instillat, gustui, & vtilitati efficitur proficuum, amittit enim horrorem, quem visu, & gustu refert. Verùm, ne ad conterendas reliquias præsidia desint, placet hac in parte alias compositiones addere, quæ non sunt minoris momenti, vt quisque iuxta indigentiam laborantis eligere possit quod magis proficuum fuerit. B Prima quidem ℞. *myrobalanorum omnium anà ʒ. ß. contundantur crassiori modo, & infundantur in lib. septem aquæ fumariæ, quibus addere oportet rasuræ ligni guaiaci ʒ. 6. sarsæ parillæ ʒ. 2.* Verum si ventriculum pati comperias, *adde radicis Chinæ ʒ. 6 & facta coctione ad medietatem, post colaturam vsui seruetur.* Præstat quidem hoc decoctum biliosis, si addideris *agrimoniæ, & cichorei, anà m. 1.* præstat etiam melancholia abundantibus, si adieceris *polypodij, & epithymi, anà ℥. ß. liquiritiæ, cariophyllorum, seminis citri, anà ʒ. 2.* Ex vsu quoque erit ad purgandam melancholiam, & pituitam, si addideris *foliorum senæ ℥. 2. agarici ligati ℥. ß syrupi fumariæ ℥. 4* Verùm si vetustius fuerit malum, & maior humoris melancholici proventus, adijcies insuper *corticis ellebori nigri ʒ. 2. & laboranti porriges ℥. 2.* C Aliam quidem conficies potionem non minoris momenti, q. ℞. *foliorum, & folliculorum senæ, anà ℥. 2. polypodij ℥. ß. myrobalanorum omnium anà ʒ. 3. agarici, & rhabarbari, anà ʒ. 4. macis, & masticbis ʒ. 1. gummi Arabici, ligni aloes, anà ℥. ß. fumariæ, & epithymi, anà ℥. ß. corticum ellebori nigri ʒ. 1. & ß. zinziberis ℥. ß. contusa omnia infundantur in sufficienti quantitate vini dulcis viginti quatuor horarum spatio, postea infunde florum cordialium, anà p. 1. passularum ℥. 4. coriandri præparati ʒ. 2. & facta leui ebullitione vinum coletur, & laboranti porrige ab ℥. 2. ad 3.* Erit quoque mirabilis efficaciæ, si laboranti porrexeris *quarto, aut quinto die, vel distantius, si id vires non tulerint ℥. 2.* D huius mirabilis compositionis, q. ℞. *smilacis asperæ ℥. 10. ligni guaiaci ℥. 12. Chinæ ferè in puluerem redactæ ℥. 6. aristolochiæ rotundæ ℥. 3. corticis guaiaci conquassati ℥. 3. polypodij ℥. 5. corticis radicis cichorij, eringij, & apij, anà ℥. 2. & ß. epithymi ℥. 4. coquantur omnia in lib. 14. aquæ ad consumptionem medietatis, & facta colatura residuum in mortario lapideo contundatur, & pistetur, & prælo fortiter èxprimatur, & expressio admisceatur prædictæ colaturæ, & tūc infunde foliorum senæ ℥. 14. folliculorum senæ ℥ 8. florum cordialium, anà p. 2. agrimoniæ, & pimpinellæ, anà m. 3. hermodactylorum semifractorum ℥. 1. anisi ʒ. 3. iuæ arteticæ ℥. 10. iterum leniter bulliant, & adde lac decem vnciarum seminis carthami extractum prædicta decoctione, & omnia simul destillentur additis* E *sacchari lib. 4. & syrupi solutini rosarum Persicarum vnc. 12.*

Præterea vt suauius prædictas reliquias conteras, ex quouis prædictorum apozematum serapia parare poteris, *additis succi fumariæ, borraginis, pomorum, eupatorij, & cichorei, aut pimpinellæ ℥. 6.* sufficiet enim duos, vel tres prædictorum succorum addere, iuxta laborantis, & morbi indigentiam: *item sacchari quod sufficiat, vt fiat serapium,* noctu dum laborans it dormitum, sumendum *dosi trium vnciarum.* Eiusdem efficaciæ est serapium purgatorium, quod magni momenti in hac affectione arbitramur esse, & ℞. *radicis cichorij ℥. 3. radicis acetosæ, graminis, oxylapathi, passularum, polypodij, anà ℥. ß. radicis dictamni, & tormentillæ, anà ʒ. 2. & ß endiuiæ, lupuli, borraginis, buglossi,* A *fumariæ, betonicæ, eupatorij, anà m. 1. capillorum veneris, polytrici, ceterach, scolopendrię, scabiosę, pimpinellę, scordij, plātaginis, florum cordialium, anthos, nymphęę, genistę, ana p. 2. seminum frigidorum maiorum, seminis citri, acetosę, fœniculi, anisi, & cardui, ana ʒ. 1. foliorum senę ℥. 3. coquito ad lib. 1. adde in fine decoctionis agarici ℥. ß. cinnamomi ʒ. 2. in expressione dissolue sacchari albissimi lib. 1. & fiat syrupus mediocris consistentię: cui adde in fine coctionis, expressionem ʒ. 4. rhabarbari: huius quantitas sit duarum vnciarum.*

Conficies alium non minoris momenti, q. ℞. *ligni guaiaci interioris rasi ℥. 3. sarsę parillę minutim incisę, & confractę ℥. 2. & ß. radicis Chinę conquassatę ℥. 1. & ß. agrimonię m. 2. cichorij, & pimpinellę, ana m. 1. capillorum veneris, & fumarię, ana m. ß. absynthij pontici* B *℥. ß. radicis cichorij, scorcionerę, rubię, & pimpinellę, ana ℥. ß. radicis rumicis ℥. 2. epithymi, & polypodij, ana ʒ. 3. turpeti Hispani ʒ. 4. florum borraginis, buglossi, violarum, ana p. 1. bulliant omnia secundum artem in lib. octo aquę ad medietatem, & facta colatura, adde foliorum senę ʒ. 4. seminis carthami conquassati ʒ. 3. & post noctem iterum exprimantur, & adde sacchari albi q. s. vt fiat serapium, cuius 3. vncias quarto die, aut singulis diebus, porrigere poteris.*

Possunt etiam ex vtroque decocto antequam conficiatur serapium, instillationes per alembicum, aut in duplici vase fieri, additis theriaca, & mithradatio, cardiaca, fumaria, & alijs, quæ vel affectum, vel partem affectam respiciant. Huius naturæ profectò est C stillatitia aqua, q. ℞. *theriacę antiquę lib. ß. radicis belenij, caudę equinę, ana ℥. 4. cyclaminis ℥. 3. cardui benedicti, cardiacę, & saluiæ, ana m. 1. iuæ arteticæ m. 1. & ß. radicis ebuli, & liliorum, ana ℥ ß. pimpinellæ, eupatorij, fumariæ, acetosæ, betonicæ, scabiosæ, ana p. 2. capillorum veneris p. 1. florum cordialium, ana p. 2. ligni guaiaci, & corticis eiusdem maceratorum per diem in lib. 4. hydromelitis, ana lib. 1. ponantur omnia in vase vitreo, & instillentur, huius destillationis dosis sit ab ℥ 2. ad 4.* Altera verò, quam meliorem esse scimus, ℞. *theriacæ veteris, & mithridatij, ana ℥. 4. succi acetosæ, & pimpinellæ, eupatorij, saluiæ, & scabiosæ, ana ℥. 4. florum stœchados p. 1. pulegij, graminis, cardui benedicti, ana p. 1. & ß. ligni guaiaci rasi lib. 1. corticum eius ℥. 3. macerentur in* D *lib. tribus aquæ, vbi prius vino irrorauerìs, & destillentur omnia simul contusa: huius instillationis quantitas sit ab ℥. 2. ad 5.* Quam scimus summoperè prodesse fœminis, senibus, debilibus, & his qui clam student sudare. Pari prorsus ratione easdem aquas instillare poteris in duplici vase, quod longè vtilius, & gratius fore arbitror. Consimilem aliam instillabis, quæ & sola per se, & alijs apozematis, & serapijs admixta, amuleti, & secreti, aut alexipharmaci præstantioris vicem gerit, cuius superius meminimus sub nomine aquæ cardiacæ: cuius naturæ est, q. ℞. *interioris ligni guaiaci rasi lib. 1. sarsæ parillæ minutim incisæ lib. ß. radicis Chinæ ℥. ß. foliorum, & radicum pentaphylli m. 4. linguæ ceruinæ m. 2. scabiosæ m. 2. madefiant, & coquan*E*tur in lib. 6. aquæ ad medietatem, & postea instillentur, & interim pone in ligatura confectionis Alchermis ʒ. 3. pulueris anisi, & corticum citri, ana ʒ. 1.* Prętet quas sanè compositiones, quiuis medicus, si prudens sit, alias non minus vtiles efformare poterit, & maximè si instillauerit aliquod ex prædictis apozematis, vel serapijs.

Conterunt insuper & consumunt huius venereæ contagionis reliquias pilulæ quas noctu sumendas, aut summo mane, mille modis conficere poteris. Primo enim vsui proficuas comperimus eas, q. ℞. *sarsæ parillæ in puluerem redactæ ℥. 2. infunde in lib. tribus aquæ cardiacæ, fumariæ, ac borraginis, & bulliant lento igne, vsque ad consumptionem duarum tertiarum, & facta colatura iterum adde aloes ʒ. 1. & bulliant, donec contrahant spissitudinem efformandis pilulis idoneam,*

quarum

quarum sumat laborans tertiò quoque die ʒ. 1. Conficiũtur etiam pilulæ ex succo marrubij, aut saluiæ, & pulueribus sarsæ parillæ, & foliorum senæ: item ex melle scyllitico, & prædictis pulueribus, ac si robustus fuerit laborans, ex succo ebuli, aut ireos cum eisdem pulueribus, & modica conserua florum borraginis, aut violarum. Sed agricolis, & robustioribus hominibus peritus, & prudens medicus porrigere potent eas, quę conficiuntur ex præcipitato: quas vt secure præbeas, hoc modo parabis: *Excipe pulueris præcipitati (macerati biduo in aquis refrigerantibus, ac rursus in cardiacis) ℈. 1. pulueris electuarij trionsantalon ʒ. ß. rhabarbari electi ʒ. 1. mithridatij optimi, conseruæ buglossi, pulueris rosarum, mastichis, anà ℈ ß. subigantur simul cum mucagine tragacanthi extracta in aqua rosarum, fiat massa: dosis eius sit ad ℈. 1. in tribus pilulis dißecta, haustu prius iure pingui ex vitulina carne, & pullo gallinaceo, cum oxalide, & portulaca.* Sed in harum pilularum vsu consulo semper à minori quantitate esse incipiendum, vt iuxta virium mensuram vacuationes subsequantur.

Pulueres etiam huic vsui conficiuntur ea efficacia, quæ mirum in modum plures quos infirmabat hæc lues, in pristinam sanitatem reduxit; Huic vsui primum locum tenet puluis *ex sarsæ parillæ ℥. 2. aloes ℥. 1. spicæ nardi, ligni aloes, anà ℥. ß. sacchari ℥. 1. cuius sumat laborans summo mane ʒ. 1. & ß. cum modico vino albo, superbibitis aquæ calidæ ex sarsa parilla vnc. 3. quod fiat duodecim horarum spatio: sed mox ab assumpto puluere coopertus æger dormiat; à somno verò surgat à lecto, vt purgare commodius possit:* signum vtilitatis erit, bis, terve aluum deponere, vt leuius se habere post tres, aut quatuor dies, licet in illis non ita conferre videatur. Alter verò puluis mirabilis efficaciæ construitur hac lege: *Excipe pulueris sarsæ parillæ ℥. 3. foliorum senæ ℥. 2. cum vino, aut in ouo sorbili sumat laborans ℈. 4. dum it dormitum, aut summo mane.* Puluis quidem alter loco amuleti, & alexipharmaci habitus, describitur hac lege: *Excipe rasuræ eboris, cornu cerui, margaritarum, anà ʒ. ß. florum betonicæ, calendulæ, genistæ siccorum, anà ʒ. ß. ligni aloes, santali citrini, ossis de corde cerui anà ℈. 1. seminis fœniculi, coriandri præparati, anà ʒ. 1. foliorum menthæ, verbenæ, pimpinellæ, anà ʒ. ß. sacchari rosati triplum, fiat puluis tenuissimus, cuius laborans ante prandium, & cœnam, cochleare vnum capiat:* quem quoque vtiliorem longè efficias, si ei addas *pulueris sarsæ parillæ ℥. 1. & noctu cum laborans it dormitum porrexeris.* Nec prætereundum est hac in parte, non minoris momenti esse vsũ theriacæ, aut mithridatij, sed vtilioris commodi est eorum instillatio cũ scylla, melle, & decocto guaiaci.

Conterunt insuper huius mali reliquias, ac forsan efficaciùs, & tutiùs alimenta alexipharmaca, quibus intus inter alentes succos recondins, magis propriè venefica vis infringitur, & infirmatur. Est enim hæc pulchra, & vtilissima curandi ratio; nam clam sese alexipharmacum in veneni sedem insinuat, ac in laborantis carnem commutat, & naturali antipathia inimicum perdit, & corrumpit: cuius etiam curandi rationes latius inferius in puerorum, ac hecticorum ex morbo Gallico curatione meminero. In primis enim conficere poteris conditum hac lege factum: *Excipe mellis despumati lento igne lib. 2. panis biscocti sicci, & in puluerem redacti ℥. 8. pulueris sarsæ parillæ ℥. 4. bulliant omnia lento igne, donec supersit mediocris consistentiæ, & tunc adde pulueris foliorum senæ ℥. 2. aquæ vitæ ℥. 1. & ß. bulliant iterum, donec possint fieri tabellæ, quæ citra lentorem in puluerem reducantur, cuius laborans dum it dormitum capiat ℥. 1. & ß. ac si noluerit in tabularum forma sumere, non erit ab re.* Secundò fieri possunt panes ex prædictis pulueribus, & sarsæ parillæ, aniso, & fœniculo adinixtis. Item decocto guaiaci panis fermentetur, & eodem, aut decocto sarsæ parillæ iura parentur, incoquanturque carnes. Quod si ius parare studueris, hoc modo facito: *Decocto guaiaci vitulinam carnem cum pullo gallinaceo incoquito, adiectis sub coctionis fine foliis hyssopi, buglossæ, borraginis, & pimpinellæ, quibus expressis, bis terve die quatuor vncias huius decocti præbeto.* Verùm si aliter parare volueris, sic facito: *Excipe pulueris guaiaci ℥. 2. corticis eiusdem ℥. ß. coquere sinito in lib. sex aquæ, & in fine adde seminis cardui contusi ℥. ß. radicis betonicæ, coronariæ, & tormentillæ, anà ʒ. 1. & ß. foliorum siccorũ pimpinellæ, & scabiosæ, anà p. 1. glycyrrhizæ ʒ. 2. carnes trium pullorum, vbi sufficienter coxerint, colentur citra expreßionem, & laboranti porrige ℥. 4.* Quòd si hæc omnia adhuc laborans tenuerit, experimento fidissimo probatum est sudatorium guaiacinum solitò efficacius factum, nocte, aut summo mane sumere, & non sudare, sed publica adire, vt de more habet laborans, negotia. Item non minoris momenti est pro potu, in prandio, & cœna nullo alio vti quam decocto guaiacino, vt conficitur ad mouẽdum sudorem; mirum enim in modum vetustam luem conterit, & ferè omnino extirpat. Præthereà tumoribus morbi huius, & maximè in capite discutiendis pileum conficere oportet ex cera, & herbis capitalibus resoluẽtibus, quem inter sudandum laborans tenet in capite: constat ex stœchade, maiorana, betonica, chamæmelo, meliloto, flore roris marini, & cera, quo similiter vteris in quouis alio tumore: dummodo argentum non recipiat, quia sudorem aliquo modo arcet.

Quod si his omnibus factis, omnino huius peruicacis veneni reliquias conterere non valueris, patienter consule ferat laborans, fontanellam in altero brachiorum, aut crurum aperire, per quam expiret quod in parte aliqua, vel connectur, vel aliundè transmittitur, effecturum maius damnum. Quippe dum iecur exæstuat, in crure dextro aperta præsidio est: nonnunquam dum caput iam diu id vinum contraxit, quod alijs impartitur, in brachio affixa maximi solet esse momenti, dum interim non obliuiscaris paulatinis purgationibus iecur, & vniuersum corpus ab excrementorum spurcitia liberare.

Finis Libri Primi.



DE MORBO GALLICO LIBER SECVNDVS.



CAPVT I.

De Gallicę contagionis cum alijs affectionibus implexu, & curatione.



CVm nihil sit in parte artis curatiua æquè difficile, abditum, & mille dubitationibus, ac vanis coniecturis implicitum, quam affectionum implexus, & miscella, nihil profectò æquè diligenter tractari, & prudenter expendi expostulat, quàm corũ prouidentia, & ad antiquam sanitatem reductio. Et cũ frequentiùs Gallica lues sese insinuet in immundum corpus, & alijs affectionibus, humoribus, & excremẽtis obnoxium, quam in temperatum, & exquisitè in reliquis sanum; ob id profectò hanc partem quæ cõplexum alicuius alterius mali cum lue Gallica considerat, & expendit, diligentius tractare aggrediar. Nã ex indistincta, & nuda curatione venereæ contagionis, citra respectum ad alium affectum, passim, & in plerisque laborantium conspicimus, vel in alios grauissimos morbos, aut ferociorem luem prolapsos fuisse: vel ex remedijs, quæ è directo huic venereæ contagioni correspondent, nullum suscepta releuamen, ita vt vetustior facta, incurabilior deinceps fiat.

Considerandum tamen primò est, vt res ex voto succedat, complicationem affectuum cum venerea contagione posse fieri vno è quatuor modis: quippe aut cum ipsa cohærent, & coniunguntur affectus venereo contagio similes in materia, vel in aliqua alia re (qualis est articularis morbus, omnis generis dolores externarum partium à frigida capitis defluxione: intemperies iecoris, aut ventriculi, vel lienis humidior, & frigidior, à quibus, vel obstructiones, vel alij dolores proficiscuntur, vt hydrops, epilepsia, stupor, paralysis, vel quiuis alij perniciosi ab eadem causa proficiscentes) quos simul cum lue, & seorsum, ac eisdem ferè auxilijs, quisque reprimere, & curare poterit, ab eo incepta curatione, quæ magis vrget, reliquo non neglecto. Secundi vero ordinis sunt hi, qui licet ab eodem fiant humore, quia qui præexistunt, sunt in parte principe, ad quam ob impotentiam ab innato, & proprio morbo contractam, Gallici humores proprijs auxilijs commoti facilè confluunt, & vel subitã, ac inopinatam mortem Gallica præsidia accersunt, vel longè grauius symptoma, aut malum aliud diffi-

A cillimum. Huius naturæ est angina cum vlcere Gallico in faucibus complexa, aut quæuis difficilis respirationis species, in quibus si vel hydrargyro vtaris, vel sudorifico alio auxilio, quo venereæ contagionis gratia vti opus sit, mirum non est, si in subitam suffocationem laborantem deferas, vel longè magis prædictum affectum adaugeas Gallicis præsidijs, quam citra ipsa. Tertij vero gradus sunt morbi acuti, periculosi, & grauissimi, qualis ardens febris, aut hectica, vel pleuritis, peripneumonia, & reliqui id genus: quibus præsentibus omnino posthabenda est venereæ contagionis ratio, donec aliorum inclementiam auxilijs declinaueris, ac superaueris. Quarti autem & vl-
B timi sunt morbi diuturni, siue similes lui venereę, siue dissimiles existant, natiua item & morbosa laborantis temperies, quæ omnino præsidijs Gallicis aduersatur: nam sæpè ob eius ignorationem medici incauti, vel omnino laborantes perdunt, vel veneream contagionem incurabilem reddunt. Quorum omniũ discere prouidentiam prudenter, ac diligenter conueniet, vt in morbo adeo graui, venefico, contagioso, & pernicioso, aliquid frugi efficere valeas.

Prima igitur complexus conditio, & sors ea existit, quę ex affectibus Gallico humore simillimis constat, vt arthritis, & reliquæ affectiones quas memorauimus: in quibus nihil noui afferre oportet, sed curatio-
C nem primo & per se instituere, qualem Gallica contagio exoptat, admixtis tamen medicamẽtis, quæ vel partem affectam, vel affectum, vel eius humorẽ simul respiciant, nam vtraque medicamentorum sorte iustè curatur: & ob id nihil nobis immorandum erit, præterquam dum affectus ex viscere aliquo affecto prodit: nam tunc si iecur sit, roborandum est simul, ac venereæ affectioni obsistẽdum, vt in hydrope, aut malo corporis habitu, epilepsia, stupore, & paralysi, in quibus pari forsan diligentia adhibenda est affectui, & Gallicæ contagioni, nam si alterum posthabeas, vel nihil efficies, vel lædes.

D Secundi ordinis complexus, situs est in membri affecti præstantia, & periculo ob vrgentiam. Sic profectò anginosi homines, & astmatici, & qui nati sunt frequenter pati ad prædictas partes defluxiones, & ob id frequentiùs angina, aut difficili respiratione corripiuntur, dum vlcere faucium Gallico premuntur, & ea ratione, vel sudore, vel hydrargyro indigent, cauendi sunt ab hoc curationis genere, saltem ab hydrargyro, ne inopinata suffocatione pereant: satius enim est, per apozemata, per frequentes sudationes, & per topica auxilia, quæ à parte venereum vlcus, aut vitium auferãt, malũ hoc declinare, quam

reci-

recipiendi consuetudine posthabita, morbum ad maiorem feritatem ducere, humore Gallico vniuerso ad eam particulam euocato. Quo tempore vtrique affectui communia præsidia expertus sum præstare magis, quàm nisi Gallicā luem ex toto deuincere, & præexistentibus, & grauioribus malis vires, & robur addere. Quapropter in his duobus casibus, & alijs qui similes illis existunt, tutissimo euentu expertus sum, fontanellas brachijs affigere, præsentaneum esse auxilium, quod & fluxionis consuetudini, & Gallici humoris affluxui prodesse simul possint.

Tertij gradus implexi sunt morbi acuti, celeres, periculosi, calidissimi, velut pleuritis, peripneumonia, iecoris inflammatio, causus, aut quæuis alia febris species, quæ ob humorum tenuitatem, & caliditatem, celerem sortiatur motum, & breui tempore pericula afferat. Quibus licet præsit in corpore Gallicus apparatus, omnino prouidendum est, nullo habito ad Gallicum respectu, sed inclinata acuti affectus feritate prius: raro enim vtraque vrgentia viget, ac si fortè adsit, ea quæ à venerea contagione prodit, longè maiores semper præstat spectandi inducias, quàm acutorum natura, & celeritas: cui, si expedit, eadem die subueniendum est, tardare enim in talibus, malum dixit Hippocr. quod in venerea lue non ita accidit. Quapropter cum nusquam pari vrgentia coniungi possint, & ad id quod magis vrget, dirigi primò debeat curantis consilium, semper acutis prouidendum. Nec miscere oportet Gallica præsidia, vt in alijs affectionibus: quippe hæc cum calida plerunque sint, sicca, & febrem concitantia, nulla lege admittit acutorum morborum calor, ac feruida natura, & motus celeritas: quinimò si quis vt diligens videatur, vtrisque velit prouidere, præter id quod Gallico affectui nihil proficiet, acutum summopere exacerbari coget.

Quartæ & vltimæ sortis complexus est, cum morbum Gallicum efficiunt, vel morbi calidi, aut calidioris humoris soboles, si diuturni sint, vel iuueniles, & calidæ ætates, aut naturalis, vel acquisita totius corporis, aut alicuius membri præcipui calida, & sicca atque æstuosa temperies, & natura: hæc enim longè maius facessunt negocium, quam quiuis alius complexus. Sic morbi diutini, sed ex sicca, æstuanti, aut salsuginosa materia orti, quales sunt vitiligines, impetigines, psora, & aliæ cutaneæ, aut internæ affectiones, hanc habent peculiarem considerationem, quod si ex materia Gallica oriantur, nulli dubium est, quin consimilem prorsus curationem expostulent, siue eam per sudores instituas, siue per hydrargyrum, aut alio quouis modo. Verum si ex peculiari materia à venerea contagione aliena suboriantur, ante prædictæ contagionis exortum, licet postea contagio aduenìat, Gallica præsidia omnino non admittunt, sed ea quæ communia vtriq; affectioni existũt. Quapropter ab hydrargyri vsu hos cauere oportet: nam repercussa intus prædicta materia, longè maius damnum efficiet, quàm venerea expulsa beneficiũ: ac forsan, quòd hydrargyrum nullam cum ea sortiatur antipathiam, ab eo solum commota, in principes partes dilabetur, effectura prædictum periculum. Possumus tamen sudationibus, apozematis, & alijs communibus auxilijs vti citra periculum, & cũ maximo vtriusque affectionis commodo. Quòd si morbus ex diuturnis, & frigidis causis ortus sit, audacius ad sudationes deueniendum erit, longè tamen minus ad hydrargyri vsum, cùm lues venerea per se separata, & seiuncta sit, & talis affectus absque ipsa præfuerit: verùm si morbi causa complexa cum Gallica lue sit, quantumuis morbus præfuerit, hydrargyri vsum longè minus formidabis, admiscebis tamen ipsum calidioribus, & aromatis, quo inclementiam præexistentis, & substratæ affectionis materia citius frænetur.

A Nosces autem, materiam mali præexistentis à venereo contagio esse exortem, quod leuamen susceptat laborás à proprijs, & peculiaribus præsidijs, quibus corpora quæ lue venerea affecta sunt, leue aut nullũ subsidium recipiunt: nosces etiam, iam in materiam mali sese insinuasse venereum contagium, quod illa præsidia malo propria, nullius sunt vsus citra ea quæ alexipharmaca sunt, & propria venereæ contagionis.

At dum hæc affectio virulenta, non quidem alicui alteri affectioni adhæret, sed corpori succrescit calidiori, sicco, hirsuto, calidis, & exustis humoribus plenō, & obnoxiu æstuosis febribus, ac supra modum siticuloso, summè difficillimum est, quid agendum sit nosse: nam calida, & resoluẽtia præsidia, quæ huic B contagioni proficua sunt, non possunt nocua non esse huiuscemodi naturis. Quo fit, vt sæpè ex commodissimis huic malo præsidijs, non parum lædãtur qui sic affecti sunt. Quapropter quid in hoc complexu agendum sit, maturo consilio pronunciare, & aggredi oportet. Primò huic victum qualem natura postulat, posthabito affectu venereo, instituere oportebit: humectiorem nimirum, ac frigidum, pluriesque exhibitum, quo faciliùs naturam, & temperiem tueamur, ac vires custodiamus integras. Quippe si siccis epulis, aut guaiacinis potibus vtatis, procuḷdubio longè magis lædes, & ob id conficies potum ex scorcioneræ, aut agrimoniæ decoctu cum modica China. Primò tamen purgationes leues institues: quippe in huius- C modi naturis non prius venereæ contagionis curationem aggredieris, quàm partim idoneo victu, partim blandioribus, & crebris vacuationibus viscerum, & venarum impuritatem exhauries: quo facto, ad dilutius guaiaci decoctum perueniendum erit, tum cum cibis ipsis admixtum, tum vero gratia sedandæ sitis, quam copiosioribus potibus ex guaiaco, aut sarsa, vel China tutius erit sedare, quam alijs fallacijs permittere vti amplius humores, quo faciliùs sese extendit venerea contagio. Itaque ad potum, *Guaiaci ℥. 4. in lib. 10. aquæ viginti quatuor horarum spatio macerare sines, ac decoques ad duarum librarum consumptionem, additis radicum scorcioneræ ℥. 2. agrimoniæ, & sca-* D *riolæ, anà manip. ß. glycyrrhizæ ℥. ß. facta per mortarium colatura vsui serua:* idem quoque & tutius, licet non æquè efficax, ex sarsa parilla, aut radice Chinæ parare poteris.

Verùm si his sudare libuerit, hac lege decoctum parato: *Excipe radicis cichorij syluestris ℥. 4. passularum, & glycyrrhizæ, anà ℥. ß. coquito in aquæ potissimæ lib. 8. ad lib. septem, & adde plantaginis, intybi, borraginis, scariolæ, buglossæ, scabiosæ, & pimpinellæ, ana m. 1. coletur, & in lib. 6. colaturæ infunde sexdecim horis guaiacinæ medullæ ℥ 8. polypodij quercini ℥. ß. deinde igne remisso coquere finito, donec absumantur lib. 3. & ß sed ante finem coctionis adde foliorum senæ ℥. 1. & ß. & coletur, ac vsui serua:* sudores enim placidè mouet, ac E viscera temperans roborat, & extenuatos purgatis biliosis, & crudis recrementis, aut frænatis impinguat. Hoc tamen vnum in horum corporum curatione obseruatissimum habeto, nimirum non esse permittendum excrementa iuxta iecur, & meseræon diu immorari, ne siccescant, extrantur, ac in duritiẽ migrent: sic enim facilè laborantes hepatis, aut lienis scirrhum contrahunt, vitamque reliquam ærumnosam transigunt: quapropter diligenter aluus mollienda est blandioribus enematis. Quem quoq; vsum præstat quarto quoque die exhibitus syrupus purgãs, vel confectio Hamech simplex cũ aqua lactis, aut intybi, vel *infusum rhabarb.* ℥. 2. in decocto guaiacino. Syrupũ autẽ huic vsui proficuũ hac lege cõficies: *Excipe radicis cichorij ℥. 3. radicis acetosæ, graminis, oxylapati, polypodij, ana ℥. ß. passularum ℥. 3. radicis dictamni, tormentillæ, ana ℥ 1. & ß. intybi, scariolæ, lupulorũ, borraginis, buglossæ, fumariæ, betonicæ, eupatorij, ana*

m. 1. *capillorum veneris, politrici, ceterat, scolopendriæ,* A *scabiosæ, pimpinellæ, scordij, plantaginis, florum cordialium, anthos, nymphææ, genistæ, anà p.* 1. *& ß. seminum frigidorum maiorum, seminis citri, acetosæ, fæniculi, & cardui, anà ʒ.* 1. *foliorum senæ ℥.* 4. *coquito ad lib.* 1. *& adde in fine decoctionis rhabarbari, & agarici, anà ʒ.* 6. *& facta expressione adde sacchari albissimi lib.* 1. *& fiat syrupus, cuius porrige ℥.* 2. Quo facto per aliquot dies, non erit abs re, si corpus articulorum doloribus non prematur, balneis aquæ dulcis committere, quo ab æstu, calore, & feruore facilè instauretur. Nec inconuenit ab egressu balnei, guaiacinam potionem ex his, quæ leuiores sunt, porrigere, qua sudor placidus moueatur, & reliquiæ conterantur. Quòd si post exactam luis curationem, corpus calidum, ac siccum superrerit, balneo quidem vteris, cauebis tamen B ne sudore euanescat humidum, ac dissipentur vlterius vires, sed tantum humectationis, & attemperamenti gratia eo vteris. Hoc tamen obseruatissimum tibi sit, ne calidos, & siccos lue venerea correptos balneis committas ante luis curationem, saltem maiorẽ eius partem iam factam. Quòd si balnea formidaueris, apozematis ex sarsa, & China cum herbis, & seminibus, ac frigidis conseruis, & puluisculis cordialibus factis vteris; vel sero caprino cum folijs senæ, & syrupo rosarum, aut intybi. Nec posthabenda est iecoris, & aliquando dorsi ex rosaceo, vel resumptiuo vnguento inunctio: nam sæpè calore natiuò restituto ob extinctionem contrarij, & excedentis, ac calidi, longè præstãtiora fiunt naturæ ministeria, & mor C bosæ radices facilius extirpantur.

CAPVT II.

De eorum qui macie Gallica contabescunt curatione.

SOlet non rarò venenosa hæc lues sese in solidam corporis substantiam adeò insinuare, & eius tũc humidum quotidiana dissipatione absumere, vt à febrium hecticarum tabe consumptis, nihilo videantur differre qui sic affecti sunt. Quos sanè neque purgationibus, neque sudoribus, aut hydrargyri illinitione aggredi curare, tutum esse videtur: quinimò ferè his omnibus vel excitata febricula, vel absoluta, ve- D lut desperatos relinquimus. Deo tamen fauente studebo, refectoria curatione huiusmodi tabescentiam reficere, ac frænare, ita vt simul pingues fiant, & curentur.

In primis scito in sic affectis corporibus non protinus esse ijs sudationibus, aut litu hydrargyri, vel purgationibus abstinendum, quantumuis primo accessu excarnes, & contabefacti videantur, sed eisdemmet auxilijs, ac reliqui eorum, qui morbo Gallico premuntur, pugnare aduersus morbum oportet, cautè tamen & diuerso prorsus modo. Namque coniectandum est, in his qui extenuati sunt, ita luem Gallicam insertam esse in intimis solidorum membrorum partibus glutinoso humori adhærescentem, vt neq; pur- E gationibus frequentibus, neque sudationibus, aut inũctioni cessura sit: quinimò eisdem longè pressiorem fieri infarctum humorem, & corpus magis, ac magis vi medicamentorum colliquari, haud secus quam sanis corporibus accidere cernimus, dum purgantur. Nam cum humorum virum connaturale, & veluti in habitum versum existat, prius profectò quod naturale est contentur, quam reliquum quod membris infarctum in naturam iam versum. Quapropter alia via vtendum esse his præsidijs conijcio, & experimẽto fidissimo obseruaui, nimirum hæc omnia auxilia potius nutritoria, quàm euidenter euacuantia reddere: quæ enim euacuant ex vijs communibus, superuacuos alliciunt succos, qui cùm connaturales facti sint, his medicamentis non cedunt, & longè magis corpus contabefaciunt: at dum alimenti formam induunt, clam in partes alendas euntia, antipathia propria qua aduersus hoc venenum pollent, facilius, & citra aliquod aliud damnum, ipsum infirmant, discutiunt, ac omnino sensim, & paulatim deuincunt, & superant, tum per insensilem halitum, tum sensibiliter mutatis succis illis in excrementorum formã, postquam à partis natura, & consortio separarunt. Ob id profectò in his sudationes renutritorias instituere oportet, necnon & purgationes, ac insuper nutritoria alimenta ferè omnia purgantia quodammodo efficere. Sic omni victus, ac potus forti aliquid alexipharmacum admiscere opus erit, nam & panem fermentare aqua decoctionis ligni, aut sarsæ, vel farinæ admiscere ex prædictis puluisculum oportebit. Item iura conficere, & carnes elixare decoctis prædictis, aut in carnium elixatione frusta, vel ligni, vel sarsæ incoquere, quo eorum vis intus spiret, ac in carnem ipsam sese insinuet. Prætetea saginare pullum, aut gallinam scobe ligni, vel sarsæ cum herbis huic vsui etiam proficuis oportebit: sic scabiosa, pimpinella, borragine, fumaria, & similibus minutim incisis cum prædictis ligni pulueribus replere pari ratione pullum opus erit, & laboranti ius, & carnem præbere mane, ac vespere. Condimenta, & acetaria quoque parabis decoctis ligni, sarsæ, aut Chinæ cum succo pimpinellæ, aut acetosæ. Prætetea in prima mensa porriges passulas eodem decocto maceratas, & in vltima panem biscoctum ex tenuissimo puluere sarsæ, aut guaiaci, cum saccharo, & farina, ac vitellis ouorum: vel tabellas ex saccharo, & prædictis puluisculis, aut dragetam eisdem, & puluere seminis anisi, fæniculi, vel ligno aloes confectas. Potum insuper parabis vtilissimum, *si vncias duas interioris ligni rasi, & ʒ.* 2. *liquiritiæ cum ʒ.* 1. *ligni aloes, aut fæniculi incoxeris in lib.* 8. *aquæ purissimæ, ad consumptionem quartæ, aut tertiæ partis:* consimili modò vinum parari potest eadem scobe feruefactum, vel diu infusum: aut adseruatum in vase fabrefacto ex ligno guaiaco, quod censeo ad aquam, aut vinum adseruandum maioris fore momenti. Item aquam percolare mortario lapideo oportebit, si in ea infundatur aliquod ex prædictis pharmacis; gustui enim efficitur gratissima, & vtilissima. Purgatoria item conficies cibaria, & iusculum, *si pullum gallinaceum, aut columbinum repleueris scobe interioris ligni guaiaci, sarsæ parillæ, aut radicis Chinæ, anà ℥.* 1 *æpithymi, & polypodij, anà ʒ. ß. foliorum pimpinellæ, cardui benedicti, & betonicæ, anà p. ß. seminis carthami conquassati ʒ.* 3. *foliorum senæ ʒ.* 2. *bulliant omnia in lib. duabus aquæ ad consumptionem medietatis, & facta expressione summo mane trium dierum spatio porrige laboranti ℥.* 3. *aut* 4. Purgare enim placidè, ac citra molestiam assolet, ac neque vires infirmat, quinimo vt alimentum reficit: ac forsan transactis tribus diebus simul cum quotidianis excrementis carnium quoque hac lue affectatum excrementa sensim, & paulatim, vel conterit, vel excernit. Sic huic vsui conficitur *saccharum rosaceum cum quarta parte pulueris senæ:* pari ratione conficies conseruam cum carne pyrorum, citoneorum, aut prunorum cum prædictis pulueribus senæ, & guaiaci.

Hæc insuper corpora sudationibus committere poteris, si guaiacinum decoctum ex carnibus, & guaiaco confectum, per alembicum stillatis præstiteris: quippe hac lue confectis mirabile conficies hac lege præsidium: *Excipe quatuor, aut sex pullorum carnes, aut vituli lib.* 2. *& admisce, postquam minutim confregeris, pulueris interioris guaiaci lib.* 1. *sarsæ parillæ in crassum puluerem redactæ vnc.* 10. *radicis Chinæ ℥.* 2. *theriacæ, & mithridatij, anà ℥.* 5. *foliorum eupatorij, capillorum veneris, borraginis, cardui benedicti, pimpinellæ, & betonicæ siccorum, anà p.* 1. *salniæ*

niæ p.ß.epithymi, & polypodij, ana ʒ. 3. cinnamomi, & seminis angelicæ, ana ʒ. 1. & seminis anisi, fœniculi, cardui benedicti confracti, & prius in vino macerati per noctem, ana ʒ. 2. & ß. radicis pentaphylli, cichorei, & scorzoneræ, ana ℥. 4. bulliant in lib. 10. aquæ ad consumptionem sex librarum in vase probe obturato, postea omnia mediocriter pistata cum iure prædicto in alembicũ mittantur, & instillentur lento igne, vel (quod magis probo) *in duplici vase: cuius instillationis porrigere poteris ℥. 4. plus minusve, prout constiterit laborantis naturam, sudori pronam, aut ineptam, exposcere.* Consimilem quoque efficies ex carnibus pullorum columbarum cum theriaca, floribus cordialibus, guaiaco, & sarsa parilla semicoctis, & pistatis, in alembicum proiectis cum folijs siccis scabiosæ, & pimpinellæ. In calidis insuper naturis, & in his qui febre etiam cum Gallica tabe emaciantur, sudatorium solum conficere oportet ex puluerібus sarsæ parillæ, & radicis Chinæ, & guaiaci, cum carnibus pullorum, & ranarum semielixis, & aliquibus ex prædictis herbis viridibus, non siccis, vt in prima instillatione, quo tempore ad elixationem minor quantitas aquæ præ requiritur, & coctio longè leuior: & instillatio non ducatur vsque ad vstionem, sed primam instillationem ad sudandũ adseruа, reliquam verò ad cibariorum conditurам, & mixtionem.

Extrinsecus verò sic affectos inunges oleo amygdalarum dulcium, aut vnguento resumptiuo, lotis lacte muliebri, aut decocto maluarum: quod si tuberculis laborans aliqua in parte infestetur, non erit ab re hydrargyri modicum alicui emplastro addere, & modicum emplastri filij Zachariæ admiscere. Verũ si dolorum, aut vlcerum, vel scabiei sæuitia plurimũ premi videas, nec prodesse sudationem posse, ad inũctionem ex hydrargyro tutò confugere poteris, dum modo *ea inunctione solum vtaris, quæ vltimo loco adducta est capite de inunctionibus.* Quippe hæc minus hydrargyri susceptat, & plus alexipharmacorum calidorum, & humidorum, cum vi & facultate contendi excrementa. Hac sanè inunctione plurimi me dicorum vtuntur, quam millies ego etiam expertus sum, cum magno laborantium commodo, Deo fauente. Hoc tamen obseruabis, *quòd solum eius ʒ. 1. vngendo conteras, facto initio à cruribus, pedibus, manibus, & brachijs, postea ad reliquas partes facto progressu, idque tertio, vel quarto quoque die, & præstito aliquo ex guaiacinis sudatorijs per carnium instillationem factis, diebus intermedijs,* ac præstito etiam facili, & probo nutrimento, quo vires reficiantur, vt citra earum dispendium res tutiùs fiat, & iucundiùs.

CAPVT III.

De infantibus morbo Gallico correptis.

Contingit non raro pueris, vel à nutricibus infectis, vel parentibus improbe curatis, ab vtero matris, aut nutricis succrescere Gallicam infectionẽ: nam eò miseriæ solet humana hæc calamitas deuenire, vt non solùm grandiores, & ætate confectos corripiat, verùm & infantulos adhuc in matris ventre. Quorum profectò curationem in duas potissimum partes secare est in animo: quarum prima nutrici, & puero adhuc lac sugenti proficua erit, reliqua verò pueris qui lacte non vescuntur. Sic dum nutricis contagio puerulus afficitur, quam primum ipsã mutare necessum erit, aliamq; puriorem, & boni habitus eligere, cuius prouidentia habẽda est maxima, tum ne pueruli virulentia fœdetur, tum vero quo facilius optimo lacte, ac medicamentoso infanti præstito, ipsius habitum, & carnem in puriorem mutet, sanitatiq; restituat. Qua in re inspicere oportet, an puerulus vlcusculis oris scateat, an secus: nam si primum

A sit, facilè nutrix eodem contagio conspurcabitur; sin aliter, tardius, aut nunquam. Sic primum vlcerum curationem institues, per oris ablutionem ex decocto guaiaci cum melle, aut syrupo rosaceo, vel decocto hordei cum vnguento Aegyptiaco, aut aqua aluminosa, & plantaginis cum succo granatorum acrium. Quòd si hæc prodesse non videantur, ad aquam sublimatam dilutiorem deuenire oportebit, in cuius vsu persistendum est vsque ad vlceris siccitatẽ. Præterea nutricem ipsam præmunire oportet, vel facta leui purgatione, vel præstitis *aquæ theriacalis, quam superius scripsimus, singulis diebus ℥. 3. cum ℥. 1. syrupi violarũ, & rosarum:* qua sola firmiter veneno resistet Deo fauente. Item aliquibus diebus intermedijs loco eius porriges *selectissimi mithridatij ʒ. ß. cum decocto guaiacino.* Præterea pulueris cordialis, superius etiã scripti, B post cœnam, aut prandium, aliquando porriges tabellam saccharo confectam. Bibat insuper *decoctum foliorum pentaphylli, & summo mane ℥. 3 decocti radicis eius,* quo mirum in modum plures liberatos vidimus. His itaque præmunita nutrice, ipsius lac medicamẽtosum, & veluti alexipharmacum efficere poteris, si ei præstiteris ius, & carnes decocto guaiaci, aut sarsæ elixas, vel cibis admiscueris aliquid aquæ cardiacæ, vel prædicti decocti, ita vt ingrati saporis non fiant. Potus autem sit ex decocto radicis Chinæ, sarsæ parillæ, aut ex guaiaco, & liquiritia. Præterea ne ex virulento infantis ore nutrix eodem contagio afficiatur, ante lactis suctum papillam abluere oportet aqua C plantaginis, aut aluminosa, post suctum vero aqua calida, idque diligenter obseruandum, donec oris vlcera prorsus curentur.

Infantis vero prouidentia diligentiùs expendenda est, nam licet paucis, & leuissimis vti possimus præsidijs, ob ætatis immaturitatem, tamen frequenter adhibitis, quæ vsui proficua comperimus, supplere possumus aliorum efficaciam. Sic profecto pultem, aut panatellam conficere oportet ex decocto sarsæ, guaiaci, aut Chinæ. Item pulueris cordialis modicum cum pane ad panatellam efficiendam, aut farina admiscere oportebit. Præterea aquæ cardiacæ eisdem modicum adijcies, vel tertia quaque hora cochleare vnũ puero porriges cum syrupo rosaceo, aut violaceo. Sed D inter omnia, quæ huic vsui proficua plerisque puerorum hac lue, & pustulis frequentibus infectorum cõperi, *stillatitia profecto aqua est ex pullorum carne, sarsa, & guaiaco cum theriaca, pimpinella, borragine, & fœniculo siccis: quæ omnia, vt sæpius dictum est, ita bulliant lento igne, quod aquæ medietas tantum supersit, & reliquam per alembicum stillare iubeto: cuius vel modicum cum pulte admiscebis, vel in ea sola panatellã conficies, aut aliquid eius ter quaterve die porriges: aut summo mane ℥. 1. & ß. puerulo præstabis, & nutrici, aut matri adhærere iubeto, & sudare modicum finito, idque facies sex, aut octo dierum spatio, dum à frigore puerulum præmunias.* Ablues tamen pustulas, & vlcera aqua aluminosa, aut spuma decoctionis ligni E guaiaci, ac si plurimum sordescant, nonnihil sublimati, aut viridis æris, quantum pro tenerrima illa ætate sat sit, adijcere poteris.

Adultiores verò pueros, & qui ab vsu lactis iam destiterant, eadem prorsus lege tractabis. Primò eisdem alexipharmacis cibaria conficies, & carnes illis præstandas guaiacino decocto elixabis, & prædictis instillationibus admiscebis, aut earum bis terve in die aliquid porriges. Sed his potum impera, q. ℞. *medullæ guaiaci ℥. 4. maceretur horis viginti, & quatuor in libris decem aquæ, deinde lento igne percoque, dum libræ duæ absumpta sint, & iuxta finem adijce passularum ℥. 1. glycyrrhizæ ʒ. 3. sacchari ℥. 3. postea per lapideum mortarium percolare finito, & infanti porrigito hora prandij, & cœnæ, ac si aliquid interim comederit, pari ratione facito.* Mira quadam efficacia prodest,

aquam pentaphylli stillatitiam, aut decoctam praebe A ante prandio, & coena, *& item mane, ita vt superdormiat, decocti radicis eius ℥.2. porrigere.* Poteris etiam *sarsæ parillæ ℥.2. in lib. septem aquæ percoquere, aut radicis Chinæ ʒ.2. in lib. 4. & insuper addere liquiritiæ modicum, vel pimpinellæ folia, cum modico saccharo, aut melle, si hyems fuerit, vel puer pituitosus.* Vteris etiam tenutritorijs alexipharmacis, aut stillatitijs aquis, quæ maioris sunt momenti, & penetrationis in hoc malo: quippe sese penitius inserunt, & facta citissima nutritione vim venenosi contagij infirmant, & deuincunt. Sed his plerunque ex vsu esse solet, præter stillantiam ex carne, & guaiaco aquam, altera quæ hac lege conficitur: *Mithridatij optimi lib. ß. theriacæ veteris ℥. 4. conseruæ florum rosarum,* B *buglossi, genistæ, thapsiæ, roris marini, cichorij, & nymphææ, anà ℥.3. seminis fœniculi, cardui, citri, acetosæ, radicis betonicæ, coronariæ, tormentillæ, dictamni, anà ℥.ß. aquarum cardui, buglossi, succi saluię, anà ʒ.9. succi plantaginis, & acetosę, anà ℥. 8. ponatur ad ignem remissum tribus diebus, quantum sat sit, vt leniter bulliant, deinde destilla in duplice vase, cuius destillati porriges ℥.2. cum ℥. ß. syrupi violarum.* Huius etiam cum cibis partem aliquam admiscere poteris: aut cum eo & pane biscocto, & iure ex carnibus elixis cum guaiaco, panatellam efficies, quam magni momenti fore arbitror, tum ad nutritionem, tum verò ad correctionem venereæ contagionis. Saginare etiam poteris pullos prædictis herbis, & scobe C guaiaci, & modico seminis carthami, ac ad purgandum ius mane præbere. Præterea statuendum est, non esse mox desistendum à prædicto curationis instituto, sed tribus quatuorve mensibus perstandum, donec aliquid frugis constet effecisse, & conijciamus, nouam succreuisse partium nutritionem, & carnem, ac vetustioris, & venereæ abolitionem, extinctionem, & corruptionem præcessisse. Non enim sat est in pueris purgasse, aut pustulas, tumoresve declinasse, ni nouam, & inculpatam moliaris nutritioné, alioqui mirum non est, si pretiosum quoduis alimentum protinus in membris in venereum commigret excrementum, mox in pustulas, tumores, vlcera, & ossium cariem abiturum. D

CAPVT IIII.

De venereę contagionis accidentibus, ac primò de doloribus.

HVius naturæ est morbi Gallici conditio, vt partes omnes, quas sua labe conspurcat, adeo praua qualitate afficiat, quòd non solum impotentiam, & marcorem in naturales potentias inferat, verum & ea, quæ in ipsis generantur, vitiosa, & fœda contagione afficiat, ita vt in grauissimos affectus, immanes dolores, & cruciatus protinus degenerent, E idque omnium maximè in capite, ita vt frigidum illud, humidum, & corrosiuum excrementum capitis ipsius conceptacula capere non possint, & ob id eius aliquid per pericranium in dentes, & maxillas, ceruicis membranas, & musculos, scapulas, & articulos, ac thoracis externas partes prolabatur, intolerabiles concitans cruciatus: nam licet raro in articulos procidat, eorum tamen ligamenta, tendones, & membranas frequenter exercet: sæpius tamen in artubus visitur, omnium, aut quorundam membrorum impotentiam, & dolorem concitans. Sic è visceribus, ac venis, dum natura vegetior fit, humorum magnam alluuiem in inguina, aut alias externas corporis partes commigrantia, in tophos, talpas, & multigenam tumorum varietatem, quibus etiam dolores intolerabiles, noctu tamen sæuiores concitantur, varij quidem & mutabiles in recenti contagio: fixi vero & permanentes in inueterato, & habituali facto. Nam illo sæpè vel spontè euanescit, vel celeriter sedem mutat, humore, cuius erat soboles, cocto absumptoque, aut liquato, & in aliam partem affuso. Verum in eo quod in vetustatem abit, vel reuersione torquet, vel vix vnquam spontè soluitur, quod vires languidiores factæ nequeant sese à mala humorum alluuione eruere, atque etiam quod crassior sit materia, vel penitiùs infarcta.

His omnibus proculdubio medeberis generali curandi ratione, per sudores, apozemata, & inunctiones: item per ea quæ dolorem leniant, qualia sunt digerentia, & laxantia, cuius naturæ existunt oleum liliaceum, chamæmelinum, anethinum, irinum, butyrum citra salis commercium, oleum ex cera, ex semine ebuli, aut ex terebinthina, vel theriaca: item fotus, & cataplasmata, & vnguenta. Sed hæc omnia iuxta cuiusque naturam excogitata, omnibus his quę retulimus accidentibus, proficua sunt: tamen eorum quæ solis doloribus ex vsu existunt, aliqua hac in parte recensere curabo.

Sic profecto primitus partem dolentem, siue in tumorem eleuatam, siue secus, fomentis calfacies, & laxabis, postea verò ad materiæ crassioris discussionem hoc vteris, q. ℞. *mucaginis seminis altheę, lini, & fœnugræci, extractæ in aqua saluiæ ℥. 1. & ß. gummi ammoniaci aqua vitæ liquati ℥. ß. olęi liliorum, butyri sine sale, anà ℥.1. & ß. fiat linimentum.* A quo si id non profuerit, superpone cataplasma, q. ℞. *sigilli beatæ Mariæ crudi, assungiæ porcinæ, anà ℥. 4. croci ℥.1. misce.* Quod si non profuerit, conficere oportet emplastrum, q. ℞. *sigilli beatæ Mariæ in puluerem redacti ℥.1. radicis ireos, & hermodactylorum, anà ℥. 2. gummi ammoniaci, sagapeni, galbani, assęfœtidæ in aceto, & aqua vitę liquatorum, & colatorum, ana ℥. ß. gummi elemi ℥. ß. ceræ ℥. 1. olei irini, & assungia porci, anà quod sufficiat vt fiat emplastrum.* Quod si ne hæc quidem prodesse videantur, ad aliud quod conficitur ex sigillo, & assungia, quod multi chirurgicorum probarunt, deueniendum est: sed maioris efficaciæ est, q. ℞. *gummi pini, emplastri de mucaginibus, anà ℥. 1. radicis ireos, & hermodactylorum, anà ʒ. 1. fingito emplastrum cum cera, & petroleo.* Cæterum si ad cataplasmata iterum deuenire placuerit, sic conficito: Excipe *radicis bryoniæ crudæ ℥ 2. sigilli beatæ Marię crudi ℥. 4. aßungię porcinę veteris ℥. 6. croci ʒ. 1. fiat cataplasma.* Verum si constiterit humorem esse aquosum, hoc vteris sacculo, q. ℞. *radicis althęę, & liliorum, seminis lini, & fœnugręci, anà ℥. 1. & ß. maluę, violarię, parietarię, anethi, chamęmeli, meliloti, hyssopi, aranthi, & artemisię ana m. 1. seminis fœniculi ʒ. ß. fiant duo sacculi, quorum alter calens pari portione vini, & aquę, vel aquę vitę parti apponatur.* Cæterum quod efficacius solet partium dolores, & causas illidere, est, q. ℞. *gummi pini, ammoniaci dißoluti aqua vitę, ana ʒ. 1. ladani, styracis, succi laseris, ana ʒ. 1. subigantur simul addendo pulueris ireos, & hermodactylorum, ana ʒ. 1. & ß. gummi elemi ℥. 1. radicis sigilli siccatę, & lęuigatę ʒ. 4. conficiatur emplastrum cum oleo liliaceo, & cera.* Ac si dolor fuerit in parte aliqua scirrhosa, adhibeatur antea inunctio ex oleo liliorum, & butyro, & postea huic addantur argenti viui ʒ. 2. extinguatur terebinthina, & assungia suilla. Cæterum inter hæc omnia aliud non minoris momenti parare poteris, q. ℞. *galbani, gummi ammoniaci, ana ℥. 1. aceto liquentur, & adde gummi pini ʒ. 6. emplastri de mucaginibus supra positi, aut alterius ℥. 1. & ß. radicis ireos, & hermodactylorum, ana ʒ. 1. & ß. subigantur, & fiat emplastrum.* Inter omnia tamen primas tenet in sedandis his doloribus, & articulorum etiam oleum, siue vnguentum ex ligno sancto, cuius descriptionem reperies cap. de tumoribus gallicis.

Quod

Quod si dolores in capite fuerint, cum aliquo leui tumore, qui pericranium iam infici commonstret, tunc quidem his vtendum est præsidijs, quæ facilè digerant, & attenuent, calfaciendo discutiendoque humorem ibidem contentum. Talis naturæ, & miræ efficaciæ est, q. ℞. *piperis, pyretri, nucis muscatę, cariophyllorum, macis, ana ℨ. i. pulueris radicis iridis, & calami aromatici, ana ℨ. i. & ß. seminis fœniculi, anisi, & cymini, ana ℨ. i. foliorum siccorum menthę, roris marini, saluię, betonicę, stœchados, origani, tragorigani, maioranę, calamenthi, thymi, & pulegij, ana p. ß. florum roris marini, chamęmeli, & lauendulę, ana p. i. ladani, Styracis calamitę, succi angelicę, ana ℥. i. olei communis, aquę vitę, ana lib. 2. ponantur omnia in vase nouo plumbo intus illito, ac probe obturato in fimo equino per dies viginti, & postea exprimantur, & oleum vsui seruetur:* mirum in modum dolores per causæ discussionem sedat, & ab ossis carie præseruat. Eundem vsum præstat assungia humana in aqua vitæ lota, & oleo ex saluia admixta: item aliud magni momenti præsidium conficies, q. ℞. *emplastri de meliloto, & de mucaginibus, ana ℥. i. gummi ammoniaci in aqua vitę liquati ℥. i. succi cyrenaici, aut angelicę, ladani, Styracis calamitę ana ℨ. 3. nucis muscatę, piperis, cariophyllorum, macis, ana ℨ. i. & ß. sinapi in aqua vitę, & aceto horis viginti macerati, & quam leuissimè subacti ℥. ß. ex his omnibus cum oleo ex saluia, & terebinthina fiat emplastrum eiusdem consistentię.* Quibus sanè præsidijs veteris frænata doloris vehementia per sanguinis detractionē, aut per expurgans medicamentum, vel mox à fomentis, vel post detersum sudorem: nam hæc fieri debent interim dum maiora auxilia adhibemus, inter vnum nimirum, & alterum sudorem, nam dum laborans in sudore est, satius iudicaui poros apertos adesse, quā his topicis obturare. Quibus etiā si addideris aliquid argenti viui, maioris profectò efficies vsus, maximè interim dum laborans sudoribus vtitur: quippe tunc incredibili efficacia ob corporis apparatum, & humoris tenuitatem prodesse assolent: nam vel sudorē iuuant, vel alui fluxum, aut sputationem facilè mouent, præterquam quod vi pollent digerendi.

CAPVT V.

De tumoribus Gallicis, ac primo de bubone venereo.

Dictum antea est, gallicam affectionem per se non constituere aliquod morbi genus, sed omnibus esse communem, inter quos primum huius veneni vis elucescit magis in tumoribus præter naturā, sed præcipuè in certa quadam eorum specie, quæ bubonem in se complectitur, cuius ad vnguem expendisse hac in parte naturam oportebit, vt euidenter constet, qua ratione curari debeat, & quam habeat peculiarem curandi viam, diuersam à communis bubonis curatione.

Triplicem esse in genere bubonum differentiam cognoscimus: vnam pestilentem: alteram quæ nomen generis sortitur, & bubonis nomine peculiari ratione gaudet, de qua Hippocrat. dixisse constat: Febres omnes ex bubone malæ, exceptis ephemeris: tertia verò & vltima gallicum bubonem continet, tumorem quidem in inguinibus ortum, venerea contagione adeò affectum, quod bubonem ipsum à seipso, & à communi genere differre cogat. Sed vt ad pensum redeamus, prima species bubonum ex perniciosa, & pestilente illa qualitate oritur, quæ massam sanguineam fœdissima putredine conspurcat: proficiscitur secunda species ex sanguinis redundantia citra aliud vitium, vel ex magno aliquo labore, qui ex peregrinatiōne per loca aspera maximè proficiscitur: tertia vero species non ex putredinosa, & pestilenti affectione, non ex abundantia, aut ex causa procatarctica, sed ex ea abundantia, quæ cùm naturalis videatur, & nullum sensibilem affectum efficiat, lue venerea clam, & occultè affecta in hunc morbum degenerat: aut fit ex gonorrhæa virulenta, & fœda, vel detenta, vel prauè expurgata, quæ si ex venere proficiscatur, hunc tertium bubonem generat: verùm si ex solo corporis vitio, aut improbo viuendi genere tantum secundam eius speciem efficit. Sed vt has tres species clarius distinguas, primum bubone viso, præcessisse febrem, aut non considerandum est: nam ante bubones pestilentes præesse febres oportet: in bubone vero qui ex corporis abundantia, aut causa procatarctica suboritur, simul cum ipso bubone febres apparent, vel protinus consequuntur, simul cum pustula, aut exitura aliqua in membro è regione inguinis, quam spuisse bubonem vulgò fertur. At Gallicus bubo neque febrem habet antecedentem vt bubo pestilens, quæ notatu digna sit, neque ex causa prodit procatarctica, licet euidens sit indicium præcessisse venereum, & contagiosum concubitum: cuius præludium est pudendi vlcusculum, vel exurentis seminis excretio. Hos autem bubones fieri in glandulosis carnibus, quæ in inguinibus extant, nulli esse dubium arbitror: in quibus tamen duobus modis fieri contingit: in ipsa videlicet glandulæ carne, & in ipsius corpore glandula ipsa excrescente in eximiam magnitudinem, & duritiem: secundo propè carnem glandulæ, aut intra pelliculam vestientem ipsam, quod aduertisse ad curationem summopere expedit: nam ex prima bubonum sorte quam plurimos reperies, qui neque emollientibus cedunt, neque suppurantibus, neque his quæ resolutionem moliuntur, sed ferè carnea videtur substantia, quæ non nisi diuturno tempore, & vegetiori facto calore, aut medicamentis quæ inferius referam, conteri vllo modo potest. Ob id quidem summa diligentia curandum est, ne inutilibus præsidijs diu insistamus, artis honorem, & laborem perdentes: alij verò bubones citius ad maturitatem perueniunt, maximè congruis præsidijs. Vterque tamen bubo proficiscitur ex ea sanguinis conditione, quam infectum iecur toti corpori cōmunicat, quem quidem cum non solum inutilem, verum & perniciosum persentit natura, in emunctoria transmittit, qui si tenuissimus sit, ita vt in carneā substantiam sese insinuet, postea in immedicabilem duritiem mutatus, primam bubonis speciem efficit; si verò crassus, secundam.

Sed in summa, efficiens vtriusque causa censetur maligna, & venenata quædam humorum labes, quæ concubitu in pene primum accepta, nonnunquam pustulis, tuberculis, & vlceribus ipsum conspurcat, seque manifestò prodit antea, quàm partium continuatione altius in corpus propagetur: nonnunquam verò integro adhuc pene, occultè penitiùs sese insinuans partes internas primitus conspurcat. Quæ sanè contagio si exigua inualidaque sit, corpus verò sanum, aut robustum, humores fœdat, quos natura valens in partes extimas, maximè inguinum laxiora, deponit, ex quo venereus bubo suboritur. Verùm si corpus fuerit impurum, aut languidum, veneni huius efficacia adeo humores vitiat, vt præterquam naturam in bubones consumit, residua in venis varia accidentia concitate habet. Hūc sanè humorem, quem occupat venerea hæc labes, non solum sanguis est, sed magna ex parte pituita, aut melancholia.

Cognita horum bubonum natura, facilè quis coniiciet, quantum difficultatis inferat ipsorum curatio: nam is qui in glandulę inguinum carne supercrescit, ipsam difficillimè admittit; qui vero propè ipsum, nō facilè: quippe cum fomitem habeat iecur deterrima *Curandi ratio.*

conditione affectum, perpetuo influxu malum tuetur, quantumuis aliquid auxilijs resoluatur: præterquã quod adeò est materia inobedientis condiooois, vt nec medicamentis, nec naturæ cedere facilè visa sit: in quo sanè opere plures mediros, & peritissimos quidem, defecisse non raro conspeximus. In primis tamen, vt veritati propius accedas, & ab authorum varietate, & lapsu, circa sanguinis detractionem in hoc affectu, scito in his bubonibus sanguinem detrahere, vetitum plerisque esse, aut saltem non licere, nisi prætermio eorum augmento: nec rursus expurganti medicamento vti, quo non minus retrahitur humorum fluxus, quam sanguine misso: cum hoc tamen cessan refluxione, aut si ex frigida constet, & melancholica materia, in qua diu maturitatem expectare oporteat mox à principio: nam periculum erit, eo vsque differre venenati humoris vacuationem, donec crassa materia maturitatem contrahat: in alijs vero qui ex sanguine, aut bile oriuntur, & cito maturitatem sunt adepti, consultius videtur, donec maturuerint, generales vacuationes differre: secus res se habet, si sanguinis præsit plenitudo, aut copiosa cacochymia: non enim tunc differenda est, vel sanguinis detractio, vel expurgatio, sed solum in his bubonibus, qui sunt potius ex virulenta contagione, quam ex morboso apparatu: nam tunc ad id quod morbosum superest in corpore, sanguioem detrahere oportet, & expurganti vti medicamento. Quibus præmissis, vnica tantum superest curandi ratio, quę circa bubonem ipsum solum versatur, quam scimus triplici indicatione constare. Vna quidem & prima est, quæ dolori mitigando incumbit: altera quę resolutionem accelerat. Atque licet in omnibus tumoribus præter naturam sit Hippoc. & Galen. præceptum, resolutionem tutiorem esse, & vtiliorem, hoc tamen habet peculiare, & proprium Gallicus bubo, vt longè meliùs sibi, & toti corpori consultum sit ex suppuratione, quàm ex resolutione. Primum sanè opus perficimus his medicamentis, quæ attenuationem quidem noo moliantur, neque fluxum impediant, nam hæc proculdubio corpori nocent, illa vero tumori præter naturam, licet aliquando bubo Gallicus, dum dolore caret, trahentia medicamenta optimè perferat, & aliquando postulet, quod tantum proficuum esse in his corporibus censeo, quæ purgata cum sint, mille adhuc scatent excrementis, quæ trahere ad emunctoria, tutum, & vtile est. Verum antequam ad hæc peculiaria deuenias, scito, in his bubonibus quæ breuiter ad suppurationem deueniunt, facta abscessus ruptura, sat esse apozematis, & alijs alexipharmacis leuioribus vti, ne feruidior fiat reliqua corporis materia, & amplius penitusque conspurcata, corpus mille alijs accidentibus premat. Cæterùm si ingẽs tumor, solus, vel cum penis vlcere, aut virulenta gonorrhæa, lentissimo motu ad suppuratiooem aspiret, præcautionis cura, aut solicitudo augenda est, præstito post sufficientem sanguinis detractionem, & purgationem sudatorio decocto: nam hoc præsidio frigida, & crassa materia incalescens attenuata, breuiter, vel abscedit, vel digeritur disseminatum per vniuersum corpus virus, cum sudoribus, spirat. Interim tamẽ parti primo prouidebis, quæ dolorem sedent, vel calidis fomentis spongia, aut vesica exceptis, & inguinibus affixis, ex althæa, malua, floribus violarum, semine lini, fęnugræci, & alijs, quæ consimilem obtineãt vim. A quo sanè fomento partem inungere oportet oleo amygdalarum dulcium tepido, sesamino, chamæmelino, liliorum alborum, lumbricorum, & similibus, quibus admiscere oportet recentem gallinæ assungiam, vel anseris, item mucaginem seminis citoniorum, psyllij, seminis althææ, & radicis eius, quam extrahere oportet prædicto decocto: ex qua quidem materia varias præsidiorum formas facilè effingere po-

A teris, ac efformare quæ dolorem leniant, & resolutionem maiorem moliantur. Quæ opera semper exequeris his, quæ bubonis virulentiam exterius euocẽt: qualis inunctio, q. ℞. olei liliorum, & chamæmeli, & æsypi, anã ℥. ß. & horis intermissis, quo facilius discutiatur trahaturque foras humor fomentis vteris, q. ℞. radicis althææ, & liliorum, anã ℥. 2. radicis acori, helenij, seminis lini, fœnugræci, anisi, fœniculi, anã ℥. ß. maluæ, violarum, chamæmeli, meliloti, artemisiæ, anã m. 1. contundantur omnia sacellis, qui coquantur æquis portionibus aquæ, & vini, ac facta expressione, parti adhibeantur. Quòd si his factis, crudior, & durior, ac dolorosior reddatur tumor, ad mollientia te conferes, tentans prius hoc emplastro resoluere, aut emollire:
B ℞. gummi ammoniaci liquati in aqua, & aceto ℥. 1. fermenti acris ℥. ß. olei liliacei, chamæmeli, & anethi, anã ℥. ß. adipis anatis, & anseris, anã ℥. 1. fiat aut linimentum, vel cum cera emplastrum. Quo facto, si adhuc nihil prosit, emollientia tentare oportet, qualis naturæ est, q. ℞. radicis althææ, & liliorum, cucumeris asinini, anã ℥. 1. foliorum acetosæ, maluæ, violariæ, anã m. 1. coquantur ad contabescentiam, & pistentur, & cribentur per setam: postea adde butyri recentis, assungiæ suillæ veteris, anã ℥. 4. farinæ lini, fœnugræci, & hordei, anã ℥. ß. radicis bryoniæ in lacte coctæ ℥. 3. olei liliorũ, & chamæmelini quod sufficiat, vt fiat cataplasma. Quo facto, ad suppuratoria auxilia te conferes, quale est q. ℞. medullæ pomorum coctorum ℥. 3. foliorum acetosæ
C coctorum sub cineribus cum butyro recentis ℥. 2. radicis cynoglossi crudæ ℥. 3. farinæ tritici in vitellis ouorum quatuor solutæ ℥. 1. assungiæ suillæ veteris quod sufficiat vt fiat cataplasma. Aliud etiam magni momenti conficies, q. ℞. galbani ℥. 1. gummi ammoniaci ℥. 1. & ß. dissoluantur in aqua parietariæ, & colentur, deinde adde vnguenti basilici ℥. 3. farinæ triticeæ ℥. ß. radicis cynoglossi crudæ ℥. 4. fiat cataplasma. Aliud quidem, quod longè maiorem habet emollitiooem, conficies hac lege: Excipe radicis althææ, liliorum, helenij, anã ℥. 1. & ß. seminis lini, & fœnugręci, anã ℥. 1. foliorum maluæ, violariæ, althææ, parietariæ, chamæmeli: meliloti, anã manip. 1. coquantur, & per setaceum transmittantur, tunc adde cæpæ parum, radicis bryonię ℥. 3. fermen-
D ti ℥. 1. croci ℥. 1. olei liliorum ℥. 2. assungię suillę veteris quod sufficiat vt fiat cataplasma. Verùm si laborans interdiu cataplasma ferre recusauerit, parte detersa, mane hoc vteris emplastro, q. ℞. gummi pini ℥. 1. ammoniaci emolliti in aqua vitę ℥. 6. galbani liquati in vino albo ℥. 2. pulueris hermodactylorum ℥. 1. & ß. laudani, & styracis, calamitę, anã ℥. 1. & ß. olei irini quod sit satis, vt fiat emplastrum. Sed huic vsui aliud pretiosius conficies, q. ℞. emplastri diachylonis, & meliloti, anã ℥. 1. gummi pini ℥. 1. & ß. gummi ammoniaci liquefacti aqua vitę ℥. 1. galbani ℥. ß. radicis ireos, & hermodactylorum, anã ℥. 1. olei irini quod sufficiat vt fiat emplastrum. Sed vsui fidissimo obseruatum est, suppurationi maximè prodesse emplastrũ,
E q. ℞. gummi ammoniaci in aceto dissoluti, & galbani, anã ℥. 1. & ß. vnguenti basilici ℥. 2. pulueris hermodactylorum ℥. 1. cerę parum, fiat molle emplastrum. Quod si ne hæc quidem prodesse videantur, tunc multi cõsulunt adhibere emplastrum ex cępis cum theriaca, & oleo chamæmelino: alij aliud, quod ex fermento, & pulueribus radicis ireos cum oleo irino, aut chamęmelino confectum adhibent: multò quidem ad efficaciora perueniunt, & ad cucurbitulam parti affixã, qua rarò esse vtendum coosulo, nisi gratia præcauendi maius aliquod malum. Sanius enim mihi visum fuit, à leuioribus initium sumere: cuius naturæ est, q. ℞. radicis althęę lib. 1. farinę tritici ℥. 2. caricarũ coctarum ℥. 1. & si farinę seminis lini ℥. 1. pinguedinis porci, & gallinę, anã ℥. 2. misce, & cum decocto caricarum, & radicum althęę fiat emplastrum. Eundem quoque vsum præstat emplastrum maturatiuum communiter

appel-

appellatum, cui admiscere oportet, si dolores præsint, A vitella nuorum & oleum chamæmelinum, aut liliorum alborum, & modicum theriacæ. Quòd si laborans hæc emplastra renuerit, vt qui negotijs deditus domi manere nequit, alia adhibere oportet in hoc genere leuiora, quàm ea quæ superius adduximus, qualis naturæ est diachylon gummatum cum pinguedine gallinæ aut porci liquefactum, & in formam vnguenti vel mollioris cerati redactum. Quibus factis, apertionem moliri oportet, vel ferro candēti, vel cau stico aliquo medicamento: inqua re nec more vulgi ante maturationem aperire oportet, nec nimiomodò expectare: nam ex pure diutius ibidem immorante, sinuosa, cacoethica & ægrè curabilia & quæ vix veniunt ad cicatricem, vlcera supersunt. Facto quidem B vlcere, rimari oportet deinceps eius naturam, ac si labra habuerit crassa, callosa, dura, vel praui coloris, ipsa citra cunctationem scalpello vel forcipe in circuitu abscindere oportet, vt semota parte, quæ coalescere nequit, & expurgationem vlceris impedit, facile ex carne superstite sana, vel mediocriter temperata caro & cicatrix regenerentur.

CAPVT VI.

De reliquis tumoribus Gallicis.

LIcet maiori ex parte morbus Gallicus à buboni bus initium sumat, nihilominus tamen non ta- C ro in reliquis corporis particulis adnasci tumores quidam præter naturam, quos gummata seu gummosos chirurgicorum vulgus appellat. Quos sanè adnasci cernimus in ossibus & articulis, non intra ipsos, sed supra in panniculis quæ ossa cooperiunt & in medijs artubus, quos noctu magis quàm diu exacerbari conspicimus. Sic profectò in tibia, in manuum ac pedum digitis, in costis & clauiculis, in fronte & reliquo capite adnascuntur, sed in femore, tibijs, & brachijs multo magis quàm in reliquis partibus maiores. Nec vero in externis duntaxat ossium partibus nonnsi tumores venerei gignuntur, sed etiam in internis, vbi neque tactu percipi, neque alin sensu exploρari possunt: velut in concaua caluariæ parte quæ D nyngas spectat, in internis costarum partibus & inter tibiæ ossa, qui si diutius negligantur, tenui & maligna sanie ossium substantiam carie corrumpunt, vt in quibusdam visum est, in quibus post diuturnos capitis dolores, quorum causa intus lateret, magnam puris copiam per nares reddiderunt, & in alijs, quibus terebello perforato cranio subtus puris non parua copia emanauit, menyngibus liuidis et semiputrefactis. Plerunque tamen maior tumorum pars ex durorum ac scirrhosorum est natura: præterquam in his, qui vel nimia abundant pituita, in quibus œdematosa elucet natura: & in his qui sæpius hydrargyro vsi fuerunt, non tamen omnino saluti restituti. Tumores igitur venerei in principio parui admodum atque ob- E scuri videntur, at si negligantur, sensim adeò increscunt, vt plerumque in ingentem molem, aut in scirrhosam duritiem commigrent. Verùm in quibus vel hydrargyri efficacia, vel humoris inconstātia ad intima carnis peruadit, in ossium poris materia colligitur, & mox in tumorem attollitur inflammato perinostio, In quibus dolor non prius vrget, quam humor periostium attingat, feriat & compungat, atque ab osse diuellat, ideoque statim doloris initio, tumor fere tactu percipitur, qui non solum ossi adhæret, vt in alijs, sed osseus tophus ferè est ossis ipsius substantia, ab humore quo imbuta & perfusa erat, veluti dilatata, atq; in tumorem diffusa spongiæ instar. Sunt quidem hi tumores adeò prauæ conditionis & naturæ, vt nusquam euanescere conspiciantur, nisi degenerantes in alopeciam, aut exulcerationem alicuius partis; quinimo frequentissimè adeò tenacis & deterrimæ sunt naturæ hi qui ossibus adhærent, vt nusquam suppurari contingat, nisi postquam ossa, chartilagines, & membranas corroserit & carie contabescerit.

Verùm, vt res clarior euadat, certiorque medicus fiat, expendat, in inueterata lue frequentius succrescere tumores nodosos & scirrhosos, maximè si recidiua fuerit: nam cùm fomitis venerei nonnihil ab imperfecta luis per hydrargyrum, aut quouis alio modo curatione in solidis partibus, atque in ipsis fere ossiū medullis reliquatur, huius maleficio concocti & assimilatio depravantur, qua excrementa copiosa aggregari necesse est, omnia tamē crassiora ac lenta. Quæ sane inter ossa & perinstia cepta in dolores implacabiles ac prædictos tumores promptissimè commigrant, & nonnunquam in eam scirrhi conditionem & duritiem, quæ ossium soliditatem æmulatur, & cum hoc non omnino sensu caret. At in recenti lue, vt tenuiora sunt excrementa, quia vegetior existit naturalis facultas, ita solum in cute & carne tubercula & phymata, scabies, maculæ, ac defluuium capillorum, quod Guaiacino decocto probe administrato, facile diligens medicus superabit. Verùm in recidiua & in inueterata lue, in ea maximè quæ hydrargyrum experta est, (nam ab eo effetæ & summoperè languidæ supersunt naturales vires, quo intus & extra longè magis congeruntur excrementa, quæ clam insidianna, maiori feritate denuo reuerti cogunt affectum) sic ossibus insidet venereum virus, vt inessan ter, donec corrumpat carie, carne forsan extima florida & sana apparente. Hos sanè tumores ab hydrargyri curatione reciduos, plerumque ad articulos migrasse, immanissimos dolores concitantes comperimus: quorum aliquos vidimus pituitosos, alios flatuosos, & nonnullos tophaceam referentes duritiem. Nā cum frequenti hydrargyri litu (qui plerumque fit iuxta articulos) ipsi infirmentur, roburque & calorem amittant, fit facilè, vt ibidem magis impingantur fermenturque humores, vel ibidem præ impotentia genitti, vel aliunde transmissi: plerumque enim, qui sic curati omnino non sanescunt, & anasarcam patientes, dolores, fluxiones, & reliquos ex frigiditate & cruditate affectus conspicimus.

Horum sanè tumorum, qui generali aut topica curatione non citò euanescunt, in suppurationem migrare assolent, euidentissimum quidem corruptionis ossium testimonium: qua ratione eos scalpello quàm citissimè aperire oportebit, & os abradere, & igne omnino exiccare. Sed omnium curatio hac lege instituenda est: siue duri existant tumores, siue molles, pituitosi aut flatulenti, primum quidem per Guaiacum, per apozemata, aut si vrgentia mali postulauerit, per hydrargyrum corpus à venerea contagione vindicare curabis: sed probo magis per epota, frequētes sudationes, & alia id genus, quibus duros ac diuturnos tumores, & qui fere immedicabiles videbantur, sanitati restitutos vidimus. Interim tamen dum hæc fiunt, & his factis, si inueterata sit affectio, tumori adhibebis quæ vim habeant fundendi humorem ibidem concretum, ac tenuandi, & digerendi.

In quo sanè opere exequendo, tria comperio medicamentorum genera: primum per pharmaca quæ solis manifestis qualitatibus id munus præstant: secundum per eadem aut mitiora & molliora, cæterum ad dito sublimato, aut præcipitato, vel efficacissimo alio eiusdem naturæ: tertium verò per ea quæ cinnabarim aut argentum viuum recipiunt. Quorum profectò auxiliorum vsum adeò indistinctè & indiscriminatim comperio exequutum, vt mirum non sit inter autores esse nonnullos, qui illud primum semper adhibeant, alijs omnino tanquam perniciosis posthabitis: quosdam vero ex argento viuo confecta adeò

pec-

peculiaribus extulisse laudibus, vt liberè ausi sint asserere, nullo alio vtendum esse præsidio, & reliqua tanquam inutilia prosequuntur: rursus alios reperies, qui sublimata medicamenta longè præstantiora arbitrentur, & omnibus tumoribus ac doloribus ita proficua, vt reliquis vti, tanquam inutile aut periculosum damnent. Quam sane inconstãtiam arbitror ortam fuisse ex ignoratione naturæ tumoris, cui magis hoc quam illud medicamentum ex vsu existat. Censeo quidem primi generis medicamenta ex vsu tantum esse his humoribus, quibus, licet ex alia materia constent, adiunctum etiam est venereum virus, non tamen totalis materia gallica existit: qualis ea est, quæ in corporibus noviter hoc malo correptis visitur: ea vero medicamenta quæ argentum viuum aut cinnabarim recipiunt, eis solum proficua sunt & necessaria, quæ omnino morbi gallici naturam sapiunt, citra alterius humoris aut morbi complexum: quippe aliã materiam à venerea agitare, mouere, aut alio transferre hydrargyro, omnino periculosum existit, vt quę in eum locum a natura tanquam in emunctorium transmissa est: at materia mere gallica, vt quæ in cunctis partibus generatur & viget, per quasuis expugari tutò potest, si commode & prudenter fiat, præterquã quod illi soli videtur argentum viuum alexipharmacum agere. At ea medicamenta quæ sublimatum recipiunt, omnibus ex vsu existunt, maxime si vel materia tenacior facta sit & tophacea, vel in parte sit, cui cutis incumbat crassa aut capillata. Quo fit, vt si quis hanc curandi methodum & rationem euertat, mirum non sit, si resoluentibus aliquando pus moueat, ossa putrefaciat, aut alia inopinatò exequatur opera.

Quibus præmissis, primi ordinis medicamenta hac lege conficies: *Excipe emplastri meliloti & oxycrocei, anà ℥. 3. olei laurini, de sulphure & rutacei, anà ℥. ß. pulueris radicis ireos et consolida maioris, anà ʒ. 2. cum cera iterum reddantur ad emplastri formam.* Aliud etiam parabis ex diachalciteos cum prædictis pulueribus & oleis, quod mirabilis est efficaciæ. Pari ratione parabis aliud ex vnguento marciato, & eisdem pulueribus, cũ puluere bacearum lauri, & addita pice, ac emplastro ceroneo. Pretiosius aliud conficies, q. ℞. si durus sit tumor, *emplastri filij Zacharię ℥. 3. euphorbij ℥. 3. gummi hederę ℥. 2. amoniaci, opopanacis, bdellij dissolutorum in oleo liliorum, anà ℥. ß. styracis ʒ. 3. aristolochię longę & rotundę, anà ʒ. 1. terebinthinę abietis ℥. 1. olei liliorum & laurini, anà ℥. ß. cum cera fiat emplastrum.* Cuius efficaciæ aliud conficies, q. ℞. *emplastri filij Zacharię & ceronei, anà ʒ. 1. & ß. euphorbij ʒ. 3. malaxentur simul, & fiat emplastrum.* Item non est minoris momenti q. ℞. *olei chamęmelini, laurini, spicę, liliorum, & de sulphure, anà ℥. 2. petrolei ℥. 1. & ß. pinguedinis porcinę non liquatę, nec salitę ℥. 2. euphorbij ʒ. 2. thuris ʒ. 4. lumbricorum lotorum in vino ℥. 1. succi radicum ebuli, lapathi acuti, enulæ campanę, anà ℥. ß. squinanti, stœchados, matricarię, anà p. 1. vini odoriferi libr. 1. coquantur omnia simul lento igne ad consumptionem vini, & colaturę adde lithargyrij auri ℥. 2. terebinthinę ℥. 1. cerę quod sufficiat, vt fiat cerotum, addendo in fine decoctionis styracis liquidi ʒ. 3. & postquam ab igne semoueris, baculo agitetur, donec formam acquirat.* Aliud etiam parabis, q. ℞. *assiungię porci non salitę, butyri recentis, aßungia anatis, anà ℥. 2. olei sulphuris, laurini et anethi, anà ℥. 2. mastichis, myrrhę, iridis, ana ℥. ß. pulueris radicum ebuli & vtriusque aristolochię, ana ʒ. 1. ß. terebinthinę lotę aqua vitę ℥. 3. resinę & cerę quod sufficiat, vt fiat linimentum:* ac si emplastrum efformare volueris, *adde vel ceronei, vel emplastri diachylonis, quod sit satis.* Horum etiam loco adhibere poteris omnia linimenta & emplastra, quæ argentum viuum recipiunt, ipso dempto, quorum magnam copiam hic reperies. Vnguentum au-A tem de mucilaginibus, omni duritiei proficuum, sic conficies: *Excipe olei seminis lini, chamæmeli, irini, & de croco, vnguenti dialthæę, hyßopi humidę, butyri vaccini, assungię gallinę, anseris, et anatis, medullę cruris cerui aut vituli, assungię anguis, ana ℥. ß. mucilaginis althæę, fœnugręci, et seminis lini, et maluarum ℥. 4. amoniaci, galbani, opopanacis, bdellij, dissolutorum in aceto scyllitico et oxymelite, ana ℥. ß. serapini ʒ. 4. marchesitæ tum prępar. ℥. ß. fiat vnguentum secundum artem, addito diachylone communi, et croci ℈. 1. cum guttis aceti sambucini.* Sed ad emolliendos & discutiendos huiusmodi humores, miræ efficaciæ conficitur ex ligno Guaiaco vnguentum, q. ℞. *Rament. Guaiaci lib. ß. olei antiquissimi et sesamini, ana lib. ß. vini albi antiqui li. 1.* B *fumarię, verbasci, cucumeris agrestis, ana m. 3. omnibus commixtis et infusis per triduum simul, coquantur vsq; ad vini consumptionem, et facta colatura et expreßione, adde dialthæę et vnguenti Agrippę et Aragonis, ana ℥. ß. fiat vnguentum cum diachylone communi.* Huic quoq; vsui ex eodem ligno Guaiaco mirabile quoddam oleum parabis, quod sedandis articulorum doloribus, mirum in modum proficuum competitur: ℞. *rasurę interioris ligni lib. ß. radicis Chinę subtiliter rasę ℥. 2. bryonię, enulę campanę, cucumeris agrestis, fumarię, chamęmelini, ana p. 2. olei anethini lib. 4. vini albi libr. 3. simito simul macerari septem dierum spatio, postea bulliant ad vini consumptionem, & post colaturam in vitreo vase triginta dierum spatio feruenti Soli* C *exponatur, et vsui seruetur.* Verùm si tumores laxi, pituitosi ve sint, ante medicamenti cuiusuis adhibitionem, fomentis resoluere tentabis: cui vsui efficacissimum est, q. ℞. *foliorum lauri et tamarisci et ficulneę, oleastri, sarmentorum, ramorum ilicis, roris marini, ana: comburantur omnia, et ex cinere lixiuium conficito,* magni vsus ad articulos etiam dolentes. Quòd si in tibia vel genu tumores sint, post prædictum fomentum parti appones emplastrum, q. ℞. *succi ebuli et caulium, ana lib. 1. olei chamæmeli, mellis communis, ana ℥. 4. stercoris caprini, farinę fabarum et lupinorum, ac furfuris torrefacti, ana part. 2. fiat emplastrum.* Quòd si non profuerit, primò vteris decocto aphrodillorum, chamæmeli, foliorum sambuci, & tama-D risci.

Secundi autem ordinis, & quæ argentum viuum recipiunt, plura reperies, inter quæ Vigonis emplastrum de ranis ferunt non parum prodesse: quo ego non ita facile vtor, vbi subtus adest os: nam propulsa intro materia, facile insinuatur in tunicam, & mox longè magis in ossa ipsa: quapropter hæc & reliqua huius generis, vel in partibus carnosis, vbi longius distatos, semper ex vsu fore comperi, aut si supra ipsum adhibere placet, maiorem argenti viui copiam addimus. Quo facilius & profundius ad corporis emunctoria virulenta materia permeet: aut eis vtimur interim dum laborans sudoribus vtitur, nam apertius corpus & paratiores humores promptius obsequun-E tur. Parantur autem vnguenta, & cerata aut emplastra ad tumores discutiendos varijs modis, ego tamen hæc selecta semper habui. Primum ℞. *vnguenti martiati ℥. 1. & ß. aßungiæ porcinæ sine sale lib. ß. olei chamæmeli & laurini, anà ℥. 1. et ß. argenti viui ʒ. 2. resinæ & terebinthinæ, anà ℥. 1. & ß.* Aliud etiam parabis, q. ℞. *emplastri filij Zachariæ & ceronei, anà ℥. 2. mastichis, thuris, sarcocollæ, aristolochiæ rotundæ, anà ℥. 2. opopanacis dißoluti in aqua vitæ ʒ. 6. myrrhæ ʒ. 3. argenti viui ʒ. 3. resinæ, & cera quod sufficiat, vt fiat vnguentum vel emplastrum:* quod si velis os à corruptione præcauare, *huic adde euphorbij ℥. ß. & myrrhę tantundem*, quod censeo maximi fore momenti. Hunc etiam vsum præstant *emplastra omnia quę gummi recipiunt, si eis addideris à ʒ. 6. vsque ad ℥. 1. pro libra.* Eundem quoque vsum præstant *inunctiones primi generis, si eis adieceris etiam pro libra vsque ad ℥. 3.*

argenti

argenti viui, sed satius est infra subsistere, & paulatim quantitatem adaugere: item & reliquæ inunctiones, quas ad sputationem scripsimus, præsertim eam, quam vltimo loco scripsimus, qua tutò & vtiliter vti poteris, vel sub propria forma, vel sub forma cerati aut emplastri. A

Tertiæ & vltimæ sortis sunt inunctiones, cerata, aut emplastra, quæ sublimatum recipientia, vel vesicas mouent, aut vlcuscula excauant, aut per insensilem halitum materiam digerunt. Huius generis est diachylon sublimatum, in cuius sublimatione hoc obseruari oportet, quod in parte non capillata & tenuioris cutis, *satis est diachyloni addere pro ℥. 1. grana tria sublimati*, verum in capite & partibus crassæ cutis *ad gr. 5. & ad 6. vsque deuenire oportet*. Præterea capite dolentibus & doloribus eius, paratur eadē mensura cerotum ex sola cera & terebinthina cum sublimato, quod solet esse non minoris efficaciæ. Addimus etiam minorem sublimati copiam his vnguentis aut emplastris, quæ liquidioris sint formæ, & fluidioris substantiæ: quippe his adiunctis, facilius permeat & efficacius operatur. Quapropter cuiuis ex gummatis, cerotis, aut emplastris, & cuiuis etiam ex prædictis secundi aut primi ordinis, dempto argento viuo, adhibere oportet prædictā sublimati copiam, & huic vsui parate efficacissima, & magni pretij, ac vsus auxilia. Inter quæ etiam nunc denuo peritiores chirurgi vesicatorijs vtuntur in tibiarum & brachiorum inueteratis & induratis tumoribus, in quibus ob ossis corruptionem opus erat ferro & igne: quorum aliquibus ita prosperè cessit, vt citra cauterificiū & vstionem, ossis caries exusta per vlcuscula expirauerit, & firma cicatrix inducta sit, quod rarò citra ossis abrasionem & decessionem fieri assolet. Huius autē naturæ est, q. ℞. *fermenti ℥. t. extende ad formam tuberculi, & aceto acerrimo irrora, & insperge puluerem tenuissimum ex cantharidibus, & supra tuberculum appone dum vesicę quędam appareant, quas tenui acu perfode, & humorem contentum exprime vsque dum totus effluat, mox supra tuberculum folia caulium recenti butyro illita, vel emplastrum diachylon maius impone, vsque dum totus ichor ex tuberculo emanet.* Verùm si tuberculum radicitus non euanuerit, bis, terve aut quater fermentum dicto modo parabis, & nouas vesicas excitabis, vsque ad omnimodam tuberculi extirpationem. Quibus factis ac sublatis etiā omnibus venereæ contagionis symptomatis, si tophus venereus continuatis per mensem integrum prędictis auxilijs non tollitur, & cum hoc doloris prorsus expers existat, et instar ossis durus, reliqua curatio superuacanea est: forte enim ossis ipsius substantia in tumorem diffusa atque elata, nec digeri, neque in pus verti potest, sed sic viuere permittendum erit, aut ferro & igne radicitus osseam illam substantiam extirpare modo dicto opus erit. Cęterum in gummatibus quæ in capite fiunt, antequam ad vesicatoria auxilia deuentum sit, vtendum est lauacris ex lixiuio, inunctionibus, & appositis prædictis, in quibus si nihil post aliquod tempus profecisse constiterit, plurimum innitendum non est, neq; validis medicamentis diu vtēdum, ne resoluta tenuiori materiæ parte, vel quod crassum est supersit, vel folliculus aliquis, quem frequentissimè in talpis & huiusmodi gummatibus reperimus, gignatur, quem etiam citra chirurgicam nō curabis. Qua potissimum ratione fieri censeo, quod cum ex apposito aliquo pharmaco tumorem euanescere conspicimus, & iterum ad antiquam magnitudinem aut maiorem redire, folliculum esse recidiuæ potissimam causam: nam folliculus ille facilè ex se materiam generat, vel dum in pus conuertitur, subiecta membra facile exedit.

CAPVT VII.

De Gallicis vlceribus.

TAnta quidem varietate ludunt Gallica vlcera, vt vix certa lege complecti ea possis. Cæterum clarioris doctrinæ gratia, licebit omnia ad duo tantum capita referre: primum sanè continebit vlcera quæ ex bubonibus, talpis, seu gummatibus, & alijs tumoribus præter naturam fiunt, necnō & ex pustulis, quæ non raro in exulcerationem virulentam degenerant: quædam verò sunt vlcera, quæ citra præcedentem morbum, solum à causa seu virulento humore B excedente & depascente carnem, fiunt: illa quidem communi nomine vlcera appellantur: hanc verò cariem nuncupamus, licet peculiari nomine caries ad ossa pertinere videatur, cum hoc tamen certa quadam similitudine ad carnem exesam & cariosam se extendit.

Primum igitur genus varias sub se complectitur vlcerum differentias, quædam enim ex tumore aliquo rupto supersunt, quæ coctionem materiæ, & sordium abstersionem, atq; carnis regenerationem exposcere videntur. Alia quidem sinuosa existunt, ac superiacentem cutem & sinuosam cauitatem abscindi, vel abluitione optimo postulant. Alia callosa sunt & callum radicitus exurpari amant. Pleraque cacoe C thica, mali moris, & quæ vix aut nunquam ad cicatricem perueniunt, ac mox si peruenerint, ipsam exulcerant & ad antiquum statum redunt, quæ peculiarem in expurgandis humoribus & attemperandis subiectis partibus diligentiam prærequirunt.

Sed vt singula percurramus, expendere oportet, hoc habere proprium & peculiare omnia Gallica vlcera, quod nunquam tutò ad cicatricem peruenire possint, nisi vel præmissa purgatione sufficiente, vel sudationibus, aut inunctionibus prægustatis. Quo facto, vel si possibile id non fuerit, si vlcus exiguum sit, chirurgica manu opus nō est: nā extincta morbi malitia, facile vlcus sanescit: si verò profundū, aut latera depascens, quamcunque partem prehenderit, con D festim coercere sistereque oportet, maxime si vel fauces occupauerit, quas periculum est, ne celeriter conterat, & raucedinem miserabilem ante curationis fructum inferat, aut penem corrumpat, vel nares, aut quamuis aliam partem. Quapropter in curatione hęc obseruabis, mox enim ab aperto bubone vel tumore quouis præter naturam subiectas partes circunstatem carnem diligenter intueri oportet, quas si temperatas conspexeris, vel parum à temperie dissidentes, communi illo medicamento digestiuo appellato vteris, confecto quidem *ex pari portione terebinthinæ et vitellorum oui*, tandiuque in eius vsu persistes, donec carnem ex pute præter naturam vitiatam, & humorem ipsum in pus mutari comperias: quod constabit E ex minori puris copia, ex priuatione doloris, & ex rubra carne è lateribus et fundo pullulante. Quo facto, ne sanam quoque partem putrefacere videaris, ad ea quæ abstergunt & carnem generant, protinus deueniendum est. Vulgatissimum quidem est apud chirurgos & rationi consonum, melle rosaceo vti, quia calorem naturalem videtur tueri, & succrescentes sordes abstergere: cui aliquando exiccationis & roboris gratia adijcitur thuris puluisculum. Quibus sanè medicamentis, ni vlcus in aliam speciem degenerauerit, ipsum procul dubio sanitati restitues. Cæterū si vlcus vetustate labrorum duritiem & sordes iam contraxerit, ad maiora auxilia deuenies, quæ paulò inferius leges. Verùm si ex diligentia compertum fuerit, subiectam membranam, cartilaginem, aut ossa exesa esse & vitiata, non antea medicamento aliquo vteris, quam totum id quod vitiatum subest, de-

uasta-

uastaueris ferro abrasorio, si os fuerit, vel forcipe, aut A alio instrumento incisorio, si caro, membranave: postea vero os ferro candenti inures: secus res se habet in carie ossium capitis, quæ actuali igne tractare non licet, sat enim est, si nimium vrgentia premat, aqua argentariorum nonnihil penicillo vtere, ac deinceps vlcus debita curatione tractare. Quod si laborans renuerit vim ignis, caustico medicamento totum id quod corruptum & vitiosum est, exurere oportet: in quo sane vsu, frequenti experimēto probarunt chirurgici vtilissimum esse puluerem illum Ioannis de Vigo, vel vnguentum ægyptiacum, aut si mitius velis agere, vnguentum rubeum. Verùm si ossium corruptionē comperens esse magnam aut rebellem, aqua qua ad deaurandum vtuntur argentarij, vti procul- B dubio poteris: quam excipere penicillo aliquo oportet, & sufficienti spatio io vlcere immorari sine re: quod si placuerit, Auicen. medicamento mirabilis efficaciæ vtere, quod ossa frustratim vim habet extrahere, ℞. *quidem aristolochię, aloes, myrrhę, corticis opopanacis, corticis pini, ireos (& loco cambil adusti, quod ipse scribit) aduce squamęque æris, anà aggregentur melle, & vtere.* Postmodum vero putrefactonijs oportet vti, quæ id quod exustum separatumque est, in pus vertant.

Quod si vlcus putridam carnem tegerat, exiccare deinde curabis, donec ad cicatricem perducatur. Cui vsui proficuum admodum est id vnguentum, q. ℞. *Emplastri gratię Dei, emplastri chalcitidis, vnguen-* C *ti pompholygis, anà ℥. 1. cum guttulis olei ex ligno Guaiaco fiat vnguentum.* Aliud maioris efficaciæ, pręsertim post sudationem aut vnctionem, q. ℞. *linimenti ex argento viuo vnguenti Apostolorum & pompholygis, emplastri gratiæ Dei, & de chalcitide, anà ℥. ß. cerusæ, lithargyri, minij, aluminis, pulueris caluariæ canis, anà* ʒ. 2. *fiat vnguentum.* Post hæc autem sarcotica sunt adhibenda quale est id, q. ℞. *succi apij, terebinthinæ abietis, anà ℥. 2. mellis optimi ℥. 2. ß. luteorum ouorum n. 2. farinæ hordei quod sufficiat: fiat vnguentum.* Mundat autem longè præstantiùs vlcus id q. ℞. *mellis rosati ℥. 4. terebinthinæ cum aqua vitæ lotæ ℥. 1. ß. succi absynthij & apij, anà ℥. 2. myrrhæ, thuris, anà ℥. 1. farinæ fabaceæ & hordei, anà quod sufficiat: fiat vnguētum.* Nec D minoris momenti est quod fit ex oleo rosaceo, puluere Ioannis de Vigo & cera alba, aut cum oleo prædicto, cera & elleboro nigro. Aliud etiam conficies lōge maioris momenti, cum vlcus calidum & scabrū apparet, q. ℞. *succorū apij, arnoglossi, scabiosæ et thapsi, anà ℥. 1. mellis rosati ℥. 4. terebynthinæ ℥. 2. ß. myrrhæ, sarcocollæ, corticis thuris, aleos, anà* ʒ. 2. *antimonij* ʒ. 4. *farinæ hordei ℥. 1. redigantur omnia in puluerem, & bulliant parum, ac fiat vnguentum*. ad quotum pensum alia pleraque confingere potens non minoris momēti. Verùm si callosum fiat vlcus, aut sinuosum, quod non raro succrescere assolet, modò ex bubone, modò ex tumore quouis præter naturam supersit, scalpello vel forcipe abscindere callosam partem oportet, & si E quid sinuosum est, totum ipsum abrumpere & dilatare, et labia, ne iterum coalescant, abscindere: tandem fluxionem aliò transferre curabis, & vlcus per callosæ carnis exesionem, donec noua caro supercrescens veram cicatricem admittat.

Præterea si vlcus cacoethe sit, & ex eorum sorte, quæ ad cicatricem ægrè deueniunt, vniuersam huius malignitatis causam stare in defluxu ad partem affectam credendum est. Verùm hæc est differentia inter hæc vlcera cacoetica, et alia quę ob fluxionem nimio madore abundant, quod sola maiori exiccatione curari possunt, quia humiditas in corpore vlceris præest: illa vero difficilem admittunt curationem, quia humor qui defluit ad ipsum vlcus, præter quam quod venenosus & summopere præter naturam est, nutritionis quandam speciem efficit in ipso vlcere, cuius ratione neque abstergētibus curari potest, quia humor in falsam quandam nutritionem degenerauit: neque sarcoticis, quia genuina caro generari nequit, ob eam quæ præter naturam genita est. Quibus rationibus euidenter constat, hæc vlcera difficulter curari, & ægrè ob id ad cicatricem peruenire: quod si aliquādo cicatrice obducantur, ex vitio corruptæ carnis quæ subest, facilè eam perdunt, & ad antiquū reuertuntur statum. Quapropter potissima curandi ratio duplex existit: altera quæ fluxum auertat aut minuat: altera vero, quæ id carnis quod vitiosum est, ex toto depopuletur: quibus accedit tertia non minoris momenti, quæ ex optima victus ratione nouam, & antiquæ carnis per similem generare possit. Auertimus quidem humorem fluentem, præter sanguinis missionem & expurgans medicamentum, sudoribus, & his auxiliorum generibus, quæ superius retulimus. Carnem verò erodimus puluere Vigonis, aqua sublimati, vnguento Aegyptiaco, aut quouis alio caustico medicamento, cuius naturæ est puluis præcipitati cum vnguēto tutiæ, vel causticum hoc, cuius mirabili, est efficacia in conterenda putrida & vitiosa carne, si alijs mitioribus adiūgatur, & à minima quātitate fiat initium: ℞. *medullæ fermenti ℥. 4. sublimati* ʒ. 10. *minij ℥. ß. redactis in puluerem, & cum fermento & aqua plantaginis mixtis, fiat massa in furno exiccanda, quæ rursus in puluerem redigatur, & adde amyli & cerusæ, anà* ʒ. 3. *succi aphrodillorū* ʒ. 10. *aceti albi* ʒ. 5. *misce, & vsque ad succi et aceti consumptionem coquātur, & iterum exiccentur, ac in puluerem redigantur, et modico vnguento expompholyge, aut basiliconis admixto fiat vnguentum:* cuius modicissimum in vlcus proijce, & circum vlcus ac desuper adhibe hoc medicamentum, q. ℞. *olei rosati omphacini, & myrtini, succi plantaginis & solani, anà ℥. 2. aceti rosati ℥. 2. ß. bulliāt simul ad succi & aceti consumptionem, & adde ceræ q. s. & agitetur antequam refrigescat in mortario plumbeo.* Verùm in his vlceribus, quæ difficulter sanescūt, & cacoetica existunt, in lue gallica, maiori vsu probantur, quæ vel cinabrium recipiunt, vel argentū viuum, *dummodo pro vnguenti lib. adijciatur argenti ℥. 1. aut paulo minus*. Ad quod sanè præsidium deueniendum est, cùm supercrescentem carnem exedere studuerimus puluere Ioannis de Vigo, vnguento Aegyptiaco, vel aqua argentariorum, ac si hæc prodesse nō videantur, ad argentum viuum deuenire consulit rei ratio, vt dictum est.

Sed de carie carnis, quam alteram vlceris speciem esse diximus, expendendum primò est, cariem appellati, (licet hoc vitium ossibus à Galeno tributum sit) quia non fiunt sicuti reliqua vlcera ex pustulis vel tumore aliquo pręter naturam, sed solum per exesionē, quemadmodum ossibus contingere scimus. Quamobrem non immerito cariem appellamus vlcus quod in pudendo reperitur, & ea vlcera quæ in ore & faucibus fiunt, necnon & in naso. Quæ sanè multis occasionibus fieri constat: nam licèt ex vapore ad partes illas transmisso, vel ex contagione et frictione, aut ex tenui saniè à iecore trāsmissa fieri optime possint, cum hoc tamen ex adhæsu ad corruptam fœminam frequentius accidunt, ob excrementa viruleota et putrida quæ in eisdem partibus congeruntur. Sunt porrò hæc vlcera curatu difficillima, & maioris mali sæpissime præludium, & ob id studui proprium caput huic vlcerum sorti dicare.

CAPVT VIII.

De oris, & narium, ac pudendi vlceribus.

CVrare quidem hæc vlcera diligenter oportet, & sui & futuri mali ratione: nam ab his plerumq; contingit, iecur, & vniuersum corpus virulenta lue fœda-

fœdari, quippe virulentia illa semel ea parte suscepta, facile seminis instrumenta ac vasa quæ ad iecur conscendunt adeò turpiter fœdat, vt prouinus in vniuersum corpus malum mille accidentibus erumpat, ni cito præueniatur: præterquam quod hæc penis vlcera nondum sana debent haberi, etiam si cicatrice obducantur, nam sæpe in eis cicatrix superest tuberosa, quæ maioris mali solet esse præsagium, quam si vlcus diu perstitisset. Qua in re præmittere oportet fundamenta quædam curationi summopere necessaria: primum est, in omnibus his vlceribus non esse humorem fluentem aliò transmittendum, sed omni ratione per expurgantia pharmaca & sanguinis detractionem ex brachio & talo conterendum: quippe ex repellentibus medicamentis pudendo adhibitis, fieri protinus bubones compertum est: quamobrem per exiccantia pharmaca, & ea quæ valenter extergunt hęc vlcera curãda sunt. Secundo aduertendum ante eorum exhibitionem est, an huiusmodi vlcuscula ex sola pudendi excalfactione ortum duxerint: nam eo tempore sola aqua plantaginis & rosarum sufficiet: sin aliter, transceundum est ad aquam solani & plantaginis, cum alumine vel flore æris. Sed inter cætera auxilia illud primas obtinere experimento comperimus, quod ex Lanfranco Medico scriptum reperitur, ab eo peculiari ratione aqua Lanfranci appellata. Verùm si sordidius ex dolorosius extiterit vlcus, decoctum Guaiaci cum vino et rosis, proficuum esse certò scimus. At si ad putrilaginem peruenerit, abluere vlcus aliqua ex prædictis aquis oportebit, deinceps aspergere super partem vlceratam cinerem seminum anethi & squamam æris pręparatam. Quod si adhuc id sufficere non possit, medendi ratio consulit veniẽdum esse ad vnguentum rubeum, vel de tutia cum puluere Ioannis, aut ad ægypriacum: ac si huic quoque obtemperare nequiuerit vlceris malitia, sed periculum sit, ne præputium, aut glandem exedat, adhire tunc oportet vnguentũ aliquod, quod pręcipitatũ recipiat, ac nonnunquam ea quæ ex argẽto viuo conficiuntur. Monere tamen oportet circa pudendi cariẽ aliquãdo ex ea curata vel cicatricem adeò enarctatã superesse, vel pręputij cuticulam adeò callosam, rugosam, aut exiccatam, quod detegi minimè glans possit. Cui facile chirurgi medentur præputio vel inciso, vel abscisso: cæterum reperio apud peritos in hac re viros, aliam esse tutiorem curandi rationem: nam oportet cutem ipsam mucilaginibus, pinguedine & oleo multis diebus oblinire, deinde facto plumbeo instrumento ad formam fistulæ, aut infundibuli inter glandem & præputium, ita vt per id vrinam emittat laborans, deinde sensim maiusculum efficere, & trãsactis quatuor aut quinque diebus, aliud maius, donec sensim & leniter ita præputium laxetur, quod glans facile detegi possit.

Verùm si in gurgulione, palato, aut quauis alia faucium parte caries præfuerit seu vlcus, omni arte aliò transferre fluxionem oportebit: primò quidem sanguine misso, expurganti medicamento adhibito, ac deinceps affixis cucurbitulis, & his præsidijs quæ ad distãtes partes distrahere possunt: ac si leue vlcus fuerit, solis collutionibus vti satis erit. Quod si grandis sit exulceratio, periculumque suffocationis perstiterit ex copiosiori humorum affluxu, venas quæ sub lingua sunt, tundere oportebit, tandem repellentibus vtendum est: quem vsum præstant gargarismata, q. ℞. *foliorum oleæ, myrti, lentisci, anà m. 1. plantaginis m. ß. rosarum p. ß. hordei p. 2. fiat decoctio ad lib. 2. & in colatura dißolue vini malorum granatorum ℥. 2. diamoronis & syrupi rosarum, anà ℥. 1. misce & fiant gargarismata.* Verùm in morbo Gallico placuit semper magis ad ea quæ vehementer abstergant, & id quod putridum est exedant, peruenire, quam ad fortiora adstringentia: ob id semper prædicta vlcera vel aqua ar-

A gentariorum exurimus, vel vnguento Aegypriaco quod putridum est exedimus. Primo enim (præter dicta auxilia) adhibebis id, q. ℞. *hordei mundi, lentium excorticatarum, satureię, rosarum, plãtaginis, anà p. ß. fiat decoctum secundum artem in lib. 3. aquæ ad medietatem, & colaturæ adde mellis rosati ℥. 5. myrrhæ puluerizatæ ℥. 4. & fiat lauacrum.* Cui, si necessitas vrgeat, addere poteris *vnguenti Aegyptiaci modicum,* & cum purius redditur vlcus, addi potest *parum licij aut cornu cerui vsti, cum modico vino.* Quod si ad corrosionem tendere columellam constet, tunc eo veteris lauacro, q. ℞. *aquæ argentariorum & vnguenti Aegyptiaci, anà ℥. ß. pulueris cucurbitæ conbustæ ʒ. 1. luteum oui, fiat linimentum cum puluere santalorum ru-*
B *beorum.* Vsu tamen probatum est id, q. ℞. *aquæ plantaginis ℥. 2. aquarum solani & rosarum, anà ℥. 1. sublimati gra. 4. ferueat in vase vitreo, donec dissolutum sit sublimatum, deinde ab igne semoto vase, permittendum est aquam refrigerari, & fæcem subsidere, ac defæcata aqua vsui seruetur:* hanc sane iuxta maiorem aut minorem vlceris corruptionem aut laborantis insensibilitatem, poteris minus efficacem aut efficaciorem efficere. Post quorum vsum, temperatiori & refrigeranti gargarismate vteris ex decocto hordei, maluarum, fœnugræci, & seminis citoniorum. Cauere tamen valde hæc medicamenta oportet, vbi vel pars exquisito sit sensu, vel inflammata, aut corpus vitiosis succis redundans: quo tempore præsidium hoc, a-
C dicta copiosiori aqua plantaginis aut hordei, ita moderari oportet, quod tutò adhiberi possit. Quo facto bis, semel ve in die, os, faucesque gargarismate quod siccando extergat collues. Huius naturæ est q. ℞. *hordei p. 2. eupatorij, plantaginis, morsus gallinæ, rosarum rubearum, anà m. 1. decoquito in aquæ libris quatuor ad lib. 3. & percollato adde mellis rosati, aut syrupi rosarũ ℥. 3. aluminis vsti, chalcanthi vsti, anà ʒ. ß.* Hanc etiã vtilitatem præstat oleum de myrrha, quod mira quadam efficacia omnia vlcera maligna lenit, & citra morsum extergit, ita vt proficuum sit vlceribus, quæ omni alio auxilio exasperantur. Vlcera verò quæ serpendo prædictas partes erodunt, à prædicta inunctione, oleo de semine cucurbitæ aut alio eius naturæ
D mulcenda sunt, & pars illinienda vnguento, q. ℞. *terebinthinæ abietis ℥. 1. eluito aqua plantaginis, & adde hydrargiri ℥. ß. & in ea extinguito, & his adde plumbi crudi pulueris tenuissimi ʒ. 2. myrrhæ, mastichis puluerizatæ, anà ʒ. ß. olei myrtini quod sufficiat vt fiat vnguentum.* Hunc quoque vsum præstat oleum de sulphure arte chymica extractum. Verùm si vlcera hęc occalluerint, ad longè efficaciora deuenire oportebit, qualis est mercurij puluis alijs vnguentis & oleis admixtus: quod sanè præsidium vbi escharoticis opus est, proficuum existit: quo sanè non solum sordes crassiores deterguntur, sed etiam callus extirpatur, & gliscens pernicies cohibetur, nullo aut leui dolore, si probe conficiatur, & alijs aquis & mitioribus puluis
E cicuretur & mansuetior fiat. Præparabis autem hac lege: *Pulueris ℥. 1. aquæ plantaginis ℥. 2. biduum macerari sinito, tunc aqua vitæ additur & succenditur, rursus, aqua plantaginis additur, & post alios duos dies proijcitur, & puluis siccatus vsui adseruatur:* cuius loco aliquando Aegyptiaco veteris vnguento. Quòd si diu vlceri perstet adiuncta inflammatio, applicabis parti pręsidium, quod recipit plumbi crudi puluerem cum semperuiui & plantaginis succis. Item omni arte materiam per nares deriuare studebis, aut aliò trãsferes, vel fontanellam alteri brachiorum affiges. Verùm si palati os vitiari contingat, foramenque ab ossis discessu superesse, difficulter coalescere prædices, ant si curare tentaueris, quotidie scalpello sanguinem à circuitu foraminis extrahes, vt recẽti facto vulnere, facilius labra nouo sanguine fluentia coalescant. Quod si id fieri non possit, vt turpem vocem emendare

dare possis, dichinium ex mastiche & cera confe-ctum ibidem appone, dum caput dichinij foramen occupet, quo intus permeare non possit, sic enim vox facilè restituitur.

Verùm in narium vlceribus, quæ facile sordidissima fiunt, & ad nihilum corruptionem facillime deueniunt, primò quidem post vniuersalem corporis prouidentiam, & capitis peculiarem curam, studendum est ea præsidia adhibere, quæ fluxionem compescant & attemperent, & quod vlceratum est purgent & abstergant. In quem vsum inter alia probatum reperio illud, q. ℞. *corticis thuris, sanguinis draconis, anà* ʒ. 1. *corticis mali granati* ʒ. 3. *gummi tragacanthi leniter assati* ʒ. 1. *& ß. fiat puluis tenuis*, qui in nares immittatur, vbi prius nares ipsas inunxerimus sequenti mucilagine, quæ recipit chrysocollæ ℥. ß. calcis viuæ nouies in aqua lotæ, deinde in aqua plantaginis ℥. 1. ex quibus fiat prædicta mucilago cũ mucagine psyllij. Alia etiam præstare poteris auxilia, quæ alijs vlceribus proficua scripsimus, semper tamen mineralibus pharmacis admixta, nam resiccationem maximam narium ossa & carnes exoptant, ad excrementorum alluuiem, quæ copiosa est, necnon & partium tutelam, quæ siccioribus gaudet. Hoc tamen scitu necessarium est nimirum nulla lege vtendum esse inunctionibus ex hydrargyro in oris, faucium, & narium vlceribus, periculum enim est, ne copioso humorum affluxu ad sputationem suffocatione pericliteтur laborans, sat enim est, sudationibus aut apozematis, vti, aut fontanella, nisi vel corpus robustum fieret, aut necessitas vrgentior, & quæ nullis cedat auxilijs.

CAPVT IX.

De pustulis venereis.

LIcet statutum sit, luem veneream per se nullum morbum constituere, sed semper falsam aut veram alterius morbi imaginẽ repræsentare: cum hoc tamen cuicumque morborum generi adeo insolubili nexu cohæret & coniungitur, quod verius videatur eius naturam æmulari, quam idemmet affectus cui coniungitur: eatu tamen monstrat quibusdam accidentibus insignitam, quæ veram morbi Gallici naturam haud obscurè monstrant. Quippe insignitur frequenter cutaneis quibusdam maculis, adeo pertinacis naturæ, vt licet alijs quæ in alijs, morbis efflorescunt, similes, videantur, difficulter delitescant, aut ad maturitatem duci possint: itẽ alopecia deformi, pustulis fœdissimis, tuberculis, vlceribus, nodis, tophis, ossiumque carie. Quorum quædam quibusdam magis insunt corporibus, alia alijs, & aliquãdo omnia alicui, prout vires aut corporis natura tulerit. Pustularum igitur quæ morbo Gallico accidunt, non esse vnicam differentiam, euidenter constat: quippe duplicem earum naturam comperimus, quarum altera crustam habet, & squamam seu pustulam, quæ decidit: altera vero extuberationem quandam efficit, latioribus variolis persimilem: hæc quidem pinguedini porci assimilatur, colorem habens in cultu subrubrum, & in medio album pallescentem. Quã sane distingues ab alijs cutis extuberationibus, eo quòd indolorosa existat, & lentum vel nullum præter primam magnitudinem acquirat augmentum, rarò ad suppurationem venit, diu in parte durat, & sui vestigium & maculam deformem non parum in cutem imprimit. Pustularum vero, quæ squamam habent, hæc est natura, quod aliquando putrilaginem habent sub pustula, aliquando, vero carnosam quandam extuberationem, quæ decisa pustula, diu in parte remanet. Vtcunque tamen sit, causam habet quã superius diximus huic morbo communem & propriam, cæterum peculiaris est, vel facultatis naturalis robur, vel retrocessus materiæ ex bubone vel vlcere.

Curandi tamen ratio, quatenus pertinet ad generalia præcepta, eadem est cum prædictis affectionibus: quatenus vero ad pustulam ipsam pertinet, vnica tantum est curandi via, quæ sane pustulas ipsas exiccare docet, licet non desint, qui reprimentibus medicamentis vim & imperium naturæ ad cutim, extinguere conentur. Quo tempore aqua vtuntur hordeacea cum folijs rubi & rosarum, quod præsidium adhibere minime cõuenit, nisi dum plus dolent, quam citra leuamen laborans ferre possit, aut nimio calore luxuriant & turgent: quo profectò tempore satius sẽper iudicaui, partem abluere, pustulatam decocto Guayacino cum plantagine & pimpinella. Quem quoque vsum præstat vnguentum iridis & diapompholygos æquis portionibus mistum, vel cerotum lythargyrij. Verùm inter pleraque medicamenta, quæ ad pustularum decisionem scripta comperimus, hoc vnum peculiarius meo & multorum iudicio, id munus præstare constat, quòd *recipit aquarum plantaginis & rosarum, anà libr. 1. aluminis, argenti sublimati, anà* ʒ. 2. *accipiantur alumen & sublimatum & terantur, deinde ponantur in phiala vitrea & crassa, & igni applicentur, & bulliant ad medietatis consumptionem, postea verò residere finito quinque dierum spatio, ac limpidissimam aquam vsui adserua.* Qua tamẽ vtendum est, *non simpli, sed cum dupla, tripla, vel maiori alterius aquæ parte*, ne pars affecta plurimum exedatur: quod facies iuxta renitentiam pustularum, aut affectus, quem extirpare nitimur, facto semper initio à dilutiori aqua, vt securo experimento comperiamus, quantum ipsius sit adijciendum vel detrahendum. Sed puerorum & adultorum etiam pustulas faciei vel cuiusuis alterius partis exiccat & conterit spuma decoctionis guaiaci: cui quoque vsui inter omnia, quæ diutissimo experimento proficua comperimus auxilia, illud mirabile extitit, q. ℞. *aquæ plantaginis & rosarum, anà* ℥. 4. *salis gemmæ, nitri & aluminis, anà* ℥. 3. *sublimati* ʒ. 1. ß. *bulliant ad tertias, & fiat colatura, cui adde viridisæris* ʒ. 1.

CAPVT X.

De Gallica gonorrhœa, ac de penis & colli vesicæ vlceribus & carunculis.

A Communi seminis inuoluntaria profusione (quam gonorrhœam medici appellant) virulentam hanc gonorrhœam mille modis dissidere, omnibus conspicuum arbitror, si exactè expenderint, qualis naturæ sit, quã constat materia, & qua via excernatur. Nã his qui scortandi vsui nimis deditis sunt, tum ex frequenti attractu, tum etiam ex virulenta contagione à concubitu infecto contracta, hoc mali genus gonorrhœæ persimili, etiam morbo Gallico correptis non raro succrescere assolet. Quippe in venereo & contagioso congressu penis & totius corporis ac partium pudendarum pori & meatus omnes aperiuntur: vapor ab inquinata fœmina aut viro sublatus in pudendum fœminæ, aut viri, vasa spermatica, testes, & partes semini gignendo & continendo dicatas, vel vterum sese extendit, & prędictarum constitutionem & habitum naturalem peruertit & conspurcat, ac humidas & laxas reddit, & suæ malignitatis labe inficit hac mucagine prostratas. Quo fit, vt quidquid per dictas partes prolabatur, in tetrum fędumque virus album aut flauum degenerat: tum inter dormiendum: tum secus, cum tentigine, ardore, ac prurit u, vel cum molestissimo dolore vel citra ipsum, prout virus acrimonię particeps plus minus ve fuerit, quam in vasis spermaticis vel prostratis, ardore & virulentia prauè affectus, contraxit. Nam qua ratione in diabete

per renes transmissa vrina, quæ exarsit, per vesicæ ceruicem sine morsu & punctionis sensu trāsire nequit, ita prorsus in virulenta gonorrhœa putrens malignusque succus, aut quæuis alia acerrima materia, vbi in prędictis vasis incaluit, nequit sine ardore & acerbissimi doloris sensu, per penis foramen prolabi. Quo fit, vt easdem partes exulcerans, carnemq; exedens, in vlcera fœda & carnium excrescentias vrinam obturantes, ac eius exitum vitiantes, promptissime degeneret, miserè sic affectos torquens. Quapropter nec temere negligenda est huiusmodi seminis profusio, neque audacter cohibenda, siquidem vtroque excessu in longe grauiora mala euidentissimum est laborantes deferri. Nam si negligatur, sese altiùs insinuat, & in veneream calamitatem commigrat, adeò vt vesicæ etiam ceruicem & ductum penis in transitu vellicet atque exulceret, ita vt dysuriam & stranguriam non rarò conciter. Quod si temerario consilio supprimatur, sursum remeante pure, colligitur circa testes & perinæon ea copia, quæ suppurata, aperta vel dirupto cute, purulentam materiam profundat. Quæ omnia si quis diligenter euoluerit, conferatque cum his quæ dicta sunt lib. de internorum morbor. curat. capit. de gonorrhœa, facilè reperiet, quatenus hæc ab illa dissideat.

Cognita igitur ex his quæ præcesserunt (vt ex virulento & contaminato concobitu) & ex his quæ in pene, testibus, aut quauis alia parte adsunt, huius gonorrhœæ natura, illi curationem instítues, quæ duplici constet scopo: præter eam victus institutionem, quæ refrigeret & attemperet, & nimia non sit, ne corpus grauet, aut tenuis: ne facile in bilem & acrimoniam vertatur: cui vsui potus instituendus est ex hordei decocto cum radice Chinæ, tandem res omnes nonnaturales moderatas instítues. Primò curandum est, humorem confluentem ad vasa per partes inflammatas, quæ secundum inguina ad sctorum perreptant, per venas & arterias reuulsione & euacuatione diuertere. Postremo autem genitam in vasis seminarijs & prostratis affectionem prauam, quæ purulentam materiam generat, coercere atque extinguere oportet.

Sic primo mali accessu, ante vllam sanguinis detractionem, vias communes & renes purgante quod attemperat vtendum est, cuius naturæ existit cassia, catholicon, syrupus violaceus ex infusionibus cum succo rosarum, aut liquore nouem infusionum rubearum, item manna cum sero lactis. At si vel cum tentigine aut cuiuslibet alterius plenitudinis præsentia gonorrhœa sit, verendum non est, ex axillari vtriusque brachij sāguinem mittere, sin aliter, aut imbecillior, graciliorve, & consumptus sit laborans, vereri omnino oportet sanguinem mittere.

Ante tamen quam vniuersalem virulentiæ prouidentiam Guaiaco aut sarsa parilla instituas, parti prouidebis, vasa genitalia & partes iuxta renes & perinæon attemperando, cauens ne ante maiorum humorum venerea labe infectorum vacuationem, repellentibus vtaris. Sic primo accessu sat est vnguentum rosaceum cum resumptiuo, vel vnguentum album cum caphura & grano opij, quibus dorsum inūges & perinæon. Item ante maiora auxilia hoc vteris decocto, q. ℞. *hordei integri p. 2. glycyrrizæ contusæ, radicis althææ & graminis, anà ℥. ß. foliorum maluæ, violarum, & plantaginis, anà m. 1. coquantur in lib. 2. aquæ ad lib ß.* Huic consimile, vt interius etiam refrigeretur, aliud efficies, q. ℞. *seminum frigidorum maiorum mundatorum, anà ʒ. 2. seminis papaueris albi ʒ. 1. amygdalas dolces in aqua frigida maceratas & mundatas numero 25. contundantur, & adijce decoctionis præcedentis libr. ß. & facta colatura, porrige summo mane ℥. 4.* Poteris etiam idem beneficium consequi hoc q. ℞. *seminis hyoscyami ʒ. 1. seminis papaueris albi ℥. 1. & ß.*

A *seminis lactucę ʒ. 1. seminis melonum ℥. 2. caphuræ ʒ. ß. fiat massa cum mithrydatij ʒ. 1. & mucagine psyllij extracta in aqua parietariæ; capiat pilas 3. summo mane, donec tentigo & dolor remiserint, deinde superbibat decocti supra positi ℥. 4. aut tantundem aquæ lactis vel decoctionis maluarum.* Quibus factis, extrinsecus secundò inunges eo, q. ℞. *mucaginis seminis psyllij extractæ in aqua rosarum & plantaginis ℥. 1. pastillorum alborū Rasis cum caphura & opio ʒ. 2. olei rosati loti in aceto, vnguenti albi, anà ℥. ß. caphurę ʒ. ß. fiat linimentum, quo renes & perinæon singulis diebus summo mane vngantur.* Postea verò ad ea quæ maioris sunt momenti per os sumpta, & nonnihil purgendo prędictas partes attemperant, te conferes. Huius naturæ est (si ardor &
B tentigo iam quieuerint, sin aliter minime) id q. ℞. *terebinthinæ abietis ʒ. 2. & ß. eluito in succo plantaginis, datoque in cochleari cum syrupo de althæa aut violarū:* verùm si iam ex toto ardor quieuerit, *terebinthina admiscenda est irrorato rhabarbaro, quod duabus horis ante cibum porriges.* Cæterū ad tergendas vrinæ vias & farctu liberandas, mirum in modum prodest potus, q. ℞. *cineris siliquarum fabarum ℥. 1. aquæ parietariæ tepentis lib. 1. maceretur horis quatuor, deinde limpidissimum lixiuium percoletur, & adde syrupi violarum, vel de althæa ℥. 4. porrige mane ℥. 3. duabus horis ante cibum:* in recenti vero gonorrhœa hoc præsidio ne vtaris, nisi addideris loco aquæ parietariæ aquam plantaginis aut hordei cum syrupo de limonibus. At
C si adeò peruicax & rebellis gonorrhœa sit, quòd cogaris (corpore prius mundo & præmunito) ipsam cohibere, hoc vtitor, q. ℞. *aloes optimæ ℥. 1. cretæ, succini, radicis gentianæ, aristolochiæ rotundæ, radicis dictamni, myrrhę, anà ʒ. 1. mithrydatij, anà ʒ. 1. & ß. terebinthinæ abietis ʒ. 1. cum mucagine althæę fiat massa, cuius capiat pilulas tres alternis diebus anteprandium.* Cauendum tamen est, restricta gonorrhœa, ne incautè laborans deinceps viuat, ne forte cohibita violentia, maioribus accidentibus & periculosioribus sæuiat. Quapropter ad sudationes ex dilutiori Guaiaco aut sarsa parilla confugere oportet, aut ad frequentiores purgationes, siue per blanda medicamenta, siue per apozemata, quæ simul catharticum & alexipharma-
D cum agant.

Quod si venerea carnocula aut virulenta, vlcusve penem torserint, graue & miserabile malum laborāti succrescet, & quod difficulter curari assolet. Quippe vrinæ difficultates, & alia penè innumera vitia adeo accersit, quod omnino vel curationem interturbent, vel nullius momenti ipsam reddant. Nam acris &, virulenta vrina, quæ per diuturnas gonorrhœas è parastatis in penis meatum instillat, non modo ipsius ductum sensim atterit & exulcerat, sed sæpè etiam vesicæ ceruicem, quo per totum ferè viræ discursum purulenta materia exudat, & caro excrescens carnosum tuberculum efformat. In qua re non placet meminisse aliarum causarum, quæ hæc quoque vitia in
E meatibus vrinarijs efficere solent, quod latius earum disputauerim differentias lib. 4. de inter. morbor. cur. capit. proprio, sed solum acris & virulentæ gonorrhœæ. Sed horum morborum post gonorrhœam notitiam ediscemus ex frequenti mictione cum dolore facta, & lotio excruciante ob pus crassum & acre aut ipsius lotij substantiæ immersum ac delitescens ob tenuitatem. Quod si vrina his pręmissis supprimatur, excrescentis carnis testimonium fidissimum est. Quapropter primo accessu clysmatis vteris, quæ excrementa alui deponant, & materiam per ipsa euocent. Ante tamen quam vrina supprimatur, vlceri prouidendum est, quo magis extergatur, & mundius fiat. Quo casu præmissa per cassiam aut catholicum purgatione, qua sanguinis impuritatem auferamus, vtendum est *pilis ex myrrha & radice gentianæ, cum aloes octuplo & modico syrupo violaceo,* quas parū an-

te

te cibum porriges: ac si calidior fuerit hominis natura, *seminum frigidorum non nihil* addes. His factis ad topica auxilia te conferes, inter quæ hæc probatiora comperimus: primum vlcera per syringam ablues diluto q. ℞. *foliorum saniculæ, absinthij, verrucariæ, & rosarum rubearum, anâ man. 1. lupinorum contusorum ℥. ß. plantaginis man. 1. fiat decoctum ad lib. 1. ß in quo percolato dissolue syrupi rosarum siccarum & de absynthio, anâ ℥. 1.* quibus aliquando addes, maximè si vlcus sordidum fuerit, aut putrilaginosum, mel rosaceum, myrrham, & radicem aristolochię. Ablutione facta, in cerea candela linteo tenuissimo inuoluta & circundata, vnguento aliquo intincta in penem immittes: vnguentum fiat hac lege: ℞. *tutiæ præparatę, lapidis calaminaris præparati, cerusę, anâ ʒ. 1. tenuissimi pollinis plumbi crudi, caphura, anâ ʒ. 1. succi nicotianæ cocti ad mellaginem ʒ. 2. olei è myrrha quod satis sit: in cote marmorea diu terito, deinde in mortario plũbeo pistillo plũbeo subigito donec fiat vnguentum.* Hoc aũt vlcera siccat & tergit, & siquid creuit conterit: & idem officium præstat aqua, q. ℞. *aluminis crudi ℥. 2. albumina ouorum crudorũ n. 15. succorum portulacæ, plantaginis, solani, semper viui, nicotianæ, aquarum vlmariæ & rosarum & maluarum, anâ ℥. 4. agitentur diu simul omnia, deinde in ollam vitream ponantur, & aqua prouciatur in duplici vase.* Aliam eiusdem efficaciæ conficies ex maluis, violis, portulaca, & parietaria, in quã extrahantur mucagines psyllij & althææ, & facta leui colatura vsui seruetur. Ad cicatricem tamen ducit & simul attemperat alia, q. ℞. *aquarum plantaginis & rosarum, anâ ℥. 4. trochiscorum albi Rasis ℥. ß. boli armeni ʒ. ß. colentur leuiter, & cum aqua hordei modicum prædictæ aquæ iniiciatur.* Efficacius tamen cicatricem conciliat id vnguentum, q. ℞. *corticis granatorum exusti, gallæ vstæ, tutiæ præparatę, plumbi vsti, anâ ʒ. ß. macerentur in aqua rosarum horis duodecim, deinde ad solem aut ignem siccentur, & in marmoreo lapide cum oleo myrthino fiat vnguentum.* Aliud tamen efficacius parabis, q. ℞. *gallę immaturę, nucum cupressi, baccarum myrti, balaustiorum, malicorij vsti, calicum glandium, mastichis, anâ ʒ. 1. omnia in exquisitum lęnorem trita dies aliquot in succis mespilorum & sorborum macerentur, deinde siccentur & cum ℥. 2. olei rosarum loti aqua rosarum, in qua liquatum sit aluminis momentum & cerę albę ℥. ß. fiat vnguentum in marmoreo lapide & in mortario plumbeo.* Sed diligentia non mediocri inspiciendum est, an pus quod excidit, è penis vlcere oriatur, an decidat à parastatis: nam si ab his prodierit, curatione hac non indiget, quinimo corpus longe deterius se habebit, nam sæpe per plures annos purulentam materiam parastatæ profundunt, nullo valetudinis discrimine, nulloque penis vlcere. Quod nosces, quòd nulla acrimonia nullaque molestia profundatur, velut ea quæ ab vlcere penis prosilit, quæ dum vrina excernitur, mille morbis laborantem torquet.

Dignotio suppressionis vrinę à caruncula.

Verùm quia vlcere neglecto, crassa sordes in callum plerunque concrescit atque induratur, vel caro supra modum crescit, adeo vt difficultatem inferat vrinæ similem ei quam calculus inferre assolet, ob id diligenter hoc ab illo distinguere & curare studebis. Sed hinc vinj causam internosces licet, quod carũcula & callus tenuem vrinę cursum efficiunt, quæ minime, vt in sanis, vrina pleno foramine ac fluore prorumpit, sed quodam filo exit, isque minime rectus, sed obliquus ac sæpe in duas partes diuisus. Adhæc dolor in mictionis fine, crudelius quam dum vrina profluit, discruciat; vrinæ enim nonnihil inter vesicæ ceruicem & carunculam remanet, quod non nisi maximo conatu & dolore exprimitur. Quod symptoma plerisque post coitum succrescit, coercito post carunculam in pene semine quod summo conatu natura nititur pellere. Calculus vero mictionem interruptam efficit, & cum exit, confertim excernitur & pleno cursu, non vt in caruncula tenuiter: adhæc presso pene digitis, durum tuberculum deprehenditur, & immissa candela vel cathetere, velut offendiculum in vesicam vsq; pelli possit obsistens: grauitas ac ponderis sensus in anum minimè incumbit, vt fit in vesicæ calculo, neque inter meiendum egerendi desiderium inest, nisi forte id aliquando & rarissime accidat, cum videlicet maximus tumor vesicæ collum opprimens, rectum quoque intestinum premit. Cæterum id clarius disces cathetere vel cãdela, nam si nihil in via offendatur, calculum conijcere oportebit, sin aliquid, in carunculam vel carnem supercrescentem præesse pronuntiato. Præterea adeo sæpe caruncula crescit, quod lapidis more omnino vrinam supprimat, vel affluente ibidem magna humoris copia, qua facto tumore & in pus verso, maximis doloribus & febribus in puris mictum commigrat, si citò fiat, sin aliter, retro sursumque remeante vrina, hominem citò perimit.

Hanc sane affectionem non solum patiuntur qui gonorrhœa Gallica mox corripiuntur, sed hi etiam quibus diu curata post annos reuersa, vel pullulans ex ea hoc vitium inopinato vel vrinam supprimi, vel eius ductum minui, vel miseros doloribus & cruciatibus vesicæ ex vrinæ ardore torquet mille modis, longe grauioribus quam in lapide vesicæ: tam hunc cathetere vel motu à collo discedere haud difficile est; at dum his vrina supprimitur, vel hic morbus reciduus est, facile prædictas partes ex humorum affluxu inflammari contingit, quas si cathetere aut candela tractare velis, quo vrina exeat, ne his doloribus & suppressione moriatur homo, longe maiores concitabis, frustra tentato præsidio: nam nisi id nihil vrinæ redditur, sed plerunque inflammatione facta maiori, pressior redditur particula, minus vrinæ redditur, & forsan penis corruptione esurirur & putrescit, vel vlcus cancrosum seu calcinosum efficitur, & omnino incurabile redditur, vel ad minus cœlo humidiori ob aeris mutationem facto, spongiæ modo caruncula adeo crescit, vt protinus suppressiones, dolores & difficultates succrescant. Quapropter semper pronũtiato periculo, huius mali curationem aggredieris, ne quæ superuenire assolent mala, curantis errori adscribantur.

Curandi ratio.

Curandi vero rationem longe cautius aggredieris, quam in quouis alio morbo, ob ea quæ in curatione & citra ipsam ex vi & natura mali laboranti superueniunt mala. In primis, nisi vrgeat mali sæuitia, in curatione incipienda cauere oportet intẽsum frigus, quod neruosis partibus sit aduersum: item æstuaorem calorem quod idoneus sit fluxiones mouere & humores exurere. Curatio igitur à blandioribus purgationibus (nam vehementiora medicamenta omnino declinare oportet) instituẽda est, & clysmatis eiusdem naturę: satius enim est bis terve leuibus purgare, quam prostratis viribus & agitatis atque excalfactis faecis malum exacerbare. Nec verendum erit sanguinem mittere, tanto quidem parcius, quanto magis laborans doloribus & cruciatibus fuerit consumptus. His factis, si vetustum fuerit malum, primò fomentis & vnguentis blandioribus partem emollies, quàm cathereticis medicamentis vtaris: verum si recens malum sit, hoc primo accessu adhibe q. ℞. *cerusæ, lithargyrij pręparati, anâ ℥. ß. olei rosarũ, è myrrha, anâ ℥. 1. & ß. liquefacito igne remisso, adde tutię, pompholygis pręparatę, stibij, spongię vstę, omnibus in succo plantaginis maceratis & postmodũ siccatis, anâ ʒ. 1. radicis aristolochię rotundę, myrrhę, aloes, mastichis, pulueris plumbi crudi, anâ ʒ. ß. caphurę ʒ. 2. & ß. omnia in marmoreo lapide & in plumbeo mortario ad vnguenti spissitudinem subigito.* Hoc satis vnguentum sine sensu doloris sordem in callum induratam, &


carun-

carunculam atque vlcerum penis extuberantias sensim absumit, & ad cicatricem perducit. Eiusdem etiam efficaciæ est aliud, q. ℞. *aloes ʒ. 2. myrrhæ, aristolochiæ, anã ʒ. 1, tutiæ præparatæ ʒ ß. fiat omnium puluis, & cum styrace liquida fiat massa, qua cerea candela inuoluatur, & in penem immitti possit.* Cauendum tamen, ne acrioribus vtamur, nam ex doloris acerbitate longe maius damnum succrescit, quam ex medicamento beneficium, satius enim est diutino tẽpore salutem accersere, quàm breui damnum euocare. Quapropter præter duo vnguenta nuper adducta, alio securissimo vti etiam poteris, q. ℞. *sabinæ in vmbra siccatæ & tenuissimè tritæ ʒ. 1. & ß. cerati de mucaginibus ℥. ß. commisceantur:* carunculam enim & sine dolore exedit. Quibus adhibitis, si nihil profecisse videatis, ad alia auxilia te conferes, quæ miræ sunt efficaciæ, & omnino morsus expertia: nanque nunquã committendum est, vt præsidij quod ad exedendam carunculam comparatum est, morsu & acrimonia fluxio & inflammatio crescant. Huius mirabilis naturæ est, q. ℞. *cerusæ ℥. 4. tutiæ optimè præparatæ & lotæ aqua rosarum ℥. ß. lithargyrij auri præparati ʒ. 6. stibij selecti & in tenuissimum puluerem redacti & cribrati ℥. 1. ß. caphuræ ℥. ß. mastichis, olibani, aloes, anã ℈. 2. comminuenda marmoreo lapide diligentissime conterantur, adiecto plantaginis succo, & ad Solem siccentur: & postea, iterum exactè trita in mortario & pistillo plumbeo, adiecto oleo rosaceo quod sufficiat, accuratè agitentur, donec fiat vnguentum.* Consimilis etiam efficaciæ est, q. ℞. *vnguenti rosarum Galen. vnguenti ex cerusa cum lithargyro, ℥. 2. anã ℥. 1. succi plantaginis, & aquæ portulacæ, anã ℥. ß. agitentur diu & vsui seruentur.* Verùm quia rarissimè contingit, exedentia hæc medicaměta citra morsum & dolores sua munia perficere, ob id puto esse opus, alia quæ refrigerãdi, & leniendi, ac mitigandi vires habeant, cuius naturæ est, q. ℞. *cerusæ ℥. 1. ß. olei rosarum ℥. 5 liquata vase duplici in vas aliud transfundantur, & sensim ac diu aqua frigidissima subigantur, postremo autem semperuiui aut solani succus defecatus subigendo affundatur, aut plantaginis & rosarum aqua; vltimò adiciatur caphuræ ʒ. 1. & opij in lacte soluti ℈. 4. & fiat vnguentum,* quo exterius pars illita mitescet, & interius, si vrgentior sit necessitas.

Cæterum si præsidia hęc prodesse non videantur, & periculum sit, ne iterum suppressa vrina laborans periclitetur, ad calli ruptionẽ plumbeo penicillo aut cathetere deuenire cogit vrgentiæ ratio: tunc enim partem (quo indolorosior fiat) præmollire oportet oleis, inunctionibus & fomentis, ac mox cerea candela tentare oportet primò, deinceps plumbeo penicillo, quod quidẽ, si laborans robustus sit, (facta prius per aliquot dies intus & extra emollitione) vno die efficere, consultius arbitror, quã vt lente fiat, doloribus plurimis diebus excitatis, fluxum humorũ ad partem euocemus, quo succrescens inflammatiò non solum curationi sit impidimentum, verum periculosæ vrinæ suppressionis causa. Crudele quidem opus est, sed longe crudelius, cum nil vrinæ redditur, permittere aliò confugere vrinam, quo laborans citius periclitetur & certiùs. Quapropter facto tenui foramine, corpori prouidebis sanguinis detractione, si vel dolorosior supersit particula, vel ob dolorem inflammationem verearis: item anodynis mitigatorijs, quæ dolore sedato reliquę curationi locum cedant. Sic eo vteris præsidio, quod nuper scripsimus, & alio, quod recipit lac caprillum, asininũ, aut humanum: idem efficies succo plantaginis, maximè si copiosior sit sanguinis fluxio, solani, semperuiui extractis aqua rosarum, aut è cucurbita, item mucago seminis citoniorum & psyllij in aquis refrigerantibus extracta, adiecta caphura & diu agitata: præterea ouorum albumina in aqua rosarum aut plantaginis liquata; oxyeratum symplex cum aquis aut succis plantaginis vel solani. Tandem omni arte curabis symptomata præcauere, aut infirmare iuxta cuiusque naturam & indigentiam: tum vacuato corpore, tum aluo premollita clysmate aut assumpta cassia, doloribus mitigatis fomento, linimentis, ceratis & emplastris. Verùm si ad inflammationem vsque peruenerit affectio, ipsam discutere leuibus & anodynis memoratis curabis: sin aliter emplastris quàm citissimè ad suppurationem duces, ne in sphacelismum commigret, quo tempore emplastris quæ id prohibeant adhibitis, partem scalpello minutis vlcusculis scindes, & chirurgo rem committes.

His factis, tunc curatio commodiùs procedet, cæterum non rarò eam impedit vrinæ ardor, ac dolor, quibus maior humorum vitiosorum copia ad ipsam vesicam euocatur: quo fit, vt omni diligentia curandum sit, ipsam mitiorem reddere victu refrigerante, & humectante syrupo è portulaca, ex althæa, papauere, & similibus, quæ abunde scripsimus lib. 4. de inter. morbor. curat. Quibus factis tunc quidem absoluta videbitur curatio, cum vrina liberrime ac citra dolorem fluit, & catheter nullo offendiculo in vesicam facilè intromittitur. Qua equidem pręsidiorum sorte nulla est adeo inueterata & contumax caruncula, quæ non sensim, ac ferè sine dolore exedatur, & radicitus extirpetur, si probe quæ dicta sunt exequaris: sin aliter, aut corpus cacochymũ sit, mirum non est, si eisdem præsidijs, quæ multis fuere saluti, vrinæ subsequatur suppressio, & pudendarum partium inflammatio, abscessus atque corruptio. Quapropter à curatione cautius vitere conuenit, nã reuersio huius mali longe deterior & curatu difficilior habita est.

F I N I S.



DE MORBIS HÆREDITARIIS, TRACTATVS VNICVS.

EODEM LODOVICO MERCATO AVTORE.





EA est humanæ naturæ cō- A dino & miserrima sors, vt non solum mille miseriarum modis ac morborum generibus, temporū iniurijs, casibus, ac rerum omniū insultibus obnoxia sit, verū & ab alimentis & potibus etiam ad vitam necessarijs: nec non & à proprijs animæ & corporis motibus, tam qui iocundi sunt & voluptuosi, quàm à violentis, iratis, mœ- B stis, & huius census reliquis intrinsecus ortis, & vtcunque extrinsecus occursantibus, adeo labefactari contingit, vt vix hunc aut illū hominem reperias, qui mille modis corporis affectu aliquo, aut animi pathemate non torqueatur, ac misere infirmetur. Præter quæ omnia mala, quæ nobis omnibus iā in hac lacrymarum valle viuentibus suboriuntur, hæreditarium profecto aliud, cunctis grauius, difficilius et ferè omnino immedicabile succrescit onus, à nostræ generationis principijs ortum, & à parentibus præstitum, quo lon- C ge miserabilius viuimus. Quippe euidentissimum est, parentum habituales morbos in filios & reliquā posteritatem transferri, eiusdem speciei & eisdem partibus, ac pari fixione & habituali permanentia inhærētes, ita vt raro aut nunquam in toto vitæ cursu nos deserant: & quod grauius est, cum pari potestate & efficacia ipsummet morbum in filios, nepotes, & reliquam generationem traducendi. Quamobrem ingenui animi esse sum arbitratus, ad pensum grauitatis & miseriæ ac difficultatis hæreditarij affectus, quā potuero diligentiam in præcautione & curatione eius adhibere: vt, quantum permiserit caduca & labi- D lis hominum conditio, ac possibile fuerit arti, labore & ingenio insudemus, tum præcauendo, tum curando, quo vita minus calamitosa & laboriosa euadat: aut si id possibile non fuerit, moneamus homines, ne fucatis quorundam medicorum verbis decepti, substantiam suam perdant, inutiliter quærentes salutem, vbi non est. Faxit Deus omnipotens, vt eo charitatis & amoris erga proximos animo hunc laborem suscipiam, quòd finiatur ad eius gloriam, & honorem, ac ad communem hominum salutem.

Vnde morbi hæreditarij.

Scopus Auctoris.

Quòd si quis dixerit, inutilem fore huiusmodi tractationem, quòd opus non sit, de his quæ incurabilia facta sunt, amplius tractare, vt consuluerat Hipp. 3. *de articul.* expendat etiam, & animo concipiat atque magni faciat eiusdem Hippoc. eadem parte responsum in hunc modum se habens: *At hoc facere multum refert, eiusdem enim professionis est, & hoc cognoscere. Oportet autem & incurabilia cognoscere, ne maximè lædant: prædictiones autem splendidæ sunt ac gloriosæ ex cognitione, quò & qualiter & quando singula desinunt, sive eò vertantur, vt incurabilia fiant, sive curationis spem exhibeant.* Quibus verbis euidenter constat, quanti momenti sit, incurabilium morborum naturam, causas & statum nosse, saltem ne maxime lædant, aut quo leuamen aliquod suscipere possint.

Verùm vt hæc res, quæ vt magni est momenti, ita prorsus difficilis existit, facilior & clarior euadat: & vt constet cui auxiliares manus adhibere oporteat, et quo modo, cui verò secus, multa profecto difficilia et pulchra disceptanda nobis sese offerunt. Primum, quis vere sit hæreditarius affectus: secundum, quot modis fieri possit: tertium quibus in partibus corporis affectus insit: quartum quibus modis in prædictis partibus inhæreat: quintum, quas sortiatur causas: sextum, an hæreditarius morbus curabilis sit, vel adeò omnino auxiliares manus denegare oporteat: septimum & vltimum, qua lege & ratione (si quando curare oporteat) auxilia illi præstare liceat.

Circa primum, naturam hæreditarij affectus genuina diffinitione patefacere studui. Quippe nil aliud est, quam qualitas, character, sigillatio, modus substantiæ, proportio quædam, aut dispositio, vel impressio præter naturam in vno, pluribus, aut omnibus membris geniti impressa, à sui ortu ex vi seminis parentum, auorum, aut proauorum, à simili affectu in eorum aliquo membro aut membris præter naturam quoque præexistente: quo veluti instrumento natura, vel causa alia vtitur, vt natos sibi similes gignat, & eadē labe fœdatos. Qua finitione constat, affectū hæreditariū (vt morbus est) cōmunem obtinere naturam cum reliquis morbis, cæterum vt hæredit. longe diuersam, vt causas etiam habet diuersas. Primū quidem, communis existit cum reliquis morbis, quia vt-

Hæreditarius affectus quis verè sit.

cumque sit, naturam habet, sitam vel in intemperie, vel in figura, vel in partium vnione. Atque licet hoc verum sit, habent tamen hæreditarij affectus id proprium & peculiare, quod etiam si ex alijs morbis qui dam sint in habitu & reliqui in dispositione, hi vero semper sunt in habitu & fixione adeò permanente, ac sanitas ipsa: præter id, quod dum tales incipiunt, semper cum principijs generationis originem sortiuntur. Non quidem vt reliqui affectus à causis præter naturam extrinsecus occurrentibus, aut intus genitis, sed à principijs naturalibus, nimirum semine & sanguine menstruo sic dispositis. Quo fit, vt morbi hæreditarij natura & conditio sit, esse habitum à principio generationis contractum, & in eandem generationis materiam impressum, ex parentum aut auorum sigillatione ibidem impressa: non acquisitum, nec factum per recessum à sano, vel per causam sanum habitum euertentem, quemadmodum nobis nascentibus inhæret elucetque per totum vitæ discursum. Qui sane habitus hæreditarius licèt præter naturam sit respectu actionum, quas viriare natus est, naturalis tamen ac proprius censeri debet, ob principia prima & innata, quibus contractus fuit, siquidem cum tali habitu nascitur homo. Quamobrem censendum est, ratione impedimenti actionum esse præter naturam, ratione verò suorum principiorum, haud secus naturalem esse, quam sanitatem.

Propensiones infantium morbosæ sunt defectus quidam.

Est tamen considerandum, quod huiusmodi morbosæ propensiones infantium, quæ illos, ob vittatum aliquo modo semen, comitantur, sunt defectus quidam, qui potius eueniunt ob impeditam naturam, quominus possit intentum finem attingere ratione alicuius imperfectionis & transmutationis factæ in proprijs instrumentis, quemadmodum integritas, sanitas, & robur sequuntur naturam liberam & validam, quæ omne impedimentum superat, quæque absolutè superat materiam subiectam, habetque instrumenta, quibus vtitur, integra absolutaque. Vnde imperfectiones quæcunq; contingunt in generatione, per accidens contingunt, & eadem ferè ratione ac monstra: vt tamen & hoc addamus, quod semen in animantis corpore genitum, secum semper aliquid affert, quod refert naturam corporis in quo fuit genitum, siue illud ad imperfectionem & defectum, siue ad absolutionem & perfectionem pertineat. Qua ratione genitum fuit particeps, non modo vitij, quod est in effectiuo principio, sed etiam si quod sit in materia ex qua confectum & genitum est, tempe in vltimo alimento: quo fit, vt affectus ab his principijs ortus & hæreditatus habitualis existat & connaturalis, quoad principia, morbosus verò, quo ad actionum vitia.

Morbus aliquis quonã modo fiat hæreditar.

Secundũ suppositum fuit, differere, quo nam modo morbus aliquis fiat hæreditarius. In qua re statuendum est, haud secus nobis inesse aliquid morbosum & præter naturam ab ortu & nostræ generationis principijs, ac insunt & sunt in nobis quæ naturalia existunt secundum speciem & indiuiduam conditionem cuique propriam & peculiarem. Quippe (vt abunde dictum est libro 3. de fœminarum morbis, capit. de monstr. concept.) triplex in nobis ad parentes elucet similitudo. Prima est in specie qua deficiente, monstrosus efficitur conceptus: Secunda in sexu, qua fœmina sicut mater, vel mas, vt pater filius nascitur: Tertia verò & vltima in proprietatibus indiuidualibus, quibus filius similis patri aut matri nascitur, quatenus pertinet ad particulares & indiuiduas delineationes, temperiei aut substantiæ, coloris vel configurationis modos.

Formatricis facul-

Cuius doctrinæ gratia præmittere oportet tanquã integrum huius rei fundamentum, magnam esse fa-

A cultatis formatricis varietatem, non tamen specificam, sed indiuiduam. Quippe facultas formatrix plurima à cœlo expanditur per continentem aerem gignens plantas, animalcula, metalla, & lapides; idque in aqua, in aere, & in terra ac sub terra, quæ sane manet actus non contractus ad naturam indiuidui per signatam materiam, sed viuus speciei actus rosæ aut maluæ gignitur, alius lumbrici, qui cum nuti sit per proprietates certæ materiæ coercitus, producit semper sibi simile specie, non tamen simile huic vel illi indiuiduo, quia non contrahitur et coercetur à signata materia. At formatrix quæ in animatorum semine continetur, cum sit per signatam materiam contracta, ab illa recipit vt producat speciem similem, B respondentem tamen certis definitisque affectibus & proprietatibus eius indiuidui, vnde decisa fuit. Cæterum cùm sit vis corporis informatrix residua in partentum membris, & sui similitudinem in reliquis inducat, necessario inducet non solum similitudinem structuræ, & temperiei, ac modi substantiæ idoneam, ad actus & ad formam, in qua species consistit, sed & materiæ & qualitatum corporalium, quibus hanc similitudinem (tam in his rebus, quæ sunt secundum naturam quam in præternaturalibus & morbosis) exquirimus. Quam sane similitudinem fieri diximus ex temperie & spiritu à parentibus semini præstitis, quibus similis elucet in filio temperies, ac ex consequenti omnia quæ temperiem sequuntur. Item similis de- C lineatio ob calorem illum & spiritum in semine implantatum, qui cum instrumentum sit formatiuæ facultatis, informatus structuræ parentis, similem (ni præpediatur) delineabit in genito. Quibus suppositis (quæ latius loco citato scribuntur) de similitudine filiorum ad parentes, quatenus pertinet ad morbos ab his ab filios traductos, pari ratione & lege subaudiendum esse censeo. Siquidem vt naturalia filijs præstantur à parentibus, ita prorsus & quæ morbosa sũt, vt euentu quotidiano comperimus, & Hippocratis sententia statuit, qui mancum animal mancos quoque generare fœtus, vt macrocephali macrocephalos, docuit. Sic profectò frigidi ventriculo & calidi iecore, ventriculo frigidos & calidos iecore generãt: D surdi vel muti surdos & mutos: calui caluos, cęsij cęsios, & distorti plerunq; distortos, quemadmodum podagrici podagricos siue actu, siue potentia id velis intelligere: contagiosi verò contagiosos ferè semper generant.

Sed mirabile dictu est, quomodo hæc ita accidere possint, cum formatiuam facultatem laborare sit impossibile: quo fit, vt nulla ratione videatur, sanum nõ posse produci, quatumuis ex manco aut intemperato, vel aliter affecto prodeat, si ipsa non laborat. In qua re sciendum est, semen quatenus pertinet ad rectam vim, quæ est ab immateriali principio, semper cupere & conari in genere assimilare formæ speciei, E quatenus pertinet ad delineationem. Verùm quia virius generatiua, quæ agit pro hoc homine generando, est forma in materia, & materia signata, quæ etiã materialiter concurrit, contrahitur non solum generica vi ad hominis delineationem, sed ob materiæ sigillationem, ad eius structuram contrahendam, vt similis sit delineationi parentum. Quæ sanè delineatio & indiuidualis conditio, si ex genuoribus omnino sanis prodeat, sana quoque erit & nulla in facultatem formatiuam infertur vis, nullumque impedimentum ab ipsa materia, in qua est. Verùm si membra parentis aliquo vitio insigniantur, cuius vestigiũ, fomes, aut sigillum in seminis materiam crassiorem traducatur, proculdubio facultatem ipsam formatiuam euertit à recto, quantum, ipsa materia seminalis euersa fuerit à sano: nam cum actiones non fiant à forma, nisi quatenus & qualiter est in materia & pro ratione eius: siquidem est altera pars naturę, ub id effe-

tatis varietas magna.

ctus limitari ab ipsa materia debet, & nonnunquam à recto formæ actu deuiari, prout materia valuerit: quemadmodum videre est in forma grauium, quæ eius est naturæ & conditionis, vt recta descendat deorsum: quia tamen illa forma non operatur nisi per materiam, si illa sit circumscripta ab obliquo, mouebitur per obliquum, vt aquæ contingit in riuulis: quippe illa solum nititur descendere ad centrum, quatenus pertinet ad principium intrinsecum sui; verùm ratione materiæ, qua impeditur, & prauè disponitur, oblique & mille modis diuersis moueri cogitur. Ita prorsus neq; anima vitiata est in huiusmodi morbis, neq; materia (vt materia est) est causa vitij in generatione hominis, sed natura, quę vitiata est propter materiam prauè dispositam à parentum impresso sigillo: quia membrum parentis hoc vel illo morbo affectum, in generatione seminis ipsam materiam vitiauit, naturamque eius fecit ineptam generationi rectę & sanæ, quia materia non recepit sanam sigillationem, & ob id vitiatur principium corporeũ (hoc est materia seminalis) quo vitiatur etiam facultatis formatiuæ opus, ea parte qua prædictum principium in parentibus, & eo morbo, ac modo, quo hi afficiuntur. Quippe tale elucet in genito membrum, quale præfuit in generante, licèt facultas de se non laboret, sed à principio materiali prauè dirigatur: ita vt prauè dispositum supersit membrum ex ea materia prauè sigillata ortum. Quo fit, vt similis eluceat in membris geniti indispositio, temperie, figura, aut modo substantię, qualis pręfuit in generante, ob adductam rationem. Quippe cum materia sit altera pars naturæ, & ea prauè sigillata decidat, ob id vitiata in genito suscepta, quę verè & propriè dici merẽtur vitia, naturæ seu materiæ generationis connaturalia sunt, & ad pensum ac modum dispositionum secundum naturam in sanis: quia sicut in his à materia seu natura bene disposita & bene disponente potentias ad operãdum elucent membra sana & omnes actiones incolumes, ita in illis hæreditario onere pressis, ab eadẽ materia, vt natura est altera pars compositi, prædicta vitia elucent, & sunt ęquè naturalia ac in reliquis: quia ab eisdem principijs naturalibus oriuntur. Quo fit, vt videantur multis modis incurabilia, vt latius disputaturus sum paulo inferius.

Hæreditarius morbus quibus in corporis partibus insit.

Tertium, quod præmitti oportere diximus, fuit expendere ac diligenter cognoscere, quibus nam in partibus insint in generante vestigia hæc, vel character, aut sigillatio hæreditarij morbi. Insunt profectò hęc vel in toto corpore, vel elephantiasi, morbo Gallico, & similibus morbis videre est. Aliquando in partibus præcipuis, vt in cerebro, quemadmodum contingit his qui liberos gignunt surdos, mutos, epilepticos, cæcos aut vitiose videntes vel mille alijs capitis affectionibus insignitos. Sic de iecore eadem ratione & de ventriculo, pulmone aut corde subaudire licet. Pariter etiam reperitur in aliquo aut pluribus ex infimæ sortis membris, quemadmodum conspicimus in his qui hæreditantur podagram. Ischiadem, vesicę aut renum calculum, vel alia vrinæ vitia. Qui sane omnes misere torquentur nonnunquam actu suscepto morbo, sæpius tamen apparatu ad eum patiendũ contracto, & in alijs solo charactere aut sigillatione impressa, homine nihil patiente, filios tamen generant mille morbis affectos aut obnoxios, vel simili charactere insignitos. In qua re statuendum primò est, affectus parentum qui traducuntur ad liberos, nõ esse quot sunt in parentibus, sed solum quæ insunt partibus infirmatis, ita vt iam in habitum transierint. Quippe affectus potentiæ superioris ad informatricem non transeunt, cum ab ea neque à suis habitibus secedat vis seminis informatrix. Quo fit, vt quæ insunt sensitiuæ potentiæ, vel phantasiæ aut rationali, non transeant, vt pote sensationes, artes, scientiæ: A non enim hæc traduci possunt, quia facultas animalis, cui insunt, solis animalibus propria, multo est supra gignentem etiam stirpibus communem. Pari quoque ratione quæ insunt corpori informato, & nondum in habitum abierunt, sed adhuc pugnant cum natiuo membrorum statu, velut sunt febres putridę aut fientes, cuiusuis mẽbri intemperies, aut morbi huius census: at constitutio partium facta & in membri habitum versa traducitur: vt temperies totius facta, vel partis cuiusuis.

Quibus modis in certis partibus inhæreat morb. hæreditar.

Quartum suppositum, quod mille modis necessarium fore arbitror, est, ad vnguem scire, quibusnam modis in prædictis partibus inhæreant prædicta hæreditaria vitia. In qua re duo magni momenti sese B offerunt consideranda: alterum est, hunc habitum hæreditarium esse in duplici differentia: vnum actu morbosum lædentemque proprias indiuidui generantis & geniti actiones, vt videre est in manco, vel actu podagrico, ophthalmico, aut nephritico filium generante mancum, podagricum, nephriticum, aut ophthalmicum: reliquum vero præter naturam quoque & morbosum, cæterum non habentem læsas actiones actu, natura tamen ipsas lædere potentem. Exemplo est pater insalubri apparatu ad podagram, vel ad quemuis alium morbum affectus, non tamen podagra, actu laborans, qui profecto generabit liberos eodem apparatu affectos, quos etiam affectio eadem actu vexabit, quauis causa accedente, ex indi- C spositione & potentia ad ipsam in membris à patre præstita: quia licet sani videantur viuere, leuissimis tamen de causis in podagram incidunt ex habitu podagrico à natiuitate contracto, aut ætate adueniente seniori, qua vires, quibus habitui illi resistebat, imbecilliores fiunt, aut si ex diutino morbo prauè ac diminutè conualescat, reficiaturvè.

Dubium.

Sed mirabile dictu, qui fiat, vt podagricus filius non protinus incidat in podagram, aut calculosum affectum quem à patre acepit, sed transactis aliquibus annis. Cui dubio dicendum est, id necessario ita debere fieri, quia interim dum vigent & præsunt humiditates & principia naturalia, obruitur & delitescit hæreditaria conditio ac vitium: postea vero per D adolescentiam consumpta natiua humiditate, elucet tunc hæreditarium, & in actum morbosum deducitur: quod in omnibus morbis verum existit, sed non ita in epilepsia, quia puerorum humiditas huic malo aptissima est, & sic adhuc in nuper natis elucet, sicut omnes alij morbi. Cuius distinctionis ratio fuit, si filius generatus fuit patre existente in actu morbi, non solum in habitu. Nam habitus qui contrahitur in filio, actu ostendit morbum hæreditarium, si actu pater laborabat: si verò non actu laborabat, in filio maiori ex parte contrahitur, & hæreditatur prauus habitus & vitiosus character, postea commigraturus à quauis occasione in morbum actu. Nam his occasionibus latitans ille habitus elucet, & filius e- E uadit, sicut pater surdus aut podagricus, vel alio hæreditario morbo affectus.

Secundum, quod maioris existit considerationis & difficultatis est, ex prædictis morbis hæreditarijs quosdam traduci in filios, siue cum actuali actionum læsione, siue cum potentia, alijs filijs manentibus illæsis, transferri in nepotes. Item ex filijs aut nepotibus quosdam illæsos superesse, alios vero hæreditario onere premi: non quidem solùm in potentia & sigillo, sed in actu etiam alicuius actionis euidenter affici. Vt si quis mutus, quia surdus nascitur, generet filios loquentes & audientes. Cæterum hi licèt sani videantur, suorum filiorum quosdam generant surdos & mutos, propter sigillum latitatis à parentibus impressum: alios vero loquaces & perspicaci auditu præditos. Et quod magis mirandum est, ex surdis & mutis filios oriri loquentes, & hos rursus surdos

ac mutos

ac mutos generare: quod de reliquis morbis hæreditarij pari ratione subaudire licet.

Hæredit. morbi causa. Quintum suppositum fuit, diligenter horum affectuum causas inuestigare: quas proculdubio abditas atque cognitu difficiles esse arbitror: siquidem in semine vtriusque parentis & sanguine menstruositas esse constat, vt statuit Hipp. li. de morbo sacro, dicés: *Si enim ex pituitoso pituitosus, ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, et ex lienoso lienosus: quid prohibet, vt si auus, pater, & mater hoc morbo correpti fuerint, etiam posteriorum ac nepotum aliquis eo corripiatur, semen enim à sanis sanum, à morbidis morbosum decidit. Quippe quocumq; morbo pater cum generat tenetur, cum semine transfert in prolem: ita vt non minus morborum quam possessionum hæres fiat.* Sic & maternus sanguis primum fœtus alimentum, vt altera est temperamenti & constitutionis causa, ita et morborum ac affectuum, quos mater eo tempore patitur: traducuntur enim in his duabus substãtijs parentum vitia: nam qua ratione sunt nostræ generationis principia & causæ, ita accidentiũm ac morborũ qui præsunt in nobis. Considerare tamen oportet, præter has communes & generales causas à nostris principijs mutuatas, alias adhuc subesse particulares & speciabiores, quæ in hoc filio hanc partem vel illam laborare simili morbo ac pater efficiunt. In qua re statuẽdum est, particulares affectus, siue quosuis alios hæreditarios, qui partem aliquam specialius obsident, duplicem in genere habere proximam occasionem. Prima est imbecillitas eius particulæ cuius affectio est, quam imbecillitatem hac in parte natiuam arbitramur, quæ in articulis duplici ratione fit deterior, tum ob eorum peculiarem conditionem constantem laxitate & mobilitate: tum propter hæreditariã impotentiã quibus facile fluentia excrementa adnuunt; quod etiam de reliquis partibus subaudiri potest. Altera verò causa est excrementorum abundantia, quæ congeritur, vel quod plura generẽtur, vel quòd expurgentur quam paucissima: congerit autẽ corpus multa excrementa, vel ob aliquod a natura & ab ipso ortu contractum vitium, vel ab externa aliqua causa aut victus praua ratione. Sed his duabus vltimis prætermissis, necessum est, qui aliquos habent hæreditarios morbos ab ipsa generatione, & ex vtero aut ob patris, vel matris vitiatum semen, secum ducãt aliquam harum causarum, qua imbecilles euadant, & subinde aptiores ad suscipienda excrementa aliunde impulsa: & similiter ob internorum viscerum intemperiem, qua deinde coguntur multa congerere excrementa, vel ob vtramq; simul causam. Est tamen considerandum, vitia hæc in triplici esse differentia: in figura nimirum cuiuslibet prædictorum membrorum: in intemperie, & in modo substantiæ: quo fit, vt variæ sint consignandæ causæ iuxta vnamquamq; prædictarum differentiarum.

Vitia naturę in triplici differentia. Figuræ enim vitium plerumque ad naturæ erratum, sed non raro ad consuetudinem refert Hippocr. lib. de locis, aere & aqua; qui loquens de acuminatis macrocephalorum capitibus, inquit: *A principio quidem consuetudo in causa fuit, vt tam longis capitibus essent, nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspirant, siquidem generalissimum apud eos putant, caput habere quam maxime longum, consuetudinis autem hoc initium fuit: Cum recens infans natus est, caput eius adhuc tenerum ac molle existens, quàm celerrime constringunt manibus captantes, cogunt in longitudinem augere: quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur: Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi capitum natura existeret: temporis vero progressu natura quoque tale produxit, vt non esset necesse consuetudine priori agere.* Quibus verbis euidenter constat figuræ vitium ex consuetudine contractum in natu-

A ram transire: quod profectò de quouis alio figuræ vitio simili lege iudicari potest, non quod consuetudo quidquam efficiat aliud quàm habitum & firmam cuiuslibet figuræ stabilitatem, qua habitus efficitur: & quia habitus est ea dispositio, seu qualitas qua potentiæ operantur immolestè & naturali modo, ob id omnia quæ alicui insunt, siue consuetudine, siue duratione, siue causæ efficacia fiant, non minus vertuntur in naturam, ac si à principijs naturalibus ortum duxissent. Quapropter, vtcunque cuiusuis partis euertatur figura & habitualiter fiat, immoleste & naturali modo operabitur, ac fiet aptum instrumentum operationibus naturæ, etiamsi operatio non sit pro ratione & modo illius speciei aut indiuidui. Quia tamen natura bene faciliterB que disponitur & inclinatur ad peculiarem actionem cum illo instrumento naturaliter dicitur agere, quantumuis actio quæ prodit à sana deflectatur. Quo fit, vt si ex ictu, casu, percussione aut quauis alia causa extrinsecus aut intrinsecus violenter & subitò accedente, particula aliqua propriam amittat figuram, quia dolorose & moleste operatur, nusquam habitus acquiritur, ac ex consequenti natura non inclinatur ad actiones nisi coacta: verum si habitualis temporis tractu fiat, mirum non est, si more capitum macrocephalorum habitus ille & natura tempore eo vitio figuræ comparata, similem generet fœtum simili figuræ vitio insignitum: in quo etiam actio illius partis deprauatè facta eluceat, quantumuis naC turali modo & habitualiter, ac indolorose fiat. Solent etiam huiusmodi figuræ vitia contrahi, non casu verso in naturam vt dictum est, sed vitio formatricis facultatis, quam interdixit probè munus suum exequi, vel materia in qua est, quæ est pars naturæ seminis, vel ea circa quam operatur. Sic multi fœtus monstrosi prodeunt vno aut pluribus membris, quo casu possibile est, fœtum, ob seminalem materiam tali sigillo signatam, deformem quoque nasci eadem parte. Nam qua ratione vitiata materia seminis, quæ nata erat vitiatum fœtum producere, impeditur non raro talem efformare, ob laudabiliorem materiam seminis alterius parentis, qua fœtus nascitur sanus: eadem ratione dum vitium non imD peditur causa aliqua accedente, fœtum simili vitio insignitum prodire est certum. In qua re statuendum est, quod si vitium figuræ sit in membris nutritionis, proculdubio fœtus fiet non solum insalubris ea parte, sed morbosus, ob humoris deprauati generationem & propagationem: qui humor causa deinceps plurimum morborum existit: quos licet filius non contrahet, contrahet tamen deprauatam figuram eiusdem membri, qua similes patietur & plures alios, pro humoris copia aut qualitate. Sed licèt hæ affectiones quæ ex humoribus pendent, hæreditariæ debeant haberi, non tamen legitimè hæreditariæ sunt, sed spuriæ, quia in filio non imprimitur patris character, sed vitiosus humor, qui similes morbos & E aliquando diuersos parit, non tamen à simili charactere, sed à simili humore, vt filius morbo Gallico affectus, ob humores Gallicos, quos à patre aut ab vbere matris accepit citra impressum in iecore characterem Gallicum. Si autem vitium in animalibus sit instrumentis, easdem patietur filius læsiones in actionibus ac pater, non alias, vt officinis alimentorum læsis contingit. Ratio huius diuersitatis est, quia hæ partes non generant humores, sed pariunt animales etiam actiones, quas profectò tales oportet esse, quales protulit pater, propter impressum in filio characterem, quo similes necessum est, aut edere actiones, aut pati affectiones. Temperamenti autem vitiati, vel modi substantiæ nulla causa externa principium præstare potest, ni prius habitualis fiat in aliquo membro, vel in toto corpore eadem

intemperies, vel idem substantiæ modus. Quo tempore cum iam temperamentum in habitum, vel naturam versum fuerit, facile est conijcere, simile in filijs elucere in eodem membro vel in toto. Itaq; causæ internæ aut externæ possunt efficere morbosum temperamentum, quod dum in dispositione & fieri solum fuerit, licet actiones vitiet, generationem tamē siue genitum nō vitiabit: quo fit, vt in parentibus valetudinarijs & morbosis filij nascantur vegetiores et sani. Cæterum cum iam parentis vitium in naturam fuerit versum (& natura hac in parte significet alteram substantiæ partem, videlicet materiam) ob id ex materia seminis, cuius forma est formatiua facultas, euidentissimum est fieri genitum eisdem conditionibus, temperamentis et modo substantiæ insignitum, ea maximè parte, qua pater affectus erat. Cuius doctrinæ occasione statuendum est (vt constet causa qua potius idem membrū eadem intemperie affectum, quam ex reliquis aliquod inficiatur) humorem quem natura in testes semini gignendo transmittit, vt possit fieri materia seminalis & altera pars illius principij nostræ generationis, ac induere formam seminis, nulla lege posse esse proficuū, nisi prius ex iecore sigillationē & idolum, seu inchoatū ac potentialem similitudinem omnium parentis membrorum susceperit: ita vt partes determinatæ ex determinata materia in potentia ad illud membrū fiant, non ex qualibet indistinctè, alioqui monstrosus fieret conceptus, quia facultas formatiua nequiuit partes efformare, nisi ex determinata & simili materia cum illis. Quō fit, vt si pars aliqua materiæ sigillationem recipiat, eadem sigillatio secum deferat in membrum, temperiem nimirum ac modum substantiæ similem: qua similitudine simile quoque in affectionibus & morbis euadet membrum.

Dubium. Sed dubitabit forsan aliquis, qua nam ratione, si semen à toto non decidit, secus cum sanum sit, possit sigillare materiam morbosa alicuius membri similitudine affectam, vt membrum ex ea genitum consimilem affectionem genito præstet. Cui dubitationi dicendum est, nec decidere à toto corpore semen actu, nec prodire à iecore, priusquam aliquam omniū & cuiusque membri suscipiat similitudinis sigillationem aut inchoationem: quippe sanguinis (qui à membris inchoationem cœperat recipere) superabundans pars in quouis membro in testes delabitur, ea inchoatione & sigillo accepto à iecore & à membro, cuius alimenti est residuum, & vt ferunt, excrementum: vt verè fiat seminis materia: quia citra eam potētiam & sigillationem seminis materia non erit: quo fit, vt tēperiei & modi substantiæ morbidi & sani inchoationem reciperet, qua deinceps in genito similis intemperiei & modi substantiæ eluceat modus. Itaque figuræ vitia, plerumque formatricis errato, ex impedimēto materiæ succrescere est arbitrandum: temperamētum morbosum, ab humore quo membrum efformatur, modi substantiæ vitium ab vtraque causa.

Hæredit. affectiones duplices. Statuendum vlterius est, ex his hæreditarijs affectionibus, quasdam esse solum in charactere, sigillo aut impressione habituali, citra vllius actionis indiuidui læsionem: alias vero, præter habitum, fixum & in naturam versum, actualiter per habitum illum lædere indiuidui aliquas actiones. Primæ sortis sunt ij, quibus susceptum à parentibus membri alicuius vitium non lædit in ipso membro neq; in altero actiones; sed in omnibus viuit sanus homo, potest tamen in genitum idem vitium & in idem membrum transferre cum læsione actuali actionum eiusdem membri. Vt, verbi gratia. Si quis surdus aut mutus filium generet audientem & loquentem, qui rursus propriū filium surdum aut mutum gignat. Plerumque enim contigisse vidimus, ex auo podagrico actu aut habitu, filium sanum suboriri, à quo (quantumuis sanus

A videatur) filius productus millies in podagram prolabitur. Ratio huius euentus est, quia character in membris impressus solum lædit efficaciam formatiuæ facultatis, quatenus ad speciei propagationem: quippe aliquando contingit, non solum formatiuam lædere, sed & peculiarem ac indiuiduam membri actionem: si primum contingat in filio, ipse sanus viuet, quatenus attinet ad indiuiduas actiones: licet quatenus ad productionem suorum filiorum pertinet, ipsos eodem charactere & eadem sigillatione insignitos gignat: in quo non rarò accedit lædi quoque indiuiduam membri alicuius actionem (qua læsione pater caruit) ac pati podagram, vel surditatem, aut ophthalmiam, quas pater non patiebatur in eis par-
B tibus, nisi solum characterem filio præstitum quoad actionem specificam, quia in reliquis indiuidui actionibus sanus aderat, vt dictum est. Secundi ordinis sunt ij, qui præter sigillationem habitualem & natiuam, actuali tamen læsionum actione infestantur, sigillatione reducente membrum ad actum morbosum: vt si quis ophthalmia affectus, aut lepra, vel surditate, surdos, ophthalmicos, & leprosos gignat. Qui quidem homines sic affecti non solum habent natiuam sigillationem ad similes generandos, sed actu etiam affectos, non potentia solum, vt primi: quam sane diuisionem ad veram & genuinam curationem cuique præstandam vel denegandam, magni fore momenti sum arbitratus, si prius difficile quoddam
C dubium ad veram huius doctrinæ enodationem exposuero, quod non parui esse momenti ad inuentionem modi curationis censeo.

Ex qua etiam diuisione suboritur non leuis dubitandi occasio, nimirum, cur si character seu sigillatio trāsit à patre in filium, pater surdus aut mutus (vel alio morbo affectus) licet imprimat similem characterem in filium, ipse tamen filius prædicto charactere insignitus, nec surdus nec mutus nascatur: nepotem tamen generet surdum vel mutum, vel quouis alio affectu, ex ijs quos auus patiebatur, actualiter insignitum, patre nequaquam eo vitio actualiter laborante. *Quæstio. Cur illæso filio morbus hæreditar. in nepot. trāseat.* Cui dubitationi respondendum est, id posse fieri vno è duobus modis, vno, quia pater non imprimit in fi-
D lium nisi characterem, vel sigillationem, dispositionem seu apparatum illum morbosum, quo filius facilè causis accedentibus incidit, ob prædictum apparatum, seu habitum, in consimilem morbum, licet ipse natus fuerit sine actuali morbo, quantumuis cum illo apparatu ad ipsam nascatur. Qui sanè filius potest optimè suam prolem generare, in qua ille morbus actualiter eluceat, maximè si nullum fuerit impedimentum, quod interdicat effectum paternæ sigillationis. Quippe duo solent illum præpedire: primum humor siue secundum naturam, siue vtcunque vitiatus, aut supra modum abundans: quo humore infirmatur vis characteris & sigillationis paternæ, ac impeditur reduci ad actum: haud secus quam in sanis
E corporibus contingit. Quippè quo saniora & humorum prauorum magis expertia sunt, consimiliorem sibi generant filium: quò vero prauis & copiosis succis, ampliùs abundant, longè magis dissimilem gignunt. Sic profectò cum dispositio, seu sigillatio patris sit natiua, rectius multo imprimetur, si nullus sit humor impressionē impediēs: quo fit, vt longe minus eluceat in filio sigillatio, quò magis pater succis abundauerit extraneis aut copiosis. Quo fit, vt in filio ea ratione non semper actualiter eluceat morbus parētis, in nepote tamen apparet ob adductam rationē, quæ magis viget in auo, minus in filio, et iterū magis in nepote. Præterea, & secundò, idē impedit morbus alter, qui eluceat in auo aut filio, obumbrans hæreditarij morbi characterem, ac imprimens suum vitium. Secundum quod solet actum sigillationis vel præpedire, licet imprimatur potētialiter; vel in actum morbosæ

actio-

actionis indiuidualis prorumpere (vt quæſtioni reſpondeamus) eſt vis & efficacia ſeminis aut ſanguinis materni, in quibus nil mali adeſt: quam vim aliquando contingit adeò præualere, & paterni ſeminis vitia ſuperare, quod nequeat character actuali vitio imprimi, & ob id in filio nil mali eluceat. Verùm ſi filius vxorem ducat, cuius ſanguis & ſemen non ſint tantæ efficaciæ, mirum non eſt, ſi in nepotibus eluceat aui hæreditarium vitium. Quo fit, vt mirum non ſit, naturam hac mira varietate ludere ob prædictas cauſas, quas multis arbitramur eſſe occultas. Et pari prorſus ratione conſtat, quod ex filijs aut nepotibus quidam naſcantur ſine vitio actuali, ſed ſolum cum ſigillatione impreſſa quoad vitium generatiuæ (eo modo quo dictum eſt) citra actualem læſionem membri alicuius, quatenus pertinet ad indiuidui actiones: alij verò cum eadem ſigillatione, quam in filios poſſunt traducere ſimul cum actuali læſione eiuſdem membri, quatenus ad indiuidui actiones attinet. Vt ſi quis auus ſurdus aut mutus, vel quouis alio affectu hæreditario læſus, ex filijs quoſdam generet ſanos, quatenus pertinet ad ſurditatem & reliquos morbos, quos ipſe patitur, cæterum ſigillatione impreſſa in eorum membris, quæ clam & occultè filios & poſteritatem ſurditate affectam cogat generare: quoſdam, verò ſurdos & mutos actuali ſurditate, ea lege qua dictum eſt.

Probari etiam poteſt huiuſmodi doctrina, quia licet vitiatum ſemen à vitiato corpore deciſum, videatur neceſſario fœtum vitiaturum, & vitium illud debere propagari ad ſecundam vſque vel tertiam generationem, cum omnes hæ generationes ab vno tantum principio ortum habuerint, cum hoc tamen mirandum non eſt, ſi is ordo in intermedia aliqua generatione interrumpitur, qui poſtea in ſequentibus iterum quaſi repullulet, ita vt, cum auus, tum nepos ſint alicui morbo obnoxij, filius tamẽ ſit eius penitus expers, licèt aliquis frater eius eodem quoq; morbo (vt auus aut nepos) afficiatur. Nam ſi cauſæ, quæ neceſſario conueniunt in generatione animalis, ita eſſent neceſſariæ, vt minimè poſſent à multis externis & internis occaſionibus impediri mutarique, mirandũ non eſſet: ſed cum loco citato Ariſtotel. ſtatuat, facile poſſe mutari, impedirique, facile quoque deficere poſſunt, et robur addi naturalibus principijs generationis, ita vt intermedia aliqua generatio integra & ſine aliquo vitio euadat, quod tamen prior & poſterior contraxerat, vt etiam quarto de generat. animalium ex verbis Ariſtotelis colligi poteſt. Quippe inquit: Natura mulieris vim plurimam habet ad immutandum in melius vel deterius rationem conceptus. *Nam multi fuere, qui cum muliere aliqua fæcundi fuerunt, cum alia verò ſteriles: hocque vel ob vniuerſi corporis, vel ipſius vteri diuerſam naturam. Item aliqui cum vna muliere mares, cum altera ſemper fœminas procreauere, & interdum cum vna integros, cum altera morboſos.* Quam varietatem non minus temporum mutationes inferre habent, ſicut & lunæ ſtatus increſcens, & plena vel ſecus. Quòd ſi hæ externæ cauſæ tam inſignem vim habent in immutandis conceptibus, mirandum non eſt, ſi internæ quoque idem poſſint efficere. Nam quid vetat quòd aui ſemen, quod prius contraxerat vitium aliquod ex aliqua occaſione, præter naturæ rationem, aut ratione tempeſtatis, vteri, aut alterius ex præfatis cauſis, præſertim ſi materia, quam affert genitrix, optimè ſe habuerit, adiutũ, integrum gignat fœtum: non ita tamen, quin & ipſe aliquam ſeruet labem & imperfectionem, ob vitium quod in auo contraxerat: quæ ſi non apparuerit conſpicua in filio, quatenus pertinebat ab eius generatione, poteſt tamen tranſire in ſemen eius. Quòd ſi contingat illiuſmodi imperfectionem ſeminis filij carere auxilijs, quę adfuere in filij generatione, in cauſa erit, A quòd in nepotis generatione illa, quaſi repullulet & reuireſcat. Quibus perſpectis, facilè ſoluitur dubium, nempe ſi huiuſmodi hæreditas morboſa ſequitur naturam ſeminis, poteſt ſemen aui aliquid tunc facere, dum nepos generatur, quia remanet infectio aliqua, vel vis relicta in parte, quæ licèt impedita fuerit, quominus poſſit eo tempore in actum deduci, non fuit tamen omnino deleta: & ob id nihil vetat etiam, quin ſemen à patre genitum, ſit factum particeps illius infectionis, ita vt niſi ea fuerit nactus impedimẽta, vel quando ea non habuerit adiuuantia, quæ conuenerant in eius conceptu, poterit conceptus quo generandus eſt nepos, referre eam labem, quæ prius à morboſo auo fuerat contracta, ita vt nepos auo potius, quàm patri in hoc quaſi hæres ſuccedat, licèt illa B labes non fuerit in paterno ſemine adeò inſignis & euidens. Itaque cauſa huius varietatis duplex exiſtit: vna, quòd informatrix licet habeat omnium paternorum membrorum ſimulachra, non æqualiter ab omnibus illis excitatur ad opus, ſed à quibuſdam magis, ab alijs minus aut nihil: Quo fit, vt aliquando nõ excitetur ad formandum membrum morbidum, ac ex conſequenti ea parte ſanus euadet filius: aliquando vero patris affectũ in filij ſimili membro gignat, & filium producat morbidũ ac patri ſimilem: quod in nepotibus formatiua vis contrario modo poteſt efficere. Qua ratione fit, vt ex morbidi patris filijs quidam naſcantur ſani, quidam ſecus, & nepotes ex C ſanis ſucceſcant morbidi, & è contra. Secũda verò cauſa eſt, quoniam conata vis aſſimilare quandoque impeditur in opere: quod ſanè impedimentum fit tripliciter: vel quia ſimilitudo in altero ſemine potentior eſt, vel quia inepta materia non potuit à formatrice contineri quoad ſimilitudinem indiuiduam: vel tertio, quia imaginatio turbauit formatricis idolum, & ſuum imprimere coegit. Sed quæſtioni præcipuè reſpondent prima & ſecunda cauſa. Vltimò ſtatuendũ eſt, vitia ſeminis eò magis deliteſcere & obſcurari, quo magis à primo progenitore deſcendunt. Quippe in ſemine non ſolum continetur imago oculi, verbi gratia paterni, ſed & oculi aut cerebi aui aut proaui: niſi quod quo longius procedit, vetuſtate obſcura-D tur, & deliteſcit imago. Quo fit, vt quidam ex natis morbos & vitia parentum, alij aui, alij proaui contrahant, medijs generationibus (vt dictum eſt) eiſdem carentibus.

His ſuppoſitis, quæ neceſſaria erant ad cognitionem morbi hæreditarij, ad venandaſque eius differentias & cauſas, ad curandi rationem et vim (ſi quando ea vti oportuerit) tempeſtiuũ eſt deuenire. Quod ſane opus longè maius faceſſit negotium, quam reliqua quæ huculque diximus, quantumuis difficilia & multis abdita exiſtant. Nam ſi incurabiles exiſtunt hæreditarij affectus, temerarium videtur ipſis auxiliares manus adhibere: ſi verò curationem admittũt ex hæreditarijs morbis aliqui, inhumanum exiſtit, E auxilia denegare his, qui hæreditario onere vitam vniuerſam miſerè traſigunt: ſi verò partim curabiles & partim ſecus exiſtant, humaniſſimum erit, cui auxilia profutura ſint, qualia & quomodo adhibere oporteat preſcribere. Quæ omnia prius diligenter ſcrutari oportebit, ſi enodauero vulgarem quandam controuerſiam, qua diſſeritur, ſintne curabiles morbi hęreditarij, an ſecus. *Curandi ratio.*

An morbi hæreditarij curabiles exiſtant.

In qua re videtur, omnino illis omnibus denegandas eſſe auxiliares manus, quòd nullus veterum ſtuduerit aliquod ijs præſidium ſcribere, omnibus ferè aſſerentibus, incurabilia eſſe mala, quæ à principijs generationis ſuboriuntur, fulciuntque ſuum dogma his rationibus.

Argum. antiquor. quòd sint incurabiles.

Argumenta Quibus antiqui probarunt, esse incurabiles morbos hæreditarios, se habent in hunc modum. Vt materia est altera pars compositi, & eius naturam complens, ita vitia materiæ erunt adeò naturalia & intranea, quod sicut citra subiecti corruptionem materia separari non potest, ita nec eius vitia emendari (& cum hoc vitia materiæ non constituunt rationem morbi, sed causæ: quare formæ, cui morbi tribuuntur, vitia, morbi sunt, quod materiæ malè dispositæ cohæreat, & ob id prauè operetur) sed morbi hæreditarij, quos cum materia seminali scimus à parentibus transmitti, ob vitium materiæ pullulant in toto composito: ergo hac ratione corrigi nulla lege possunt: & minor probatur, quia facultas feminis, quæ se habet veluti ipsius forma, adhæret huic seminali materiæ, quæ dum prauè est sigillata à parentibus, prauè etiam disponit facultatem, adeo vt affectos quoque generet filios: sed talis affectio naturalis est, & ex naturalibus principijs orta: ergo minime corrigibilis.

Secundum argumentum.

Secunda ratio sic probat prædictum axioma: Omnis morbus hæreditarius est in habitu non contracto per assuetudinem, sed per natiuam constitutionem: sed habitus per assuetudinem adquisitus transit in naturam, quæ difficulter remouetur: ergo contractus ex principijs ferè impossibiliter auferetur: talis est morbus hæreditarius: ergo incurabilis.

Tertium argumentum.

Tertia ratio se habet in hunc modum: Medica facultas solùm docet demere quod superabundat, & quod deest addere: sed nullo horum modorum morbus hæreditarius curari potest; ergo. Minor probatur: Non euacuatione, quia ea quæ præter naturam abundant post generationem, eò quòd ex alimentosa materia fiant, vacuatione auferuntur: quæ vero naturalia in nobis insunt, vt morbi hæreditarij, nequaquam. Quippe contractus habitus nulla lege euacuatione demendus est. Item non curantur additamenta quia id non fieri nisi per generationem: in genitis id fieri est in possibile, ergo nec morbi hæreditarij curari poterunt.

Conclusio rei veritatem continens.

Quinam incurabiles.

SIt huius rei conclusio & veritas; Ex morbis hæreditarijs, quosdam esse prorsus incurabiles: alios vero qui ex toto curationem admittunt: & rursus alios qui partim sunt curabiles: & ac vltimò alios, qui in filio possunt curari, in patre minime: & alios qui in filio non curantur, in patre tamen possunt præpediri, quominus ad filios transferantur.

Probatio huius conclusionis.

VT huius dubij enodatio clarior, absolutiorque euadat, primò omnia huius conclusionis verba diligenter euoluere oportet. Tenet quidem conclusio in primo loco, quosdam morbos hæreditarios esse prorsus incurabiles: & sufficienter videtur probatum superesse tribus argumentis propositis. Quod intelligendum est de his morbis qui in potestate characteris in patre aut in filio citra actualem morbum siti existunt, quales sunt ferè omnes qui in membris principalibus & solidis partibus præsunt. Certum enim est, huiusmodi hæreditariam affectionem non magis posse curari, quàm naturalem affectum aut conditionem aliquam naturaliter & ex principijs naturalibus contractam parti alicui aut toti affixam: similitudines enim natorum ad parentes vtcumque sint maximè quæ in figura consistunt, aut in peculiari aliqua conditione, aut modo substantiæ, difficulter aut nunquam curantur: ex quibus subest intelligentia ad proposita argumenta, quia solum veri-A ficantur de his morbis qui hac lege hæreditarij fiunt.

Qui curabiles.

Secundò tenet conclusio, esse alios morbos ex hæreditarijs, qui prorsus curationem admittunt, licèt cum difficultate, quales sunt qui ex patre Gallicis humoribus affecto in filijs elucent. In qua re pulchrè & magni momenti sese offert distinctio: nam si pater Gallico charactere infectum habet iecur, iecur quoque filij eodem insignitur, & tales filij ad tempus curantur: cæterum paulò post iterum relabuntur in vnam aut alteram ex Gallicis affectionibus. At si ex Gallica affectione in matre filius hæreditarium onus portauerit, vt maiori ex parte ex alimento intra vterum matris suscepto affectio prodit: ita extra vte-B rum alimentis, maximè alexipharmacis illius affectionis, modus substantiæ ea labe infectus emendari potest. Præsertim eùm certissimum sit, fœtum intra vterum ex puriori sanguinis materni parte alimentum capessere: quam veritatem probat euentus: nam conspicimus, valetudinariam & morbosam matrem filios producere pulcherrimos, & boni habitus. Quòd si ex nutrice aut ex matre, quæ post partum affecta fuit morbo Gallico, filius hæreditauerit hunc aut similem morbum, longè faciliùs curabitur mutato protinus alimento. Denique omnia vitia hæreditaria, quæ charactere maiori ex parte in humoribus habent impressum, licet difficulter C curentur propter reuersiones & defluxiones, quæ in varias partes transferunt, curabiles tamen sunt, nam & euacuationes admittunt & renutritionem.

Qui partim curabiles partim incurabiles.

Statuit tertiò conclusio, esse alios hæreditarios affectus, qui partim sunt curabiles & partim incurabiles. Incurabiles quidem sunt, quatenus pertinet ad impressum characterem, siue in parte velis curare, siue in filio. Verùm cum ex impresso charactere aliquando vitietur actio animalis, quæ prorsus incurabilis existit: aliquando vero ex vegetabilibus quæ humores generat: morbi verò qui ab his humoribus vitiatis oriuntur, curabiles sunt, & omnes alij qui actu præsunt in genito ex prædicta causa, quippe ex his morbis multi consistunt in abundantia humoris efficientis vel podagram vel D ophthalmiam, aut reliquos affectus, quos sanguine misso, aut expurganti medicamento exhibito, vel sudoribus curabis, vt in morbo Gallico, scabie, aut elephantiasi conspicimus. Nam si cui filio pater præstiterit iecur calidum copiosam bilem generans, aut ventriculum frigidum cruditates efficientem, morbos ab his recrementis & vbertate sanguinis obortos, curabimus proculdubio, vt dictum est, sanguine misso aut expurganti medicamento exhibito, & sic in filio curantur vitia humorum qui à patre traducuntur, quia non habet filius characterem aliqua sui parte impressum: quod si habeat, curatur morbus qui ex humoribus prodit, non tamen curabitur character seu sigillatio, haud secus quam E in patre, licet in vtroque accessiones & exacerbationes quæ ab humoribus produnt, curari possint.

Qui incurabiles, at tamen emendabiles in patre.

Vltimò tamen statuit conclusio, in filio esse mille affectus, qui non curantur, quia ob substantiæ tenuitatem fixius susceperunt contractum semel vitiū: qui tamen, ne in nepotes & in posteritatem commigrent, præpediri optime possunt. Nam certum est, emendari posse aliquo modo susceptum à patre vitiū, dum non inueterascit. Siquidem qua ratione naturam labefactam in meliorem & salubriorem mutare docet ars medica, docebit etiam hæreditarios affectus, & insalubrem substantiæ modū ac temperiem, quantumuis connaturales fuerint; ergo sicut illud impossibile non existit, ita neque hoc; atque ex consequenti hæreditarij affectus, saltem qui actu existunt, incurabiles omnino non sunt.

Quæ

Quæ omnia videntur posse probari multis ratio- A nibus. Primò, quia solet imaginatio vehemens patris, aut matris conceptus tempore, filiorum indiuiduas conditiones mutare, ac nonnunquam monstro sum efficere conceptum: ergo poterit ars medica hæreditariam sigillationem euertere,& posteritatem citra parentum vitia,& morbos insignire, ac ex consequenti non licet omnes hæreditarios affectus deploratos habere.

Præstat vim prædictis rationibus altera, quæ non est minoris momenti, si quidem vt monstrosi conceptus fiunt mutata,& euersa naturali temperie, & sub stantia, ac figura parentum: eadem profectò ratione poterit ab eisdem, aut alijs auferri, & præpediri natiuus, & morbosus habitus, quominus transferatur in posteritatem: quod probatur, quia non est ma- B ior difficultas in auferendo morbosum,& hæreditarium habitum, vt fœtus euadat sanus, quàm auferendi, & mutandi habitum naturalem, vt fœtus euadat monstrosus.

Probat insuper prædictam conclusionis veritatem, plures subesse causas, quibus dissimiles fiunt filij à parentibus in his quæ naturalia sunt, & indiuidua. Ergo poterunt esse aliæ, quæ dissimilem, in his quæ morbosa sunt in parentibus, generate filium efficiant, ac ex consequenti saoum, quantumuis parentes morbosi fuerint. Sed medicus, qui est imitator naturæ, poterit etiam artis instrumentis causas naturales supplere; ergo poterit præpedire, ac præcauere, quominus filij nascantur paternis mor- C bis fœdati.

Verùm vt medicus possit prædictis instrumentis effectus naturalium causarum supplere in memoriã reuocare oportet, ex morbis hæreditarijs quosdam esse in charactere, sigillatione, qualitate, vel dispositione impressa in præcipuis parentum membris, quorũ potestate,& efficacia semen,& sanguis menstruus disponuntur ad gignendum filium simili morbo actu, aut sigillatione laborantem, & aliquando citra manifestam actionis indiuiduæ læsionem: Quosdam verò esse in membro aliquo actu laborante, habenteque proprias actiones læsas, vt capite, oculis, articulis, aut renibus, quorum actiones vitiatæ, & mille modis corruptæ apparent. Sic prouidentiæ ratio du- D plex instituenda est: vna charactéri patri impresso, & filio nascituro imprimendo, altera verò membro, aut corpori vniuerso actu laborante, siue in patre, siue in filio præsit, vt paulò inferius efficere monstrabo.

Hæreditarius character, si adolescentiam præterierit, nulla ratione curari potest.

His suppositis, statuendum etiam est, vt nulla subsit in conclusione dubitandi ratio, hæreditarium characterem, seu morbidam sigillationem (vbi actu, & manifestè particula aliqua non laboret) curari nulla ratione, neque arte posse, idque maximè si adolescentiam præterierit homo: & hoc est quod primæ tres rationes firmiter contra nostram conclusionem videntur probare. Præter id quod talis affectus connaturalis est, vt Plutarchus lib. de sera numi. vind. sta- E tuit: quippe inquit, eos qui oriuntur à parentibus qui laborant simili morbo, statim esse curandos (vt constet vis,& efficacia illius verbi, *Si adolescentiam præterierint*) quasi dicat, proprietatem paternam esse irremediabilem causam horum morborum in filijs. Vt etiam Auicenna capite de nephritide insinuauit. Quam sententiam ab Hippocrate acceperant ambo libro 2. prorr. per hæc verba: *Nam qui hos morbos congenitos habet* (loquebatur de morbo sacro, tabe,& podagra) *is ægrè ab ipsis liberari potest.* Quibus constat, quàm difficilis sit in huiusmodi morbis curatio, & quo tempore fieri debeat, si quando profutura est.

Ratio prima est, quia cum vitia materiæ nostræ generationis emendari non possint, vt vitia materiæ alimentosæ, & excrementitiæ reliquos alios morbos gignentis, quos mille modis curare possumus: constat, neque characterem deleri posse, neque omnino obscurari, haud secus quàm quæ in nobis secundum naturam insunt. Quippe euidentissimum est, characterem illum, seu sigillationem secundùm alteram nostræ naturæ partem (hoc est secundùm materiam) nobis inesse, haud secus quam membra ipsa quibus constamus,& eorum carneam, osseam, membranosam,& corpulentam substantiam. Et sicut hæc omnia citra euidens damnum mutari, auferri, aut quouis alio modo euerti non possunt, ita neque sigillationem, aut characterem à principijs nostræ generationis impressum auferre, vel mutare possumus auxilijs, vel medicamentis.

Præcautio,& Curatio.

CVm hoc tamen tentandum est prouidere, & præcauere, quantum possibile fuerit, ne prorsus omnes filij in praua sigillatione nascantur: in qua etenim prouidentia duo sese nobis offerunt consideranda. Primum est, supposita difficili curatione, quo tempore, aut qua ætate auxiliares manus adhibere oportet, ne qui sic afficiuntur, omnino videantur auxilijs destitui, etiam si dictum sit, impossibiliter, aut difficulter curari. Secundum est, qua lege præcauere oporteat (si primum impossibile fuerit) quominus nascantur filij hoc vitio, aut charactere insigniti. Circa primum statuendum est, ab ortu hominis hæreditario onere oppressi, ad vltimum vsque adolescentiæ tempus prædictum characterem curari, infirmari, deleri, aut saltem eius actus impediri aliquo modo posse: nam dum corpus durius, substantia eius siccior, & solidior mutatione ætatum efficitur, penè est impossibile ipsum mutare: ex tenera enim carne facilè aliquid mutari potest, aut alimento quod præest vitiosum obscurari, aut in meliorem substantiæ modum mutari: difficulter inueterata mutari possunt, vt in omnibus rebus euidenter conspicimus, præsertim in eis quæ ex innatis principijs originem trahunt.

Parentes ætate prouecti licet vacuationibus conterantur, praua sigillationē impedit.

Cæterum qua lege oporteat prædictum opus aggredi, & characterem auferre in patre, quominus generet filios paterna labe infectos, audita facilè potest quis dirimere. Namque nil vulgarius apud medicos non mediocris eruditionis reperies, quam medicamentis, & alijs artis medicæ auxilijs corpus mũdum, & euacuatum reddere: quod sanè opus potius turbare corpus natum existit, & periculo plenum, quàm quod quicquam vtile afferre possint: quinimo experimento fidissimo non semel probauimus, potius hæc omnia lædere, & sanum corpus perdere, longè efficacire,& potentiori manente sigillatione ad procreãdos sibi similes filios, haud secus quàm quæ naturalia sunt, si ab excrementis quæ impediunt liberes, quæ operantur secundum totum suum esse completum citra impedimentum excrementorum, aut humorum. Character enim & sigillationes innatæ non magis medicamentis,& artis auxilijs cedent, quàm quæ nobis secundum naturam existunt: certum enim est, innatum cuiusque temperamentum, aut modum substantiæ natiuum, si velis medicamentis, & auxilijs mutare, efficies quidem, sed cum maximo corporis detrimento: si quidem mutatio eius quod secundum naturam est, nullibi tendere potest nisi ad statum præter naturam: ergo alia via oportet sigillationem illam auferre, & infirmare, quam medicamentis quæ necessario læsura sunt. Quod sanè insigne opus solum aggredieris per tenutritionem, quæ contrarium habitum ei in quo arbitramur sigillationem consistere, alimentis inferat. Nam quemadmodum per generationem factus fuit prædictus character, ita

ica prorsus per adgenerationem, seu nutritionem mutari, aut infectum fieri potest ætatis, & diuturni temporis tractu. Quod si victu, & debito vitæ instituto auferri non possit, id solum subsidium superest, ne omnem posteritatem eadem labe inficiat: nimirum quod ab omni curatione per euacuationem desistat laborans: cum euidentissimum sit, & rationi consonum, quòd quò corpus charactere, aut sigillatione affectum purius exorsque ab excrementis, & reliquis succis redundantibus fuerit, eò fixius, & certiùs, ac liberalius impressurum characterem, quòd à nulla causa præpediatur, neque deleatur, aut infirmetur eius efficacia, & potestas. Certum enim est, corpora sana, quò puriora sunt, & à spurcitia humorum liberiora, eò faciliùs, & certiùs sibi similem generare prolem: quia nihil est quod impediat, aut turbet formatiuam facultatem, ne materiam vitiet, quominus similis producatur fœtus. Verùm si huiusmodi corpus charactere affectum humoribus sibi alienis, & excrementis abundauerit, tanto magis profectò dissimilem generabit prolem, quanto eorum maiorem, aut deteriorem sortiatur copiam. Atqui cùm character, seu sigillatio sit connaturalis conditio, & natura parentis, eò citiùs, & certiùs sibi similem generabit fœtum, hoc est eadem sigillatione affectum, quò purius, & ab excrementis liberum fuerit corpus: & tanto rursum magis dissimilem, quanto prædictis succis alienis præpediatur plus obscureturque characteris, seu sigillationis efficacia.

Quò euidenter constat, eos turpiter errare, qui parentes ætate iam prouectos (præcautionis gratia, ne filios generent propria labe fœdatos) vacuationibus, sudoribus, balneis, aut alijs præsidijs inutiliter conterunt. Siquidem, præter id quòd nullam vim habent ipsum characterem auferendi, vel obscurandi, corpus (alioqui in cæteris omnibus sanum) turbant, & lædunt, aut forsan ob adductam rationem citiùs, & certiùs, corpore reddito puriore, ipsum cogunt, genitum, simili sigillatione affectum, aut actu morbosum gignere: & hoc est quod videntur probare rationes partis affirmatiuæ. Quapropter sic affectos (vt probant contrariæ rationes, quas ob id diluere nō placuit, siquidem vim habent in prædicta morbi hæreditarij conditione) curare non licet, si adolescentiam prætererint.

Character quibus modis oppugnandus.

Superest quod secundo loco proposuimus iuxta characteris ablationem esse necessarium: nimirum diligenter curare, & cauere, ipsum, quantum possibile fuerit, infirmare, & obscurare, quominus in posteritatem commigret. Quod profectò fiet necessario per veram curationem, non curatoriam, sed quæ contrarietate quadam vim habeat, & potestatem infirmandi sibi coniunctum. In qua re id primum obseruatione dignum iudicaui, ne vitium parentum in omnem posteritatem firmiter transeat: quod nunquam connubio iungi debent duo parentes ex eadem viniata familia descendentes, quippe tunc facilè, & longè immedicabilius malum in filios trahetur, quòd vtrumque semen eadem labe infectum sit. Quapropter consultissimum est, vt sigillatio paulatim extinguatur, & delitescat, viros vxorem ducere alterius familiæ, vt fœminas nubere alijs viris. Ratio profectò in promptu est, nam cum constet, tam virum, quàm fœminam semen, idque prolificum emittere, facilè conijci potest, infectum corrigi posse accessu eius quod purum, & incorruptum est.

Fetus cur aliquādo patri mox matri similis.

Quod vero vterque parens semen emittat, præter id quod Galen. 2. de semine, & mille in locis affirmat, Aristotel. etiam (quem multi arbitrantur id negasse) validissima ratione id probat, & nostram etiam in hac re sententiam; quippe statuens, cur filius aliquando matri, & nonnunquam patri similis gignatur, inquit, *quod aliquando motus à patre superat; & filius patri similis euadit: matri verò, quando superior est motus à matre:* quamuis mox dicat, *quòd motus matris in potentia est, patris vero actu:* Quod licet intelligere in his quæ semper potentia sunt: nam si potentia aliquando superior euadit, aliquo modo fit, & efficitur actu, ac ex consequenti efficaciam habere est statuendum. Quod etiam idem Aristotel. 4. de generatione animalium eleganti ratione confirmauerat, dicens, *quòd mas, & fœmina contraria sunt: & quòd quando alterum contrarium non potest alterum superare, res in alterum contrarium degenerat.* Quod euidenti exemplo comprobat: *cùm enim calidum nequit frigidum superare, necesse est, vt res quæ transmittatur, in frigidum commigret.* Quòd si res sic se habet, & quæ rationem contrarietatis alicuius subinduunt, eatenus legem contrariorum seruare necesse est, quatenus rationem contrariorum retinent: contrariorum autem lex est, vt mutuo circa idem subiectum se oppugnēt: nequit autem pugna fieri, nisi inter ea quæ aliquo modo sunt in actu, ac ex consequenti fœmineum semen actu tenetur vires, & efficaciam sortiri. Quod vlterius probant verba eiusdem authoris sequentia: nam cum esset rationem redditurus, cur motus illi patris soluantur, ob quam solutionem filij interdum matri similes fiunt, interdum vero neutri illorum, imo nonnunquam nulli affinium, ait, *quòd omne agens patitur à patiente*, quod in diuersis generibus transmutationum ostendit, dicens: *Insuper quod nunquam agens magis à patiente afficitur, quàm in ipsum agat:* quinimò ex eius verbis colligi potest, eandem vim, & efficaciam etiam menstruo sanguini inesse. Quippe magna diligentia curat ostendere, menstruum sanguinem eundem modum generationis sortitum esse, & eandem ferè naturam cum virili semine: nam & vtrumque est excrementum, *& vtrumque* (vt ipse ait) *est excrementum sanguinis*, quem ipse vltimum alimentum appellat: *& quod ipsum potestate est tam corpus generandum, quàm omnes illius partes.*

Quamobrem ex his omnibus duo magni momenti colligere possumus: primum, quòd hæc generationis initia sunt consimilia, non tamen penitus, & omnino: quia semen maris absolutius, & perfectius euadit, vtpote effectum à calidiore efficiente: muliebre verò semen, quod aliquando sanguinem menstruum appellauit Aristotel. non ita. Quo fit, vt inter se mutuo comparentur: nam fœmineum magis materiæ, & potentiæ passiuæ rationem seruat, maris verò agentis, & principijs actiui, licet aliquid passiui sortiatur quoque: sed cum horum vnumquodque seorsum, & per se consideratur, vtrumque aliquid actiui, & aliquid passiui habet: licet alterum altero vtriusque magis, & perfectius rationem seruet: quod etiam probari potest, quia sunt ex eadem materia, & ab eadem efficiente specie ambogenita.

Seminis labes vt præcaueatur qualis vir, aut vxor quærenda.

Ex quibus omnibus colligitur secundò, ad præcauendam seminis labem necessum esse, vxorem, aut virum quærere, qui temperie, modo substantiæ, & ferè in omnibus indiuidualibus conditionibus dissideat longis interuallis ab vxore: sic enim à generatione in generationem delitescet magis sigillum hæreditarium vincens inculpatum semen, ac præualens supra vitiosum, & prauè affectum: siquidem vt dictum est, causæ quæ necessariò conueniunt in generatione animalis, non sunt ita necessariæ, & prorsus rebelles, & indomitæ, quod non possint, à multis externis, & internis causis impediri, mutarique. Nam, vt idem Aristotel. dicit, illæ facilè possunt mutari, & impediri, ac facilè quoque deficere,

cere, ac nonnunquam causis aliquibus impedimenta tolli, & robur addi naturalibus principijs generationis, ita vt generatio integra, & sine aliquo vitio euadat.

Filij præcautionis gratia, quibus, & quādo curandi.

Cæterùm si præcautionis gratia filios curare libuerit, ne suos quoque filios eadem labe fœdent, id alimentis à teneris annis facito: & eo tempore appositis etiam præsidijs parti, iuxta naturam affectus hæreditarij, in qua scimus patrem fœdatum esse. Quæ sanè auxilia, vel resoluant inoatam parti substantiam, vel exiccent, aut substantificè humectent: velut affectus ipse futurus postulasset, si actu iam extitisset. Qua ætate transacta, arbitrandum est, hæc omnia longè maiorem vim inferre, quàm naturalia possint ferre, & sigillatio forsan adhuc eadem permanebit. Quod sanè considerare, magni est momenti in morbis hæreditarijs, ne frustra & inutiliter tempus, sanitatem, & pecuniam, laborantes conteramus.

At si morbus actu parentes vexauerit, vt Gallicus affectus, podagra, renum vitia, scabies, & impetigines, tunc quidem ne in filios transferantur, omnibus auxilijs ab authoribus scriptis in proprijs cuiusque morbi capitibus eosdem curare licebit, prout vnusquisque postulauerit, haud secus quam si non fuisset hæreditarius, donec in meliorem statum videantur mutari, quo filios minus morbosos gignant. Quod sanè opus exequeris lentiùs, & morosiùs quàm in quotis alio affectu non hæreditario.


Quòd si oe hæc omnia prodesse videantur, quin filij nascantur simili morbo affecti, parentum eo tempore victum, & vitæ modum omnino, & in contrarium mutare licebit, quo sanguis fiat aliquo modo diuersus, dum modo morbosè non deuiet à naturali, & in affectum alium degeneret. Et hoc profectò est quod instituimus aliquibus rationibus in principio probare: nimirum aliquos ex his morbis curare oportere, eos nimirum qui in parentibus actu existunt; nā si solum in charactere fuerint, impossibile videtur: & eo impossibilius, quo laborans ab adolescentia longiùs distauerit, eamque longiùs præterierit.

Surdi, & muti ex hæreditario morbo qualiter curandi.

Verùm si ex patre characterem sortito, aut actu laborante, filij nascantur actu morbosi, vt surdi, muti, ophthalmia, aut alio vitio affecti, tunc quidē duplex erit curandi ratio: altera in adolescentia, quæ morbū & morbosum habitum deleat, vt dictum est, adhibitis præsidijs pro indigentia præsentis morbi, siue id per euacuationem, siue per temperantia fieri debeat, & adhibita etiam vitæ, & victus institutione, qua habitus in meliorem mutari possit. Cæterùm si id concessum non fuerit, auxilijs id facito, tanquam si morbus hæreditarius non fuisset: quæ sanè auxilia medicinalia non sint solùm, sed arte, & industria oportet surdis, & mutis subuenire. Quippe si surdus sit laborans, præter auxilia quæ surditati prosunt, vociferationibus, aut tubę sonitu aurium meatus aperire oportebit: & postea formatis, & articulatis vocibus in recōdito, & obscuro loco oportebit docere surdum, & mutum loqui: nam diu in hoc labore perstando, multi hoc onere hæreditario oppressi, visi sunt recuperasse auditum, & loquelam, quantum par est ad humanum consortium exercendum.

Et hæc sunt quæ in re tam difficili, & à paucis explicata mihi visa sunt sufficere, vt subsit ansa viris doctis altiùs philosophandi, & alia quæ necessaria fuerint addere, quo tractatio euadet Reipublicæ vtilior.

FINIS.



LVDOVICI MERCATI, MEDICI A CVBICVLO PHILIPPI TERTII HISPANIARVM REGIS, &c.

LIBER PRIMVS.

De Febrium Essentia.



Vi recte, quæ ad febrium integram notitiam proficua sunt, callere velit, opus est, noscat primitus exactam febris ipsius essentiam, seu naturam: nã eo tempore diuisioné alicuius rei optimè consequetur, cum probe rem ipsam diffinierit, & calluerit. Noscat item differentias omnes vsque ad specialissimam, & sciat ad minimam vsque signis distinguere, atque omnium, & cuiusque caussas inuestigare; tandem, quid sperare, aut timere in quauis oporteat: & vltimo, qualis in communi sit medendi methodus, & quæ febri cuiuis proficua exsistat curandi ratio.

Febris essẽtia prius inquirenda, deinde differentiæ signa, caussa, ac tandẽ curatio.

Verum ne quis citra ea principia, quæ ex Dialecticis theorematis desumpsisse prius oportet, rem hanc, alioqui grauissimam, aggrediatur, necessum est, non solum res ipsas vtcunque expẽdisse, verum & methodum didicisse prius oportet, quæ eas scrutandi principium præstet. Primum itaque, vt rem, quam quærimus, facilius assequamur, singularia omnia contemplari oportet, *vt Galen. docet 6. popul. par. 3. comment.* 20. & omnibus illis mutuo collatis, quatenus illa similia sunt *(nam hæc sunt, quæ conferri debent)* ea postmodum omnia in vnum commune principium, & amplam, ac communem similitudinem referenda reducendaque sunt: postea vero eam communitatem, seu similitudinem, quam genus nuncupamus, per differentias in diuersas species diuidere opus est: & tandem in his speciebus contemplari oportet alias differentias, per quas prædictæ species differant, dissimilitudinemque inter se habeant. Producta quidem hac lege diuisione, donec ad infimam speciem deuẽtum sit, immorandum non est. Verum cum necessum sit ante differentiarum notitiam, prius naturam generis, cuius diuisionem quærimus, expendisse, ob id, cũ calor sit ad febres omnes vniuersale, & commune genus, de calore, eiusque natura, primo agendum esse censui. Ac licet cuiusque rei essentia, & natura demonstrari non possit, *vt ex Aristot. constat 2. post. 7.*

Calor omnium febriũ vniuersale genus.

A & ob id multo facilius inquiratur processu operis, quam mox à principio, cum hoc tamen quia diffinitio notionalis de se nota, & vulgatissima est *(etiamsi Galen. lib. de differ. febr. prius febrem ob dictam rationé diuisisset, quam diffinierit, iuxta eiusdem decretum lib. 4. de differ. pul. cap. 2.)* tutius mihi visum est, à diffinitionis explanatione ordiri, *vt ipsemet Galen. docet lib. 1. de differ. morb.* qui tamen licet sibi contrarius videatur, cum *lib. de differ. febr* à diuisione ordiatur, & *lib. de morb. & symptom.* à diffinitione, ipse tamen se exponit *lib. 4. de differ. puls.* docens in his, quorum natura nimis abdita est, & recondita, semper à diffinitione B esse ordiendum: At in alijs, quæ vulgarem, & notam sui prẹstant notitiam, qualis febris ipsi Gal. erat, à diuisione. Verum quia auctores *(licet primo accessu febris conditio aperta videatur)* tot tantisque difficultatibus eius naturam euoluerunt, nos Auicennam in hoc secuti certiorem clarioremque arbitramur esse eam docendi viam, quæ à diffinitione initium sumit. In qua sanè re studebo prius monstrare, *quid febris non sit*, vt subsit longè clarius, *quid sit, & cuius naturæ*.

Febrim El anné cur a diuisione ordiatur Galen. & nó a definitione.

C In cuius rei enodatione monere prius oportet, varia admodum fuisse de febris essentia auctorum decreta: nam quisque suum protulit conceptum, suamque explicuit mentem, adeo vanè, & confusè, vt qualis sit natura, & conditio febrilis caloris, legenti constare minimè possit. Qua ego ratione motus, hac in parte ea diligentia omnium conceptus referre studui, vt quisque quæ vera sunt venari faciliùs possit. Dimitto tamen *(tanquam omnino vanum)* eorum decretum, qui censent, febrem frigidum esse affectum, decepti futilibus quibusdam rationib. nam principiũ D accessionum, & frigus febris syncopalis humorosæ, ac frigiditas extremorum in febribus colliquantibus, quæ ipsorum mentem contorsit, accidentia potius cẽseri debent, quam partes febrilis affectus, aut de eius natura, & ratione. Et ob id scribam prius, qualis fuerit omnium ferè auctorum communis conceptus; postmodum, qualem protulerit eorum quisque: tandem, cui eorum standum sit.

Varia decreta auctorũ de febris essentia.

Reliqui vero Medici, quotquot fuere, tum etiam Philosophi, communi consensu fatentur, febrem per calo-

1. Febrem calorem

ffe, communis est omnium cōceptus.

calorem potius, quam per quid aliud, debere diffiniri. Sic Auicenna inquit: *Febris est calor extraneus accensus in corde, procedens ab eo mediantibus spiritu, & sanguine per arterias, & venas in totum corpus.* Sic Galen. appellat ipsum *pyreton*, ac sæpius *pyrexiam*, hoc est, *ignem*, aut *igneum halitum*. Sic Hippoc. *vt ex 1. popul.* apertè constat, frequenter ipsam *ignem* appellauit. Quod quidem eò factum esse suspicor, quòd inter ceteras distemperies calidas nulla magis propriè ignis naturam sapiat, quàm febris ipsa. Qua ratione calorem in totum extensum *febrem* appellauit Gal. *lib. 1. de different. morb. & 8. method.* febrem dixit esse, cum adeo immodicè auctus est calor, vt & hominem offendat, & actiones lædat. Sic idem auctor 6. *popul.* non ex Hippocr. modo, sed ex omnium aliorũ consensu, febrem præter naturam caliditatem esse asserit. Præterea 8. *method.* refert: *Febris calor est, non res calida.* Verum vt constet, Auicennam ex diuersis Galen. locis collegisse, quam adduxit definitionem, apparet 9. *eiusdem operis* 14. febrem non ex duobus calorem esse compositum. Item 1. *aphor.* 14. siccitati refert coniunctum: *pri. acut.* 18. in corde accensum: & 8. *method* per totum extensum, nisi impediatur: & 2. *de different. febr.* vt impeditur in epiala; & item actiones lædere, *vt lib. art. Medic.* 82. *& lib. de diff. febr.* esse perseuerantem caliditatem, non sicut caliditas iræ, & laboris: his profectò consimiles sententias apud plerosque auctores facilè erit inuenire, quibus vnanimi consensu fatentur, febrem calorem esse, eumque præter naturam.

Febris definitionẽ ex diuersis locis Gal. collegit Auicenna.

Calorisno mine intẽperies calida intelligi debet.

Verum si quis hanc veritatem studuerit conuellere, haud difficile erit: quippe reperiet, male per calorẽ febrem esse diffinitam: nam si febris est morbus, & febris est calor præter naturam: erit vtique calor præter naturam morbus, quod nullus sanæ mentis concedet; siquidem calor præter naturam caussa morbi potius censeri debet, quam morbus, *vt idem Galen. fatetur lib. de caus. morb. cap. 2.* Sed posthabita præmissa ratione, & alijs eiusdem farinæ, quas breuitatis studio prætermitto, statuendum est, sententias tum Hippoc. tum Galen. tum etiam reliquorum virorum nuper adductas, licet verbis calorem exprimere primo accessu constet, intemperiem calidam connotare, ac exprimere potius, quam simplicem calorem, vt apertè innuit Galen. 8. *method.* dicens, *febrem esse calidam intemperiem per totum corpus dispersam:* & in hac interpretatione, & communi consensu omnes conuenire est fatendum, vt paulo inferiùs leges expressius in enodatione vltimi conceptus.

Febris nõ est calor, sed intemperies calida.

Cõceptus secundus. Prima ratio.

Etsi verum sit, omnes ferè auctores vnanimi consensu febrem sub ratione caloris constituere, cũ hoc tamen, qualis naturæ sit ille calor, non satis constat: nam fuere inter ipsos, qui febrem substantiam esse calidam dixerint, Galeni auctoritate prauè intellecta decepti, quod *lib. aduersus Lycum, & 1. aphor.* 14. calorem duobus modis vsurpauerit, pro qualitate videlicet, & pro corpore calido, & innatum calidum appellauerit substantiam: & ob id arbitrati sunt, ita quoque cum huic calido contraria existat febris, rem seu substantiam calidam necessario fore, cum contraria sub eodem genere reponi debeant. Probant secundo suam positionem exemplo febris hecticæ, cuius naturam sitam esse arbitrantur in conuersione humidæ, & calidæ substantiæ ad igneam naturam, vt probãt eiusdem febris tempora, seu partes, quas constare scimus ex maiori, aut minore huius humidæ substantiæ mutatione ad sicciorem, & calidiorem conditionem.

Secunda ratio.

Calorem aliquãdo Gal. accipit pro substantia, aliquãdo pro qualitate.

Quam tamen falsum sit, & falso innitens fundamento huiusmodi dogma, ex interpretatione mentis & conceptus eorum apertissimè constabit, nec non & mentis Galen. quam prædicti viri prauè vsurpant, quod ipse primo accessu varius videatur. Nam si quis A diligenter scripta eius legat, minimè verbis constare, primo accessu reperiet, licet reuera mens eius vbique vna tantum reperiatur. Aliquando enim, nimirum, *lib. 1. de temper. cap. 7. & lib. 1. de different. febr. cap. 1.* calorem pro qualitate vsurpat: at 1. *aphor. & popu.* 6. *& 2. de ratione victus*, genus febrium calidum dixit, quod respectum habet, tum ad qualitatem, tum ad substantiam, quæ caliditate affecta est. Quæ sanè decreta quamuis diuersa verbis videantur, eadem tamen est vbique sententia. In qua re expendendum est, quod omnis substantia corporea, siue simplex sit, siue mixta, quamuis alicuius actionis gratia sit à natura facta, ipsa tamen per se, & sola nihil agere potest; in substantia enim per se non est facultas agendi aliquid, sed eget aliquo alio, quo vtatur tanquam principio B quo agat, aut tanquam instrumento proprio. Simplicia enim corpora per proprias qualitates proximè agunt, sicut ignis per calorem. Neque qualitas ipsa potest per se, & seorsum agere; suppositorum enim sunt actiones, & ob id quamuis singularim hæc omnia sint vnam et res, vt ignis vnum corpus cui actio refertur, diuersimode tamen loquuntur de eo auctores: nã interdum ipsi principio, vel instrumento attribuunt actionem, interdum vero substantiæ, quæ est totum compositum, quod per se, & propriè agit. Ita prorsus Galen. & Medici omnes loquuntur, idem intelligentes, licet varijs nominibus vtantur; nam quamuis vterque calor sit substantia quædam corporea, non tamen lædit, aut patit actiones ratione suæ substantiæ, C sed ratione temperamenti: sicut ignis non comburit proximè per suam substantiam, sed per suum calorẽ; quo fit, vt febris iure optimo inter morbos in intemperie recenseri debeat. Quapropter ex doctrina Galen. quantumuis varia appareat, vanum est colligere substantiam esse: nam qui id fatentur, tefciunt quidem febrem rem quandam esse calidam quæ actionibus officit: hoc tamen dicto euidentissimè videntur aduersari Galeno qui 8. *method.* ex professo fatetur, *febrem calorem esse, non rem calidam.* Sic eorum *prima* ratio nihil nisi aduersus ipsos probare videtur: nam si calidum aliquod haberet contrarium, id proculdubio frigidum foret: nam calidum innatum, & febris non ponuntur sub eodem genere, quod ambo D sint substantiæ, sed tantum sub ratione caloris naturalis, & præter naturam, quo fit, vt argumentum nil videatur probare. Ad *secundum* dicimus, solam mutationem qualitatis, seu temperamenti citra id, quod opus sit substantiam mutari, eo modo, quo mutatur calor, sufficere ad febris essentiam, etiam in febre hectica: nam formale febris ex sola prædicta mutatione dependet, licet ad constituendam hanc, vel illam speciem febris hecticæ, vel eiusdem (*vt rectius loquar*) tempora, necessum sit substantiam aliquam, seu aliquod humidum euariari: verum febris ratio in sola caloris mutatione sita est: nam accidentale est febri, quatenus febris est, hanc aut illam substantiam euerti. Quibus euidenter constat, non parum errasse, E qui febrem prædictis rationibus substantiam absolutè dixerunt.

Febrem esse substãtiã aliqui asserunt, sed refutantur.

Febris nõ substãtia est, sed qualitas ex doctrina Gal.

Ad primum.

Ad secundum.

Persuasus præterea, aut olfaciens Fauentinus nulla ratione febrem posse esse substantiam, pertimescensque asserere esse qualitatem simplicem, quia nõ esset morbus, medio modo incedit, videlicet eam esse temperamentum ad calidum vergens, scribens tãquam verum, temperamentum esse qualitatem quintam productam de nouo, exstinctis primis quatuor qualitatibus. Et falso hoc innitens fundamento, existimat, temperiem, seu quintam illam qualitatem, & excessum vnius qualitatis, si febris esset simplex qualitas, & non temperamentum, eo modo, quem ipse imaginatur, non posse simul reperiri. At si febris esset qualitas quæ intemperamento excedit, necessario reperiretur temperamentum, & qualitatis illius excessus,

Cõceptus tertius. Febrẽ nõ esse calorem, sed temperamentũ ad calidum vergens.

cessus, quod existimat esse perdifficile, ex quo febrem non esse qualitatem est arbitratus.

Prima ratio. Probat suum conceptum, quia plus repugnat medium cuiuis extremorum, quam alteri medio: & cum febrem is auctor efficiat temperamentum, videtur cohærere posse cum temperamento natiuo magis qualitatem illam, quam ratus est temperamentum quoque esse, quam si nuda esset qualitas, & rationem extremi obtinuisset, quia tunc repugnaret magis medio, & innato temperamento, velut qualitas quæ extremi vicem gerit, ac ex consequenti infert, non posse simul esse. Ex quo statuit, *febrem temperiem esse, quæ ad calorem vergens vniuersum corpus occupat, &* ob id negat qualitatem esse, nisi quintam, quæ temperies est, & vicem medij habet.

Fauentini refutatur. Cæterum vniuersa huius auctoris ratio falso innititur fundamento: tum quia in temperamento licet sit quinta qualitas, non est credendum omnes componentes omnino corrumpi, vt *abunde dictum est libro nostro de principijs artis Medicæ*. Item quod existimet febrilem calorem extremi vicem obtinere, ac ex consequenti febrem omnem esse lethalem: siquidem genus omnium extremi vicem habet, cum omnino asserat Galenus 1. *simplic.* proferens, in nostris corporibus nil purum, & impermixtum reperiri: ac licet de his, quæ nobis secundum naturam insunt, loquatur, etiam de reliquis, & febrili calore est verum; cum ipse asseruerit, febrem esse mutationem in igneum, non tamen omnimodam: præterquam quod nulla lege constat, hunc calorem posse medij, vel extremi rationem obtinere: non extremi, quia calor febrilis non repugnat vitæ simpliciter, sed tantum salubritati aduersatur: siquidem plures ex his, qui hoc morbo laborant, sanitati restituuntur, quòd esset impossibile, aut perdifficile, si extremi rationem obtinuisset. Neque rursus medij rationem habet, vt hic auctor est arbitratus, cum magis propriè dicat ex propria natura excessum, & rationem à medio, ac immoderantiam, quam medium, & temperamentum. Vnde constat, haud obscurè temperamentum cum excedente qualitate esse, vt Barbari referunt pro materiali; pro formali verò solum calorem excedentem: non quidem temperamentum, vt quintam dicit qualitatem; nam hac via à Galen. & veritate plurimum dissidet præfata sententia.

Cõceptus quartus. Febrẽ esse vniuersum calorẽ actualiter in vniuerso febrienti repertũ. Statuit etiam Iacobus Forliuiensis (*cui sententiæ Hugonem quoque aliquando accessisse comperimus*) febrem esse vniuersum calorem actualiter in vniuerso febrienti repertum, ita vt vniuersus calor, & quæuis pars eius, sit febris, adeo, vt omnis læsio operationum, quæ prouenit ab vniuerso calore, prodeat pari ratione à quocunque eius gradu, prout in toto existit. Fulciunt suum dogma, quia ex omnibus gradibus caloris, vt ipsi arbitrantur, in eodem subiecto repertis, fit vnus calor totalis, quod illi gradus caloris non differant specie, sed ex omnibus fit vnus calor numero, cuius quælibet pars, & quilibet gradus per se est præter naturam, & febrilis. Quam sanè opinionem reijciũt duæ rationes: *Prima*, quia nullus gradus prædicti caloris, si hoc esset verum, esset naturalis; ac ex consequenti nulla fieret in febrienti actio naturaliter, nec vllum esset principium reductionis ad sanitatem. *Secunda*, quia febris omnis esset habitualis, & omnino facta, cum certum sit in febribus aliquid esse factum, & aliquid fiens, & in fiente aliquid adhuc esse futurum, quod nondum præter naturam existere æquum est.

Cõceptus quintus. Febrẽ esse mutationem caloris innati Sunt etiam inter auctores qui asserant, febrem solum esse mutationem caloris innati ad igneam naturam, & tantum in ea mutatione consistere. Quos equidem certum est decepisse Galen. 1. *aphor.* 17. dicentem: *febrem esse cõuersionem calidi innati ad igneã naturam.* Ex quo sanè inferunt, *febrem non debere diffiniri per terminum*, hoc est, per calorem, sed per motũ, *tradi gi... naturam* quia omnem suam naturam obtinet in fieri. Quod sanè mille argumentis nituntur probare. *Primo*, quia si per terminum diffiniri debuisset, sequeretur, febrilem calorem nunquam posse ad natiuum statum reduci, aut saltem difficulter, quia quod omnino subuersum est, ad idem reuerti minimè potest, & factum infectum fieri nequit. *Secundo*, si vera est putridorum coctio, quam Galen. *lib. art. med.* scribit, nimirum, coctio est, quæ facit cessare putredinem: constabit profecto, putridum calorem, & febrilem non omnino subuertisse subiectum, aut mutasse in igneam naturam: siquidem manente substantia, cessat putridus calor subiectum corrumpere; quo sanè argumento euidenter probatur, in via, ac motu esse, ac ea ratione debere diffiniri. *Tertio*, quia Galen. se iactat sanguine misso febrem omnino iugulasse, quod fieri minimè potuisset, si febris per terminum diffiniretur: non enim protinus cessaret febris, si eius natura in termino, seu qualitate acquisita constituta esset. *Quartum* ex Trusiano, qui sic arguit, desumitur: Si febris ratio *in motu ad intensiorem calorem non est sita, sed in termino motus alterationis, sequeretur, omnem febrem esse hecticam.* Probat sequelam ex Galen. *lib. de inæ. intemperam.* vbi scribit, *terminum huius conuersionis esse hecticam: ergo cum variæ subsint febrium species ab hectica diuersæ, certum est per terminum non debere diffiniri.*

Argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

Refutatur 5. conceptus. Verum si quis Galeni mentem, & rei veritatem attentius intueatur, facilè colliget, ipsum noluisse febrẽ diffinire: siquidem sciebat, vt disertissimus Dialecticus, in ea diffinitione nullum esse genus, nullasque differentias, quippe conuersio genus non est, quod febris ad qualitatem spectet, conuersio verò ad passionem, neque differentia est natiuę caliditatis ad igneã naturam, quoniam diffinitio non conuerteretur, vt lex diffinitionis postulat, quod non fit, siquidem in gangræna, & alijs huiusmodi, quæ non sunt febres, fit illa conuersio. Quapropter, qui diligenter mentem Galen. scrutatus fuerit, reperiet, semetipsum interpretari, tum *lib. 1. aphorism.* 17. *tum 1. acutorum* 18. quibus locis expressè scribit, *febrem non esse motum illum conuersionis, sed effectum ipsius motus.* Quod sanè euidenter probari potest, quia febris morbus cum sit, necessario futura est affectio permanens, & facta, ac sub ea ratione independens, adeo vt subiectum informet, & actionem lædat, quæ opera nulla qualitas præstare potest, antequam terminum perfectionemque suam sit adepta: atque licet hoc verum sit, intelligendum tamen non est, illum terminum, per quem diffinitur, ignem esse, aut excedentis qualitatis rationem obtinere, neque adhuc in hecticis febribus, id enim capere intellectus nequit: præsertim cum Galen. *lib.* 1. *simplic.* asserat, nihil in nostris corporibus simplex reperiri, præterquam quod febris per calorẽ natiuum mutatum, seu alteratum diffinitur. Qui tamen si præter naturam dicatur, totus similiter, ac extraneus, non tamen omnino, sed sicut medias qualitates extremarum qualitatum participes esse fatemur, & rubrum colorem albi, & nigri, & qua ratione hominis temperamentum ex contrarijs frigido, & calido constitutum asserimus, sicut & pus optimum, sic reputandæ sunt mediæ mutationes, quæ fiunt a febrili calore, nec omnino secundum, aut præter naturam. Impossibile enim est extremi rationem obtinere: nam frigiditatem temperamenti omnino subuerti, ac in calorem mutari vniuersam, dum febris fit, nullo modo viuenti animali probabile est. Rei tamen veritas, neque hoc neque illud seorsum, & vt iacet admittit: nam terminum in alterationibus duobus modis considerare opus est, vno quidem pro vltima dispositione ad introductionem formæ agentis, alio vero pro ea qualitate quę in motu acquiritur,

Galen. exponitur.

titur, quæ sufficiens est, separato agente, permanere, ac denominare subiectum. Quibus sic consideratis, censemus, febrem optimè diffiniri per eum terminum (*non quidem qui vltima est ad introductionem formæ agentis dispositio*) qui licet adhuc in fieri sit, aliquid tamen habeat factum, fixum, permanens, & quod per se subsistat; vt febris morbi rationem habeat. Cum hoc tamen constat, per viam posse dici optimè diffiniri, prout opponitur vltimato termino, eo modo, quo dictum est. Ex quibus euidenter constabit ad argumenta solutio:

Ad primum.

nam licet febris per terminum diffiniatur, non est tamen ille vltimatus terminus, qui omnino natiuum temperamentum euertat.

Ad secundum.

Quo fit, vt licet coctio faciat cessare putredinem, non tamen potest quod semel putridum est corrigere, ob partem factam, quam calor præter naturam in materia putrescibili obtinet.

Ad tertium.

Neque inconuenit, Galen. iugulasse febrem, quia ipsemet docuerat eadem parte vnam quamque caussam abscindere, & postea ad factam discet aliam peruenire, quæ veram morbi, & febris rationem habet: quæ sanè si leuis est, vt in Galen. mirum non est, si citra auxiliares manus laborans sanitati breuissimo tempore restituatur.

Ad quartum.

Nec valet Trusiani ratio, siquidem is terminus ad quem peruenit calor præter naturam, vt morbi rationem obtineat, duplex est, alter inæqualis, vt in putridis, & ephemeris febribus reperitur: alter vero æqualis, & omnino in omnibus sui partibus independens, & ob id eius argumentum nihil aduersus hanc veritatem videtur probare.

Conceptus Textus.

Febrē solum calorē superadditum naturali calori esse.

Gentilis autem constanter asseuerat, febrem nihil aliud esse, quam aliquid calori innato præter naturā obiectum, cuius ratione operatur, & efficitur sicut igneus, & omnino tuetur, febrem non esse caloris intensionem. Ex quo sanè dogmate triplex insurgit opinionum classis, *Vna* adstruens, calorem fieri igneum & febrilem, addita ipsi maiori siccitate, vel quauis alia putrida, venenosa, acri, aut mordaci conditione. *Secunda* tenens, maiorem reddi calorem defectu prohibentis intensionem, non quidem acquisitam per additionem noui gradus, sed tantum prohibita cordis attemperatione, & ventilatione, quibus calor cōpescitur, & moderatus exsistit. *Tertia* vero & vltima (*quam Gentilis, & plures alij profitentur*) tenet, calorem febrilem tantum esse calorem additum nostro calori: non quod ipse mutetur, sed quod adueniens calor actiones vitiet, & eum calorem qui ipsas vitiat, febrem arbitratur, *vt paulo inferius latius sum monstraturus*. Itaque conueniunt vnanimiter prædicti auctores, non esse de ratione febris, quod sit calor intensior pristino, sed quod fiat igneus qualitate, & conditione aliqua extranea, etiamsi plures gradus non obtineat: dissident tamen in conditione, & natura eius, quod calori additur.

Febrē citra caloris intensionem fieri, imo aliquando remisso calore.

Tenet igitur prima opinantium sors, calorem fieri febrilem citra aliam intensionem, imo aliquando remisso existente calore, solo alicuius qualitatis extraneæ aduentu, *vt antea diximus*: nam possibile est, calorem aliquem alteri calori gradu æqualem, acriorem, & maligniorem esse, & ob id magis ad igneam naturam accedere, licet intensior natiuo nō exsistat.

Argum. 1.

Quo iacto fundamento, talem extrahunt sui conceptus rationem: *Febris est calor in igneum mutatus: sed talis efficitur siccitate, vapore putrido, qualitate praua, aut mordacitate*; ergo *non opus est semper succrescere gradus intensionem.*

Argum. 2.

Secunda ratio talis est: *In morientibus ex febre, quantumuis vehementissima, frigida prodit respiratio: quinimo, vt Galenus asserit 6. popul. part. 4. column. penult. nemo febri ardenti correptus moritur, quin prius frigida intemperie afficiatur: sed hæc non solum intensioris, sed remissioris potius caloris soboles existit*; ergo *non opus est semper calorem pristino* A *esse intensiorem.*

Argum. 3.

Idem quoque Galenus aduertit 12. *method. in febre syncopali, in qua pulsus fiunt tardiores, & rariores, qui remissi caloris indicia sunt*:

Argum. 4.

Quod etiā colliges ex principijs accessionum, quæ horrore, frigore, & rigore constant, quibus videtur constare, febrem remissum calorem aliquando esse: idem confirmat frigidum subesse corpus eius, cui adest hectica cordis cum frigidis contentis, adeo, vt constet febrem esse pathos, aut saltem remissum calorem. Quo solo argumento aduersarij nituntur probare, non esse opus febrem calorem esse additum.

Caloris in corporib. nostris tres modi.

Quorum sanè auctorum dogma, vt apertius constet, prælibanda est eorum (*maximè Hugonis*) doctrina non omnino contemnenda: Inquit enim tres esse B in nostris corporibus caloris modos, vnum quidē elementalem, secundum naturalem, & tertium cœlestem: quos sanè non licet vt tres calores specie dissidentes conijcere, sed velut vnum, & eundem æstimare oportet:

Elementalis.

Nam calor, inquit, ob id dicitur elementalis, quod à forma ignis, vel aeris dirigatur, efficiatque opera elementaria, velut est *calfacere, disgregare, & digerere*.

Naturalis.

Dicitur insuper *naturalis*, quatenus dirigitur à facultate viuentis, qua perficit, quæ corpori sunt proficua.

Cœlestis.

Item dicitur *cœlestis*, prout agit in vigore formarum cœlestium. Quibus suppositis statuit hic auctor, vnum eundemque calorem esse specie, & numero naturalem, & præter naturam: siquidem cū is calor, qui naturalis habetur, agit magis elementa- C liter, quam conueniat formæ mixti, in quo est, dicitur præter naturam, & febrilis, si omnes, aut plures actiones lædat. Quod sanè potest huic calori accidere dupliciter, aut facta nimirum intensione in gradu, aut multitudine formæ, vt in febribus contingit: vel dum sibi adiungit aliquod coagens ad huiusmodi actiones elementarias efficiendas, velut cum sibi adiūgit siccitatem, aut putredinosum halitum ab humore venenoso, & putrido elatum; quo fit, vt adhuc calore diminuto existente, febris fiat ob prędictas caussas, quibus calor ignis munera exequi potest. Itaque constat febrem calorem esse, qui abundat in conditionibus igneis, quæ calorem dirigunt ad actiones igni proportionales, quantumuis calor sit idem nu- D mero, conditionibus tamen igneis directis in operationem.

Febrilis calor semper est innato intēsior.

Sed constabit iam, has rationes non obstare, quo minus febrilem calorem innato constituamus intensiorem. Siquidem certum est, frigiditatem, quæ in morientibus apparet, vel in principijs accessionum, & syncopali febri conspicitur, non esse de ratione, & essentia eius, neque partem eius, sed ipsi esse veluti quid accidens, aut antecedens, non autem intrinsecum, & ex propria natura. Et pari ratione in hectica cordis censemus complicatum esse affectum ex frigido contentorum intemperamēto, & calido cordis, quod febrem constituit: & ob id licet verum supponant argumenta, nil tamen subinde aduersus hāc veritatem probant. Ei tamen argumento quo nituntur probare, nō opus esse ad hoc, vt calor fiat igneus, E intensiorem fieri, sed sufficere acriorem, aut mala qualitate affectum esse, dicimus, illud esse contingenter consequens, & materiam potius insequens, quam caloris naturam, & formam: hoc vero, videlicet fieri intensum, esse de natura ignis, & eorum quæ ignea sunt: nimirum, primo fieri intensiora, deinceps reliquas acquirere conditiones: nam ignis forma non nisi ex gradus intensione acquiritur, quantumuis calor praua afficiatur conditione, ni ea succrescat eiusdem gradus additione. Hac etenim ratione arbitror Galen. dixisse, febrem fieri conuersione natiuæ caliditatis ad igneum, hoc est, vt ipse mille in locis explicat, quod innatus ad plures caloris gradus alteretur. Quod euidenti argumento monstratur operationū læsione, & alijs, quæ non solum caloris qualitatem, & prauam conditionem attestantur, sed & intensio-

nem,

nem, vt euidenter monstrant nonnulla ex adductis A argumentis: quippe orbatum calore natiuo fieri vniuersum corpus, & maxime cor ipsum, vt respiratio frigida manifestas, & tactu apparere intensissimum calorem, quid aliud est, quam ob calorem exurentem, & nimis intensum dissipari innatum, & prædominari extraneum? Præterea si in graduum moderatione, & optima, atque mensurata temperatione consistit cuiusque corporis calor, quid aliud erit febrire, quam gradu aliquo, vno vel pluribus, moderationem illam euerti, & vitiari? quo fit, vt euidenter constet, febrẽ esse caloris intensionem.

Sequitur secunda opinantium sors, tenens, calorẽ naturalem intensiorem fieri, nõ per additionem gradus, aut nouæ alterius qualitatis, sed ab intrinsecis, & B naturalibus principijs, & ob id arbitrabantur febrilem calorem esse naturalem, quia solum fit remoto prohibente, hoc est, defectu ventilationis, & refrigerationis: quo tempore in corde elucet tantus calor, quantus ille præstitus est à principijs generationis. Quippe cor arbitrantur sic opinantes esse suaptè natura membrum calidissimum, ceterisque omnibus calidius, ita vt à nulla caussa, quantumuis calida ipsi accedente possit amplius calfieri viuente animali: Cæterum cerebri tepore, & respirationis, ac pulsus flabellatione, & aeris attracti frigiditate temperari, & remitti, quo minus in eius actionibus, nec in toto corpore eluceat tantus calor, quantus præstitus est illi à natura. Quod si aliqua occasione prædicta tempera- C tione priuetur, elucent proculdubio in eo omnes gradus proprij caloris, quem calorem cum corpus percepit, febrem esse arbitrantur. Itaque idem gradus, eademque caloris conditio, neque plus, neque minus adest in corpore febriente, ac in sano; sed febrem esse eundem calorem remoto prohibente, hoc est, ventilatione, & attemperamento, quibus compescebatur. *Denique* cor, dum homo secundum naturam se habet, nunquam adeo calet, ac iuxta sui naturam potest, ob igneas particulas, quibus maxime pollet: maiorem enim calorem habet, quam repræsentat, & ceteris particulis impartitur. Verum si quid cordi accedat, quod vel aeris liberum ingressum remoretur, vel ipsius aeris ingredientis frigiditatem remittat, cali- D dius proculdubio censent reddi solito, non quidem ex ascititio calore, sed ex proprio minus impedito, fit nato, ac facto, vt antea, temperatiori; sed tales sunt ex putrescentibus carne, & humoribus elatæ fuligines, & vapores: & talis etiam est omnis ventilationis priuatio: Ergo calor ille natura præexsistebat, non additus, neque præter naturam ex conditione, sed ex accidenti: hæc sanè est eorum mens, & ratio. Quam profecto censent corroborare iacto verissimo quodam fundamento, nimirum, oportere cor maiorem calorem obtinuisse, quam sibi foret necessarium, *tum* quia membrum erat, cui munus incumbit ceteris calorem impartiri: qua ratione abundantiorem decet illi præstare naturam: *Tum* etiam, ne facilè ab extret- E nis caussis, quæ frigiditatem poterant præstare, læderetur: *Tum vltimò*, quia cum fuligines necessario erat generaturum, quibus expellendis opus erat aeris ingressu, & egressu, frigiditate eius non læderetur, quapropter tribuit illi natura tanto maiorem calorem, quanto aeris frigiditas erat attemperatura.

Opinio 7. refellitur & rationibus conuincitur.

Quem sanè conceptum multa reijciunt, & omnino falsum commonstrant. *Primum*, qua nam ratione fieri potest, quod ex putridis fuliginibus cor ascendentibus, cor etiam calidius non fiat, & extraneo calore calidum, potius quàm quod priuatione aeris frigidi antiquam, & natiuam caliditatem commonstret: quod sanè videtur esse penè impossibile, cum certum sit, multa fieri calidiora ex adhæsu rei calidæ, quam adbuc frigida erant, nedum cum suaptè natura calida sunt. Nam licet corde calidius nihil in corpore præsit, cum hoc tamen cor calidius redditur ad pepsum caussæ calfacientis. Et cum ex caussis plurimæ sint corde calidiores, certissimum est, cor fieri seipso calidius, quod illi erit præter naturam, ac vere febris: non quidem ex effrẽni calore natiuo, sed ex adaucto ob adhæsum extranei: quo fit vnus calor totus morbosus. Conuincitur etiam falsitatis prædictum dogma, quia certissimum est apud omnes Philosophos nullam simplicem emanationem prodire in exitium eius à quo emanat, & cum febris sit caloris innati, & subiecti eius exitium, non perfectio, vt sunt prædictæ emanationes, euidenter constat, febrem nõ esse calorem innatum solutum ob defectum prohibentis, sed dissolutum propter accessum intendentis, B & augentis caussæ.

Præterea obstat, quo minus verus sit prædictus cõceptus, nam quo pacto proprius, & naturalis calor talis dici merebitur, si dum febrilis efficitur, actiones lædere tenetur, vt morbi omnes de more habent, quin priusquam naturalis nomen mereatur, præter naturam, & extraneus factus morbi rationem subeat: sed cordis calor idem manet, & naturalis: Ergo neque actiones lædet, nec morbi rationem merebitur. Insuper constaret, cor naturaliter febrire: quod sanè deliramenti genus conceder nullus: insuper curatione non indigeret, neque si ea opus sit, per contraria fieri esset opus, præterquam quod esset aduersus naturalẽ temperiem pugnare, non aduersus præter naturam. C Item, nusquam fieret à calore secundum naturam curatio febris, cum constet, febrilem calorem sępius ab innato calore, quam ab externa frigiditate restingui & moderari, vt in mille febrium generibus quotidie conspicimus.

Ventilatio nullũ gradũ caloris innati cordis remittit in sanis corporib. nec febrientibus, sed impedit ne calor efferuescat.

Prodit profecto huius deliramenti principium ab ignoratione eius beneficij, quod ex ventilatione ex aere frigido innatus calor suscipiat. Nam credendũ non est, ventilationem, & aeris frigidi ingressum aliquem caloris innati gradum remittere, neque in sanis corporibus, neque in febrientibus, sed solum id beneficium præstare, videlicet ne calor ille efferuescat, augeatur, intensiorve fiat. Itaque tantum valet tueri calorem eo gradu, quo vel natura in sanis constituitur, vel caussa morbosa in febrientibus excita- D tur. Nec valet argumentum, quod ad augmentum caloris, crescit quoque pulsus, & respirationis diligentia: quinimo hac ratione probatur crescere pulsum, & respirationem ad pensum augmenti caloris, non vt remittant, sed vt frænent: argumento sunt pulsus, & respiratio in his, qui frigidum spirant, nam licet nullam videantur refrigerationis obtinere indigentiam, respirant quidem, & pulsant, eo quod per pulsum, & respirationem potius tueatur natura caloris modum *(qualiscunque is sit)* quam quod ipsum refrigeret, & remittat, solum enim hoc artificio natura præcauet intensionem, feruorem, & augmentum. Quod si quis dixerit, qui frigidum respirant, potius in- E digere augmento, & ob id non opus esse respiratione, aut pulsu, expendat, alios vsus præter hunc ex sequi naturam ipsam in pulsu, & respiratione, quorum occasione oportuit non subsistere ab eis motibus: quibus iam constare arbitror, fautores huius conceptus perperam tenere, calorem febrilem esse naturalem, qui magis conspicuus efficitur defectu prohibẽtis. Siquidem ventilatio, & refrigeratio non prohibent tot caloris gradus apparere, quot sunt, sed impediunt ad maiorem intensionem moueri eundem calorem. Sed tam est is conceptus à veritate alienus, vt disceptatione indignus mihi omnino videatur, quãuis non desint, qui vt aliquid videantur egisse, veritate posthabita, figmenta hæc mille argumentis tueantur.

Conceptus obscurus.

Tertia & vltima illius opinionis *(quam Gentilis esse diximus, & partiti sumus in tres classes)* sors & con-

ditio

Febrilem calorē additum nō esse eiusdē speciei cū natiuo, solumq; additū morbum esse, & actiones lædere.

ditio est, quam arbitramur vere esse Gentilis mētem. Qui sanè censet, calorem febrilem solum esse calorē additum nostro calori, non quod ob id ipse innatus mutetur, sed quod per nouis caloris aduentum actiones vitientur, & eum calorem, qui ipsas vitiat, appellat morbum, & febrem: in cuius conceptu se nodatio ne eius asseclæ, & ipse etiam, censent, calorem additum, seu febrilem non esse eiusdem speciei cum natiuo. Præterea ex hoc fundamento venantur, ex addito calore, & naturali non fieri vnum calorem, sed tepeciti in quouis febriente duos calores speciei, & numero distinctos, quorum additus, & superueniens febris censetur, quia licet coniungantur, vnum tamen constituere nequeunt, quod diuersi speciei sint. Probant huius conceptus auctores eius veritatem validis rationibus, quarum prima se habet in hunc modum.

Arg. 1. *Calor naturalis, & præter naturam omnino sunt diuersi, vt mille in locis ex Gal. constat, ergo non sunt eiusdem speciei.* Suppositum probatur. *Efficiunt diuersa opera vno, & eodem tempore, & diuersis temporibus, sed hac lege diuersas potentias venari docet Arist. Ergo eandem quoque caloris diuersitatem colligere oportet, ac ex consequenti non posse vnum constituere.*

Arg. 2. *Si vnus esset calor naturalis specie cum calore extraneo, sequeretur, vnum ex vtroque fieri, & illum esse tantum vnius formæ, & rationis, ac ex consequenti vnicā esse operandi rationē: sed constat in febrientis corpore esse calorem qui conficit alimentum, & cætera vitæ munia exsequitur, & esse etiam eum, qui dissipat, putrefacit, & omnino corrumpit: Hæc autem tam diuersa opera ab vno agente vnius formæ pro ... nequeunt: ergo calor febrilis, & innatus neque specie, neque numero vnus censeri debet.*

Arg. 3. Præterea probant, *solum calorem additum obtinere rationē febris. Solus calor qui officit actionibus est morbus, & solus additus nocet: Ergo solus additus est morbus, & confirmant suam rationem: Medicus tantum nititur repellere calorem qui nocet, & is est additus: Ergo is erit morbus, & febris.*

Arg. 4. *Si calor febrilis vnus esset cū innato, nullus laborans febre aliqua ab extrinseco posset sanitati restitui: patet, quia febris curatio vera est caloris illius ablatio, seu attēperamentum, si autem auferatur, necessum est ipsum calorem innatum simul auferri, quia factus est cū aduentitio vnus, & præter naturam: ergo fieri vnum est impossibile, citra maius damnum in curatione: & probatur sequela, quia distemperies prærequirit contraria æqualia, & vniuersus calor factus est intemperatus: ergo totus foret auferendus, quo nihil est absurdius.*

Arg. 5. *Constat rursus neque febrē ab intrinseco posse curari, & patet: quia calor præter naturam denominat subiectum, & solus est forma totius caloris, & potissima causa læsionis actionum: sed sanitas fieri restituique debet, mediantibus actionibus secundū naturā, & ea sunt vitiatæ, quia calor factus est præter naturam, ergo nō est principium, quo sanari possit laborans, siquidem principium bonarum actionum calor vitiatus non est: quo fit, vt ab intrinseco quid naturæ familiare fieri minimè possit.*

Calor naturalis, et præternaturalis nō differunt specie.

Sed vt vim argumētorum subterfugere possimus, expendendum primo est, *calorem naturalem, & præter naturam non differre specie*, vt fautores huius cōceptus arbitrantur. Quippe calorem duobus modis opus est considerare: primo, prout qualitas, seu intēperamentum est, & vt fertur in abstracto: alio vero modo, prout importat substātiam calidam, & innatum calidum. Primo quidem modo nulli dubium fore arbitror, quin eiusdem cum naturali sit speciei, differes tamen ab eo gradu, & intensione. Qua lege dictum est Galen. ambos differre, non quidem natura, qua, *vt ex eodem, & Hippocr. 6. popul. par. 3. 26. apertè constat*, calor acquisitus, quem *naturalem* appellant, à febre sola ratione naturali, aut minoris differt. Et sic

Calor duobus modis considera tur.

Ad primum.

Ad secundum.

certum est, cum ambo calores simul iunguntur, in eodem que subiecto vigent, im possibile esse, quin vnū constituant, vt de accidentibus vnius speciei Philosophi ferunt. Præterquam quod id euidentius constat, quia vterque calor ab vno eodemque continuo deuincitur, & remittitur, ita vt constet, specie non differre, & vnum posse certo quodam modo constituere. Ex quo facilis erit ad tertium argumentum responsio. Nam cum superueniens calor vnus sit cum præexistenti, constat, ambos simul calfacere, & simul actiones perdere: quo fit vt falsum sit, solum calorem superuenientem lædere, vterque enim calor parit actiones, & ex miscella caloris præter naturam actiones fiunt vitiatæ, & corruptæ euadunt. Cum hoc tamen credendum est, non vniuersum caloris aggregatum esse præsidijs extrinsecus adhibitis auferendum, licet Medicus cum auxilia præstet refrigerantia, non illum calorem potius, quam hunc, demere prohibeat, aut iubeat: nam prædicta auxilia, ea mensura tantum adhibentur, qua eum signanum numerum, quo dempto corpus ad pristinam sanitatem reducatur, compescant, remittantque. Quod sanè opus facile fieri posse venaberis ex naturæ ordine, & existendi in subiecto ratione. Nam vltimo venientem calorem primo auffert, & facilius auxilium, qui minus in subiecto radicatus existit. Verum si quis consideret calorem, prout importat substantiam calidam, certum est, febrilem calorem, & prædictam substantiam, minimè esse eiusdem speciei, & ob id ex vtroque vnus non efficitur. Sed sciscitabitur aliquis: *In febribus hecticis vniuersa caloris substantia euertitur, ergo saltem in ea erunt duo calores specie distincti: ac si id non est verum, sequeretur corpus hecticum, si vniuersa caloris substantia ab igneum euersa est, non posse ab intrinseco restitui: cum nullum illi subsit sanitatis principium, quia omnino euersum, & præter naturam habitualiter factum est.* Cui dubitationi dicimus, quod licet innati calidi calor cum aduentitio fiat vnus, quatenus pertinet ad calorem, & etiamsi vterque præter naturam reddatur, cum hoc tamen tanquam certum est credendum, superesse adhuc sanitatis principium, quia substantia innati calidi solum manet alterata, non mutata ad igneum, vt eius qualitas, *vt paulo inferius latius sum monstraturus*. Quo fit, vt constet, non omnino esse subuersum innatum calidum, sed adhuc superesse validum illud sanitatis principium.

Manet igitur tanquam verum, febrem non esse superadditum calorem, sed ex eo, & præexistenti quid constans, *vt apertè Auerroes monstrat 3. collig. cap. 3.* Qui sanè febrem tantum esse aggregatum, & quid compositum ex calore præexistenti, & superaddito (*cui sic iuncto correspondet actionum virtus, nam vitium*) aperta ratione docet. Qualiter autem ex vtroque compositus sit, perbelle exponit idem auctor 7. collig. cap. 2. *Qui febrilem calorem ramificari à naturali*, id esse scribere videtur. Sed quid per ramificari sit intelligendum, iam audies; quippe proficuum fore arbitror ad veram febris essentiam indagandum.

Est quidem calorem præternaturalem, & febrilem à naturali ramificari, ab eo originem ducere formaliter, & materialiter, formaliter enim tanquam ex principio à quo priuatiuè, hoc est à priuatione gradus naturalis caloris, oriti gradum præter naturam, qui formam febris constituit: Non quod priuatio alicuius sit effectus, sed quod sequatur mutuo talis forma, quia ij duo calores solum priuatiuè opponuntur: Materialiter vero tanquam ex potentia, quando materia caloris innati, est in potentia ad præter naturalem: positiuè enim ramificatur in materia caloris natiui, quatenus erat in potentia ad præternaturalitatem: & hac ratione hic auctor *febrem* appellat *compositam ex calore naturali, & præter naturam*,

Ad tertium.

Ad quartum.

Ad quintum.

Cōceptus nonus. Febrem esse quid cō positum ex calore naturali, & præter naturam

Ramificari quid.

Calor natiuus, et præter naturam priuatiuè opponuntur.

Calor febrilis componitur ex naturali, & præter naturam.

quem Alexander appellauit formam febris, & compositionis alterum principium. Quippe ex his duobus componitur, non tamen tanquam ens per se, sed veluti ex subiecto, & accidenti, quod est aggregatum ex vtroque calore, efficitur, tanquam ex potentia, & actu vnus calor, potentia quidem in termino à quo, quoniam ex calore natiuo, tanquam ex materia, hoc est ex gradibus eius (*non quidem ex eodem calore, qui alterius nulla ratione sit materia*) qui in potentia erãt, ad præternaturalem, & ex actu, & conditione aduenientis caloris, vti vera forma, febris integram adipiscitur naturam: quia iuxta mentem Auerrois per gradus præexistentis caloris, intelligere oportet potentiã, & per gradum extraneum, aduenientem actũ, & formam. Quo fit, vt vnus dicatur, & idem cum natiuo preternaturalis calor, quia vnum aliquid efficitur, singularis inquam calida cordi intemperies, in formam vnam simplicem redacta, & vna caliditas formaliter nominata, à forma gradus caloris superaddita preter naturaliter que operante, ac totam caloris latitudinem denominante, *vt paulo inferius latius sum monstraturus.*

Cõceptus decimus. Febrem esse caloris effectum.

Alij etiam sunt inter Iuniores, qui libere audent asserere, febrem non esse calorem, sed caloris effectum. Nam febris (*asserunt*) morbus est, calor vero minime, quia ad calorem est per se motus, qui non est ad sanitatem, nec morbum: qua ratione ipsam, & morbum ad prædicamentum ad aliquid referunt, & secludunt calorem à ratione febris. Item probãt suum cõceptum, quia inter morbum, & sanitatem nullum datur medium, at inter caliditatem, & frigiditatem, necessario adest: Ergo *neutra earum morbi rationem subire potest.*

Febris calor est, nõ effect' caloris.

Verum qua via intelligendum sit, in calore consistere, & cum hoc morbum esse (*quod ipsi capere non possunt*) breuiter explicabo, præmittens, qualitatem, quantitatem, figuram, & reliqua, quæ varias morbi species constituunt, non ob id posse poni in diuersis prædicamentis, dum morbum constituunt: nam adaucta quantitas, aut intensa qualitas, non sunt morbi ea ratione qua tales, *hoc est*, qualitas, aut quantitas, sed tantum qua male disponentes sunt, & actiones vitiantes: quo fit, vt morbus calidus, calor proculdubio sit, non effectus caloris: cæterum non qua calor est, nam sic passibilis potius est qualitas, sed quatenus vitiosus, & intemperatus est, & ob id actiones lædit, quia prauè disponit naturam. Hoc enim calore, quẽ caussa calfaciens imprimit, natiuum temperamentum redditur totum ipsum intemperate calidum, & se habet, non veluti caussa, sed veluti forma, quæ denominat vniuersum temperamentum calidum, & est propriè effectus caussæ calfacientis, ex qua prodit hæc forma accidentalis, quæ partem cuius est informat, ac denominat, & eiusdem quoque vitiat actiones: non quidem quatenus simplex qualitas est, sed quatenus habitus, & calidum intemperamentũ, tale factum vi caussæ calfacientis. Quod sanè tantum vitiabit actiones, quantum recesserit ab antiqua, & natiua temperie. Denique qualitas excedens est caussa habitus, & dispositionis, quæ habet rationem morbi, ametria vero quæ cõsequitur ex excessu, aut defectu, habet rationem caussæ continentis morbi, qui cõstituitur ex quatuor qualitatibus excedente calore, qui denominat ipsum temperamentum calidũ, & ipsius est veluti forma, qua calidum dicitur totum temperamentum. Itaque hæc qualitas dupliciter cõsideratur, vno modo prout sensum immutat, & tunc passio est, & passibilis qualitas, atque caussa intemperamenti: alio vero, prout impressa est in aliqua ex tribus substãtijs, nimirum spiritu, humore, aut solida parte (*eo modo quo inferius sum explicaturus*) & tunc habitus est, & morbus, ac intemperamentum, & febris veram rationem habens. Ex quo proculdubio prodit, plures

Qualitas excedens dupliciter consideratur.

A distemperies calidas à caliditate natiua potius sanari, quam à frigiditate: quod si calor tantum noceret qua calor est, potius intensionem reciperet à calore naturali, quam remissionem, & attemperamentum. Quapropter qualitas illa, quatenus dispositio praua est, febris, & morbus merito dici meretur.

Cum hoc tamen sunt qui ipsam febrem (*vt antea dictum est*) in relatione constituant, ob rationes nuper adductas, quibus mox satisfaciam, si prius dixero, eos longè melius cogitare, qui febrem, & reliquos morbos iuxta diuersas rationes in diuersis constituũt prædicamentis. Nam incongrua temperatura prout ad aliquid refertur, dicit aggregatum ex relatione, & suo fundamento, videlicet ex qualitate, & relatione:
B & huiusmodi aggregatum per se non est in aliquo determinato genere, sed dicitur esse in diuersis prædicamentis ratione suarum partium, quia ob materiam, quam primas qualitates existimamus esse, quæ est relationis fundamentum, in prædicamento qualitatis dicitur esse: ratione vero formæ, quæ ad aliud refertur, in prædicamento relationis. Ob id quidem antiqui febrem contemplantes sub ratione fundamenti, & materiæ, in prædicamento qualitatis ipsam reposuerunt, & secundum eius variam contemplationẽ, tum in prima, tum in secunda, aut tertia eius specie collocarunt. Prout namque à febre afficimur, quia prædicta qualitas iam acquisita est, & facta, versaque in habitum, in prima ad quam refertur habitus, & di
C spositio, prout à natura insita est quæuis qualitas, & ad eam veluti ad naturam corpus sit propensum, qđ in facili, aut difficili alteratione monstratur, ad secũdam qualitatis speciem reducitur, & quó naturalis corporis potentia, vel si contrarium sit, impotẽtia cẽsetur: verum prout passionis est effectiua, sensumque afficit, in tertia collocant, ex quo passio est nuncupata. Quod siquis dixerit, *extraneum calorem ob id, quod de putrido febrili, & alijs prædicetur, æquiuocum esse, et ob id debere poni in diuersis prædicamentis, non quidem ratione dicta*, expendat, *calorem esse vniuocum, sub ratione generis consideratum, hoc est, sub hac formali ratione, quod potens sit calfacere:* verum cum considera tur quatenus natiuum calorem perdere potest, sub
D hac quidem ratione prædicatur de quocunque calore præter naturam, & extraneo: verum cum hoc conuenit in vna ratione formali, & generica, quæ est actiones vitiare. Quo fit, vt etsi qualitas illa, quatenus dispositio praua est, & febris, & morbus merito dici debeat, arbitrandum sit, potius in se includere relationes, quam quod talis ipsa reuera sit. Quapropter, licet ob dictas rationes febrilis calor in varijs ponatur prædicamentis, non tamen in omnibus rationẽ morbi obtinet, sed formale morbi ipsi præstare prædicamentum qualitatis est credendum, & maximè eius primã speciem: Illud vero quod de relatione habet, qualecunque sit, non constituere morbi rationem, & essentiam, quia nequit relatio illa quicquam efficere,
E re, neque prauè naturam disponere. Quippe Galen. apertè id fatetur *lib.* 1. *de loc. affect. c.* 3. dicens: *Morbus quidem per intensionem generatur, atque calor ipse statim, ut naturalem mediocritatem excedit morbus est, ab eo qui cum iam est intensissimus, non specie, sed sola magnitudine diuersus.*

Dubium.

Febris nõ est relatio.

Calor febrilis licet in diuersis ponatur prædicamentis tamẽ non in omnib' sed in prædicamẽto qualitatis tantum morbi rationem obtinet.

Cum igitur hoc verum sit, licet fautores huius conceptus in sui tutelam afferant primam illam rationẽ quam à principio adduximus, non obstat: quia morbus vt morbus est, non potest motui comparari, quanquam calor vt calor est, motui comparetur, sed vt diximus, est calor morbus, non quia calor, sed quia præter naturam, & intemperatus: corpus equidem ad calorem mouetur, atque cum ex motu contingat mediocritatem naturæ excedere, morbi ratio consequitur ipsum calorem. Neque obstat secunda ratio, quia inter calorem esse secundum naturam, aut non

esse

Ad primum.

Calor febrilis vt calor motu acquiritur, vt morb. non

Ad secundum.

Calor nat. & præter nat. sunt contraria immediata.

esse secundum naturam, nil magis mediat, quam inter par, & impar: quo fit, vt verum contrarium caloris præter naturam sit tantum calor naturalis, calori enim, quatenus calor est, frigiditas opponitur, inter quæ medium reperitur: cæterum calori, quatenus præter naturam est, nil opponitur, nisi calor naturalis, inter quos nullum est medium. Nam licet calor non distinguatur realiter à suo excessu, dum febrem efficit, sed idem sit, distinguitur tamen calor vt talis, & hac lege sunt contrarij, & citra medium: verum non posse calorem illum esse febris caussam, vt hic cóceptus affirmat, apertè monstratur ex Galen. 8. *method.* assignante differentiam inter caussas morbi, & læsioné actionum, vbi concludit dicens, caussas morbi posse manere cum morbo, & non manere: at actionis vitium nunquam citra morbum. Ex quo dogmate colligitur, quod qualitas excedens non potest non manere cum materia, vt mos est caussis omnibus. Quo profecto fit, vt falso teneat is conceptus, calorem illum non esse morbum, sed morbi caussam. Tenendum igitur est, veram morbi formalem rationem pertinere ad prædicamentum qualitatis, ad primam nimirū eius speciem.

Expenditur vera febris ratio.

Cum dictum hucusque sit, quid febris non est, ipsa docendi ratione tenemur iam, qualis sit eius natura, & conditio monstrare. In qua sanè re, licet variæ reperiātur diffinitiones, nullam potui reperire, quæ magis diffiniti naturam expleret, quam ea quæ adducitur ab Auic. *fen.* 1. 4. c. 1. inquit enim: *Febris est calor extraneus accensus in corde, procedens ab eo mediātibus spiritu, & sanguine per arterias, & venas in totum corpus, & inflammatur inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas iræ, & laboris, cū non vltimatur, vel cum non peruenit ad hoc, vt sit accensa, & noceat operationibus:* hæc autem diffinitio ni mea mens fallitur, ferè omnes alias diffinitiones sub se complectitur, *(licet, vt antea dictum est, omnium Galenus meminerit, diuersis tamen in locis)* & ob id copiosius, & clarius mihi videtur febris naturam ostendere. Primo itaque coincidit cum diffinitione Gal. 1. *aphor.* 16. qua parte asserit *febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis ad igneam naturam,* quippe calorem fieri igneum, nil aliud est, quam extraneum esse. Itē cum ea quæ ab Hippocrate adducitur, cum febrem *ignem* appellat, 1. *popul.* & 6. calorem præter naturam appellante. Sic à Galen. 1. *de caus. morb.* calorem in totum extensum esse accepit, sicut *lib. art. med.* actiones lædere. In cuius sanè diffinitionis explanatione duo potissimum inter pleraque alia sese offerunt enodanda. Primum quidem, *quisnam calor ex his, qui in corpore cognoscuntur, extraneus, & præternaturam, ac igneus efficitur, vt febris naturam, & conditiones subeat:* secundum vero, *quanam ratione is calor extraneus, & igneus fieri possit.*

Calor in nobis triplex secundum naturam.

Vt constet cuius naturæ sit calor, qui in nostris corporibus in igneum mutatur, præmittendum est, triplicem in nobis secundum naturam reperiri calorem huic ministerio proficuum: (dimitto enim hac in parte consulto tres alias caloris differentias: quarum vna est *Elementalis*, alia *Particularis* cuiusuis membri, & reliqua *Caloris acquisiti*, quarum *libro nostro de pulsus arte, & harmonia,* abunde meminimus: quippe hac in parte nullius sunt vsus) Primum Innatum, Primogenium, & Insitum peculiari dote iure optimo Medici omnes appellant, præsertim Galen. 1. *aphor.* 14. & 55. *atque* 6. *popul. par.* 4. *comment.* 25. quē potius calidum innatum, aut substantiam calidam, quam calorem appellare libet. Quod sanè calidū *lib. de tremore*, primum & generis principium, & quod natura nihil præter ipsum est, etiam appellauit.

Calor innatus, & primogenius qui sit.

Dicitur enim merito *innatum*, quia à generationis nostræ principijs originem ducit, vt qui in genitura potentia sepultus, ad prima nostræ generationis rudimenta efformanda, primus in actum deductus, singula quæq; postea lineamenta distinguat, & figuret, ibidemque immersus maneat, & tanquam totius operis primarium instrumentum singula quæque dispensans moderatur, & calorem alimentarium, seu influenté suo imperio regit, idque maximè in corde: elementalem verum in composito cum reliquis suo nutu coniungit, & quamdiu potest, in vnum concordi pace vincit, atque tuetur. Quæ sanè beneficia retulit Galenus 1. popul. dicens: *Etenim protensa est per solida corpora natura, quæ illorum est virtus, concoctionemque à solidis corporibus sanis humores consequuntur.*

Quare talis dicatur.

Sed quanam ratione calor *(qui ab elemento ignis necessario originem ducit in quauis mixtione)* natiuus ingenitusque effici, ac dici mereatur, non est ita facilè inuentu. Cuius hæsitationis gratia sciendum est, euocatis elementis virtute cœli ad locum mixtionis, calorem ignis, vt auctorem omnium mixtionum primo concurrere, atque ignis opera exsequentem, fundere, liquare, ac discindere miscibilia omnia. Postea vero cœlesti quadam virtute, huic muneri sibi à cœlo præstita attemperari, & perfici, adeo, vt quæ antea attenuauerat, atque separare studuerat, deinceps vniat beneficium illius cœlestis muneris, & coniungat misceatque. Qua sanè mixtione ob actionem, & reactionem omnium miscibilium ad inuicem factam, ipsemet calor attemperatur, retunditurque, & mansuetior efficitur, pro natura eius cuius futurus est calor naturalis, adeo, vt deinceps naturalis factus concoquat, & coquendo incrassandoque vniat, & mira opera pro indigentia mixti exsequatur, vt iure optimo deinceps *natiuus* habeatur.

Ex quibus cōstet naturis.

Itaque his tribus naturis adiunctis, calor in mixtione euadit naturalis: quibus in viuentium generatione accedit alia profecto ex spirituum consortio, atque implantatione, qua longè admirabilior euadit. Hac enim ratione Galen. *lib.* 5. *simpl. citans* 14. *aphorism.* 1. *sectionis*, innatum calidum dixit, de spirituum natura esse, aut plurimum abundare spirituosa substantia. Quod etiam confirmauerat 1. *aphorism.* 15. & *libro de natura humana*, statuens hunc calorem primo sui ortu ex omnium entium communibus elementis non fieri, sed ex semine, & sanguine menstruo, quæ spiritu abūdare certissimum est, hæc enim alterum constituunt elementorum genus, quę neque prima, neque communia existunt, sed propria sunt animalium sanguine præditorum, & ob id quatruplici constat materia, sanguine videlicet, vtraque bile, & pituita, *vt ex Galen. etiam comperimus lib. de element. & 1. de temper. & 1. de sanit. tuend. ac de facult. natur.*

Semen ignea substantię, ac aerea.

Innati calidi qualitates humiditas, & calor.

Et licet omnia hæc, ex quibus semen, & sanguis menstruus constant, frigido, calido, humido, ac sicco polleant: in semine quidem plus est igneæ aereæque substantiæ, sicut in sanguine plus terreæ, & aquæ. Oportuit itaque hæc nostra principia humiditate, & calore præualere, qualitates quidem ad omnia vitæ munia promptiores: quapropter in innato calido easdem præualere fuit necessum, & ob eas *innatū calidum* appellari. Innatum quidem, quia à principijs trahit originem; calidum vero, quia in eo caloré omnium actionum opificem vigere comperimus.

Semen quid faciat fęcundum.

Quare cum Arist. 2. *de partibus animalium cap.* 3. asserat, esse in semine omnium aliquid quod faciat fœcunda esse semina, videlicet, calorem, eum non esse ignem arbitratur: sed quid proportione respondens elemento stellarum: & ob id si quando per inediam, diuturnos morbos, vel per senium contingat diminui, difficile esse eum ipsum reparare, aut proba victus ratione reponere: quod si id accidat, nec tantum, nec tale suberit.

Calor influēs quis sit, & quomodo diri

Alter vero calor, quem *influentem*, seu *alimentarium* Medici appellant, in corde veluti in proprio domicilio inhabitat, & ab eo in totum corpus veluti à fonte quodam diffunditur: nam calor ille, qui singu-

garer ad actiones à calore innato.

lis partibus à principio generationis est insitus, tepidus quidem calor est, etiamsi ab eo dirigatur in actiones influens, qui ipsum innatum excitauerat. Verum tie substantia ea insita prompte periret, aut tardius quam par esset, actiones perficeret, fabrefecit natura spiritum quendam, & sanguinem in cordis sinibus adeo calida, & vnli conditione præditum, vt calidú quoque natiuum iure optimo ob insitam similitudinem dici mereretur. De quo Hippoc. inquit 1. *aphor. Ventres hyeme, & vere calidissimi sunt*, hoc est, calido hoc naturali calidissimi; nam ex prohibito eius effluxu fit facilè, vt in visceribus recôditus copiosior conspiciatur. Quem etiam calorem Gal. *innatum* appellauit, non quod reuera velut alter sit, sed quod eius actiones iuuet, & ab eodem quoque mutuo beneficio influens reficiatur in corde, & arterijs.

Calor actuatus quis sit, et cuius natura.

Tertia vero & vltima natiui caloris sors, & species est, eius quem Medici appellant *actuatum, viuum, seu vegetum*, & totius temperamentum. Cuius naturam, & substantiam, vt quis exactè intelligat, ac etiã qua ratione ab alijs dissideat, primo concipiat animo, cor & vniuersum etiam corpus ex tribus omnino integrari substantijs, *vt communis est omnium Philosophorum sententia ab Hippocrate desumpta*, qui corpus constare ex continentibus, contentis, & impetum facientibus dixerat, nimirum ex solida substantia, ex sanguine, & spiritu: quas sanè partes calidas esse prouidit natura, & pari ratione in vnum coire, & vnum constituere commune temperamentum à componẽtium temperaturis longè diuersum, quod futurum esset animæ aptum, & vniuersale instrumentum ad obeundas actiones. Calidæ enim sunt solidæ partes calore innato, ex sanguine, & semine à primordijs contracto: calidus etiam sanguis natura, & spirituum consortio: calidi insuper, & cæteris calidiores existunt spiritus. Qui sanè calores cum in vnum coganiur, copulenturque à natura, (*& ipsi ex natiua conditione magis minusve susceptare possint, & ob id intendi, & remitti*) vnam communemque toti corpori temperiem prestant ea commensuratione, & harmonia constitutam, quod eius beneficio salubri corpus fruatur, calore, & temperie adeo sibi propria, & proficua, vt ab alijs corporibus facilè dissideat, & discernatur actionum diuersitate, & peculiari temperamẽto, & natura. Quo sanè caloris modo vnum corpus ab alio dissidere cognoscimus, & eodem denominatur minus magisve calidum; nullus enim cæterorum calorum id conspicuè, ac certè præstare potest. Cum enim necessum sit vniuersum corpus vnam communemque temperiem, & ex ea salubritatem obtinere, sicut quæuis particula obtinet ad peculiaria munia exsequenda, & qua qualibet earum est quod est, nimirum os, caro, aut cartilago; ita prorsus instituit natura vnam toti corpori consignare salubrem temperiem ex affluente spiritu, & sanguine, & ex innata caliditate conflatam: quæ quidem vna cum sit, & à cõponentibus diuersa, & etiam à particularibus membrorum temperaturis, vnam (vt dictum est) præstat corpori communem quoque temperiem, & caliditatem. Quoniam cum anima sit vna toti corpori communicata, opus etiam fuit, temperiem vnam toti cõmunem ponere, per quam subiectum aptum præparatumque sit ad animam susceptandam (*vt optimè Fuliginens est arbitratus*) & per quam anima ipsa operari possit, tanquam cum instrumento communi.

Calor actuatus quid ab influente, et natiuo differat.

Verum licet certum sit, hunc actuatum calorem ab insito, & influente exsurgere, & penes radicem, & fundamentum ab eis non distingui, cum hoc tamen ab eisdem dissidere multis numeris certum est. Quippe distinguitur vt natura totius à suis partibus, hoc est, secundum suam rationem, & diffinitionem. Item separatur penes maiorem, aut minorem gradum caloris perfectiori etiam modo comparati. Constat enim vnumquemque calorem suum obtinere perfectionis gradum, ita vt gradus caloris insiti dissideant à gradibus caloris influentis, & quisque suo modo tẽperatus à contrario gradu frigiditatis existit: qua quidem tẽperie, & symmetria naturalis temperatusque dicitur.

Calor actuatus lõgè nobilior est influente, et insito, & quare.

Pari prorsus ratione actuatus calor ex vtrisque contẽperatus ab vtroque differt, & alius est longeque nobilior, & cæteris præstantior: qua etiam perfectione mirum non est, si à cõponentibus dissideat. Quod profectò intelliges exemplo chordarum cytharæ, nam licet quælibet suum proprium proferat sonitum, iuxta sui rationem contemperatum, ex omnibus tamen simul percussis, & cõmotis longè suauior, & perfectior sequitur harmonia, & concentus, quam componentia possint per se, & seorsum edere: sic etenim dum composita hæc temperies natiuum salubremque statum seruat, salubriter viuit homo in salubriter vero, dum aliquo modo euertitur: vt dum ob alicuius ex componentibus excessum versus calorem vitiatur, communesque calidos affectus progignit, inter quos potissimè febris sita est.

Febrẽ in suo esse formalicõstituere, ad quẽ calorem pertineat.

Verum quia febrilis constitutio non simplex est, sed ex varijs rationibus constans (*non enim id accidentalibus formis repugnat*) ob id expendendum nũc est, quid constituere possit, & integrare vniuersam sui rationem, vt sublit, cui calorum tribuenda sit eius natura, & substantia; nam plures calores alterari ad eius constitutionem, & integritatem est opus, licet diuersa ratione vnusquisque concurrat ad eius confectionem, iuxta diuersam considerationem a b ipsa febre petitam. Consideramus itaque in febre quale sit intemperamẽtum: qua in re statutum est ab omnibus, tum Medicis, tum Philosophis, calidum esse, cuius formale est esse præter naturam. Consideramus etiã hunc præter naturam calorem, vt veram rationem febris adipiscatur, morbum necessario debere esse. Sunt enim caloris præter naturam plures differentiæ quæ febris rationem non subeunt, quia non consequuntur rationem morbi: qua in re principium præstat & formale febris (*sub ratione morbi considerata*) caliditas dicta præter naturam, dummodo sit partis viuentis; alioqui licet calor sit quantumuis præter naturam, non obtinebit rationem morbi: qua ratione (*vt inferius latius monstrabo*) cordis calidum intemperamentum febris rationem præscribit. Consideramus etiam, febrilem affectum non solum esse calidú, & partis viuentis intemperamentum, sed etiam per vniuersum corpus ex propria, & peculiari natura extensum. Cuius rei rationem, & formale præstat febri calor actuatus mutatus ad igneam naturam.

Calor actuatus solum est ad quem pertinet, ad igneam naturam mutari.

Non enim sat est ad integritatem naturæ febris calidum esse intemperamentum, neque morbi rationem subire (*nam plures sunt particulæ quæ morbis calidis laborant, cum hoc tamen non dicitur corpus febrire*) sed prærequirit necessario in totum corpus prædictum calidum affectum extendi, adeo, vt iure optimo possit dici vniuersalis, & communis caliditas: quod sanè nulla ratione poterat obtinere, ni aliquod etiam vniuersale temperamẽtum ad igneam naturam mutaretur fieretque iusto calidius. Neque obstat sat fuisse mutari innatum temperamentum, nam cum id non sit toti corpori vnum, sed varium, iuxta cuiusque partis peculiarem naturam, nequibunt profectò vnum, neque vnius rationis, ac vniformitatis morbum constituere. Item videbatur etiam suffecisse mutari influens temperamẽtum, quo etiam communi caliditate corpus afficitur. At licet necessariò hoc temperamentũ quoque altereretur, non valet tamen rationem formalem febris per se constituere, quod facilè fluat, & refluat, nilque habeat stabile, ac permanens. Quibus euidenter constare arbitror: hunc solum actuatum calorem esse, cui necessario pertinet ad igneam mutari naturam in quauis febris constitutione: sub ra-

tione

tione tamen morbi communis *(vt dictum est)* nam cum hæc actuata caliditas, dum secundum naturæ legem se habet, communem corporis salubritatem tuetur, hæc eadem profecto in ignea morbosaque affectione constituta *(quæ ignis nomine ab antiquis fuit nũcupata)* insalubriter animæ functiones pertractat: æquè enim vniuersalis est artifex bonarum malarumque operationum. Qua profecto ratione actuata hæc caliditas, dum ignea febrilisque euadit, communis affectio iure optimo censenda est. Præterea necessum est, influentem quoque mutari, vt calor à corde per arterias, & venas defundatur, vt tenet diffinitio: atque vt absolutior maneat, sat est calorem natiuũ substantiæ cordis primo mutari, vt adminiculo influentis a corde actuatus vniuersus alteretur.

Calor actuatus quanã ratione ad igneã naturam mutari possit & specificã febris differẽtiã constituere.

Cæterum, licet dogma præhabitum verissimum mihi videatur, cum hoc tamen superest discutiendũ, *quanam ratione, & quomodo id malum nostris corporibus accidere possit, & qualis naturæ sit calor, qui specificam febris constituit differentiam;* siquidem innatus varius existit, & multiplex. Cuius rei gratia statuendum est, nec semper nec in omnibus febribus æqualiter, & eodem modo hunc calorem actuatum intendi, mutari, & in ignem verti: nam pro ratione futuræ febris calor hoc principium suæ mutationis nanciscitur: quippe aliquãdo spirituola eius pars, quæ promptius à suis caussis oblæditur, nec non & cordis substantia, iuxta eius spirituosam partem caussa est mutationis totius caloris: nonnunquam sanguinis calor, quod ipse & reliqui eius humores vitientur, nec non & humidior solidæ substantiæ cordis pars. Tertio vero modo, cum solida partium substantia, atque etiam cordis ipsius prædicti actuari calores tẽperiem in igneam mutant. Quo sanè fit, vt, licet vniuersus calor mutetur, alteretur ve, mutationis conditio, seu febris ratio, talis sit, & prodeat, qualis est natura illius caloris, qui ex omnibus actuatus componitur, qui primo intensior factus exarsit, & ob id febris succrescit, vel *ephemera, vel hectica, vel putrida;* atque hac ratio nelicet intelligere febrem esse morbum calidum, & toti corpori communem intellecto cuiusque harum conditionum fundamento, & perspecta ratione formali cuiusuis.

Calidum innatum quomodo fiat igneũ in febre.

Non est profecto adeo facilè nosse, quanam ratione, qua via, ac modo calidum hoc innatum *(siue actuatum consideres ad constitutionem morbi cõmunis, siue cuique membro, & cordi innatum, vt febris morbi rationem nanciscatur)* ignis naturam acquirat, vt aliquam febrilem rationem ex dictis obtineat. Calor igitur tunc naturalis, & amicus censendus est, cũ suã temperiem, moderationemque, & naturam adseruauerit, videlicet, cum ex contrarij debita mixtione formæ rei genitæ ex æquo correspondeat, ita vt moderatè calfaciat, suosque exerceat actus, vt corpori ex vsu fuerit. Hæc autem mer caliditas ab huiusmodi tẽperie lapsa, proportionemque ad animæ potentias non habens, *præternaturalis* distemperataque nominatur, eo quod præter naturæ ordinem moueatur, & excalfaciat: merito profecto omnibus in confesso est, naturalem calorem probas, præter naturam vero deprauatas edere actiones. Inter quas mediæ differentiæ à termino temperiei ad terminum elementalis caloris, secundum quod huic vel illi magis accedunt, appellantur *naturales,* aut *præter naturam.* Itaque natiuus calor nunquam naturalitatis nomẽ amitter, nisi primos temperiei limites transgrediatur. Neque ob id credendum est, naturalem calorem à supremo illo temperiei gradu lapsum omnino læsas edere actiones, dum omnino præter naturam non est: quippe latitudinem habet quoad Medicam consideratio nem. Neque rursus tanquam inconueniens arbitramur, duos caloris gradus, quorum alter sit naturalis, & alter præter naturam, in vno & eodem esse subie-

A ctio, dummodo vnum constituant, & vna resultet caloris forma, quę ipsum subiectum denominet, & vna etiam actio, quæ vtrumque calorem sapiat. Quippe calor solum est formæ ignis instrumentum qua calor est, efficitur tamen naturæ, & formæ mixtorũ viuentium, & non viuentium aptum, & vtile instrumentũ, cum moderationem, & proportionem habito respectu ad animæ potentias habet: habere enim proportionem ad eas est, opera efficere indiuiduo proficua, & ad vitam, ac meliorem vitam ex vsu. Est tamẽ prę ter naturam esse, iterum ad munia, & opera igni propria, & peculiaria conuerti, & mutari. Quo fit, vt licet vterque calor sit vnius elementi instrumentum, puta, ignis, licet magis eius qualitas ad id elemẽtum,

B cuius est qualitas, accedat; quo perfectior, & naturalior solet euadere, dũ tamen in viuenti corpore intenditur, & ad ignis naturam accedit, eo imperfectius operatur, quatenus ad formam mixti attinet. Quippe calor naturalis, & præter naturam licet eiusdem sint speciei, & multis rationibus etiam conueniant, eisdẽ quoq; prorsus multis numeris dissidere cognoscimus. Conueniunt itaque hi duo calores in genere substantiæ; in subiecto, inquam, & in forma eiusdem, à quo ãmbo emanant: siquidem ambo ignei elementalesque fundamentaliter dicuntur, quibus datum est vnica ratione caloris calfacere, & congregare homogenea, atque heterogenea separare. Cum hoc tamen in eisdem met rebus proculdubio plurimum dissident.

Calor naturalis, et præternaturalis, in quibus cõueniãt, & dissideãt.

C *Primo*, licet in genere substantiæ conueniant, quod ambo sint ignei, in eadem differunt. Siquidem naturalis sapit naturam puri elementi, quod ob id magis ex vsu est potentijs, quia magis accedit ad naturã, & rationem formæ: præter naturam tamen huius ignis inferioris, qui materiæ sequitur condinonem potius quam formæ. Quod profecto ex actionibus facilè venabens: nam ignis purum, & naturale, atque ętherеũ elementum nullum aliud habet peculiare, neq; commune officium, quam mixtionibus, & generationib. adesse, neq; vlla ratione sui subiecti machinatur corruptionem, nisi quatenus sui custodiam intẽdit, vt in suum locum conscendat, mixtum dissoluat. Elementarius vero & inferior ignis semper corruptionem, &

Calor naturalis sapit naturam puri elementi.

D destructionem intendit subiecti, eo quod perpetuo nitatur conuertere, & commutare ipsum in sui naturã *(quod æthereus ignis non curat)* quapropter acris, mordax, & omnino nobis alienus euadit, ob materiæ, in qua subijcitur, condinonem. Et hoc arbitror esse, q̃d voluit Fernelius appellans *innatum calorem de natura caloris cœlestis, & ætherei,* quem cœlum elemento ignis ad mixtiones efficiendas præstare antea diximus, hoc est, *ignis puri, & elementalis:* præter naturam vero de natura, & conditionibus huius elementi. *Differunt* præterea in modo, & termino motionis, calfactionis, congregationis, & disgregationis. Quoniam naturalis calor certè determinateque penes naturam formæ cui inseruit, calfacit, & intus, ac extra

E mouetur. Præternaturalis vero determinatè inordinatèque penes conditionem formæ elemẽti, & sic naturalis concoquit, quo in opère congregantur heterogenea, & excrementitia separantur; Præternaturalis putrefacit disgregando quæ mixtionem componunt, & congregando quæ vnius sunt rationis, sic enim humidum cum humido, & siccum cum sicco abit, & ambo disgregantur inter se, quę potissima est putrefactionis conditio. *Differunt* præterea specifica quadam differentia, quando disiunctis oppositisque sunt conditionibus affecti, quibus inuicem contrarij sunt, & mutuo agunt, & patiuntur, licet conueniant communi illa, & specifica qualitate, nimirum qua ambo calidi sunt, quia igneus nulli formæ nullique potentiæ est adstrictus, nilque amplius nititur quam assimilare sibi passum quod ignis formæ subseruiat. Naturalis vero & cœlestis cũ suũ augmentum non

quærat, subseruit potentijs quæ indiuiduum nituntur tueri. *Differunt* etiam, quoniam instrumenta sunt inimicarum formarum, quæ simul esse nequeũt, sed mutuo per hæc eadem instrumenta se interimunt, vnde opifices sunt diuersarum specierum, quas subiecta, in quæ agunt, diuersis medijs adipiscuntur. Quippe calor naturalis viuẽtis formam semper induere nititur, & huic materiam, circa quam versatur disponit. Præter naturam vero cadaueris formam infert, & musticena corruptione viuentia, & non viuentia perdit. Ex quibus constabit profecto, quid vere sit calorem naturalem fieri igneum, & præter naturam, & quas induat conditiones, quibusve careat dum mutatur.

Calorem naturalẽ mutari in igneum, quid vere sit.

Is tamẽ calor dum præter naturam efficitur, duobus profecto modis talis redditur: vno quatenus egreditur extra mensuram, & modulationem caloris naturalis, & dicitur *præternaturalis mensura*, siue gradus: alio vero cum egreditur à proportione debita suæ formæ, quam caloris conditionem Philosophi appellant *malignitatis proprietatisque præternaturalitatem*. In quarum profecto vtraque dum actiones (*corde subinde vitiato*) læduntur, febris natura, & essentia consistit. Sit igitur febris innati caloris inflammatio, quæ nihil aliud est, quam ex bene tẽperato statu in igneũ (*eo modo quo dictum est*) conuerti, ac transmutari: & per consequens calor natiuus in igneum conuersus nil aliud est quam febris ipsa. Non quidem quod extrinsecus aliquis calor huic additus succrescat, sed vt iuuenum, & biliosorum corporum intensus, cui accedit acrimonia siccitasque, & subinde ignis conditio, & opera: quem sanè sic affectum extraneum pronũciamus, eo quod bene temperati limites excedat intẽsione, & qualitate. Sic calor innatus familiaris, ac dõmesticus censetur, cum suas actiones perficit, nũc vero deposita propria natura tanquam hostis, & extraneus eas distorquet, & corrumpit, fitque præter naturam: haud secus quam paterfamilias, qui dum mente constat, prudenter familiam sibi subditam moderatur, ac regit, resque suas tuetur, & probe administrat: idem tamen mente captus, & extra se positus turbat omnia, & profundit easdem res, quas prius magna diligentia conseruabat. Quo sanè exemplo vera febris conditio, & natura facilè elucescit, iuxta definitionis præfatam conditionem, & partes.

Calor duobus modis fit præter naturam. Febris est innati caloris inflãmatio. Calor natiu⁹ i igneũ conuersus est febris ipsa.

Superest adhuc in hac dubitatione explicandum, si certum est, *ad formalem morbi rationem necessum esse inniatam cordis caliditatem in igneam naturam debere commutari (vt alibi natus calor extraneus etiã factus febrem communem morbum efficiat) quidnam est quod in ipsa mutatur, qualitasne, an totum ipsum calidum?* In qua sanè te arbitramur, in calore hoc innato, dum febris efficitur, non solum mutari qualitatẽ, sed & substantiam: esse tamen hanc differentiam in vtriusque mutatione, quod calor mutatur ea mutatione, quę ipsum alium reddit: nam efficitur præter naturam, & longe aliter informat subiectum, quia qualitas efficitur habitualis, & quæ nata est ipsum denominare: substantia vero non alia efficitur, sed solum alterata manet. E contra quidem acquisito iuuenum contingit, qui licet sola maioris minorisque ratione à febre videatur differre, (ob acrem qualitatem quam successu temporis acquirit, *vt asseuerat Galen. 6. popu. par. 1. comment.* quo in loco admittens geminum calorem in animalium corporibus, posito innato dicebat: *Alter vero acris, mordax, & igneus, in quo genere, & febris inest)* cum hoc tamen constat, febrilem calorem & acquisitum, quem de febrilis sorte consignat Gal. licet conuenire certum sit qualitate acri, mordaci, insuaui, & ignea; differre tamen longissimis interuallis, tum caussa tum maioris minorisve ratione, ita vt nulla lege possit febris rationem subire, quãtũuis acrior efficiatur. *Primo*, quia in calore acquisito iuuenũ mutatur qualitas in deteriorem ad substantiæ mutationem, quæ ex alimentis reficitur, quod talis nõ sit, qualis præfuerat ea, cuius loco apponitur, & ob id qualitas, quæ acquiritur sapit naturam substantiæ, quæ loco deperditæ reficitur: & quia substantia caloris naturaliter mutatur, non efficitur morbus. At in calore febrili (*licet eiusdem videatur natura*) primo mutatur qualitas, acriorque & ignea redditur, moxque alteratur substantia. Qua potissimum ratione fit, quod licet vterque calor sit extraneus, is tamen qui acquisitus dicitur naturalis sit, & ad corporis vsum, & gratiam summopere proficuus; quia ab intrinseco, & naturalibus principijs (*hoc est, ab innata substantia per alimentum mutata*) suboritur: alter vero febrilis ab extrinseco, & præternaturali principio factus, & omnino alius effectus, natus tamen substantiam, cui inhæret, mutare mutatione corruptiua.

In calido innato ad igneã naturã quid mutetur, qualitasne an totũ calidum.

Calor acquisit⁹, & febrilis in quo differant, & cõueniant.

Quapropter statuendum est, quod licet alicui diminuatur aliquis gradus caloris naturalis, & adueniat loco eius alter qui extrinsecus excedat, non ob id calor natiuus pristino restituetur statui, quia naoui caloris refectio expostulat ab intrinsecis fieri principijs: calor verò qui ab extrinseca caussa prodit, non supplet vicem naoui, sed iure optimo febrilis, & præter naturam (*hoc est, à præternaturali principio factus*) censeri debet. Quo fit, vt ab illa caloris mutatione, quæ acquisitum, & iuuenilem calorem conficit, actiones incolumes, & secundum naturam fiant, verum ex reliqua, quæ extrinsecus accedit intemperie, actiones prorsus lędantur: nec quidẽ à sola qualitate, sed ab ipso innato calore; hoc est, ab ipsa substantia innati calidi alterata, & intemperatiori facta; & hac ratione febris subit morbi cõditionem: nam actiones non sunt referendæ substantijs simpliciter, sed dũ agunt aliquo medio. Sic enim inquit Aristoteles *lib. de sensu, & sensil. Non agit ignis quatenus ignis, sed quatenus calidus:* neque rursus *qualitas ipsa per se sola opus perficit, suppositorum* (inquit idem) *sunt actiones, quod de substantia innati calidi eodem modo licet intelligere.* Itaque in mutatione innati calidi ad igneam naturam necessum est primo qualitatem mutari, & extraneam atque alienam fieri, substantiam vero alterari, plus minusve, prout febris differentia futura est: nam in ephemeris, & putridis inæquali quadam alteratione mutatur, in hectica vero æqualior, magis minusve intensa, prout tempus, seu species ipsius hecticæ postulat.

Caloris naturalis gradus deperditus, non resarcitur ab alio gradu extrinsecus adueniente.

Quæ sanè vt clarius intelligas, expende, calorem præter naturam, in genere talem fieri per additamentum, aut intensionem; quæ opponuntur mediocritati naturali, & salubri, aut mediocritati vitali, quæ omnino efficitur præter naturam. Vtcunque tamen sit, quartuplex existit calor præter naturam, iuxta quatuor febrium genera, quæ in corpore visuntur: quippe calor hic aut *Vrens* est, & febrem concitat Ephemeram, aut *Marcidus*, & hecticam gignit; aut *Putridus*, & putridam concitat; vel *Pestilens* existit, & pestilentem, atque contagiosam creat. Quorum omnium *lib. 6. huius operis* latius meminero, cuiusque naturam scribens, & omnium differentias, ac inter se dissidium consignans. Modo enim sat est docere, *qua via, & quibus modis calor fiat præter naturam, & calidus.*

Calor præter naturam quatruplex.

Cum non satis constet apud Galen. & reliquos auctores, *an febrilis calor sit simplex intemperamentum, an ex siccitate, & calore compositum*, hac parte studui id paulo diligentius expendere. Euidenter quidem ex Galeno colligi potest, febrem simplicem intemperantiam solum esse, cum expressissimis verbis id asserat 8 *method. & 1. de differ. febr. cap. 2. & de different. morbor. cap. 5. & de causs. morb. cap. 2.* siquidem febrẽ definit per abundantiam caloris, nulla alterius qualitatis facta mentione. Quod etiam cõmuni cõcipiendi modo probare nititur: nam si aliquis intemperamento solũ calido vniuersum corpus occupante laboret,

Febris sit ne simplex qualitas an ex siccitate, et calore composita.

boret, is proculdubio febricitare dicitur: quo fit, vt iure videatur simplex esse intemperamentum. Ex altera autem parte non desunt auctores, & rationes, quibus probari possit, necessario esse compositum intemperamentum, potissimum quidem ex caliditate, & siccitate. *Primo* quidem constat, quia nunquã tanta caliditas in corpore potest concitari, quæ possit febrem efficere, quin sibi siccitatem adiungat, præsertim cum febrilis calor sit igneæ naturæ, cui proprium est esse calidum, & siccum. *Secunda* constat, id posse probari ex eodem Galen. qui 1. *aphor.* 16. inquit: *Est igitur febris conuersio natiua caliditatis ad igneam naturam:* & rursus ob id censet Hippoc. dixisse, *victum humidum febricitantibus conuenire, quia febris calida, & sicca passio est.* Quæ sanè rationes, & auctorum decreta adeo ad inuicem pugnant, vt non sit ita facilè controuersiam dirimere.

Febris essentia nullo modo consistit in siccitate, sed solo calore.

In quo sane dubio arbitrandum censeo, siccitatẽ nullo modo esse de ratione febris, & cum hoc non inconueniens febrili calori coniungi, citra id quod morbum efficiat; & aliquando rationem quoq; morbi præstare. Quam equidem conclusionem sic probo: *Febrilis calor aliquando humiditati associatur, & plerumque siccitati: sed alterum erit accidens;* ergo *febris solum erit distemperantia simplex.* Primam antecedentis partem sic probo: *Dum calor ille præter naturam corripit hominem bene temperatum in actiuis, & humidum per excessum in passiuis, is febricitare dicetur, & tamen non patitur morbum siccum, etiamsi siccior reddatur quam antea: Ergo saltem febris non obtinebit tanquam quid essentiale siccitatem.* Præterea etiã si demus iam eam obtinere, probo nõ ob id esse semper compositum intemperamentum: nam licet siccitas *(vt probant alterius factionis rationes)* plerumq; febrili calori adiungatur, non ob id sequitur protinus morbi rationem obtinere *(quod necessum est vt febris sit compositum intemperamentum)* nam morbi ratio est, vt actiones lædat, atque cum caliditas sit qualitas longè magis actiua quã siccitas, aut humiditas, priusquam hæ ad lædendas actiones sint aptæ, sola caliditas excedens easdem lædet, ac ex consequenti solum obtinebit rationem febris, & morbi, licet alias qualitates sibi comites habeat, vt probant argumenta. Vt enim siccitas iure optimo morbi habeat rationem, non sufficit, quod sit maior moderata, sed requiritur tantam esse, quæ possit lædere actiones. Quo fit, vt calor ille febrilis licet alicui passiuarum qualitatum adhæreat, quod frequentissimum est, nihilominus tamẽ non semper illa qualitas morbus sit, ac de febris essentia. Quod si aliquando accidat aliquam ex prædictis qualitatibus actiones lædere, eo tempore morbus ille non erit vnus simplex, sed compositus ex calore, & siccitate, quales sunt hecticæ febres: & sic siccitas illa, vel humiditas non erunt de ratione febris. Itaque febris ratio in sola caliditate consistit, *vt probant Galeni testimonia,* & cum hoc non inconuenit, siccitatem sibi comitem habere, quæ aut morbi rationem non habeat, aut si id obtinuerit, affectum efficiat cõplicatum. Cæterum vt vera sit de hac re prædicta sententia, nil inconuenit, quo minus victus humidus febricitantibus omnibus exhibendus sit, quia febris affectus quidem calidus est, siccus vero effectiue. Neque obstat Hippoc. nullam caloris febrilis fecisse mẽtionem 1. *aphor.* 16. sed solum siccitatis, quod magno profecto consilio factum esse suspicor. Nam refrigerantia auxilia non semper febribus ex vsu existunt, sicut quæ humida sunt, *vt apertè docet Galen.* 8. *method. cap.* 1. *&* 11. *cap.* 9. Nam frigidorum exhibitio, *inquit,* periculosa est, tum quia includantur humores, tum etiam quia obstructiones pariunt: humectantia vero securius febricitantibus exhibentur, tũ quia dictis periculis carent, tum insuper, quia præcauent corpus ab intemperantia sicca, & præsentem corrigunt. Tum vero, quia natiuam corporis humiditatem tuentur, & augent, qua quidem ratione potissimum adhibentur. Inquit enim Hippocr. *Præsertim pueris, & his qui tali victu vti consueuerunt:* quibus verbis apertè monstrat, potius conseruandæ naturæ adolescentium, & consuetudinis adultorum gratia, quam alia quauis caussa victum humidum fuisse febricitantibus institutum. Cum hoc tamen Galen. 8. *method. cap. vlt.* apertè docet febrem perpetuo indicare refrigerationem, & humectationem: nam præter caussam superius adductam, febris suaptè natura affectus est essentialiter calidus, siccus tamen effectiuè: & sic vna eademque victus institutione vtrique necessitati subuenimus.

Febris subiectum quale sit.

Expendendum quoque est, *qualenam sit huius febrilis caloris subiectum:* quippe id etiam expostulant verba definitionis Auicennæ: nam inquit: *Est calor præter naturam accensus in corde, procedens ab eo in totum corpus:* erat enim necessum, quòd, vbi communis existebat salubritatis caussa, ibi etiam communis morbi extitisset subiectum. Cuius doctrinæ gratia tenere oportet fundamentum summopere necessarium, præstitum à B. Thom. 7. *metaph.* dicente, *subiectum constituens accidens in esse, poni in definitione accidentis loco differentiæ.* Sic etenim in definitione febris, quæ rationem, & naturam sortitur accidentis, duo assignantur subiecta, nimirum, cor & vniuersum corpus. Quapropter expendendum nũc est, quale eorum sit primum, & potentissimum, siquidem accidens vnum nequit esse in pluribus subiectis loco distinctis, eodem inhæsionis modo, sic enim, vt ex innumeris Galeni locis constat, coniectandum est, nõdum extraneum calorem fieri febrem, donec cor apprehendat; ita vt constet id necessario debere esse vnicum, & principale febris subiectum. E contrario tamen ex definitione Auicennæ, & alijs Galeni locis euidenter colligitur, febrem calorem esse præter naturam in vniuersum corpus extensum: Præterea non desunt, qui sanguinem, & reliquos humores, ac spiritum arbitrentur febrium quarundam esse subiectum, decepti loco Galen. ex 1. *de differ. febr.* qui potissimas febrium differentias eas arbitratur esse, quæ à materia sumuntur, in qua sucendebatur, & subijcitur calor ille præter naturam. Sed aduersus hanc vltimam sententiam sat est statuere in fide Philosophorum, & Medicorum omnium stare, sanitatem, & morbum solis viuentibus particulis pertinere: & cum febris etiam morbus sit, constabit profecto, eius subiectum non esse humores, neque spiritus, cum re vera non viuant, sed solum esse subiecta caloris præter naturam, qui nondum febris est, donec cor apprehendat. Quo fit, vt subsit, partes nostri corporis solidas subiectum esse febris: nam licet calor etiam humoribus, & spiritibus subijciatur, calor ille rationem habet caussæ, & non morbi.

Cor est principale febris subiectũ.

Sed circa propositam controuersiam expendendum est, necessariò febrilem calorem inesse cordi, & solidis etiam corporis particulis; verum quod habet vicem subiecti principalis, & à quo tanquam à principio febrilis calor oritur, proculdubio cor est: quia id constituit febrem in esse febris, quæ est differentia intemperamenti calidi quo natura ipsa constat. Quippe toti corpori inesse non constituit primam hanc, & communissimam differentiam, sed aliam magis indiuiduam, nimirum, in totum corpus extendi: nam licet necessum sit calorem sic diffundi, illud quidem potius prouenit ex natura, & conditione cordis, quã ex febrilis caloris ratione. Hoc enim habet propriũ, & peculiare cordis intemperamentum, vt protinus singulis corporis membris, & quibusque particulis cõmunicetur. Qua ratione dixerat Auicen. *Si enim accendatur febris accensione prima, quod est corde inflammato: nam corpus inflammari, spiritus, aut humores, po-*

Febres aliquæ cur non occupent vniuersum corpus.

Febris subiectũ duplex.

tius caussa febris censeri debet. Et ob id calor febrilis, A seu à corpore, vel à quauis eius particula elatus, postquam cor apprehendit, mox in totum corpus, aut plures eius partes sese extendit (*vt diluatur controuersia de lypiria, & reliquis febribus, in quibus calor eò non occupat vniuersum corpus, quia à caussa aliqua contraria remoratur*) ita vt ea sit vera febris ratio, quæ ex calore præter naturam cordis prodeat. Quippe cum calidissimum sit inter nostri corporis membra, priusquam reliqua calidam recipit intemperiem, & ipsam ad alia transmittit: quod nulli alteri membro datum est.

Calor actuatus est, cuius ratione febris toti corpori cõmunicat, neque ad hoc sufficit solum influentẽ alterari.

Cum hoc tamen non mihi displicet eorum sententia, quæ duplex febri præstituit subiectum: alterum *Attributionis*, quale cor est, & cui ratio febrilis morbi primo tribuitur: alterum vero *Inhæsionis*, (licet nonnulli aliter hæc subiecta interpretentur) quod est corpus B vniuersum; quia peculiaris, & inseparabilis febrium conditio est, in vniuersum corpus extendi: quod illi succrescit merito actuati caloris, quem necessario ad prædictam conditionem febri comparandam alterari debere diximus: non enim calor in totum corpus extendi potest, vt morbi communis rationem cõplcat, ni actuatus etiam calor vitietur. Nec sat est calorem influentem alterari ad cordis alterationem, & subinde corpus quoque calfieri, nisi totalis hæc actuata temperies in facto esse vitietur. Quippe millies mutatur influens calor, & corpus alterat; non tamen alteratur facta, & febrili alteratione prædictus calor actuatus, sed cum vehementer incalescit vitio componentium, sed maximè eorum, quæ in corde sunt: tunc C enim totum corpus febrili calore alterari necessum est. Nam licet aliquando iecur præcalidum in vniuersum corpus effundat calorem, non ob id profecto febricitabit homo, licet illud febris caussa possit esse, si cordi communicetur; tamen calor ille febris nõ erit, sed calida totius corporis intemperies: nomen tamẽ & rationem febris non obtinebit, donec cor sit eo temperamento apprehensum. Qua enim ratione cor principium est, & origo caloris natiui, eadem prorsus erit præternaturalis caloris (*siquidem febris est calor innatus in igneum conuersus*) primum, & potissimum subiectum. Cui rationi aduersabitur aliquis, dicens: *Cor non esse principium caloris primogenei, in quo febris consistit, sed influentis solum, ac ex consequenti rationẽ* D *non stare.*

Cor principiũ primum caloris insiti.

Huic dicendum est, verum esse argumenti antecedens, cum hoc tamen non concludere: quia ad hoc quod febris sit, requiritur factum intemperamentum cordis, & membrorum: Cordis quidem, vt mediante eius influxu conseruetur membrorum febrilis calor, qui non minus eo adseruatur quàm intra eius ob influxum influentis tuetur calorem totius corporis secundum naturam. Et licet Christophorus Vega huic rationi aduersetur, censemus frigidorum quoque morborum posse esse principium, priuatiuè tamen, & sic non valet eius ratio: ipse tamen se exponit, & probat hoc modo verum esse, cor primum existere calidi intemperamenti, quod febrem constituit, principium, & adhuc frigidi, sed modo dicto. In E quit enim Gal. *lib. de sang. miss. cap. 5.* caliditates, & frigiditates non posse extendi in totum corpus priusquã mutent cor, & similiter *lib. de maras. c. 1.* inquit: *Nullus affectus fieri in toto corpore potest, quin membrum principale afficiatur:* id vero esse cor, satis probatum arbitror. Itaque si calor in corpore vniuerso succendatur, nondum habebit febris rationem, donec cor apprehendat, & rursus is calor toti corpori communicetur, qui (licet humores intra cor contenti refrigerentur, *vt refert Gal. 3. de præsag. ex puls.*) refrigerari nequit, & ob id semper hunc calorem communicat: ex qua etiam communicatione hectica febris efficitur, & conseruatur.

Febrilis calor qualiter cordi, & corpori inhæreat.

Ipsa sermonis series nos ducit in tractationem *de inhærentia caloris febrilis in subiecto, & quo etiam mo* A *do inhæreat in humoribus, & spiritibus.* In qua re expẽdendum est, calorem febrilem, vbicunque sit, siue in humoribus, siue in spiritibus, aut in solidis membris, semper factum esse in ea parte ex *numeratis*, quæ febrem denominat. Quamobrem ex antiquis non pauci appellarunt febrem *æqualem intemperiem*. Cũ hoc tamen reliqui auctores quotquot fuere, eam *inæqualẽ intemperiem* appellarunt, eo quod in febre putrida humores sunt in calfacto esse, & spiritus in calfieri, sicut in ephemera spiritus in calfacto esse, & humores in calfieri.

Febris qua ratione æqualis, & inæqualis tẽperies appelletur.

Quo fit, vt hi auctores febrem iure optimo appellauerint *inæqualem intemperiem*, ob inæquale subiectorum caloris prẹter naturam intemperamentũ, licet aliæ etiam sint inæqualitatis acceptiones, vt videre est in epiala, & alijs eius naturæ. Verùm, qui eã B *æqualem* appellarunt intemperiem, id profecto dixerunt solum habito respectu ad eum calorem, qui vere morbi, & febris rationem habet, eum nimirũ qui & factus est, & in solidis membris existit, non quidẽ ad eum qui ex caussis prodit.

Fiens intemperamentum quid.

Factum quid.

Medium quid.

Verum cum Factum, & Fiens multis modis vsurpari conspiciamus, id profecto prius distinxisse erit opus *Fiens* vero illud dicitur, cum ita à caussa oritur, vt ablata caussa confestim cesset, non requirens vllam ad factum prouidentiam, de quo loquutus est Galen. 8. *method.* dicens: *Sed quæ in generatione febris est, sola ablatione efficientis caussæ cessat.* Factum vero accipitur pro eo temperamento, quod partem ipsam informat more naturalis temperamenti. Aliud C etiam est intemperamentum *medium* inter fiens, & factum, quod adhuc in motu est, nondum ad terminum, perfectionem, æqualitatemque perductum, licet aliquid habeat simul, quod factum sit, quo significato putridam febrem vocamus *fientem calorem*, quoniam nondum accreuit eò in illa calor, vt æqualitate partes omnes possideat, licet hoc fiens, *vt mox docebo*, rationem, & partem quodammodo facti habeat, more naturalis temperamenti: Et tamen hæc differentia inter calorem factum, & fientem, quod fiens, prout huic opponitur, is est, qui nondum corrupit: neque destruxit naturalem temperiem partis, cui inest, sed adhuc ipsam corrumpit, & subuertit. Ita, vt partes frigidæ naturæ beneficio possint temperamen D tum ad antiquum calorem reducere: factum vero iã ipsam corrupit, & destruxit, nec amplius est in subuertendo. Quod probauerat Galen. *lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 4. & lib. 3. cap. 2.* At intemperamentũ medium, partem habet fientem, & partem etiã factam, ac insuper partem futuram. Quippe quod in ipso fieri aliquid factum habet, quo terminũ retinet, & morbus efficitur, ac insalubriter agit, & facta caliditas nũcupatur, non tamen sub ratione habitus, sed habitudinis tantum. His habitis, factum hoc significato accipitur pro ratione formali febris, nam quatenus à proximis caussis calfacientibus fit, & dependet, semper fieri dicitur, nisi caussa in habitu quoque sit, *vt mox disputaturus sum.*

Febris natura in calore consistit.

E Sed vt hæc clariora euadant, iterum ea repetere clariori, & vtiliori stylo studui. Certum enim est, febris naturam in calore consistere, verum nõ parum refert, *vt inquit Galen. 1. de differ. febr.* si ea quæ huic calori subiectum præstant, incalescere dicamus, aut incaluisse, seu calfacta esse: quæ sanè verba haud facilè intelliges, ni prius expenderis calfactum esse in definitione Auicennæ multis modis vsurpari.

Calfactũ esse multis modis dicitur.

Nam *primò* rationem habet primi, quod verbum non minoris est difficultatis: inquit enim: *Si enim accendatur febris accensione prima:* in quo verbo sita est affectus, seu morbi natura, quæ primo actionem viciat, quia factum est intemperamentum. *Secundo*, caliditas facta habet rationem caussæ, quoniam in continuo est calfaciendi actu, haud secus quam innata caliditas; ea enim ratione dicitur corpus febrile, & febriens.

Tertio,

Tertio, facta caliditas dicit eiuſdem cauſſę firmã conſtantemque fixionem à nullo dependentem, ſed ſuis firmata radicibus, ita vt vero habitus difficile mobilis exiſtat, vt calor cordis in febre hectica. Pari quoque ratione *Calfieri* ſeu *Incaleſcere* varie à medicis vſurpari contingit: *Primò* namque dicit ſuum effectum, hoc eſt, calorem: *ſecundò* velut ſymptoma ſuã naturam oſtendit, cum à particulari prodeat cauſſa: *tertiò*, continuam à calfacientibus cauſſis dependentiam notat. Itaque factum difficilem mobilem diſpoſitionem oſtendit, & fiens dependentiam proculdubio deſignat: primum rationem morbi ſortitur: ſecundum vero, cauſſæ efficaciam habet. Hæc autem qui expenderit, facile diſcet, qualenam futurum ſit illud factum, quod febris & morbi rationem ſortitur, nimirum, quod in ſolida cordis ſubſtantia inhæſerit: in reliquis vero ſubſtantijs, nimirum in contentis & impetum facientibus, etiamſi calidum intemperamentum factum ſit, ſolum cauſſæ rationem ſortitur, nedum cum fiens fuerit: quod in cordis ſubſtantia ita non eſt, nam etiamſi intemperamentum fiens ſit *(quia neceſſum eſt aliquid factum habere)* & à cauſſa dependens, morbum circumſcribere natum eſſe arbitramur.

Incaleſcere varie à medicis vſurpatur.

Calore adhuc vt morb⁹ ſit, ſolidę cordis ſubſtã tiæ inhærere dẽt.

Dubium.

Licet omnibus ſit in confeſſo, calorem in humoribus, qui vicem cauſſæ gerit, factum debere eſſe, vt ſubſecututa febris putridę nomen mereatur: & in ſpiritibus ſit ephemera ſit, ac in partibus ſolidis vt hectica, cum hoc tamen non leuis ſeſe offert diſceptatio, deſumpta quidem ex communi hoc Gal. & Medicorum omnium loquendi modo: quippe afferunt, differentiam febris ſumendam eſſe ex calfacto eius partis *(ex continentibus, contentis, & impetum facientibus)* quæ febris ſpeciem deſignat, ceteris tamen in calfieri poſitis, vt in ephemera incaluerunt quidem ſpiritus, incaleſcunt tamen humores & membra, & pari penſu de reliquis duabus febriũ ſpeciebus. Quanta quidem huiuſmodi doctrina, quãtumuis receptiſſima ſit, ſecum afferat inconuenientia, iam audies. *Primò* quidem, ſi ratio, propter quam febris ephemera ab omnibus facta appellatur, nulla alia eſt, quàm quod ſpiritus habeat incalfacto eſſe, quorſum igitur quæ putrida eſt, ea lege non dicetur facta, ſi humores quoque in calfacto eſſe, haud ſecus quam ephemera ſortitur? *Præterea*, quanam ratione homo ſanæ mentis calorem humorum in putridis febribus factum appellare poterit, ſi certiſſimum eſt, coctionis munus eſſe in eiſdem febribus compeſcere, & facere ceſſare putredinem? ſi igitur ſiſtit putredinem, nondum factus eſt calor: tum quia quod factum putridumque eſt, neque infectum fieri poteſt, neque coqui, aut beneficium ſuſceptare vllum: ſi verò ſuſceptat & ſubſiſtit, procul dubio in motu erat, ac in via, non in termino & facto eſſe, vt hi auctores libere aſſeuerant. *Item* neceſſario conſtat, calorem illum non debere eſſe factum, neque adhuc in ſummo febrium vigore: inquit enim Hippocr. *Dum pus conficitur, dolores ac febres magis accidunt, quam ipſo pure confecto:* ceſſante enim putredinis motu et caloris actione, ceſſat quoque febris, quod ſi calor exſtitiſſet factus, non vtique moueretur, neque in termino illo ceſſaſſet febris, ſed tunc magis vigeret, quia eſſet in facto, quod eſt inſeparabile ab hac febre, vt præfati auctores ſtatuunt. *Inſuper* id etiam videtur eſſe falſum, quia ex alteratione quam natura infert in prædictos humores *(quæ neceſſario debet contraire alterationi quæ fit à calore præter naturam nitente deuincere ac ſuperare materiam illam)* nulla ſequeretur temporum morbi variatio neque diuerſitas, quippe nulla alia ratione hæc diſtinguit Galen. quam ex maiori vel minori caloris actione: ſi igitur factus iam exſtitiſſet, vtique natura non valuiſſet compeſcere, neque mouere. *Vltimò* tãdem, quis vſquam ob factum humorum, febris naturã ſeu

Differentia febriũ vnde ſumendæ.

A differentiam auſus eſt circumſcribere? ſiquidem febres nõ ex facto cauſſarum, ſed ex eo facto, quod circumſcribit rationem morbi, ſunt æſtimandæ.

Solutio.

His habitis, ſtatuendum eſt, quod licet febrem putridam dictum ſit obtinere calorem factum in humoribus, non ſubinde ſequitur factam debere dici, vt ephemeram factam cenſemus: quia ephemera habet calorem factum, prout dicit independentiam à cauſſa: Nã cum ea teneatur eſſe externa, aut interna, quæ mox euaneſcat, manifeſta & leuis ſit, protinus abit, & ſpiritus ſimul tanta cõflagratione ſuccenduntur, & ea ratione iure optimo dicitur facta: quia calor cordis, qui conſtituit rationẽ morbi, dependet à cauſſa facta, hoc eſt, à ſimultanea ſpirituum ſucceſſione: B quod putridæ febri non contingit, quia licet aliquis habeat factum et in termino, non tamen id eſt in vltimo, ſed in medio: Cum hoc tamen ſemper habet cauſſam, quæ illud factum efficit aliquid caloris de nouo producẽdo, cuius ratione nequit calor dici independens, velut is, qui in ſpiritibus febrium ephemeratum reperitur: quippe calor febrium putridarum ſemper ob continuum cauſſæ influxum nouum gradum natus eſt producere. Qua occaſione opus eſt coctione quæ compeſcat illud fiens, ne factum fiat: in qua ſane actione certiſſimum eſt tempora morbi circumſcribi. Itaque licet tenendum ſit, factum eſſe calorem in humoribus, qui febrem putridam conſtituunt, illud factum tamen non dicit independentiã C à cauſſa, vt factum ſpirituum ephemerarũ febrium, ſed ſolum qualitatem illam, quę motu acquiritur, quę ſufficiens eſt, ſeparato agente, permanere ac denominare ſubiectum. Cuius occaſione dixerat Gal. *Vnamquamque cauſſam abſcindere prius, deinde ad eam quæ facta eſt, diſcraſiam peruenire.* Quibus verbis conſtat, ſimul cum eo quod factum eſt, eſſe adhuc cauſſam, quæ non ceſſat producere augereque calorem, motum continuans, vſque dum agentis forma introducatur, ſaltem ea, quæ omnino ſeparata cauſſa, diu permanere poſſit, vt in hectica contingere ſcimus. Qua etiam ratione ephemera febris homotona & *facta* dicitur, quod nullus alius caloris gradus neque nouũ augmentum in ea acquiratur, quatenus ad cauſſam D attinet, quemadmodum in febribus putridis, vbi nouum augmentum, & noua ſuccenſio ob cauſſæ præſentiam conſpicitur.

Quibus exacte penſatis ſtatuendum eſt, febrem hecticam & ephemeram ob id factas cenſeri, quod à cauſſa facta & independente proficiſcantur potius, quàm quod calor ſubſtantiæ ſolidæ omnino & ęqua lance in vtraque independens haberi debeat. Eſt tamen differentia, quod calor ſubſtantię cordis & mẽbrorum in ephemera, licet aliquid *(quantumuis prauiſſimum ſit)* habeat factum, ſiquidem rationem morbi circumſcribere tenetur, fientis tamen plurimum habet in prædicta cordis ſubſtantia, etiamſi ſpirituũ calor independens exiſtat, nullamque capeſſat in- E tenſionem. At calor cordis & membrorum in hectica omnis factus eſt, nihilq; habet fientis, nullumque gradum vlterius acquirit neque augmentum: & cum hoc haud ſecus eſt affectus factus ratione cauſſæ factæ, ac ephemeræ calor. Nam à calore, qui factus eſt in cordis ſubſtantia, nullamque habet à cauſſa depẽdentiam, dependet in conſeruari membrorum, calor, vt apertiſſimis verbis diffinitio Auicen. profitetur. *Eſt enim febris calor extraneus accenſus in corde, procedens ab eo in totum corpus, mediantibus venis & arterijs.* Quibus verbis euidenter conſtat, febrilem totius corporis calorem, à cordis calore veluti à cauſſa conſeruante conſeruari; cum hoc tamen nullum gradũ caloris auget cor, quia cauſſa facta eſt. Quod ſane videtur eſſe rationi conſonum, quia vt febris duo habet ſubiecta, puta, *cor & vniuerſum corpus*, ita profecto duplicem habet rationem differentiæ, ſiqui-

Hectica & ephemera quare factæ cenſeantur.

Febris potiſſimum naturam ſumit à corde.

Febris duplicem habet differẽtiam.

dem subiectum constituens accidens in esse, in diffinitione accidentis, vt dictum est, habet vicem differentiæ. Sic enim febris potissimum suæ naturę rationem desumit à corde. Nôdum enim febris est *(neque Galen. loquens de calore præter naturam)* donec cor apprehendat: postmodum vero calor totius corporis, qui parum ante solum caloris præter naturam nomê tuebatur, iam febris factus est. Quam quidem naturam à corde mutuatam esse inficiabitur nemo, sicut ab eodem mediante calore actuato conditionem & naturam morbi communis, sub qua ratione totum corpus iure optimo statuitur in diffinitione. His habitis statuendum est vlterius febrem hecticam calorem habere factum & independentem in substantia cordis, qui quidem vicem habet caussæ factæ, *(qualis erat calor spirituum ephemerarum)* à qua cordis independente intemperie, ea quæ facta est in membris morbi communis rationem præstans, continua emanatione adseruatur, vt diffinitio asserit. Quod etenim dogma verum cuius esse iam monstrabo, si refractario non sit animo. Quippe qua ratione innatus calor partiū omnium perpetua & generali quadam dimanatione ac dependentia à corde prodit, eadem prorsus calor præter naturam febrilis *(qui nil aliud est, quam idem vt ad ignem versus, & partem vt natura lis & habitualis informans)* ab eodem proficisci tenetur eadem generali dimanatione. Argumento euidentissimo sunt extrema frigida in his, qui epyala, syncopali, aut internarum inflammationum laborāt febre; vel in his, qui ex caussonide morti sunt proximi: quippe ob defectum huius generalis dimanationis à corde nō solū priuantur calore naturali, verum & præternaturali, adeo vt omnino refrigerentur, quo constat vtrumque calorem ab ea parte disseminari. Verùm quia ratio febris generica est, calorem innatum esse igneum factum, ob id omnium membrorum caliditas mutatur, quæ mutatio fouetur & conseruatur calore & influxu cordis. Attamen cum certum sit, calorem substantiæ cordis nullam habere dependentiam in febre hectica, constabit profectò, in eadem membrorum calorem hanc generalem à corde fortiri dimanationem. Cum hoc tamen non est credendum, cor producere aliquem nouum gradum caloris præter naturam membris, neq; esse caussam augentem aut intendentem ipsum, *(sicut calor humorum putridorum in febribus, qui productiuus est & intensiuus)* sed solum conseruantem, haud secus quàm se habet in conseruatione caloris innati: vt cōstat, quia absente ob aliquam occasionem cordis influxu, partes, quantumuis febricitare constet, frigidas conspicimus, siue cor nequeat calorem præ languore diffundere, *vt in morientibus*, siue retrahatur, vt in internis inflāmationibus, siue impediatur, *vt in epiala & similibus*. Et ob id prædicta dependentia in febre hectica non est, sicut ea, quæ reperitur in putridis, in quibus calor indies magis ac magis crescit, intenditur

Febrē occupare totū corpus quare ponatur i febris definitione.

A tur & exacerbatur, quia caussa est in fieri: sed sicut calor ephemerarum, quæ ob calorem factum spirituum, *(quem caussam factam appellamus, vt in bellica est calor substantiæ cordis)* qui nequit vllum aliquem gradum præstare, sed semel præstitum tueri: qua sane caussa ablata, vt protinus cessat ephemera febris, cōsumptis nimirum spiritibus, ita prorsus calore facto cordis ablato, cessabit etiam totius corporis intemperamentum, quantumuis fixum existat, quia cessabit generalis illa dependentia, & ex gradibus naturalis caloris iterum ad natiuum statum reducetur, iuuante nouo & naturali cordis influxu, *vt lib. de hect. feb. latius leges*.

B Superest tamen vltimò discutere, *quo differat calor intemperantiæ cordis, dum febrem non constituit, vt in ira & labore, cum non vltimantur, ab eo dum met calore vltimo, adeo vt febrem constituat.* Quod sane dubium licet facile non sit dirimere, sic tamen enodari posse existimo: nimirum calorem dici non vltimari, licet intemperamenti & morbi rationem habeat, cum solum calor alteratur ad maiorem, modo diminuto frigore præexistente, modo addito calore. Quod expresse docuerat Auic. *fen. 1. prim. doct. 2. cap. 1.* dicens: *Calfacere autem simpliciter est, vt omnes humores secundum suas speciales remaneant naturas, sed plus fiant calidi*: quod sane de partium solidarum calore venit subaudiendum At vero id est arbitrandum, solum

C posse dici *vltimari*, cum calor non modo alteratur, sed & mutatur: nam id re vera est *vltimari*, quod est vltimam dispositionem acquirere, ad hoc vt introducatur ignis natura, ea nimirum, quæ febrem constituere valet: est enim proximior dispositio ea, quæ febris est, igni introducendo, quam sit alia ex his, quę constituunt calida intemperamenta. Quo fit, vt hæc sola dicatur *vltimari*, & rationem febris sortiri, quæ dispositionem hanc igni proximam & magis affinem susceptat: nam aliud est calorem intendi, & à medio deflecti, & aliud in igneam mutari naturam.

Quibus omnibus euidēter iam constare arbitror, diffinitionis Auic. verba vete naturam febris exponere; nimirum, *calorem esse, & cum præter naturam*, talemque fieri, vt Galen. diffinitio manifestat, con-

D uersione natiuæ caliditatis ad igneam naturā. Item *procedere corde*, tanquam à primo & potissimo subiecto: *in totum corpus extendi* ex natura febris, quæ morbus est communis, ac ex officio cordis & vitio etiam actuati caloris mediante sanguine & spiritu. Præterea ex natura caloris, qui efficitur extraneus, constat, *actiones necessario plures aut omnes, ladi*; siquidem innatus est auctor aliorum omnium. Quod vero lædantur, emanat ab eo intemperamento, quod vltimari antea diximus, quia non est sicut caliditas iræ & laboris, sed adeo intensa & radicata, quæ veluti habitualis facta vicem habet formæ, & ob id nata est actiones euertere, sicut, dum secundum naturam erat, easdem probè efficere solebat.

Calor febrilis quid differat à calore ira ac laboris

Febrilis calor quare lędat actiones, & quare plures aut omnes.

DE FEBRIVM DIFFERENTIIS
LIBER SECVNDVS.



IAm est ratio seu lex diuidendi in quauis A arte necessaria, & potissimum in hac nostra, vt citra ipsam morbos methodo & ratione nosse, distinguere & curare nullo modo possit. Nam tot sunt curatiuæ indicationes, quot morborum ideæ & species: quas equidem nisi certo numero, beneficio diuisionis cōprehendas, difficulter & ęgre iens noscēs & curabis. Quo fit, vt sapienter videatur dixisse Gal. dū scribit: *Quicquid autē in aliis sectis à multis medicis in morborum curationibus delinquitur, primam maximamque caussam id habere vitiosam diuisionem.* Qua ratione petito Medico incumbit diuisoria methodo probè vti: quam profectò eā esse arbitramur, qua potissimum ad differentias vsque infimas genus diducitur.

B Ita vt ex sententia Platon. à primo maximeque generali per medias differentias, quibus diffinitiones specierum constant, ad eam quæ nullam amplius sectionem

Diuisionis quāta commoda.

Methodus diuisoria quid.

nem admittat, deueniendum sit: sic nos in diuidendis febribus ea prorsus diuidendi ratione vti studebimus. Ante cuius doctrinę explanationem, censeo magni fore momenti, *quibus modis rem aliquam ab alia differre contingat*, docere, quo facilius quisque ad diuidendas febres accedere possit. A Principio enim huius operis dictum est, ex similitudine diuersorum indiuiduorum colligi, constituique vltimam speciē, quam *specialissimam* Iuniores appellāt, Porphyrium secuti, & Galen. *lib. 2. de diff. febr.* Præterea ex similitudine specierum constituitur quoque genus vsq; ad supremum. Qua ratione censeo, ab Alex. Aphrod. *lib. de anima*, dictum fuisse, *speciem esse tenuem similitudinem indiuiduorum, & genus magis tenuem specierum.* Sic profecto ex diuersarum febrium similitudinibus diuersæ pullulant earum species, & ex vna similitudine, qua omnes conueniunt, vnicum resultat genus, nimirum calor præter naturam.

Species vltima vnde colligatur.

Gen⁹ summum vnde colligatur.

Verùm in consignandis differentijs, quibus genus in varias species distribuitur in febrili calore, antiquiores Medici non parum errarunt, *vt euidenter probat Galen. lib. 1. de diff. febr.* Nam eorum multi in eo errabant, quòd licet recenserent essentiales differentias, omittebant tamen aliquas ex illis: alij substantialibus admiscebant ex accidentalibus aliquas, desumptas quidem à parte affecta, vel ex adiuncto symptomate; rursus alij omnium pessimi omittentes essentiales, solas accidentales adduxerunt. Itaque eorum primi defecerunt in numero, secundi superfluis abundarunt, & vltimi errarunt sumentes alienas pro proprijs. Sic ex eis pauci diuiserunt genus in species: sed diuisione abutentes, accidentaliter partiti sunt febres omnes. Verùm licet in methodo diuisionis prædictas differentias inutiles, & vitiosas esse constet, vsui tamen medico summopere sunt necessariæ, & ob id, qua potero breuitate, earum vsum hac in parte monstrabo.

Medicorū errores in constituendis differentijs febrium.

Sunt profecto inter auctores, qui febrem diuidāt, prima sui diuisione, in febrem *Morbum*, & in febrem quam *Accidens* appellant. Quę sane diuisio abusiue febri adaptatur, cum febris suapte natura accidens aut passio minime esse possit, siquidem vna febris ratio est, ipsam esse affectū, quem de genere permanentium esse antea diximus, & ob id constat non esse accidens aut passionem, quorum essentia in successione et dependentia consistat. Pręterquam quod præd. febres omnino ablegat Gal. à febrium natura, *vt probat 4. aph. 66. & l. 2. ad Glau. c. 3.* dicens: *Reliquę vero febres nonnullę ex humoribus accenduntur, & quę ex inflammationibus fiunt, sunt veluti quędam accidentia partium phlegmone laborantium, & morbus magna ex parte ab instrumento patiente denominatur, vt phrenitis, aut peripneumonia, atque pleuritis, et aliquid tale.* Et rursus c. sequent. inquit: *At quę ex humorum putredine febres accenduntur, hoc ipso nominantur febres, & sunt non accidentia morborum sed ipsi morbi.* Quibus constat, Gal. reijcere prædictas febres à ratione optimæ diuisionis, maxime *cum lib. 7. aphor. 42. & 4. 73.* statuat, eum qui citra inflammationē febricitat, vere dici febricitare, aut febre laborare, reliquos vero secus, & taxat antiquos, quod huiusmodi febrium differentiam statuerint, licet aliquando ex aliorum & Hippoc. mente easdem admiserit, *vt de Praxagora refert.* Verùm ex propria mente eas negat, *7. aph. 42.* dicens: *Atque in ipsis febrium scripsere differentias Epialon, & lipyriam, elodem, & typhodem, pestilentem & ardentem nominantes: hepaticam autem febrem, vt lienosam, aut pulmonicam, aut lateralem nemo dixit.* Qua sententia apertissime videtur distinguere, præd. febres à febrium diuisione. Verùm licet hæc diuisio longe distet à febris ratione, cum hoc tamen sieius consideratio in veram medendi rationem dirigatur, non solum vtilis erit, verum & necessaria. Quippe

Diuisio 1. in febrem morbū & febrem accidens.

Febris nulla est accidens.

A certissimum est, huiusmodi febres solum diligentiā morbo adhibita curari: quod in pleuritide et alijs inflammationibus facile est colligere.

Diuiduntur etiam febres in *Factas & Fientes*: quę sane diuisio calori conuenit potius, qua habitus est & dispositio, quam vt passio est, vel passibilis qualitas; & ea ratione maioris est momenti, quam cum calor consideratur, vt calor est: Sic profecto, dum calor factus est, diuersam habet medendi rationem ab ea, quam expostulat, dum fit. Quæ enim sunt futura, præcauere; quæ vero fiunt, impedire, quæ autem facta existunt, ex toto auferre conuenit.

2. Diuisio in factam & fientē.

Alij rursus febrem diuidunt *in Simplicem & Compositam*, B quæ sane diuisio licet de febris ratione non sit, tamen vsui Medico haud parum vtilis existit. Alijs enim auxilijs quæ simplices sunt febres curari expostulant, alijs vero compositæ: quippe hæ composita desiderant auxilia, & considerare iubent, quid sit alterius caussa, & an alterum ab altero dependeat, vel an diuersa habeat principia.

3. Diuisio in simplicem & cōpositam.

Omnes fere auctores inter alias frebium partitiones annumerant eam, qua diuiduntur in *Breues & diuturnas, Acutas & lentas*: quod non leui consideratione factum esse suspicor, siquidem maiorem institutionis victus partem ex hac diuisione pendere certum est: dum enim morbus breuis est aut acutus, tenuissimam victus formam expostulat, sicut dum C diuturnus, crassiorem, quantum nimirum naturam possit, quò consetuetur vsque ad statum, ne statim primo accessu vel naturam opprimamus nimia copia, vel tenuiori victus forma dissipemus.

4. Diuisio ī breues et diuturnas, lentas & acutas.

In *Continuam* item & *Intermittentem* plerique febrem diuidunt, & harum quamlibet in multò plures ordinatas, aut ordine carentes, & mille alijs mutationibus & accidentibus insignitas. Quod profecto ex vsu est, tum ad cognoscendam partem in qua humores putrescunt, tum verò ad heterogenitatem ac diuersitatem humoris dignoscendam. Præstat insuper eadem diuisio ad pręsagiendi munus probè exequendum: *quocunque enim modo intermiserint*, inquit Hippoc. *periculum abesse significant*: ex vsu quoque est ad D curationem, & ad rectam victus administrationem. Quę sane diuisiones etsi non sint generis in proprias species, nihilominus tamen vsui medico summopere necessariæ existunt.

5. Diuisio in continuam & intermittentem.

His iactis fundamentis, docere nunc expedit, quo diuidendi genere vsus fuerit Galenus in dissecandis febribus, & quantum habeat veritatis, quo facto, ne videar ab antiqua Galeni doctrina omnino discessisse, meam sententiam ingenuo animo scribam. Pollicetur itaque hic auctor, se febres diuisurum per differentias substantiales, & maxime proprias, taxatque, vt dictum est, sui temporis medicos, quod in febrium diuisionibus accidentales adduxerint, aut inutiles, ceteris posthabitis. Fatetur insuper, formam diuidendi E per substantiales differentias ab Hippocrate se sumsisse *lib. 6. popul. par. 1. com. 29.* quo loco Hippocrates hęc refert verba: *Febrium hæ quidem manui sunt mordaces, illæ vero mites: hæ autem non mordaces quidem, sed post insurgentes. Alię vero acutæ, sed quæ manui succumbunt. Aliæ sunt statim ardentes, quædam semper pusillæ et siccæ, quędā salsuginosę, quędā inflatæ, aspectu graues, nonnullæ ad tactum humectę, nonnullę vehementer rubicūdæ, aliquæ vehementer pallidæ, aliæ liuidæ, et aliæ huiusmodi.* Qua equidem sententia, vt Gal. etiā mens est, multis in quatuor partitiones diuidunt omnes differentias ab Hippoc. eo loci numeratas: quarum tres primæ prodeunt à Caloris modo, à Motu, & à Materia, cui calor ille præter naturam inhæret: quarta vero ab his, quę per accidens febri succrescūt, cuius natura est calor. *Prima* igitur partitio, quæ fit secundum differentiam caussarum internarum; innotescit penes diuersum modum afficiendi tactum,

Febris diuisio, et diuisionis ratio quam Galen. ex Hipp. adducit, exponitur.

Febriū ex Hipp. quatuor partitiones.

I.

&

& ob id quatruplici membro constat. Quippe ex febribus aliæ sunt *Manum mordaces* semper & à principio: aliæ vero *Mites*, & minime mordentes tactum: rursus aliæ *Non mordaces* primo manus accessu, sed post *Insurgentes* paulatim mordacitatem acquirunt: aliæ contra *Acutę* & mordentes prima manus admotione, sed paulo post velut à manu *Deuictę* sensim mordacitatem deponunt. Ex qua diuisione non solum constat febrium differentia ex caloris modo, verum & materia, in qua talis calor accenditur. Quippe bilis ac melancholiæ succensæ calor acris est & mordax, ob innatam siccitatem: ceterum bilis acrimonia, quod tenuioris sit substantiæ, protinus ab ipsa manu deuincitur, melancholiæ vero diu perstat. At sanguinis & pituitæ calor mitis & suauis apparet, sed sanguinis suauior: nam pituita ob contractam putredinem non omnino mordacitatis est expers, sed

II. postmodum insurgit persistente manu. *Secunda* Hippoc. partitio est, in qua febres quædam sunt statim *Vrentes*, & aliæ semper *Debiles*, quod illis accedit ex motu caloris, cui munus est, iuxta sui efficatiam motum cōstituere lentum vel celerem, & sic acutas aut

III. diuturnas constituere febres. *Tertia* & vltima partitio (*nam quarta parui est momenti, & vt mea mens tenet, huic tertiæ reducibilis*) ea proculdubio est, qua febres diuiduntur in *Hecticas*, *Ephemeras*, *& Putridas*. Inquit enim Hippoc. *Siccę, alię autem salsuginosę, alia pemphigodes*, hoc est, *inflatę, seu ampullosę, & aspectu graues: alię autem ad tactum humectę*. Sic etenim hecticas febres comperimus corpus siccum, ac veluti salitum reddere, & mordacissimo calore, quem tactus dijudicat, contabefactum, haud secus quam gustus salsugine mordetur. Inflatas vero, & adspectu graues magnę auctoritatis viri putridas nuncuparūt, & eas maxime, quibus innascuntur pustulæ ad modum ampullarum, quo redduntur adspectu graues. Verùm quæ tales sunt, non solum adspectu graues existunt, verum & reuera; sed harum quam paucissimæ apparent: quinimo reperiuntur quam plurimæ spectu mitissimæ: quæ grauiores sunt & perniciosiores. Quo fit, vt mihi non displiceat eorum sententia, quæ tenet per has febres solum subaudiendas esse ephemeras, quatum calor corpus in tumorem eleuat, & tactum ferit instar scintillarum exsilientium, vt quæ ex ignito flatu seu spiritu prodeant: & ob id primo accessu graues apparent, cum reuera non sint. At per humidas ad tactum superest intelligere putridas ac humorales omnes, quibus (*licet non omnibus, neque semper, ob aliquod peculiare impedimentum*) proprior est humiditas ob copiam humoris, qua necessum est abundare corpora sic affecta. Quinimò arbitror, vt amplius innotesceret humoralium natu-

Febres pēphygodes sunt ephemera.

IV. ra. Hippoc. statuisse *quartam differentiam*, nimirum, ex humidis quasdam esse *Rubras. Pallidas vel Liuidas* vt per calorem humoris peccantis naturam monstraret. Hæc sane est Hipp. diuidendi ratio, quam Gal. arbitratus est per differentias essentiales, & maxime proprias fieri quod à modo caloris, & ab eius motu, necnon à materia in qua calor accenditur, sumātur: inter quas eas esse maxime proprias censet, quas à materia dixerat desumi.

Febriū diuisio, quā Galen. per differentias essentiales traditam existimat, impugnatur.

Verùm vt rei huius veritas magis ac magis, vt par est, elucescat, studui hac in parte argumentis & rationibus infirmare huius diuisionis proprietatem & rationem, antequam veræ diuisionis vsum & veritatem scriberem: multa enim proficua & pulcra in argumentis & eorum solutionibus reperies, quibus absolutis aggrediar veriorem & propriorem diuidendi rationem, sumens pro hypothesi multa ex his, quæ Galen. in diuisionibus adduxit.

1. Ratio. Prima & non leuis ratio sic probat febrem non posse diuidi: *Morbus contrarius omnino est sanitati: sed sanitas nullas habet sub se species. Ergo neque morbus quia contrariorum eadem est ratio. At febris morbus est*, ergo *nullatenus diuidi poterit per differentias essentiales*. Sanitatem autem non diuidi in species, constat ex eo, *quod sanitas est medium*. ergo *erit species infima*: nam quod medium est, per moderationem vnum tantum est, *vt constat ex Galen. lib. de diff. resp. & ex Platone in conuiuio*: ergo *si vnum est, & species specialissima, diuidi ex consequenti non potest, neque febris, qua morbus est sanitati contrarius*.

Secunda sane ratio nititur probare, *calorem, quem tanquam genus sumit Gal. ad diuisione in febrium efficiendas, nullo modo posses species dissecari, & se habet in hunc modum: Calor est species specialissima & indiuidua, quæ nullas patitur diuisiones*: ergo *neque febris, quæ calorem pro genere habet, diuisibilis est in alias species*. *2. Ratio.*

Pręterea *licet aliquo modo calor suscipere possit diuisionem vt constat ex differētijs ab Hipp. adductis, probatur, nulla ratione eas esse differentias essentiales, vt Gal. arbitratur*. Quod patet *quia ea quæ intensionem & remissionem suscipiunt, nequeunt differentiam essentialem constituere, vt ex Porphyrio constat: sed talis natura est quantitas caloris*. Item *qualitas et modus motus, quæ omnia tanquam constitutiua diuersarum specierum designant Hippoc. & Galen. reuera in calore reperiuntur, non vt differentia essentiales, sed vt accidentia*: ergo *prædicta diuisiones non sunt inter substantiales reponenda*. *3. Ratio.*

C Sed quod mihi & alijs grauius videtur, illud profecto est, quod Galen. asserit, *nimirum eam differentiam quæ à subiectis caloris præter naturam sumitur, esse maxime propriam & essentialem. Cui sane rei hæc ratio maxime obstat, si calor ex diuersitate subiecti diuersas sortiretur species essentialiter differentes, facile sequeretur, pariter albedinem habere diuersam rationem formalem in diuersis subiectis: hoc est euidenter falsum: ergo et illud: præter quam quod calorem esse in spiritibus & humoribus non constituit rationem morbi; (cum morbus passio sit viuentis)* ergo *neque rationem febris; ac ex consequenti neque differentias*. *4. Ratio.*

Alia etiam ratione probat, differentias à materia desumptas esse maxime accidentales: & patet, *quia potius videtur diuisio accidentis in subiecta, quàm generis in species: nam si ratio & essentia speciei ab ipsa forma accipienda est, hæc variatur materia, non quidem forma: ergo prędicta diuisio potius accidentalis censenda est*. *5. Ratio.*

Quæ sane rationes, & aliæ prædictis similes, quas ideo silentio prætereo, tanti fuere momenti apud Neotericos, vt aperte proferant has diuisiones esse accidentales, quod ex eis quædam sint per accidentia propinqua rei diuidendæ. Alij profecto asseruerunt, *eas esse diuisiones accidentium per accidentia*: *alij esse diuisiones circa diuisum, per quas non diuiditur calor in species, sed sunt diuisiones circa ipsum calorem*: alij vltimo fatentur, *esse diuisiones accidentium per subiecta*. *5. Ratio.*

E Ex quibus multi etiam arbitrantur, *eas esse differentias solum vsui medico necessarias, à quibus sumpta indicatione auxilia præstantur à Medico*. Pauci tamen sunt qui ostendant, *qua lege & ratione possint esse substantiales*. Verùm antequam dubitationem hanc absoluam, et quid de differentijs essentialibus caloris febrilis sentiendum sit statuam, argumentis et rationibus satisfacere studui, vt constet, nunquid Hipp. & Galen. intellexerint auctores, qui eorum mentes hucusque exposuerunt.

Eisdē rationibus pro Galē. respondetur.

Conijcere oportet, qua ratione sanitas medium & moderatum est, eadem vtique vt ex eisdem auctoribus constat immoderatum (*quod in se includit rationem morbi*) varium, dissimile, & multiplici errore inuolutum esse, eo quod illi est contrarium: nam cum bonum constet ex integra caussa, ex cōsequenti morbum in varias oportet dissecari species, cum præter *Ad primum.*

naturam

naturam sit, vltra citraque moderationem. *Secundò*, quia certum est, sanitatem quoq; diuisam esse in varias species, iuxta varias sanitatis perfectiones, pro singularum partium ratione. *Vltimò* respondendum esse arbitror, quod licet sanitas sit medium, nō tamen est perfectum & exquisitum, sed cum latitudine, qualis sub Medici considerationem cadit, ac ex consequenti, morbus varias sortietur stationes & differentias.

Ad secundum.

Ad *secundum* vero respondendū est, calorem duobus modis debere vsurpari, *Vno* quidem simpliciter, prout qualitas est de tertia specie qualitatis, in qua situs diuisiones amplius recipere nequit, eo quod species sit specialissima. Quo fit, vt quæ ab Hippoc. ponuntur, si vt qualitatem consideres calorem, accidentales sint. *Altero* autem modo accipitur pro calore etiam; non tamen simpliciter, sed pro calore præter naturam, & prout morbus est, vt apertissimis verbis monstrat Galen. *lib. 1. de dif. febr. cap. 1.* dicens. *Nam essentia quidem febriū est in genere caloris præter naturam* Qua equidem acceptione non in tertia specie qualitatis, sed in prima, prout dicit habitum aut habitudinem, iure optimo reponi debet. Atque cum habitus ille seu dispositio, quæ accidentales sunt caloris differentiæ, in genere caloris præter naturam, quod est febris formale *(qua quatenus præter naturam est, actiones vitiat)* consistere teneantur, vt affectus sit, & affectus præter naturam innumera varietate dissimilis existat & multiplex: hinc profecto factum est, vt febris *(cuius formalis ratio in eo quod præter naturam est consistit)* sub hac ratione, & non quatenus calor est simpliciter consideratus, varias susceperit differentias, easque prædicto modo essentiales. Verùm quòd præter naturam omne varium sit & dissimile, probatum est ex Galen. loco in argumenti primi responsione. Ex quibus constare arbitror, febrilem calorem, non quatenus calor est, sed quatenus præter naturam, in varias dissecari species, sub ratione affectus præter naturam, essentiales: qua etiam ratione Arist. in prædicamento qualitatis calorem, vel quamuis aliam qualitatem in diuersas illius prædicamenti species ob diuersam & specificam rationem dissecuit. Nam hæc differentia qua constituimus calorem præter naturam, licet sit *(vt calor est)* eiusdem entitatis cum calore, vt passibilis qualitas est, non tamen est eiusdem entitatis, vt habitus existit, & ob id potest prædictas diuisiones suscipere, quas vt passibilis qualitas nequit.

Calor duobus modis vsurpatur.

Ad tertium.

Et licet intensum, & remissum, ac motus etiam caloris non possint sub ratione prædicta essentiales differentias caloris constituere, possunt tamen sub ratione morbi, seu præter naturam, quemadmodū hoc exemplo haud obscure constabit: *Corripiatur quis calore aliquo intensiore naturali, qui tamen nondum actiones vitiet: postmodum addatur illi alius caloris gradus, quo actiones vitientur; constabit profectò, hos calores esse eiusdem speciei sub ratione caloris, licet alter altero sit intensior; nihilominus tamen sub ratione morbi & præter naturam nulli fore dubium arbitror, quin longissime inter se differant, quia primus non denominat subiectum, secundus vero efficit subiectū febrile, licet calores inter se speciei non differant.* Cum hoc tamen dicet aliquis dum *vtrq; caloris intensio morbosa est, nō prodire morbos specie differentes, quia maior morbus non differt à minori, dum vtriusq; natura sit vna: quippe febris ardēs intensa non differt specie ab ardenti remissa.* Cui dubitationi dicimus, intensum & remissum duobus modis posse constituere differentes species: *Vno* essentiales, eo modo quo dictum est: *Alio* vero accidentales. Quippe licet causoni ex accidenti sequatur maior aut minor intensio: verum cum hoc spurium constituit remissus calor, & legitimum qui intensior fuerit. Quippe febris putrida pestilens specie differt à putrida ardenti, & tertiana exquisita, ab ea, quæ ob remissiorem calorem spuria seu illegitima dicitur. Neque obstet calorem esse diuersimode intensum in diuersis voius morbi temporibus: nam talis morbi natura constat, & conflata est ex illa graduum disparitate, quæ varia concitet, & distinguat in ipso tēpora: non quidem varios morbos, quia actionum læsionis ratio *(quod est morbi formale)* vna est tantum à principio ad finem: nam prædictæ differentię, *vt iam propositum est*, non prodeunt à calore, quatenus talis est, sed quatenus est præter naturam. Alia quippe est ratio formalis morbi febrilis, dum calor ille officit actionibus acrimonia, alia quatenus sola intensione, & alia cum à principio mitis est, & mox crescit, ac pari pensu de singulis differentijs ab Hippoc. numeratis: nam quælibet sub ratione peculiaris præternaturalitatis suam nanciscitur febris rationem ab alia diuersam, ob varios lęsionis actionum modos, qui varie à gradibus vel qualitatibus caloris, vel differentia materiæ, cui ille calor inhæret, corpori succrescunt. Sic enim sola hac ratione Arist. venari docui varietatem ac differentiam potentiarum, nimirum, ex actionū varietate ac diuersitate: quo fit vt pari ratione diuersas ideas & species morborum ex diuersitate læsionis actionum venari teneamur.

Intensum & remissum duobus modis differentes species constituunt.

Ad quartum.

Quarto argumento respondendum est, Calorem non considerari apud Medicos vt calor est, nam hac ratione eandem habet in diuersis subiectis formalem rationem, sed sub ratione præter naturam, cuius occasione non eadem est eiusdem formalis ratio in diuersis subiectis, sed varia, iuxta differentias, excessus, aut defectus, quos pati potest facta collatione ad calorem secundum naturam, aut ad temperamentū iustitiale. Quo fit, vt argumentum nihil probet.

Ad quintum.

Hinc pendet etiam ad quintam rationem responsio: nam in calore febrili variatur formæ ratio ad subiecti mutationem, quinimo iuxta materię diuersam conditionem diuerso modo introductus calor informat, & tanquam præter naturam lædit diuersa ratione actiones. Quo fit, vt licet calor sub hac ratione sit vnius naturæ, sub conditione tamen præternaturali diuersimode informat materiam illam: ex qua diuersitate prodeunt diuersæ febrium species. In qua re auctores Neoterici Galen. mentem de febrilis caloris materia varie exprimunt: quippe autumant, & non sine ratione, diuisionem per subiectum caloris à Galen. traditam non esse febris diuisionem, sed solum caloris præter naturam, & hanc differentiam maxime propriam esse censendam, quia vsui Medico summopere conducit. Alij quidem arbitrati sunt, & falso quidem Galen. per *continentia, contenta, & impetum facientia*, materiam febris intellexisse: quod falsum omnino est, quia *aliud est considerare febrilis caloris subiectum, aliud vero materiam;* Galen. quidem non diuisit febres per continentia, contenta, & impetum facientia, tanquam per materiam, sed solum tanquam per subiecta, quibus calor præter naturam inhæret. Sed de his satis.

Febrium diuidendarū per differentias essent. vera ratio ex mente auctoris.

Incumbit nunc veriorem iudicio nostro doctrinam, iuxta rationem diuidendi febres docere, non posthabita pręfata Galen. doctrina: quippe sequar in eis diuidendis eius potius mentem, quam verba; & explicabo, quæ ipse & Hippocra. de substantialibus febrium differentijs scripserunt, clariùs forsan & veriùs. Quæ omnia, vt sicut polliceor, exsequi possim, præmittenda sunt multa huic ministerio summopere necessaria.

I. Vt ergo hæc & reliqua, quæ dicturus sum, clariora euadant, & constet etiam, qualis sit magis propria diuidendi ratio, & methodus, & an differentiæ à Galen. assignatæ sint maximè propriæ, & essentiales: expendendum est, triplice esse naturæ & conditionis id, quo alterum ab altero differre cōperimus:

quip-

quippe aut substantia est rei & essentia: aut proprium aliquod accidens, quod naturam rei consequitur: aut accidens commune, quod generali & communi qua dam ratione rei naturam patefacit. Sic proculdubio iuxta hanc trimembrem rei diuisionem triplex quoque erit differentiarum modus: *Vnus* ab ipsa rei substãtia seu essentia desumptus differentias constituit: *Alter* à proprijs accidentibus, quæ proximas prædictis constituunt differentias: *Tertius* verò à communibus accidentibus, quæ differentias à communi qua dam ratione acceptas constituunt, non quidem proprias. Itaque *primus modus* constituit *essentiales* differentias, quas iure optimo ob id *essentiales* arbitramut, quia in eis id quod diuiditur fit aliud: non solũ quidem efficitur alteratum, quod sane aliud cum sit relatiuum diuersitatis substantiæ, nil aliud sonat, quã diuersitatem in substantia. *Secũdus* autem *& tertius* constituunt *accidentales* differentias, tales ob id appellatas, quod earum ratione id, quod diuiditur, redatur alterum seu diuersum: & cum alterum seu alteratum tantum sit relatiuum diuersitatis accidentis apud Philosophos, differentiæ, quæ id efficiunt, solũ dicuntur accidentales, seu diuersitatis. Itaque differentia faciens aliud, specificam constituit rationem: faciens vero alterum, solum efficit differre secũdum quid, hoc est, secundum illud accidens, in quo differetia sita est. *Preterea* differentia illa dici meretur *substantialis*, quæ præter id, quod constituat aliud, non est susceptiua magis & minus: accidentalis ecõtra nata est magis & minus suscipere. *Item* differentia essentialis addit supra genus perfectionem aliquam; accidentalis vero quid accidentale tantummodo. Quibus iam constare arbitror, qualis naturæ futura sit diuisio, quæ per differentias essentiales fieri debet, vt cum opus fuerit, ea in diuidendis febribus vtamur.

Differentiarũ modus triplex. Differ. essentiales. Accidentales.

II. Est quidem secundum fundamentum, calorem, dum à modo recedit in nostris corporibus, dupliciter vsurpari à Galen. *Primò*, pro calore præter naturam: *Secundò*, pro calore febrili, qui præter id, quod præter naturam etiam est, morbosam & febrile præstat non corpori affectionem. Potest quidem corpus esse calore præter naturam affectum, cum hoc tamé non febrire. Quapropter statuendum est, calorem præter naturam optime posse diuidi per sua subiecta, nimirum, per *spiritus, humores, & solida membra*; quo significato calor sic distributus non habet rationem febris, nec valet ipsam in species dissecare, sed solum præstat rationem proximæ caussæ. Quamobrem merito dixit Galen. *lib. 1. de different. febr. cap. 1.* differentias huius caloris à materia desumptas potius esse caloris præter naturam, quam febris: quippe hæc sunt eius verba: *Quæ vero differentiæ à materia sumuntur, in qua calor ille præter naturam consistit, maxime propria caloris præter naturam differentia sunt. Itaque calor qui præest in humoribus, spiritibus, & solidis corporis particulis, solum præstat rationem caussæ habito respectu ad febrem: non quidem febris, quæ morbi rationem habet, qua caret calor humorum & spirituum. Calor vero qui vere febrilis caloris nomen meretur, is solũ censeri debet, qui in cordis substantia præter naturam efficitur*: ex quibus constat, diuisiones caloris per tria subiecta non esse febri essentiales & maxime proprias, sed solum caloris, vt præter naturam est, nõ quidem vt febrem constituit: siquidem vnus tantum calor est, qui eius naturam præstat, ac ex consequenti, ab eo solo, aut eius differentijs, si quas habet, necessario dependere tenentur febrium species, *vt mox sum probaturus*. Sic profecto, *vt ex mente Galeni antea dictum est*, calor præter naturam, siue in humoribus præsit, siue in spiritibus, febris rationem non obtinebit, nisi à prædictis substantijs cordi accedat, in quo calor ille febris sortitur conditionem; non quidem

Calor aliud est præter naturam, alius febrilis.

Calor præter naturam etiã si per subiecta diuidi possit, nõ tamẽ habet rationem febris.

A in spiritibus aut humoribus, qui intra ipsum cor vagantur, sed in ipsamet cordis substantia, in qua sita est ratio & natura febrilis morbi, in reliquis quia vero caussæ solum conditionem habet. Verùm quia citra notitiam huius caloris præter naturam siti in humoribus & spiritibus, vel reliquis corporis particulis, neque febrilem naturam nosse, neque curare est possibile: ob id ignotum, hoc est, febrilem cordis calorem per notius docuit Galen. cognoscere: statuens, tot esse febrium species, quot sunt subiecta illa caloris præter naturam. Non quidem, quod illa sit differentia à rei diuidendæ substantia desumpta, sed solum à caussæ proximæ differentia. Neque rursus erat diuisio per B subiecta caloris febrilis, siquidem subiectum caloris præter naturam, vt formale febris dicit, cor est, in eoque tantum solida substantia, non humores aut spiritus intra ipsum, aut alicubi contenti. Sed forsan his auditis dubitabit aliquis & merito, *si febris solum est mutatio innati calidi ad igneam naturam (vt reuera est) & hoc innatum calidum (vt dum reuertitur, morbi febrilis rationem præstet) tantum solidis, & viuentibus partibus cordis insit, proculdubio febris nullas per subiecta aut materiam, vt aiunt, caloris præter naturam suscipiet differentias, siquidem & cor, & eius innatum calidum vnius subiecti tantum rationem præstant, continentia: vero contenta & impetum facientia solum caussæ.* Cui C dubitationi respondendũ est mox tacto tertio fundamento sufissime, nam eius enodatio sita est in explicatione mentis nostræ, & in inuestigandis febrium essentialibus differentijs, & à materia, & ab ipsa rei diuidenda substantia desumptis. Interim tamẽ sciendum est, cor licet vnum sit potestatiuum, tamen esse non simpliciter totum vnum essentiale, sed potentiã habet ad suscipiendas differentias aptas febrium species efformandis, *vt paulo inferius monstrabimus*.

Dubium.

Solutio.

III. Sit tertium suppositum, quod tanquam verissimum recipiendum indubitatum est, differentias maxime proprias & essentiales vniuscuiusque accidentis, ac ex consequenti febris, sumendas esse à subiecto seu materia, cui accedit illud accidens, seu præ D dictus calor febrilis. In quo dogmate probabo primo, prædictas differentias esse maxime *substantiales*, postmodum qualis naturæ & differentiæ sunt subiecta hæc in cordis substantia, vt variæ etiam suboriantur febrium species: & primo *an spiritus, humorum, & partium solidarum calor præter naturam, aliquid conferat, ad constitutionem prædictarum febris specierum*. Primum probatur, quia *vt ex Arist. constat. 7. metaph.* quæuis forma duplex habet esse, alterum *Essentiæ*, reliquum vero *Existentiæ* seu inhærentiæ. Sic profectò huiusmodi calor præter naturam, & quodquis aliud accidens duplex habet esse. Essentiæ suæ, qualis qualis ipsa sit, vnum; & existentiæ seu inhærentiæ in subiecto aliud. Et cum accidentium præcipuum esse, & quoad nostram cognitionem potissi E mum sit inesse, iuxta hanc essentiæ rationem, aptitudinem habet calor præter naturam diuisioni aptam: nam ex eo, quod alicui subiecto inhæret, differentias essentiales, iuxta inhærẽtiæ essentiam susceptas. Quippe differentiæ ab inhærentia, à materia desumptæ, nõ solũ reddunt ipsum diuisum, hoc est calorem alteratũ, sed etiam alium, ea differentia, quæ addit supra genus perfectionem & conditionem singularem & specificam: quippe efficit ipsum præter naturam & febrilem, quæ ratio formalis & distinctiua est caloris, vt ex operantibus constat, præterquam quod ex materiæ, cui inhæret; conditionibus (*etiam dum præstat rationem, caussæ, vt cũ est in spiritibus aut humoribus*) calori substantiæ cordis, in quo sita est substantia febris, accedunt conditiones ita efficaces & potentes, vt natæ sint febrium species in longe dissidentes immutare, & ob id Galen. considerans tanquam medicus totam rationem, qua actiones læduntur in febribus,

Febrium differẽtię essent. & maxime propriæ, sumendæ sunt à materia & subiecto, cui accidit febris.

Calor præter nat. duplex habet esse.

bus, febrilem morbosumque calorem prouenire ab esse existentiæ recte iudicat, & neq; diffiniri neq; diuidi commodius & essentialius alio modo posse, quã per subiecta, eò quòd ipsa subiecta informãtur caloribus vario modo immutantibus tactum ac officientibus actiones. Namque licet esse accidentis nõ varietur ex diuersitate subiecti, variatur tamen esse existentiæ, ad cuius varietatem varias essentialesq; subsequi differentias, rationi est consonum. Hæc tamen est differentia inter meam & Galen. sententiam, quod ipse arbitratus est subiecta hæc in febribus esse continentia & contenta, atque impetum facientia (*licet, vt dictum est, hæc solum caloris præter naturam subiecta, quæ caussæ rationem habent, appellare:*) eum hoc tamen censemus calorem in prędictis substantijs inhærentem, non parum præstare ad differentias febrium perficiendas. Nos tamen arbitramur, febriũ differentias, non à prædictis subiectis, sed ab his quæ cordis substantiam complent, petendas fore, vt mox sum probaturus. Sed probatur adhuc apertius prædictum axioma de caloris existentia in subiecto, quia cum ad veram cuiusque febris essentiam prærequiratur calorem esse factum in aliqua ex substantijs, quæ nostrum corpus & cor etiam constituunt, & esse factum calorem, nihil aliud sit, quam quod illa substantia cui inhæret, informetur illo calore præter naturã tanquam noua forma, quæ mutare valet speciem: & cum solum inhærere possit dispositiue vel habitualiter, fit profecto, vt in genere hæc sit prima, & communissima febris diuisio, *vt ex Galen. patet*, qui in factas et fientes primo febres diuisit: Ex quo etiam fit, quod ismet calor ex diuersa hac existendi seu inhærendi in subiecto ratione, qua vtitur in diuersis subiectis, quæ diuerso modo informat, diuersas constituat febrium differentias. Atqui non solum id est verum in diuersa materia, verum & in eadem cum intenditur, ita vt diuersas quoq; pariat febris species, nam si calor adeo augeatur duobus gradibus, ex diuersa inhærendi ratione, ij duo gradus diuersam constituunt morbi speciem, etiamsi in eodem fuerint subiecto. Quibus præmissis manet probatum, veram esse hanc diuisionẽ, quod etiam probatum reperies *libr. 5. diffic. 3.* quo constat differre ex modo, quem contrahit habitus, quantumuis corporeus sit, à dispositione per facilitatem aut difficultatem remotionis à subiecto: quod spectat ad rationem essentialem differentiæ habitus, & dispositionis, *vt constat ex Arist. cap. de qualitate*, vbi statuit, *morbum ob diuturnitatem ex dispositione conuerti in habitum*.

Febrium subiecta quæ.

Dubium. Verùm dicet aliquis, *si ex diuerso inhærendi modo calor febrilis diuiditur in tres species, sequeretur, ephemeram & putridam non differre*: quod patet, *quia in vtraque calor in cordis substantia solum est in habitudine seu dispositione, non in habitu. At in hectica cum in habitu sit, constabit subinde duos tantum esse inhærendi modos, ac ex consequenti duas solum febrium differentias*.

Solutio. Cui dubitationi dicimus, verum esse, calorem altero è duobus modis posse inhærere, vt febrem constituat, & in genere & in prima febris diuisione duas reperiri febrium differentias, in habitu videl. hecticam, & in dispositione ephemeram & putridam, verũ has duas inter se adeo differre, vt necessario sequatur tres fore differentias, nam calor factus qui est in humoribus, est semper dependens à sua caussa, calor vero factus, qui est in spiritibus, independens existit. Quæ sane non est leuis differentiæ ratio, quia ephemera plerumque fit à caussis externis, vel internis, quæ simul & affatim totum suum esse communicãt, & simul in calfacto esse ponunt spiritus, ita vt opus non sit fouente caussa, saltem dum constituitur febris ephemera in genere: secus res se haber de eius speciebus. Et sic rationi videtur consonum, tres esse ex

Febris humoralis & ephemera etsi conueniãt in modo inhærendi subiecto, differunt tamẽ specie.

A materia differentias, quia in his tribus diuersimode inhæret calor præter naturam. Quare quamuis dependere aut non dependere solum importet aliquam relationem in effectu, qua caussam respicit, tamen eo quod dependens nondum assequutum est integrã perfectionem, ac independens iam acquisierit, succrescit ex his modis in vtroque prædicta differentia, vt inter duo indiuidua accidentis eisdem speciei.

Differ. ex materia tres.

Calor pręt. naturam tribus modis consideratur.

Vt exquisita differentiarum omnium febris, constet propria ratio, statuendum est, calorem præter naturam tribus modis considerandum fore. *Primo*, vt est substantia innati calidi versa ad ipsam ignis naturam, in quo sita est omnis febrilis morbi ratio. *Secundo* vt inhæret materiæ, nimirum spiritibus, humoribus, & partibus solidis, in quo quidem sita est B omnium caussarum proximarum febris ratio, diuersitas, & natura. *Tertio* vero & vltimo solum consideratur vt calor præter naturam, in qua differentia, penes modum ipsius, motum, & accidentia contemplari oportet, qua hæc omnia nata sunt ipsum reddere præter naturam.

Differentiarum febris exquisita ratio.

Circa primum, quia statutum est à Galen. & Hippoc. tria esse in calore pręter naturam consideranda, quæ veluti genera quædam quæ in varias postmodũ species dissecantur, haberi debent: nimirum ipsam rei diuidendæ *Substantiam*, *& Inhærentiam caloris præter naturam* in spiritibus, humoribus & partibus solidis: item *Modum* & conditiones caloris ipsius præ C ter naturam: ideo profecto iam se offert disceptatio & modus, quibus constare deinceps arbitror, qua nã ratione substantia caloris præter naturam, (*quem tanquam genus ad essentiales febrium differentias sumimus*) cum videatur species specialissima, per essentiales differentias vlterius diuidi possit. Qua in re expendendum est, febrem nil aliud esse quam innatum cordis calidum, (*& subinde totius corporis*) id nimirum quod partibus viuentibus inest, ad igneam naturam versum. Item diligenter considerare oportet, in ipsa cordis solida substantia, haud secus quam in quauis corporis particula, ipsum calorem innatum triplici constare parte seu substantia, spirituosa, nimirum, humida & solida, vtraque tamen calida, ex quibus in D vnum coagmentatis & vnitis, vnica resultat innati calidi forma. Ac si oppositorum eadem est lex & ratio, constabit profecto, febrem, quæ conuersione fit huius caloris ad igneã naturam, ex tribus etiam illis constituendam necessario fore: nam cum triplex sit calor qui mutari potest ad igneam, triplex profecto succrescet febrilis caloris differentia, ex conuersione cuiusque naturalis vna. Et cum ex ante dictis, ac ex Auerr. decreto constet, *calorem naturalem esse verum subiectum febrilis caloris*, & calores naturales, qui natiuum constituunt, sunt tres: subinde sequitur, emanare ab vnoquoq; tanquam à subiecto, seu rei diuisæ substantia, vnam febris speciem; quo constat, tres necessario subsecuturas febrium differentias, primas E maxime proprias & essentiales. Verùm vt clarior euadat præfata doctrina, considerandum insuper est, in quauis febrium specie necessum esse spirituum, humiditatum, aut crassarum partium calorem alterari, sed maxime eius partis (*earum quæ innatum calorem constituunt*) cuius naturæ febris futura est: sic ephemeram cõstituit febrem calidi innati spirituosa pars in calfacto esse posita: humoralem humidior eiusdem calidi portio: hecticam vero solidior & crassior ita vt constet tres esse primas & generalissimas febrium differentias, ab ipsa rei diuidendæ substantia desumptas. Quippe non sat est, ad constitutionem febrilis morbi in genere, neque ad constitutionem cuiusuis prædictarum specierum, corporis spiritus, aut humores, vel membra solida (*neque adhuc spiritus & humores qui sunt intra cor*) incaluisse, nisi in cordis substantia innatum calidum pari ratione coafficiatur,

Febris quid Calor innatus triplici constat parte seu substãtia.

Vnde Caloris febrilis triplex differentia, triplicẽ constituit febriũ diff.

Ephemera.

Hectica Humoralis vnde.

tur, & in eo potiſſimum ea pars, cuius naturæ futura eſt febris, nimirum, ſpirituoſa in ephemera, & humida in putrida, ac ſolida in hectica: nã ratio, quæ conſtituit calorem præter naturam ineſſe morbi febrilis, ſuccenſio eſt & conuerſio prædictarum partium ad igneam naturam: ſiquidem reliquarũ, in quauis corporis parte ſint, aut humorum vel ſpirituum ſuccenſio ſolum habent rationem cauſſæ, non morbi febrilis. Cum hoc tamen arbitrandum eſt, eam partem ex ijs quæ calidum innatum conſtituunt, ocyus alterari & in calfacto eſſe poni, ac ſubinde febrem iuxta ſui rationem conſtituere, quæ maiorem habet cum cauſſa ipſum cordis calidum alterante, ſympathiã & connexionem. Sic profecto ſpiritibus arteriarum, cauſa tum cordis, aut totius corporis calfactis, aut quauis occaſione ſuccenſis, ſpirituoſa pars calidi innati prócius incaleſcet, vt ephemerã conſtituat, licet reliquæ etiam partes calfiant: ſi vero corporis humores putrido calore polleant, humidam innati calidi partem in calfacto eſſe facilius poni credendum erit: quod de ſolidorum calore pari penſu erit ſubaudiendum. Quibus accedit, vt prædictus morbus febrilis in corde ſuccenſus affectus communis efficiatur, prætequam etiam, calorem actuatum totius corporis immutari & incaleſcere, in eoque potiſſimum eam partem quæ febris naturæ correſpondeat: nam cum ipſe actuatus calor ex innato & ſanguinis ac ſpirituum calore conſtet, rationi conſonum videtur, in eo maxime mutari eam partem quæ ei reſpondet, cuius calor primo mutatur ad præternaturalem. Sic ſpiritibus calfactis in aliqua corporis parte, in hoc etiam calore actuato maxime mutatur ſpirituoſa pars, & ephemera efficitur morbus communis: ac ſic de reliquis corporis partibus pari penſu eſt intelligendum. Quibus ſic intellectis conſtabit profecto, eas neceſſario fore proprias & eſſentiales febrium differentias, quæ à ſubſtantia rei diuiſæ diſſeminantur: prærerquam quòd quælibet ex prædictis differentijs habet hac via diuerſam rationem formalem morbi, ob diuerſos læſionis operationum modos, proficiſcẽtes quidem à diuerſa ratione ſpecifica conſtituta ex diuerſa caloris forma ſeu ſubſtantia, iuxta diuerſitatem partium caloris innati ad igneam conditionem mutati acquiſitam. Argumento euidẽtiſſimo ſunt præhabiti dogmatis febres ephemeræ, hecticis corporibus frequenter ſuccreſcentes: in quibus licet in habitu mutatus appareat vniuerſus membrorum & cordis calor, cum hoc tamen accendente ipſi cordi calore à ſuccenſis denuo ſpiritibus, febris ephemera ſuccreſcit, quæ nouam conſtituit ſpeciem diuerſam ab hectica quæ præexiſtebat: in qua re credendum nõ eſt, amplius mutari illud calidũ, quod omnino ſubuerſum erat in febre hectica, ſed quod potiſſimum eius ſpirituoſa pars mutetur, adeo vt nouam & diuerſam circumſcribat morbi febrilis rationem, & ephemeram conſtituat: quod etiam de complicatione cum putrida ſubaudiendum eſt. Nam cum cor ſit pars hetereogenea, facile poterit in quauis ex componentibus partibus recipi diuerſum accidens, vt quoduis conſtituat diuerſam rationem ſpecificam. Itaque (*vt vltimam huic rei manum imponam*) ſupponendum eſt, quod ſicut vera febris & morbi ratio in calore in habitu aut habitudine in ſubſtantia cordis ſita eſt, ita prorſus differentiæ febrium proficiſcuntur ab eodem: qui cum triplici cõſter ſubſtantia, prædictas tres conſtituit differentias. Quibus ſic intellectis colligitur, ob adductam à me rationem, calorem innatum vno è quatuor modis poſſe fieri præter naturam (*vt antea cœperam docere, & lib. 6. & 7. latine ſum ſcripturus.*) Succeſſione videlicet vt in *ephemeris*, putredine, *vt in humoralibus*, marcore, *vt in hecticis*, ac vltimo omnibus modis ſimul innexis, *vt in peſtilentibus contingit febribus.* Quo ſane euentu, ob id calorem natiuum vrentem fieri,

Calor innatus uno è quatuor fit modis præter naturam.

A dicimus quod ſolum aut potiſſimũ ſpirituoſa noſtri caloris pars ſuccendatur, quæ nullo alio calore corripi poteſt: Sic etiam putredinoſum fieri, quia talis eſt humidæ caloris partis conditio: & pari ratione, cùm craſſior ſolidiorque eius portio exſiccatur & incaleſcit, marceſcit innata caliditas, licet intenſior fiat calore præter naturam: quæ omnia non mediocria ſunt prædictæ doctrinæ argumenta.

Sed arbitrabitur forſan aliquis, *hoc noſtrum inuentum, potius figmentum quam verum dogma exiſtere: nam impoſſibile (aut ſaltem perdifficile) videtur, in vnione & connexione ſeu mixtione illa adeo perfecta innati calidi ex prædictis tribus ſubſtantijs, poſſe magis incale-*
B *ſcere vnam, aut primum & potiſſimum, quàm reliquas, vt ex differentia excalfacta ſubſtantiæ, differentia quoque eſſentialis conſtituens diuerſam febris ſpeciem prodeat: quinimo ex quacunque cauſſa omnes ſimul & pariter debere incaleſcere & incaluiſſe, & ob id quia vnicum tantum ex eis ſuccenſis reſultat ſubiectum, vnica quoque forma calidi præter naturam ſuccreſceret:* quapropter vana omnino videri poteſt noſtra ſententia.

Dubium.

Cui dubitationi vt reſpondere poſſim, quæro, quæ eſt ratio, propter quam intra vaſa, vbi eadem mixtione & forſan maiori & exactiori humores omnes in vnum coeunt, eorum vnus, duo, aut tres ſeorſum putreſcant, reliquis manentibus illæſis, adeo, vt febris quæ ex eius putredine prodit, multis numeris diſtet
C & diſſideat à febre, quæ alio humore putreſcente oriri poteſt. Quod ſane ſi quis dixerit, ſcio facile poſſe venari rationem mei axiomatis, cuius profecto euidentior eſt ratio, quam in humoribus haberi poſſit. Nam humores intra vaſa in calfacto eſſe poſiti, aut ſpiritus quoque intra arterias calfacti, vel membra ſolida, maiorem habẽt connexionem & ſympathiam cum ſubſtantijs, quibus innatum calidum conſtat, vt eorum vitium facilius ſubſtantia ſimilis quam diſſimilis ſuſcipiat, quam cum ipſis humoribus habeant cauſſæ, quæ putredinem inferre poſſunt: quæ ratio mihi ſatis eſt, ad veritatem propoſiti, nam licet vnicum tantum ſit ſubiectum, cum ex varijs conſtet, varijs etiam modis lædi & infirmari poteſt, variaſ-
D que ſubinde morbi ideas conſtituere, omnes tamen febriles.

Solutio.

Dicet inſuper aliquis, *ſi verum eſt prædictum axioma, ſequitur proculdubio in omni febre hectica neceſſario & ſemper adeſſe omnes tres ſpecies ſimul:* & patet, *nam calor factus membrorum citiùs fiet communis ſpirituoſæ ſubſtantiæ innati calidi atque humidæ, quam ſolidiori: ſi igitur ſolida huius calidi pars in calfacto eſſe ponitur, proculdubio reliquas iam incaluiſſe conſtabit, ac ex conſequenti omnes tres ſpecies adeſſe ſimul.*

Dubium.

Cui dubitationi dicendum eſt, quod licet omnes tres calores in quauis febre alterentur, non eſt tamen ſemper neceſſum omnes febrium ſpecies complicari: & patet, quia facile ephemera per intenſiorem ca-
E lorem in putridam aut hecticã commigrare poterit, aut putrida in hecticam. Nec valida eſt ratio ab hectica deſumpta, vt omnes ſimul neceſſario habeat comites, quod poſſint facilius humores & ſpiritus ſuccẽdi, quam ſolidæ partes: tum quia cauſſa, cuare potius vna quam altera ſit, eſt vel apparatus ſubſtantiæ cordis (quippe aliquando promptior exiſtit ſolidior ſubſtantiæ pars) & ex eadẽ cauſſa facilius ſuccreſcet hectica: nonnũquam humores, ac ſæpius ſpiritus, vel caloris cordi accedẽtis conditio, putrida, ſicca, vaporoſa, aut intenſior vel remiſſior: quippe ex his, quædam vni, quædã alteri magis nocet. Tum vltimo ob ſympathiam cauſſæ agentis, vel materiæ in qua calor præter naturam, qui nondum febris eſt, ſuccenditur, quę maiorem cum vna, quam cum alia ex noſtri calidi ſubſtantijs ſimilitudinem habet. Quo fit, vt non indiſtinctè ſequatur qualibet febris ſpecies ex quauis cauſſa, ſeu materia in corpore ſuccenſa, ſed determi-

Solutio.

Febris in ſolida caloris innati parte accenſa, non neceſſario accẽditur in humida & ſpirituoſa, ob maiorem cauſſæ ſympathiam ad partem illam, & ideo ſolum fit hectica.

nata

nata ex determinata & signata caussa. Quare autem dum hectica febris viget nō ponit simul reliquas substātias in calfacto esse, vt constituant reliquas sibi respondentes febris species, discess facile, si expenderis, calorem hecticum summopere esse putredini ethiciēdæ ineptum, quod siccissimus admodum sit, & putredo humectiorem requirat: neque rursus ephemeram conciliabit, quia tanta caloris intensionem ferre spiritus nequeunt, quin prius dissipentur, quam possint in ea intensione durare & poni in calfacto esse. Quo sit, vt solum possint esse in calfieri, aut resolui, vt calor innatus in dies magis ac magis imbecillus ob spirituosæ substantiæ dispendium appareat.

Confirmatio sententiæ auctoris. Confirmat vltimò hanc nostram veritatem euidentissimus rei huius euentus: quippe compertum no bis est, quod licet calor præter naturam in humoribus, spiritibus, aut solidis corporis membris succendatur, nequit tamen ob id febrem conciтare, donec aliqua ex tribus caloris innati componentibus substantijs, calore illo præter naturam, & non vtcumque sed facto corripiatur, ex quo talis pullulabit febris differentia, qualis innati calidi cordis pars potissimum apprehensa fuerit. Sic profecto spirituosa huius calidi innati (*iam præter naturam facti*) pars potissimum in calfacto esse posita, ephemera prodit, quæ ob id trāsactis paucis horis, & cessante spirituum conflagratione, cōfestim nullo relicto vestigio cessat febris, quod spirituosa illa pars in calido innato succēsa, protinus reficiatur, & ocyus attemperetur: Nam si tota calo- C ris substantia pariter & æquali intensione in calescerer, nequiret vtique tam cito in antiquam naturam & integritatem restitui: quod quidem pari ordine de reliquis febribus est subaudiendum. Nam quouis humore putrefacto, calore putredinoso cor ascendente, humidior innati calidi ipsius cordis pars, calfacta magis ob sympathiam fieri, quam ex reliquis aliqua, verum ablata putredine adhuc superest, & durat adeo euidens caloris vestigium, vt & refrigerandi necessitatem inferat. & solidiorem substantiam innato calido incaluisse commonstret, adeo vt ablata caussa, non protinus cesset calor, vt *in ephemera*: argumentum quidem euidentissimum diuersam & humidiorem substantiam incaluisse. Quod sane euidentius D probat solidior huius calidi pars, dum semel incaluit, si quidem difficilius longe refrigescit, quantumuis à nulla caussa foueatur, vt quotidiano euentu in hectica febre experimur.

Subdiuiduntur febrium genera. Qui rectè febres diuisurus est, expendat multorum vsuū gratia (*quibus in medendi methodo opus habemus*) eas diuidere opus esse. Tria enim sese nobis offerunt in cuiusuis febris curatione summopere necessaria ad integram sanitatem reficiendam. *Primum* quidem *morbus* est febrilis, qui cum in caliditate innata versa ad igneum consistat, refrigerari, refici, reparari-que mille modis expostulat, vt præsignant febrium species, quibus ipsa infirmabatur. *Secundum* caussa est, quæ vel calorem præter naturam continet, vel illi E fomentum præstat. *Tertium* vero calor ipse est præter naturam, qui varijs modis affectus ex caussæ, seu subiecti conditione, varias effingit febrium formas, ac euidentiaque innumera consignat, quæ nata sunt febrium species immutare. Sic profecto calor præter naturam, qui horum malorum origo est, tribus modis consideratur: *vno* quidem, vt est substantia innati calidi versa ad igneam naturam, in quo sita est omnis febrilis morbi ratio: *secundo* vt inhæret materiæ, nimirum spiritibus, humoribus, & solidis corporis membris, in quo quidem sita est omnium caussarum febris ratio, diuersitas, & natura: *Tertio* vero & vltimo solum consideratur velut calor præter naturam, in quo modum ipsius contemplati oportet, & in eo motus qualitatem, quantitatem, & conditiones quæ ipsum præter naturam reddunt, & non leues fe-

Febres vt curentur tria sunt necessario consideranda.

Calor præter naturam tribus modis cōsideratur.

A brium differentias consignant. Ex quibus sane veluti ex tribus summis ac vniuersalissimis generibus variæ sequuntur febrium species hac lege distributæ.

Cum substantia rei diuidendæ sit innatum calidū ad igneum versum (*quia in eo sic alterato sita est febris ratio & morbosa conditio*) ob id ab eo, quod genus cōstituit in definitione, velut est hoc calidum innatum ad igneam naturam versum, differentiæ quærendæ sunt, & per easdem in varias species genus dissecandum. Sic etenim dictum est, prædictum calorem, vt triplici constat substantia, quæ diuersimode & seorsum potest extraneari, ita prorsus tres species, easque specialissimas succrescere ab spirituosa huius caloris parte, succensa ephemera, ab humida & oleosa hu- B morali, sicut à solidiori hectica febris prodit. Quæ sane species in alias diuisibiles non sunt, quatenus pertinet ad rationem diuisi in eas, licet ob alias caussas illis succrescant ac... lentia, quæ mille specierum sortes in vnaquaque ex tribus prædictis constituere possint, *vt mox docebo*, si prius dixero, Galen. sententiam, qua docet, eas esse maxime proprias febrium differentias, quæ à materia, in qua succenditur calor, desumuntur, sic debere intelligi, nimirum, dum partes constituentes calorem innatum succenduntur: nam id profecto est materia, & subiectum, cui inhæret prædictus calor febrilis, quatenus morbus est: & idem etiam est quod dixerat Auicen. videlicet, *febrem ramificari à calore natiuo*, & sic iuxta diuersitatem modi, quo inhæret hic calor in calido innato, factam aut sientem appellemus febrem.

Differentiæ febrium à rei diuidendæ substantia desumptæ.

Calor præter naturam, qui caussæ proximæ rationem habet, situs in continentibus continentis, & impetum facientibus, vt Hippocrat. ait, non quidem rationem morbi, sed caussæ solum citra dubitationem obtinens, non leues & paucas, à diuersitate materiæ in qua inhæret, progignit febrium differentias, quinimo tanti sunt momenti, vt veluti accidentia febris naturam & conditionem monstrare, & ad specialissimā speciem contrahere possint, quamuis prædictarum specierum, quas sui ratione indiuiduas esse diximus. Quæ quidem diuiduntur & consignantur non ex propria natura & substantia, sed ex acciden- tali & extranea conditione à materiæ succensæ natura, & varietate prodeunte. Itaque supponendum est, quod sicut vera febrilis morbi ratio ex calore in habitu, aut in habitudine in substantia cordis sita est, ob conuersionem calidi innati ad igneum: & differentiæ essentiales febrium ab eo tanquam à supremo genere prodeant, ita prorsus prædictis speciebus aut differentijs succrescit, à conditione caloris (*qui additur calido innato existenti in substantia cordis*) eleuati & præstiti ab aliqua ex dictis partibus nimirum, ab spiritibus, humoribus, aut solidis particulis in calfacto esse positis, & vicem caussæ agentibus, differentia adeo conspicua & manifesta, quæ nata sit ephemeram verbi gratia, aut humoralem in subalternas & varias species subdiuidere.

Differentiæ à materia, in qua calor præter naturam est desumptæ.

Sic profecto *Ephemera febris*, quæ in ratione primi generis diuisi species est specialissima, ratione caloris, succensi in spiritibus ob varietatem caussæ succedentis, duplex existit, *vna Legitima, & Spuria altera*: hæc autem ob id illegitima seu spuria dicitur, & ab exquisita differt. *primo*, quia ad plures dies prorogatur, exquisita vero vno tantum die finitur: *secundo*, quia exquisita solum habet fieri à caussis externis, aut maiori ex parte, sit spuria à manifestis, *vt Celsus arbitratur*, quæ non raro sunt internæ, licet euidentes: *tertia* quidem, quia legitima est independens, & ob id differt à putridis, & ab ephemeris spurijs, quæ semper sunt dependentes, vel à bubone, vel à cruditate, vel à sanguinis calfactione. Quibus cōsta: ex caussa succensa calorē præter naturā eam contrahere conditionem, quæ nata sit febrilē calorē in varias species dissecare.

Ephemeræ febris species.

Humoralis febris subdiuisio

A

Item *humoralis* appellata *febris*, quę secundū quod cōplet primæ diuisionis membrū, innumera varietate dissecatur: nam quædam *Simpliciter* appellantur *humorales*, quædam vero peculiari nomine *Putridæ* nuncupantur. Humorales quidem sunt, quæ citra humorum putredinem, sola humoris calfactione, aut ichoris, *vt Gal. docet lib. de atra bil. c.* 2. vel cruditatū efferuescentia fiunt, quas ad ephemeras spurias reduximus, vel saltē mediæ existunt naturæ inter ephemeras & putridas. *Num vero humoralis & putrida conuertantur, non satis constat;* nam putrida esse diariam, ostendit sudor Britannicus: quod hectica aliquando putrida sit, ex Gal. colliges 3 *de præs. ex pul. c.* 3. Quod aliqua humoralis non sit putrida, etiam cōstat in synocho citra putredinē. De biliosissimis etiam febribus apud auctores nō minoris eruditionis etiam constat, plerasq; esse citra putredinem, *vt ex Tral. lib.* 12. *colligitur, ac ex Auer. lib.* 3. *c.* 4. *n.º. non et ex Gal. lib.* 10. *meth. c.* 5. qui recensens tertianam ex inflāmata bile, refert, ob id initio accessionis cibū præbuisse, quod si ea putredine ortū duxisset, esset profecto præter omnem rationē. Inquit etiā 1. *pop. par.* 2. tertianam fieri ex bile multa, & febrem ardentem ex inflāmata non multa. Itaq; ob dictas rationes probabile videtur, posse dari febrem humoralē citra humoris putredinem. Ex quibus constat, febres huius census admodū esse varias, eo quod calor præter naturam in humoribus succensus mille conditionibus afficitur, quarū quęlibet vim habet immutandi prædictā febrem, ea mutatione, quæ nata sit peculiarem constituere differentię modum. Quippe humores putridi ex peculiari cuiusq; idea & natura calorem immutare habent, ita vt ea ratione ex febribus in humore succensis, quædam sint *Biliosæ*, vt tertianæ naturam referentes, quædam *Pituitosæ*, quædam *Melancholicæ*, & aliæ *Sanguineæ*. Item *loco*, vbi humores putrescunt, nō leuis febrium differentia succrescit: nam earum quædam sunt *Continuæ*, quædam *Intermittentes*. Illarum verò quædam *Continentes*, quædam *Continuæ nuncupantur*: at intermittentium plures *Tertianæ*, nonnullæ *Quotidianæ*, aliæ *Qartanæ* visuntur. Præterea *ex modo & diuersitate putredinis*, duæ prodeunt febrium differentiæ, vna quæ *Putrida simpliciter* est nuncupata, reliqua vero *Putrida pestilens*, quæ modo putredinis longe à communi putridarū conditione dissidet. Subdiuiduntur etiā febres *ex loco* desumptæ, quia quę continuæ sunt, & intra vasa putrescētes sortiuntur humores, in quatuor diuiduntur species, quarū vna est *Biliosa*, *Pituitosa* alia, & alia insuper *Melancholica*, & vltimo reliqua *Sanguinea*. Præterea ex his, quæ continuæ sunt, quædam in *vasis* fiūt *maioribus*, & appellantur *Continuæ*, cum cognomine humoris qui putrescit: vt modo retulimus. Quædam rursus prodeunt ex humoribus putrescentibus in omnibus vasis, præsertim maioribus, & ijs quæ prope cor existunt, quas *Continentes, seu synochas*, Galen. & fere omnes medici appellant, & ex sanguine, flaua bile, aut salsa pituita tantum fieri autumant. Quas etiam Gal. in tres species diuiserat, videlic. in *Crescentes*, *Decrescentes*, *& eundem tenorem seruantes*: ex quibus etenim quædam sunt *cum putredine*, & nonnullæ *citra ipsam*, quas potius *diarias* plurium dierum dixeris. Dimitto consulto hac in parte plures alias, quæ vel ex ichoribus, aut alijs succis fieri possunt, quia licet materia dissideant, cōtinuitate aut interpolatione communes efficiuntur. Dimitto pariter aliam diuisionem *à loco* etiā desumptam, in qua prima febrilis ardoris origo est, qua febres constituūtur, quædam *Symptomatodes* appellatæ, quędam vero *primigeniæ & primariæ* nuncupatæ. *A duratione* etiā non leues suboriuntur febrium differentię, siquidem aliæ sunt *Diuturnæ*, aliæ *Breues*; quod non solum in tota morbi duratione conijciendum est, sed in accessionibus etiam. Nam quædam sunt *Breuium accessionum*, licet febres ipsæ diu durent, quædam vero *Productarum*: quarum omnium caussas, quia magni sunt momenti ad curationem, sequēti libro sum scripturus. *Ab ordine* quidem magni prodeunt momenti in febribus differentiæ: Nam quędam dicuntur *Erraticæ* seu *vagæ*: aliæ vero *Ordinatæ*. Atque licet error potissimum in accessionibus notetur, (quia videlicet, neque quotidianam, neque tertianam aut quartanam periodum, vel aliud etiam statutum tempus accedēdo aut recedendo, seruent) in cōtinuis etiam nil vetat errorem posse contingere. Nam quod intermittentium in accessione fit, id in continuarum exacerbatione fieri quoq; potest, idq; non solum ex incertis

B

confusisq; humoribus, aut æqualiter vel inæqualiter permiatis, sed etiā ex certa humoris specie, quod variâ natura moueatur, ab externis vel internis occasionibus inconstanter lacessita. *Ab annexis* etiam *symptomatis* non leues oriuntur febrium conditiones, qualis illa est, quæ cum perpetuis sudoribus inuadit, ab Hipp. *mydrodes* appellata, & à Gal. *lib. aduersus Lycum*, ad genus humidarum febrium redacta. Quibus profecto symptomatis plures febrium peculiare sibi nomē acquirunt, veluti est *lipyria febris*, aut *epiala*, & ea quæ *quarto de ratione victus com.* 47. febris dicitur Asodis, quia per eam laborantes grauentur excrucienturque anxij, inquieti adeo, vt nullo recubare loco dici possint. Cui reducitur alia de *causonis*

C

genere, *vt idem Gal. recenset eodem loco*, quam *difficulter tolerabilem* Græca litera denotat. Alia insuper est *taraxodis* appellata, in qua spectris quibusdā visis perterrentur, exiliunt, delirant, & clamant laborantes, ex bile feruente, & vapores multos à se sursum fundente. Insuper alia reperitur, in qua maiorem totius accessionis partem *horroris* symptoma occupat, vel ex materiæ motu, vel ex suppuratione, quæ in ea parte fit, vnde rigor oritur. Reperitur insuper alia, per quam tenuis materia, acris & feruida natiuum corporis succum *eliquat*, igneo calore intus nimis feruente. Item reperitur alia, ex *fuliginibus* per corporis habitum elatis. Aliæ sunt *pallidæ* aut *rubicundæ* appellatæ febres, quæ humorem commonstrant.

D

Differentiæ febriū modo caloris.

Tertium & vltimum genus, quod superest dissecandum in species, eas differentias sortitur, quæ ex modo caloris atque ex eius conditionibus suboriri possunt: Succrescit enim calor, à caussa, quæ ipsum præter naturam efficit, vel à materia in qua subijcitur, & ex mille alijs occasionibus, adeò varia conditio & sors, vt mira varietate differre febres, quas succendit, cogat. Quippe in calore, *vt ex Hipp. 6. pop. p.* 1. *tex.* 26. *constat*, considerari varia possunt, sed duo potissimum (*præter quantitatem & intensionem*) qualitatem videl. & secūdum illam progressionis rationem. Sic enim si *qualitatem* consideres, calorem, & febrē, quā constituit, reperies vel *Mordacem* esse vel *Mitem*: quod illi accidere certum est, vel ratione caussę calo-

E

rē concitātis, vel ratione materiæ, cui subijciatur: Biliosum enim excrementum calorem è se fundit acrē, & mordacem; mulcebrem vero pituitosum: in qua sane caloris conditione, *duplex etiam obseruatur motus*, vt aiunt; *vnus*, qui manet sui similis à principio ad finem; *alter* vero, qui indies mille modis variatur. Sunt enim febres, quæ initio sui non admodum feriunt, mordentque manum; paulò verò post non leuiter ipsam mordent & feriunt: Aliæ vero sunt febres ijs cōtrariæ, per quas initio calor apparet acrior, temporis tamen processu mitescit: quæ quidem differentiæ non leui dissidio inter se disconueniunt. In primo enim genere illæ febres continentur, in quibus pituitosus succus in quacumque parte sit, primum accenditur; deinde vero incendium in alia loca serpit, vbi biliosus humor viget magis; siquidem sanguis non in omnibus partibus sui similis existit, sed hic purior, illic vero impurior, idque varia insuper

unpu-

impuritate: quo fit, vt sensim caloris & mordacitatis increscat sensus. At vbi biliosus humor primo putrescit, mirum non est, si primo accessu mordacior appareat calor; postea vero fumida parte euanescente, & exteratiore facta, confestim cessent morsus, huius naturæ sunt, vel ephemeræ, vel ex sanguine non paucæ. Huic etiam generi reducuntur febres omnes ex *synochorum* sorte, nec non ex *intermittentibus* quædam, quę vel ad finem vsque perseuerant *tertianę*, vel *quotidianæ*, vel *quartanæ*: sicut aliæ, quæ commigrant ab vna in aliam, & eo tempore desinunt, aut iterum reuertuntur ad antiquam naturam. Sic ex continuis pleræque in alias degenerant, sicut alię propriam conditionem vsq; ad integram sanitatem retinent. Alias etiam febrilis caloris conditiones in prædicto contextu annumerat Hippoc. quas ob id consulto prętereo, quia per eas potius nititur idem auctor monstrare, vel naturam succensæ materiæ, vel genus ipsius febris, nimirum, ephemeraœ sit, humoralis, an hectica, quàm peculiarem caloris conditionem: *Ea* enim methodo vsus est Hipp. in adinueniendis febrium, tum generibus, tum speciebus omnibus.

Atque hæc de febrium summis generibus ac speciebus dixisse sit satis. Qui exacte diuidendi hanc à nobis statutam rationem expenderit, proculdubio reperiet vnamquamq; differentiam ad suum genus reductam esse, & eam, quæ vnius est generis, non confundi cum his, quæ alterius generis existunt, ita vt omnes facile prosequatur, & nullius sit immemor: sic quidem processimus, diuidendo primum & summum genus per primas differentias, & eas rursus per alias eisdem proximas, donec tandem deuenimus ad vltimas, quæ nullam amplius admittũt partitionem: sed in indiuiduis consistant.

DE FEBRIVM CAVSSIS

LIBER TERTIVS.

FEbrium caussas exacte, & vt par est, scrutaturo, incumbit solum in his immorari, quæ ad cognitionem & veram curãdi methodum inueniendam, vsui esse possunt, reliquis per transennam, vt ferunt, aut leuiter memoratis. Cuius rei gratia expendere diligẽter oportet, ex caussis huic rei proficuis, quasdam esse *calorem illum generantes* seu efficientes, quasdam eundem *Conseruantes*, alias quidem *Adaugentes*: & plurimas, quæ non leuem inter febres constituunt differentiam, subortam quidem à *Natura*, *Loco*, *Duratione*, *Ordine*, *Constantia*, *Accessionum tempore aut varietate*, *vel ab annexis Symptomatis*. Quarum omnium naturam & vires specialius considerare opus erit, vt facilior cuique subsit dignoscendi, & curandi ratio ac methodus.

Caussæ febrem inducentes aut sunt præteritæ aut præsentes.

Quæ vero febrem, veluti quamuis aliam calidã intemperiem cómittere possunt, in duplici existunt differentia. Quippe ex his quædã sunt, quæ licet iam præterierint, & ante febris aditũ præfuerint, futuræ sunt caloris caussæ, etiãsi in corpore lateant, & occulte ipsi insidientur: quædã etiã adhuc præsentes vigent, & in actũ calfaciendi diriguntur. Quæ in pręterijt caussa, et ex se corpori aliquid pręstitit, quo in febrem casurũ sperandũ sit, insalubris est victus ratio, quæ licet iam diu præcesserit, futurum morbi apparatũ præstitit, & principium dedit futuræ caussæ: Nam caussa futura, proculdubio est corporis vitiatum temperamentũ, & humores putredini obnoxij. Corporis enim morbidus apparatus, *vt Gal. inquit*, 1. *de diff. feb. & Hipp. ac cepit 6. popul.* maiorem huius mali partem sibi vendicat: ita vt constet, parum aut nihil externas caussas, quæ calfaciendi vires habent, posse efficere, citra corporis aptitudinẽ à prædicta futura caussa, siue victus improba ratio sit, siue prædictus corporis apparatus, siue vterque: dummodo consideremus, vim & naturam cuiusque seorsim diuerso modo se habere.

Calorem inducere valentes caussæ quinque.

Præsens autem caussa, vel quę mox prætерijt, & nõ materiã seu apparatum calori excitando præstat, sed ipsum sua natura intendere generareq; habet, quinario num. complexa, frequentius febres & reliquos affectus, qui ad calidũ vergunt concitare 'bẽt, *vt ex Gal. euidenter colligitur, lib. de causs. morb. c. 2. & 1. feb. c. 4.* Huius census quidẽ sunt, *Motus*, *Rerum calidarũ adhęsus*, *Mixtio substãtia calida*, *Prohibitus effluxus naturę consuetus & familiaris*, & vltimo *Putredo*. Quas ad hoc ministeriũ cócurrere facile disces, quia quod calfit, vel intẽditur ex accessu alieni, vel sponte sua, eò quod aliquid internum, vt propriè partes calidæ agunt in frigidas, *vt in prohibito effluxu contingit*: vel calor externus propter impotentiam innati calidi occupat aliquid contẽtum in corpore, *vt in putredine contingit*: vel calor augetur per aduẽtum copiosioris caloris ab intrinseco ad partes, *vt in motu accidere conspicimus*: vel calfit corpus, quia augetur substãtia innati calidi, *vt ex assumpto alimento contingit*. Quod si dixeris vigiliam & inediam corpus etiam calfacere, citra aliquẽ ex prædictis modis, expende id fieri propter mixtionem bilis cum sanguine: Nam vigilia & fames augẽt flauam bilem, præterquam quod inedia calfacit etiã propter actionem caloris interni in membra, sicut vigilia per modum spirituum. Neque obstat, medicamentum pituitam purgans etiam calfacere, quia id reducitur ad mixtionem rei calidæ: siquidem aliquid alio fieri calidius contingit, vel adhæsu calidi, vel priuatione frigidi. Quo fit, vt constet ad has tantum quinque caloris caussas, reliquas fore reducendas. Quorum proculdubio qui ignorauerit rationem & modum operandi, fateatur oportet, se non posse *curandi methodum* adinuenire, neque quid certum in febribus præsagire.

Caussę caloris ab his quinq; distinctæ non sunt fames & vigilia, neque medicam. purgans pituitam.

De caloris vero concitatione ex motu, tam est dubia & varia apud priscos & neotericos oẽs enodatio, vt quantum rei euentus euidẽs, & conspicuus existit, tãtum profecto ipsius modus, & caussæ ratio abdita, & difficilis videatur. Verùm quia duplex est huius dubitationis pars: *vna* quæ rationem euẽtus in animatos inuestigare nititur; *Altera* vero quæ in anima carẽtibus: huius hac in parte nihil scribere studui, vt quæ nihil aut parũ vsui medico prodesse possit. Sat enim est scire, motum inanimatorũ caloris esse caussam, quia est aliquis motus primus eiusdem naturæ, nimirũ localis, qui habet eminenter virtualiter virtutem producendi oẽs qualitates, quæ fiunt a b alijs motibus. Cuius naturæ est *Motus cœli*, non quidem solum ratione motus, sed ratione etiam mobilis: & sic *motus localis* habet virtutem inferendi calorem, non quidem alias qualitates vt cœlum, id præstans ratione mobilis & ratione motus. Quo fit, vt inanimatorum motus non generet frigiditatem vt ipsum, sed tantum calorem: idque solum quia inducit raritatem, quæ immediata est dispositio ad calorem, non quidem ad frigiditatem: atque hæc de re hac dubia, & nostro vsui incommoda sint satis. Motus autẽ, qui in viuentibus corporibus calorem excitat, licet facilior notitia habeatur, vtilior longe est vsus: & ob id modum diligentius inuestigabo. Viuentium igitur corpora adeo ex motu (*siue proprio, siue extrinsecus facto*) incalescere assolent, vt non raro in febrem commigrare visum sit, & frequentissime in spontaneas & intolerabiles lassitudines.

Motus inanimatorum qualiter calorẽ causset.

Motus viuentium qualiter caussa caloris sit, & tandẽ febris.

dines. Quod sane ob id fieri omnibus fere est in confesso, quod moueri innatum calidum ab indita cordis doctrina ad varias partes, ibidemque congregari, pro varia rerum necessitate, euidenti euentu comprobari potest. Quo fit, vt his motibus agitatum, mirum non sit, si corpus plus iusto incalescat: quia motus spiritibus & sanguine per omnia membra vehementius & copiosius quam antea, vbetius singulis partibus sese communicant, & ob id intensius corpus ipsum, & omnes eius partes calfaciunt. In quo quidem opere, primo lassitudo ex vehementia motus succrescit, postea vero si quod ad partes confluxit, plus est, quam ipsae discutere possint, aut compescere, vt lassitudo protinus subsideat, calorque ille immodicus in totum corpus spargitur, tandem ad cor deueniens febrem concitat. Sed viuentium corporum duplex reperitur (*qui hunc calorem concitare possint*) motus differentia, vna corporibus propria, vt *labor, exercitatio intempestiua, frictio, & motus quius*: alia partium corporis actiuus & voluntarius, vel passiuus & ab alio mouente externo: animae vero alia velut *cogitatio vehemens, cura, ira, moeror*: & similes animi affectus, dum vehementes sunt, aut diuturni, aut crebri. Quia cum dictum sit, naturam sui operis gnaram spiritus vbi opus est, vel lento vel celeri gradu coercere, contingit ob id in cogitationibus ad caput tam vberem eorum, ac saepe sanguinis, copiam pellere, vt caput incalescat, refrigereturque ventriculus: in tristitia ad cor, in verecundia ad faciem, in gaudio ad cutem, in inflammationibus ad partem supputandam, ad locum dolentem, vnde tumet pars dolens, in partibus morbo obsessis ad coctionem humorum, ad musculos in motu, ad sensoria, vt in actum exeant, ad ventriculum vltimo, vt coctio promptius fiat. Quo fit, vt constet in motionibus vtriusque partis citatioribus aut vehementioribus, necessario plures partes aut vniuersum corpus incalescere. Caeterum licet euentu quotidiano conspiciamus ex moerore, ex verecundia aut timore, plerosque homines, qui animi sunt deiecti, febricitare, ratio tamen non satis aperta conspicitur: Nam 4. *de caus. pul. cap. 3.* Galen. pulsum tardum tristitiam efficere, quia conspicue nos refrigerat, fatetur: idem etiam de timore, & verecundia profert. Quod etiam probari potest, quia in timore, & moestitia potius spiritus vitales quiescunt, quam moueantur, & ob id potius cor refrigerabunt, quam quod calfacere possint. Verum cum hoc non raro febrem inducere certum est, *vt scribitur 1. de san. tuen. cap. 2.* qua parte Galen. affectus omnes animi, si modum non seruent, reddere corpus biliosum scribit. Praeterea ex praedictis animi affectionibus febrem succrescere certum est, peraccidens tamen, nimirum ob conculcationem spirituum vitalium: & ob motum animalium, eximmodica cogitatione: Nam licet adsit motus introrsum velocior, quam par sit, fieri minime potest febris, quia deest timentibus contentio animae vnientis spiritus, & ideo dissipantur, et subinde corpus refrigescit, *vt ex Gal. 2. de caus. symp t. cap. 5.* aperte colligitur. Quo fit, vt in praedictis animi passionibus solum ex accidenti (*conculcatis nimirum, & veluti obstructis spiritibus*) febris suboriatur, aut calor concitetur. Verum licet hoc sit fere omnium commune dogma, in timore proculdubio arbitror, dum recens & vehemens extitit, febrem per se ab spirituum contrario, & violento motu posse fieri, *vt latius scripsi lib. 2. de caus. puls. tract. 3. de passionibus animae puls.* vt vibratus pulsuum motus ostendit.

Lassitudo ex motu, & ex caussa non discussa febris.

Motus viuentium duplex corporis & animae.

Moeror, verecundia, & timor, quo pacto febrē caussent.

Contactus etiam rei calidae, *vt ignis, solis, causticorum medicamentorum, aut corporis alterius sibrientis*, calorem ac saepe febrem excitare omnibus est compertum: idque, vel ex Vicinia, & Adhaesu, vel per Inspirationem. Ex vicinia quidem scimus duobus modis

Contactus seu calidi adhaesus, qualiter febrē causset.

A id contingere posse: Vno prae calore cute corrugata, vt in combustis partibus videmus. Sic enim quibus cutis calida & rugosa est, ob prohibitum effluxum, febris nō raro concitatur. Altero vero modo fit ob calorem, quem vlua modum corporis substantia suscepit. Quippe hę caussae, & spiritus, & humores, & vniuersam corporis molē, calfacere plus iusto natae sunt: quorum sane caliditas si cor apprehenderit febrem proculdubio excitabit: Verum cum hoc non est arbitrandum, praedictas caussas posse febrem euocare, vtcumque corpus calfaciant, sed necessum esse, spiritus simul omnes calfieri: Nam dum lente & successiue calfiunt, potius resolutionem spirituum, vel tenuis alterius substantiae, ac ob id animi defectum efficiunt,

B quàm *ephemeram* efficere possint. Ob id profecto requiritur simul oēs inflāmari, si febris futura est: quippe Diaria inter febres factas recensetur, quo fit vt oporteat simul omnes spiritus inflāmari, & in humoribus aliquid etiam esse exustū vel putrefactum, aut in partibus solidis exsiccatū, & praeter omnē temperamentū calidum. Sed in his, quae corpus calfacere possunt, edisce oportet, quoddam esse Virtuale calfaciens, vt *Sol*, aliud Potentiale, vt *piper*, itē aliud Actuale; vt *ignis*. Praeterea vel haec proxime corpori adhaerent, vel per aliquod interuallum distant, aut corpus ipsum attingunt, vel in ipsum penetrant, non quidem sicut alimentum, quod in eius naturam mutatur, sed velut res, quae immutata corpus alterat.

Calfaciēs triplex.

C Accidit quoque corporibus plus iusto incalescere *Suppressione calidi effluuij*: Ita enim natura compatatum est, vt ex his, quae in corpore coquuntur, halituosa partim, & partim fuliginosa excernantur excrementa: Hoc igitur effluuium, praesertim acre & vlliginosum, si ex cutis pororum constipatione, vel qua uis alia de caussa prohibeatur libere exspirare, quia calidum est, & conculcatur ac difflari nequit, febres potissimum diarias excitat, vel putridas iuxta halitus conditionem & morbosum humorum & corporis apparatum: cui operi etiam prohibita refrigeratio à constipatione orta nō parum iuuat. Multa sane sunt in huius caussae enodatione scitu digna, & summopere ad veram medendi rationem necessaria: qua propter studii diligentius ea expendere. Primum itaque

Suppressio calidi effluuij qualiter febrē caussset.

D scito, prohibitum effluxum non semper febrem posse concitare, sed cum naturis accidit in salubrius: Nam hi, qui salubriter degunt, ac temperatura & humoribus gaudent inculpatis, potius ex prohibito effluxu plenitudinem concipiunt, quam febrem. Quapropter sic affectos Hipp. *lib. de vict. priuat. 26. & lib. de affect. ad fi.* consulit, cauere a carne & vino, & parcissimum sumere alimentum, quo a multis obstructionis sortibus immunes euadant. Nec omnino arbitrandum est, hos non incalescere febrili calore aliquando: Nam licet, q. in ipsis quondie euaporat, lene sit & naturae familiare; cum hoc tamen, quod remanet, acrius efficitur ob vlteriorem calefa-

E ctionem, quo fit, vt non semper sola quantitas caloris augeatur. Item, non valet aduersus hanc veritatem ratio, qua probatur, perfrigerationem maiorē, & primo, habere vim refrigerandi, quàm cutis densationem, calfaciendi: Nā calor non difflatus, sed vnitus euidentius augetur, nisi id, quod densat & refrigerat, intus quoq; permeet. Verum si citra insignem refrigerationem vapores prohibiti acres fint, proculdubio sequitur intensio caloris ad febrem concitandam idonea; si vero vapores mites sint, solum augetur calidi quantitas. Vtcunque tamen vapores inhibeantur, siue acres fint, siue secus, vbi calor intus adauctus non difflatur, vel succenditur febris (*quod omnimodo prohibitio facta non sit*) vel si diu id duret, paulo post ob suffocationem in frigidum pathos commigrat affectio. Densant vero cutim & natiuum effluxū prohibent, vt *ex 8. meth. c. 2.* aperte colligitur, refrigerantia,

Effluxum prohibitio quando febrem concitet quādo non.

Effluxum natiuum quae prohibeant. Densantia cutem.

Siccitas non omnis dēsat. Constipatio quid. Obstructio quid. Densitas cutis & calidi effluuij suppressio quas habeāt caussas.

tantia, adstringentia, nec non & siccantia, vt frictio dura, & insolatio: Nec credendum est, quamuis siccitatem densare posse, sed eam tantum, quæ immodica est, subitoque & affatim facta, quo senum & febrium hecticarum siccitatem excludamus. Verum vt densitatis natura constet, considerare oportet, Obstructionem commune nomen esse ad constipationem, & obstructionem peculiari nomine sic appellatam. Nam stipatio seu constipatio, vel angustia meatuum tunc dicitur, cum solum pori angustiores redduntur, inter sese contractis & compressis foraminulis: Obstructio vero vel *infarctio* significat plenitudinem pori ab aliquo infarciente, vel replente eius cauitatem. Sed quia hac in parte solum de cutis densitate tractatio locum habet (*nam paulò inferius de obstructione longior erit disceptatio*) expendere oportet, ex varijs Galeni locis varias quoque colligi posse caussas, quæ cutim stipare possint. Tertio enim *de sanit. tuen.* quia solum inquirit caussas angustiæ pororum, duas tantum numerat; conniuentiam nimirum, & densitatem forsan ex repletione factam: ex *9. method.* tertia alia colligitur, quia eo loco prohibitæ ventilationis caussas venari studebat, & ob id addit, adstrictionem carnium inter medios poros: At 1. *de loc.* quia amplioris meatus caussas inquirebat, obstructionem addidit: sed veræ densitatis potiores, & priores sunt primæ caussæ, etiamsi quæ adducitur *9. method.* id malum quoque non raro moliatur. Quæ sane caussæ si aliquando corporis accesserint, dubium non est, quin febrem excitare possint, maxime si acribus excrementis corpus scateat: Corpora enim, quæ his abundant, proculdubio sunt, quæ à natura *cacochyma* existunt, & prauam temperiem sortiuntur: & ea etiam, quæ prauis vtuntur edulijs, ac insuper, quæ crebras patiuntur cruditates. Inter quæ ea maxime febribus corripiuntur ob prædictam cutis densitatem, quæ natura biliosa existunt, & prauis vtentia edulijs, nidorosas cruditates frequenter patiuntur.

Dubium. Suppressio calidi effluuij à frigore hyberno cur ventrem reddat calidiorē, ex alia vero caussa leuissima febrem concitet.

Sed superest adhuc, ex his quæ de prohibito effluxu dicta sunt, dubitandi occasio, nimirum, *qui fieri possit, quod hyeme ob eiusdem effluxus prohibitionem, ventres, vt inquit Hippocrat. (nulla salubris aut biliosi facta distinctione) calido naturali fiant calidiores, & ex quauis alia eius prohibitione febris succendatur: Nam & leuissimi frigoris contactu, vel si quis in pratis dormiat, vel aqua frigida immergatur, protinus febricitabit; hyberno vero tempore vehementissima adhuc existente aeris frigitate, non solum non febricitat homo, verum copiosior ipsi succrescit innatus calor.*

Solutio.

Ratio profecto huius rei triplex reperitur; *Prima* quidem, quia licet in vtraq; occasione fiat retrocessus caloris ad intima; ea tamen, quæ affatim & subito fit, aptior est ad febrem efficiendam, quam ea, quæ lente & paulatim, qualis ea est, quæ hyberno tempore fit, quia non statim ab æstiuo calore ingruit, sed medio autumno & sensim. At in reliquis caussis subitus fit prædictus retrocessus, & ob id spiritus succenduntur, vel humores pro defectu ventilationis putrescunt. *Secundò* etiam fit, quia hyberno tempore, & in caussa quæ lente operatur, non omnino constipantur pori, sed eorum id manet apertum, quod transpirationi est satis: qui sane pori non sunt adeo patuli, quod caloris natiui simul cum fuliginibus plurimum spirent, sed quam paucissimum, vt calor vegetior, ob retentionem eius, quod secundum naturam est, efficiatur, vt vere & hyeme contingit. At in cutis densitate ob externam caussam, & naturale & præter naturam prohibetur effluuium, quod subito & magna fiat pororum condensatio. *Tertiò* vero hyeme calorem naturalem crescere, ob id sane arbitramur, quia ab intrinseco fit maius augmentum caloris & humidi, ob copiosiora alimenta, quibus homines eo tempore vtuntur.

Permixtio rei calidæ quomodo febrē caussēt.

Calidi augmentum quot modis fiat.

Permixtio insuper calidæ substantiæ, vt *alimentorū salsuginem referentium*, item *amarorum*, aut *calidorum* id maxime efficit: huius etiam naturæ sunt *aromata, medicamenta purgantia*, aut *deleteria*. Fit autem calidi augmentum ex admixtione rei calidæ duobus modis: *Vno* quidem, *vt antea dictum* est, quod crescat ab assumpto alimento substantia innati calidi, quod rarissime in febres commigrat. *Alio* verò cum solum ipsius innati calidi augetur caliditas, manente eadem substantia, vel si ipsa quoque augeatur, & vitiosa admodum sit, qualis ex cacochymis edulijs sue crescere solet. Vtroque enim modo intendi caliditatem conspicimus ea intensione, & adeo aliena conditione, vt plerumque in febres degeneret. Quod sane fieri credendum est, dum rei calidæ substantia nostri corporis spiritus, humores, vel solida, ita euertit, vt mutata ad calidius innata temperie actiones euertat ac vitiet; & prout caussæ maior fuerit vis, in subuertendo spiritus, humores, aut solida membra, hæc vel illa febris sortitur species.

Putrefactio quomodo febrē caussēt.

Putrefactio vero, quæ calore externo viget, calorem etiam & frequentius febrilem efficere habet: Nam cum putredo sit propriæ caliditatis ab aliena corruptio, cuius materia est humiditas & caussa efficiens calor præter naturam, fit profecto, vt omnia putrescentia adscititio calore calidiora euadant, & naturalis frigidiora. Ex quibus autem humores putrescant, inferius leges fusius. Nunc vero sat est nosse, in corpore posse putrefieri, & febrem concitare humores, vermes aut membrum aliquod, cuiusuis naturæ sit. Quæ sane caussarum genera, prout corpus offendunt, susceptioni caloris paratum (*quamuis certum sit, ea omnia nata esse calorem solum inferre*) ita ipsum generare habent, vel natiuum adaugere, aut præter naturam efficere, vel febrilem committere, vt vehementia est caussæ: Nam licet ipsæ per se natæ sint calorem concitare, hunc tamen vel illum, aut si febrilem concitant, febrem *ephemeram* facere, humoralem aut hecticam non ex natura propria habent, sed vel ex passuri corporis apparatu, vel vehementia caussæ, quæ calorem concitare nata est.

Quare nunc hāc febrē excitet.

Caussę febrem conseruātes.

Ex caussis febrem conseruantibus potissima quidem *Obstructio* est, quæ prohibitam difflationem adeo tuetur, vt & putredinem & calorem ab ea ortum semper seruet, & tueatur. Cui plerumque accedit *Succorum copia* vel *crassities, Virium imbecillitas*, quæ coctionem retardat, & *Inordinata* aut *praua victus & vitæ ratio*, quæ consimilem materię copiam suppeditat. Quippe hæc omnia, aut horum singula calorem tuentur, quia aut materiā augent, aut superari et concoqui prohibent, quo putredo indies magis inualescit, & subinde calor constanter durat, donec prædictæ caussæ, vel sponte, vel arte delitescant.

Caussa febrem augentes.

Tertium caussæ genus febrem iam genitam summopere adauget, & vitiat adhuc amplius eius calorem. Cuius naturæ sunt, quæ ipsum calorem tueri vires habent, *vt nuper adduximus*, dummodo adauctiores sint, vt non solum conseruent, verum & intendāt calorem. Item symptomata, quæ laborantibus succrescunt, vt *sitis, vigilia, frigidorum humorum intempestiua vacuatio*, aut *calidorum importuna detentio*, & id genus alia, quæ caloris vim & efficaciam intendere sunt nata, tum quia malignius reddunt subiectum caloris, tum vero, quia intensior efficitur ob similis excessum.

Caussę differentias in febrib⁹ constituētes varię.

Ad caussas igitur constituentes aliquam differentiæ rationem in febribus accedendo, coniectandum primo est, eas proculdubio esse multis modis varias, iuxta varietatem rei, quæ differentiam aliquam constituere nata est. Verùm si quis rem hanc diligentius pensitet, reperiet facile nil æque posse differentiā constituere ac *materiales* caussas, quas sic clarioris

Spiritus qualis naturæ sint, qui ephemerã constituunt.

doctrinæ gratia appellare placuit, licet potius subiecta caloris præter naturam, quam materiales eius caussas existimare eas oporteat. Quibus habitis, quia, *vt antea dictum est*, hæc materia triplicis est naturæ & conditionis, ob id cogimur, de cuiusque natura nonnihil docere. De *Spiritibus* igitur primo nouisse oportet, qualis naturæ sint, qui ephemeram constituunt: In qua re asserendum iudico, eos solum ipsam efficere, qui vitales existunt: Nam licet animales & reliqui *(si qui sunt)* velut sanguinis vapor, calfieri & succendi aliquo modo possint; ephemeræ tamen febris rationem solum vitales constituunt: Nam etsi ephemera febris aliquando incipiat à sanguinis vapore, sumpto initio ab inedia, sacietate ebrietateque; mox tamen in spiritus vitales commigrat calor. Aliquandò etiam ephemera incipit à vitalis spiritus succensione, vt in *ira, mærore*, & plerisque animi passionibus contingit. Alias autem ab animali incipit spiritu: exemplo sunt, *vigilia, cura*, & *cogitatio vehemens*, sed mox calor vitales irruit spiritus, quibus succensis, vera febris ephemera concitatur, quia differentia spirituum non cõstituit eam febris differentiam, quam humores, quæ essentialiter inter se differunt per formas de genere substantiæ: quod spiritibus non accidit, quia solum accidente aliquo differunt, licet nos, vt medici differentiam inter ipsos constituamus, ratione facultatum, quibus inseruiunt. De quibus sane spiritibus dubitare insuper oportebit, an putridi possint febrem diariam putridam excitare. Ego quidem in hac re existimo, licet spiritus possint (*vt cuncta alia præter ignem*) putrefieri, (*quod raro contingere scimus*) nihilominus tamen non possunt adeo in putrescendo persistere ac durare, vt febrem gignant, quin prius eorum substãtia dissipetur & euanescat, quam eorum putridus calor cor attingat, ac febrem putridam excitet. Ad huiusmodi enim febris conditionem seu differentiam reduci possunt flatus, dum inflammantur, humorum vapor, sed impurior, & crassior, turbidiorque siue à materia quauis calfacta in nobis prodeant, siue ab externo flatu fœtido, aut nimis calido, vel ab alimento flatulento; siue prædictus vapor quietus sit, siue motus per cauitates, vt *cerebri, cordis pulmonis, ventriculi, intestinorum, vesicæ, vteri, venarum, & arteriarum, aut partium similarium*, vt *neruorum & carnis*. Argumento est huic doctrinæ ephemera superueniens colicis doloribus, aut cruditatibus, quæ protinus dolorem soluit. Quibus sane flatibus non difflatis, sed diu in parte calida coercitis quandoque calor excrescit; quandoque vero putredo aduenit, quam graueolentia declarat: quo tempore, cum cito euanescant, potius ephemeram, quam putridam concitare habent, licet in prædictis substantijs putridam aliquando succendi, mirum non est, quod spiritibus accidere nequit. His de caussis contingit, quasdam ephemerarum esse *Legitimas*, quasdam *Spurias*, vt antea abunde docuimus.

Spiritus putridi an possint diariam putridã excitare.

Ad *humores* igitur, qui putridarum existunt caussa, accedendo, tria in ipsis consideranda sese offerũt, vt caussas differentiarum humoralium febrium consequi ad vnguem possimus. Primum, *humorum differentia*. Secundum, *putredinis locus seu minera, vt aiunt*: Tertium vero & vltimum, *cuiusque propria ac peculiaris conditio & natura*.

Humorũ tres differentiæ.

Naturales.

Circa primum (*siquidem humorum molem & copiam caussam materialem licet abusiue, diximus esse febrium putridarum*) expendendum est, tres reperiri in nostris corporibus humorum differentias, quas omni putridarum febrium generi materiam suppeditare pro comperto habemus. *Prima* quidem humorum classis eorum est, quos in venis residere scimus, *naturales humores* à Medicis & Philosophis appellatos. *Secunda* humores continet, qui licet naturaliter corpori insint, & ex quotidiano alimento generatio-

A nem sortiantur, & locum sibi vendicent peculiarem (*quod natura eis ad aliquod ministerium vtatur*) nihilominus tamen eos, quod alimoniam corpori non præstent vt reliqui, *non naturales*, libet appellare. His enim naturam receptacula quædam præstitisse, ex anatome & corporis notitia euidenter constat: quippe *flauæ bili cystim fellis*, *terrestri & melancholico succo splenem*, *pituitoso quidem recremento ventriculum*, *& plerasque corporis cauitates* donasse conspicimus. *Tertia verò & vltima* eorum est recrementorum quæ peculiari nomine humores *præternaturales* nuncupamus: Hos enim posse vagari per vniuersum corpus, vt symptomata & affectus monstrant, B nulli esse dubium censeo: sicut eos generationem sortiri à caussis præter naturam in alimentorum officinis aut intra venas ipsas, ac non raro in carne & partibus etiam solidis.

Non naturales.

Præternaturales.

Naturales igitur humores, quatuor numero existere, omnibus est in confesso, *Sanguinem* nimirum, *Vtramque bilem* & *Pituitam*. Quibus omnibus ea proculdubio natura est, quod extra venas facilime concrescant, & in vnum coeant omnes, vt sanguine misso cuiuis patere arbitror: qua quidem conditione ab his, quos non naturales & præter naturam esse diximus, differre indubitatum existit. Hos sic iunctos Medici *massam sanguineam* appellant, constantem quidem ex heterogenea illa substantia quam C nuper diximus.

Humores naturales quatuor.

Sic profecto non naturales humores quatuor quoque existere censemus, *Crudum* nimirum *succum, bilem atram, & flauam*, & quarto loco *sanguinis ichores*, quos scimus non raro febribus materiam præstare. Cognosces quidem hos esse non naturales succos, quia alere nequaquam possunt, quo fit, vt eos natura separauerit à consortio sanguinis & aliorum humorum, vt qui neque substantia, neque qualitate prodesse huic vsui possint. Quapropter sedes illis & receptacula peculiaria fabrefecit natura, in quibus, quod eorum certis vsibus necessarium erat, ad vsus indigentiam seruaretur. Sanguinis vero ichoribus nullum præstitit locum, sed vagari eorum cum sanguine ipso per D misit, deductionem sanguinis & aliorum humorum ad minima quæque corporis præstantes. Quinimo quia *sanguinis massam* vberrimam instituit natura, & ob id huius ichoris copiã vberem quoq; necessum erat præstare, emulgentes, renes, vreteres, & vesicam fabrefecit, partes quidem purgationi & receptioni huius succi idoneas. Quibus enim constat à sanguine hos succos differre *loco & natura*? Nam sanguini & eius partibus venas solum naturam tribuisse constat; prædictis vero succis loca nuper dicta. Differunt præterea, quia massa sãguinaria vtcunq; excernatur, habet hoc proprium & peculiare, vt semper concrescat, at non naturales succos concrescere nunquam visum est, neque in vomitibus, neque in alui subdu-E ctione: licet aliquando venas regurgitare succos, qui non concrescunt, eosq; vomitu aut alui fluxu excerni, comperiamus. Quod censeo fieri, quia aut prædicti succi facti sunt præter naturam in venis ipsis, aut ad venas aliunde confluxerunt.

Humores non naturales quatuor.

Quid differant à sanguine.

Tertia & vltima humorum sors est eorum, quos *præter naturam* nuncupamus, neq; propriam sedem, neq; receptaculum obtinentes. Fiunt tamen præter naturã & generationem sortiuntur in vna ex tribus partibus. Nam aut conficiuntur in officinis alimentorum, veluti in *Ventriculo* aut *Iecore, vel illis Subseruientibus membris*, quem admodum fertur de ea *porracea bile*, quam frequẽtius in ventriculo generari: aut fiunt in omni venoso genere, cuius census sunt *vitellina bilis, æruginosa, & atra*, quas intra venas ex vstione generari certũ est. Vltimo vero humores generantur præter naturam, quemadmodum biliosa, pituitosa, aut melancholica recrementa in partibus carnosis &

Humores præternaturales in quib᷒ partibus conficiantur.

sis & solidis, haud rarò generari contingit: vt in plerisque febribus ex intermittentium genere fieri conspicimus. Quarum sane humorem aut materiam ex distem perata carnis aut solidarum partium natura fieri certum est, *vt suo loco latius sum probaturus*. Hæ igitur in vniuersum sunt materiæ omnes, in quibus febres omnes, quas *humorales* appellant, succenduntur, quas qui exactè calluerit, certum est, posse curationem longe melius instituere, & omnium differentias ad vnguem distinguere & cognoscere.

Plenitudo & Cacochymia vnde.

Ex his enim humorum sortibus, naturis, & conditionibus, prodeunt illa duo tantopere ad febres putri das concitandas necessaria, nimirum Plenitudo & Cacochymia: ex quibus non solum febres, verum & pleraque alia mala passim succrescunt. Est igitur plenitudo, *vt alibi latius expositimus*, omnium humorũ (*quos naturales appellamus*) ex æquo redundantia, vel solius sanguinis. Cuius sane duplex est natura: Altera est à Medicis plenitudo absolute talis appellata, cũ, *vt dictum est*, omnes humores, aut solus sanguis abũdat. Altera vero cum addito, nimirum cum sanguis abundat, et cum eo bilis vel pituita, vel melancholia, & tunc appellatur *plenitudo biliosa*, *aut pituitosa*, *vel melancholica*. Aliam rursus plenitudinis differẽtiam conspicimus, quam diuidimus in Vniuersalem & Particularem, quarum vna in toto viget ambitu, maxime quæ in vasis maioribus prope dorsum & iecur: altera vero alicui parti affixa, quæ tumorem aliquem concitat, vt *in pleuritide* (exempli gratia) *contingit, angina, & similibus*. Item tertia adhuc superest differentia, qua diuiditur plenitudo in *Plenitudinem ad vasa*, & in eam, *Quæ ad vires* refertur, siquidem plenitudinis ratio non consistit in sola multitudine, nisi facta ad aliud collatione, aut in relatione, vt aiunt: Potest enim in nostro corpore plenitudo conferri, aut ad vasa quæ replentur, aut ad vires corporis, quibus incumbit humorum pondus aut praeferre, aut conficere, aut proprio calore & spiritu foueri. Nam vero, quæ ad vasa refertur, duplex etiam est: Nam aut vasa habent plus sanguinis quam par est, aut plenitudo hæc adeo est aucta, vt periculum sit, ne vasa rumpantur. Sic ea, qua ad vires dicitur, nunc refertur ad naturales, aliquando ad animales, & non raro ad vitales. *Cacochymia* autem duplicem sortitur differentiam, vnam à diuersa substantia, quæ corpus vitiat & conspurcat, & sic vna reperitur *biliosa*, *pituitosa* altera, alia *melancholica*, quarta *serosa*, quibus haud immerito addi potest, ex sanguine nimirum adeo putrescente, vt iure optimo *corruptionis* nomen potius quã cacochymiæ meruerit apud Galen. *lib.* 2. *aphoris.* 17. licet corruptionis vocabulo pro cacochymia vsus fuerit, *libr. quos & quando*. Fiunt autem prædicti humores cacochymi duobus modis. *Vno*, dũ propriam naturam mutant. *Alio* vero, dum solum alterantur facti calidiores, frigidiores, humectiores, ficciores, tenuiores, crassiores, aut viscidiores, quam pro corpons vsu par erat. Secunda cacochymiæ species denominationem sumit à loco, in quo aliquis ex prædictis succis abundat: Nam vel abundat in toto corpore intra vasa, & suscipit nomen affectus quem generat, velut *Ictterum*, aut malum corporis habitum. Coniectandum insuper est, cacochymiam non suscipere differẽtiam à vasis, aut viribus ut plethora, quia cum constet ex praua constitutione & natura, per se & citra relationem ad aliud est præter naturam: plenitudo vero cum ex laudabili fiat substantia, mala tantum censetur, si ad aliud conferatur. In qua re sciendum est, plenitudinem ad vasa, & ad vires, non semper coniungi cum cacochymia, quia in illa omnium est humorum vbertas, in cacochymia vbera sat est vnius: nec rursus, vbi est cacochymia, erit necessario plenitudo ad vires, vt coctiones humorum & morborum indicationes passim ostendunt. Hæ pro-

Plenitudo quid.

Plenitudinis differẽtiæ tres.

I.

II.

III.

Plenitudo ad vasa.

Plenitudo ad vires.

Cacochymia duplex.

I. *Humores quot modis fiant cacochymi.*

II.

Cacochymia non suscipit diff. à vasis aut viribus: neque sẽper iuncta est plenitudini ad vires, vt nec e conuerso.

A fecto sunt humorum sortes & dispositiones, quæ febribus perpetuo materiam suppeditant, quorum ma gni est ad curationem momenti, notitia, & prouidentia.

que hæc Cacochymia.

Ad aliud igitur (*quod de loco vbi humores vitiantur, diximus*) accedendo, meminisse oportebit, dictũ ante esse, maximam inde febres suscipere differentiam: Nam ex loco prodit febres vel Continuas vel Interpolatas esse, In qua quidem re (*anteq́uam caussas huius diuersitatis expendam*) tanquam verum & firmum statuẽdum est, nomine febrium continuatum duo febrium genera conueniri: vnum quod febres appellatas *continentes* complectitur, quas *continuas vnius accessionis* medici appellãt, alterum vero, quod B alias continuas sortitur, quas *plurium accessionum continuas* nuncuparunt. *Primum* sane recte sic dictum arbitror, quia quę continentes sunt febres, vel ea accessione à principio ad finem tendunt, semper nimirum decrescentes, vel semper increscentes, aut à principio ad finem vniformitatem seruantes. *Secundum* autem, quia febris continua nunquam ad infebricitationem peruenit, plures tamen habet accessiones, iuxta naturam humoris, qui putrescit, factas: quo fit, vt tres tantum sint, quemadmodum & continentes: Quædam quę tertio quoque die exacerbationem habent, licet nusquam intermittant, ex bile proficiscentes: Quædam singulis diebus, & Aliæ quarto quo C que die. Sed vt prædictarum differentiarum caussa elucescat magis, aduertendum primo est, *quonam modo & loco prædicti humores putrescant*.

Continuarum nomine duo febrium genera continentur.

Continuarum tres species.

Necessum itaque constat esse ad cuiusuis harum febrium generationem, humores vel crescere, vel vitiari: si vero sanguis, prout aggregatum dicit omniũ humorum, ex æquo adaugeatur, id procul dubio genus febrium efficit, quod propne & peculiariter *continentes* febres complectitur. Verùm dum solus sanguis, prout est quartus humor, naturalem commoderationem, & quantitatem excedit, febrem quoque continentem succendit, ceterum eam, quam Galen. & medici omnes *continentem citra putredinem* nuncuparunt. Hoc quidem fit, quia facile est conijcere, prędictum humorem citra putrefactionem posse cal-D fieri: Verùm vniuersa sanguinis massa, non capit intellectus, qua via possit adeo crescere, quin ex prohibita ventilatione, protinus putrescat, & synochum dictam eum putredine excitet, vt Galenus aperte docuerat. 9. *method.* dicens: *Quod si quæ ex solo sanguine calfacto fit (hanc ephemeram quoque plurium dierum appellamus) vltra tres aut quatuor dies durct, putrida protinus efficitur, nedum cum vniuersa sanguinis massa incalescit*. Quod si simul cum sanguine adaucto, ex reliquis humoribus aliquis etiam adaugeatur, non quidem continentem simpliciter efficiet, sed cum addito, *pituitosam* nimirum, *biliosam* aut *melancholiam*. Itaque constat, vt sunt tres possimæ plenitudinis sortes, sic prorsus tres esse conti-E nentium febrium species: *Vnam* ex solo sanguine crescente, *Aliam* ex omnibus humoribus, & *Tertiam* ex eisdem, sed vno reliquos superante. Cum hoc tamen in quo consistat vniuersa continuatum, & continentium differentia nondum dictum est. Nam licet Medicorum vulgus existimet, ex sanguine solo, vel crescentibus simul omnibus contirentes fieri, non ob id credendum est, hac sola ratione differre à continuis, in quibus nisi complicatæ sint, vnicus tantum putrescit humor, sed ex locis etiam, vbi humores vigent & putrescunt. Nam quemadmodum ex Galen. *lib.* 2. *de differ. febr. & lib.* 2. *de crisibus* euidenter constat, febres continentes fiunt, cum humores putredinem sortiuntur in vasis maioribus & prope cor, qua etiam libri parte continuas refert fieri in vasis minoribus, & à corde dissitis. Ratio quidem primi dogmatis est, quia cum humo-

I. *Continens citra putredinem fieri nequit ex vniuersa sanguinis massa accensa, sed ex solo sanguine.*

II. *Continentium febriũ tres species.*

Continuæ & continentesquid differant.

res putrescunt in vasis maioribus, & in locis abditis corporis, non fit quotidiana resolutio eius quod quotidie putrescit, quod vasa ad illa sint distantissima à corporis & cutis spiramentis: sic enim factum est, vt quiuis humor ibidem putrescens vnam seruet accessionis rationem à principio ad finem. At vero in continuis febribus, quia putredo est in vasis exilibus, & prope cutis spiracula, mediocris fit singulis diebus resolutio, non tamen integra, siquidem adhuc intra vasa manent humores putrescentes. Quibus rationibus accedit alia differentiæ caussa inter has febres: nimirum in continentibus omnes humores simul putrefieri, ex quo prodit, vnicam fieri accessionem: in continuis vero nõ fit, sed contingit plerumque per partes fieri alterationem aut putredinem (*natura ad minora vasa sic humores transmittente*) facta tamen partium continuitate: quo fit, vt varia habeãt incrementa & varias accessiones. Existit insuper alia differentiæ ratio & caussa, videl. quod febres continentes plerumque fieri habeant ex humoribus naturalibus, & his, qui maiori ex parte copia potius, quam vitio aliquo in febrem commigrant: At continuę altero è duobus modis succenduntur: vno quidem ex humoribus naturalibus, sicut continentes, licet loco putredinis dissideant, cuius tantum tres sunt species, *biliosa, pituitosa* & *melancholica*, ex sanguine namque nequit febris continua fieri, licet continens fiat, quia impotens est ex propria natura plures accessiones efficere, nisi in alios humores media putredine commigret: alio vero modo fiunt ex humoribus non naturalibus, aut in ipsis venis perperam genitis, vel aliunde in eas irruentibus: qui tamen ex his humoribus intra venas fiunt, potius dixeris pręter naturã, argumento sunt vehemẽtissimæ & grauissimæ febres, quæ ab eis cõcitãtur, licet grauiores sint, quæ ꝓpe cor ex præternaturalibus & vstione media generantur.

Continua ex sanguine fieri nequit, sed continẽs.

Dubium.

Sed dubitabit in hac re quispiam, *nullam febrem posse esse continuam, sed omnes debere esse continentes; siquidem licet vnus tantum humor putrescat, reliquos in consensum trahere, & in putredinem certum est; nam cum huiusmodi humores intra vasa impermixti non reperiantur, sed omnes ad inuicem mixti, vt sãguinem vtcunque fluentem intueri licet, ob id quidem perdifficile videtur vnum putrefieri posse, quin reliquos quoque putrescere necessum sit.* Cuius dubij occasione expendendum est, hanc esse inter continentem & continuam febrem differentiam, quod in continente (*non solum in ea, quæ ex æquali plenitudine proficiscitur, verum & in continente, quæ fit flaua bile cum sanguine in vasis maioribus plurimum crescente, aut pituita vel melancholia: nam ex his omnibus continentes fieri non dubitat Galen. 2. de diff. febr. & 2. de cris. & præcip. 4. acut. 13.*) humores omnes ex æquo putrescunt, licet vnus, *vt dictum est*, exsuperet, primo ac magis putrescat: at in continua febre humor ille qui exsuperat ceteros, siue naturalis sit, siue ex non naturalibus ad vasa transmissus, aut ex præternaturalibus per adustionem aut cruditatem ibidem genitus, vtcumque sit, solus putrescit, & solus efficit exacerbationem: & cum ex toto non resoluatur, ad insebricitationem laborans non deuenit, quia radicitus non euanescit, humor, qui putrescit, sed tantum eius resoluitur, quantum par est ad remissionem, quam febres continuæ efficiunt. Itaque hæc est differentia, quòd reliqui humores ab eo, quod putrescit, in continua incalescũt; in continente vero putrescunt omnes. Cur vero *in continua incalescant, & in continente putrescant*, non est inuentu facile. Rei tamen ratio est, quia in continente omnes putrescunt, quòd omnes creuerint, & quòd omnes pariter perspiratione priuentur, quantũ sat sit, vt in putredinem commigrent, locus putredinis reconditus est, & beneficio ventilationis destitutus. At in continuis ille signatim putrescet, cui magis

Solutio. Continua febris à continente cum putredine differt.

A deest ventilatio, & illi profecto deerit, qui magis creuerit, reliquis vero illæsis, aut saltem calescentibus; tum quia perspiratione non destituantur, quòd extima pars, per quam fit, prope sit; tum vero quia concreuerunt, & sic minus damni suscipiunt ex minori ventilatione. Quod verò id certum sit, constat ex tumoribus præter naturam, in quibus licet omnes humores reperiantur, vnus tamen est, quod putredinem sortitur, & ratione aliorum materia facile ad benignũ reducitur, alioqui in gangrę nam aut omnimodã corruptionem degenerarent omnes, non quidem in pus. Quod sane euidenti experimẽto cõfirmat typus, quẽ ille humor à principio ad finẽ perpetuo seruat, nisi febris in aliã speciem diuersam cõmigrauerit. Quod B etiã confirmat expurgantium medicamentorũ vsus; nam si quis pituitã expurget in causone, aut flauã bilem in continua pituitosa, nõ solum à morbo nihil adimet, verum potius effrænem & intensiorẽ, ac sanas carnes forsan colliquabit, eo quòd naturã non habeamus ad euacuationem inculpati humoris adminiculantem: quo fit, vt nihil aut parũ laborantes expurgent, & cũ grauissimis accidentibus. Probat insuper dictã veritatem alia non minoris momenti ratio, desumpta quidem ex quotidiano euentu: cõspicimus n. frequentissime febrẽ biliosam, si diu duret, ipsa euanescente remanere pituitosam ab eadem succensam: aut, si placet, malancholicam: qui sane humores, interim dũ putresceret flaua bilis, immunes erant à putredine, C temporis tamen tractu, & resoluta flaua bile putredinem contraxerunt. Quod equidem si verum non esset, febres omnes complicatæ existerẽt, & vni accessionum sorti aut typo non esset credendum ad dignoscendum humorem peccantem. Atque hęc est continuarum & continentium febrium differentiæ caussa & ratio. 13.

2. Intermittentiũ febrium quæ caussa, et quid à cõtinuis & continentibus differant.

Superest nunc docere *Interpolatarum* febriũ caussas, quas ferunt. Medici, fere omnes fieri ex omnibus humoribus, exceptis his, quos naturales appellamus, dum naturam suam seruauerint in quantitate & qualitate. *Statuunt* insuper, fieri ab vno tantum humore, ad differentiam continentium febrium, quas ab omnibus statutum est prodire. *Item statutum est*, interD mittentes dissidere à continuis & continentibus, loco vbi humores putrescunt: & ob id ferunt, intermittentes necessario extra vasa fieri, delato inquam humore per sentientia loca, vbi destitutus à naturæ beneficio putrescit, & febrem concitat interpolatam, quia euanescente aut resoluto humore transmisso etiam intermittit febris & delitescit, donec aliam natura transmittat humoris portionem, quæ succensa idem efficiat. In qua quidem re, quantumuis vulgatissima & probata, nõ desunt, qui futilibus quibusdam ratiunculis contrarium dogma tueantur. Nam Iubertus longissimum contexit paradoxum, asserens, *proximam omnium febrium caussam seu materiam in corde ipso contineri, nullamque ex loco, vbi humores putrescunt, febribus continuitatis aut interpolationis sucE crescere differentiã, sed omnes vno in loco humores sortiri putrefactos, nimirum in cordis sinibus, continuã vero aut interpolatã, ex copia maiori vel minori, aut crassitie, vel tenuitate ipsius humoris, qui putrescit, sucerescere.* Ita vt copiosum humorem vel crassũ, aut crassioribus admixtũ, continuam febrem concitare pro cõperto habeat: at tenuem vel in parua copia in cordis sinũ transmissũ, eò quòd citò euanescat & resoluatur febrem quidem cõmittere interim, dum eius putredo durat, resoluto tamen humore intermittere, atque iterum febrem concitare, si tertio die, vt assolet flaua bilis recurrat in cor, vel quarto die vt melãcholia, aut singulis diebus vt pituita. Fulcit quidem hic Auctor suum dogma, quia si huiusmodi fierent per extramissionem humoris, non mererentur dici febres intermittentes, nisi solum per consensum, more

Iuberti opinio intermittentiũ proximã materiã esse humores in cordis sinibus contẽtos.

febrium

febrium quæ vocantur accidentia. *Præterquam* (subdit) *quod nulla apparent viæ, per quas ad cor peruenire possint ex putredinis loco vapores humorum putrescentium, quin prius per cutis spiramenta, quæ propinquiora sunt euolarent.* Et statuit, biliosum succum nulla lege posse frigoris sensum inducere, cum sua natura calidissimus existat humor: quinimo adstruit, si antiquissimum dogma verum extitisset, necessum esse, exteriores partes deuri, vbi putredo fit, interioribus frigidis manentibus: quòd non apparet in huiusmodi febribus. Atque id confirmat, quia *si ex habitu corporis, humore ad ipsum transmisso calescente, cor debet calfieri, proculdubio ephemera fiet primitus quam putrida.* Verum si quis exactè expenderit, quanta secum inconuenientia præfatum dogma afferat, & quam infirmis innitatur fundamentis, reperiet proculdubio, nec cō B parabile esse cum ipsa rei natura, & veritate, neque eius rationes quicquam valere.

Iuberti opinio reprobatur.

Falsitas autem huius dogmatis in hoc stat, quod humores cordis in febre salubri putrefieri est impossibile, aut omnes febres essent lethales. *Item*, quia cordis cauitas citra maiora mala, quam febris sit, recipere tantam humorū quantitatem, quæ sufficiat febrem, neque adhuc tertianā, ne dum continuam efficere, est impossibile: nam si fuliginosus quidam halitus, & aliorum vasorum propè cor mediocris plenitudo, syncopem, & arteriarū interceptiones efficere natę sunt, qui fieri possit, quod innoxiè tantam humorum copiam intra ventriculos suscipiat? *Præterea*, videtur esse perdifficile existimare, cor esse in omnibus febribus, cæteris partibus im- C becillius, siquidem ab omnibus recipit transmissum humorem, vt febris succendatur: ex quo sequitur proculdubio, vires cordis non posse refici, & perpetuo periclitari, quia corde existente imbecillo, non est à quo vires reficiantur. *Præterea* si id verum esset, quid præstaret in continuis febribus sanguinem mittere? quid expurgans medicamentum porrigere? aut quouis alio artis præsidio vti, si vniuersa febrium materia in corde inest? *Item* non quidem sanguine misso subito Galen. iugulasset febrem, si proxima eius materia cordi incumbit. Constat igitur, neque humores cordis putrefieri *(quod solum pestilentibus febribus concesserat Montanus)* neque ad ipsum confluere, qui febri materiam sunt præstituri, sed in proprio, aut alieno lo D eo putrefieri, & humoribus suum vitium præstare, *vt latius sum probaturus.*

Putrida quid à continua, & interpolata differat.

Nec rationes Iuberti quicquam valere arbitrandum est, nam febris putrida, quatenus febris est, vnicam habet rationem continuis, & interpolatis communem, hoc est, humores cordis alterari, differentia tamen prodit, quod in continuis semper cor, & eius humores alterantur citra vllam intermissionem; in interpolatis vero non semper, sed per statuta interualla, quia accedente calore præter naturam cordi, ipsum potiùs in calfacto esse, quod est formale febris: quo constat, intermittentes febres non esse accidentia, quia non dependent ab alio morbo, sed ab eo affectu, qui veluti caussa auferri debet. Item inualida E est eius ratio, qua probat, fuliginosa hæc citius per cutim euolare, siquidem arteriarum dilatationes, & cōpressiones plus præualent ad attrahenda fuliginosa excrementa ad cor, quam iubent commoditas, & propinquitas cutis, ad euanescentiam copiosioris excrementi, quam secundum naturam illis est datum. Ex quo etiam euidenter probatur, interiores partes conflagrare magis.

Intermittētes fiūt ratione, aut Humoris, aut Loci.

Quamobrem vt rei veritatem attingamus, expendendum est, febres interpolatas fieri vno è duobus modis: *Primo* quidem ratione humoris, qui succenditur: *Secundo* vero, ratione loci vbi humores putrescunt. Circa primum statuere oportet, febres has concitare posse vnam è tribus humorum sortibus: quippe huic febrium generi materiam præstant, vel hu- A mores *Naturales* intra venas quodammodo alterati, vel mediocriter adaucti: vel *Non naturales*: vel *Præter naturam*.

Intermittens ratione Humoris qualiter fiat ex humore naturali alterato.

Naturales quidem id efficiunt vbi mediocriter à natura recesserint in copia, aut qualitate: non tamen dum plurimum adaugentur, sed ea solum copia excrescentes, quam facile natura ad vasa minora, & ad spatia sentientia transmittere possit. Nam in minori copia existentes contemnit natura; in maiori vero succumbit, & febrem efficiet continuam: nec qualitas putredinem attingere debet, quia sic ante coctionem non transmittet à venis natura. Denique ea conditione præditos esse humores oportet, quæ naturam irritare valeant, non superare: quippe tunc febris fiet continua. Itaque cum sic disponūtur humores, vt natura eos ad vasa minora transmit- B tat, & ab his ad partes sentientes *(vt more vulgi loquar)* tunc putredinem ibidem nacti, rigorem primo, deinde febrem excitant, eamque iuxta naturam humoris, quem trudit facultas, biliosum nimirum, pituitosum, aut melancholicum.

Qualiter ex humoribus præternaturalibus.

Præterea hæ eædem febris interpolatæ species proficisci possunt, in eisdē locis, & eodem modo, cæterum ex *humoribus præternaturalibus*: contingit profecto non raro ex febre aliqua continua, aut ex quauis alia caussa, flauam, aut atram bilem, aut pituitam intra vasa exuri, fieri præternaturalem, & irritata natura, ac potens cum sit, eosdem humores ad prædictas partes, eo modo quo dictum est, trudi, & ex continua degenerat in intermittentem.

Qualiter ex non naturalibus.

Tertio vero, ac vltimo modo, febris in- C terpolata fit ex flaua bile atra, aut pituita, quos *humores non naturales* censemus, irruentibus quidem in vasa ipsa, quos cum præsenserit natura, pellit eorum acrimonia, & vitio irritata, & in extrema vasorum transmittit: possibile enim est, & quotidie conspicimus, pituitam in ventriculo redundantem in venas irruere, item & melancholiam, quam aut splen regurgitat, aut non recipit, sic flauam bilem à iecore expurgatā in venas ipsas remeare, non raro conspicimus, à quibus ad spatia prædicta facilis est commeatus, lacessita ob acrimoniam natura. Quamobrem censeo, Galen. dictum fuisse *lib. 1. ad Glauc. cap. 5.* raro quotidianam fieri absque vitio ventriculi, aut tertianam citra iecoris damnum, vel sine splenis incommodo quar- D tanam. Sed fiantne interpolatæ febres in prædictis spatijs, & sentientibus locis, an in extremis vasorum, inferiùs latius sum disputaturus.

Intermittentes ratione loci quatuor modis fiūt

Circa secundum statuendum est *ratione loci febres interpolatas* fieri, ex vitio ipsarum partium sentientium, & carnosarum, vel cauitatum, in quibus aliquē trium humorum aggregari non rarò conspicimus: quem tanquam in incommodo loco existentem putrefieri certum est, & ob id rigorem, ac febrem efficere. Sed modus, ac dispositio partis, quæ nata est talem febrem constituere ex humore ibidem congesto, vel à vasis, aut aliundè transmisso, quatruplex existit.

I. *Vno* quidem, *vt ex Gal. constat 2. de diff. feb. cap. 17.* E cum partes carnosæ, & extrema vasorum quod ab alijs partibus transmittitur, facilè suscipiant, cuius accessu rigores, & ex mora putredinem fieri necessū est. Atque cum natura seruet in expulsione legem, & typum iuxta naturam humoris, quem transmittit, tertio, vel quarto quoque die, vel singulis diebus accessiones fieri contingit.

II. *Secundo* accidit, quia partes prædictæ dolore, vel calore percitæ, quod in venis redundat ad se facillimè trahunt, quod sanè ibidem putrefactum, eandem febrem excitare habet: vt Galen. docuerat *lib. 4. acut. comment. 1.* dicens: *Quemadmodum facultas venarū tractoria, perpetuo è vicinis partibus humiditatem trahit, ita quoque & carnis ab ipsis venis.* Quo fit, vt propter dictas caussas ad se alliciant, & trahant, quidquid superfluum est in venis ipsis, quo putrefacto fieri fe-

III. ri febres,& antea rigores dubium non est. *Tertio* vero febres interpolatas fieri ex vitio sentientium partium contingit non raro, quando prædictæ partes factæ imbecilles ex proprio alimento excrementa generant,& aggregant, quæ non minus, quam reliqua rigorem,& febrem nacta sunt efficere. Quod etiam docuerat Galen. *lib. 2. de differ. febr. cap.* 17. dicens: *Vbi pars aliqua debilis efficitur, id ei caussa erit, cur non excrementa solum, sed ipse etiam sanguis corrumpatur, ac putrescat, & febris accendatur*, quemadmodum de tertiana scripserat quoque *lib. 1. popul. par. 2. commēt.* 20. nitens tradere caussas, cur tertianæ febres in illa constitutione numerosiores erant ardētibus, vt Hippoc. proferebat, inquit: Tunc propter flauæ bilis exsuperantiam febres ardentes, ac tertianas oriri : atq; hoc conuenire inter illas, locis vero in quibus contrabitur humor, di lare, & tunc dum febres ardentes sunt, in venis abundat præcipuè iecoris: tertianæ vero fiunt, cum totius corporis carnes affluant flaua bile, proinde transpiratione impedita eorum, quæ natura biliosa sunt, quantum bilis in carnoso genere congestum ante expurgabitur in hoc statu non purgatū generabit tertianam ardentibus frequentiorem. In qua sententia non solum in carne generari, sed ex nō expurgata flaua bile tertianas fieri fatetur, quas quidem febres non plurimum horroris, aut rigoris obtinere, certum est: quod in eis bilis vehementer non moueatur, sicut ad rigorem efficiendum opus est, sed ibidem genita quiescens putrescit.

IV. *Quarto* vero & vltimo modo febres intermittentes fiunt, *vt Fernelio viro doctissimo visum est*, nimirū ex humoribus non naturalibus, existentibus in primis venis, & pancreis, ac cæteris partibus nutrimentalibus membris vicinis. Quod quidem dogma ipse autumat, pertinere ad omnes intermittentium species, nos tamen censemus solum esse proprium huic quarto generi. Fulcit suam opinionem ex sententia illa Galen. *lib. 1. ad Glauc. cap.* 5. qua docet, *vix citra oris ventriculi vitium fieri quotidianam, nec sine lienis vitio quartanam, nec tertianam absque iecoris offensione*. Verum quod de eisdem partibus Galen. retulit, idem de vicinis accipiendum esse scribit: in his enim intermittentium caussa haud raro insidet, quod tanquam verum plerisque probatum reperio. Quas sanè febres ex indebita vitæ institutione plerunque proficisci existimo, licet aliquando in his laborantes rigere contingat, ex acribus, & mordacibus fumis à putredine illorum recrementorum eleuatis, & in vniuersum corpus irruentibus contingit. Cui etiam febrium generi, rigorem, & febrem inuadere haud raro comperimus, quia cum rigere ob humoris locū non possint, nisi humores prius putrescant, necessum est prius totum corpus rigere, ac simul incalescere : qua quidem lege arbitror Fernel. opinionem veram esse,& mille experimentis comprobatam. Succrescit profecto non leue dubium his, qui *febres interpolatas necessario extra vasa fieri* adstruunt: siquidem sequeretur *in earum cognitione, & curatione vrinam nullum certum, ac fidum posse præstare signum*. Præterea ex eodem principio prodit, frustra humorem peccātem præparari ad purgationem, siquidem febris materia singulis accessionibus euacuatur insensibiliter per vomitum, per aluum, ac sudorem : item sequeretur, frustra esse sanguinem mittere, aut expurgans medicamentum porrigere. Quarum dubitationum gratia *(interim dum mea mens exprimitur, quæ tenet, non debere extra venas humores prædictarum febrium prosilire)* duplicem in his febribus tenentur considerare materiam : Vnam quidem quæ febrilem calorem iam concepit, cuius nulla in hac opinione habenda est ratio, interest quidem naturæ ipsam discutere, & euacuare : alteram vero, quam speramus sequentem accessionem effecturam, cuius vniuersalis, & particu-

Dubium.

Solutio.

Intermittentiū materia duplex, & quæ medico consideranda.

A laris prouidentia necessaria existit. Quam sanè materiam paulo superius diximus intra venas ex humoribus naturalibus alteratis consistere, aut ex præter naturam ibidem genitis, vel ex non naturalibus, aliundè in venas transmissis: quorum omnium copiam, alterationem, aut malam qualitatem considerare ex vrina oportet, euacuare per sanguinis missionem, ac vltimo alterare, & expurganti medicamento educere, vt minores, ac benigniores fiant, quo amplius natura non irritetur, nec febris deinceps fiat. Ex quibus iam constabit, potius sedimentum,& vrinam notitiā ad naturæ actionem in humores intra venas existentes *(quos caussam antecedentem esse cēsemus)* monstrare, quam eorum qui iam in ambitu putruerunt : cum B hoc tamen arbitramur, vtriusque humoris notitiam posse præstare : nam cum sedimentum fiat aliqua ex parte ex humoribus morbum facientibus, & in interpolatis quod exustum est, in finibusque vasorum computruit, ad maiora vasa, & per vrinas deuehatur, fit facilè, vt illius quoque humoris, qui intra vasa est, specimen præbeat, ac monstret, quantum valeat natura supra caussam illam morbificam, vt iuxta id præsagiendi ars certius proferat iudicium. Atque hęc est euasio, qua vti possunt, qui hanc opinionem tueri velint.

Vrina putrefactos in finibus venarum humores ostendit.

Reliquas autem differentiarum febrium caussas, quæ sitæ sunt in Magnitudine, Ordine, aut ordinis Perturbatione, in Duratione, ac alijs, quæ antea me- C morauimus, facilè venaberis, si expenderis omnes ad materiæ copiam, conditionem, puritatem, aut permixtionem, locum in quo putrescit, ad vnum, aut diuersa posse reduci, vt in complicatarum febrium examine latius sum scripturus.

Haud secus res se habet ad circuitus efficiendos in febribus ipsis, ac in reliquis affectionibus, quæ repetunt per interualla, accidere scimus : nam quædam per periodos,& vices pergunt, aliæ vero omnino periodis carent. Præterea inter febres plures etiam reperies, quæ periodum habent, eam tamen inordinatā, & vagam. Aliæ item sunt, quæ statutam, ac determinatam habent accessionum seriem, eam quidem, vel quotidie, vel tertio, aut quarto quoque die, vel per lō- D gius interuallum repetitam. Quas sanè omnes dispari duratione moueri certum est, longa nimirum, aut breui, vel mille varietatibus implicata. In qua quidem re, primo absoluere oportet, *quanam ratione morbus repetat per interualla:* secundo *quare per statuta, & certa, &* vltimo *cur per quotidianam, tertianam, vel quartanam periodum, & quæ sit hæc ineuitabilis, & firmata humorum lex, quæ ipsos per dictas periodos moueri cogat.*

Circuitū morborū quæ caussa.

Circa primum quidem scimus, vulgatum esse apud Galenum,& plerosque medicorum, morbos ob id per periodos, & interualla repetere, quod membrum aliquod sibi aggreget excrementum quoduis, E vel ab alio sibi potentiore transmissum suscepert, tali quidem qualitate, aut quantitate affectum, quod omnino altrioni membri inutile existat, & quo tempore vel suscipiens membrum, vel transmittens portionē excrementi affectioni aptam obtinuerit, protinus in affectum prorumpit, & idem toties fit, quoties eadē quantitas, vel qualitas præfuerit in excremento aggregato cum æquali virium robore. Item ferè omnes auctores proferunt, membrum transmittens id efficere, cum vel copia grauatur, vel parua molestatur qualitate, ea potentia, cui munus est aliena expellere. Itaque totum illud tempus, quod conteritur, interim dum aggregantur noua excrementa, quæ præ copia non possit natura ferre, aut præ malitia eius contactum sustinere, appellatur in prædictis affectionibus *interuallum*. Cum vero iam natura, dicta ratione motum nocui molitur, *accessio* nuncupatur, & sic facilè fit, vt per interualla plerique morborum repetant.

Morbi qua ratione repetāt per interualla.

Interuallum quid.

Accessio quid.

Quam

Quam quoque caussam, licet diuersa ratione in mébrum recipiens, aut in quo affectus magis elucet, iure optimo medici referunt. Nam recipit promptè id membrum, cui id munus est in corpore, vt glandulosæ, & adenosæ partes, & quæ emunctoria vocantur, item membrum laxum, & molle, aut in decliui loco situm, vel calidum, aut vacuum, vel dolore affectum, vel id, quod attractricem potentiam habet expultrice vehementiorem: quo fit, vt sibi malum aliundè, vel susceptet, vel attrahat, & cum iam quod satis est, obtinuerit, in morbum prorumpat.

Morbi cur per statuta, & certa interualla repetant.

Superest quidem nunc docere, *cur per statuta, & certa interualla*, quod censeo ex communi doctissimorum sententia, fieri ex æquali caussarum, quæ in affectum cocunt, potentia, & efficacia. Quippe si mé B bri mandantis robur idem est, vel ad prauorum generationem, vel ad eorundem in aliud transmissionem, proculdubio idem & eodem tempore sequetur affectus: quod equidem de membro recipiente eadé lege subaudiendum puto. Verum si aliqua caussarum ab antiquo more euariet quantitate, qualitate, tempore, aut virtutis robore, victus, & vitæ mutatione, vel quauis alia re, ex his, quæ primæ accessioni caussàm præstiterunt, nulli dubium fore arbitror, quin accessio quoque futura sit, verum inæqualis duratione magnitudine, aut vehementia, vel tempore, & occasione varia, vel mille alijs modis inordinata existat. Tertium vero, & quod longè difficilius videtur, est nosse, qua nam ratione licet ordinatè procedant acces- C siones, *cur quædam tertio quoque die, alia quotidie, & alia quarto die, aut pluribus succrescant:* quem sanè ordinem, neque qualitatem, neque quantitatem, neque quicquam aliud euertere posse, fidissimo experimento comperimus, interim dum humor, qui in accessionem migrat, in alterius naturam non degenerauerit. In qua sanè re tot subscribuntur sententiæ, vt difficillimum sit, quam probandam esse oporteat asserere, breuiter tamen recensebo, vt quæ verior existit, clarius alijs improbatis expendatur.

Cur quædam quotidie, alia tertio, etc. die, repetant.

Prima opinio.

Luna periodorum non est caussa.

Prima quidem opinio tenet, febrium interpolatarum ordinatos circuitus Lunę esse tribuendos. Quod probant eius fautores ex menstruis purgationibus, quas ob id *Lunares* nuncuparunt, & arbitrantur, ita D id necessario esse, ex perpetuo, & inuariabili mésium ordine. Verum licet hæc opinio quodammodo videatur alicuius circuitus caussas docere, non tamen febrilium periodicationum attingit occasionem, & caussam: præterquam quod ad occultas, & abditas caussas refugit, quo fit, vt minimè probari debeat t nam quæ tales sunt, medicis considerationibus, aut actionibus parum, aut nihil commodi afferre videntur. Reijcit insuper hanc positionem, quod pari pensu deberent tribui febrium periodicationes reliquis planetis, siquidem ordinarim, ac statis temporibus etiam mouentur, quod nullus sanæ mentis probabit.

Secunda opinio.

Secunda opinio tenet huiusmodi motum humo- E rum corporibus cœlestibus subditum etiam esse, non tamen omni planetæ, sed pluribus. Cuius sententiæ Conciliatorem fuisse creditur, vt constat *differ.* 88. Quo equidem loco Marti flauam bilem, Lunæ pituitam, Saturno melancholiam, & Ioui sanguinem tribuit. Ex quo infert, quia Luna celerius mouetur, quá quiuis alius Planeta, ideo celerius pituitam moueri, & quotidie nouam accessionem efficere. Sic Mars, cum celerius moueatur, quam Saturnus, flauam bilem quæ illi subijcitur, citius mouet, quàm à Saturno melancholia moueatur. Hanc profecto positionem multis rationibus inualidam esse constat: nam si flaua bilis Marti sit similis, eo est, quod in vtroque caliditas, & siccitas præpollet, sed cùm bilis ex omnium consensu facilius ob calorem, & siccitatem teneatur moueri; ideo si quis diligenter consideret naturam,

Planetæ periodicationũ caussæ nõ sũt.

A & conditionem huius humoris, inueniet singulis diebus potius, quam per longius interuallum id debere esse, sed non ita accidit. Ergo prædicta caussa non est huius motus immediata: præterquam quod Marti nullus est motus qui tertio quoque die signatim respondeat. *Præterea*, si pituita refertur ad Lunæ motú, non quidem quotidie, sed singulis mensibus moueretur: quotidie igitur ratione videtur absonum Lunæ tribui. Item falsum arbitramur, Ioui esse subditú sanguinis motum. Siquidem menstruæ purgationes, quę sanguini propriæ existunt, Lunæ potius quàm Ioui subijciuntur: & ob id inualidam esse huius auctoris positionem arbitrandum iudico.

Tertia opinio.

Nec proprietas specifica humorum.

Dictum præterea alijs est, motum humorum ordi- B natum proprietati cuiusque humoris occultæ esse tribuendum, quam *proprietatem* ipsi *specificam* appellarunt. Quod profecto si verum esset, huiusce caussæ conditio, neque ad curationem, neque ad rei notitiá vllius esset momenti. *Secundo* sequeretur, quòd dum humores essent magis secundum naturam, eo perfectius hos motus ederent, quòd à forma cum prærequisitis proficiscantur, quæ sanè prærequisita commodiora sunt, dum secundum naturam existunt. Quod si dixeris, has vires solum habere, dum ab statu naturali humores recedunt, tunc magis probatur falsitas dogmatis, quia in ictero, & alui fluxibus euidentius fieret accessio per statas periodos, cuius contrarium omnino monstrat quotidianus euentus. *Præterea*, C quia si humores ex propria natura prædictum motum obtinuissent, naturaliter quoque ad sui corruptionem mouerentur, eo quod à locis naturalibus ad locum corruptionis in accessionibus moueantur. *Item* si à propria forma is motus proficisceretur, sequeretur semper eodem modo debere fieri; sed anticipant, aut remorantur accessionem, & mille alijs varietatibus implicantur, ergo alia est excogitanda caussa.

Quarta opinio.

Quarta opinio tenet, prædictum humorum motú fieri ratione vehementiæ partis transmittentis, & ob recipientis imbecillitatem. Sed membrum transmittens hunc humorem expellit, cum ad aliud quantitas deuenit, quæ facultatem irritare nata sit: atque D cum id ex vno, & eodem humore, variè varijs temporibus, & occasionibus fieri possit, fit facilè, vt ab incerta caussa, & vaga certam, & ordinatam periodum fieri sit impossibile. Dicunt *præterea* qui huiusmodi opinionem profitentur, prædictam humorum abundantiam irritationis facultatis idoneam, in ratione membri humorem generantis fieri: quo fit, vt pituita, quia in ventriculo generatur, ex prima aliméntorum coctione, quotidie repetat, quòd quotidie generetur: & quia bilis generatur in iecore, in quo natura secundam molitur coctionem, ideo bilis accessio interponit vnius diei spatium: & eadem lege melancholia longius prærequirit interuallum, quòd in splene perfectionem adipiscatur, & reliquas prære- E quirat coctiones. Quam etiam positionem arbitramur esse falsam, quia licet humoris expulsio sit facultatis expultricis munus, quæ tunc operatur, cum ab aliquo nocuo lacessitur, expulsio tamen statuis temporibus, neque hac, neque illa occasione fit, quia tales motus excedunt naturam, & conditionem naturalis facultatis, & vt dictum est, non sequuntur humorum copiam.

Nec humoris expulsio.

Quinta opinio.

Nec natiua humorum quantitas.

Quintam opinionem adstruit Galen. *lib.* 1. *de differ. febr. cap. vlt. & lib.* 2. *cap.* 11. Qui sanè istius rei caussam reducere conatur ad humorum natiuam quantitatem primo: nam cum pituitæ maior sit secundum naturam in corpore copia, quam flauæ bilis, ideo singulis diebus moueri, & naturam irritare, ac accessionem efficere, rationi consonum videbatur. Et quia bilis copia minor est, quam pituitæ, maior tamen quam melancholię, ideo tertium diem ex-

spe-

spectat: & melancholia quod frigida sit, & inepta ad A inferendam irritationem, longeque minori constet copia, quarto die accessionem mouet. Quæ quidem sententia licet quodam modo vera sit, non tamē omnino rei difficultatem absoluit, etiāsi illi addas, quod ipse quoque refert, de virium robore, de alterius membri imbecillitate, ac de excrementorum congestione simili, aut dissimili præcedenti: quippe ex hac positione multa sequuntur inconuenientia, ea tamen omnia proponam, & absoluam, ne videar leui occasione à tanto auctore discedere, & postmodum meam sententiam scribam.

Arg. 1. Primum sanè inconueniens, *quod si solum quantitati humorum circuitus tribuerentur, sequeretur, flauam bilem quotidianam posse efficere accessionem: quod eui-* B *dentissimum est, si quis ob vita erratum maiorem bilis, quam pituitæ, aut æqualem generauerit copiam, sed quātumuis crescat, semper tertianum efficiet circuitum;* Igitur *alia erit excogitanda caussa.*

Solutio. Huic rationi qui Galen. tuentur, respondent, non esse intelligendum solā voluisse sufficere quantitatem, sed necessario simul requiri, debitam adesse qualitatem, ac certum quendam virtutis tenorem: quorum si aliquid deficiat, de futuram quoque accessionem arbitrantur.

Arg. 2. Sed his non obstantibus superest adhuc dubitandi occasio: *nam demus in corpore præternaturaliter cōstituto versus calorem, bilis maiorem portionem quam aliorum succorum, vt contingit in his, qui frequenter ob copiam bilis vberiorem in biliosos incidunt affectus,* C *tunc talis humor poterit acquirere eam dispositionem, quæ naturam quotidie ad expulsionem excitet.* Ergo *euasio non videtur recipienda.*

Solutio. Cui pro Galen. dicendum est, corpore sic disposito, febrem continuam, vel duplicem tertianam potius quam simplicem euenturā. Præterea videtur etiam dubitatione dignum, siquidem robusta existente facultate, cum humoris quantitate non plurimum aucta, non fiet ad minima vasa transmissio: ac ex consequenti, neque periodica accessio, cui dicimus, nō semper necessum esse febrem fieri crescente humore, cum non raro per vomitum, aut secessum sese exoneret, quia solum intelligitur, dū febris futura est, eam necessariò tertianam fore.

Arg. 3. Tertio vero sic arguitur: *In morbo Regio adest quā-* D *titas, & qualitas, & fortitudo naturæ humorem transmittentis, & non subinde sequuntur tertiani circuitus:* ergo *positio non satis constat.*

Solutio. Huic dicēdum, febrem interpolatam non fieri, quia natura simul omnem humorem transmittat, & eum coctum, & castigatū, sed cum pars post partem, quòd in morbo Regio nō accidit, neque in eius humoris expulsione tantum agit natura, quantum patitur ob id, quod humor regurgitat ab obstructis locis: quo fit, vt nullus fiat conspicuus circuitus. Præterquam quod morbus in icterico affectu, neque prodit ex quantitate, neq; ex qualitate humoris biliosi, sed solum *(vt dictum est)* ab obstructione: Atque hæc est sententia Galeni, & eius defensio, cum hoc tamen mihi aliter in hac re vide- E tur sentiendum, quia non absoluitur difficultas.

Auctoris sententia de caussis circuituū in febrib. Multa sanè sunt, quæ in re tam dubia me coegerunt paulo latius scribere, quam mei sit instituti: *primum* quidem opinionum varietas: *secundum*, rei ipsius difficultas: *tertium*, plerosque prauè Galenum intellexisse: ac *vltimo*, multa ad inuicem implicasse, quæ cum caussis varietatis circuituum nullam habent connexionem, neque cohærentiam. Quapropter tria in hac re prius distinxisse opus erit, quæ longè inter se sunt diuersa, licet connexionem aliquam habere videantur.

Caussæ febrium intermittentium quid inter se, à se differāt. Primum quidem sciendum est, longè inter se differre caussas febrium, quæ intermittunt, ab eis quæ intermissionem tertianam, quotidianam, aut quartanam efficiunt: & rursus has omnes ab alijs, quæ inuariabili lege intermissionem illam procedere, eodem modo citra mutationem in aliam periodi naturam faciunt. Quæ sanè tria ferè velut vnum plerique Medicorum accipiunt, & caussas alioqui inter se distinctas confundunt. Quamobrem cuiusque earum seorsum meminisse oportebit, vt constet, tria hæc lōgè inter se esse diuersa, & diuersas sortiti caussas, ac diuerso modo de eis locutum fuisse Galen. Sic profecto inuestigaturus idem Galen. caussas febrium, quę per interualla repetunt, nulla facta mentione de tertiano, quotidiano, aut quartano circuitu, sed solum cupiens inuenire rationem febris interpolatæ circuitus, tres potissimas assignat, quas licet ad statutæ periodi constitutionem præire necessum sit, nil tamen ad diem signatum, vel determinatum faciunt.

Circuitus caussa prima viriū certa fortitudo. Est tamen prima harum caussarum *virium certa fortitudo:* nam hæc est quæ vitiosa quæque & aliena antequam in maius malum prorumpant, extra pellit, aliquando insensibiliter, & citra animantis noxam, maximè cum facultas viribus integris, & intemperamento vtitur inculpato. Quod si à natiuo robore parum deflectatur, ea etiam pellit, sed cum aliquo animalis incommodo, eo quod nequit ex toto malū superare, quia deiecta quodammodo est: cauet tamen maius damnum, & extra vasa, quod molestat pellit, ne febrem efficiat continuam, & hac lege interpolata succrescit. Sit ne omnino verum, humores in febribus interpolatis extra fundi 6. *libr.* disceptatum reperies, nunc vero satius mihi visum fuit, more vulgi loqui, quod elatior euadat nostri instituti doctrina. Verum si minus sit virium robur, & infra dictam mediocritatem situm, eo tempore nil extra pellit natura, sed continua generabitur febris, vel affectus aliquis in eadem parte fixus pullulabit, vbi humores congesti sunt.

II. Mediocris exsuperātia cuiusuis humoris. *Secunda* tamen periodicationis caussa à Galen. signata est, *mediocris exsuperantia cuiusuis humoris,* ea nimirum copia congesti, quæ potens sit facultatem ad expellendum irritare, & quam ipsa facultas trudere possit, nam si maior sit, aut facultas languidior, dubium non est, quin oneri succumbat, humorem intra vasa putrefieri sinat, ac febrem efficiat continuā: Si verò humoris minor sit copia, aut robustior potēria existat, certum est per insensibilem halitum humores euolare, antequam in affectum commigrent. Sic profecto multi ex medicis sumpto solum principio ab hac quantitate, falso autumant, pituitā, quòd copiosior sit, singulis diebus moueri, & flauam bilē, cuius minor in corpore adest quantitas, tertio quoque die, & melācholiam quarto, quod minor sit eius in corpore portio. Verum si quis rem diligentius pensitet, reperiet profecto, naturalem quantitatem nil agere ad promptitudinem, aut ineptitudinem periodicationis, cum naturam non grauet quod naturale existit, sed quod præter naturam. Quo fit, vt quiuis humor sit, qui naturalem mensuram excedat, siue melancholia sit, siue bilis, protinus naturam irritet potius, quam sanguis, aut pituita, quorum maior adhuc superest secundum naturam in corpore portio, & sic humores illos excedentes certum est própius vim caussæ morbificæ, & putredinis, aut vitij cuiuscuis principium suscepturos, quam eos qui naturales sint, quamuis in maiori existant copia.

Auerrois error. Ex hoc profecto dogmate detegitur Auerrois error, qui censuit, calorem innatum periodicationis esse potissimam caussam: nam scribit, perpetuum, & inuariabilem effectum, ac ordinatum, perpetuam, & inuariabilem necessario obtinere caussam, cuius naturæ calorem innatum esse scribit, statuens, prædictum calorem humores corrumpere, & post corruptionem statutis diebus pellere. Ego quidem in hac re censeo illud esse merum figmentum, & calorem innatum sese tātum præstare, vt aptum instrumentum potentijs, quibus

munus

munus est, quod irritat, & vitiosum existit, pellere, nō quidem corrumpere, quinimo quod corruptum est, vel reducere ad meliorem statum, vel dum corrumpitur, prohibere ne corrumpatur. Itaque neque caloris naturalis est periodicationem signatim efficere, neque humorum quantitatis. Nam si quantitas naturalem excedat, ea mensura quam diximus, protinus in periodum prorumpit, non tamen in determinatam, quia hoc non est quantitatis proprium, sed alterius rei.

III. Certa quædam qualitas.

Tertia vero, & vltima periodicationis caussa est, humoris periodicationem facturi *certa quædam qualitas*, & præter naturam dispositio, qua natura ad prędictam expulsionem cupidè sese accingit: quæ sanè humoris conditio magni est momenti ad periodicationem efficiendam.

Circuitus ordinatus vnde.

Quæ sanè caussæ dum æqualiter se habent, ordinatum efficiunt circuitum, non tamen tertianum, quotidianum, aut quartanum, sed prout quantitas, vel qualitas, aut virtutis tenor se habuerint per longius, aut breuius interuallum, nam per diem signatum repetere, specialioris est caussæ. *Inordinatus.* Verum si prædictæ caussæ dispari modo coeant, & coniungantur, circuitum quidem efficient, cæterum inordinatum: nam pro ratione maioris, vel minoris actionis, & efficaciæ vtrius vel alterius, aut vtriusque, aut saltem ob solius humoris vitium, vel omnium simul (licet interpolata fiat febris) differentiam profecto non leuem simplicis, duplicis, aut triplicis, vel aliter complicatæ, vel inordinatæ febris succrescere, arbitrandum est.

Periodicationis caussa vnica humoris natura.

Quantum vero distent caussæ, quæ periodum natæ sunt efficere, ab his, quæ tertianam, quartanam, aut quotidianam constituunt, mox audies, si expenderis, id citra vllam dubitationem prouenire à peculiari cuiusque humoris conditione, & natura, dummodo intelligas, per humoris naturam nil aliud, quā facilitatem, aut promptitudinem, vel difficultatem ad suscipiendam putredinem, vel ad eidem resistendum. Quippe hæc sola nata est in circuitum humorē mouere: nam siue quantitatem consideres adauctā, vel diminutam, siue qualitatem ad maiorem calorē, frigiditatem, humiditatem, aut siccitatem, acrimoniam, vel mordacitatem vergētem, proculdubio hęc omnia, vel per interualla ipsos humores mouere, vel per ordinata interualla, verum per ternum, aut quartum diem minimè. Sic enim mille sunt morbi, qui ex bile orti non repetunt per tertium, donec aliquid putredinosum contrahant, & pari lege de reliquis humoribus conijcies: itaque sola hæc putredinosa conditio nata est periodum cuique humori peculiarem circumscribere.

Biliosus humor nō nisi tertio die repetit.

Quod si diligenter consideres, reperies biliosi humoris eam esse naturam, & sortem, vt non nisi tertio quoque die possit putrefieri. Nam cum agens tanto passum deuincat, & superet citius, quanto minus ipsum passum obtinuerit resistentiæ, & eo tardius, quo magis ea sit biliosi humoris resistentia, quod nō nisi tertio die putredinem admittat, fit facilè, vt biliosæ febres ante aut post tertium diem inuadere minimè possint. Nam cum bilis plurimum siccitatis obtineat, & hæc sit omnino putredini aduersa, & insuper innati, & proprij caloris plurimum habeat, qui putredinoso magis resistat, quam humor, qui minus habet, ob id tardius putrescit, quia calori præter naturam plus resistit calor cuiusque proprius, quam externa, aut interna frigiditas. Quo profecto fit, vt tardius succendatur, & sic sibi ex propria, & natiua sorte habet ad tertium vsque diem resistere, & in eadem, calori præter naturam iam cedere, atque accessionem efficere.

Pituita eadem die repetit.

Quod sanè pituitæ non ita euenit, nam cum humor sit, cui parum calidi inest, & præter id humidus natura existat, & hæc duo sint potissimæ putredinis A caussæ, ob id profecto minus putredinoso calori obsistit, & ocyus putrescit: quippe eadem die, qua ipsam calor adoritur, cedit protinus, & corrumpitur, accessionem generat, præterquam, quod cum pituitæ, & crudorum succorum in corporibus maior subsit adhuc secundum naturam copia quam bilis, in minori tempore plus aggregatur, quam biliosi humoris, & ob id citius succenditur.

Melācholia quarto die repetit.

Sic profecto melancholia ex necessitate propriæ naturæ succenditur quarto quoque die, quia ob impensam siccitatem longè tardius putrescit cęteris omnibus, præterquam quod ei accedit terrestris soliditas, & crassities impensa, quæ magis præualet ad obsistendum putredini, quam ad ipsam inuitet defectus caloris, quem etiam sicut pituita obtinet: quo fit vt B tardius succendatur, & magis resistat: ex quo profecto elicies necessum esse statuere, tardius in accessionem commigraturam. Quibus etiam accedit humoris minor quantitas, quæ tardius congregare quantitatem aptam ad molestiam naturæ inferendam conijectandum est, quam ego arbitror nō esse minorem huius euentus caussam.

Sanguis cur non repetit.

Neque de sanguine eodem modo potest iudicium proferri, quantumuis ob calorem, & humiditatem putredinosam sortiatur naturam, quia cum familiarissimus sit naturæ, nusquam ab ipsa pellitur, donec ex toto propriam formam amiserit, & eo tempore cō migrat in bilem, & melancholiam. Quo fit, vt ex se nullam possit efficere periodum, nisi ratione humo- G rum, in quos degenerat.

Qualitas periodum efficiens qualis esse oporteat.

Quibus sic consideratis arbitror, eam qualitatem (*quam auctores in humoribus requirunt, vt statis diebus accessionem efficiant*) nullam aliam esse præter putredinosam, seu corruptioni paratam, nam quæ aliter vitiata existit, periodum quidem faciet, quia naturam irritat, cæterum inordinatam, & vagam, iuxta modum, & frequentiam irritationis, solum vero quæ putredinosa est, statutam, & certam periodum faciet, iuxta naturam, & promptitudinem humoris qui morbosum præstat apparatum, ea lege quam nuper diximus. Cum hoc tamen intelligendum est, huiusmodi putredinosam qualitatem non oportere nimis intensam esse: nam eo tempore potius profecto D febris succrescet continua, quam interpolata. Quippe natura nunquam humorem adeo vitiosum citra correctionem, & coctionem extra vasa pellere nititur, & ob id, vt naturæ gratiam, & coctionem recipiat, manens intra venas, febrem efficit continuam, cum vero leuiter alteratus est humor, antequam vitiosiorem adipiscatur corruptionem, cæterosque succos conspurcet, pellitur ab ipsa natura efficiente interpolatum affectum. Argumento est huius veritatis, quòd dum quantitas, vel qualitas plus iusto excedunt, licet non sufficiant continuam efficere, concitant quidem accessionem, vel maiorem, vel productam, vel anticipatam: Si vero minor sit quantitas, vel remissior qualitas, aut facultas languidior, tardior, aut E minor fiet accessio. Sic profecto Galen. ex illis venatur humoris, vel copiam, vel malam qualitatem, & ex his naturam vincere, ac superare materiam, & ipsius minorem longè iam subesse copiam... Itaque ex natiua cuiusque humoris sorte prodit, cuique certum quendam posse efficere circuitum, non tamen semper, & vtcunque alteretur, sed dum putredinosa affectione vitiatur: nam hæc est, quæ magis probat vim, & efficaciam resistentiæ humoris, & quæ infallibili experimento monstrat, bilem non posse putredinem concipere, nisi tertio die, & pituitam quotidie, ac melancholiam quarto: nam cæteræ caussæ, quæ ad quātitatem, vel ad quemuis alium qualitatis modum attinent, euertere diem nequeunt, licet accessionem anteuertere, & protrahere possint.

Superest tertio docere (*quod etiam summopere conducit*

Circuitus semel in ceptus, cur non mutetur in alium.

ducit ad prædicti axiomatis confirmationem) qui fa- A ctum sit, quod tertiano circuitu, vel quouis alio semel incepto, semper de tertio in tertium procedat affectio, & nusquam, aut raro in aliam mutetur, cum ex quartano circuitu, calor qui supereſt, facilius poſſit bilem, aut pituitam alterare, & ad putredinem mouere, quam melancholiam, quæ tardius, & difficilius ex propria natura ſuccenditur. Cuius dubitationis gratia præmittendum eſt, pendere huius rei veritatem, & enodationem ex fomite relicto in corpore à præcedente circuitu: a quo facilè iterum ſuccreſcit præcedenti ſimilis alter circuitus. Sic enim cum pituita ſit craſſus, & viſcidus humor, ac ob id difficulter reſoluatur, maioremque hac ratione fomitis copiam relinquat, fit facilè, vt ocyus ſuccendatur pituita, quæ præ- B erat, & alteram acceſſionem efficiat, quod habuerit cauſſam, nimirum fomitem efficaciſſimum aptumque ſequenti die ſuccendere pituitam (*qua ſuaptè natura huic damno eſt aptiſſima, vt antea dictum eſt*) & aliquando antequam ex toto finiatur acceſſio, cum longiſſimæ ſit durationis, quod profectò non parum intereſt ad citius ſuccendendam pituitam: bilis autem quia facilè diſſipatur, & minimum ob eius tenuitatem ex ſe relinquat veſtigium, ob id, & quia minus durat acceſſio, etiam ſi leuis, & calidus ſit humor, non protinus ſuccendit remanentem bilem, ſed tertiam diem requirit, tum ex propria natura, quæ ante id tempus non contrahit putredinoſam labem, tum vero, quia prædicto temporis ſpatio adimpletur C putredinoſi fomitis defectus, ac tenuitas. At melancholia humor cum ſit terreſtris, non relinquit poſt ſe grande caloris veſtigium, & ob id, non protinus ſuccenditur præexiſtens melancholia, quia quod remanet cinericium eſt, & terreſtre, & naturaliter in minori copia, tum vero quia (*vt dictum eſt*) quartum diem requirit, vt putredinem ſuſceptare poſſit; tum vltimo, quia in quartana febre ad omnimodam infebricitationem deueniunt laborantes, quod eſt forſan non minor occaſio acceſſionis per quartum diem.

Acceſſio tertiana tertianã exſpectat.

Ex quibus facilè probatur, ex tertiana acceſſione tertianas quoque acceſſiones ſubſequuturas neceſſa- D rio, & quartanas ex quartana, & pari ratione ex quotidiana. Nam putredinoſa caloris conditio, cuius fomes, & veſtigium poſt primam acceſſionem relinquitur in membris, tranſmittente, recipiente, aut generante, vel humoribus qui ſuperſunt, tanquam cauſſa exiſtit: putrida enim caliditas, quæ in flaua bile ſuccenditur, vt febrem efficiat, dum ſui veſtigium relinquit in aliqua ex dictis partibus, poſt acceſſionem, prius ſeſe inſerit, & inſinuat in flauam bilem, ob ſimilitudinem, quàm in aliquem ex prædictis humoribus, cum quibus nullam habet, & ob id cum humor ſimilis præterito ſuccendatur, fit profectò facilè, vt quę ſuccreſcit acceſſio, præcedenti ſit quam ſimillima, & eiuſdem rationis, ac ſpeciei. Præterquam quòd cæ- E teri humores inculpati exiſtunt, ille vero ſolus principium ſuſceperit vitij, ob immodicam copiam, and quamuis aliam alterationem. Quo fit, vt licet in quartana febre maior ſit bilioſi, aut pituitoſi humoris ſecundum naturam copia, cum hoc tamen humor melancholicus citius ſuccenditur, quia cæteri inculpati cum ſint, reſiſtent magis: quod etiam de tertiano, & quotidiano circuitu ſubaudiendum eſt. Cum hoc tamen aliquando continget, conſumpta humoris parte, quæ abundabat, & affectum ſolebat excitare, relictum fomitem ſeſe in quemuis alium humorem inſerere, ac in eum maximè qui facilius ſuſcipere poſſit caloris putredinoſi impreſſionem: qui ſanè is erit, qui in mali diſcuſſu magis extra naturam poſitus fuerit. Quo fit, vt non raro vna febris conditio in aliam commigret, puta tertiana in quartanam, & econtra.

Sed vt hæc & reliqua quæ huc vſque dicta ſunt, clariora euadant, ſtudui, quæ ipſa aliquo modo euertere poſſint, enodare, ne alicui ſubſit errandi, & à vero diſcedendi occaſio.

Inſtatur primo, *ſi forſan accidat maiorem, ac vehementiorem ad putredinem concitandam concurrere cauſſam in flaua bile, quam quæ tertium diem requirat, ſequeretur profectò neceſſario bilem ante tertium putreſieri.* Huic argumento dicimus, eo tempore continuam bilioſam potius fieri, quam intermittentem: nam hac ratione dictum eſt pleriſque huic operi præ requiri certam quandam in humoribus qualitatem, & quantitatem, & in viribus robur, quæ omnia ſi cauſſa quæ ſuccreſcit excedat, & virtus corporis, ac humoris natura non obſiſtant, proculdubio continua fiet febris. *Obiect. 1.* *Solutio.*

Secundo *ſi quis dixerit in continuis febribus ſemper putreſieri humores, & non eſſe prædictam reſiſtentiam periodicationi neceſſariam, & cum hoc continuam bilioſam vehementius moueri tertio quoque die.* Reſpondeo, continuam eſſe, prodireque ex cauſſæ vehementia, & tertio die eſſe vehementiorem, quia in die tranſmiſſionis maior quantitas humoris præparatur ad ſequentis diei exacerbationem. *Obiect. 2.*

Tertio *conſtat plures eſſe morbos, qui citra febrem tertio, vel quarto die mouentur, in quibus non requiritur (ſiquidem putredinoſo calore carent) reſiſtentia prædicta, ac ex conſequenti prædictam cauſſam eſſe aliqua ex parte vanam.* Huic dicimus verum eſſe, ſine febre morborum plurimos per ordinatos circuitus tertianos, & quartanos repetere; cæterum non citra putredinem, quæ licet ad febrem efficiendam apta non ſit, ſufficit tamen prædictam periodicationem efficere, vt quotidiano euentu in morbo Gallico, in cephalæa, & podagra conſpicimus, in quibus non tempore ſit ſtatus circuitus, quo aliquid putreſcit, ſin aliter minimè. *Obiect. 3.* *Circuitus ordinati fiunt in putredinem ſi non febre non tamẽ ſine putre dine.*

Quarto dicet aliquis *acceſſiones febrium non incipere ab humore putrido, ſed poſt tranſmiſſionem à vaſis ad alia loca putreſieri, & ob id aliam eſſe indagandam periodicationis cauſſam.* Cui dicimus, humores intra vaſa principium putredinis ſortiri: Nam hæc eſt qualitas, qua natura ad ordinatam expulſionem irritatur, & cum illud vitij principium non ſuccreſcat in humoribus, niſi diebus, ac interuallis dictis; fit, vt eiſdem neceſſario fiant acceſſiones. Probat hanc veritatem bilis effuſa in vomitibus, & alui fluxibus, in quibus nullus fit rigor, etiamſi per partes ſentientes permeet bilis, aut in carnoſas, vt in ictericо affectu, quia humor ille nondum nactus eſt principium putredinis. *Obiect. 4.*

Eſt etiam vltimum argumentum, quo Neotericus quidam nititur probare, *periodicationem hanc nullam habere determinatam cauſſam*, ſed ſtatuit, *à quouis humore omnes febres interpolatas poſſe fieri.* Probat ſuum dogma ex varijs Auctorum locis, quibus videtur conſtare, *tertianam à pituita quandoque fieri, nonnunquam à melancholia, & quotidianam à bile.* Adducit quidem Hippocrat. qui *lib. 2. de natur. hum.* *quotidianam, tertianam, & quartanam ab eodem humore oriri* ſcripſit: item ſcribit Celſum dixiſſe, *ex humore melancholico quotidianas excitari, libro 3. capite 15.* quartanas inſuper debere à pituita fieri, docuiſſe Galenum *lib. 2. de criſi*, quod etiam ſcribit Syluio placuiſſe *comment. de febribus, capit. de cauſſ. humor. melanch.* Præterea refert ex eadem pituita, tam tertianam quam quartanam fieri, Auicen. *libro 4. tract. 2. cap. 50.* ſcripſiſſe: quod etiam confirmaueat Gentilis *quaſt. 13.* imo vero refert ex bile quotidianam fieri *cap. 36.* ſcriptum reliquiſſe. Verum ſi quis rem hanc diligenter expendat, reperiet profectò argumenta hæc vel monſtruoſam aliquam raritatem oſtendere, vel prædictos auctores de complicatis, duplicatis, aut illegi- *Obiect. 5.*

illegitimis febribus loquutos fuisse: nam huiusmodi A febres alienum humorem admittunt, & signa eiusdem aliquando euidentiora monstrant: cum hoc tamen proprium circuitum emittere non est credendum. Nulla enim bilis quantitas, neque qualitas, aut quæuis alia dispositio nata erit ipsam bilem efficere moueri vltra citraque tertiam diem, quòd de alijs humoribus eodem modo est arbitrandum.

Argumento fidissimo profecto sunt duplices, tertianæ, vel quartanæ, in quibus licet plùs illius humoris abundet, ita vt duplicem efficiat tertianam, vel quartanam, nunquam tamen visum est, in aliam febris speciem migrasse *(dummodo humor perseueret sub propria forma)* sed semper tertianos, vel quartanos circuitus, sibi inuicem, & statis diebus respondentes.

DE FEBRIVM EPHEMERARVM NATVRA, CAVSSIS, DIFFERENTIIS, SIGNIS, ET CVRATIONE.

LIBER QVARTVS.

Licet alicui vanum, & omnino inutile videri possit, febrium ephemerarum longius contexere certamen, & prolixam tractationem, cum certum sit, sanus omnes curari nullo adbibito auxilio, quam præstito, quinimo non raro ex præsidio in putridam, aut aliud grauius malum commigrare: cum hoc tamen magni arbitror fore momenti, earum tractationem paulo diligentius *(licet breuius)* exsequi: vt constet earum natura, & apertior fiat cognitio, ac dissidium ab alijs, ne decepti specie ephemeræ, ea quæ maioris sit momenti præsidio ob id destituta, in immedicabilem succrescat magnitudinem: aut credentes putridam, vel alterius generis esse, citra indi- B gentiam id præstetur auxilium, quod læsurum sit. Quapropter breuitate maiori qua potero, earum omnium in genere conditionem, & naturam expẽdam, differentias explicabo, & cuiusque ac omnium simul signa exsequar, quo facilius sit hoc genus febrium à reliquis seiungere: tandem curationem cuiusque speciei peculiaris scribam.

Ephemera vnde dicta.

Constat ab vnius diei duratione, quæ viginti, & quatuor horarum spatio finitur, hanc febrem nomẽ sumpsisse; vel *(vt alij censent)* ab animali quodam, cuius Aristot. meminit, *lib. 5. de natur. animal. cap. 19.* quod vnius diei interuallo nascitur, & moritur, quod sanè ob id *Ephemeron* appellarunt. Quo fit, vt ea fe- C bris, quæ vnius diei interuallo finitur, *ephemera* quoque fuerit appellata, quam Latini *diariam* dixerunt.

Ephemera cuius naturæ.

Est autem huius febris natura, & conditio, mitissima, ac simplicissima, & vt Hippoc. refert *lib. prognostic.* signis firmata securissimis, quod equidem multis rationibus probari potest: Prima ex caussæ, quæ ipsam excitat ephemeram, conditione desumpta: quippe caussæ omnes externæ sunt, vel manifestæ, & quæ nullam habent prauam conditionem, neque vehementem efficaciam. Item ex symptomatis, quæ mitissima admodum sunt, & nullum sui ratione facessunt negotium. Præterea id probari amplius potest ex propria sui natura, & ratione, siquidem solum in D spiritibus sita est, *vt refert Galen. lib. de inæqual. intemper.* dicens: *ephemera generatur, si intemperies caloris spirituosam duntaxat partem inuadat*; & cum spiritus sit, *vt Galen. docet 6. de vsu part.* optimi sanguinis exhalatio, vel qui ex sanguinis exhalatione nutritur, aut reficitur, fit facilè, vt calor in eo succensus, & mitis sit, & facillimè euanescat, ac temperetur. Cum hoc tamen in huiusmodi febribus spiritus vitales *(ad quos ratio, & natura huius mali propriè pertinet)* nam (vt antea dictum est) licet animales, aut naturales succendantur spiritus, nulla suboritur febris, antequam vitales incalescant, & ex toto ponantur in calfactu esse, vt febris naturam constituãt, & omnes simul euanescant, & conterantur, haud secus quam eos accidit

Ephemera quid ab hectica differat, & à putrida.

A in hectica, licet longitudine, & prædicto subiecto ab ea differat: quia crassior est eius materia, quam quæ in ephemera succenditur: In hoc etiam differt à putrida, quia in hac non conteruntur humores, nec omnes, neque confertim, aut ita breuiter sicut spiritus in ephemera. Itaque in hac ab exurente calore *(non quidem à putredinoso, aut marcido, vt in putridis, & hecticis contingit)* spiritus simul concalescunt, nõ quidem successiuè, aut pars post partem, quo profecto fit, vt omnino temporibus careat, siquidem morborum tẽpora ex alteratione prodeant, quæ fit in materia: & cum in ephemera alteratio sit vna totalis, & semel fa- B cta, credimus omnino augmẽto carere, & etiam, quia nulla adest pugna, & ob id caret accidentibus, & vacuatione, licet declinatione fruatur vera, quia vniuersa spirituum succensorum copia dissipatur, & sic vnica tantum constat accessione. Quod si cum Auicen. velis dicere, obscura tempora quodammodo obtinere, non recusabo. Dictum est antea morbum esse factum, vt *Galen. 8. method. aduertit*, nam diaria cum hectica conuenit, quod nõn amplius dependeat à caussa, verum cum hoc idem Galen. *9. method.* se explicat dicens, de solis veris ephemeris loqui, in quibus caussa, quæ ipsas excitauit, absente, nullus est affectus, qui eas, aut gignat, vel adaugeat, ac ob id concludit, C nullam indicationem sumendam esse à caussa: secus profecto res se habet in spurijs, nam & caussam habent, & eam indicationem præstant: & licet in hac re credendum sit, ephemeram non esse morbum ratione succensorum spirituum, quantumuis sint in calfacto esse positi, solum enim *(vt dictum est)* caussæ rationem habent, sed ob calorem solidæ substantiæ præstitum, cum hoc tamen longè ab hectica *(quæ verè facta est)* differre est arbitrandum, & cum putrida conuenire, quæ in habitudine calorem tãtum habet. Quo factum est, vt spiritus quantumuis in calfacto esse existant, nullam requirant prouidentiam, vt humores, sed eorum remediorum genere curari debent, ac D diaria ipsa, & ob id non prestare eam indicationem, quam præstant cæteræ caussæ.

Ephemera non habet tempora, & quare.

Ephemeram esse factam ratione independentiæ.

Aliter enim ephemerarum febrium species licet venari, ac reliquarum: quippe hecticas diuidimus penes diuersas solidæ substantiæ partes, quas calor depopulatur: putridas vero iuxta humorum varietatẽ: at ephemeras, cum constet ex vna spirituum succensorum natura fieri, non ab ea, sed penes diuersitatem caussarum à quibus concitantur dissecare oportebit. Quæ sanè cum diuersam sortiantur efficaciam, succrescit in corpore diuersum accidens, cuius occasione diuersitatem in ephemeris constituimus. Ex qua autem diuisionis sorte solum prodeunt duo febrium ephemerarum genera, quorum vnum continet eas,

Ephemerarum differẽtia penes diuersitatem caussarũ sunt statuendæ.

Ephemerarũ duo genera.

quæ

quæ verè dicuntur *Legitimæ, & exquisitæ*: alterum vero, eas, quæ *Spuriæ* sunt & *illegitimæ*. Cum hoc tamē scimus, vtrumque genus in vna communi ratione cōuenire, nimirum in spirituum vitalium succensione, licet duratione (*vt antea dictum est*) longè dissideat, quod certeo illis succrescere, sicut multa alia, in quibus differunt, ex caussæ, seu occasionis diuersitate.

Legitima. Nam quæ *legitima* est, à caussa prodit non solum procathartica, sed recenti etiam, quæ spiritus nata sit calfacere, citra alterius rei in corpore mutationem: quæ tamen *illegitima* censetur, licet à caussa etiam procatarctica proficiscatur, non quidem à recenti, sed vetustiori facti, præterquam, quod ab internis quibusdam plerumque fiat, quas oportet esse euidentes, & manifestas: Quas certum est habere hoc proprium, & peculiare, nimirum aliquid prius, aut simul in corpore succendere, & alterare, cum spirituum succensione, quo excalfacto spiritus quoque calfiunt, & qui denuo generantur etiam incalescunt, adeo vt vere dictum sit, & necessarium existat, ad plures dies sese extendere, donec id quòd simul cum spiritibus incaluit, attemperationem susceptet, aut beneficium à natura, vel in aliam speciem commigret. Itaque in vtraque febrium sorte spiritus vitales succenduntur, verū in legitima soli spiritus vim caussæ susceperunt, & ipsi solum cum corde febrem efficiunt: in spuria vero vltra spiritus aliquid aliud vel primo incaluit, vel simul aut postmodum.

Illegitima.

Ephemera spuria multiplices, et quo modo inter se differant. Quæ sanè vlnma, & illegitima species in multo plures subdiuisa est, iuxta diuisionē, & naturam caussarum, quæ ipsam excitare habent, velut est *Cruditas, leuis obstructio, externa inflammatio*, & reliqua eius naturæ, in explicatione caussarū latius sum monstraturus. Hoc tamen differentiæ habent prædictæ caussæ, quòd ex his quædam protinus principium actionis inferunt in spiritus vitales: aliæ in animales: nonnullæ insuper in sanguinis halitum, & mox calfaciunt vitales spiritus, à quibus vera rao ephemeræ febris suboritur.

Ephemera qua ratione ad pluresdies prorogari possit. Verum quanam ratione credibile sit, *ephemeram posse ad plures dies prorogari*, nunc in examen reuocare oportet: nam id videtur esse impossibile, siquidem ea est spirituum conditio, & natura, vt non possint, dum succenduntur, vltra viginti quatuor horarum spatium durare, quin antea deficiant, & resoluantur. Quod experimento reliquarum ephemerarum satis esse probatum arbitror, constabit igitur, si diu protrahitur, non vnam esse ephemeram, sed plures simul iunctas, vt etiam ex neotericis Herculanus p ofitetur. Verum dicet aliquis, certum esse, *spirituum substātiam non posse vltra id tempus vstionem perferre*: cū hoc tamen ex parte caussæ, quæ non adeo vehementer operetur (*vt ea quæ vno die spiritus habet contere*re) prodire vt plurium dierum spatio spiritus resistere possint vstioni, siquidem tanto tardius spiritus succēdi, & conflagrari est opus, quanto caussa lentius, & debilius egerit: qualis naturæ est vapor crudi alimenti, & sanguinis, vt non nisi in prædictis diebus vniuersi spiritus in totum conflagrare possint: ex quo prodit, vnam esse ephemeram, eamque diuturniorem ratione debilitatis caussæ, licet spiritus celerem ex natiua conditione sortiantur exustionem. Aduersus quā euasionem stat etiam esse adhuc inter ephemeras, quæ vnius tantum diei spatio finiuntur, & cum hoc à longè debiliori caussa suboriuntur, velut est quæ ex inedia, timore, & tristitia suboritur, & cum hoc breuissimo spatio consumuntur, & euanescunt spiritus:

Solutio. Ergo *consignanda est alia caussa præfatæ longioris durationis*. Hanc profectò nos arbitramur esse perstantiam, & durationem caussæ, non debilitatem (*siquidem calfactus sanguis vehementissimum succendit calorem, longè magis quam metus, & mæstitia*) nam cū legitimarum febrium ephemerarum proprium sit, affectus esse factos, hoc est independentes à caussa, quæ ipsos excitauit, prodit quidem ea ratione, spiritus conflagratos vno die finiri: quia nulla est caussa, quæ reliquos calfaciat, & semel calfactos, certum est finito tempore finiri. At in spurijs ephemeris, ob id diutius conspicimus incendium durare, quòd caussa quæ omnibus illis diebus durat, & viget, omnes etiā spiritus vt noniter generantur, valet exurere, & tamdiu durat exustio, quamdiu caussa operatur, & spiritus denuo generantur, donec euanescente caussa, & resolutis ex vtrisque geoiris spiritibus, qui deinceps succrescunt, superstites euadunt, & sic cessat febris, vel si non cessauerit, in aliam diuersæ naturæ commigrasse est coniectandum.

Dubium. Quod si quis dixerit pari ratione, si caussæ perstantia occasio est durationis ephemeræ, sequeretur necessario, ex putrida febre semper spiritus conflagrare, & sibi comitem habere ephemeram, & præstantiori adhuc ratione hecticam posse idem efficere, conijciendum est.

Solutio. In cuius dubij enodatione expendendum erit, longissimis distare interuallis prædictas caussas: nam putrida febris, licet spirituum ponat in calfieri maximam partem, reliquam tamen ob vehementiam putridinosi caloris, antequam febrem concitare possit, conterit, & resoluit, & ferè simul est calfieri spiritus, & resolui. Quo fit, vt ephemera sit morbus, & is sit affectio permanens, & ante hanc permansionem calor putridæ, & hecticæ quosdam spiritus conterunt, & alios calfaciunt. Quæ sanè caussa est cur citius resoluantur antequam calfacti febrem concitare possint, quòd alijs caussis nō euenit: nam cum subito & affatim ingruant, omnes spiritus simul calfaciunt, & vrunt: at in his febribus lentè, & paulatim disponuntur, & calfiunt, ita vt leui calore dissoluantur, & insensibili resolutione euanescant citra febris succensionem.

De ephemerarum caussis. Est proculdubio ephemerarum febrium per caussas adeo vtilis, & necessaria ad curationem, & cognitionem tractatio, vt iure optimo teneamur eas diligentius expendere, & specialius senhere, licet earum nulla habenda sit in curatione prouidentia, sed iuxta effectum quem ante spirituum succensionem in corpore relinquunt: præterquam, quòd in spurijs ephemeris non parum ad curationem conducit caussarū cognitio. In qua sanè re licet certum sit, febrem ephemeram tot posse sortiri caussarum genera, quot quāuis aliam febrem, aut calidum intemperamentum (*putredine excepta*) vt optimè Galen. aduertit *lib. de causs. morborum cap.* 2. *&* 1. *de differ. febr. cap.* 3. cum hoc tamen, vt etiam Serapio sentpsit 6. *breuiary c.* 1. ad quatuor potissima genera omnes caussæ reducendæ sunt, quo clarius, & expedius possimus eas omnes, & complecti, & ad peculiare genus reducere.

Ephemerarū caussæ ad quatuor genera reducū tur, et quę sint. Sic profectò *primum* genus continet caussas omnes, quæ externus corpori occurrunt: *Secundum*, quæ corpus ingrediuntur: *Tertium*, quæ passionem inferunt in animam, aut corpus: *Quartum* vero & vltimum, symptomata omnia: quæ vero extrinsecus corpori occurrunt, sunt veluti *contactus calidæ substantiæ, vel æstiuis, & calidissimi aeris occursus, ignis, balnei feruentis, aluminosæ, vel frigidissimæ aquæ*, à quibus, vel calori succrescit augmentum, vel natiuus effluxus prohibetur. At quæ in corpus subeunt, sunt *cibi, potus, & medicamenta*, quæ si calidiora sunt, aut plus iusto ingeruntur calorem augent, & spiritus accendunt, sicut fames, quam in hoc etiam genere contineri multi asseruot, etiam si non displiceat ad animi motum referre. Quæ passionem inferunt, sunt animi, & corporis motus atque passiones: symptomata vero sunt velut *dolor, vigilia*, & eius naturæ non pauca.

Rectius reducuntur ad duo genera. Quibus suppositis, expendendum est, ephemeras febres, duas, *vt dictum est*, constituere differentias, & ita quoque has omnes caussas ad duplicem sortem esse reducendas statuimus: vnam, quæ *Veras*, & exquisitas progignit ephemeras: alteram vero, quę *Spurias*, & illegitimas,

quas

quas etiam clarioris doctrinæ gratia, *in Procatharticas*, & recentes, ac *in euidentes*, & Antecedentes consulto diuidere studui, vt apertius subinde constet medendi via, & ratio. Sed expendendum nunc etiã est, an *ephemeræ febres continentem habeant caussam:* Medici ferè omnes habent tanquam verum, & firmum præceptum, ephemeris solum primitiuam caussam esse propriam, hecticis antecedentem, putridis autẽ primitiuam, antecedentem, & coniunctam. Atqui non defuere etiam, qui ex vetustioribus caussam continẽtem hecticis, & ephemeris subscripserint, quòd credant omne quòd est, quam diu habet esse, habere etiam, & conseruans diuersum ab eo, quoniam cõseruans, & conseruatum non sunt idem: Sic in diarijs conseruans censent esse subtilitatem substantiæ, & caliditatem, ac raritatem, & coadunationẽ spirituũ ipsorum: & in hecticis promptitudinem humiditatũ partium radicalium ad inflammationem. Ego tamẽ longè aliter de hac re sentio: quippe qui existimem, ephemeras spurias omnes caussam habere antecedẽtem, & continentem, non tamen quam ipsi censent, sed vel humorum crudorum succensionem, vlcus, inflammationem ve externam, vel cutis dẽsitatem, aut sanguinis excalfactionem, quorum omnium durationem sequitur etiã spirituum vitalium succensio, quæ *ephemeram* subinde plurium dierum appellatam procreat. Nec ob id credendum est, vt multi falso autumant, ephemeram periodos, & circuitus habere: quia solum quod ephemeram gignit, spirituum est materia, quæ proximè existit, non quidem ea, quæ in corpore præalteratur, vt in reliquis febribus humoralibus contingit. Sed vt ad pensum redeam, sciendum est, huius naturæ esse febres, quæ ex bubonibus prodeunt, aut ex quauis alia externa inflammatione, sub quibus inflammationem colli vteri non comprehendo, nam vteri inflammationem non arbitror ephemeram posse efficere. Itaque in externis inflammationibus alteratione per continuum facta, ephemera concitatur febris, vt Gal. 1. *de differ. febr. cap.* 5. apertè docuit *in inflammationibus autem, & putredine, quæ aut in visceribus, aut in magnis vasis fiunt, quidam velutí fumus ex putrescentibus humoribus ad cordis ventriculos peruenit, & putridam concitat febrem.* Galen. enim vbique ephemeras distinguit a febribus, quę ex partis alicuius internæ inflammatione proficiscũtur, vt 3. *de præs. ex pul. c.* 7. & 1. *ad Glauc. c.* 3. & 2. *de crisib. c.* 11. expressè fatetur. Cui etiam caussarum generi reduci possunt febres, quæ ex vlceribus prodeunt: quæ sanè vlcera, licet sui ratione ephemeras nequeãt excitare, dum inflammaotur tamen, aut cruciantur dolore magno, ephemeras efficiunt, sin aliter, aut putridã, aut si diu perstiterit vlcus, maximè si viriosum effectum fuerit, hecticam.

Dubium. Ephemeræ an continentem habeant caussam.

Ephemeræ spuriæ omnes habent caussam antecedentem & continentem.

Eph. circuitus nõ habent.

Inflãmationes, & viscerum putredines ephemeras nõ concitãt.

Signorum iuxta ephemerarum cognitionem, duplex existit genus, quoddam enim in communi complectitur signa omnia, quæ calorem harum febrium ab aliarum calore distinguunt. Reliquum vero cuiusque speciei signa in particulari continet. *Primum* sanè genus docet ephemerarum notitiam ediscere ex multis, nimirum ex symptomatis, ex his, quæ ad substantiam pertinent, aut ab ipsis caussis efficientibus. Horum aliqua propria huic generi soli licet non omni, alia omni, etsi non soli, nonnulla vero omni, & soli, quod genus maximè proprium, & pathognomonicon ephemerarum febrium existit. inseparabile autem signum est (*licet non sit proprium solis ephemeris, quia commune etiam est hecticis, & putridis*) à procatharticis oriri caussis: quod quidem etiamsi omnibus sit commune, cum hoc tamen inseparabile existit ab his ephemeris quæ exquisitæ sunt. Et vt id apertius exprimeret Auicen. *fen.* 1. 4. *cap. de sig. ephem.* scribit, quod de proprietatibus earum est, quod ipsæ non fiant à caussis antecedentibus. Sed intel-

Ephemerarũ signa duplicia.

Signũ 1. à symptomatibus.

Ephemerarum signum inseparabile.

A ligendum est, caussam hanc procatharticam recentem debere esse, nam vetusta, aut diu perseuerans alterius naturæ febres moliri nacta est: cum hoc tamen huius naturæ febres optimè dignoscuntur per relationem ad caussam à qua febris succenditur, volut *æstus, ira, mæror*, & huius census alia. In quibus etiam continentur, quæ è bubone fiunt, aut externis inflammationibus, & leui obstructione: quæ sanè occasiones, licet procatharticę non sint, sunt tamen euidentes, & leues, sicut ea quæ à cutis densitate fit, si à caussis oriatur procatharticis. Nam in omnibus his febribus, sicut in his quæ verè exquisitæ sunt, formalis ratio vna, & eadem est, nimirum spirituum succensio, aut sanguinis efferuescentia, quæ tamen, licet diei
B vnius spatium excedant, cum à caussa fiant externa, aut euidenti, ad diarium genus reducit Galen 9. *method. cap.* 1. & 1. *febr. cap.* 3. Secundum igitur signum est ab vrinis desumptum: vrinę enim in his omnibus omnino similes naturalibus, aut parum ab his diuersæ, bene coloratæ, & tinctæ existunt, *vt Galen. docet* 1. *febr. cap.* 7. Quibusdam tamen harum nebula adest, alijs eneorema, alijs vero sedimentum, *vt docuit idẽ Auctor lib.* 2. *de crisib. cap.* 13. quia cum omne absit humorum vitium, à quo inquinari possit, pronius excernitur cocta, signum profectò inculpatorum humorum, nisi aliquid aliud vitians accesserit, vt in his ephemeris, quæ ex cruditate prodeunt. Quippe in his albidior non raro apparet, signum quidem impensæ
C cruditatis, cuius calor si cito non remittatur, sæpissimè in putridam commigrat, & præludium est maioris mali, *vt suo loco latius sum monstraturus*. Interim tamen statuendum est, signum hoc maximè esse ephemerarum proprium, ita vt & solis, & omnibus saltem legitimis conueniat: etiamsi in morbis materialibus, qui quarto die terminari debent primo etiã die vrina talis appareat, sed ob id dictum est Galen. primam vrinam in ephemeris talem fore: at in illis morbis in principio, die videlicet prima talis mingitur, non quidem prima vrina. Pari etiam ratione tertium signum ex pulsu desumptum, omni & soli ephemeræ conuenire est arbitrandum. Duobus enim modis pulsus patefacit huius febris naturam: vno inte-
D rim dum viget febris: altero vero dum recessit. Præsente enim febre licet pulsus sit magnus, & celer, nullum tamen inflammationis habet vestigium, neque inæqualitatis, aut saltem summè obscurum, quia nullum adest in instrumentis vitium, aut quam leuissimum, velut contingit in his qui ex densa cute, aut obstructione, inedia, aut immodico exercitio, prodeunt, quæ peculiares existunt harum febrium conditiones, licet non omnium. *Accedit* etiam, quod prædictam æqualitatem per omne tempus seruant ephemeræ febres, quod nulli putridarum datum est. Cum hoc tamen certissimum existit, dilatationem longè maiorem, & celeriorem esse compressione, eò quod calor solum eretetur citra humorum corruptelam, à
E qua fuligines eleuatæ compressionem accelerant ad sui excretionem moliendam, quod de quietibus interna, & externa pari mensura ob eandem caussam iudicandum est. At licet hæc vera sint, cum hoc tamen monet Galen. 3. *de præsag. ex puls.* ratione caussę febrem concitantis, prędictam pulsuum harmoniam aliquando variari. Nam pulsum paruum, & imbecillum reddunt fames, nimius labor, & alia quæ vires eneruant, sicut ventriculi affectus, & cordis morsus. Qua ratione censeo dictum esse Auicen. signa ephemerarum plurimum euariari: *sæpe enim* (inquit) *in ephemera vrina tincta est, pulsus diuersus, debilis, & paruus:* quæ sanè potius ad caussam quam ad effectus naturam referenda sunt, nã huiusmodi caussæ spuriã ephemeram, & plerunque putridã excitare natę sunt. Absente v. febre pulsus protinus ad natiuum, & antiquum regreditur statum, quòd alijs febribus contin-

Ephemerarum ratio formalis vna.

Signũ 2. ab vrina.

Signũ 3. à pulsu.

Pulsum quæ variẽt.

gere non scimus: nam intermissionis tempore inæqualitas quædam adhuc remanet, indicium profectò euidentissimum putrescentis humoris, *vt Gal. aduertit 1. ad Glauc. cap. 2.* Dimitto consultò hac in parte, ne videar longius signorum tractationem protrahere, nullam ephemeras febres habere compressam annotationem *(haud secus quam hectica)* nisi id ratione alicuius causæ, quę spuriam reddat ipsam ephemerã, succrescat: nam ex propria lege eam obtinere est omnino impossibile, siquidem ea, quæ legitima est, *vt Gal. docet 1. de diff. febr.* neque horrorem aliquem, neque extremarum partium perfrigerationem, neq; ad somnum propensionem, aut ad vigilandum pigritiã, neque inæqualitatem aliquam in pulsu, aut cõtractionem, quæ conspicuè appareant, vsquã sortitur. Quod si aliquando horum aliquid reperiatur, id quidem in spurijs, & quæ ex cruditate, vel perfrigeratione prodeunt, potius quam in veris, & legitimis comperies.

Signũ 4. à substãtialiter inhærentibus.

Quartum signum, quòd etiam ephemeris proprium exibet, à substantialiter inhærentibus desumptũ, maximam in hac re præstat cognitionem: nã cum substantia febris consistat in calore præter naturam; qui diuersum modum in diuersis febribus habet, ideo signum ab eo desumptum, à rei substãtia duci certum est. Sic enim calor suauis, & mitis existit, si ad cęteras febres fiat collatio, *vt ex Gal. const. 2. de crisib. c. 13.* nã quantumuis appareat leuis, & familiaris, caloris natiui respectu insuauitatem habet, & molestiæ nonnihil præbet, sed facta collatione ad alias febres, longè est suauior, & vaporosior, idque primo manus occursu, & posterius. In quo sanè calore hoc peculiarius conspicimus, quod à principio ad statum vsque calor æqualiter crescit, & pulsus cum æqualitate augetur. Ratio quidem est, quia nulla interest earum in pulsibus coarctatio, sicut in febribus, quæ in humoribus succenduntur, quod Hippoc. intellexit per febres statim ardentes, & alias increscentes. Ac licet tertianis hoc signum quoque aliquando reperiamus, *vt ex Galen. constat in 2. de crisib.* non tamen ita manifestè id conspicimus: quocirca id signum, sicut & caloris suauitatem satius duxi inter propria reponi, quòd licet aliquibus etiam conueniat, ephemeris tamen inest præcipuè & præ cæteris, *vt 1. de differ. febr. cap. 6. Gal. aduertit.*

Ephemerarum calor suauior, et vaporosior cæterarũ febrium.

Signũ 5. ab ægri facillima tolerantia.

Sumitur profectò quintum signum, quod non est minoris momenti à facillima ægri tolerantia in ferẽdo morbum, adhuc in summo eius vigore, vt *Aetio visum est, Tetra. 2. serm. 1. cap. 58.* cui accedit purum admodum interuallum, & perfecta inclinatio, quod alijs febribus, quæ putridæ sunt, minimè accidere scimus, nam semper post accessionem aliquod mali vestigium superest, quo nobis constat præcedentem febrem non fuisse ephemeram. Quibus etiam accedit, symptomata, quæ præfuerant in corpore, vt capitis dolor, simul cum febre aboleri: habet tamen hoc proprium, quod nullum temporis discrimen cognoscibile sit.

Signũ 6. à symptomatibus.

Sextum vero & vltimum signum ex his, quæ accidunt in huius febris inclinatione, petitur: inclinat enim febris hæc cum Sudore, vel Rore, aut humido, & satis copioso Vapore. Quæ sanè conditio nõ paruam dubitandi præstat ansam, *quanam ratione cum certum sit, has febres ab humore non pendere, in earum inclinatione copiosus prorumpat sudor, conditio profectò putridis magis propria.* Cui respondendum arbitror (posthabita eorum opinione, qui spiritus abire iuxta cutim in aquam censent: quod difficile videatur sic cum natura, & visione spiritum in aquam mutari. Præterea nec omnino admissa Stephani Atheniensis, *lib. 1. ad Glauc.* sententia, qua probat id fieri, quia in declinatione pellitur attenuatũ propè cutim existens excrementum) haud secus in his sudorem fieri, ac in sanis corporibus, & inculpatis ab immodico & calorifico exercitio: nam cum eo tempore corpus vniuersum incalescat, facilè attenuans, & ad cutim

Sudor qui fiat ĩ ephemera cum tamen ab humore non pendeat.

A euocatis succis mador erumpit. Sic profectò ab spiritibus calfactis in arterioso, & venoso genere, corpus etiam & humores incalescunt, & consimili ratione sudor erumpit ab incremento ad inclinationem vsque febris. Nec idem videtur esse, sudorem erumpere, ac vaporem, aut madorem: nam à diuersa prodeunt facultate, aut materia. Siquidem dum materia, quæ in corpore mouetur, aut liquatur, pauca est, tenuis, & paulatim fertur ad cutim, sæpius insensibiliter discutitur, maximè si calor validus sit, aliquando in speciem vaporis exhalat, si remissior sit calor, & materia crassior, aut copiosior, ac repentè moueatur, tunc enim madores, aut sudores erumpunt; quod profectò nouisse maximi est momenti.

Ephemerarũ signa à varijs rebus desũpta cognoscuntur.

B Cum potissima distinctionis febrium diariarum ratio à causæ diuersitate, & peculiari natura desumẽda sit, *vt antea statuimus,* & causæ huius cognitio citra interrogationem habita, non parum honoris, & auctoritatis medico comparet, & laboranti ad curationem summopere prosit *(non quoad ipsam causam quæ iam abijt, sed quoad effectum in corpore relictum)* ob id profectò magni esse momenti sum arbitratus, cuiusque seorsum signa, & sigillationem in corpore relictam, postquam caussa abijt, docere. Sic enim, qui ex *Ira* febricitant, pulsum habent magnum, crebrum, & vehementem ob impetum ad vindictam exsequendam in potentijs excitatum: præterea calor his copiosior est, non mordacior: iratis etiam oculi

Ephemeræ ex ira signa.

C non cauantur, neque decolerati fiunt. Quibus prorsus contrarium accidit in his, quibus *tristitia* febrem concitauit, nam & pulsum habent paruum, tardum, languidum, & rarum ob caloris rationem, aut secus, quam *timore* correpti, nisi timor recens fuerit: nam tunc celerior, inordinatus, inæqualis, & vibratus efficitur. Pari etiam ratione *tristatis* calor non adeo est copiosus, aut mordax, & acris, cum hoc tamen ob calorem genitum naturalem excedit, & in præfatis differentijs mutatio ad naturam caloris adaucti persentitur; at qui diu *vigilarunt*, & ob id febre correpti sunt, oculos habent cauos: sicut qui tristitia, aut timore corripiuntur diutino, qui vero præ vigilia contabuerunt, licet cauos habeant oculos, & ex calidos, tu-

Ex tristitia.

Ex vigilia.

D mentes quodammodo habent palpebras: nam hi, qui febricitant ob vigilias, subtumidam habent faciem, & oculos, ac palpebras tardè mouent, ob vaporum multitudinem, qui non fuerunt probe resoluti: suntque ipsis oculi excalidi iuxta angulos, tumidi vero in palpebrarum summitatibus, tristatis tamen, ac cogitabundis omnes sicci. Sed *tristatos à cogitabundis distingues*, quod cogitãtibus, corporis tenuitas, oculorum cauitas, insolita decoloratio maiores sint, & manifestiores, quam tristatis, quod Galen. 2. *de crisib. & 1. ad Glauc.* pulchrè aduertit: omnibus tamen animo affectis vrinæ coloratiores conspiciuntur. Verum si ex *bubone*, aut quauis alia externa inflammatione febris suboriatur, manifesta profectò existunt signa,

Tristati à cogitabũdis differunt.

Ex bubone.

E vt facilè colliges *lib. 1. ad Glauc.* Cum hoc tamen distingues, *putridane sit, an ephemera*, quæ ex bubone prodit, nam ephemera mox à principio pulsum edit magnum, celerem, cum copioso, & miti calore, & rubore maxillarum, & albicante vrina, quod humores ad locum bubonis confluant. At putrida, vel cum rigore incipit leui, aut cum pulsus contractione, aut frequenti horripilatione: vrina coloratior mingitur, & facies pallescit, ac extenuatur. Qui vero ex *lassitudine* laborant, cutim habent aridiorem, quam sit in quacunque diaria: siquidem in exercitatis prodit febris vehementi exercitatione calfactis musculis, neruis, ligamentis, & articulis, adeo vt eorum, & cutis etiam humiditas dissipetur, & eo magis, quo immoderatius fuerit exercitium, in quo quidem nihil sudant laborantes, quod omnis dissoluatur humiditas: in leui vero exercitio ex alto corpore ad cutẽ calidus

Ex lassitudine.

dus erumpit vapor. Quo fit, vt vehementius exercitatis etiam post febris vigorem perseueret siccitas, resoluto nimirum vapore, tum motus vehementia, tum corporis habitu calidiori. Quod si cum labore simul adsit temporis frigiditas, aut æstus, cutis longè intensius arida per totam accessionem permanebit, nam frigus sudorem cohibet, impensa caliditas dissipat. Pulsus præterea non fit in omnibus similis, nam fatigans, & quibus sudor ob id non erumpit, non efficitur valdè magnus: ijs tamen qui supra modum fatigantur, paruus ob dissolutam facultatem existit.

Ex frigiditate, aut æstu.

Atque hæc sunt signa quæ peculiares has caussas monstrare habent, cæterum supersunt ephemeræ, quæ ex *obstructione, aut cruditate* prodeunt, quarum signa, & curationem proprijs capitibus iam leges, si prius febrium diariarum in communi medendi rationem scripsero.

Ex obstructione.

Febrium diariarũ in communi medendi ratio duplex.

Memini me scripsisse *lib. de rect. præsid. art. med. vsu*, simplicem affectum, simplicem quoque ex se præstare indicationem, ita vt solum ex adhibitione contrarij auferatur, citra alterius rei considerationem. Verum si plura sint in affectione, quæ consideratonẽ peculiarem requirant, vt caussæ, vel symptomata, vel alterius affectionis commercium, tũc profecto vnius rei indicatio parui erit momenti, sed multiplex futura est, iuxta eorum, quæ in vno morbo coeunt, varietatem, & numerum. At quia omnis febrium ephemerarum differentia a caussa proficiscitur, duplex subinde erit curandi eas indicatio, & methodus: *Vna*, quæ ephemeris absente iam, & recedente caussa debetur; C *altera* vero, quæ caussa adhuc cum febre superstite,
I. peculiarem præscribit curandi rationem; *Prima* curandi via, quæ absente caussa desideratur, duplex est, nam aut caussa abijt, & nihil aliud reliquit in corpore præter febrem, & hæc, cum morbus sit immaterialis in solo calore immodico situs, tantùm per contraria desiderat correctionem, & attemperamentum, vt optimè Galen. aduertit 11. *method. cap. 2.* dicens, *quod diariarum, & becticarum propria est curatio:* vel rursus licet caussa abierit, reliquit in corpore præter calorem aliquod sui vestigium, cuius maxima prouidentia habenda est, vt in *vigilia, fame, immodico exercitio, cutis immodica densitate ab insolatu, aut frigore*, quibus profecto ante caloris attemperationem prouiD
II. dendum est. Dum vero caussa adhuc permanet, velu ti in obstructione, aut bubone contingit, longè aliter curationem instituere oportebit: hoc tamen est vtrique generi, & cuique eorum speciei commune, quod si corpus naturali fruatur habitudine, optima temperie, & omnino à cacochymia, aut ab excrementorũ exsuperantia immune sit, tunc profecto, vel nullo adhibito præsidio, vel leui, res ad antiquum regreditur statum. Verum si morbosius præsto sit in corpore apparatus, non solum in medicis auxilijs, verum & in victus, & potus ratione, maxima habenda est cura, ac diligentia. Quod si caussa adhuc præsto sit, demenda protinus est: Cæterum si caussa absente aliquis supersit in corpore affectus, tunc profecto iuxta naturam E damni, & iuxta impressum effectum, ex his, quæ vtualia sunt, quod vtilius fuerit administrare oportebit. His enim in vniuerso institutis medendi rationẽ partitam esse, iuxta duplicem effectum, quem caussa in corpus imprimit, coniectandum est (quoniam dum caussa adhuc præualet, specialiorem requirit curationem, *vt mox scribam*) quippe aut resoluunt caussæ aliquid eius, quod in corpore est, vel ipsum certo quodã modo replent. Sic enim ex ephemeris febribus, dum caussa iam abijt, quædam potu, & alimentis expostulant humectari, & refrigerari: alia quidem exsiccari, ac euacuari saltem inedia. Quę vero refrigerationem exoptant, licet omnes calore polleant, plerunq; sunt, quæ potissimum à caussa prodeunt primo, & per se calfaciente, vt ab ebrietate, vsu medicamentorum

A calidorum, ex insolatu, ira, & gaudio: nam quæ ex accidenti incalescunt, vt quæ ex mœrore, tristitia, labore, & inedia, maximè in calidioribus temperaturis prodeunt, secus se habent, quippe humectari magis, ac refici expostulant.

Quapropter ijs cibis, & potibus indulgendum est, alijs in quibus prorsus viget calor, frigidis asperginibus, quiete, & aere temperatiori facto, omnibus tamen vino subuenire oportet malo inclinante, præterquam ijs, qui ex ebrietate febricitant, sanguinis incendio, bubone, dolore, ira, cutis densitate, & bilioso existunt temperamento, quos inedia macerare oportet, donec vel ex toto calor euanescat, aut saltem è ventriculo descendat calfaciens inflammataq; caussa. Quibus etiam vinum omnino denegare oportet, B nisi ventris cruditas, & caloris defectus, aut spirituũ resolutio, & animi angor contrarium instituerint: quos etiam à balneorum vsu cauere oportet: Nam longè magis vlteriori spirituum resolutione, & languore contabescent. In alijs vero, vbi calor, siccitasque & incendium, copiosiores sunt, balneorum vsus magni foret momenti, ni iam diu recessissent ab vsu, quorum loco aeris attemperatione, & frigidis asperginibus vtendum erit. Itaque tam est leuis ephemerarum calor, vt nisi quis agendo erratum committat, raro sua spontè in maius malum commigrent: quapropter longè minus committitur error, nullo præstito auxilio, sed sola instituta vitæ, & victus proba ratione, quam adhibito, si forsan importunè adC hibeatur.

Inter omnes febres diarias ea promptius, vel nullo erratio commisso, in putridam commigrat, quæ ex cutis densitate, vel obstructione leui suboritur: quare studui hac in parte hanc occasionem diligentius docere cognoscere. (*Nam forsan ob eam, & similem dixit Galenus ephemeram esse difficilis cognitionis, & facilis curationis, sicut ob legitimas diarias esse facilis curationis, & cognitionis*) & præcauere atque curare, vt quæ frequentissimè in grauiora mala degenerare soleat. Diuidere præsens caput in duas potissimũ partes antea studui, quod duplex sit obstructionis, à qua febris hæc oriri possit, modus: Vnus cum solum cutis foramina coostipantur, alter vero, cum penitiora D loca, & poros etiam cutis leuis obstructio occupat. Nam licet vtraque causa ephemeram nata sit efficere, non tamen æquale periculum est commeatus in putridam: præterquam quod inter se longè differũt, cum obstructio solum fiat ab his, quæ foramen intrinsecus repleant præter naturam: cutis vero densitas ab his, quæ extrinsecus foramina comprimant, & coarctent. Quapropter vtriusque seorsum meminisse, operæ pretium duxi.

Ephemerarum ab obstructa cute signa & curandi ratio.

Obstructio duplex, & quid differant.

Cutis igitur densitas, in qua meatuum angustia viger, licet à varijs proficiscatur caussis (*vt mox referam*) solum adstricta passio censenda est, ea quæ ex densante frigore, aut adstringente aliqua qualitate, vt *aluminosa aqua*, affatim condensante prodit: nam E reliquæ caussæ, quę id etiam videntur efficere, vt *solis æstus, labor vehemens, ignis, aut duræ frictiones*, non quidem adstringunt, sed potius siccant, durant, & cõtrahunt, haud secus quam corio madido igni admoto contingere scimus. Atque licet passio ab vtraque caussa prodiens diuersa sit, cum hoc tamen sunt inter signa plura, quæ vtrique communia existunt, calida enim in vtraque cutis existit, modo ex frigore, aut adstringente aliquo fiat densatio, modo ex insolatu, aut frictione, vel grandi exercitio. Sed refrigeratis, calor ab initio mitior, deinde acrior apparet, vrinæ ijs ruffæ non sunt, neque oculi caui, sed potius prominentes. Exustis vero cutis magis mutatur ad caliditatem, & siccitatem, quam pulsus ad differentias febriles, quæ copiosum calorem ostendere natæ sint: quo fit, vt hi minus siti molestentur, quod

Densitas cutis quid, & vnde oriatur, et quibus curetur.

Refrigerati, & exusti in quibus differant.

externæ partes internis sint calidiores, & ob id primo manus accessu ardentiores videntur: qui vero ex refrigeratione febricitant, cum è profundo corpore emergat calor, minus calidas habent, sed processu temporis calor intensior conspicitur. Dissident præterea quia refrigeratis corpus totum magis in tumorem eleuatur, aut saltem non minuitur, quam exustis, quoniam exustorum corpus calore ambientis dissoluitur, & extenuatur: Refrigeratorum vero à retentis vaporibus, & excrementis impletur, ac distenditur. Præterea refrigeratis tumet, exustis extenuatur, sed nó semper: Nam aliquando à caussa calfaciente caput repletur, & facies etiam subtumida apparet. Item licet vtrisque caput repleatur, & ob id ambo grauedine, aut distillatione premantur, maximè si corpus vitiosis succis scateat, dissident tamen, quia ex calfactis valdè impletur, non quidem æquè refrigeratis, *vt Galen. aduertit 1. de differ. febr. cap. 13.* dictum enim est, in vstione promptius, & magis caput repleri: quod intelligendum velim, non solum in impuris corporibus, verum & in puris: Nam puro adhuc existente corpore, bonus ipse sanguis, & quantitate moderatus per corpus effusus ad caput immodicè defertur, & ipsum procul dubio implet. Insuper vrinæ in vtraque cutis densitate non plurimum mutantur, neque ad flauum vertuntur, vt in animi passionibus ob internam humorum, & spirituum ebullitionem, cum hoc tamen ex frigore laborantes intensiorem mingunt ob retrocessum excrementorum. Præterea qui ab incalfactione febricitant, frigidis iuuantur, & gaudent aere, & aspergınibus, maximè in capite, & iuxta dorsum, vbi maius apparet incendium, quo fit, vt citissimè refrigerentur, & incalescant, *vt ex Arist. constat 2. de par. anim. cap. 7.* Atque licet vstis, & refrigeratis febris diaria succrescat, idque fit ob spirituum succensionem; non tamen in vtroque fit eodem modo. Nam refrigeratis oritur febris ob recursum caloris, & fuliginosorũ excrementorum ad viscera, ob cutis densitatem: quo fit, vt crebriores fiant hyeme pleuritides, *vt Hippocr. docuit 3. aphor. 17. & 20.* & eadem ratione ex laborantibus calida iecoris intemperie, non pauci hyeme deterius se habeant. Exustis vero, febris succrescit ob calorem capiti, aut toti corpori, à sole, vel à re aliqua calfaciente communicatum. Circa pulsus autem arbitrandum est in vtraque affectione non esse minores, quam in tempore sanitatis; non tamen possunt apparere maiores, ob vinum quod vel in cute, vel in instrumentis, in vtraque affectione succrescit. Ad curationem igitur huius febris accedendo, longè aliam expostulant curationem hi, quibus ex frigore cutis densatur, ab ea, quæ proficua est his, quibus ex calore cutis corrugata superest, & ob id cuiusque seorsim meminisse oportebit.

Ephemera ob densatam à calore cutẽ curatio.

Qui enim ex insolatu, aut alia calorifica caussa, & quæ vim habeat dissoluendi spiritus, cutem habent siccam, & ob id febre corripiuntur (*nulla habita apparatus morbosi cognitione, nam si adsit, ab eo sumpto* E *principio, purgandum quidem prius est: Nam in hoc casu nulla subest plenitudo, quæ sanguinis missionem expetet, quia incipit affectio ab euacuatione per resolutionẽ facta*) refrigerari, & humectari protinus ab initio desiderant, tum cibis; tum vero potibus: neque vllam ferunt frictionem, nisi leniter, & blandè fiat admodum, perfusionibus ex rosaceo, aut oleo dulci, vel amygdalarum dulcium, aut sesamino, cum modico butyro vaccino. Eadem vero ratione caput dulci aqua, vel lacte lauare oportebit, si nec defluxione, neque ipsius plenitudine laborauerit: item hydræleo ex rosaceo, aut oxyrrhodino tepido caput sæpius perfundendum est, denique ea est instituenda curandi ratio, quam capite dolentibus diximus esse proficuam. Quatenus vero ad victum, & potum attinet, scito, in cute adstrictis, & bubone affectis tenuem perpetuo,

A & parciorem esse ministrandum, sicuti in edia, & labore confectis copiosiorem, & boni nutrimenti; à vino enim arcendi sunt sic affecti, maximè si morboso polleant apparatu, in resolutis verò liberalius eo vti oportebit, diluto tamen.

Ephemera ex densata à frigore cute curatio.

Qui vero ex frigore, vel cõprimente aliquo cutim habent adstrictam, si nullus adsit in corpore morbosus apparatus (*nam si adsit, leuiter prius ab aperta cute sanguinem mittere cunctandum non est*) eam tantum curationem desiderant, quę per cutis raritatem, & apertionem perficitur, vt qui prohibetur effluxus, liberè spiret, & ob id febrilis calor euanescat. Quod profecto opus, si quis legat Galen. & reliquos auctores, comperiet, nullo alio auxilio commodius fieri, quam B per balnea: verum cum his nostris temporibus notissimum sit, parum in vsu esse, alijs facilioribus, & tutioribus auxilijs rem agere oportebit. *Præterquam* q̃d nullum reperies corpus adeo ab humorum, & excrementorum exsuperantia, aut vino immune, quod libere balneis committi primo accessu, & citra præmissam aliquam vacuationem possit. Sic enim Auic. canone 4. *cap. 9.* balneum cauet ab his, quibus putredinosus adest apparatus, aut obstructio, vel distillatio, aut nauseatiua satietas. Quapropter (*siquidem vacuationibus quæ hæc mala præcaueant in ephemera hac non datur locus, præterquam detractioni sanguinis, quæ ob plenitudinem huic affectioni semper comitem summopere primitus est necessaria*) alijs est vtendum præsidijs, C quæ & tutiora sint, & idem beneficium præstare possint, ac præcauere, quo minus hæc degeneret in putridam, vt non raro solet. Sic enim primo accessu linteis mollibus fricare oportet, & aerem, vbi laborans degit, calfacere: quod si eum vapore ex aqua feruenti calfeceris, probe facies.

Victus ratio.

Quo facto, plenitudine inspecta, & cognita, módicè sanguinem detrahes: postmodum vero oleis tepidis, mollibus, & minimè discutientibus corpus inunges, maximè iuxta dorsum, ventrem, & thoracem, quem quoque vsum præstat *hydræleon*, pręsertim si ex modicè calidis oleis aliquid addideris: nam corpore à frictione, & inunctione linteis probe cooperto, prò prius sudorem euocabis: sicut dum corpus, si nuper D euacuatum est, aut abundantia, vel vitio manifestè carere scimus, iuxta prædictas partes, & maximè ventrem apposueris decoctum *buglossæ, florum papaueris erratici, chondrillæ, & chamæmeli exceptum vesica.*

Sudorem mouent.

Pręstant & potus, qui sudorem euocare possunt, postquam cutis rarior facta est, id quidem fiat, vel epoto decocto nuper dicto, vel *aqua tormentillæ, aut naphtha, buglossæ, & aliarum herbarum,* quas scimus sudorem mouere posse, quibus addes, vel *lapidis Bezoar,* aut *pulueris cornu monocerotis modicum,* ventrem etiã (*ne excrementa vitientur, & maius efficiant malum*) leui clysmate emollire oportebit: in victu etiam id institues, quod parcius, & tenuius sit, quam in consuetudine vtebatur laborans. Bibant aquam *aniso, vel fœ*E *niculo, cortice citri, vel cinnamomi decoctam.* Vinum item porrigit Gal. omnibus diaria affectis, quod ego de assuetis bibere intelligerem, in alijs enim non est mutanda consuetudo, præsertim ijs rebus, quæ nocent febri, cuius naturæ vinum est: in assuetis vero febre correptis ephemera, probe potest administrari, quoniam si in acutis illud permisit, 2. & 3. *acutorum* Hippocra. quanto liberalius in diarijs febribus illud concedet, præsertim si aquosum, tenue, & probe dilutum sit, aut necessitas, vt dictum est, vrgeat. Neque obstet, Trallianum in diarijs vinum interdicere, nisi vires poposcerint: nam id intelligendum esse censeo, cum diaria ex inflammatione, dolore capitis, aut temporum, bubone, solis, aut medicamenti æstuantis vi oriatur, vel à quouis alio, quod vel dolorem capitis accersat, vel pulsum in temporibus conspicuum efficiat: Verum si cum densitate cutis simul præsit,

Vinum vtrum in ephemera porrigendum.

in corpore apparatus, eam curationis formam inſtitues, quam mox in diaria ex obſtructione ſum ſcripturus.

Ephemeræ ex leui obſtructione curatio.

Raro profectò obſtructio febrem diariam committit, quin vel protinus in putridam commigret, vel ſaltem in humoralem, hoc eſt, in continentem citra putredinem. Quamobrem ſicut in his, quæ ex cutis denſitate oriuntur, dum citra morboſum conſiſtunt apparatum, à cauſæ effectu in corpore relicto, nimirum à denſitate ipſius cutis, incipiendum eſſe diximus, ita prorſus contrario modo in his, quæ ex leui obſtructione prodeunt, non ab ipſa obſtructione, ſed à morboſo apparatu demendo, curationis principiũ auſpicandum eſt, atque cum obſtructio dum ephemeram gignit, potius copiam humorum, quã vitium B *(vt ferunt)* cacochymiam ſibi comitem habeat *(nam ſi vitium eſſet, protinus à putrida inciperet)* ſit profectò, aut vt ante meatuum obſtructorum reſerationem opus ſit, ſtatim ſanguinem detrahere, quo depoſita maiori abundantiæ copia, vel obſtructio deliteſcat, ſi eius cauſſa erat ſola plenitudo, vel facilius, quod ſupereſt, ſpiret, donec incidentibus, & aperientibus medicamentis, & vacuato, qui obſtruit, humore, viæ liberiores ſuperſint, & humores ventilati commodius poſſint: neque cunctandum eſt tranſacta prima die, mox à ſanguinis detractione incipere, ne forſan ex leui diaria ex ſanguinis ſolo calore in eius, vel aliorum putredinem ocyus commigret. Quod pari prorſus ratione agendum eſſe arbitror in his febri- C bus, quæ ex cutis denſitate *(ſiue à calore deſiccante prodeant)* cum morboſo humorum vitioſorum, aut multorum apparatu, idque protinus ante cutis denſitæ prouidẽtiam. Verum quia huiuſmodi humorum, & obſtructionis curationem, & præparationem latius *cap. de febre, ſanguinis, & reliquarum continentiũ* ſum ſcripturus, ne videar eadem varijs locis repetere, illud relegat lector conſulo. Nec placet hac in parte diutius immorari in curatione eius febris diariæ, quæ ex bubone oritur, cum vniuerſa eiuſdem medela in bubonis curatione ſita potius ſit, quam in aliqua ipſius caloris prouidentia, ſed bubonis curatio non eſt præſentis inſtituti.

Ephemeræ ex denſitate cutis cũ morboſo apparatu curatio.

Eph. ex bubone curatio.

Inter omnes febrium diariarum occaſiones, nulla D frequentius, & vrgentius curationem, ac maiorem in artifice diligentiam requirit, quam ea, quæ ex ventriculi cruditate ortum ducit: nam præterquam quod ſoleat non raro in putridam commigrare, ipſa cruditas cum febris occaſione adeo eſt grauis, moleſta, & præſidio indigens, vt ſæpè maius faceſſat negotium, quam febris ipſa. Quapropter, ne nobis curata perperam, aut negligenter, contingat in febre ſuaptè conditione leui turpiter hallucinari, & laborantem in maius malum deferre, ſtudui maiori qua potui diligentia eius naturam, lædendi modum, ſigna, cauſſas, & medendi viam inueſtigare. Eſt igitur cruditas in genere duplex: *vna* quæ fit ex calore natiuo Diminuto: *reliqua* vero ex Adaucto, redditoque præter naturã. E Hæc quidem duplicem cruditatis parit ſpeciem: *Vnã* in qua calor, qui excreuit, & præter naturam factus fuit, *putredinem* molitur, qua mediante, quæ coctione erant vnita, & perfecta, iterum ſeparauit, & incrudat quæ ſuperſunt: cuius latius meminero, *lib. 6.* quòd febribus putridis propria, & peculiaris exiſtat; *reliquam* vero in qua adauctus calor non putredinem, ſed quẽdam *vſtionis* modum induxit, mutauitque in nidorem (coctionis loco) exuſtam ſubſtantiam. Reliqua vero cruditas, quæ ex imminutione innatæ caliditatis fit, duplex etiam exiſtit: quippe *Vna* eſt, in qua ingeſta alimenta eadem manent forma, ac deuorata fuere, modo id prodeat defectu calidi, modo exſuperantia alimenti ſupra innati calidi vires: *Altera* vero eſt, in qua alimenta in acidum mutata ſuperſunt. His habitis, nomine cruditatis in genere intelligen-

Ephemeræ ex cruditate ventriculi curatio.

Cruditas duplex.

Cruditas caloris adaucti.

Cruditas caloris imminuti.

Cruditas in genere quid.

A dum eſt, vitium in alimentis contractum ob defectũ primæ coctionis, quam ſcimus in ventriculo fieri: ita vt nomine huius cruditatis intelligamus, vel diminutam caloris natiui actionem, vel caloris exſuperantis, & præter naturam vitioſam coctionem, quæ potius *vſtio*, vel *corruptio* cenſenda eſt, quam vera cruditas: Illam quidem *acidam cruditatem* nũcupamus: hanc vero *nidoroſam*. Fit quidem *acida cruditas* ob caloris natiui inopiam, quæ aliquando ſuccreſcit ex ingenti, & inconſueta alimenti copia, quæ calorem infirmat: nonnunquam ex poſitiua frigiditate, ſæpius ex diminuto innato calido à contrario conſumente ipſius pabulum, & humidum; aliquando vero à calore præter naturam diſſipante innatum: *Nidoroſa* vero ob vitioſi, & præternaturalis, ac fumoſi caloris copiam, & exſuperantiam. Sic febres ephemeræ, quæ ex cruditate prodeunt, duplices quoque exiſtunt: *Quædam* ab acida cruditate, quæ non admodum frequenter fiunt, niſi inopia caloris ob diſſipationem ab externo, aut alimentorum copia, & vino multo ingeſto: *Quædam* vero à nidoroſa, quòd frequẽtius accidere ſcimus. Sed prodit febris à prædictis cauſſis hac lege, cum acidus cruduſque in ventre ſuperſit cibus, quem calor nequit in chylum mutare, neque diſtribuere, calfit quidem ab eiſdem mẽbris, & ventriculo, & cum coqui non poſſit incaleſcit, ſi ibidem crudus ſuperſit, & per partium, quas calfacit, continuitatem, ac ex halitu immiſſo ſpiritus incale- C ſcunt, donec à ventre proiectus, vel excernatur, vel alijs humoribus admixtus attemperetur, quo febris cõfeſtim ceſſat: nidoroſa vero cruditas à cauſſa, quæ ipſam concitat, & ab eius acri, calida, & vitioſa natura, eadem lege ſpiritus calfacit, & ephemeram citius, ac frequentius concitat.

Cruditas acida, vnde fiat.

Nidoroſa vnde.

Ephemeræ à cruditate duplices.

Verum licet vtraque notiſſima fiat ex ructu nidoroſo, aut ſapore acido, & conſtet acidam veſtigium eſſe frigiditatis, & nidoroſam caloris: in hac tamen, quæ maius faceſſit negotium, coniectandum eſt, quo melius cognoſci, & curari poſſit, triplicem eſſe materiæ naturam, & conditionem, quæ vri, aut in nidorẽ verti, & incrudari poteſt: & triplicem quoque huius febris ſpecialiorem differentiam. Nam vel materia, D quæ in vẽtre vritur, ſicca ſuaptè natura exiſtit, & tũc *fumoſus* erumpit *ructus*, & veluti a re, quæ ſolum vritur, eleuatus: vel craſſa, & viſcida eſt, à qua proculdubio *fuligo* potius eleuatur, quam fumus, & ructus eo tempore *æruginoſus* ſentitur, & *fuliginoſum* potius redolens: aut vltimo cibus, qui per vſtionem incrudatur, *pinguis*, ac *oleoſus* eſt, & eo tempore ructus excretus nidorem propriè dictum præ ſe fert. Quæ omnia, ſi quis exactè penſitet, facilè in cauſſæ cognitionem deueniet, & curationem facilius inſtituet.

Ephemeræ ex nidoroſa cruditate triplex differentia.

Etiamſi dictum ſit, nidoroſum ructum, & ei conſimiles à cauſſa proficiſci calida, diſtinguendum cum hoc eſt, ſi me alimentum ex ſui natura, & peculiari cõditione ex leui occaſione nidoroſum, veluti quæ dul- E cia ſunt, vt *mellea*, vel *frixa oua*, vel *piſces parui*, & *frixi*, aut ea, quæ ſubamara ſunt, vel amaris condita: ſed conſiderare oportet, quo hæc facilius diſtinguas, calidam ægri temperiem, ætatem iuuenilem, victum iuſto calidiorem, hominem ſiticuloſum, bilem vomere aſſuetum, aut picrocholum: nam hæc omnia proculdubio calidam fore cruditatem neceſſario commonſtrant. Qua cognita, vlterius ſciſcitaberis *(vt nõ ſolum cauſſam vrentem noſcas, verum & vſtæ materiæ conditionem, & naturam)* qualiſnam ſaporis ſit erumpens ructus: nã ſi fumoſam tantũ referat naturã, ſicciſſimam eſſe materiam conijcies: ſi vero fuliginem redoleat, craſſam, lentam, & viſcidam: At ſi nidorẽ ſapit, pinguoſam proculdubio vri materiam deſignat. Monſtrat inſuper *calidam* ſubeſſe cauſſam, oris amaritudo, ſiccitas, ſitis, vigilia, nauſea, ac vomitus amarorum, aut bilis ſynceri oris. *Frigiditatem* enim

Ephemeræ ex cruditate quo modo per ſigna diſtinguantur.

attestantur acidi ructus, quibus ad exactam notitiã, non solum fidendum est, sed anteactam victus rationem timari oportet, linguæ colorem album, gustus acidum saporem, inappetentiam potus, pituitæ vomitum, & ad somnum promptitudinem. Quæ omnia crudum ex caloris inopia superesse alimentum attestantur, nisi id vberioris alimenti ingesti copię tribuere velis, quod ex relatione facilè disces. Si tamen cum his omnibus signis, & acido ructu accedant caussæ calfacientes, coniectandum tunc erit, caloris innati diminutionem à dissipante calore ortam fuisse, vt discas, qua curationis lege vti tenearis.

Ephemeræ ex cruditate à cibo inconfecto ortæ; & nondũ in acorem aut nidorem mutatæ curatio.

Est profecto in his febribus tanti momẽti, & vsus curandi ratio probe instituta, vt non solum præsentem affectum nata sit demere, verum & imminentem, in quem frequentissimo euentu scimus commi- B grare. Nulla enim caussa ex his, quæ ephemeram gignunt, adeo breuiter nata est putridam concitare, ac ea cruditas, quæ nidorosa est, sicut quæ acida sæpius diuturnis febribus materiam apta est præstare. In qua re duplex insurgit medendi ratio: vna dum adhuc in ventre immoratur crudus cibus, siue nidorem conceperit, siue acorem: altera vero, dum iam abijt descenditque vel ad intestina, vel ad venas. *Prima* quidem solum docet versari circa crudi expulsionem aut correctionem: *Secunda* vero ventriculi habet prouidentiam. In prima enim curationis via, duo etiam supersunt consideranda, vnum, dum cruditas est acida, reliquum vero, dum nidorosa existit: quippe diuersam expostulant diligentiam, licet vtraque C semper ante aliud opus expurgari desideret, ea tamen, quæ nondum acorem concepit, sed quod solum inconfectus crudusque est cibus, semimutationem quandam tantum nactus, si modica sit, potius concoqui, & gratiam à natura vlterius recipere desiderat, quam pelli. Ob idque corpus somno, & quieti mandare oportet, ac manu supra ventrem posita calorem reuocare, & omnino à cibo abstinere, donec præexistens descenderit; tum vero clystere iniecto, leuem instituet victum, & ventrem inunges *oleo naphtha, citoniorum, aut absynthij*. Cæterum si nauseatiua adfuerit satietas, quæ ad vomendum primo adigat crudos præ copia cibos, tunc enim satius erit à vomitu curationis initium auspicari, siquidem eò vergit natura: D quo solo præsidio sæpissimè sat esse solet, instituto insuper somno, & nullo præstito ea die cibo. Cauendum profecto eo tempore est ab vsu expurgantium auxiliorum, siue lenientia sint, siue secus, quòd summopere nulla, vel tenui, ac difficulter facta excretione turbetur natura, quia, quæ cruda in ventre sunt, raro ante coctionem excerni contingit. Verum si ventriculus auidior promptiorque sit ad complectẽdum cibum, quam ad vomendum, & non vereamur naturam non posse tantum alimenti copiam conficere, etiamsi ad id munus exsequendum, iterum reuocetur, *(alioqui cogendus est ad vomitum laborans)* curandum est, clysmate iniecto, ventriculum fouere oleis, quæ defectum caloris adimpleant, cuius naturæ est E oleum *absynthij, nardi, de mentha*, in quibus, aut aliquo eorum ferbuerit, vel *cortex citri*, vel *semen Angelicæ*, vel *ligni aloes* modicũ. Quod si frigiditas maior eluceat, quam par sit, ita vt speremus naturam nõ posse prædictum opus perficere, micam panis tosti vino albo odorifero irroratam, sparso desuper *cinnamomi, aut corticum citri puluere*, vẽtriculo adhibebis, & corpus curabis quieti, & somno mandare. Postea vero antequam nouo vtaris alimento, iterum clysterem inijcies, dum senseris iam ad intestina, quòd ab alimento crudo separauit natura descendisse. At si transacta prima die, & ad summum secũda, febris, vel nõ cessauerit, vel adhuc vestigium aliquod superesse cõstiterit, quantumuis leuis sit, & neque inedia, neque somno, neque adhuc iniecto clystere ex toto quieuerit, A maximè si labes succrescat, capitis, ventris, vel alterius partis dolor, aut sitis, vel profundior somnus, aut intensior vigilia, aut oris amaritudo, tunc profectò suspicãdum est, in maius aliquid malum febrem commigrare, & protinus corpus, & maximè vẽtrem purgare opus erit, *cassia cum puluere anisi, manna, serapio ex infusionibus rosarum, & violarum cum succo rosarum*. Quo facto, iterum ad prouidentiam ventriculi te conferes, cum prædictis oleis adiectis desuper pulueribus *diarrhodonis*, quo maior fiat corroboratio. Verum si his factis febris adhuc perstiterit, iam non tanquam ephemera ex cruditate, sed alterius sortis curari debet.

Ephemeræ ex acida cruditate curatio.

Cæterum si cruditas eo mali peruenerit, vt ad acorem mutetur, censeo frustra esse naturam iterum co- B gere ad coctionem: Nam quod semel in acidum migrauit, nequit amplius in eam naturam regredi, quæ nobis, aut familiaris existat, aut ex propria conditione naturæ actibus cedere possit. Quapropter primo accessu curandum est vomitibus ipsam pellere, exhibito aliquot ante horas *rhodomelle* [illegible]*ido*, postea vero vt faciliùs vomat laborans, *mulsam* cum *oleo dulci, aut amygdalarum dulcium* porrigito, donec cõstet vomuisse, quod satis sit, vt leuamen aliquod persentiscat. Quod si his non paruerit, per ventrem exturbare studebis, exhibito, vel syrupo ex *infusionibus*, vel decocto *foliorum senæ*, vel *manna in prædicto decocto liquata*, aut alio eiusdem facultatis pharmaco, quod iecoris vires non transcẽdat. Quo facto, clysmatis aluo C molliori reddita, ad ventriculi corroborationem veniendum est, cui vsui præter olea, quibus vtendum esse, antea diximus, ipsum fouere oportebit oleo *naphthæ cum modico nardino*: præstat & de *mentha cum cinnamomo*, sed longè vtilius est *oleum de abiete cum puluere musci, & ambræ*. Verum si transacta febre vẽtriculus coctioni turbidus supersit, cataplasma ex *mica panis tosti cum vino*, & aliquo ex prædictis pulueribus bis die ipsa appones, aut emplastrum ex *thecamacha, aut caranna Indorum cum oleo iasminorum, aut naphtha liquata*, & supra pannum grana tinctum extensa, ac densata. Item præstat vsum *vinum absynthij cum tabellis ex diarrhodon*, aut si vltra pergat malum, ipsum *rhabarbarum masticatum*, & laboranti vinum D porriges: item *vinum mellitum*, aut *Hippocras* appellatum, & alia medicamenta, quæ Galen. consulit in nidorosa cruditate, vt *diatrion, pipereon, theriaca*, & reliqua eius naturæ, maximè ante victum ventriculo ieiuno, & cibaria insuper facilis coctionis, & aromatis condita, maximè febre transacta: Sed hæc sint satis, nam iam videtur limites curationis ephemerarum transgredi.

Ephemeræ ex nidorosa cruditate curatio.

Verum si cruditas nidorosa sit, & in ventre adhuc immoretur, quòd ex ructu, & sensu ponderis cognosces, tunc considerandum est, quænam materia sit, quæ vritur, tenuisne, an crassa, vel pinguosa? quippe si tenuis est, & fumosa, nullo alio auxilio tutius, & citius id malum exstingues, quam aquæ frigidæ potu, E & post quam vel quieuisse, vel descendisse ad intestina compereris, corpori crassius, & temperatius porriges alimentum: ac si persenseris ex iecoris, aut ventriculi, vel meserei æstu exuri, ea maximè, quæ tenuia sunt, laboranti in prima mensa porrige *aquam*, & postea crassiori, *vt dictum est*, victu, sed in parua quantitate, vtatur: ac si pluribus opus habeat, ea frequẽtius porrigito. Verum, si quod in ventre vritur, crassius est, aut pinguosius, & adhuc in ipso immoratur, copiosa aqua tepida ingesta ipsius attemperare, & corrigere nidorem oportebit, & postea ex *hydraleo* vomere. Quod si hoc facto venter non quiescat, sed adhuc nidorẽ, aut fuliginem eructauerit, omni diligẽtia *(nullo cibo ante præcedentis, & vsti decessum præstito)* purganti pharmaco leuissimo ad infernam aluum, antequam venas adeat, deturbare oportebit. Hunc vsum

securè

secure præstant *māna, cassia fistula, syrupus violarum ex infusionibus*, sed maximè admixto infuso *foliorum senæ*. At si corpore iam purgato, morsum, aut erosionem adhuc in ventre inferiori senserit, conijce flatuo sum aliquid superesse, quod discussionem desiderat, internus quidem factam ex decocto absynthij cum tabellis *diarrhodonis*: exterius vero inunctis hypochondrijs oleo *chamameli, absynthij, admixto modico dulci*. Item ventriculum fouebis oleo *rosarum* cum modico oleo *absynthite, vel citoniorum, cum rosis, & coralla*. Quod si ijs factis, adhuc in ventre, febre iam B restincta, molestia, vel ructus, cibi fastidium, & sitis apparuerint, tunc profecto credendum est, ex crassa, vel pinguiola materia, quæ vsta fuit, aliquid impactū, vel adhærens, aut imbibitum superesse, quod vlteriorem requirit purgationem: quam moliens, (*prius adhibitis, quæ attemperando attenuent, vt acetosi aliquid violaceo syrupo, vel ex borragine, aut buglosso, admixtum*) hiera picra, vel *pilulis Rasis*, aut *prunis Damascenis, saccharo, & infuso foliorum sena confectis*: aut si C mauis, *syrupo violarum ex infusionibus cū modico rhabarbaro, & sero lactis*. Nam coniectādum est, aliquid iam in iecur migrasse, cuius antequam penitus sese inferat, habenda quoque prouidentia est. Quo facto, ad consumptionem eius, quod reliquum est, deuenies, cauens, ne in hac affectione porrigas *diatrion pipereon*, vt Galen. consuluerat, aut alia, quæ consimilem virtutem habeant, vt est *citoniorum mina* cum aromatis: Sat enim est, quæ modicè id efficiant porrigere, nam in calido intemperamento longè melius, & securius, quæ supersunt, reliquiæ conteruntur, ventre reducto ad temperatiorem conditionem, ijs, quæ temperata A sunt. Huius quidem naturæ existunt tabellæ *diamargaritonis frigidi, margaritarum præparatarum, & coralli cum saccharo rosaceo; aqua buglossæ, scorcioneræ, & similibus*. A quibus iterum ventrem iminges prædictis oleis, addito *modico rosaceo*; nam satius est intus, & extra phlogosim compescere, quam sub specie cruditatis calida auxilia præstare, quæ intensiorem reddant calorem. Alimenta vero succo *pampinorum*, aut *agrestæ*, vel *succo acetosæ* condiantur, & ex montanis carnibus parentur, & alijs, quæ difficulter B corrumpi possint, cauentes quæ mellia, & dulcia sunt, vt quæ facillimè exurantur à calido ventre. Potus ex aqua instruatur, & aliquando in prima mensa, maximè si ventriculi imbecillitas non renuerit, semper tamen non longè à primo cibo, & in media mensa. Quippe curandum est omni arte calorem cōpescere, vt interim dum hoc attemperamentum duret in ventriculo, citra vstionem alimenta concoquī possint; quod in huius affectus curatione peculiare solet esse consilium, & præsidium. Vinum vero in C nidorosa hac affectione solum porriges virium corroborandarum gratia, cauens ne id ventriculo ieiuno præstes. Item clysteria in eadem affectione, non quæ flatus discutiunt solum, vt nonnulli consulunt ex rutaceo, & similibus, sed ex molliori materia, & quæ viscera attemperent, ac modicè leniant, alias vero calidior redditur venter, & maiori tensione afficitur. Hæc enim ex *hydrelæo* conficies, aut ex *aqua hordei*, & *saccharo*, vel ex *decocto maluarum, violarum & oleo*, ac *saccharo*, dummodo aliquid ex discutientium sorte adhibeas, velut est *oleum liliorum, aut chamameli*.

DE FEBRIVM HECTICARVM ESSENTIA, CAVSSIS, DIGNOTIONE, ET CVRATIONE.

LIBER QVINTVS.

IN morborum curationibus nihil profecto vtilius, & ad finem probe consequendum commodius reperies, quam, quod ea, quæ alicui ministerio necessaria sunt, ordine, & distincta methodo tractes. Sic profecto in febrium hecticarum curatione me facturum, spero, si prius dixero, *quid ipsa febris hectica sit, quibus partibus propria, cuius naturæ, & cōditionis*, ac rursus, *quibus signis ipsa, & eius caussæ dignoscantur*, quibus cognitis, facilè deinceps cuius erit B curandi rationem nosse, & aggredi, licet non sit ita facilè beneficium consequi.

Hectica quid.

Nulla profecto alia via, ac ratione citius rei alicuius naturam venabimur, quam præmissa definitione quidditatiua, vel descriptiua saltem: quapropter ab hecticæ febris definitione initium sumere duxi. Est itaque febris quædam facta, æqualis fixaque in membris nostri corporis solidis, independens quidem, & sine sensatione dolorosa, cum manifesta siccitate cōiuncta. In cuius diffinitionis expositione multa expē- C denda sese nobis offerunt.

Hectica nomen quid significet.

Primum quidem hecticæ, seu habitualis nomine non solum febrem hecticam, sed plures alios morbos subintellexerunt, & veteres, & nostri temporis Medici: Nam *habitualis*, & *hecticus* morbus habetur *marasmus*, & habitualem etiam tabitudinem censemus: sic & *atrophiam*, & *malum* corporis *habitum*, & ex intemperamentis plurima habitualia censemus. Sed, vt constet, quando habitualis nomine he-A cticam febrem liceat intelligere; qualisnam intersit differentia inter memoratos affectus, expendendum primo est. Quod, vt facilius discas, scito hecticam appellatam febrem, viam quandam, & initium esse corruptionis viuentium ad siccitatem; in id enim tendit hectica febris. Verum cum ob siccitatem animal multis modis corrumpi, contabescere, ac perire possit, expendendum profecto est, cui eorum febris hectica propior, & peculiarior existat. Corruptio igitur viuētis à siccitate duplex existit: Facta nimirum, & diffi- B culter reparabilis; ac Fiens, & quæ impediri facilius quodammodo potest. Eam quidem *Fientem* appellamus, quæ vitio caloris innati extrinsecus aduenienus fit; *Factā* vero eam, quæ vitio etiā eiusdē caloris suboritur, cæterū à caussa intrinsecus depopulante proprium ipsius caloris humidum. Item ea, quæ in fieri adhuc consistit, multis certum est modis posse cōtingere: omnibus tamen factis à corruptione, seu vitio ipsius innati calidi citra humidi sensibile damnum.

Corruptio viuentis à siccitate duplex, fiens, ac facta.

His habitis, siccior efficitur homo, eò quòd non pos- C sit corpus reficere, idque vna è tribus caussis, nimirū ob defectum alimenti, *vt in his, qui fame contabescūt*, vel quod non permeet alimentum ad alendas partes, vel quod partes nequeant ipsum mutare in propriam substantiam. Secundo, & quo in fieri corpus plerunque exsiccatur, fit ob peculiarem caloris iacturam ab extrinseco factam: nam aut calor imbecillior efficitur, & impotens ad reficiendum corpus, dum violenter à frigido exstinguitur, aut præ nimia hu-

Homo, seu corp⁹ quot modis siccetur.

I.

II.

humiditate suffocatur, vel euanescit, & dissipatur in ambientem aerem, aut vltimo resoluitur præ distractione ob diuersas caussas diuerso modo operantes, ac etiam ob partium diuersarum dissimilem, & varium affectum. Quibus profecto modis siccatur corpus, atque huiusmodi siccitas nondum facta censeri debet, (*quia tantum fit defectu caloris influentis*) donec calor innatus defectu proprij humidi minor, aut
III. vitiosior fiat. Tertio vero & vltimo modo siccatur corpus ea siccitate, quæ ocyssimè facta haberi debet: Ea enim est, dum resoluitur calor præ defectu humidi nutrimentalis, & radicalis: ad quorum consumptionem varij succrescunt affectus, *vt mox sum probaturus*, si prius dixero, eum affectum in genere marcorem appellasse Aristot. & nos hac in parte per siccitatem intelligere eam, quæ ex humidi defectu fit. Quippe caloris innati defectu, qui sequitur proprij humidi penuriam, viuentia omnia, vt *semen, plantæ, & animalia* exsiccantur, tabescunt, & pereunt. Hanc etenim exsiccationem multis fieri modis, Philosophis omnibus, & Medicis compertum est, atque non solum fieri, verum & lædere, & affectus præter naturam generare: quosdam etiam fientes, saltem breui tempore, & aliquando longiori, diuersos tamen ab eis, quos solum generat influens calor, dum corrumpitur (*quos consistere potius in schesi, seu habitudine, vt de putridis, & ephemeris febribus dictum est, quam in habitu, & radicali permansione certum existit*) alios vero factos, hecticos, seu habituales, quos licet vitio caloris quoque fieri constet, potissimum in siccitate sitos esse cognoscimus: nam hæc est qualitas, quę dum defectu humiditatis natiuæ succrescit, potissimum nata est habitualem affectum concitare, saltem hæc est, circa quam affectus, quorum hic meminimus, maximè versantur.

Viuentia multismodis tabescunt.

Constat enim, huiusmodi exsiccationem plantas perpeti, tum ab intrinseco, deficiente illis nutrimento ob consumentem calorem; tum præ senio calore iam resoluto, & marcido ob humidi proprij defectum, ac ob id calore ipso nequeunte alimentum conficere, & loco deperditi apponere. Tum vero ab extrinseco ex Solis, vel ignis æstu, aut frigore excedente: vel vltimo deficiente extrinsecus alimento, vt his plantis accidit, quæ arenam incolunt. Pari prorsus ratione, & modo animalia arescere conspicimus: nam vel fame contabescunt, vel licet alimentum ingerant, virtutis coctoriæ defectu, id neq; commutatur, neque alit.

Hectica siccitas ea intelligitur, quæ fit defectu humidi.

A quibus sanè caussis siccitas, quæ proficiscitur, *simplex tabitudo* appellatur, quod nulla alia qualitate aliena, aut vitiata constet, quam siccitate: cui si associetur frigiditas, vt sæpissimè contingit, *hecticam senectutis* ex antiquorum decreto Galen. appellat: quæ sanè affectio familiaris est senibus, & pueris, licet Auerroes id renuerit. Vera tamen senectus, licet etiam via sit in corruptionem propter siccitatem ex nutrimenti optimi defectu, quod pusillus senum calor reficere corpus non possit, propriè tamen *tabes* dici non meretur, quia calor citra morbosam caussam marcescit à seipso. Verum si ob aliquam ex prædictis caussis corpus in siccitatem dilabatur succrescente calore, aut, *vt rectius loquar*, ipso siccitatem præ humidi resolutione efficiente, maximeque in cordis substantia, tū profecto calor innatus præter naturam, & calidior factus, marcidus efficitur, & imbecillus, qualé diximus huic generi febrium conuenire. Qui talis ob id dicitur, quia pedetentim, & lentè consumpta propria humiditate perijt, crescente in senectute frigiditate innata, & calore præter naturam loci proprij. Quo sanè dispendio marcidus efficitur calor, & febris succrescit, quæ tunc quidem nomine hecticæ simpliciter, & proprius gaudet, cum membrorum nutrituræ humiditates euolant præ calore præter naturam; aut, *vt verius loquar*, efferuescunt, & subinde membra vno è

Tabitudo Hecticam senectutis appellat Gal. habitualem sie [sic] ritaté ex defectu alimenti, cui iungitur frigiditas.

Hectica simpliciter, & propriè quæ dicatur.

A tribus modis exsiccantur, nimirum consumptis primis humiditatibus, quæ in exilibus præsunt venis, & vltra vel carnosarum partium alimentum, vel earũ, quæ spermaticæ, & solidiores existunt. Sic primis humiditatibus resolutis, per efferuescentiam *prima* hecticæ pars constituitur, & verè, ac simpliciter *hectica* etiam dicitur; nam dum vltra pergit caliditas, obsidetque & conterit alias humiditates, licet hectica etiam nuncupetur, non tamen simpliciter, sed cum addito. Nam ob secundæ, seu primogeneæ humiditatis consumptionem siccitas orta, *tabitudo* à Galen. & veteribus nuncupatur: quam ego secundam hecticæ speciem constituere arbitror. *Marasmum* tamen appellant solidorum membrorum consumptionem, B quam tertiam huius hecticæ speciem dicunt, *vt latius & clarius inferius sum probaturus*. Ex quibus euidenter iam constabit (*licet communiter nomen hectica omnem consumptionem cum febre complectatur*) peculiari vocis huius significato, hecticam solum designare primam siccitatem, seu febris hecticæ speciem: tabem vero secundam, si cum calore adiungatur; nam Gal. tabidos solum appellat diutino morbo, aut acutissimo confectos, aut eos quidem, & adhuc magis propriè, qui ex pulmonis vlcere exsiccantur, *vt latius dictum est lib. 2. de pul. arte. & lib. de arte medendi*. Marasmum tamen censemus peculiarius tertiam hanc hectica speciem significare, dummodo vltima illa, & solidorum siccitas calori adiungatur: nam genera C li *Marasmi* significato constat, eum diuisum esse in tres species, quarum vltima febrem hecticam in tertia specie complectitur, vt latius explicuimus libris, & locis nuper allegatis.

Hecticæ febris 3. species.
1. Hectica.
2. Tabitudo.
3. Marasmus.

Ex generali illa, & communi febrium differentia euidenter constare arbitror, hecticam febrem ad solidas nostri corporis particulas solùm, & primò pertinere. Nam cùm omnium febrium ratio, & conditio subijciatur calori secundum naturam, sit facilè, vt quot fuerint caloris secundum naturam partes, tot necessariò sint caloris præter naturam sortes: & cum triplex sit innati caloris ratio, & substantia, vna a spiritibus, secunda ab humorosa portione, & tertia à solidiori orta; fit profecto, vt hectica febris ex caloris D partium solidarum succensione subotiatur. Ac censemus, hanc febris conditionem (*licet omnes à caloris innati subuersione naturam, & differentiam sortiātur*) ob id magis appellari hecticam, quam eas, quæ ex succenso calore in reliquis partibus fiunt, quia cum in solidarum partium temperie, & calore omnis actio sita sit, quo caloris solidior pars magis, quam reliquę euertitur, eo magis actiones lædi contingit, & cum solidior hæc pars mutari minimè possit, nisi ex magna caussa, quæ magnam, & fixam mutationem nata sit efficere, ob id radicata efficitur intemperies, qua actiones vitiantur connaturali vitio. Quippe ob id huius partis vitium, & auctum calorem hecticam febrẽ proprius appellamus, quod siccitati sit adiunctus, qui E suaptè conditione difficilius remouetur, qualis est propria habitus conditio. Et sic is calor euersus solũ habet rationem habitus, reliquæ vero caloris partes, ob id etiam non dicuntur habitualem, & hecticam febrem constituere, quia facilius dissipantur, & nerum quam facillimè reficiuntur, vt videre est in putridis, & ephemeris febribus. Partes vero, quas solidas appellant Medici, ex doctrina Galen. certo, ac determinato numero comprehendere difficillimum profecto fore arbitror, cum multis in locis solidas partes eas tantum appellet, quæ ex semine gignuntur, fibrosas quidem & membranosas, *vt ex eodem constat lib. 1. de semine cap. 13. & lib. 2. cap. vlt. & 1. aphor. 15. sed clarius 7. & 10. method.* & ob id censet locis citatis, has partes, si nimium exsiccatæ sint, sanitati restitui esse impossibile; & cum pereunt, in cauis vlceribus non regenerari. Alibi tamen *vt lib. 1. de different. febr.*

Hectica febris quas partes afficiat.

Hecticã febrẽ quare appellamus quando calor præter naturam solidas partes occupat.

Partes solidæ quę à Galen. appellentur.

febr.cap.9.lib.7.meth.c.6.& 11.& vlt. prædictis addit roridam substantiam, naturalem, inquam, humorem, ex quo omnes partes nutriûtur, appellatâ: quam multi naturalem seu implantatum spiritum appellare assuescunt, vel saltem prædictum spiritum huic substantiæ inesse existimant. Præterea aliam 7.*method.* prædictis adscribit, quam substantiam carnosam appellat. Sed existimo, vt Gal. hanc varietatem non temere scripsisse intelligatur, aliquando solum appellasse solidas partes fibrosas, membranaceas, & neruosas, cum inquirit, quæ partes regenerari possint, & eas, quæ regenerari nequeunt, *solidas* appellasse. Ar cum febris huius subiectum inuenire nititur, alias duas substantias addit: quia cum morbi ratio sit actionem lædere, & à cuiusuis harum substantiarum vitio actiones lædi contingat, ob id profectò æquum fuit, in huius affectionis natura & conditione indaganda eas annumerare, secludens humores & spiritus, quod in se sitam nō habeant operandi rationem.

Galé. loci explicantur, in qui bus visus fuit varius.

In his igitur vt vera stat morbi ratio, ita & febris hectica sita est, quinimo ceteræ omnes febres morbi nanciscuntur formam & rationem, quatenus suum calorem calori innato prędictarum partium communicant: & vt verum fateat, in rigore à prædictarum partium calido intemperamento duplicem Gal. constituit solum febrium differentiam: vnam, quā *scheticam* appellat, alteram vero *hecticam*, eo quod is calor præter naturam, quem febrem appellamus, hæreat prædictis solidis membris, & cordi in dispositione, & inæqualiter, vel in habitu, & æqualiter. Itaque calor prædictus ab humoribus aut spiritibus substantiæ cordis spirituosæ aut humidæ communicatus, in dispositione tantum esse potest, & ab illa dispositione, & non à calore humorum aut spirituum morbi rationem habet: si vero calor substantiā cordis crassiorem & solidiorem simul cum alijs occupauerit, citra dependentiam, quæ ab alia caussa fuerit, hecticam constituit febrem.

Febrium differẽtia duplex, Scetica & Hectica.

Verùm cum constet, febrem esse intemperamentum calidum, idque dictum sit duplex existere, in Habitu nimirum, aut in Dispositione, atque hoc Putridas & Ephemeras complecti, & illud Hecticas; ob id sane expendendum est, temperamentum omne à medio versus calorem posse recedere, *Inæqualiter* aut variè, aut *Aequaliter* & vniformiter. *Inæquale* autem id censemus esse temperamentum, quod extraneum cū sit, dependens & cum euidenti sensu, multiforme ac diuersum existit, medium quidem inter natiuū temperamētum, quod ab ijsce re intendit, & æquale febrem ticiū, quod inducere nititur. Quo fit, vt ob id etiam dependens existat, quia caussam habet efficientem extra proprium subiectum, à qua quidem in esse & in conseruari dependet, donec æqualis ex toto factus habitualis euadat. Succrescit insuper huic calori, ob dependentiam & inæqualitatem, vt subiectum, cui inhæret, molestus ac dolorosus existat propter actionē contrariam ex naturali calore nōdum omnino subuerso & præter naturam, qui adhuc fixus non est, sed in fieri & transmutari existens, quod alioqui doloris solet esse caussa. Apparet insuper is calor diuersus & multiformis, quia contrarius existit naturali & moderato, tum etiā quod sit in fieri, & continuò intendatur, tum vltimo quod diuersus sit in gradu à caussa, quæ agit in subiectum, donec ad inæqualitatem & terminum, pro ratione & efficacia caussæ reducatur, sub qua equidem intemperantiæ ratione militant omnes putridæ febres.

Temperamentū esse inæquale quid sit

Aequale autem intemperamentum est caliditas extranea independens, non sensata, & singulis partibus, quibus inest, vt naturalis facta & fixa. Cuius sane naturam pulcre depinxit Hippoc. *lib. de natur. humana, & Galen. lib. de inæqual. intemperie, cap.* 4. quorum verba si exacte quis considerer, reperiet, æquale

Temperamentū æquale quid sit.

Temperamentū æ-

A hoc intemperamentum multis modis ab inæquali seiungi. *Primò* quidem, quia inæquale alterat subiectum, in quo est, in fieri tamē: æquale vero informat, non alterat. *Secundò*, quod inæquale dolorosum existat, æquale vero sine sensu & molestia. *Tertiò*, quod inæquale diuersum habeat esse, diminutum & tendens, sum tendens ad intensiorem gradum, hoc est, ad æquale, vt ad terminū æquale vero terminus est, & esse habet completum, quia fixum & perfectum existit, & ob id caret motu. *Præterea* differunt, quia inæquale dependet, æquale vero subsistit siue dependentia, præter eam, quæ subiectiua siue nutrimentalis appellatur, quia calor præter naturam, qui in membris viget, humiditatem depascitur & corrumpit, & ab ea dependent in conseruari, quamdiu ipsa durauerit.

qualequid ab i æquali differat
1.
2.
3.
4.
5.
6.

B *Differunt* etiam, quia inæquale ablata caussa temouetur facilime, & præualet innatum calidum: æquale vero minime, quod natiuum temperamētum omnino videatur subuersum, aut saltem frænatum, & ob id nulla remanet contrarietas, imo connaturalis fit. *Item* inæquale intemperamentum non est eodem modo inhærens omnibus partibus in quibus existit: æquale vero secus se habet, licet aliquo modo euariare videatur, iuxta diuersitatem naturæ membri: quippe calidius apparet cor nec non & iecur, quod non est arbitrandum esse, quod inæqualiter participet calorem præter naturam, sed quod inæquali mensura fortiatur calorem secundum naturam. Ex dictis quidem prodit, inæquale temperamentum varia habere tempora, eaque sensu perceptibilia, & maxime distincta, æquale vero minime, quatenus pertinet ad calorem, licet quoad siccitatem febris hæc hectica aliquo modo euariet quod multos fefellisse constat. Quippe ob id crediderunt primam & secundam partem huius febris non constituere omnino æquale temperamentum, sed inæquale, verum id ad siccitatem non ad calorem referri debet.

C

Hectica quoad calorem nō habet tēpora, sed quoad siccitatē m. Factū & fiens ac futurū quid

Verùm cum vniuersam huius intemperamenti rationem constare (*dictum sit*) in facto esse, videndum profecto nunc est, quid per factum, quid per fiens intelligendum sit. Nam vt varij sunt hominum conceptus, variæ quoque in his rebus sunt sententiæ, ita pro culdubio nihil certum & vnum in hac re colligi potest. Diximus enim antea, quid factum & fiens significent, vt locus ille de generali febrium conditione expostere videbatur, nunc vero specialius res agenda est. *Factus* igitur is morbus dicitur, qui dispositio est præter naturam, à qua primo læduntur actiones: quo significato quiuis morbus, siue dependeat à caussa, siue secus, dummodo operationes lædat, factus censeri debet. Huic sane affectus significato opponitur ex aduerso affectus *fiens*, cuius nihil est in esse productum, aut permanens & factum, sed omne suum esse habet in fieri & produci, sicut motus, qui omnino in fieri & conseruari à caussa dependet. Aliò modo factum dicitur, vt status tumorum præter naturam, *dysenteria tertiæ speciei, febris ephemera*, ac vltimus seu maximis interpolatarum febrium circuitus, eo quod hæc omnia sint in esse completo, quia caussa antecedens vniuersa abijt in coniunctam. Huic etiam morborum sorti opponitur *morbus fiens* alter, hoc est, inchoatus, & qui licet actiones lædat, non tamen ad summum incrementum & perfectionem seu terminum peruenit, sed adhuc in fieri existit: huius conditionis sunt *tumores præter naturam in principio & augmento, dysenteria primæ & secundæ speciei, & febres omnes humorales, quæ nondum ad statum peruenerunt*. Præterea morbus dicitur factus, hoc est, taliter in suo esse productus, quòd amplius nihil habeat futurum neque fiens, sed fixus & independens in esse & cōseruari existat, qualem arbitramur esse *febrem hecticam, continui solutionem, ac dearticulationem*. Qui sane affectus quātum est ex propria natura

D

1. Factus morb' qui dicatur. Fiēs morbus qui. 2. Factus secundo modo qui. Fiens.

E

3. Factus

tura dolore carent, quod nihil habeant in fieri: & ob id arbitramur, febres omnes putridas esse fientes, quia dependent à caussa, quod hecticę febri accidere non est credendum, quia nullam habet dependentiam, præterquam à proprio subiecto, *vt antea dictum est*. De morbo autem futuro nihil agere studui, quod non sit præsentis considerationis.

Futurus qui.

Quibus præmissis, ad ea quæ in diffinitione febris hecticæ primo posita sunt, iam esse deueniendum consulit rei ratio: in quorum sane enodatione tot oriuntur dubia, totque difficilia, vt facile non sit ea enodare. Nos tamen conabimur id efficere, vt clarius constet, qualis sit huius febris natura & conditio.

DIFFICILE I.

An temperamentum innatum omnino possit subuerti?

Temperamentum innatum an omnino in hectica subuerti possit.

DIctum itaque in diffinitione est, febrem hanc calorem præter naturam habere omnino factũ & habitualem: cuius dicti occasione cuiuis dubitare licebit, *an in febre hectica innatum membrorum temperamentum, & peculiaris calor omnino subuertatur*. Ratio dubitandi est, quia si calor præter naturam nihil haberet in fieri, sequeretur, natiuum temperamentum ex toto subuersum fuisse, quod maximum est in re medica inconueniens, & creditu difficile.

Arg. I.

Quod profecto si verum fuisset, sequeretur, *hecticum corpus non posse intrinsecum sanitatis habere principium, neque sanitati restitui*: sequela patet, *cum morborum constet naturam esse medicatricem, & præcipuũ instrumentum, quo ipsa operatur, sit subuersam, & omnino præter naturam factum, & citra ipsum naturam nihil possit efficere; constat profecto, nullum esse ad sanitatem comparandum principium, præterquam quod ex Arist. constat 7. metaph. sanitatem fieri: si igitur latitudo sanitatis omnino subuersa est, sequitur profecto, nullum ad sanitatem subesse principium.*

Arg. II.

Secundo sequeretur, *animal viuere temperamento præter naturam, & illo operari, quod videtur impossibile, quia caloris natiui est, corpus & eius actiones tueri, præter naturam verò omnino perdere: sed cum hecticus viuat & nutriatur, constat non omnino habere calorem subuersum & factum.*

Arg. III.

Si omnino natiuum temperamentum subuersum extitisset (præterquam quod febris hectica non haberet varia tempora, quod esset contra communem conceptũ) sequeretur, hecticum non posse viuere: patet sequela, quia vita est participatio calidi in humido: sed corpus hecticum viuit, ergo eius calor non erit omnino subuersus, alioqui viueret calore præter naturam, quo omnia vitæ munia ex natura eiusdem caloris corrumpuntur.

Arg. IV.

Quarto & vltimo sequeretur, *febrem hecticam non posse cum putrida complicari, quod est profecto contra euentum: sequela patet, quia si febris hectica habet calorem iam factum, non est modus, quo possit stare cum putrida, quæ ipsum habet fientem: quod si fiens est, non erat omnino factus calor hecticæ, aut si factus, nequit esse fiens.*

Prima opinio.

multi sane ex Barbarorum familia, & ex alijs Neotericis varia fingunt & machinantur monstra, vt ijs argumentis, & alijs, quæ breuitatis studio prætermitto, satis facere possint: quorum nonnulla, antequam veram huius rei rationem statuam, expẽdere studui, vt clarius deinceps subsit rei veritas. *Primo* quidem supponunt nonnulli auctores, subuersionem temperamenti non vno modo esse sumendam, sed varijs idque iuxta diuersitatem partium, quas hecticus calor obsidet. Nam cum partes solidæ appellatæ (*sedes quidem febrium hecticarum*) sint variæ, fieri profecto censent vt temperamentum, & calorem vnius prædictarum partium calor hecticus omnino subuer-A tat, reliquis manentibus solum alteratis (*vt ferunt in prima hectica specie fieri*) vel si placet, duarum, vt in secunda specie, alia circa calorem factum alteratas: aut vltimo contingit in omnibus solidorum membrorum partibus ex æquo calorem subuerti, vt in tertia hecticæ specie. Ex qua suppositione inferunt, *in prima & secunda caloris subuersione non inconuenire superesse intrinsecum sanitatis principium, cum adhuc calor parum, aut leuiter mutatus in alijs solidorum membrorum particulis supersit*. Et rursus eadem ratione censent, *animal posse viuere & nutriri, ac insuper putridæ, & hecticę complicationem pati, cũ adhuc supersit caloris natiui aliquid, quo prędictę operationes fieri possint, & sic arbitrantur se argumentis respondisse.*

Patet falsitas huius opinionis.

B Verum cum prædictorum virorũ opinio falso innitatur fundamento, constat, *neque eorum decretum neque argumentorum dilutiones, quas statuunt, alicuius esse momenti*. Ratio est, quia ij censent partes solidorum membrorum diuersimode & diuersis temporibus inflammari, & sic diuersas hecticæ species fieri, cum certum sit, omnes solidorum membrorum partes simul calore facto & habituali corripi. Quod sane ex necessitate naturæ febris hecticæ oportuit ita fieri; nam cum ipsa sit æquale & commune totius corporis intemperamentum, erat impossibile febrẽ hecticam habere habitualem calorem in quibusdã partibus, & in reliquis in fieri: esset enim eo tempore C inæquale ac dependens intemperamentum: quo supposito, corruit eorum responsio, & adhuc militant argumenta. *Secundo* sequitur ex eorum dogmate, corpus hecticum in tertia (*vt aiunt*) specie, nulla lege posse habere intrinsecum sanitatis principium, (*quæ prima fuit dubitandi ratio*) sed solum externo adminiculo id fieri. Et probant hoc esse verissimum, quia cum elementa sint in mixto solum virtualiter, non poterunt mixta à principio intrinseco, si semel amiserunt ex toto temperiem, iterum recuperare, vt cum in propria forma adhuc vigent, recuperant, velut videre est in aqua feruentissima, quæ à se in antiquum regreditur temperamentum. Cui rationi experimentum aliquando aduersatur, & nos in responsione ad primũ D diligentius monstrabimus. Præterquam, quod si vera esset, sequeretur, corpus marasmo affectum neque posse putridis febribus corripi, nec vitales edere actiones, nec rursus viuere, quod nulla subsit humidi portio: cuius contrarium nos latius probaturi sumus in responsione ad argumenta. Quo fit, vt ne hæc quidem opinio, neque argumentorum solutiones rei huius veritatem ad vnguem attingant.

Secunda opinio.

Item plures sunt, & non contẽnendi auctores, qui arbitrantur prædicta hecticorum corpora, & marasmo adhuc confecta, quantumuis ex toto subuersam obtineant natiuum temperiem posse quidem sanari, & huic muneri subesse intrinsecum principium: ceterum id fieri sola facultatum operatione, citra instru-E mentorum & caloris naturalis (*qui nullus est*) adminiculum. Nam cum ipsi & Medici etiam nõnulli teneant, facultates non laborare, existimant, licet desint apta instrumenta, solas facultates id munus posse præstare cum calore illo iam habituali, & connaturali facto, quem vicem naturalis gerere proculdubio autumant.

Opinionis improbatio.

Quod sane dogma licet recepto illo fundamento innitatur, nimirum facultates non laborare, nihilominus tamen falso colligit, quod possibile sit quicquam facultates operari, deficiente apto & natiuo instrumento. Cuius rei euidens est argumentum *visiua facultas in loco*, quam nusquam posse operari, euidenter constat, si oculus praue dispositus sit: quod etiam verum est in motiua facultate in musculis, Exemplo sunt *instrumenta in artificialibus* citra quæ nec peritissimus artifex probe operari poterit, neque adhuc si ex toto, loco vnius instrumenti aliud maxime illi

con-

contrarium ad operandum sumat, quippe eo tempore mirum non est, si artifex nihil agere possit: haud secus profecto res se habet in naturalibus, maxime cum potentię non possint effectum attingere citra mediū, cum materia sit inferioris ordinis, & adhuc lōge magis cum natura tenetur efficere opus, quod alicui alteri sit simile: quapropter si conceditur hoc esse solius facultatis munus, videtur absurdum, & absurdius, si citra naturale medium, & instrumentum existiment actionem naturalem posse fieri, quippe ex parte vitij instrumenti id fieri, videtur perdifficile. Quapropter longe minus prædicti auctores absoluunt præhabitam difficultatem.

Auctoris sententia.

Fundamētum. I.

Multa sane sunt, quæ præmitti debent, si rem hanc exactiori calculo velimus enodare. Quapropter paulo diligentius expendenda nunc mihi veritas est.

Statuendum primo est, in hecticis corporibus calidum intemperamentum omnino esse, & habitualiter subuersum in omnibus solidorum membrorum partibus in quibus calor subijcitur, idque non solum in marasmo, sed in reliquis febris hecticæ partibus & cum hoc asserendum est non esse inconueniens, corpus marasmo affectum ab intrinseco sanari posse. Quod sane dogma vt exacte intelligas, expende primo, temperamentum natiuum, & temperamentum febrile hecticum & factū, licet inter se correpugnent, & simul se non possint compati, ambo tamen sunt temperamenta intra latitudinem temperamenti humani constantia. Quo fit, vt praue teneant, qui dicunt, eò quod prædicta temperamenta specie differant, ob id vnam & eandem formam illis non posse operari: & cum hecticus viuat, eāmque formam habeat, quam ante malum illud obtinebat, ex eo colligunt, calorem innatum non posse esse subuersum: cui vsui statuendum est secundo.

Fundamētum. II. Tēperies innatæ in animali duplex ea queeiusdē speciei.

Huius doctrinæ gratia duplicem esse calorem, seu temperiem innatam in animalium corporibus: *Vnā*, quæ complet & circumscribit omnem sanitatis latitudinem, quam arbitramur in hecticis corporibus ex toto aboleri: *Alteram* vero, quæ latitudinem, infra quam animal viuere nequit, complectitur: qua sane temperie hecticum corpus viuere, nulli esse dubium arbitrandum est. Et rursus statuendum, vtramque temperiem seu vtrumque calorem esse eiusdem naturæ & conditionis, differre tamen in ea latitudine & liberatione, quæ vsui sit actionibus vitalibus salubriter atque integre vna, & reliqua vtcumque factis.

Fundamētum. III. Hectica vniuersa ratio in quo subsistat.

Statuendum tertio est, *vniuersam febris hecticæ rationem solum consistere in subuersione calidi membrorum ad igneam naturam, ita vt vniuersa eius ratio sit habitualis membrorum caliditas, cui necessario ratione suę speciei, siccitas aßociatur, certo tamen modo.* Hæc tamen est differentia, quod licet nostra substantia constet ex calido & humido, febris tamen hectica solum dicit calorem illum habitualiter fuisse omnino natiuam membrorum humiditatem: neque protinus ac hecticus calor contrahitur, ita & siccitas, nam sensim, paulatim & lente acquiritur toto febris hecticæ durationis tempore. Quo fit, vt mirum non sit, temperamentum subuersum fuisse ex parte caloris salubritatis: ex parte vero humiditatis & caloris vitalis nec subuerti, nec mutari adhuc, & ob id in marasmo etiam superesse aliquod sanitatis principium, nulli debet esse dubium.

Hecticum corpus habet intrinsecum sanitatis principiū ipsā manimam.

His omnibus suppositis, non est admodum difficile, veritatem huius dubij adinuenire: nam cum impossibile sit, interim dum animal viuit, omnino vitali calore, & humido priuari, statuendum est, illud principium (*quantumuis pusillum sit*) caloris & humidi, in quo vita sese tuetur, posse quoque esse principium & instrumentum sanitatis recuperandæ vi & efficacia formæ seu animæ ipsius. Quippe hominis forma, anima (*nimirum*) intellectiua, tribuit quidem

A homini esse hominis & esse animalis, & viuentis, & esse corporis mixti, ac esse substantiæ, & vltimo esse entis. *Prætereà* sicut formaliter per substantiam suam dat esse intellectiuum, sensitiuum, viuens, esse corporis mixti, & corporis substantiæ & entis: ita quidem efficienter, per potentiam actiuam producit, & elicit actionem intelligendi, sentiendi, viuendi, corporis mixti, & corporis. Quocirca proculdubio arbitrandum est, cōtinere prædictam animam intellectiuam in potentia formali perfectionem corporis mixti, & in potentia actiua operationem corporis mixti. Nam licet in dicta prædicatione non ponantur per se mixtio, temperamentum, aut elementum, necessario sub corpore mixto includuntur, tanquam dispositiones B præuiæ ad animam introducendam: imo vnus quilibet gradus veluti potentia quædam materialis est ad perfectiorem gradum, vt esse corporis mixti, ad esse viuentis. Itaque anima intellectiua, non modo potest efficienter producere omnes proprias hominis actiones, *vt homo est*, sicut intellectionem, verum etiam animalis, viuentis, corporis mixti & corporis: & sic profecto continebit etiam virtualiter rationem formæ mixti, quia formaliter constituit hominem in esse corporis mixti: & quia forma mixti continet virtutes elementorum, saltem virtualiter, ideo anima virtualiter continebit illas, & consequenter poterit producere easdem, maxime quia non caret commodo instrumento, nimirum temperamento & calore viC uentis, vt antea dictum est. Tunc sic, qua ratione virtutes elementorum in mixto continentur, eadem profecto anima ipsa valebit easdem dum imminuuntur, semoto prohibente & imminuente producere: non tamen per simplicem emanationem, sed mediante viuentis temperamento & calore, quo adhuc corpus marasmo confectum, orbatum non est. Quippe supplet adeo principale agens ex prædicta virtute & coordinatione, quod instrumentum ad maiorem perfectionem comparadam deest, quod aliæ imperfectiores formæ efficere nequibunt. Quam sane intemperamenti reductionem perstito calore, frigiditate, humiditate, aut siccitate efficere per simplicem illam manationem, vt dictum est, citra dubiū D est impossibile, sed solum facta deperditi renutritione, refectioneque mediante nutrimento, cui præstitit eam temperiem sortiri, quæ simillima sit & genuina corpori nutriendo, vt solebat deperditus calor efficere: qui cum pusillus iam effectus sit, & id munus nequeat consequi, beneficium & supplementum illi præstat propria hominis forma, media vegetabili potentia, & medio etiam mixtionis temperamento adhuc superstite: quod auget alimēto adueniente, & eisdem qualitatibus prædito, quę pro indiuidui sorte & natura ipsi erant naturales, & præexistentibus simillima, vt constet adhuc in corpore marasmo affecto superesse viuētis temperiem & calorem, ad cuius pensum anima comproducit, quod deerat.

Ad primum.

E Quibus sic habitis, asserimus, corpus sic affectum ab intrinseco posse deperditum temperamentum recuperare, anima id producente modo dicto, nisi aliquod fuerit prohibens, quod medicus teneatur remouere, cuius defectu, *vt dictum est*, sæpe non consequimur reductionem corporis huiusmodi ad antiquam sanitatem. Quippe nisi caliditas illa præter naturam facta, prius remoueatur, aut aliquo modo mitescat, quo similior antiquo calori & temperamento fiat nutritura substantia, quæ producitur, licet anima semper nitatur tueri antiquum & natiuum temperamentum, homo non sanescet. Haud secus quam aqua igni apposita, quam certum est interim, dum igni approximatur (*etiamsi à propria forma semper producatur frigiditas*) non posse refrigerari, donec prohibens remoueatur. Ita profecto in hecticis corporibus præsidijs frigidioribus semoto aut modice temperato calure

lore præter naturam (*quippe frigida auxilia nil aliud pos* A *se credendum est*) protinus producitur antiquo temperamento simillimum, nullo alio instrumento neque medio extrinseco, sed ab anima, quæ effectiue illud producat, solo eo medio vtens, quo vitam tuetur, dūmodo Medicus prædictum prohibens prudenter remoueat. Verùm cum Galen. & fere omnes alij magnæ auctoritatis viri scriptum reliquerint, corpus vltimo marasmo confectum sanitati restitui non posse: censemus id esse intelligendum, dum in vltima eius parte, vbi fere omnia vitæ principia iam in vltimo existunt termino: nam vbi horum aliquid superest, quantum est ex parte principij intrinseci, non deest sanitatis vestigium: ceterum quia difficilius corpore sic affecto prohibens remoueri potest, ob id ego etiā B cum illis censeo incurabilem esse affectionem: quippe nos hic solum disputamus, an ab intrinseco sanitati restitui possit, an ex toto adeo sit subuersa & eradicata vitalis caloris temperies, quod nullum eius subsit in corpore vestigium. Quod si quis arguat aduersus hanc dilutionem, curationem hanc potius ab extrinseco auxilio proficisci, quam ab interno calore, expendat, longe diuersum esse in hac curatione prohibens remouere, & natiuum temperamentum humido & calido constantē producere: nam illud ab extrinseco fit: hoc vero, in quo fere vniuersa reductionis hecticorum corporum ad pristinum statum ratio sita est, nisi solum animæ beneficio cum prædicto, reductionis principio & modo. C

Corpus vltimo marasmo affectum sanitati restitui non posse, quomodo accipiendum.

Quod si quis dixerit, *eadem ratione in senibus posse vitam vltra statutū terminum prorogari*, expendat, nō esse æqualem rationem, quia in senibus prohibens, hoc est, innatum temperamentum ex frigiditate & siccitate contractum, quod in senectute prædominatur, nulla ratione est remouibile, quia frigiditas & siccitas in eis prodeunt ab intrinseco principio & natiua constitutione, præualentibus quidem supra calorem & humidum, & diutina caloris actione iam resolutum: quo fit, vt natura non possit deperditum calorem reficere, quia prædominatur frigiditas, quam remouere est omnino impossibile, quod prodeat ab intrinseca hominis mixtione & compositione, quam D demere esset citius ipsum perdere: quapropter licet forma semper conetur, vtens pusillo senum calore, temperamentum reficere & corpus, prohibetur tamē ab impensa & innata frigiditate, quæ remoueri non potest. vt hecticorum calor.

Dubium. Senum vita vltra statū terminū cur non possit prorogari

Dicimus ad *secundum*, verum esse, hecticum corpus viuere & nutriri, verum illud fieri adminiculo vitalis temperamēti, quod adhuc superest: præterquam quod calidum ac febrile intemperamentum non est adeo diuersum in gradu & malignitate, quod cum eo non possit humana forma stare, & exercere aliquo modo operatione vitales.

Ad secundum.

Ex quo superest ad tertium solutio, quia iure optimo dici potest, vitam in hecticis corporibus, esse par- E ticipationem calidi in humido, quod videtur sufficere ad tertij argumenti dilutionem.

Ad tertium.

Dicimus ad quartum, eundem calorem præter naturam, qui factus est, & hecticam constituit, ad vlteriorem gradum posse moueri in febribus putridis & ephemeris, noui agentis & nouæ caussæ accessu quo fit, vt idem met calor, qui duobus gradibus habitualiter erat præter naturam, in fieri ponatur ad tertium gradum, & ratione gradus habitualis præexistētis fit hectica, velut antea, & ob gradum, qui acquiritur, fit putrida, quia humores habet in facto esse, & cordis substantiam habitudinaliter seu dispositiue in fieri ad tertium gradum. Non enim inconuenit habitui alicui ex accessu nouæ caussæ calfacientis, corpori succrescere intensiorem caloris gradum, qui rendat, & dispositio fit ad habitum alterum intensioris caloris: qui sane dum intenditur, calor est fiens & de- A pendens. Nec inconuenit, ex vtroque calore fieri vnum, qui sub ratione diuersa sit habitus, ratione nimirum graduum, qui præerant, & nullam habent dependentiam, & sit etiam dispositio ratione gradus, qui dependet à noua caussa conante intensiorem habitum efficere. Nec inconuenit dicere, nondum contractum esse habitum, donec ex toto salubre temperamentum sit subuersum, ex quo videtur sequi, non posse amplius calfieri, quia si posset, habitus esset particeps contrarij fientis & intensioris. Cui respondendum arbitror, quod licet latitudo salubritatis prædicto habitu acquiro ex toto desit, superest adhuc (*non solum in prima ac secunda febris hectica parte, verum in tertia ac marasmo*) latitudo caloris vitalis, ad quem B vsque se potest extendere alteratio caloris adhuc intensior habitu præexistenti, ita vt calores ij, licet sint eiusdem speciei specialissimæ, & in vno subiecto non possit nisi vnum constituere, & ob id vnam solum febris rationem, cum hoc tamen alio specialiori modo inter se differre certissimum est, nimirum sub ratione præternaturalitatis: quippe diuersa est præternaturalitas gradus caloris additi & fientis, ab ea, quæ in gradibus habitualis reperitur: quia hæc est independens, & illa adhuc à sua caussa dependet, & sic pro diuersitate præternaturalitatis, in qua morbifica ratio consistit, diuersa quoque febris natura suboritur: præterquam quod hecticus calor informat, putridus alterat: ille habet rationem habitus, hic vero ad summū C habitudinis.

Ad quartum.

Dubium.

Solutio.

Quæ sane omnia si quis syncero animo & citra liuorem expendat, reperiet profecto solutam esse difficultatem, nec superesse dubium, quod momenti sit alicuius.

DIFFICILE II.

An siccitas sit de essentia febris hectica.

Circa expositionem naturę & conditionis febriū hecticarum, ex vsu etiam fore duxi, expendere, *an siccitas sit de essentia febris hectica*: cui dubitationi D præstitit ansam ignorantia modi & conditionis, qua siccitas febrili calori adiungi potest. Quippe sunt nōnullæ rationes, quibus probari potest, siccitatem non esse de essentia febris hecticæ.

Hectica an ratione essentię sibi siccitatē coniunctam habeat.

Prima igitur ratio desumitur ex Gal. *lib. 1. de diff. febr. cap. 8.* qui cum duplex proposuisset *febrium hecticarum genus: vnum cum tabe seu siccitate vel humiditatis consumptione, reliquum vero sine ipsa.* Et rursus eadem parte docet, *solum dici hecticam febrem, cum velut quædam efferuescentia natiuæ humiditatis fit*: infertur inde, *donec eadem humiditas consumpta fuerit, febrem hecticam absque siccitate posse consistere.*

Prima ratio.

Febris natura & essentia in genere sita solum in calore præter naturam solidarum partium existit. Sed fe- E *bris hectica est, cui specialius attinet calorem habere in membris solidis, & ab hoc calore ceteræ febres sumunt suam naturam & differentiam, quas siccitatem habere coniunctam necessum non est: ergo neque febris hectica obtinebit:* Antecedens iam probauimus in prima huius operis arte, & consequens probatur, *quia id, quod competit alicui generi, non denegatur speciebus, etiamsi aliquid succrescat, quod præstet locum differentiæ. Sed prædictæ species non habent siccitatem adiunctam ex natura, ergo neque id, quod se habet velut genus, vt est calor factus in solidis membris.*

Secunda ratio.

Dum viuit animal, semper primæ humiditates regenerantur. Sed siccitas hecticorum corporum fit per humiditatum priuationem. Ergo saltem in prima, vt aiunt, specie opus non est adiunctam esse siccitatem, siquidem humiditates illæ semper reficiuntur, & solum efferuescunt.

Tertia ratio.

Febris hectica natura consistit in facto esse & in habitu

Quarta ratio.

bitu ac in indepentia, at ſiccitas membrorum à principio hectica febris vſque ad maraſmum ſemper ſit & accreſcit, ſed quod ſit, nequit eſſe de eſſentia eius, quod falſum eſt: talis eſt ſiccitas reſpectu caloris, ergo nulla lege erit de febris hectica eſſentia.

Quinta ratio.

Quinto conſtat, quia Galen. docet, *pulſum durum non eſſe proprium alicuius febris, ergo neque hecticæ, & per conſequens hectica febris haberet perpetuo ſignũ proprium pulſum durum: conſequens eſt falſum:* ergo *non eſt intemperies ſicca.*

Difficultatis enodatio.

Siccitas duob⁹ modis acquiritur.

Quibus ſane rationibus vt ſubſit commoda dilutio, expendendum eſt, ſiccitatem duobus modis acquiri poſſe: *Vno* quidem dum res componitur prædominante ſicciori elemento: *Alio* vero dum iam facta eſt per priuationem propriæ humiditatis. Quod ſane ſolet contingere vno e tribus modis. Nam ſuccreſcit hæc ſiccitas, quæ natiuam humiditatem conterit, inſenſibiliter, aut leuiter ſenſata, ceterum actiones non lædens, neque morbi rationem habens. *Secundò* ſuccreſcit, vt morboſa eſt & ſiccum conſtituit affectum, licet humiditas ex toto non ſit ſubuerſa, ſed ſolum quantum ſat eſt, vt actiones lædantur. *Tertio* verò contingit ſuccreſcere tabidam ſeu marcidam ſiccitatem, quæ ea profecto eſt, quæ non ſolum id factum habet, quod ad morbi rationem ſat erat, ſed quæ adeo facta eſt, vt quam pauciſſimum habeat futurum vel in fieri, qualis corporum maraſmo confectorum exiſtit. Quibus præmiſſis, dubitationi reſpondendum eſt ſubdiſtinctione: nam ſi quis conſideret peculiarem febris hecticæ conditionem, conijciet neceſſario, ſiccitatem ſibi adiunctam obtinere, eſſeque intemperamentũ ex caliditate & ſiccitate compoſitum: nam cum ad hecticum habitum acquirendum, opus ſit diutina caloris præter naturam actione, rationi conſonum videtur, neceſſario ſibi adijcere ſiccitatem, alioqui non erit habitus febrilis. Verùm cum hoc non conſtat, an ſiccitas illa, quæ calori adiungitur, ſit in fieri, an morboſa, an tabida; quod eſt difficultatis propoſitum. Qua in re aſſerendum fore arbitror, calorem febrilem in genere ſemper ſibi euocaturum ſiccitatem, quam tamen non eſt neceſſum ad febris conſtitutionem eſſe morboſam aut tabidam, ſat enim eſt, eſſe ſiccitatem præter naturam & in fieri, quemadmodum ephemeris & putridis febribus plerumque accidit, nam putrida, quæ in hecticam commigrat, prius omnem humidam putrilaginem deponit; aut ſi adhuc retineat, ſiccitas, de qua loquimur, non requiritur in humoribus ad hecticæ febris naturam, ſed in bibentibus partibus, in hecticis vero neceſſium eſt ad integram ipſarum naturam, ſiccitatem etiam adeſſe, ceterum eam non in fieri, ſicut in putridis, ſed morboſam, & quæ facti aliquid obtineat, idque in prima eius ſpecie, vt aiunt. Nam licet multi aſſerant, & ex Galeni decretis conſtet, hanc fieri ex humiditatum in extremitatibus vaſorum & in ſolidorum ſpatijs contentorum efferueſcentia, nihilominus tamen certum eſt, efferueſcentiã illam nondum ſuffeciſſe febrem hecticam efficere, quouſque ob aliquem defectum prædictarum humiditatum morboſa ſiccitas contracta ſit, quo tempore incipit febris hectica, & durat in prima ſpecie, ac terminat ipſam ex toto reſolutis & exſiccatis prædictis humiditatibus. Probat meam ſententiam virium in actionibus & mutatæ qualitatis, quas clarius conſpicimus oriri à morboſa ſiccitate, mox à principio hecticæ: nam protinus carnes ſenſibiliter exſiccantur, collabitur corpus & decoloratius redditur. Quæ ſane vitia nulla lege à calore proficiſci poſſunt, quia calor potius dilatat partes, & poroſitates aperit, quã quod corrugare & perſtringere poſſit, niſi inducta ſiccitate.

Hectica eſt intemperamentum ex caliditate et ſiccitate compoſitum.

Humectãdi indigẽtia in hecticis duplex.

Euidens eſt huius veritatis argumentum curandi ratio: quippe duplex eſt in hecticis humectandi indigentia: *Vna* quæ ſubſtantiam deperditam reparet, A quã ſubſtantificã humectationem medici appellant. *Altera* vero, quæ oleis, balneis & frictionibus perficitur, qualitatiuam potius nuncupatam, cui munus tantum eſt, collapſas, conſtrictas, & corrugatas partes humectando dilatare, quo facilius exſequatur natura primæ humectationis beneficium. Quibus euidenter conſtat, neceſſario habituali ſiccitatem eſſe comitem, ſaltem morboſam. At ſiccitas ea, quam tabidam appellamus, non neceſſario cuiuis hecticæ adiũgitur, ſed ſolum tabitudini aut maraſmo. Ex quibus probe conſideratis, ſubſunt ad argumẽta dilutiones.

Hecticæ febri ſiccitas ſemper comes, ſed morboſa.

Ad primum.

Sic enim reſpondemus Galen. *lib. 1. de diff. feb. dixiſſe hecticam vnum genus ſibi habere comitem tabidã* B *ſiccitatem: reliquum vero ſine ipſa fieri, hoc eſt ſine tabida ſiccitate, non tamen ſine morboſa, hoc enim in ratione & natura febris hecticæ videtur impoſſibile.*

Ad ſecũdum.

Pro ſecũdi argumenti enodatione præmittendum eſt, licet febres omnes vna communi & generica ratione conueniant, nimirum quatenus in omnibus calor præter naturam adeſt factus in ſolidis membris: nihilominus tamen ſpecifica & peculiari quadam conditione adeo inter ſe diſſident, vt conditio illa ſit veluti proprium & inſeparabile accidens, quo & earum eſſentia innoteſcit magis, & differentia peculiaris conſtituitur. Sic putridæ febres hoc habent ſibi peculiare, vt earum calor ſemper ſit dependens, ſpirituũ vero, qui ephemeram conſtituunt, independens: he- C ctica autem neque cauſſam habet, dependentem aut independentem, ſed ſolum calorem factum & independentem in cordis ſubſtantia: habet tamen id peculiarius, quod ſiccitatem morboſam ſortiatur ſibi adiunctam, quod aliæ febrium ſpecies non requirũt. Nam ſicut ad habitum caloris ſecundum naturam (*vt prædictus calor forma efficiatur partis*) prærequiritur tanquam neceſſaria diſpoſitio, certus quidam humiditatis naturalis gradus & tenor, citra quem habitus non fiet naturalis: ſic proculdubio ad generationem habitus caloris præter naturam, præ requiritur tanquam immediata & proxima diſpoſitio morboſa hæc membrorum ſiccitas, quæ etiam ſuo modo actiones lædat, *vt dictum eſt*. Quapropter argumento dici- D mus, de eſſentia caloris febrilis non eſſe ſiccitatem ſaltem morboſam, verum hectico calori eſſe veluti accidens proprium, quod ab ipſo emanat, cuius ratione differentia prædicta conſtituitur.

Hectico calori ſiccitas proprium accidens, quòd ab ipſo emanat.

Ad tertium.

Vt ſubſit ad tertium ſolutio, præmittendum eſt, quod licet humiditatem aliquam corpus hecticum in principio generet, ea quidem non impedit, quominus corpus exſiccetur morboſa ſiccitate: nam prædicta humiditas quæ nouiter generatur, non ſufficit corpus humectare ab humiditate, quæ ſiccitatem protinus tollat. *Præterquam* quod caliditas illa præter naturam non ſolum nupergenitam humiditatem, verum & præexiſtentes conterit & exſiccat, eo gradu quem reficere nequit, quæ denuo generatur. Quo ſit, vt neceſ- E ſum, ſit, corpus indies magis ac magis exſiccari.

Ad quartum.

Habit⁹ caloris p. n. ad ſui generationẽ requiritur tãquã proximam diſpoſitionẽ morboſã membrorum ſiccitatem.

Pro quarto vero & vltimo præmittendum eſt, *non eſſe de eſſentia febris hecticæ, tabidam ſiccitatem obtinere*, ſed ſat eſt *ad integritatem ſuæ naturæ, obtinuiſſe morboſam*. Et cum de febris eſſentia in genere ſit calor factus, ſufficit ad eius integritatem calorem habere factum: quo ſit vt nihil detrahat ab eius natura, aliquid habere ſibi adiunctum, quod nonnihil habeat fientis, cum ſufficiat vt febris hectica facta dicatur, calorem habere independentem & factum, & ſiccitatem etiam factam, verum eam ſolum quæ ſufficiat morbi rationem obtinere. Ex quo conſtat, non tollere facti & habitualis rationem illud quod futurum aut fiens eſt, ſi præſit id factum quod natum eſt morbi naturam & conditionem conſtituere. Nam cum calor ille factus perpetuo agat in humidum, neceſſario ad conſumptionem maiorem aut minorem eius, ſequitur morboſa aut tabida ſiccitas quæ proprietas

quæ-

quædam est constitutiua speciei, & quà genus, hoc est, calor febrilis, cótrahitur ad speciem hecticæ, non quidem quod siccitas sit de essentia caloris, sed quod ex calore & siccitate prodeat quidam morbus compositus, eius essentia in vtraque qualitate sita sit: nam febrilis calor intemperamétum quoddam est ex quatuor qualitatibus conflatum, immodice tamen exsuperantibus caliditate in habitu facta, & siccitate morbosa,

Ad quintum.

Ad quintum dicendum est, verissimum esse, pulsum durum comitem esse febribus hecticis, plus minusve, prout hæc vel illa eius fuerit species: quia durities propria est omni siccitati morbosæ, qualem in hecticis concedimus. Quo constat, Galen. optime dixisse: ceterum intelligendum est, non conuenire alicui B febrium qua febris est, sed propter aliquid aliud adiunctum,

DIFFICILE. III.

An febris hectica augeri possit?

Hectica febris an possit augeri.

Constat etiam ex natura & definitione febris hecticæ, *eam non posse suscipere incrementum, neque differentiam maioris aut minoris, neque vllam temporum distinctionem*: ex quibus non minus videtur difficile, an febris hectica aliquo modo augeri possit. Quapropter expendendum diligentius est, qualem fixionem sortiatur febrilis hic habitus, & an sit qualitas, quæ facile remoueri possit. Adeo enim religiose obseruatum est apud plerosque auctorum, hecticam febrem (*quod habitus sit, & non dependeat à caussa*) intendi minime posse, quod me coegit & rei difficultas et vulgaris opinio, paulo diligentius rem ipsam expendere: quippe aliquibus rationibus videtur posse probari, hecticam febrem, cum independens sit, intensionem suscipere non posse.

Prima ratio.

Ad habitum non est per se motus, licet intensio aut remissio non fiant citra ipsum, sed febris hectica dicitur habitus, & si intensior futurus est, citra motum nequibit profecto: ergo ad ipsum habitum qui potest per intensionem acquiri, erit per se motus, aut hectica febris non fiet intensior habitus.

Secunda ratio.

Nullo modo potest augeri habitualis hæc caliditas, ergo febris hectica non suscipiet intensionem, & antecedens probatur. Primo *non potest ab intrinseco & ab ipsomet calore fieri intensio, & patet, quia nihil potest agere vltra gradum suæ perfectionis, sed caliditas febris hecticæ, vt duo (verbi gratia) semper aget vt duo: ergo non intendetur.* Rursus *neque ab extrinseco incrementum suscipere poterit, nisi in alterius febris speciem mutetur:* & probatur, *quia febris habitualis ex sua natura dicit independentiam à caussa,* ergo *neque ab extrinseco neque ab intrinseco incrementum suscipere poterit.*

Quæstionis solutio.

Habitus corporis & animæ est dispositio perfecti ad optimum.

Verùm vt cóstet, qualis naturæ sit hecticorum corporum habitus, & an manens in eadem natura possit intensionem recipere, in memoriam reuocare oportet Beati Thom. sententiam 2. *quæst.* 49. *art.* 2. quo loco ex Arist. *mente* 7. Phys. refert, habitus corporis & animæ esse dispositiones quasdam perfecti ad optimum, & per verbum *perfecti*, intelligit dispositum secúdum naturam: quo quidem habitu disponitur hęc natura bene vel male, *vt idem Arist. dixerat* 5. *Metaphy.* Atqui cum motus & determinatio subiecti (*quæ fit per habitum & dispositionem*) ad bonum vel ad malum, fiat in ordine ad naturam rei, & quia ipsa forma & natura rei est finis, & cuius caussa fit aliquid, ob id profecto, quando modus est conueniens naturæ, habitus habet rationem boni, *vt sanitas & pulcritudo*, cum autem non conuenit, tunc habet rationem mali, *vt morbus & calor hecticus.* Verùm quia natura est id, quod primo consideratur in re, ideo habitus & dispositio ponútur in prima specie qualitatis licet quali- A tas in genere sit modus qui importat determinationē ad aliquid. Substatia enim quatuor modis modificari pōt *primo* numerú ratione quantitatis, & sic est quarta species qualitatis, quæ est figura vel forma, quæ quantitatem sequuntur: *secundo* modificatur quoad obiecta operationum: & *tertio* quoad principia operationum, secundum quas modificationes attenditur secunda & tertia species qualitatis: *tandem* potest substantia modificari, quoad bonam vel malam operationem, in ordine ad naturam rei: quia habitus & dispositio non solum important ordinem ad ipsam naturam rei, sed etiam consequenter ad operationem: & ideo profecto determinant naturam ad bene vel male operandum, in quantum operatio est finis naturæ, vel perducit ad finem.

Substātia quatuor modis modificari potest.

Habitus duplex, animæ & corporis.

Habitus corporis non est dispositio difficile mobilis, sed difficulter.

His habitis statuunt Philosophi duplicem esse habitum: alterum quidem animæ, & reliquum corporis, *vt constat ex B. Thom.* 1. 2. *quæst.* 50. *art.* 1. quorum sane eum qui ad animam pertinet, vere habitum appellat: corporeum vero, improprie & per accidens, ac solú per similitudinem. Nam cum ratio habitus sit, esse dispositionem difficile mobilem, constat corporis habitum non esse huiusmodi, propter mutabilitatem corporalium caussarum: potest tamē esse difficulter mobilis per collationem ad tale subiectum, aut ad alias dispositiones: non sicut qualitates animæ, quæ vere *habitus* appellantur propter immutabilitatem subiecti, & caussarum firmitatem: quippe habitus scientiæ firmissimus est, & C difficulter remouetur, quia per demonstrationem acquiritur, quæ firmissima existit caussa. Præterquam, quod cum habitus sit dispositio subiecti existentis in potentia ad plura, & partes naturales corporis sint determinatæ ad vnum, ob id profecto nequeunt proprie habere habitum: quo fit, vt neque sanitas neque hecticum intemperamentum sint vere habitus, sed habituales dispositiones.

Hecticū intemperamētum et sanitas, non sunt vere habitus, sed habituales dispositiones.

Habitus & dispositio differūt specie.

Ex quibus euidenter iam constat ratio propter quam habitus & dispositio non dicuntur neque habentur tanquam duo indiuidua vnius speciei, *vt existimarunt Boetius, Albertus, & Ammonius*, sed arbitrari oportet, duas esse species essentialiter distinctas, *vt aperte explicuit Beati Thom.* 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 2. Et rationem differentiæ constituit D esse, eo quod dispositio per se est facile mobilis, & habitus difficulter: quem appellauit B. Thom. *dispositiones habituales*, quasi velit dicere, non esse dispositiones ex propria natura, neque habitus simpliciter obiecti immutabilitatem, tamen propius accedere ad veri habitus naturam, quia eadem cum ipsis finitione gaudet. Quo fit, vt prædictus habitus corporeus veri habitus naturam æmuletur, qui à dispositione differunt, nó solum ratione perfecti & imperfecti, vt multi conantur ex doctrina B. Thom. *loco citato* dicere, dicente aliquos esse habitus, qui non differant nisi perfectione à dispositione, vt calor qui facile mobilis est, & calor qui vehementer radicatus existit in subiecto, & exemplú assignat in puero & iuuene. Quo E fit, vt dispositiones aliquæ ex nimia radicatione in subiecto fiant habitus, & aliæ sunt dispositiones sua natura, & ob id nequeunt fieri habitus, *vt ephemera febris.* Quibus non obstantibus statuendum est, differre etiam modo, *vt dictum est lib. huius operis in febrium diuisionibus*, quod sufficit ad diuisionem specificam & essentialem. Differunt tamen habitus & dispositio corporei à reliquis qualitatis speciebus, quia frigiditas primæ speciei subiectum bene vel male secundum suum esse disponunt: inquit enim B. Thom. *Calor autem & frigus secundum quod conueniunt naturæ rei, pertinent ad sanitatem, & hoc modo caliditas & frigiditas ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis: verum eadem, vt in tertia specie sitæ secundum passionem subiecti sunt qualitates, non quidem secundum quod subiectum bene vel male disponunt secundum suum esse.* Quam sane doctrinam longe clarius

&

& verius explicuit Beatus Thom. *loco adducto art.* 4. A constituens veram differentiam inter qualitates primæ speciei, & eas, quæ ponuntur in tertia: nam cum qualitates elementorum secundum vnum modum determinatum naturis elementorum conueniunt, tunc profecto non dicuntur dispositiones vel habitus, sed simplices qualitates, nitentes proprij elementi formam introducere & ad eam disponere, mediante passione, qua fit passibilis qualitas, via quidem & dispositio ad introductionem formæ eius elementi, cui respondet hæc qualitas, quo tempore ad tertiam speciem proculdubio pertinet. At dispositionem & habitum corporeum appellamus eas qualitates, quæ important quandam commensurationem plurium qualitatum, quæ diuersis modis commensurari possunt, vt sanitas & pulchritudo. Nam ob eam rationem vt docet B. Thom. *loco citato artic.* 4. ex Aristot. mente 5. *Metaphy.* habitus & dispositio distinguuntur per dispositionem, quæ nil aliud est, quam ordo habentis partes secundum locum, potentiam, aut speciem. Quapropter commensuratio qualitatum passiuarum secundum conuenientiam ad naturam habent rationem dispositionis & habitus: & si probe ab eis natura disponatur, sanitas dicitur, sin autem male, morbus, nos autem appellamus naturale temperamentum aut intemperamentum, quod sane tunc habet rationem habitus, cum qualitates quæ ipsum constituunt aut extrinsecus occursant, cessant admiuicem agere & pati: quo fit, vt celet etiam omnis caussalitatis ratio, & temperamentum superfit habituale, factum & independens, & quasi forma partis effectum.

Habitus & dispositio definiuntur per dispositionem ab Aristotel.

Dispositio quid.

Cognita igitur habitus corporei natura, quæ ob mutabilitatem corporalium caussarum & subiecti, habitus naturam non attingit: constabit profecto, hecticam febrem *(cum vere habitus non sit, sed corporalis habitudo)* intendi ac remitti mille modis posse, quod nullus dubitare potent: neque etiam, quod grauius dubium est, *an post intensionem & remissionem maneat eadem habitus ratio, vel mutetur protinus in qualitatem vel passionem.* Cuius doctrinæ gratia tituendum est, hecticorum corporum habitum tribus modis posse considerari: *Vno* quidem in esse caloris: *Alio* in esse caloris præter naturam: *& rursus: Tertio* in esse habitus eo modo, quo dictum est. Appello qui dem calorem simpliciter, solum habita caloris excedentis consideratione, vel, *vt rectius loquar,* prout est passibilis qualitas, licet eius iam fuerit contractus præ dictus habituationis modus. Item calorem præter naturam dicimus, prout in eo consideramus conditionem distinctam aut contrariam qualitati caloris naturali. Tandem habitum dicimus eum calorem, proot iam praue disponit naturam.

Hecticorum corporum habitus tribus modis considerari.

Quibus habitis statuendum est, prædictum febrilem & habitualem calorem omnibus præfatis modis posse intendi & remitti, manente ad modum dictum habitu præter naturam praue ipsam disponente. Quippe etidentissimum est, habitualem calorem optime posse augeri, manente habituali in eadem dispositione, vt in responsione ad quartum tertiæ quæstionis nuper adduximus de calore putridæ febris addito corpori hectico: quo fit, vt optime possit, vt calor est, intendi citra mutationem habitus. Verum quatenus ca lor hecticus dicitur, calorem præter naturam, longe euidentius posse augeri & fieri intensiorem cospicimus: ratio huius est, quia cum habitualis ille calor indies magis ac magis humiditatem conterat, cuius defectu radicetur magis, ficciorque & longe difficilius fiat à natura nostri caloris, qui humidus est & vaporosus, fit profecto, vt præternaturalior efficiatur, tum quod ob ficcitatem sibi adiunctam efficacius operetur, ac ob id actiones longe magis vitiet, signum profecto intensioris præternaturalitatis: tum vero quia ea ratione

Febrilis & habitualis calor tribus modis augeri pot.

magis accedit ad naturam ignis, discedit que à natura mixti & temperamenti, licet gradus caloris semper sint ijdem, quia hecticus calor independens est, et factum intemperamentum. At in ratione etiam habitus *(quod maius videtur dubium)* prædictum calorē intendi ac remitti optime posse, facile constabit: si prius dixero modum, quo hic habitus hecticus contrahitur.

B

Huic sane habitui comparando, necessum est calidam caussam agentem tantam formæ *(vt aiunt)* multitudinem aut intensionem introducere, quantam valet corporis natura recipere, vt vicem naturalis temperamenti gerat: quod necessum est coercere, vt solum resistere possit, quominus ex toto pereat, non tamen agere nisi quaotum par est ad vitales actiones, perpetam tamen effectas. Qua semel producta caliditate, & abiecta efficacia patii, resultat virtute multitudinis formæ introductæ, aut intensionis habitualis, quædam qualitas, tanta intensione prædita, quanta fuit virtus multitudinis formæ introductæ, aut agentis efficacia.

Habitus hectic febrilis quo modo contrahatur.

Quibus sic habitis præmittenda est doctrina Beati Thom. *par.* 2. *quæst.* 52. *art.* 1. qua parte statuit, quòd ea, quæ recipiunt speciem ex aliquo, ad quod ordinantur, possunt secundum seipsa diuersificari in plus vel minus, & nihilominus sunt eadem specie, propter vnitatem eius, ad quòd ordinantur, ex quo recipiunt speciem. Et ponit exemplum in sanitate: nam *corpus,* inquit, *pertingit rationem sanitatis secundum quod habet dispositionem conuenientem naturæ animalis, cui possunt dispositiones diuersæ conuenientes esse, vnde potest variari dispositio in plus vel minus* (medici enim appellant suanatis latitudinem) *& tamen semper remanes sanitatis ratio.* Quo fit, vt iure optimo dixerit Aristot. 10. Ethi. *sanitatem recipere magis & minus: nam huiusmodi commensurationes diuersæ sanitatis, se habent secundum excedens & excessum.* Quod sane documentū de habitu præter naturam pari ratione subaudire oportet: nam qualitates quæ plurimum distant à substantia, & coniunguntur passionibus & actionibus recipiunt quidem magis & minus, secundum participationem subiecti à quo sumunt speciem. Sic profecto calor hecticus, qui huiusmodi speciem sumit à subiecto *(sicut sanitas quæ talem naturam sortitur à corpore cui adhæret)* intendi & remitti optime potest, non variata specie habitus, nisi solum intensiori facto eodem habitu: nec inconuenit, habitum dicere perfectionem, & ob id non posse mutari, quia habitus sanitatis non dat corpori esse specificum, sed accidentale. Quo supposito constabit euidenter, siquidem hecticus hic calor non habet veram habitus rationem, ad quam nullus est per se motus, ac licet vero stetisset, posset optime augeri: nam caliditas illa quæuis augeatur, eius motus non terminatur primo et per se ad dispositionem & habitum, sed vt passio ad passibilem qualitatem, cuius augmentum sequuntur habitus aut dispositio per modum consecutionis, quo intensiorem fieri habitum mirum nō est, licet id non intendat caloris motus, vt habitus est. Nam caloris intensio & motus ad vlteriorem gradum, primo & per se non nisi in ignem aut mortem tendit, non quidem in habitum: nam enim solum sequitur, hoc est, per modum sequelæ succrescit, facta enim alteratione secundum calidum & frigidum, sequitur, hominem alterari secundum sanum & ægrum, *vt scripserat Beat. Thom. loco citato in responsione ad* 3. Sed instabit aliquis, *si hoc esset verum, sequeretur, quod caliditas, prout pertinet ad tertiam speciem, efficiue caussaret rationem habitus aut dispositionis: quod videtur esse falsum; quia eadem res numero esset caussa efficiens & effectus.* Pro cuius dubij enodatione expendendum est: efficientem caussam esse in duplici differentia: *Vnam,* quæ cum transmutatione producit effectum, de qua quidem

C

D

E

Dubium.

Solutio.

Efficiens caussa duplex.

dem verum probat argumentum, & nos hac in parte non intelligimus: *Alteram* vero, quæ non per transmutationem sed per consecutionem quãdam producit talem effectum: quo tempore nullum est inconueniens. Exemplo sunt propriæ passiones, quæ non distinguuntur realiter à subiecto, *vt in ente bonitas & veritas*, quæ sunt idem re cum ente: cum hoc tamen ens se habet ad illas in genere caussæ efficientis. Quod quidem pari pensu de habitu & dispositione intelligendum est: nam caliditas primo & per se eum intenditur, effectiue producit intensionem qualitatis calidæ, prout pertinet ad tertiam speciem, at vero consequitur tanquam propria passio, quædam ratio formalis distincta à caliditate, non re, sed solum ratione, nimirum, ratio habitus aut dispositionis, quæ ea ratione qua consequitur caliditatem, ad illius mensuram introducitur, vt habitus intensior præexistenti, eo qui prius existebat non corrupto, sed intẽsiori facto, & vno cum adueniente: quòd nullum est inconueniens, quia solum acquirit nouum modũ se habendi, non quidem nouam entitatem. Quo fit, vt nullum sit inconueniens, habitum hecticum intẽdi, siquidem calorem augeri est possibile, & ad eius augmentum rationem habitus, maxime cum hecticus calor non habeat rationem veri habitus, sed solũ sit radicata dispositio, quæ magis & minus susceptauit, cum non differat nisi accidentaliter à qualitate calons, quæ, vt patet, intensibilis est. Cum hoc tamen ob similitudinem in difficultate remotionis cum vero habitu, addimus huic calori fixo quandam rationem formalem, distinctam à caliditate, saltem ratione. Præterea licet dictum sit, magis aut minus suscipere posse prædictum calorem habitualem, expendendum tamen est, hanc intensionem non posse suscipere ab extrinseco, si intensio per additionem gradus futura est; quia talis affectus non dependet à caussa, à qua possit eum gradum suscipere; verum si fieri debet per maiorem radicationem in subiecto, poterit quidẽ ab intrinseco intendi, calore ipso (*quantumuis independens sit*) humidum consumente, seseq; insinuante in subiectum penitius & radicatius. Verum imminui & remitti poterit quidem vtroque modo; nam ab extrinseco remittetur calor, maxime si Medicus extrinsecus prohibentia remoueat. Quippe primò calor redditur naturalior, ob inductam humiditatem; postmodum vero remittitur aliqua pars vltimi gradus caloris ex temperie humidi acquisiti, & attemperato extrinsecus excessu caloris, qui est prohibens: quo tempore efficitur calor minoris intensionis quoad gradum, & quoad radicationem; & subito perit ratio habitus, vt per modum consecutionis factus fuerat; nihilominus tamen remanet ille calor, qui superest præter naturam, donec adeo ab vtraque caussa minor & remissior fiat, quòd non habeat rationem febris, sed dispositionis, seu intemperamenti calidi corpus neutrum cõualescentiæ circumscribens, eo quod iterum solutus & maior factus calor innatus dominetur, actionesq; liberius exsequatur ac remittat externo adminiculo omne intemperamentum. Atque hac via & ratione subest responsio ad argumenta.

Hecticus calor non habet rationẽ veri habit⁹, sed est solum radicata dispositio.

Hectica quãdo possit intendi aut remitti ab extrĩseco, aut intrinseco calore.

Ad primum. Ad primum igitur respondendum est, *hecticam febrem non esse verum habitum, sed fixam dispositionem, quæ fixior fieri potest per maiorem radicationem in subiecto, & intensior ab extrinseco per acquisitionem noui gradus, noua adueniente caussa: nam secus impossibile est, cum sua natura sit affectus independens. Pari etiam ratione remitti potest modo dicto, & tunc etiam caussa externa. Itaque præterquam quod hectica non est verus habitus, consecutione quadam efficitur radicatior.*

Ad secundum. Ad secundum dicimus, *prædictum habitualem calorem optime posse fieri ab intrinseco, quatenus pertinet ad præternaturalitatem: ab extrinseco vero optime probat argumentum, non posse intendi nisi noua caussa acce*A *dat, quod abunde probatum est in quæstionis enodatione.* Quod si quis dixerit, *augmentum caloris hectici semper habere coniunctam putredinem, quæ semper ab extrinseco augetur, præter modum à nobis citatum expendat, non esse leue inconueniens concedere febrem hecticam perpetuo & ex sua natura complicari cum putredine, quia semper opus est mixta curatione, ex prophylactica & præcautoria putredinis, quæ cum hectica habet rationem caussæ augmenti; quod nemo facile concedit, neque ex auctorum decretis colligi potest, præter quam quod euidenter & necessario in quauis febre hectica essent ratione caloris quatuor tempora, quemadmodum in putrida: & insuper ratione huius magis ac magis esset* B *hecticis refrigerandum, quod verentur omnes sapientiores, quia vel minus refrigerant vel æqualiter, & semper magis ac substantialius humectant, præterquam quod plures sunt hecticæ, quæ incipiendo ac citra præexistentem putredinem generantur.*

DIFFICILE IIII.

An hectica sit ardenti febre intensior.

Hectica an causone intensior.

EX his quæ mox dicta sunt, atque ex diffinitionis verbis prodit non leue dubium, nimirum *an possit hectica febris causone intensior fieri*. In qua re pro vtraque parte sese offerunt multæ rationes: nam he- C cticam esse intensiorem, probant duæ rationes, quarum prima se habet in hunc modum.

Prima ratio. *Hectica febris fit ex ardenti, & hoc nequit esse nisi per maiorem intensionem ergo erit ipsa intensior.* Maior est mille experimentis manifesta, & minor probatur, quia *febris ardens habet formale morbi in habitudine, in cordis substantia, hectica vero in habitu, ergo necessario fiet per maiorem intensionem.*

Secunda ratio. *Febris hectica necessario interficit ex propria natura, nisi diligenter præueniatur: febris vero ardens contingeinter, ergo efficacioris est & intensioris qualitatis hectica febris.*

Sed ex altera parte non minores rationes sese offerunt; quibus facile probari potest, ardentem febrem D esse longe intensiorem, & prima se habet in hunc modum.

Prima ratio. *Febris ardens citius per calorem interficit quam hectica: hoc nequit fieri citra efficaciorem caloris conditionem, hæc prouenit ab intensione; ergo erit hectica intensior.* Maior est experimento vera, et minor probatur. *Ea est intensior qualitas, quæ citius dirimit nostrum calorem, & grauiora concitat accidentia, talis est ardentis febris calor:* ergo: *nam ratio vstionis supra innatum calidum prouenit ab efficacia agentis: talis apparet in causone, cum citius dissipet innatum calorem, quam calor hecticus,* ergo *necessario erit ipso intensior.*

Secunda ratio. *Si ratio habitus est, bene vel male disponere naturã, tanto deterior erit habitus aut dispositio, quanto perni-* E *ciosius disposita apparuerit natura: talis apparet in causonide, ergo deterior erit eius dispositio:* quod vero hæc prauitas dispositionis ab intensiori calore prodeat, patet (*vt sensus indicio licet discernere*) nam mitior apparet *hecticus calor & naturali simillimus: intensior vero febris ardentis & austior, quippe qui vstione excrementa æruginosa & nigra reddat, & corpus colliquatione tabefaciat, ergo necessario tenetur quis iudicare longe intensiorem esse.*

Quæstionis enodatio. Duo mihi subsunt agenda ad huius quæstionis enodationem: Primum erit, *discernere, vter horum calorum sit intensior:* secundum vero, *quid argumentis respondendum.*

Intensio quot modis fiat. Circa primum statuendum est, vniuersam huius dubij enodationem pendere ex vera & integra notitia intensionis qualitatum: constat enim ex maiori Philosophorum parte, intensionem fieri vno e duobus modis: *Vno* per propriam intensionem ex addi-

tione

Hectica secundum maiorē radicationē in subiecto intensior ardenti.

tione gradus in subiecto. *Altero* quidem per maiorem radicationem in illo. Ex quo constabit profecto, has febres longe diuerso intensionis modo dissidere: nam cum intensio, quæ fit per maiorem radicationem in subiecto, sit velut quoddam complementum formæ in eodem subiecto adæquato: & in hectica febre calor ille præter naturam factus formæ accidentalis, loco natiui caloris, semper magis ac magis perficiatur, & perfectius ob maiorem radicationem actuet subiectum, constat, maiorem in ea esse intentionem, quam in quauis alia febre.

Ardens secundum additionē gradus caloris intēsior est hectica.

Verùm quatenus ad gradus caloris attinet, dubiū non est quin longe plures sortiatur febris ardens. Vtrumque tamen probari potest euidentissimis rationibus: nam ex ardenti febre per maiorem radicationem in subiecto efficitur febris hectica: at longe maiores apparent in ardenti febre caloris præter naturam actiones, quod plures sortiatur caloris gradus, quibus effectus caloris elucent magis. Præterquam quod semper fouentur illi gradus caussa calfaciente, quam habet febris ardens: quibus accedit, id quod inflammatur in ardenti, tenuioris esse substātiæ, quo fit, vt minor in hectica eleuetur flamma: qua occasione censeo Galen. dixisse, nullam hecticam esse magnam febrem. Denique si quis consideret caloris gradus, longe plures sortitur febris ardens, ac si intensionem hac via fieri concedendum sit, proculdubio longe intensior habenda est. Verùm si radicationem in subiecto consideres, nulli dubium est, quin febris hectica reliquis omnibus longe intensior existat, etiamsi non sortiatur tot gradus ac ardens, nam poterit introduci in declinatione ardentis hectica febris, & cum hoc erit intensior per maiorem quam sortitur radicationem in subiecto: nam hæc est differentia inter gradus additionem & maiorem radicationem in subiecto, quod acquisitio habitus fit per maiorem radicationem, at formæ agentis introductio non nisi per plurium graduum additionem, donec forma introducatur agentis, & compleantur gradus latitudinis cuiusque elementi aut alterius agentis. Qua ratione necessum est statuere, his duobus modis necessario debere fieri intensionem iuxta diuersitatem rei introducendæ, videlicet habitus, aut elementi formæ, nam hoc solum per additionem gradus, illud vero per maiorem in subiecto radicationem. Qua distinctione facile erit & intensionis dubium & hoc præsens enodare.

Ad primum.

Ex quibus primum subest responsio, nimirum *hecticam febrem fieri ex ardenti, non tamen per additionem gradus, sed solum per maiorem radicationem gradus praexistentis in subiecto (& aliquando per radicationem minoris gradus) quippe facta & indepedens efficitur, ac subiectum informans, quod antea cum fiens esset, nequibat.*

Ad secundum.

Ad secundum dicimus, *febrem hecticam necessario, nisi praeueniatur, laborantem interficere more consumptionis naturalis per humidi resolutionem à proprio calido: quia omnis forma quæ non est in subiecto naturali, tendit in sui corruptionem, nisi aliunde conseruetur: quo fit, vt calor ille præter naturam ex hac peculiari conditione id necessario nitatur efficere. At calor febris ardentis nōdum habet rationem formæ, saltem in corde, in quo solum est in habitudine (licet in humoribus sit in facto esse, quod eos putredine nitatur corrumpere) & ob id nō interficit necessario sicut calor hecticus qui factus est, & vicem caloris innati gerit.*

Ad primum.

Ad primum vero alterius factionis dicendum est, *febrem ardentem citius interficere, potius quidem ex modo quo vtitur ad mortem inducendam, quam ob maiorem intensionem. Nam licet in vtraque febre mors sequatur innati caloris corruptionem, citius autem fiet in ardenti febre, quia calor naturalis dissipatione perit, aut ex copia, vel abundantia suffocatur, manente quidē maio*A*ri humidi radicalis parte: at in hectica febre vniuersa humidi portio dissoluitur, cuius defectum sequitur mors.*

Ad secundum.

Et cum dissoluere calorem, longe facilius sit quam humidum, ob tenuitatem & facilitatem passi, ob id potius ardens febris & citius interimit, quam ob maiorem intensionem. Curationi accedit actionem hanc dependere à caussa fouente, illam vero à calore independente, quantumuis radicatus existat.

Huic secundæ rationi dicendum est, longe deterius disponere naturam calorem habitualis, quàm febris ardentis, cum ille primus calor veluti habitualis sit, hic vero solum dispositiuus. Probant hanc veritatem accidentia, quæ succrescunt in ardenti febre, quæ solum oriuntur ex natura pugnante, nitenteque B contrarium euincere: at calor hecticus deuictam habet naturam, & ipse iam connaturalis factus, quia ex toto abiecit & superauit contrarium. Ex quibus constat, deterius dispositam fuisse naturam in hectica quam in ardenti.

DIFFICILE V.

An febris hectica diuidatur in species?

Hectica an diuidatur in species.

CVm vulgari quodam loquendi modo constet, febrem hecticam in plures species diuidi, rationi consonum hac in parte mihi visum fuit, in controuersiam ducere, an febris hectica diuidatur in plures species. Sed quod affirmatiua huius cōtrouersiæ pars C vera quodammodo videatur, iā probare aggredior.

Prima ratio.

Calor præter naturam in febre hectica occupat diuersa subiecta, atque diuersimode sed sola hac ratione distinguuntur putrida, ephemera, & hectica, ergo pari lege in hectica plures aderunt species. Antecedens probatur, *occupat diuersas humiditates specie inter se differentes, carnis nimirum, & solidorum membrorum: ergo necessario calor febrilis in eis succensus, erit specie diuersus, ac ex consequenti erunt diuersæ species.*

Secunda ratio.

Siccitas habitualis, quæ calori hectico adiuncta est, adeo est in diuersas species dissecta, vt diuersos efficiat morbos, non solum nomine (siquidem primus hectica, secundus tabes, & tertius marasmos dicitur) sed & re diuersos, ergo necessario in species dissecanda est: antece-D dens patet, *quia nulli est dubium, quin siccitas primæ speciei, specie differat à siccitate secunda, & secunda à tertia, siquidem humiditates quæ consumuntur, specie inter se differunt, ergo & morbi qui ex eisdem prodeunt specie etiam differre tenentur.* Nec valet si dixeris, *siccitates quoad magis & minus differentes, specie non differre: siquidem siccitas non habet rationem morbi prout pertinet ad tertiam speciem qualitatis, sed tantum prout dicit habitum aut dispositionem, quibus bene vel male disponitur natura.*

Tertia ratio.

Tertio sic arguitur, *diuersam omnino præsagiendi rationem prabent è se prædictæ febris hecticæ species, sed diuersum præsagiendi principium nequit vnus morbus, neque vnius rationis præstare, ergo febris hectica quæ* E *id ex propria natura habet, necessario in plures dissecari debet:* antecedens probat Galen. qui *lib. 1. de diff. feb. primam speciem asserit facilime curari: impossibiliter vltimam, secundam verò non facilè, sed hæc diuersitas vni speciei conuenire non potest, ergo à diuersitate specifica ipsius morbi necessum est prodeat.*

Difficultatis enodatio.

Pendet profecto vniuersa huius dubij enodatio ex notitia naturæ caloris, qui febris hecticæ naturā complet, & eius etiam, qui reliquas febres constituere natus est. In qua quidem re tanquam verissimum arbitramur, quod licet vnius naturę & conditionis in genere sit omnis calor, qui præstaturus est febris rationem, cum hoc tamen ex diuersitate modi, quo operatur in ea parte, in qua viget, à diuersitate partis sumpto principio, prodit specifica & essentialis morbi differentia. Quippe certissimum est, vnum & eūdem calorem verti in igneam naturam, ac febrilem fieri

Caloris hectici diuersitas mirabilis, & qualis natura sit.

in omnibus febrium differentijs: verū cum hoc, prodit in actione ab eo diuersitas adeo mirabilis, vt videatur ab vno agēte fieri nō posse. Habet enim is calor preter naturam vbicumque adheret, si potens sit, aliquid necessario corrumpere, siue id sit siccum, siue calidum innatum, siue naturale humidum eius rei, cui adhæret: si vero corrumpat calorem naturalem partis aut humoris, necessario putredo subsequetur: quia cum natiuus calor imminuatur, humidum protinus separatur à sicco, & putredo succrescit protinus. Verùm si idemmet calor præter naturā humorum natiuum humiditatē dissipando corrūpat, *vt sic* proculdubio pullulabit. Sic pari ratione, si idemmet calor partē solidam obsideat, dissiperq; eiusdem partis calorem, aut ex copiosa & calida materia suffocetur, corruptione seu gāgręna periclitabitur particula. Ceterum si proprium partis humidum adonatur, calore ipso facto habitualiteūc profecto siccabitur particula, & hectica febre contabescet defectu propnæ et alimentosæ humiditatis. Est tamen pulcra differētia inter calorem febris putridæ, & calorem hecticæ febris, quòd in febre putrida, actione caloris mēbrorum, qui nondum factus est habitualis, humorum putredo indies benignior & naturalior efficitur, donec ipsius cordis effectio inclinata & remissa omnino appareat: in febre vero hectica humiditas naturalis, cui inhæret calor preter naturam, indies magis ac magis ab eodem calore dissipatur & præternaturalior redditur donec ex toto marcore consumptum perit animal. Quo fit, vt longe diuerso modo saluti restituantur hæ duæ affectiones: quippe putrida febris inclinat vacuata materia, cui calor præter naturam inhæret: hectica vero inclinat, facta sufficieme refectione eius quod calor præter naturam vacuauerat. Ex quibus euidenter constat, huius mali differentiam pendere ex diuersitate partium, quæ calore præter naturam siccantur, quarum ratione & diuersitate, diuersitatem quoque in febre hectica Medici statuunt, qualis vero hæc futura sit, iam audies, si prius dixero quædam ad huius rei enodationem scitu necessaria.

Calor febris putridæ & hecticæ quid differant.

Hectica diuersitas ex diuersitate caloris.

Primo tanquam verum & firmum statuendum esse arbitror, h. cticam febrem speciē esse infimam & specialissimam, nullamq; amplius pati in alias species veram diuisionem: cum hoc tamen asserendum est, varias in sui constitutione obtinere *partes*, quas potius sic esse appellandas, quam *species* censeo, cum potius ex vna eadēq; caloris præter naturam actione in varia subiecta prodeant, quā ex diuersitate causæ, aut habitus caloris, qui vicem morbi præstat, cum vnus & idem sit æquali intensione prædictus ab hectica vsque ad lethalem marasmum. Partes tamen habere certum est (*seu tempora*) ea lege morbum constituentes, quam mox sum expositurus, si prius dixero, quantum difficultatis sit in doctrina Gal. & aliorū auctorū, nosse partes, q̄ siccari possunt, ea siccitate quę febrem hecticā constituere nata sit, cū non quocumque modo fiat, febrem huius naturæ efficiet.

Hectica ī alias species diuidi nō potest, cū sit species specialissima, habet tamen partes seu tēpora.

Præmittendum insuper est, solidas partes eas esse a veteribus appellatas, quibus corpus integratur seclusis humoribus & spiritibus: quas sane (*exceptis ossibus*) in Fibrosas diuiserunt & Membranosas, quæ propriè solidæ sunt & aliarum fundamentum, & in Carnusam substantiam, quæ fibrosas & membranosas vestit. Præterea adest in prædictis particulis proprium quoddam humidum natiuum & contractum a principio generationis: adest & nutritiua humiditas, qua & partes crescunt, & prædictum humidum natiuum reficitur. Ceterum hæc nutritiua humiditas multiformis consideratur a Gal. nec non & Auicen. nam *quedam* est innominata in exilibus venis existens, non longe dissita a natura sanguinis: *secunda* roris modo per partes sternitur: *tertia* cābion appellata: *quarta* vero gluten ab omnibus nūcupata.

Solidę partes à veteribus quæ appellatæ. Solidæ triplices.

His habitis constat ex doct. Gal. varie vsurpasse se bris hecticæ partes iuxta varietatem prædictarū partium & humiditatum, adeo vt nullibi cōstet vnus & idem modus, aut vna & eadē sententia. Quippe *li.* 10. *meth. prope finem*, statuit primam differentia seu partem febris hecticæ constituere consumptionē humiditatis, qua cordis partes nutriū tur: *Secundam* tamen scribit fieri, vbi carnosum genus conteritur: *Tertiam* vero, vbi fibrosę & neruosę partes liquantur & conteruntur. Verùm si quis legat Gal. 1. *de diff. feb. c.* 8. reperiet, solum in natiuum humorem varie alteratum aut consumptum omnes partes seu species referri, nul la neruosarum aut carnosarum partiū facta mentione. Sed statuit *primam* speciem fieri ob efferuescentiā natiuę humiditatis, in qua virtus quam paucissimum laborat. *Secundam* vero fieri & durare interim dum cōsumitur hæc eadem natiua humiditas. At *tertiam*, quam tabidam appellat, statuit dicens: *Dico autem tabem incipere quando natiuus humor, qui in vnoquoque dispergitur corpore in spatijs particularum consimilium intermedys, & iam cordis substantia aboleri periclitatur: donec enim pars huius reseruatur, solum febris hectica existit, nondum etiam tabida. Cum vero iam res eo periculi peruenerit, vt nihil etiam ex tali humiditate superstit, tunc exquisita tabes existit.* Itaq; constat ex Gal. verbis, febris hecticę partes fieri, dum hæc natiua humiditas efferuescit, primam: dum a absumitur, secundam: & iam ipsamet absumpta penitus, tertiā. Dimittō hac in parte eundem Gal. *lib.* 7. *meth.* quatuor statuisse siccitatis species, quod eo loco solum studuerit prædictas siccitates venari, nō febris hecticæ partes. Sed q̄ varius fuerit prædictis duobus locis, nemo est, quod ignorare possit: nā aliud est, propriū quo aluntur partes humidū siccari, quod Gal. 10. *meth.* scribit primā speciem cōstituens, et aliud profecto est ac longissimis interuallis dissitum, eandē constitui sola natiui humidi efferuescentia, *vt* 1. *febr. scripserat*. Item aliud est, carnosam substantiā liquari, vt constituat se eundam speciē, quod scripserat 10. *meth.* & aliud pro fecto, siccari innatum humidum eandem constituēs, 1. *feb.* quod dixerat 10. *meth.* constituere primum, & pari etiam ratione in tertia specie videtur differre, statuens eam esse solidarum consumptionem, 10. *meth.* & humidi natiui omnimodā priuationem 1. *febriū*.

Humida partes narie à Gal. usurpatę.

Verùm vt quis ab huiusmodi varietate sese tueatur, concipiat primo, non omnem siccitatem, vel cuiusuis humidi consumptionem, vel quanis alteratione factam, aut cuiusuis partis, febrem hecticā constituere, seu eam prodire ex certis, & certo determinato quodā modo vitiatis & corruptis. Stat enim corpus siccari deficientibus, quæ in exilibus venis sunt humiditatibus, & corpus hecticū non esse: constat etiam frequentissime carnem & pinguedinem colliquari, & exsiccari subinde corpus, cum hoc tamen febre hectica carere: quod quidē in ardentissimis febribus, & diuturnissimis non raro conspicimus, corpore ad marcorem fere deducto, febris tamen hecticæ experte. Quantum *primum* censeo fieri, quia humiditates illæ non dicuntur adhuc membri humiditates, quod existant adhuc in exilibus venis: *secundum* vero fieri optime potest, & hecticam non adesse, quia hęc in solo calore facto, peculiari sui condinone naturam sitā habet. Qui sane calor cum in membris factus non remaneat, quantumuis corpus siccitate contabescat, vt in conualescentibus ab ardentissima febre, vel solum fiens existat, nulla ratione hecticus dici meretur, quantumuis corpus exsiccatum existat.

Siccitaté non omnē hecticam cōstituere.

Ego tamen in hac re veritatis potius, quam inanis gloriæ cupidus, longe aliter cogor, quam Gal. & reliqui sentire. Quippe vbi tanta est in vno eodemq; auctore, ac in vna re dissonantia & varietas, licebit pro fecto cuiuis philosophari vt libuerit, maxime si studuerit ex principijs naturæ rei difficultatē enodare.

Auctoris sententia.

Præter-

Præsertim si eius sententiam esse veram probauerit ex eiusdem Gal. verbis, vt in hac controuersia conabor efficere. In quo sane opere præmittendum est *primo*, hecticam febrem, licet in partes diuidatur, non posse in species dissecari, quia quantumuis tres humiditates (*vt mox sum probaturus*) consumantur, id quidem fit vno tantum caloris præter naturam modo, nimirum, per consumptionem proprij humidi, more caloris naturalis, & ob id hæc febris habitualis dicitur. *Secundo* præmittendum est, triplicem in nostris corporibus ministerio constitutionis hecticarum febrium aptam reperiri humiditatem: vnam quidem *alimentosam*, multis carnosam appellatam: secūdam *primigeneam*, reliquam vero *elementosam*. *Carnosa* profecto est humor quidam alimentarius, concretus, roridus, & qui iam sparsus per membra, mollemque tactum efficiens, verum existens alimentum quod vere & actualiter assimilatur, ac ob id deperditum restituit. *Primigenea* vero est, ipsius innati calidi substantia, et humidum radicale à principijs corpori præstitum (*non sicut carnosus humor ex sanguine in corpore genitus*) in quo spiritus seu innatus calor consistit. *Elementalis* autem humiditas ea est, qua partes corpulentiam sortiuntur, & veluti alterum membrorum solidorum elementum existens, quæ communis est omnibus corporis partibus, tam carnosis, quam solidioribus. Quæ sane, postquam ad summum incrementum peruenit animal, neque augetur, neque nisi magna caussa dissoluitur aut corrumpitur. Quo fit, vt mortuo adhuc homine (*nisi naturaliter intereat*) etiam supersit. Neque hic intelligimus per dictam humiditatem, eam, quæ vinculum est partium elementalium, quæ nisi per putredinem corrumpi non potest, elementorum mixtione dissoluta: sed eam solum partem carnis, neruorum, arteriarum, & venarum, ac reliquarum particularum, quæ in ipsarum substantia humidior est, & corpulētiam illis præstat; qua absumpta & colliquata, quod siccius & terrestrius in compositione est, solum remanet. Quippe diuersa omnino est à rorida substantia, quæ adhuc alimentum est, & ab ea quæ natiua dicitur, cum crassior, viscidior, & tenacior existat: quam quidam Medici ipsam membri substantiam & corpulentiam appellant. Hanc etenim humiditatem elementalem appellabimus potius quod nomine proprio careat, quā quod reuera primę elementorū mixtionis humiditas sit, sed membrorum solidorum alterum elementum.

Hectica in species non diuiditur.
Humiditas hecticę apta triplex in corporibus.
Carnosa.
Primigenea.
Elementalis.

His habitis, in harum humiditatum deperditione & siccitate arbitrandum est, sita esse omnium hecticarum febrium tempora, & partes proculdubio distingui. Sic etenim prima partem constituit calor factus in omnibus membris cum deperditione carnosæ seu alimentosæ humiditatis, quæ tandiu durat, quandiu ipsa humiditas durauerit, quin ex toto dissipetur: & eo tempore, vel parum ante id, primam partem, seu primum tempus febris hecticæ terminat & circumscribit: itaque calor idem est in omnibus membris & humiditatibus, ceterum siccitas diuersa, ob diuersæ humiditatis consumptionem. Differt hæc nostra sententia à Galen. & reliquorum dogmate, quod ipsi censuerint, primam hecticæ febris partem fieri hac humiditate solum efferuescente: Ego sane arbitror, feruorem quidem necessario adesse, sed solum vt medium quo prædicta humiditas consumitur: & sic ratio huius primæ partis non circumscribitur neque terminatur, nisi cum cōsumptione prædictæ humiditatis, quòd ipsi secundæ parti, & principio marasmodis tribuunt. Et perperā quidem, cum certum sit, à principio hecticæ mediante prædicto feruore dictam humiditatem consumi ac exsiccari: & cum vnumquodq; horum febris hecticæ temporum principium habeat, augmentum, & statum, quatenus ad siccitatem solum attinet, sic profecto à

Auctoris sententia quid differat à Gal. sententia.

A primo hecticæ insultu hæc efferuescit simul & exsiccatur, & pari modo feruor idem, & maior exsiccatio pergunt, donec in statu prædicta humiditas ex toto consumpta appareat, & primum tempus febris hecticæ circumscribat. Verùm ex his, quę dicta sunt, cum citra communem Gal. & aliorum sententiam sint statuta, non leue succrescit dubium, nimirum *si roris ebullitio hecticam febrem non constituit quam igitur febris speciem constituet?* Quod vero necessario febris rorida substantia efferuescente subsequatur, nulli esse dubium arbitror: ac si eam secludimus ab hecticæ natura, cui ergo referenda erit? In qua sane dubitatione, quæ maximi est momenti, asserimus, roB ridam substantiam in feruorem agi, tum à febribus putridis, tum vero ab ephemeris, nec non & à calorificis caussis, quæ natæ sunt hecticam febrem efficere, aut iam fecerunt: ceterum non semper vnum & idem febris genus moliri, sed cum ros ebullit ex febre diariam fieri febrem, cum magna tamen dispositione ad hecticam: cum vero ex putrida, putridam, maxime, si prædictæ humiditates tertiæ corporis regionis aliquo modo putrescant, vt de chylo, & lacte putrescentibus fertur. Sic etiam Auerroes dixerat 3. *collig. cap.* 4. febres putridas esse duplices, quasdam ex humoribus hepatis, alias vero ex humiditatibus, tertiæ coctionis, quę maiorem præstant ad hecticam apparatum: cum vero prædictæ humiditates ex hectico C calore ebulliunt, hecticæ primum tempus incipit maxime si cum earū resolutione fiat efferuescentia. Hęc tamen est differentia inter has tres efferuescentias, quod in duabus primis nihil absumitur notatu dignum, sed solum incalescūt cum leui resolutione earum quod est ad introductionē *hectici caloris* potissimus *apparatus*, et immediata dispositio: in hectica vero euidētius consumitur & efferuescit, donec vniuersa consumpta primum tempus circumscribat. Item constat id verum esse, & nostrum axioma esse rationi consonum, nimirum solam efferuescentiam nulla lege posse hecticā constituere, nam inquit Gal. *lib.* 1. *de diff. feb.* c. 8. Cum enim naturalis cordis temperies primū euerti inceperit, neq; natiua humiditas protiD nus aboletur, neq; virtus plurimū laborat, sed primo fit veluti quædam efferuescētia humiditatis. Quibus verbis euidenter constat, hanc efferuescentiā solū fieri, dum cordis substantia tantū incipit calescere, non quidem dum iam incaluit: at febris hecticæ principium tunc dicitur, cum iam cor incaluit, ergo *nulla ratione prædicta efferuescentia principium potest esse febris hecticæ*, sed *potius designare aliquam aliam ex his, quæ in habitudine, & in alterari substantiæ cordis suum esse habent*, vt verba Gal. euidentissime monstrant.

Rorida ebullitio quam febrem constituat.
Febres putridæ duplices.
Efferuescētię quid differant.
1.
Hectici caloris apparatus.
Efferuescentia sola hecticā non constituit.

Consumpta iam prædicta humiditate, hanc primam partem excipit secunda, quæ tunc incipit, cum primigenea seu radicalis humiditas (*quæ sola fundamentum est, & socia innati caloris*) exsiccari, & consu E mi incipit in omnibus nostri corporis partibus, sed maxime in carnosis. Quam quidem hecticæ partem non citra rationē *tabitudinem* placuit appellare, quia eius solum defectus tabidum reddit corpus. Calor igitur, quem factum diximus in singulis membris esse, postquam faciliorem, & tenuiorem humiditatē absumpsit, hanc aggreditur, quæ licet veluti propria illi sit, vnita & quasi fundamentum, & pabulum, quia tn̄ illi deest alia humiditas in q̄ agat, & à qua reficiatur, cū otiari non possit, in ipsam agit paulatim, & seipsū ac eandē imminuendo, euidentius, & manifestius in partib. carneis, tardius, morosius, & occultius in partibus seminarijs, & solidioribus. Ex quo & ex Gal. ipsius decreto prodit, veriorē esse hanc nostram sententiam ea, quam idemmet Gal. profitetur: nam statuerat. *li.* 1. *de diff. feb. c.* 8. primam febris hecticæ partem nullam facultatum impotentiam præseferre, secundam vero iam conspicuam & manifestam. Quo sup

Tabitudo.

posito, certum est facultates tunc euidenter labefactari, cum natiua humiditas contabescit (*nam consumptio roridi alimẽti, non per se, sed ex accidenti, quod non eo reficiatur primigenea quæ perijt, imbecillitatem parit, non ex propria natura, cum in se non habet vires obterere, quo fit, vt tantum primam hecticæ partem valeat circumscribere*) & ob id certius est, ad consumptionem huius primigeneæ substantię succrescere secundam hecticæ partem, quam dum roridæ humiditates contabescunt & resoluuntur, siquidem eius euidens signum, & incipientis marasmi facultatum imbecillitatem esse Gal. dixerat. Quam equidem secũdam partem circũscribit (*licet magnam sub se quoad magis & minus differentiam contineat, vt de sua etiam secunda parte retulerat idem auctor*) consumpta in partibus carnosis innata humiditas, à quibus citius & promptius vi caloris hæc euolat, quam à reliquis, quæ seminales dicuntur: quo tempore licet in prædictis partibus humidi prædicti pusillum adhuc superlit, secundam finiri partem & principium esse *marasmi* coniectandum est. Quem sane constituit consumptio, & exsiccatio elementalis humiditatis, tum in partibus carnosis (*quæ iam primigenea humiditate orbatæ fere sunt*) tum vero in partibus solidioribus, quas seminales esse scimus, simul cum vlteriore consumptione eius primigeneæ humiditatis, quæ adhuc in solidioribus viget, & vitam adhuc tuetur. Nã circumscribitur hæc postrema hecticę pars *marasmodes* appellata, dum ex carnosis ex toto fere primigenea humiditas euolauit, & colliquatur elementalis ab eisdem, & solidioribus cum grandiori, & innati humidi, & virium dissolutione. Dixi quidem consulto hanc elementalem colliquari, quia cum crassioris, pinguiosioris sit substantiæ, lentoremque obtinens non mediocrem, potius colliquari cõspicimus, quam per resolutionem exsiccari, licet pars etiam eius aliqua insensibiliter euolet. Quod profecto experimento quotidiano probatum esse scio: nam qui marasmo iam conficiuntur, colliquari per ventrem euidentissime conspiciuntur: excrementaque opima, & crassa, si pars carnosa contabescat, vel glutinosa, si solidior & seminalis pars. Haud secus quam in ardentibus febribus accidere solet ex maximo & inæquali calore: quippe idem ex habituali lente, & sensim agente in marasmode visitur, & hoc profecto est, quod Medici ferunt in marasmode corpus iam et solidam substantiam colliquari.

3. Marasm'

Marasm' vtrum sit passio viuentis.

Dubitabit forsan quispiam, & ex his quæ diximus inferet, *marasmum non esse passionem viuentis*: quod patet, quia tunc iam partes ali non possunt, quod vitę certissimũ testimonium existit, *vt ex Arist. constat. 2. de anima*: quod etiam probari potest, quia calore & humido prædictæ partes videntur omnino orbari. Cui dicendum est, quod in marasmo vitalis & pusillus insitusque calor mox periturus seruatur adhuc in solidis partibus quibus hæret, haud secus quam flamma consumpto fere lucernę oleo, ellychnio quasi resiccato hæret infirma ac tremula, donec ex toto eradicet humidi pusillum.

Hectica primo accessu habet calorẽ in facto esse in omnibus partibus membrorum.

Atque hæc est mea mens de partibus febris hecticæ, qua videtur clarius tolli omnis ambiguitas, & dubitandi occasio. Dummodo in memoriam reuoces, in quauis hecticæ parte calorem existere factum in omnibus solidi membri particulis simul, (*quidquid alii senserint*) nam in quauis febre hectica omnino & primo accessu, omnium solidarum partium calor acquirit factum esse, alioqui non esset factum & æquale intemperamentum, sed fiens & inęquale, si partes omnes non informantur eodem, sed quædam facto, & aliæ fienti, vt re vera esset, si in omnibus partibus non esset calor omnino factus. Quod euidenti quadam ratione probabis: nam *partes omnes quæ solidum membrum constituunt, vnico solum gaudent calore natiuo*, (quòd maxime verissimum est in corde, à quo reliquę factum calorem suscipiunt) *& cum febris sit caloris illius conuersio ad igneum, constat, eadem cõuersione omnem calorem habitum contrahere.*

Ad primã rationem.

His habitis, ad primã rationem dicimus, *prędictas differentias, quas medici fingunt, non posse sumi à ratione caloris, cum factus sit in oibus partibus, nec solũ ex diuersa materia, quæ consumitur a facto calore, quæ sane materia cum nec subiectum sit febrilis caloris, nec febris materia, cum hectica sit immaterialis morbus, neq; species generat, vt materia febriũ putridarũ aut ephemerarum, neq; tempora proprie dici possunt, quia alteratio, quæ fit à calore in prędictas humiditates, vna & eadem est, licet alteratum sit varium, cuius varietate partes diuersæ effingi possunt ea lege, qua superius dictum est.*

Ad secundam.

Dicendum etiam est *ad saluandam secundam rationem, siccitatem non esse diuersæ speciei, ob diuersitatem consumptæ humiditatis, quia priuatio vna est in omniũ humiditatum priuatione, dissidens tantum ratione maioris, aut minoris, sed solum diuersas partes, non diuersos morbos nominari, quod re vera non dissideant, sed quod sint veluti partes vnius, haud secus quã in reliquis morbis dicimus principium, augmentum, & declinationem quæ licet diuersæ sint morbi partes, non ob id specificam eiusdem morbi diuersitatem constituunt, sed solum sicut prius & posterius, quæ partes sunt vnius morbi calidi, facti, habitualis, licet accidẽtaliter has partes sortiatur solum ob diuersos siccitatis. Nam cum calor vnus & idem sit, æqualisque à principio ad finem, & vnus tantũ habitus, atque vnica formalis morbi ratio, ac penes eam tempora morbi signari nequeant, distinguuntur profecto iuxta diuersitatem humiditatis, quam depascitur. Quo fit, vt licet vnicus sit calor & vniformiter agens, diuersæ appareant actiones: quia ea humiditas, quæ tenuior existit, minusq; radicata est, facilius & citius conteritur, & quæ penitus sese inserit, difficilius, & tardius, & sic quæ crassior est, longe morosius.* Qua profecto in re scisciitari vlterius oportet, *quanam ratione dictum sit, hanc febrem posse habere tempora aut partes, siquidẽ à summo incipit vigore & statu, eo quod factum, & habituale sit intemperamentum.* Cui dicimus, hecticam febrem incipere ab statu, quatenus ad calorem attinet & ea ratione neque partes, neque tempora obtinere, sed solum penes modum siccitatis, quam indies magis ac magis acquirit vsque ad vitæ extremum. Quo fit, vt diuerso prorsus modo liceat distinguere has partes in morbis immaterialibus, ac in materialibus: quippe in his eas venamur penes actionem naturæ in materiam morbificam: in illis vero penes naturæ passionem & alterationem ab extraneo calore factam in propriam, & natiuã substantiam. Sic profecto febrilis calor siccitatẽ acquirit, in cuius diuersitate sita est oĩs partiũ diuersitas, quia siccitas in hecticis corporibus nõ est in facto esse, sicut caliditas quo fit, vt via pateat & aditus ad sanitatem recuperandam.

Hecticam habere tẽpora aut partes, qua ratione dictum sit.

Solutio.

Ad tertiam.

Ad tertiam vero rationem dicimus, *præsagium nõ variori ratione morbi, quia vnus est, sed ratione effectus & partium morbi, hoc est, ex consumptione huius aut illius humiditatis: aut si mauis, ratione complicati affectus ex siccitate prodeuntis, cum certum sit, hecticam febrem non esse simplicem intemperantiam, sed compositam ex calore facto & siccitate fienti. Et pari pensu contingit variatio in curatione, ratione potius prędictæ siccitatis quam caloris, qui factus est.*

Argenterij laus.

Atque hæc sufficere videbantur de febris hecticæ essentia & natura, ni Argenterius, vir profecto magnæ eruditionis, nos iterum in palæstram (*vt aiunt*) reuocasset. Qui sane libro *artis medicinalis* arbitratus est, *febris hecticæ partes non ob id fieri, quod diuersę humiditates exsiccentur, sed quod vna solum, eaque quoad magis & minus, cuius naturæ est primigenea humiditas, ex cuius varia cõsumptione varias prodire febris hecticę partes recenset.* Quam profecto sententiã non

omnino falsam esse arbitror, nam certum est, nulla lege animal posse viuere, si ex toto pereat radicalis humiditas, nam de ea fertur, vitam participationem esse calidi in humido. Verùm cum hoc censeo ante eius consumptionem, alterius humiditatis defectum primam posse constituere hecticæ partem: & post consumptionem maioris partis eius posse consumi quam appellauimus *elementalem*, & consignare tertiam partem. Quæ sane ratio conspicua efficitur, cùm tanta sit mutationis corporum hecticorum differentia ab vna earum parte ad aliam in consumptionis modo, quod sola humidi radicalis consumptio mini me valuisset efficere: quo fit, vt licet vera sit aliquo modo, & iuxta aliquam hecticæ partem Argenterij sententia, non tamen absolute & omnino. Quæ sane omnia si quis diligenti & æquo animo expenderit, reperiet, hecticæ febris naturam & finitionem apertissime iam constare, & difficilia enodata superesse.

De caussis febrium hecticarum.

Hecticarum febrium caussas, qui optime curaturus est, scrutari diligentissime tenetur: non quidem quod in curatione quicquam indicent, sed quod modum & terminum in pasto relictum probe monstrare possint: quod ad sagiendi, & curandi munera posthabendum non est. Scimus autem, hecticam febrem inferre caussas omnes, quibus ceteræ febres excitantur; verum id non vtcunq; sed certo & peculiari quodam modo. Quippe solum hecticum calorem inferre natæ sunt, quæ plurimum humidæ substantiæ à solidis membris euacuat: vel quæ maximam caloris copiam *præstare* habent: & vtrumque, quę vtrunq; natæ sunt efficere, Quibus sane operibus efficiendis occasionem præstant duo, quæ magni momenti sunt, nimirum *subiecti dispositio, et promtitudo in recipiendis alterationibus, maxime calorificis*: quod sane efficiunt caussæ omnes, quæ corpus consertim aut diutius euacuare natæ sunt: Alterum quidem est, *cötinua ac vehemens etiam cumsus prędictarum caussarum actio, qua calor fixius imprimitur*. Sic profecto corpus huic malo disponunt ea omnia, quæ euacuāt membra solida, & proprijs humiditatibus orbata reddunt, & idonea etiam calori hectico facile suscipiendo. Cuius naturæ sunt insignes, aut diutinæ euacuationes, siue per aluum fiant vt *dysenteria* aut *fluxus colliquatiuus* vel *cæliacus*, siue per *diutinos sudores*, aut *manantia* & *fistulosa vlcera*, ea maxime quæ *prope articulos* sunt, nec non quæ in *pulmone, ithorace ventriculo, hepate, renibus, vesica, vtero, mesareo, intestinis, & aliis partibus* exèauantur, et si purulenta aut tabida euaserint, calorem præter id copiosum cordi præstare habent. Possunt enim hæc omnia caloris vitiosi continua communione cum corde ipsum ad eo calfacere, quod factum contrahat calorem, & subinde vniuersum corpus. Pari etiam ratione *inedia*, & *ingentes labores* aut *diutini*, & *laboriosi pariter*, & *mæror*, *cura*, & *ingens tristitia* copiosam è membris humiditatem exhauriunt. Calorem insuper plurimū in membris solidis imprimunt *febres ardentes & acutæ*, in quibus vtrumque damnum fieri euidentius conspicimus: liquescit enim præ calore et annosa partium substantia, resoluta euaporataque rorida humiditate, & calor etiam solidas membri partes inuadit, quo breui tempore habitualis efficitur. Idem quoque efficiunt *febres diutinæ*, & quæ eundem tenorem ac magnitudinem diu seruant. Præterea externæ caussæ omnes calorificæ, *lassitudo magna cum solis exustione*, *diaria febris & aliæ eiusdem naturæ*, quæ vel primo insultu, vel excitata primo febre ephemera, licet, *vt Galen. placuit lib. 1. de different. febr. cap. 8. & 9.* inedia, & ephemeræ febres rato vtlæ sunt

Hectica febris caussa quare consideranda & quæ sint.

A hecticam febrem excitare, nisi in corpore nimis parato. Sed *qualis sit promtior huic malo suscipiendo apparatus*, haud difficulter intelliges, si animo conceperis calidiorem ficcioremque corporis habitum, siue is natiuus sit, siue morbosus, maxime si viribus careat idoneis ad resistendum: quem profecto ocyssime in prædictam febrem prolabi comperies. Maxime si vitam egerit laboribus, vigilijs, curis et victui tenuiori deditam. Ea adhuc eundem habitum promtius in hoc malum incidere conijcies, si æstas & constitutio calida, & siccalocusque huiusmodi accesserint. Sed cum hoc expendendum est, siccum habitum non esse omnino idoneum ad suscipiendum calorem, sed siccum cum ea humiditate, quæ mediæ

B sit consistentiæ: quæ enim summe sicca sunt, *vt cinis*, calorem suscipere habitualem nequeunt: neque rursus ex opposito *lignum viride*, quod aqueo humore abundet, erit caloris habitualis capax. Ita prorsus viuens corpus orbatum tamen aquosa humiditate (*quippe aquea humiditas ignem extinguere potius nata est, sicut aerea, quæ licet inflammetur, nihil durat; potius enim dissipatur quam habitum contrahat*) humido lento prædictum, huic malo aptum esse arbitramur: nam qua humidum, promte inflammatur, & qua lentum, diu calorem retinet. Quo fit, vt corpora sicca, hoc est, quæ aquea aut aerea humiditate carent, facilius in habitualem calorem prolabantur.

C His habitis, constat, si ea exacte intellexeris, triplicem esse modum generationis febrium hecticarum: nam aut per se *Incipere* possunt, nimirum, cum ex caussa aliqua externa fiunt, similem sortientes generationem ac febres diariæ. *Secundo* ardentes febres & alias diuturnas insequuntur, quod frequentius accidere conspicimus: ac *vltimo* alicuius partis affectum comitantur, *vt paulo antea retulimus*. Ex quibus triplex etiam sese ex huiusmodi principio offert disputandi ratio: nam primo non videtur omnino certum existere, citra prægressum morbum febrem hecticam posse fieri. Quo supposito, primo prodit vulgaris illa difficultas, *an aliqua febris hectica incipiendo, ac citra dependentiam, ab aliis affectibus possit*

D *principium sortiri*.

Hectica febris trinam aut bus modis generatur.

An febris hectica incipiendo fieri possit?

Promtior & obsequentior est humorum & spirituum ad caloris susceptionem natura, quam ea sit, quæ in membris solidis inest: ergo promtius suscipient calorem: nam videtur caussam quamuis citius calorem spiritibus & humoribus præstaturam, quod minus resistere possint, quam solidis membris, quæ maiorem necessario fortiuntur resistentiam.

Prima ratio, quòd non possit.

Vulgatum est etiam, & in confesso apud omnes medicos, semper calfactum membrorum præcedere calfe-

E *ri humorum aut spirituum, vel ipsarum solidarum partium, atque id lædere operationes tanquam verum morbum, qui hecticam præcedit, ergo nulla lege fieri poterit incipiendo.*

Secunda ratio.

Videntur etiam difficultatis occasionem adaugere, quę Galen. 2. *crisium, capit. vltim.* scripsit: *nimirum, febrem hecticam non accidere in primis diebus, quo videtur constare, his necessario prius transactis, ex aliquo præexistente affectu febrem hecticam succrescere*, & confirmatur eiusdem Galen. sent. *lib. 10. method. cap. 5.* vbi probat, *hecticam incepisse, quia ipsam agnouerat quarta die morbi: quibus videtur constare haudquaquam incipere posse citra præexistentiam alterius affectus.*

Tertia ratio.

Hanc sane dubitationem soluit communis quædam ratio, quę se habet in hunc modum: In actionibus non fit indistinctè quodlibet ex quolibet, sed necessario determinatū ex determinato: sed illud magis.

Difficultatis enodatio.

videtur ad suscipiendam actionem determinatum, quod magis dispositum existit, & quia possibile est moribus, & spiritibus secundum naturam existentibus, cordis substantiam ob prægressam aliquam occasionem, sicciorem & paratiorem esse, fit facile, vt promptius calorem suscepter. Nam si cui mœrore, & curis diu perpessis contabefacto caussa calfaciens accedat, nulli dubium fore arbitror, promptius solidam substantiam calorem suscepturam, quam spiritus & humores, qui secundum naturam existunt. Ingens enim cura & mœror ossa ipsa, nedum carnes exsiccare haud difficile potest, tristis quoque spiritus, & alia quæ suapte natura humiditatem plurimam conterunt, id non minus valebunt efficere. Quo sup posito, rationi consonum videtur, adeo vehemenus actionis corpori posse succrescere externas & euidētes caussas, vt tum ex agentis efficacia, tum vero ex passi promptitudine facilè sequatur, solidiores partes succendi potius, quam humores & spiritus. Nec valet aduersus hanc rationem, asserere, *impossibile videri, magis esse dispositam cordis substantiam quàm contenta:* quia spiritus & humores & ob id ab ipsis partibus solidis fiunt aut alterantur, & ob id non possunt obtinere maiorem in resistendo perfectionem, quam solidę partes. Cui dicimus, id quod in solidis membris efficit ipsa faceilis succensionis, id proculdubio est in humoribus & spiritibus difficultatis potissima ratio, eo enim tardius humores & spiritus succenduntur, quo crassiores fiunt, tales enim reddit membrum solidū exsiccatione diutius factum, quo ipsum ocyus calorem susceptat: ergo *ratio in contrarium adducta nil videtur probare.* Confirmat insuper hanc sententiam, rationem resistentiæ potissimam in membris solidis esse roridam substantiam, quam depascitur prægressa caussa, quousque adeo impotens & siccum remaneat cor, vt accedēte calorifica caussa, promptissimè eius vim susceptet: maximè cum humoribus & spiritibus non desit sufficiens & naturalis copia, qua plurimùm resistunt, potissimum accedēte crassitie, quæ ipsos reddit ad resistendum aptiores. Accedit etiam alia non minoris momenti ratio, nimirum, si caussa calorifica, quæ accedit, sit efficacissima & vehemēs, potius quidem spiritus dissipabit, ac forsan humores, quàm eorum succensione morbum efficiat, ante id enim euanescunt spiritus, & caussa imprimet suum effectum in cordis substanna. Nec valet aduersus adductas rationes, *membra solida suapte natura magis resistere, quod perfectiori mixtione & vita fruantur, quæ sane caussæ maioris resistentię solent esse.* Quinimo arbitror, ob id aliquo deficiente minus resistere posse: nam id quod pluribus & perfectioribus ab sui productionem & tutelam opus habet, citius quouis deficiente læditur, & sic cordis substantia ob inductam siccitatem paratior ad suscipiendum calorem efficitur, quam quæuis alia, quæ cum minoris momenti sit, faciliori negotio resistit, & feruentur. Quibus habitis statuimus, non esse difficile à caussa externa calorem reddi factum in cordis substantia, humoribus & spiritibus nequaquam morbosè læsis. Et sic adductis rationibus respondere oportet. Vltimo in hac controuersia statuendum, *hecticam non posse incipere ab vna solum caussa, sed à duabus,* quarū altera disponat humidum resoluendo, vt *inedia:* & altera calorem habitualem inferat, quæ quantumuis paruæ sit efficaciæ, id tamen ex membrorum apparatu facit: nam caussa quæ solum calorem & siccitatē simul introducere sit nata, proculdubio prius humores aut spiritus morbose vitiabit, quàm solidas partes: ob id ad hecticam vt incipiendo fiat, requiritur, caussa quæ exsiccando disponat, atque calfaciendo calorem inferat.

Curæ & mœroris in hectica procreanda quanta vis.

Dubium.

Solutio.

Calorem reddi factū in cordis substātia ab externa caussa.

Hectica ab vna solum caussa non incipit.

Ad primam.

Primæ igitur rationi dicendum est, *quod licet concedi possit, simul & aliquado citius à caussa externa humores & spiritus calorem suscipere; tum hoc tamen asserendum est, illum calorem esse feruentem, & antequam in eis substantys factus sit, fieri factum in membris solidis. Id quod tribus rationibus necessum est contingat, tum ratione efficaciæ caussæ externæ, tum etiam ex fiente calore humorum & spirituum plurimum huic ministerio iuuante, tum vltimo ex aptitudine membri. Quibus constat, calorem primò fieri habitualem in corde, quàm morbosum in spiritibus, & humoribus, in quibus solum est in fieri, quo statu nullū possunt per se committere febrē, et ob id hectica quæ succrescit, incipiendo fiet.*

Ad secūdam.

Nam licet concedatur præcedere calfieri humorum et spirituum, nunquam ea ratione sensibiliter poterunt lædi actiones, quod ad morbi rationem prærequiritur: præterquam quod neq; adhuc calfactum esse humorum & spirituū morbi rationem præstare poterunt; ac ex consequēti sequitur, febrem hecticam fieri incipiendo, quantumuis incalescant prædictæ substantię: nā antequā ex toto ponātur in calfacto esse, & febris ephemera aut putrida sint caussa, ponetur in calfacto esse et incipiet febris hectica.

Ad tertiam.

Prædictus Gal. locis in tertia ratione adductis, dicendum est: *ibidem non intelligere de hecticis, quæ ab alys morbis suboriuntur, & quæ morbosam caussam habent in corpore, sed refert se cognouisse febrem hecticam esse, quæ in corpore vigebat quarto die ab eius principio, quasi se iactans, quod difficillimum est, facilime cognouisse, namque non omnibus datur ex antecedentis caussæ febrem subortam hecticam esse primo accessu cognoscere.*

Quomodo ex alijs febribus oriatur hectica.

Secundum, quod ex præfata caussarum febris hecticæ diuisione sese offert disceptandum est, qua via ex alijs febribus hectica succrescere possit. Quod facile quis intelliget, si in memoriam reuocauerit, hanc esse febrium ephemerarum et putridarum naturam, quatenus morbi sunt, vt calorem habeant factum in spiritibus aut humoribus, & fientem (sed in dispositione ad habitum) in membris solidis. Ex qua peculiari harum febrium conditione prodit, quod febris quæ præest *(siue putrida siue ephemera fit)* si vehementissimi sit caloris, aut diu duret, necessariò actione caloris diutina aut vehementi membri solidi temperiem euertat, & ipsemet calor adeo sese insinuet, vt contrario demcto, habitualis, radicatus, & fixus citra vllam dependentiam fiat. Quod sane non solum in diutinis febribus ob diutinam humidi consumptionem, & in ardentissimis ob caloris efficaciam, verum & in ephemeris contigisse comperimus, & Galen. 10. *method. atque Auicen. fen. 14.* euidenter testantur: quippe ex indextera victus institutione vterque auctor id posse contingere asseuerat: non quidem, vt multi sunt arbitrati, ob alimenti prauitatem, sed potissimum ob indexterum vsum. Nam in corporibus biliosis, adustis, cura & laboribus confectis, aut sua natura picrocholis victum protrahere, aut intemperanter & intemperatum versus calorem porrigere, facile habitualem accersit febrem, vnius diei, aut saltem non plurium spatio. Itaq; coniectandum est, ni quis cito caussam febrem conseruantem demat, cum perpetua actione ipsam cordis substantiam calfaciat, facile sese radicaturam in subiecto, & habitualem fieri: siue caussa & febris, quæ habitualem præcesserunt, adsint, siue secus. Contingit enim non raro vtramque coniungi & complicari, aut illa curata hanc superstitem euadere, & defectum imbecillemque corpus præcedentis efficacia, labore, & auxilijs facilius & ocyus contabefacere & interficere.

Hectica ex vlceribus quali ter fiat.

Tertium vero, ac forsan difficilius, quòd ex illa diuisione caussarum succrescit, est, innumeris experimentis probatum esse, *ex vlcere pulmonis vel earum partium, quarum superius meminimus, hecticum calorem ortum fuisse,* difficilioris profecto curationis, quā quæuis alia ex prædictis. Quippe ex diutino vlcere, aut eo quod plurimum pluris din excernit, velut sunt, quæ prope magnos articulos existunt, prodit in

cordis

cordis substantia ea caloris conditio adeo fixa, & ob putrilaginosam naturam adhærescens & intranea, vt facili negotio caussa dissipati humidi ab euacuatione, vel calore, vel ab vtroque & rursus innati caloris deuicta resistentia, extraneus ille vlcerosus & præter naturam in cordis corpus sese insinuet, radicetur, & fixus fiat, qui curato semotoque vlcere superesse adhuc possit, etiamsi non tato ex putrilagine vlceris halitus, qui eleuantur, possint optime putridam malignam, & contagiosam concitare febrem, quæ comes sit hecticæ aliquo temporis interuallo, & noctu repetat euidenter. In qua re sciendum est, *vlcus putrilaginosum, & carnis putredinem, hecticam efficere per putrilaginosam exulcerationem solidis partibus communicatam, quibus ob sympathiam facile calorem præstat: si verò ex humore putrilaginoso sit, non hecticam, sed putridam. Ceterum si siccum & calidum sit vlcus per continuitatem, calorem & siccitatem molitur in solidis membris. At vlcus prope artuulos per humidi copiosam euacuationem corpus siccãdo disponit, vt à quauis calorifica caussa calorem suscipiat.* In hac etiam febris hecticæ

Dubium.

forte dubitare erit æquum, an *(siquidem ab vlcere prodit, & adhuc remanet idem damnum eundem calorem suppeditans)* caussam habeat coniunctam vel antecedentem, à qua dependeat more febrium putridarum; quod omnibus alijs febris hecticæ fontibus denegari diximus.

Solutio.

In qua sane dubitatione statuendum esse arbitror, habitualem calorem, fixum, & permanentem in corde, nullam habere caussam à qua dependeat, etiamsi ex vlcere prodeat perpetuus calor, cuius interuentu id fieri possit, sed calorem illum posse permanere semoto vlcere: ceterum eum qui viget in vlcere, solum posse maiorem siccitatem & contabescentiam efficere, solumque reddere febrem maiorem quoad caloris præter naturalitatem, interim dum vlceris calor plures gradus non contraxerit: nam eo tempore intensior fit habitus, & hectica fiet maioris intensionis, quam quę primo facta fuit, vt millies contingit ac monstratur ex colliquatione maiore ad tactum calore, rubore, & reliquis signis, quæ plures gradus caloris possunt attestari: & hac lege iudicio nostro dirimenda est perfecta controuersia.

Calor præter naturam, qua ratione siccitatē producere possit.

Sed cum prædictæ caussæ quæ calorem inferre natæ sint, vim habeant siccitatem, quam huic febri comitem esse diximus, inducere, videndum nunc est, *quanam ratione calor præter naturam in nobis genitus siccitatem producere possit.* Qua sane in re præmittendum est, *vt antea diximus,* per solidorum membrorũ naturam intelligendam esse omnem eorum substantiam, exceptis ventriculorum spiritibus, & venarum humoribus: sed hanc constare scimus ex partibus quibusdam humidis, & ex alijs siccis, ac solidis, vt constabit, si quis in memoriam reuocauerit, quod antea dictum est, nimirum quæ ratione calor innatus, & proprius *(dum naturæ leges non egreditur)* corporis omnem humiditatem tuetur, quotidiana humidæ substantiæ propagatione, eandem prorsus extra se egressus præter naturam, & copiosior factus longe plus dissipare & conterere quam reficiat. Itaque cum indies magis pereat, fit facile, vt necessario sibi comitem accersat morbosam siccitatem, cuius etiam adminiculo idem iner calor promptius operetur, faciliusque ipsum corpus dissipet, vtpote siccius factum.

An calor possit siccitatem producere.

His suppositis, videndum nunc est (si siccitatis conditio quæ succrescit, ex priuatione humidi fit) *quanam ratione calor id possit efficere.* Et ratio dubitationis est, quia certum existit, *id calorem non posse vt caussa est per se operans, neque rursus per alium, quia calor qui viget in hecticis corporibus factus est et independẽs: ergo non est ita facile nosse, qua via siccitas succrescat in his corporibus.* In qua quidem controuersia aliquibus rationibus probabo, calorem non posse siccitatẽ producere, & postea patefacta prius veritate, his respondebo, vt subsit quæsita veritas & ratio.

Prima ratio.

Nulla forma potest agere effectiue in suum subiectũ; ac si agit, est ea ratione qua aliunde fouetur: sed caliditas naturalis, & calor hecticus sunt independentes, quia aliunde non fouentur, & se habent veluti forma humidi radicalis: ergo *effectiue in proprium subiectum, & ex consequenti à calore non proficiscetur siccitas.*

Secunda ratio.

Caliditas ex sua ratione formali solum habet calfacere: ergo *effectiue ac per se non poterit siccitatem inferre.* Qua patet, quia ab vno agente, in quãtum vnum est, tantum vnum prouenire est æquum, vt ex *Aristotel. constat 2. de generat. text. 56.* Quod etiam probari potest: quia, *vt idem inquit auctor text. 15. qualitates primæ non possunt ad pauciores reduci eò quod neutra alterius sit caussa:* item constat, *quia si hoc esset verum, semper caliditas siccitatem haberet comitem: sed contrariũ monstrat aer, qui licet calidus sit, humidus etiam existit, & nusquam vi caloris exsiccabitur:* ergo *caliditas per se non habet siccitatem inferre.*

Tertia ratio.

Omne quod corrumpitur, à contrario corrumpitur, sed caliditas non contrariatur humiditati: ergo *caliditas nequibit siccitatem inducere.* Quod probatur, *quia si caliditas possit siccitatem producere, posset etiam humiditatem per se corrumpere:* sed id *quod corrumpitur per se ab aliquo, est illi per se contrarium,* ergo *caliditas esset humiditati per se contraria: consequens est falsum,* ergo *& illud ex quo sequitur.*

Quarta ratio.

Si caliditas virtutem haberet producendi siccitatem, necessario obtinuisset eãdem formaliter aut virtualiter: neutro modo obtinet, ergo *non poterit eam producere. Quod formaliter non, probatum est, neque rursus virtualiter, quia frustra esset prædicta potentia, eo quod nunquam ad actum reduceretur: quod patet in aere, in quo caliditas nunquam producet siccitatem,* ergo.

Quinta ratio.

Quinto probatur, *adhuc non posse calorem neque priuatiuam producere siccitatem: omne quod corrumpitur per se, corrumpitur à contrario per se, sed caliditas per se non contrariatur humiditati,* ergo *caliditas per se non corrumpet humiditatem,* ergo *neque siccitatem priuatiuam valebit per se inferre.*

Siccitas in hecticorũ corporib. per accidens à calore producitur, cõsecutione ad effectum proprij caloris.

His habitis, vt subsit huius dubij vera ratio, præmittendum est, in hecticorum corporibus siccitatem per accidens à calore produci consecutione ad effectum proprium caloris. Pro cuius suppositi intelligentia præmittendum est, omnes formas hoc habere propriũ & peculiare, quod præter rationem formalẽ, & esse quòd præstant composito, habent etiam proprios & peculiares effectus: Sic profecto *(vt exemplo vtar)* forma hominis aut ignis per se dant esse formale homini aut igni: præterquam rationem formalem, habent etiam peculiares quosdam effectus producere mediantibus suis facultatibus. Pari prorsus ratione caliditas, cum forma quædam accidẽtalis sit, præter calorem quem tribuit subiecto, in quo recipitur, necessario tenetur aliquem effectum producere per se, qui ab eadem formali ratione caliditatis pullulet. Quod facile probari potest, quia hæc qualitas forma est actiua, qua mediante disponitur subiectum ad suscipiendam formam ignis, qua etiam mediante expelluntur dispositiones contrariæ. Ergo necessario præter effectum formalem, producet alium effectiue in subiecto ad dispositionem necessariam formæ introducendæ necessarium. Sed qualis nam sit prædictus effectus, nunc docere oportet.

Calor in corpore hectico quid præstet.

Primo itaque calor, cum de lege habeat mixtionem efficere, ante omnia raritatem molitur in passo, qua mediante in minimas partes miscibile dissecatur, vt deinceps facilius miscibilia omnia vniri possint: quo fit, vt hac ratione frigiditati opponatur, quæ omnia condensat.

Ex quo iam alter caloris effectus prodit, nimitum heterogenea separare, & quæ eiusdem naturæ sunt congregare: nam cum caliditas ex sua natura habeat rarefacere, hinc fit, quòd partes adinuicem discedant, & confestim quæ vnius rationis sunt congregentur, separatis, quæ diuersæ naturæ existunt, nam sic res omnes similium accessu conseruantur. Pari quoque ratione tertius alter effectus sequitur, nimitum, humiditatis consumptio, ceterum hic effectus non prouenit primo & per se, sed ex accidenti: nam cum caliditas rarefaciat, & eas partes magis, quæ huic ministerio aptiores sunt, quales existunt humidæ, fit facile, vt eas calor in vaporem conuertat, quæ sane sic mutatæ ex sua natura & caloris ope facile petunt loca superiora, & euolant: cui dissolutioni iuuat plurimum corporis raritas, quã caliditas etiam ex natiua conditione molitur; nam si partes illæ antea non euolabant, hoc quidem erat ob subiecti densitatem, & ob crassarum partium mixtionem, qua facile tenues coercebantur. Ex quo etiam effectu quartus proficiscitur, nimirum, introductio siccitatis, quod sane opus fieri censeo ex accidenti, videlicet, ad humidi priuationẽ. Quem insuper effectum arbitrandum est sequi positiuam siccitatem: nec incóueniet si quis dixerit, ex priuatiua caussa effectum positiuum non posse produci, quia euidentissimum est, calorem hunc non esse simplicem calorem, sed calorem mixtum, & ex reliquis qualitatibus contemperatum. Quo fit, vt cum ex siccitate quoque constet, facile seipsam in aptum subiectum inferat, fit autem subiectum aptum defectu humiditatis, quam discussit caliditas: quod Gal. 1. *de sanit. tuen. cap. 2. & lib. de marc. cap. 3.* expresse fatetur: quippe has duas arbitror esse siccitans caussas, nimirum, caliditatem ex accidenti, & siccitatem, quæ deficiente humido crescit, dominaturque, & ab intrinseco nititur humiditatem deuincere, haud secus quã in senio & marcore naturali. Quibus habitis dubitationi facilior subest responsio, nimirum, ex accidenti calorem dissipare natiuam humiditatem, & ob id natiuam siccitatem adeo ob defectum humidi crescere, vt præter naturam & morbosa efficiatur. Quibus non erit difficile argumentis respondere: Cum hoc tamen sciendum est, febres acutas per sensilem euacuationem colliquatis membris, corpus cadauerosum & siccũ reddere, diuturnas vero per insensilem & per renutritionis sufficientis defectum: quippe his duobus modis redduntur partes solidæ paratæ suscipere calorem habitualem, hoc est, fiunt sicciores, quo calori præter naturam (qui siccus est) suscipiendo fiunt aptissimæ.

Siccitatis dua caussa.

Calor ex accidenti dissipat natiuam humiditaté.

Febris acuta sensibiliter euacuando corpus sic cum reddit.

Ad primum. Ad primum concedimus, *verum esse, nullam formam proprium subiectum corrumpere effectiue, sed non concedimus, humidum radicale esse proprium subiectum caloris: nam eius proprium est materia & forma ignis, & sic non militat argumentum: nam ob id caliditas nititur subiectum illud corrumpere, vt vera ignis forma introducatur, nã hoc est, quod caliditas molitur & intẽdit.*

Ad secundum. Secundo argumento respondendum est, *caliditatem primo & per se nil aliud efficere quam calfacere: cum hoc tamen concedimus ex accidenti humidum exsiccare posse, ea tamen lege, quam adduximus.*

Ad tertium. Ad tertium dicendum est, *calorem duobus modis considerari: vno prout est simplex quadam qualitas, & sic nil aliud producit nisi aliam similem sibi, neque corrumpit nisi contrariam: altero vero pro temperamento calido ex varijs qualitatibus constituto, et sic optime poterit inducere siccitatem, maxime deficiẽte humiditate.*

Ad quartum. Ad quartum dicendum est, *quod calidum temperamentum potest vtroque modo siccitatem inferre, formaliter quidem, quatenus siccitatem etiam habet formaliter, virtualiter vero, quatenus vim habet caloris efficacia depopulandi humidũ, qua siccitas priuatiua dicitur.*

Ad quintum. Ad quintum vero manet ex dictis responsio, *siquidem temperamentum omni qualitati extra se existenti contrariatur, & ob id concedendum est, caliditatem, vt temperamentum dicit, non inconuenire humiditati contrariari, ad minus per accidens.*

Quibus exacte pensatis, apertissimus superest modus quo calor & caussæ omnes, quæ vim habent calfacere, habitualem febrem possint excitare: nam vel Externæ sunt & præmisso corporis apparatu: vel internæ, & mutuato calore ingenti aut lente operante huiusmodi habitualem calorem præstant: aut vltimo ex vlceribus prodit qualitas eius efficaciæ, quæ idem possit efficere. Expendendum tamen est, nó omnia vlcera huic ministerio esse apta, sed ea tantum, quæ præcalida sunt & salita, squalidaque, diuque & habitualiter sic existentia, aut putrilaginosa, & mali moris, quæ remedijs diu adhibitis non cedunt; quinimo præter hecticum calorem etiam putredinosum aliũ singulis noctibus ex se fundunt, & nocturnam exacerbationem moliuntur: tertio vero & vltimo id possunt efficere ea vlcera, quæ summopere sunt manantia, siue pus sit, quod effluit, siue sanies, dummodo id naturæ robore non sit factum, quod ex conferentia dignosces: quippe si aliter fiat, conijcies corpus colliquari potius quam purgari. Ex quo sane apparatu, sicut ex quauis diutina fluxione in naturæ contemptum, potius quã eius gratia facta, prodit, quemuis calorem accidentem posse habitualem febrem concitare, inducta prædicta siccitate, & ipso habituali radicatione facto. Atque hæc de hecticarum caussis dixisse sat sit.

Caussa habitualẽ febrẽ excitãtes sunt Externa vel interna.

Vlcera hectica febris efficiendę apta quę nã sint.

De signis febrium hecticarum.

SCripserat quidem Gal. *lib. de morborum differentijs*, morbos in qualitatum alteratione existentes non facile dignosci posse, ni pars eo intemperamento affecta, à naturali plurimum deflexerit. Quo fit, vt *hectica febris accessus*, siue incipiendo fiat, siue ab alijs morbis proficiscatur, difficilime cognosci possit: & ea, quæ *marasmodes* dicitur, facilime, quod corpus vniuersum in ea plurimum à naturali deflexerit. Quapropter cogor hac in parte paulo diligentius initia harum febrium nosse docere, ne quis turpi ignoratione deceptus, prætermisso principio, curationis deinceps locum inuenire non possit. Constat namque ex Gal. cui fere omnes Medici consentiunt, hecticam febrem in exortu sui ac in prima eius parte, tanto magis cognitionem sortiri difficilem, quanto faciliorem curationem: cum hoc tamen longe difficilius cognosci, si affectioni alteri iungatur, aut hectica ex alia febre suboriatur. Ceterum si citra amplexum alterius affectus sit, haud difficulter cognoscetur, sed tanto facilius reliqua eiusdem febris tempora, quanto inquam difficilius curationi cedunt.

Hoc supposito expendendum est, signa omnia, quæ hecticarum febrium tempora monstrare habent, aliquid peculiarius obtinere, quam ea, quæ in genere hecticum calorem commonstrant. Quamobrem cuiusque signorum generis seorsum meminisse studui, vt clarior euadat docendi ratio. Primo tamen *principium hectica, quouis modo fiat, monstrabo*, nam ea lege signa, quæ à caloris substantia actionibus ipsius & qualitatibus corporis hectici sumuntur, monstrantia genus & naturam hectici caloris, necnon & partes eiusdem febris facilius innotescent.

Quãtum enim Galen. facesserit negotium dignotio principij febris hecticæ, nemo eorum, qui eius librum *de febrium differentijs* euoluerint, dubitare poterit, quod sane principium dupliciter considerare expediet: *Vno*, dum caussa externa vel euidenti initium sumit: *Alio* verò, dum ab alia febre, vel quouis alio corporis affectu, ex his quos memorauimus. Primum

Hectica febris incipientis signa.

mum enim docuit Galen. nosse 1. *febr. cap.* 8. quippe inquit: *Supponatur iam ipsa sola ex aliqua nuper dictarum caussarum habuisse principium, appareantque in ipsa prima die omnis generis febrium ephemerarum indicia: simul igitur cum ipsis apparet, & praeincipientis caussae forma, quod etiam in progressu sermonis ostendetur. Sed etiam ex aegro interrogato addiscere licet, si certa quidem bene se habent, solum ob id, quod supra modum fuerit iratus, aut tristitia affectus coeperit febricitare. Et si haec vera esse inuenientur, febris autem ad diē sequentem extendatur, neque ad quietem declinans, neque magis inualescens, ariditatem autem maiorem in corpore repraesentet, talem hecticam fore suspicandum erit. Quod si vsque ad tertium diem sine cibo permanserit, dum tertianae accessionis suspectas praeterit horas, nihilque effatu dignum priori accesserit febri, aut fuerit imminutum, sed quaedam primae febris exiguae reliquiae tantummodo procedant, atque permaneant cum ariditate corporis, & caliditate, quae primo tactu mitis censeatur, in processu vero temporis acris, mordax, atque arida manui se offerat, huiusmodi febrem hecticam esse est existimandum.* Qua sententia constat, suspicandum esse, febrem hecticam incepisse, dum citra vllam molestiam, aut sensum caloris febricula ab externa caussa velut ephemera orta, non omnino inclinet, & mitis appareat primo manus accessu, siccitatem tamen deinceps prae se ferat: maximè si cutis asperior appareat, & corpus conuenienti cibo vtens extenuetur, vigilet; aut si dormierit, à cibo non corroboretur, praesertim si transacta tertia die, eiusdem tenoris febricula appareat. Quod si haec omnia ad quartam vsque diem peruenerint, & aequalis, ac pusilla à principio persisterit febris (*cum id Galen. loco citato dixerit esse omnibus hecticis commune*) maximè si pulsus minor, ac imbecillior apparuerit, cum perstante aequalitate, tunc profectò rationi consonum videtur, praedictam febrem *hecticam* fore. Quibus accedit, quod Galen. eodem capite refert, dicens: *Si enim nec altera accessio superuenit, neque aegrotus sine febre fuerit, adiuncta insuper siccitate, tunc proculdubio hic hectica febre laborat:* accedit etiam vt euidentissimum signum, calorem minimè esse vaporosum, sed siccum, atque squalidum. *Verum* si cum putrida febre hectica iungatur, aut ab ea originem trahat, difficulter profectò cognosceretur, maximè si putrida ex continuarum genere sit, *vt mox probabo.* Complicatur etenim hectica febris, vel cum Intermittente aliqua, vel cum Continua: si primum, difficile admodum non est id distinguere, nisi accessionum turba velis decipi. Quippe tunc nil de accessionibus curandum est, nec rursus si adhuc cum madore desierint, aut perspiratione vaporosa, neque etiam si corpus temperatum ab accessione superesse tangentibus videatur, haec enim sunt, quae *Medicos* decipere solent; namque febrium naturam certum est, non esse deprehendendam ex sola accessionum proportione, sed potius ex ipsarum febrium natura, quam appellant *morbi speciem.* Confert profectò nonnihil ad febrium naturam cognoscendam, accessionum repetentia, sed id minimè tutum est indicium, quod tamen ex morbi specie desumitur, id euidentius est. Quod Galen. nosceus, & distinguens, saepè prima die speciem cognouit, nullam accessionē expectans. Inquit enim 2. *de crisib. cap* 2. difficilem esse febrium cognitionem, si multae coniungantur, non adeo difficilem, vbi singulas per se exspectari cō tingat. Sic profectò ab ipsa affectus specie certius indicium elicies: nam inclinante accessione (*aut transacto febrium ardentium statu*) praemissa vacuatione, quo huiusmodi febres solent finiri, siue per sudorem fit, siue per alui excrementa, si calor squalidus superērit, caeterum remissus, & cum hoc laborans se iudicet à febre immunem, cum virium languore, maximè si praecesserit pinguis excretio, an diaphoreticus

Hectica febris cū putrida intermittente complicatae signa.

A sudor, coniectandum est, calorem fixius sese inseruisse (si calor, qui adhuc superest, siccior sit) cum praecesserit iam febris diuturnioris status, & inclinante affectu, si calor, qui praedictis temporibus praefuit, vaporosior fuerit; tunc quidem iudicandum est, hecticae febris principium adesse, maximè si remanente adhuc post accessionem febre, neque ipsam, neque molestiā aliquam laborans persenserit. *Quibus* aliud signum maioris momenti accedit, nimirum, quod cum transacta accessione reliquae corporis partes temperatiores appareant, arteriarum vero loca calidiora supersint. *Item* quia inclinante accessionabili febre, & laborante melius se habente, corpus contabescit, colliquamenta in vrina apparent: cibum insuper assumēs nil corroboratur, vel cibos fastidiens indigentiā persentit.
B *Praeterea* qui sic affecti sunt, cessante putridae febris incremento, non raro praeter rationem perfrigerantur ob corporis imbecillitatem: *insuper* à cibo frequentius, vel antiqua, & consueta accessio, vel denuo alia, quae nullum seruat ordinem, neque aequalem cū accessione febris putridae praebet laborem, & molestiam. Verum si febris, quae praeest ante hecticae ingressum, è continuarum genere sit, tunc profectò difficillimum est hecticam dignoscere: quinimo clam, & occultè corpus antea conteret, & colliquabit, quā quod de se specimen aliquod praestare possit. Hoc tamen est *certissimum huius complicationis signum*, nimirum, quod calor, qualis inclinante affectu apparuit, talis sese tactui deinceps offert, ac perseuerat, q͂d
C nullo modo natura putridis concesserat: quippe licet primo accessu mitior appareat, maioris efficaciae deinceps se ostendit: nam in his febribus in quibus idē tenor diu asseruatur, neque incrementum eo decrementi peruenit, quod sensibilem admodum efficit remissionem, verendum semper est, aliquid hecticae febris esse admixtum, cuius occasione eadem febris intensior semper conspicitur. Quae omnia si quis attento animo inspexerit, non erit difficile febris hecticae initium, quantumuis complicatum sit, dignoscere.

Hectica febris in putrida continua complicata signa.

Sed vt ad alia signa, quae hecticum calorem demō strare possunt, deueniamus, expendendum est, ea triplici fonte oriri posse, nimirum, ab *Essentia*, & substā
D tia hectici caloris, *Laesis actionibus*, & vltimò à *Qualitatibus* corporis ipsius *mutatis.* Est igitur *primum signum*, calorem huius febris nullum inferre dolorē, nullamque molestiam, neque alterationem: cuius ratio est, eundem calorem esse factum, & habitualem, aequalem, & independentem: quia id, quod factum iam existit, veluti in naturam est conuersum, & mutatum; at alterationes, quae à natura fiunt, insensibiles sunt, & ob id licet hic calor semper in humidum agat, non subinde sequitur molestia, neque dolor, quod lentè, & paulatim fiat actio: quippe dolores, & alterationes ab eo, quod subito & affatim fit, prodeunt. I.

Hectica febris signa propria à triplici fonte oriuntur.

Secundum signum est, calorem esse omni tempore II.
E aequalem citra aliquam exacerbationem, quod appellat Galen. incōpressam febris annotationem: quod sanè signum censet hecticarum esse proprium, & inseparabile. Quo fit, vt differat à reliquis febribus, praeterquam ab *homotona*, sed ab ea etiam euidenter dissidet vehementia, quia longè mitior apparet hectica febris. Prodit autem huiusmodi aequalitas ex eo, quod calor factus sit, & independens, nullaque foueatur caussa, quae exacerbationem moliri possit. Quod si exacerbationem aliquam conspiciamus, id quidem ex cibo, vel aliqua ephemera, quae succrescit, fieri potius credendum est, quam ex caloris hecticae nouo insultu.

Tertium praeterea signum ab ipsa febrili substantia desumptum, est simulata quaedam caloris exiguitas primo manus accessu percepta, adeo vt Hippocr. III.

dixe-

dixerit, *pusillum esse hecticarum calorem*, & Galen. pri- A mo tactu *mitem, caeterum manu diutius immorante acriorem*: nam cum subiectum siccum praeter naturam efficiatur, fit facilè, vt calor praedictae siccitati adiunctus acrior, insuauior, sicciorque conspiciatur.

IV. *Quartum* autem signum desumere oportet ab effectu ipsius caloris, qui sanè conspicuè elucet ob materiae consumptionem, & totius corporis siccitatem, quod necessario omnes humidae partes dissoluantur, & pinguosae colliquentur. Ex quibus prodit ariditas tertio, aut quarto die à caussae aggressione: maximè si praecesserit febris, quae nec ieiunae naturam, aut cuiusuis alterius repraesentet vestigium.

V. *Quintum* signum huic febrium generi maximè B proprium est à cibo caloris incrementum, cum annotatione sine rigore, frigore, horrore, aut inaequalitate, facto tamen prius diligenti examine, ne forsan sit putrida adiuncta sit, suspecta accessionis hora victũ porrigas, tunc enim mirum non est, si calor increscat. Quapropter vt vim propriam, & efficaciam signum hoc nanciscatur, ac vt fidelius possis de eo iudicium proferre, coniectandum est, si calor à cibo increuerit, prima, secunda, tertia, & quarta die mutatis horis, & semota accessionis suspicione; & rursus qua hora victus institutionem mutaueris, eadem laborantem intensiori calore corripi videas, tunc enim citra dubitationem conijcies, affectum corpus febre hectica correptum fuisse: maximè si febrilis calor, qui per- C stat, fuerit eiusdem efficaciae adhuc terno die: quòd significat verbum illud Auicen. *fen. 1. 4. tract. 3. c. 2.* vbi affirmat, validum caloris augmentum in tertio pro signo esse hecticae. Cuius sententiae fuerat antea Galen. *lib. 1. de different. febr.* qui ad diem vsque sequentem caliditatem ex cibo perdurare scripserat, quia durat quousque completa sit tertia digestio, & ex cibo digesto, & apposito cordis siccitas humectetur. Sed incrementum hoc non vtcunque subaudiendum est, vt pathognomonicum existat febris hecticae signum, sed animaduersis prius quibusdam conditionibus, quas mox referam, si prius dixero, *quanã ratione hecticum corpus à cibo incalescat*. Cuius sanè rei euentum quotidie conspicimus, rationem vero, D caussam, & modum, quo fit, non omnes norunt. Galen. quidem arbitratur id fieri, quòd calor ab humiditate alimenti haud secus excandescat, reuiuiscatque, quam in calce viua conspicimus eum succrescere desuper aqua sparsa. Multi sanè licet euentum conspiciant, & ingenuè fateantur *modum, tamen à Galen. expositum non probant*, neque ego etiam probare possum. *Primò*, quia impossibile est viuo animali tãtam adesse caliditatem, & siccitatem, quae calcis naturam aemuletur. *Secundò*, quia partes, quae in hecticis incalescunt, sunt partes solidae, sed ad eas alimentum non peruenit, nisi transactis ad minus sex horis; quinimo refert, sequenti die alimentum cordis substãtiam humectare, at hectici mox à cibo incalescunt, quippe E scribit Galen. *vna aut duabus horis post assumptum cibum incalescere*: Ergo probabile est, *partes solidas adeo breui spatio non incalescere, ac ex consequenti Galeni interpretationem cum euentu non stare*. Sunt etiam, qui euentum negare student, asserentes, calorem illum, qui à cibo succrescit, nullius esse momenti, neque cõsiderationis, & ob id potius accidentaliter ex labore quam ex cibo prouenire.

Hecticũ corp⁹. quanam ratione à cibo incalescat

Quibus praehabitis, vt subsit veritatis maius vestigium, asserimus, signum hoc ab incalescentia ex cibo desumptum, verè esse pathognomonicum, & proprium febrium hecticarum. Ratio est, quia cum in hectica febre membrorum temperamentum sit habitualiter subuersum, & mediante praedicto temperamento, & calore conficiatur alimentum, fit facilè, vt calor ille ab assumpto cibo ad maiorem illam materiae quantitatem extendatur, vt qui eam coquere, & mutare studeat: & ita profecto qui sic affecti sunt à cibo, & mox ab eo assumpto incalescunt, quia maior est quantitas substantiae, quae calore participat, quàm antequam corpus alimentum assumeret. Duratque praedicta incalescentia, donec cibus distributus discutiatur, & per sudorem exhalet, idque noctu maximè, quia calor hic additus noctu magis nocet. At verò in alijs febribus, vt pulchrè aduertit Auerr. *4. collig. cap. 33.* quia mediante caliditate membrorũ, quae adhuc naturalis existit, alimenta conficiuntur, non communicatur alimentis, nisi caliditas mitis, & suauis, aut in fieri *(vt aiunt)* vitiata, quae non efficit insignem mutationem, quae alterare corpus possit, quinimò ipsum alimentum conficit, ac secundum na- B turam mutat, si copia modica sit. Et ob id cum more naturali vniuersum corpus febriens alitur ob calorem habitualem, qui vicem gerit naturalis, corpus incalescere est opus: quo fit, vt cum solis, & omnibus febribus hecticis id accidere conspiciamus, proculdubio censemus, huiusmodi signum pathognomonicũ esse, & maximè proprium. Cum hoc tamen *Gal. modus explicatus non placet*, sed asserimus, *exemplum de calce* quodam modo esse proprium, sed non omnino; solum enim ab humectatione corpus vt calx incalescere docet, non quidem eadem fieri caussa, & ratione. Neque ob id credendum est, corpus quoque debere incalescere ob sanguinis generati copiã, quia C certum est, plus membra solida conterere, quam restitui, & refici possit: quod si plus reficiatur, quia corpus in sanitatem agitur, illud quidem adeo est naturale, & benignum, vt potius calido naturali abundet, quam corpus laedere possit. *Praeterea* censendum est, calorem illum à cibo additum nullo modo esse de ratione febris, neque pertinere ad putridam, aut ephemeram, sed solum esse calorem praeter naturam, & intemperamentum fiens, quod rationem febris non habet. Constat igitur, incalescentiam à cibo esse signum huius febris pathognomonicum, habereque etiam id proprium, vt tamdiu duret, quamdiu alimẽtum in ventriculo, & primis venis: cui etiam accedit, in omnibus partibus febris hecticae apparere, cum ca- D lor sit in omnibus aequalis, cui sanè calori tribuenda est omnis incalescentiae ratio, iuxta nostram interpretationem, non siccitati, vt Galen. & alij, quòd omnino videtur improbabile. Praeterquam quod subest solutio, & enodatio contradictionis in Galeni scriptis, cum *in princ. cap.* statuat, incalescentiam, seu annotationem in hecticis contingere, vna aut duabus horis à cibo sumpto: in medio vero cap. *(cui etiam subscribit Auicen. loco citato)* adstruit, eandem fieri, cum cibus distribuitur: nam durante incalescentia credibile est, toto eo tempore, quo alimentum non communicatur in membra, aut per sudorem euanescit, vel per ventrem crudum non excernitur, posse corpus calfacere: neque opus est ad huiusmodi conciliationem E alia figmenta machinari; siquidem calfacit, non vt calx ab humido, sed vt subiectum, ad quod praeexistens calor extenditur.

Signũ hecticarum proprium ac pathognomonicum.

Incalescẽtia à cibo signum hecticae pathognomonicum.

Praeterea monstrant eundem hecticum calorem, & in eo aliquid peculiarius, alia non pauci momenti signa, cuius naturae est *Pulsus*; nam cum in hoc malo vires essentialiter debilitari oporteat, nulli esse dubium arbitror, pulsus quoque debiles fore, paruos, & ob vsum adauctum crebros, ac modicè celeres. Cum hoc tamen in prima eius parte celerrimos licet conspicere, & non aequè paruos, neque crebros: quia licet idem sit caloris gradus, est tamen minor imbecillitas, aut parum conspicua, & ob id pulsus non sunt aequè parui, ac in reliquis temporibus, sunt tamen celeriores, quia quantitas illa distensionis nequit vsui satisfacere, cuius defectum supplet maior celeritas: quo fit, vt non oporteat esse aequè crebros, ac in reliquis tem-

Hecticae signa ex pulsu.

temporibus, vbi & imbecillitas maior est, & ob id A pulsus minor, & crebrior. Apparet insuper in secunda, & tertia huius febris parte, pulsus ipse durior ob siccitatem, & vtcunque sit, contractio pulsus minor futura est quam diastoles, quod maior sit refrigerationis vsus, quia spiritus quoque & humores cordis in calfieri ponuntur.

Hecticorum arteriæ calidiores sunt, quam in alijs febribus.

In omnibus tamen huius febris partibus arteriarum calor cõspicuus apparet magis quàm in reliquis, quia arteria à calore cordis valdè reliquis calidior efficitur, *vt ex Galen. 4. de cauf. pulf. cap. 16. apertè constat.* Est ergo proprium signum hecticæ excessus calor is in loco arteriarum collatione ad alias febres, & in eadem hectica collatione ad alias partes: quia cum partes solidæ calorem habeant factum, & arteriæ ob B cordis communionem necessario sanguinis, & spirituum feruentium maiorem sortiantur portionem, fit profectò *(quantumuis calor factus sit, & æqualis in omnibus partibus)* vt solum circa arterias ob adductã rationem maior appareat.

Hecticæ signa ex vrina.

Vrinæ color non multum à naturali alienus, licet sæpè remissior fit, cum leuissimo sedimento ob resolutionem materiæ illius, aliquando cum crassiori, ob coctionis defectum: nam si in squamulas, aut furfuraceam, vel globosam figuram compareat, solidorũ consumptionem iam ostendit: sæpè tamen cum pinguedine supernatante, eò vberius, quò magis in principio steterit febris. Quamuis Galen. 3. *de præsag. ex pulf.* vrinam statuat nil posse supra hecticam febrem C monstrare, quod de colore, aut substantia subintelligi oportet. Nam cum in ea appareant sublimationes aranearum telis persimiles, coiectabile est, hecticum calorem adesse, *iuxta Hippoc. sententiam 2. prognosticorum.* Nec inconueniens plerisque sanorum, aut affectorum renibus apparere, nam hectica pinguedo gut tarim visitur, aut velut tela aranearum: at in reliquis crassior, similisque ei, quæ in summo lacte colligitur, aut quæ in iusculis refrigeratis solet concrescere, *vt mens est Galen. 4. de sanit. tuend.* Verum quæ solũ oleo sa est, primo hecticæ gradui, aut principio secũdi propria existit: quæ tamen procedente vlterius hectica, & colliquata iam pinguedine, delitescit, & amplius non apparet. Quapropter optimè censeo dictum esse D à Rasio, qui 10. *ad Alman. cap. 3.* statuit, vbi huiusmo di vnctuosa vrina apparet, innitendum esse in hecticæ medela.

Hecticæ signa ex viribus.

Ostendit etiam huius mali augmentum conspicua virium debilitas, quæ licet omnibus hecticæ partibus communis sit, eò quòd in omnibus intemperamentum sit factum, in secunda vero euidentior existit, quia in ea conteritur natiua humiditas, quam ad robur conseruandum maximè opus habemus. Sic enim Galen. *lib. de inæqual. intemper. cap. 5.* statuens, debilitatem operis signum esse inseparabile intempe ramenti hectici, vel facti, nostram sententiam confirmauit.

Hecticæ signa ex oculis, & faciei consumptione.

Præterea ex oculis, & consumpta facie distinguimus reliqua tempora, quia cum iam vltra primũ tem E pus hecticum corpus steterit, ob imbecillitatem, oculorum palpebras attollere nequit. Neque obstat huic signo 1. *prognost.* 14. scriptum esse, *tanquam debilitatis signum, non integram oculorum clausionem*: videtur enim non posse eiusdem debilitatis esse effectum, non integrè claudere palpebras, & easdem non integrè aperire: quia intelligendum est, integram clausionem referendam esse ad dormientes, & integram apertionem ad vigilantes, nam hi sunt extremi motus exigentes robur facultatis, ideoque media nictantium figura, quam sua natura palpebræ petunt, summam indicat debilitatem, & defunctis propria existit. *Præterea* sciscitabitur forsan aliquis, *cur ea debilitas in morbis acutis agnoscatur per defectum clausuræ dormientium, in marasmo vero per defectum apertionis*

Dubium. Solutio.

oculorum vigilantium: cui diximus id fieri, quia in acuto morbo ex repentino fluxu sequitur inæqualis siccitas, quam consequitur conuulsio palpebrarum impediens integram inter dormiendum clausuram: in marasmo autem siccitas est æqualis, quam consequuntur rigor, & ariditas cutis, ariditas autem impedit corrugationem palpebrarum, & ob id hectici nictant, maximè cum accedat debilitas motoriæ facultatis. *Item* sic affecti maximam præ se ferunt in oculis obscuritatem ob defectum spirituum, sicut ob ab sumptam temporum carnem ipsa collapsa conspicimus: sic & lippa in eorum oculis summam debilitatem ostendit. *Tandem* vniuersus corporis habitus cõtabescit, cutis circa faciem squalida, & intenta, præsertim circa frontem: viuidus præterea coloris flos abijt, venter ad thoracem contractus, depressus, atque inanis, nec omnino in ipso quidquam aliud, quã ossa membranis, & cute obducta, quæ corij instar aridissima apparet: vngues nudari, & acutos, ac non nunquam curuos fieri cernimus, sicut pilos elongari, ac rariores fieri.

Ratio præsagiendi in hecticis febribus.

Hecticarũ febriũ præsagia.

Est sanè febris hectica grauis, & periculosissimus affectus, nam eius principium clam, & occultè sese inserit, & incurabilior indies magis, ac magis efficitur. Nam certum est, facilius esse in artis operibus demere quod superest, quam quæ desunt adijcere: fiunt enim difficulter affectus exinanitione, sed longè difficilius curantur, & eo magis, quo siccitas magis radicata extiterit, *vt ex Galen. constat lib. 1. de different. febr.* Inquit enim 7. *method. Sanè hecticarum omnium dispositio difficilis est, vbi præterierit principij tempus, quod non dierum, aut horarum numero, sed ipso dispositionis modo determinandum est.* Quapropter dictum est etiam Galen. *eod. loc. & 1. febr.* marasmodẽ immedicabilem esse, vt primam hecticæ partem curabilem, quæ vero in medio sita est, & ab vtraque discedit, æqualiter ambiguum habet ad curationem momentum: nam quo marasmodi propior, eo periculo propinquior: quo vero ad priorem speciem magis accedit, eo maiorem salutis spem promittit. *Præterea* si febris hectica velut symptoma ab alio morbo procedat, præsenti morbo curari non potest: si febri putridæ cohæreat, difficillima curatio est, & mortifera vitium ob indicationes inter se pugnantes, *vt ex Galen. etiam constat* 10. *method. cap.* 10. maximè si phlegmon, erysipelas, aut similis affectio internam partem occupet: quod si princeps sit, omnino desperata salus est. Verum si cordi vtcunque affecto marasmus superuenerit, mors celerrimè accedet, proximè huic, si à iecore inceperit, & æqua lance si à ventriculo: nec minoris momenti est pulmonis vitium, sed immedicabile ferè vlcus. Itaque qui ab alijs partibus ortum habet, tãto sanè tardius mortem infert, quanto earum quælibet minoris præstantiæ existit, *vt ex eod. Gal. constat 7. method. c. 7.*

Hectici morientes ex marasmo cum febre vtrũ frigiditate moriantur, an per calorem.

Sed dubitandum hac in parte est, *an qui ex marasmo cum febre moriuntur, præ frigiditate moriantur, an per calorem, siquidem febris calida, & sicca passio existit.* Cui dubio dicimus, calorem vno è tribus modis corrumpi, nimirum per contrariam qualitatem, hoc est, per frigiditatem: aut per corruptionem ab extrinseco, vt in putredine, quæ corruptio est propriæ caliditatis ab externo calore: aut vltimo per defectum humidi à calore resoluente, vt in hectica. Quo fit, vt primo, & tertio modo laborantes frigiditas interimat, vt videre est in marasmode, qui corpus tactui adhuc frigidum commonstrat, non quidem positiua frigiditate, sed solum natiua vincente proprium calorem. Cum hoc tamen calore dissipante innatum humidum, perire animal est credendum, cum certum sit,

sit, ad dissipationem calidi succrescere protinus frigiditatem.

Curandi ratio.

Hectica si simplex sit, duplicem exigit curationis modum.

CVm morbus hic ex eorum sit numero, qui (*præter id, quod in calido æqualique intemperamento existunt*) in defectu, & inanitione consistunt, duplicem tantum (*si simplex sit, & nulli alteri affectioni admixtus*) medendi rationem expostulat: potissimã quidem in *Adiectione* sitam: alteram vero in *Refrigeratione*, cautè tamen & prudenter administrata. Verum si hecticum corpus, vel sibi comitem aliã obtinuerit febrem, vel ab alia febre, aut quouis vlcere, vel malo in hecticum habitum deuenerit, quod febrilis calor ad suam medelam expostulat, neque liberè, neque vtcunque administrare æquum erit, maximè quod refrigerando calori opus fuerit, ne forsan modica vis natiui caloris violenta refrigeratione pereat, aut condensatione maiori, quam putredinosus, vel complicatus affectus opus habeat facta, pressiorem, & grauiorem reddas affectionem. Sed in huius mali curatione præsentem corporis statum prius metiri oportet, & futurum optima coniectura assequi, vt præsenti, quãtum sat sit, tribuas, & futuro prouideas.

Hectica veram curationem per cõtraria postulat.

At cum hic affectus ex factis proculdubio sit, vera tantum curatione, quæ per contraria omnino fit, sanari expostulat. Inquit enim Galen. 8. method. *Facta autem ægritudo curatur, vnam præcipuè habens intentionem. ad id nimirum, quod est dispositioni auferendæ contrarium.* In qua re etiam præ oculis haberi debet id, quod Galen. de tabe aduertit, nimirum, *quod ne leuissimum quidem tolerant errorem febres hecticæ.* His habitis, ad curationis summam accedendo, expendẽdum in ea est, potiorem, & maximam obtinere indicationem, quæ reficiendi vires habet: quippe calidus habitus nullo citius auxilio corrumpi poterit (*vt sanitatem recipiat*) quam reddito ipso calore ad naturaliorem statum, quod proculdubio fiet per ea, quæ verè, & substantificè humectent, tutiùs, & citiùs, quã per ea, quæ refrigerant, humectantia etiam & futurum malum impediunt, & præsentem siccitatẽ (*qua vehementius operatur, & præternaturalior redditur ipse calor*) corrigunt, donec quod præter naturam est, in habitu calido corrumpant, & corpus reficiant.

Hecticæ ne leuissimum tolerant errorem.

Hecticæ curationi quæ tuti, & citius conferãt.

Hectica prima curatiua indicatio tribus perficitur.

Sic profectò prima indicatio, quæ in adiectione sita est, tria munia docet exsequi, vt Medicus Deo fauente Maximo optatum finem consequatur: primum *Apponere*, quod deest, secundum *vias Dilatare*, per quas præstitum alimentum minimas quasque particulas adeat: tertium ipsum *Alimentum ad prædictas particulas allicere, & euocare.* Quibus factis, & interim dum fiunt, calorem febrilem attemperare, & cõpescere opus erit, vt qui alteram solus circumscribat indicationem.

Victus ratio.

Ad primum igitur opus accedendo, quod in proba victus, & vitæ ratione situm est, expendere primo oportet longè diuersam à morbis materialibus hecticorum corpora exposcere victus institutionem: nam dictum est Hippocr. *lib. 1. aphorism.* in principijs morborum prius esse laborantibus indulgẽdum copiosioribus cibis, eo quod prouidendum sit, ne vires ante morbi statum collabantur: dixerat enim, *prius vero vberius agendum, vt æger sufficiat, & in statu cibum esse omnino subtrahendum.* Cuius sententiæ ratio est, ne facultas laborando à principio vsque ad finem deficiat, ob alimenti defectum, vel in statu ab eodem distracta operi incepto non sufficiat. Cui sanè omnino contrariam institutionem seruare in hecticis oportet; nam cum is affectus ex inanitione fiat, & victus ratio in ordine ad ipsum affectum institui debeat, in principio minus esse indulgendum consulit affectus natura, in statu vero vberius. Ratio autem

Hectici curã in principio minori in statu vero maiori indigeãt alimento.

A huius rei in promptu est, nam cum morbus constet ex humorum defectu, tantum deponere loco deperditi oportet, quantum ipsum fuerit deperditum: & cum in principijs parum sit, quòd perijt, parum subinde reficere oportebit. Sed in statu cum nulla sit naturæ pugna (*eo quod morbus immaterialis sit*) & plurimum etiam sit, quod resoluitur, necessario (*si malo æquale debet esse præsidium*) plurimum quoque indulgere oportebit: cuius doctrinæ principium præstitit Galen. *lib. 1. aphor.* 15. dicens: *Siquidem nutritio est eius, quod euacuatur repletio: oportet igitur alimenti quantitatem esse eius, quod difflatur, quantitate proportionalem.* Quibus sic habitis euidentissimum est, in primo febris hecticæ tempore facilè esse corpus reficere,

B quia parum est, quod in eo statu resolutum existit: in statu vero ob id maiori opus est subsidio, quia plurimum resoluitur. In qua re expendenda est differentia status, seu conditionis naturæ in morbis materialibus, & in hectica febre: quippe in illis natura semper agit in materiam morbi, & quo minus operatur, velut in principio, pluribus eget, & plura potest conficere: quo vero magis laborat in materiæ confectione, & expulsione, eo minus distrahenda est alimentis, quia longè minus ea conficere valet, velut in morborum statu contingit. In hectica vero febre, & reliquis morbis immaterialibus cum semper natura patiatur, tantum cibi indulgendum est illi, quãtum passio maior illi succrescat: sic etenim in principio fe-

C bris hecticæ parum patitur, & paucis fomitibus eget: in reliquis vero temporibus, in quibus pati plus competimus, maiori subsidio opus habet. Verum quia in vtroque tempore febris hectica essentialiter languida existit, ob inanitionem vtilis substantiæ, ob id alimentum etiam porrigere oportet, iuxta naturæ ipsius robur, vt Galen. docet *lib. 1. aphor.* 17. dicens: *Quod si virtus debilis fuerit cum humorum corruptione, vel defectu, parum & sæpè porrigere oportet.* Et subdit: *Parum quidem, quia nequit languida facultas plurimũ conficere; sæpè vero, quia multis indiget affectio, vt quæ in inanitione sita sit.* Itaque minus in principio hecticæ quam in eius statu porrigere oportebit: nam qua ratione in morbis materialibus minus, quam sanita-

D tis tempore porrigimus (*iuxta morbi acutiem, aut diuturnitatem*) licet in principio parum minus, & in statu longè minus, aut omnino cibum subtrahere: ita prorsus in principio eorum morborum, qui in defectu consistunt, parum magis, quam vires ferre possũt adhibemus, partitis tamen vicibus, vt facultas tolerare possit, & defectus, qui eo tempore paruus est, adimpleatur: at procedente morbo, vt maius est dispendium, ita pluribus indiget affectio; cæterum per plures vices, quia languidior subest facultas, & vrgentior est morbi conditio, quia in summa est inanitione sita. Itaque cibi quantitatem expostulat maiorem aut minorem humiditatum maior, aut minor resolutio; quam sanè quantitatem moderantur vires, quæ

Hecticis quãdo alimentum per plures vices exhiberi debeat, & quãdo per pauciores.

E cum minus languidæ sint in principio, maiorem ferre possunt, & quia affectio minus expostulat, non diuidi in plures vices alimentum esse opus commonstrant, sat enim est bis die laborantem reficere, quia ea quantitate poterit cibum superare, & maiori non indiget. Cum vero languidiores sint, & inanitio maior, copiosius alimentum desideratur, quia multis indiget affectio, cæterum per plures vices, ob facultatis maiorem iacturam, ter enim & quater alimentis indulgendum est.

Nec minoris momenti est, in re cibaria nosse, cuius naturæ alimentum in febre hectica profuturum sit. Sunt enim qui existiment, in principio huius febris crassius alimentum porrigendum fore, tenuius vero in statu, sumpta quidem ad id indicatione ex virium tenore: imbecilliores enim in statu esse cõstat, & ob id tenuius exposcere alimentum, robustiores

vero

verò in principio, & eò crassiori victu indigere. Ego A autem tutius esse existimo, in principio febris hecticę tenuiora porrigenda esse alimenta, & in statu crassiora.

Dubium. Solutio.

Nam cum in his febribus non solum præcauendæ siccitatis gratia, *vt in putridis victus formam instituamus*, sed vt præcaueamus etiam vlteriorem siccitatem, vt substantiam deperditam suo simili alimēto reparemus, ob id alimentum deperditæ substātię persimile esse tenetur; necessum profectò est *(quia in principijs tenuior substantia dissipatur)* tenuiora adhibere alimenta: in statu vero ob id crassiora sunt adhibenda, quod crassior substantia conteratur.

Hecticis tenuiora debēturin principio alimenta, & in statu crassiora.

Ex qua sanè doctrina sese offert sciscitandi occasio, nimirum, *quodnam alimentum vtile existat febrientibus hectica; nam videtur tenue à calore facilè dissipari, crassum vero minimè posse permeare per constricta, & corrugata foramina.* Cui dicendum esse arbitror, in principio non esse vehementem dissipationem, & ob tenuia alimenta esse proficua, cæterum vt resistant calori in maiori quantitate, rarius tamen exhibita, vt vna die minor sit totius alimenti copia, vt in principio conuenire antea dictum est: neque deest etiam in statu modus distribuendi alimentum, quantumuis crassum sit: nam eo tempore minorem copiam exhibemus, vt faciliùs natura liqueat, atq; conficiat, cæterum frequentius, vt par sit dispendio præsidium. *Præterea* cuiusuis sortis alimenta sint, siue crassa, siue tenuia, mediocriter frigida, & copiosius humectantia esse oportet: forma simili deperditæ substantiæ, & copia æquali, nisi caussa aliqua, vel affectus, aut symptoma aliquod contrarium, vel diuersum poposcerint.

Hecticorū alimenta modicè frigida, et copiosius humectātia.

Hecticorū alimenta in principio.

Quibus præmissis, cibus primi temporis constabit ex *iuribus pullorum*, & *auium sine pinguedine*, in quibus *hordeum sine cortice*, *lactuca*, & *portulaca* coxerint, vel ex iure incocto, & macerato pane, prius loto: prosunt & *oua tremula*, & *sorbilia*. Pisces autem saxatiles, prætertim *troctæ nouellæ*, *cochleæ* item prius aqua maceratæ decoctæque cum iure pulli, gallinę, aut agni: pulli etiam lacte saginati, pultes ex lacte, & farina præsertim hordei. Præstant & parui cuniculi, ac testudines, & columbarum pulli saginati *ptisana*, aut *farre*. Tandem ego laudarem victum omnem humidum, & coctu facilem, & optimi nutrimenti. Verum quoniam infirma est hecticorum attrahendi facultas, liquidiora alimenta conueniunt. sic enim facilius coquuntur, & distribuuntur. Cui vsui aceti aliquid admiscemus, vt distributionem adiuuet, etiamsi nocere posse videatur, hoc enim Galen. commendat eo nomine, & chondro, ac ptisanæ inijcit *lib. de maras. cap.* 10. & *lib.* 10. *method. cap.* 11. nam licet calore mēbra polleant, non ob id, *vt Galen. aduertit*, vim habēt ad attrahendum idoneam, maximè cum alimenta, vel frigida debeant esse, vel subtepida.

Panatella

Docent insuper auctores *panatellam* conficere ex succo carnis pulli, aut hœdi in duplici vase extracto, cum modico sale, & admixto post colaturam succo citoniorū. Quæ sanè omnia, & reliqua, quę hecticis offeruntur, calida adhiberi oportet, *vt Gal.* 12. *meth. aduertit.*

Hecticorū alimenta procedēte morbo.

Procedente vero affectu solidioribus vtendum est, velut existunt *pultes ex farina hordei cum lacte*, *vel iure confectæ*, *far item*, *aut amylum*, *cum lacte*, *aut iure paratum*. Quod si affectus vltra pergat, confert *testudinum caro*, *pullorum*, *gallinarum*, *perdicum*, maximè si *(vt dictum est)* saginati fuerint lactuca feruefacta lacte, & *extremitatum animalium*: prodest & summopere cibus albus Hispane (*maniar blanco* appellatus) carne pullorum, rauatum, aut testudinum confectus cum *amylo*, *aut farina* hordei.

Maniar blanco.

Verum si ad solidioris substantiæ vsque deperditionem laborans deuenerit, *porcellorum*, *vituli*, vel *hædorum carnibus* vtemur, bis die exhibitis, præstito alio tenuiori cibo inter vnam, & aliam oblationem. Nec est in hac parte silentio prætereundum, quanam ratione carnes laborantibus parare oporteat: multi enim fugiunt à carnibus assis, credentes plus exsiccare: Ego tamen censeo ex Aristot. sumpta ratione *lib.* 1. *problem.* carnes assas plus elixis, humectare: ratio huius est, quia cum carnes assæ in superficie exsiccentur, fit facilè, vt interna humiditas vi ignis dissipari non possit. Quippe elixæ carnes omnes humiditatem deponunt in aquam, & ob id iuribus esse vtendum frequentius rei ratio postulat, & ex carnibus eas, quæ assæ sunt, si ventriculus ferat: quod facies, semotis partibus externis, & crustosis, nisi adiuncta fuerit pituitæ redundātia.

Carnes assatæ plus elixis humectant.

Nec omnino hectica febre laborantes à fructibus esse arcendos certum est, quippe expostulat morbi conditio *melones*, saltem *Indicos*, *cucurbitas*, *lactucam*, B *scariolam*, *cichorium*, *poma etiam*, *pruna*, *cerasa*, & id genus alia. Quod si aluus solito largius fluxerit, abstinere ab his summopere oportebit, & eos fructus, quæ modicè adstringunt, porrigere.

Hecticinō omnino à fructibus arcendi.

Verum vt hæc omnia alimenta beneficium præstent, aerem, in quo habitet laborans, eliges frigidum *(nam maius sequitur beneficium ex aere frigido inspirato, quam ex cutis densitate incommodum: siquidem quam paucissimi sunt fumi, qui retroire possunt, quia nulla est humorum putredo, aut vstio)* aut temperatum, vel eum tuipse cum diligentia parato. Sic primo quęres domum prope humum, & humili loco sitam, ac suauibus ventis, & Aquilone perflatam, quam etiam amplius temperabis per aquæ ductus, & artificiosos C fontes, qui & aerem humectent, & somnum concilient. Præstat & soli irrigatio, & sparsa humi frigidarum stirpium folia, nisi laborans tenellus, aut natura frigidus, vel senex id vetuerit, licet certum sit, minus lædi ex densata cute, quæ facilè vel leui strictione, aut tegumentis laxari potest, *vt optimè Galen. aduertit lib.* 10. *method. cap.* 8.

Hecticis aer frigidus, aut tēperat⁹ cōfert qualis debeat parari domus.

Somnus etiam mediocris existat, ne longior viscerum calorem augeat, aut breuior imbecillitatem, & siccitatem: item lectus, & indumenta, *vt Auicen. consulit*, bonum odorem inspirent, *rosarum videlicet*, *violarum*, *santalorum*, *camphora*, & *trochiscorum eius*, *ac florum nenupharis*. Caueat insuper laborans omnem animi perturbationem, quinimò quærere oportet, quæ mentis hilaritatem conci- D liant, & peculiari iucunditate delectant.

Somnus. Lectus. Indumenta. Animus.

Verum quia languidi laborantes prædicta alimenta, quæ non nisi maximo labore fructum præstant, perferre nequeunt, ad antiquum illud alimentū quo nostræ generationis principia fructum, & beneficiū capesserunt, deueniendum est. Tantam enim habet lac cum semine, & sanguine menstruo connexionē, vt sicut in nostri exortu præstitit alimentum, ita quoque hecticorum corpora ad antiquum statum reducere natum sit. Hac tamen lege eo vtendum erit, quod si corpus robustum fuerit, rurale, & laboribus assuetum, *lacte vaccino* detracto butyro vti oportebit. Verum si id ventriculus nō confecerit *(raro enim conficit, alioqui vtilissimum fieret)* caprillum porriges, E est enim vaccino tenuius. Tertio vero vtiliuris, & tenuioris substantiæ est asininum lac, quo profectò frequentius se optimè habuerunt febre hectica laborātes: tenet enim medium caprillum inter vtrumque, nam asinino crassius est, & bubulo aquosius. Danda vero opera est, vt ab vbere, vel quam recentissimè mulsum bibatur, ne aeris iniuria vitietur. Præterea lac quàm dulcissimum esto, sibi ipsi continuum, nullam externam qualitatem gustu, aut odore præ se ferens, insuper animal florentis sit ætatis.

Hecticis lactis vsus quare vtilis, & quibus bubulū, quibus caprillum, quibus asininum conferat, & qualiter propinari debeat.

Lactis vero vsum summo mane commendabis, à quo non esse dormiendum auctores plures commendant: ego autem censeo vna aut duabus horis à suctione lactis superdormiendum esse: nam eo tempore nullum est periculum euaporationis ad caput, neque corruptionis in lacte: quinimo pręstat eo tempore somnus hoc bene-

Hecticis vt lac sit vtile, quæ sint accipienda.

beneficium, quod securius, & celerius coquatur, aut A distribuatur lac. In cuius etiam vsu considerandum est, *an in ventriculo corrumpatur, cogatur, vel acescat:* nam cum calor exurens sit, mirum non est, si corruptionem subeat, sicut dum venter frigidis abundat succis, aut ipse frigidus est, si concrescat, aut in acorẽ mutetur. Cæterum intelliges corrumpi ex nidore, & pulsuum mutatione, languidiores enim, tardiores, ac frequentiores *(vel si imbecillitas sit maxima)* rariores fiunt, quales ore ventriculi laborantibus solent succrescere. Sic & acescere monstrat ructus acidus, & vtriusque ventris torminosus dolor. Quapropter vtrique vitio subueniendum est ne laboranti desit occasio, & modus vtendi præsidio adeo insigni, & vtili. Sic enim si corrumpi compereris, coquenda est cum B lacte aquæ portio, vel lacte exhibito modicum aquæ porriges: aut si ventriculus, vel iecur nimia caliditate polleant, ante lactis sumptionem haustum aquæ frigidæ porrigito: etiam solet corruptionem interdicere lac acetosum præbere, à quo butyrosa pars detracta fuerit. Verum si cogatur, aut acescat, mellis tepidi, aut sacchari momentum admiscebis, sicut dum serius in aluum descendit, ac difficilius ob concretionem coquitur, salis tantillum, *vt Galen. docuisse constat 5. method. cap. 12. & 10. eiusdem cap. 11. & 5. de sanit. tuend. cap. 7.* Sic etiam dum studemus acrimoniam seri retundere *(quod Galen. etiam consuluerat)* post coctionem aquæ modicum adijcimus, quod ex vsu est dysentericis, & vlcera habentibus in pulmo- C ne, ac thorace, *vt latiùs dictum est lib. de art. med. cap. de phthisi.* Periculum tamen prius fiat in lactis exhibitione, sumptis tantum vncijs duabus, & paulatim aucta quantitate ad sex, vel octo vncias. Quod si laborans dormire assuetus somnum vitare non potuerit, superbibat aquæ modicũ, quo minus lac calore somni corrumpatur. Possunt præterea ex lacte vtiliter fercula non pauca parari, cum *amylo, aut farina hordeacea, vel mica panis sæpius aqua frigida lota.* Item Alexand. *lib. 12. cap. 4.* cum ptisana, & chondro concoquere iubet, si per se sumptum prauè conficiatur. Verum in quibus iam consumptionis negotium maximum minatur periculum, ad humanum lac deueniẽdum est, maximè ab vbere suctum ex fœmina iuuen D cula, & optimi temperamenti, ac proba etiam victus institutione nutrita. In cuius sanè lactis vsu, nec serius præstes, aut ante genuinam occasionem. Quod si, laborantes aliqui lacte vti formidauerint, iterum confugiendum est ad ante dicta cibaria: non quidem, vt multi consulunt, ad carnium instillationes. Quarum loco succis carnium frequentius vti consulo, maximè ex assis carnibus: hæ enim substantiæ magis nutriunt, & difficilius resoluuntur. Cuius succi prælo pressi, & iterum igni appositi, donec pinguedo cochleari quodam extrahatur, *quatuor vncias cũ instillatitio aliquo, vel iure ex prædictis carnibus cum lactucis, hordeo, aut aliqua ex frigidis herbis elixo* præbere satis est, addito gustus gratia *limonum, aut aran-* E *tiorum succo, vel cerasorum acrium.* Item præstat ipsas carnes minutim incisas, & decoctas cum *lactucis, cucurbita, pyris, succo limonum, aut arantiorum præbere:* placentas verò modo ex testudinum carne, modo ex quauis alia confectas, vbi plurimum coxeris, inutiles esse censeo, nisi ea mensura coxeris, quod humiditas carnis non resoluatur, quas equidem *amygdalis, aut nucleis pinearum* conficere, vel nucleos ipsos diu *aqua rosacea* maceratos, per se præbere optimum est. Gustus etiam atque vtilitatis, & corroborationis gratia vti oportebit condito aliquo, confecto ex conserua *borraginis, buglossæ, & rosarum cum pulueribus seminis papaueris albi, & diamargaritonis frigidi cum laminis auri minutim incisis, cuius cochlearia duo summo mane porriges.* Hæc enim sunt alimenta, quæ medicamenti vices gerentia corpus quoque blandè refrigerant, sicut *semina portulacæ, atque cucumeris, cum mucilagine psyllij, & seminis citoniorum cum pulueribus diamargaritonis frigidi, & saccharo,* quantum sit satis ad formãdos trochiscos, quorum vnum ore detentum sitim compescere, & corpus refrigerare, compertum est.

Lactis acidi correctiones.

Seri acrimonia, qualiter retundatur.

Hecticis quãdo lac humanũ propinandum.

Hectici melius instaurãtur succis carnium assarum, quã earũdem instillationibus.

Placentæ.

Cõditum.

Nec minor potus habenda cura est in huiusmodi laborantibus: cui vsui primas tenet *aqua hordei, aqua saccharata, aqua* item diu *in cisterna asseruata,* sed maximam habet efficaciam aqua per lapideum mortarium cum cinnamomo excolata, tenuitate namque vehiculum præstat alimento, vt citius permeet. Vtilissima etiam est, quæ ex *coriandro* coquitur, aut *cum papauere, vel nymphæa, aut floribus violarum:* laudatur etiam ab Auicen. *aqua hordei,* in qua *cancrorum caro* abiectis testaceis coxerit: oportet autem cãcros prius excorticari, & diligenter lixiuio, deinde aqua ablui, vt fœdum odorem deponant, deinde *singulæ vnciæ singulis libris aquæ hordei* incoquuntur, habet enim aduersus tabem miram efficaciam, omnem enim siccitatem corrigit, & compescit. Oportet insuper potum omnem frigidiusculum esse, *vt Galen. 10. method. cap. 10.* optimè aduertit, dum modo citra perfrigerationem sensibilem bibatur. Præterea licet Alexand. consulat largius à cibo potandum esse his, qui sic affecti sunt, cum hoc tamen quia Galen. non placet, ne in aliud malum laborans ob virium imbecillitatem decidat, moderari oportet, ita vt neque adeo multam, aut gelidam, vel à cibo distantem, neque ita parcam, vt exiccari amplius periclitetur. In debilibus vero corporibus natura frigidis, pituitosis, & crudis succis scatentibus, aut nimis vino assuetis, albo, & tenui vino vti opus erit, præsertim eo, quod *olygophoron* appellant, quod si vel aluus fluat, vel laborans nimis exsoluatur, rubro vti conceditur. Tanti enim est momenti in corporibus hecticorum vini vsus, vt grauius sit erratum, quod sequitur ex subtractione, quã ex paulo importuna eius administratione.

Hecticorũ potus.

Aqua cãcrorum efficacia aduersus tabem mira.

Hecticorũ potus sit modicè frigidus, & moderatæ quãtitatis.

Hecticis vini vsus magni momenti.

Præmissa debita vitæ institutione, rei ratio consulit veniendum esse ad reliquam curationem, quæ extrinsecis humectantibus *(& vt rectius loquar madefacientibus)* & modicè refrigerantibus perficitur. Vniuersa itaque medendi ratio huic febri proficua sita est in *Humectatione, & Refrigeratione:* humectatio tamen tutior, & vtilior existit, siue intus, siue extra adhibeatur, *vt Galen. est sententia, 7. method.* Est quidem non leue periculum in refrigeratione, eo, quòd per efficacem maximè qualitatem inducatur, & ob id periculosa existit adeo, vt passio censenda sit potius quã actio: quo fit, vt imbecillum corpus citra noxam id minimè ferre queat: è diuerso vero, siccitatis per ea, quæ humectant, curatio, vt longo tempore est opus, ita minus est, quam refrigeratio, periculo exposita, *vt ex Galen. 7. & 10. method. apertè colliges, & ex Auerr. 7. collect.* Est tamen intus, & extra facta magis necessaria in huius mali curatione humectatio, quam refrigeratio: nam interna deperditum reficit, externa vero modico calore partes dilatat, constricta, & corrugata lenit, & laxat, atque aperit, & rursus modico calore vim habet alimentum trahendi ad extimas, & carnosas corporis partes: quæ sanè munia medicus præ oculis perpetuo habere tenetur, si velit deperditam sanitatem reficere. Sed huic ministerio exsequendo probauit vsus, & rationi consonum existit, inter potissima auxilia, quæ huc vsque ars adinuenit, nullum esse balneis vtilius. Sic profectò hac sola ratione antiquitas adeo sumptuosa, & magnifica parauit ædificia, vt adhuc exstent pretiosissima, & vsui grauissima apud Romanos: parabant quidem tres domos, seu cisternas, aut cuppas, in quarum prima, quam *stupham* nuncupabant, aer tantum immorabatur, seu halitus calidus: quo sanè loco exuebantur laborantes, ibidemque donec corpus ad calorẽ moueretur

Humectatio hecticis tutior, quam refrigeratio.

Hecticis mirè prosunt balnea.

Balneorũ partes.

uerctur

neretur persistebant. Postea in secundam cisternam A conscendebant, quæ aqua calida plena huic vsiu erat parata: à qua in tertiam domum confestim prosiliebant, quæ frigida aqua scatebat. Erat autem antiquorum mens in his balneis hæc: in primo quidem corporis poros aperire: vt in secundo corpus apertis poris altius humectaretur: sicut in tertio, ne vires tanto calore deficerent, aut corporis calor intensior fieret, frigiditate frænare atque compescere. Auert. tamen, Rasius, & reliqui Barbari suspecta habent balnea primum & tertium: illud quidem, quòd facultatem dissipandi spiritus atque prosternendi vires natum sit: hoc vero quod ne corpus quidem validum subitas & contrarias alterationes citra noxã ferre valeat. Quapropter nostra ætas & peritiores Medici tantum pro B bant balneum aquæ tepidæ, aut moderate calidæ, & pororum apertionem moliuntur leuiusculis quibusdam frictionibus quæ moderate calorem euocēt & poros aperiant atque alimentum ad singulas partes trahant, iuxta illud Hippocr. *Frictio mollis impinguat, dura vero siccat.* Itaque labrum aqua plenum prope lectum disponatur dulci & modice calidi, eo ordine situm, vt in eam æger citra laborem descendat: idque fiat summo mane duabus horis ab exortu Solis, & tribus ad minus, à leui quodam pastu ex vitellis ouorum, aut iure vel succo aliquo carniũ, quem natura præscripto spatio deuincat, vt fricare linteis moderate corpus liceat, & lacte muliebri ab vbere C multum madefacere dorsum, & postea ipsum conijcere in aquam, leniterque hinc inde manibus tractare, sinereque in aqua tamdiu immorari, donec ipsa tepescat: & quia necessaria quodammodo post balneũ calidæ moderata frigiditas est, non oportet laborantem extrahere, antequam ipse persentiat aquam quodammodo tepescere ac refrigerari, quo tempore corpus linteis inuoluere & molliter abstergere oportebit, quia id videtur sufficere loco frigidi balnei. Nam tanti momenti censetur apud Galen. & plerosq; medicos eius vsus mox à calido balneo, vt iure optimo arbitrentur, calidum nil commodi præstare, ni protinus frigidum accedat, Quod sane præsidium licet reuera commode & prudenter præstitum, maximi sit D momenti, cum hoc tamen adeo est frigidi occursus hecticis grauis & periculosus, vt verendum sit, ne ex leui quodam errato, maius sequatur damnum, quam ex recto vsu beneficium. Verùm si quis velit citra periculum eius gratiã experiri, primo laborantem mergat modice calida aqua, et vbi aliquantulum ibidem immoratus sit (*nisi interea conuenientem teporem acquisierit*) iniecta frigida ad exactam temperiem reducatur. Vbi iam laborans tædere cœperit, tantum frigidæ admiscendum, quantum ad aquam balnei aperte refrigerandam sufficiat. Itaque in calido balneo parua fit mora, in tepido mediocris, in frigido vero omnium minima: hac enim ratione balnei partes E omnes experietur laborans, & nullum ex frigido periculum, sed summam vtilitatem percipiet. Verùm si placuerit maiorem efficere humectationem, aquam ipsam decoques *violis, malua, branchа vrsina, & seminibus frigidis*: si tamen adhuc impensius humectare libuerit, *mucagines seminis citoniorum, & psyllij* in aquam conijcies, dum decoquitur, & extremitates etiam animalium addes. Ceterum quòd vltimo refrigerat & humectat moderatissime est *balneum ex quouis lacte paratum*. Quod si adhuc calorem plurimum vigere ex siccitate, siti, ac reliquis accidentibus compereris, vsu probatissimum est laborantem *dormire supra vtres aqua plenos*. Poteris enim ex duobus parare idoneum stratum aqua existente modice calida: quo sane auxilio leuatum fuisse illustrissimum quendam Mecœnatem fideliter accepi, & scio maximi futurum commodi. Vtcumque tamen corpus humectauerit, mox ante, quam à balneo aut à frictione A refrigeretur, inungere oportet his, quæ temperata sunt & pinguosa.

Antiquorũ in balneis mẽs.

Hecticis quinã balneorũ vs⁹ suspectus.

Hecticorum balneum quale optimũ.

Frigiditas moderata a balneo calido maxime prodest.

Frigidi quantum balneo calido admiscendũ.

Balneum ex lacte refrigerat & humectat.

Hecticos valde iuuat dormire supra vtres aqua plenos.

Quod sane exsequeris, si primò præstiteris *oleum amygdalarum dulcium, aut dulce oleum sine sale: butyrum* etiam *vaccinum* per se aut *violarum aqua lotum: oleum item de nenuphare, de salicibus, de papauere, violarum, rosarum, & de cucurbita*. Quod si impensius refrigerare oportuerit, *rosaceo* quoque *vnguento* corpus inunges, aut resumptiuo nuper facto cum modico refrigerante ex Galen. Verùm si humectare adhuc amplius libuerit, *mucagines cochlearum, psyllij ac seminis citoniorum prædictis oleis admiscebis*, ac si magnam persenseris caliditatem, vt impensius refrigerare cogaris, *vnguento Galen. refrigerante* corpus inunges, pri B mo eo solo, & si necessitas plurimum vrgeat, cum *albumine oui commixto, ac succo sempervini in parua quãtitate adiecto*. Ne tamen desit materiæ copia, qua in diuersis corporibus, ætatibus, & anni temporibus, vti libere possis, inungere quoque dorsum licebit *cremore ptisanæ, butyro vaccino* admixto: quod facies caute et sensim, dorso primum inuncto, procedente tamen malo vniuersam thoracis regionem inuoges, præsertim iuxta cordis situm: qua parte quæ minus frigida sunt adhibebis. Ventrem quoque inunges, & in viris, qui nondum mediam ætatem prætererunt, testes etiam.

Hecticis quæ inunctiones parandæ, & quomodo vtendum.

Sic enim dorsum & spinam lacte muliebri ex fœminæ vbere irrigare, magni probatum est fore mo C menti. At si particulam aliquam corporis calore illo præter naturam cognoueris pollere, ea quidem epithematis irrigãda est, extracto ab herbis frigidis succo, aut facto decocto, veluti *ex sempervíuo, lactucis, violis, rosis, intybo, oxalide, portulaca, hordeo, & palustri lenticula*. Ex quibus etiam instillatitiæ aquæ cũ pulueribus, qui membrum calidum respiciant, fieri irrigationes possunt, maxime æstiuo tempore, & laborante non transgresso mediam ætatem. Sic capiti ex calido prosunt perfusiones ex *dulci aqua, lacte, aut decocto hordei, papaueris, psyllij, & violarum*: item desuper sparges *pulueres coriandri præparati, seminis papaueris albi, cum oleo rosaceo aut violaceo, ac mucilaginibus psyllij, aqua hordei aut rosarum extractis*. Si vero D ventriculus nimis incalescat, proficuus est puluis *coralli vtriusque, cornu cerui, & rosarum*: si iecur, puluis *santalorum omnium, schœnanthi, & agrimoni*: si cor, puluis *diamargaritonis frigidi, electuarium de gemmis, cum aquis frigidis, & modicissimo aceto*, quæ excepta serico philtro ipsi adhibeantur: quibus omnibus subuenies facto cataplasmate aliquo ex succis vel decoctis cum *polenta* adinuicem mixtis. Poteris quoque effingere vnguentum ex lacte. *seminum frigidorum*, cum aliquo ex supradictis succis, *albuminі oui & portulaca pistatis cum rosaceo & medullis crurum vituli ad consumptionem succorum*. Confert ventri adhibitum emplastrum ex *farina hordei cum succo lactuca*. *portulaca item per se vtiliter ventriculo imponitur*. Iu E uat quoque vnguentum hoc q. ℞. *cera lota ℥. 4. olei rosati, lib. 1.* liquefiant in vase duplici, & vbi refrixerint ex aqua frigidissima lactucæ vel portulacæ succo subigatur, & fiat ceratum. Item ad renes id parabis ceratum, q. ℞. *olei rosati omphacini ℥. 3.* sæpius aceto abluatur, deinde succo *acetosa, vel sempervini, aut solani* subdupla quantitas, ac modica cera lota aqua frigida fiat ceratum, in cuius confectione, & aliorum vnguentorum modicum aceti admiscere tanquam probatissimum laudant plerique auctorum. Nec omnino internum calorem citra refrigerationem relinquere oportebit, sed præter ea, quæ potui esse idonea antea diximus, conditum hoc mirabilis refrigerationis est in vsu: ℞. quidem *santali albi & rubri, anã ʒ. 1. seminis berberis, seminis portulacæ, scariolæ, melonis, succi liquiritiæ, rosarum, violarum, nenupharis, spodij, anã ʒ. 1. sacchari albissimi, q. s.* vt cum aqua rosacea fiat

Hecticis spina dorsi lacte muliebri ab vbere emulso irriganda.

Hecticis epithemata pro singulis partibus, quãdo & quomodo parari debeant.

Vnguentum.

Ceratum.

Hecticis quæ condita vtilia.

fiat

Aqua ex albuminibus ouorũ hecticos mite refrigerat.

fiat electuarium. Refrigerat quoq; mirifice & reficit A extenuatos, id q. ℞. *albumina quinquaginta ouorum agitata & in aquam conuersa*, ac in encatismate polita, in quo sedeat æger. Sed si lacte admiscueris muliebri, dorso cum vesica adhibere poteris, sicut vniuersum corpus ipsa aqua lauare, quod incredibilis est efficaciæ his, qui per halitum digeruntur.

Hectici quem modum seruare debeant in balneorũ vsu.

Verum, ne quis intrepide & vt fors tulerit, ijs vtatur, legem ac rationem vtendi, ne aberret, primò addiscat opus est. *Primò* itaque cauendum est, ne laborantes crudis succis abundantes, vel famelici balneũ adeant, sed prius clystere aluum mollire oportet, ne dilatatis vijs superuacua excrementa loco optimi nutrimenti trahantur: curandum tamen est ne clystera ex acrioribus constent, sed ex mollientibus, hume- B ctantibus, ac refrigerantibus, modice tamen. Qualia sunt quæ conficiuntur *ex iure aliquo pingui & alimentoso, ex oleo violarum ac rosarum, ex sacch/aro & vitellis ouorum:* quod si mutare libuerit, aliud conficies ex *hordei decocto, ex lacte seminum frigidorum maiorum cum oleo violarum, & succo portulacæ.* Parantur item ex *lacte caprino cum oleo & sacchåro: etiam ex hydræleo & sacchåro:* tanti enim momenti huiusmodi curandi ratio est, quantum monstrare videntur febres ephemeræ frequentissimè hecticis corporibus succrescentes, quas ex cruditate alimentorum, quam facultates languidæ nequeunt conficere, proficisci necessum est. Cuius mali vitandi gratia prudentiores medici non omnino abstinent se à purgantium medica C mentorum vsu in febre hectica, si aluus adstricta est. Qua in re expendere oportet, cauendum esse à vehementibus medicamentis, & tantum vtendum *cassia, aut manna, aut syrupo ex nouem infusionibus violar.* quorum aliquid semel in mense sumere, vtile & necessarium esse, ephemerarum febrium frequentia docet.

Hectici adstricta aluo semel i mense leniter purgãdi.

Qua lege præmollito corpore quatuor horis à cibo, *vt dictum est*, licebit corpus fricare, moxque prædictis balneis ordine scripto committere, ibidemque immorari sinere, leuiter corpus fricando, donec aut carnes quodammodo intumescere videantur, aut aqua refrigerari: nam si vltra pergat, periculum est, ne id quod frictione & aquæ calore ad partes carneas tractum fuit, cuius ratione partes intumescunt, vlte- D rius operante calore aquæ & frictionibus conteratur resoluaturque, & corpus siccum superfit. Ob id quidem dictum est ab Hippocrat. *mollem frictionem impinguare, duram vero exsiccare.*

Frictio mollis impinguat, dura siccat.

Quo sane termino cognito, corpus linteis inuolutum in lecto tepido recondes inungesque aliqua ex prædictis vnctionibus, facto initio, *vt diximus*, à leuioribus, & prout cognoueris prodesse parum aut nihil, sic in ea persistes, aut ad aliam ex efficacioribus te conferes. Est insuper eo tempore præstantissimum auxilium, duarum aut trium horarum spatio somnum conciliare, nam vltra dormiendo pergere, non minus resoluet quod attractum est, quam balneum.

Vnum tamen hoc inter alia obseruandum est in A hac curatione, nimirum inunctiones & apposita refrigerantia diu in corpore non oportere immorari, ne plus iusto corpus refrigerent, aut alterata ad calorem vi febrilis ardoris corpus amplius calfaciant, sed mutare, & aliquando ex toto auferre ea oportebit.

Inunctiones refrigerãtes in corpore nõ diu immorentur.

Hecticis si alui fluxio accidat, quomodo subueniendũ.

Quod si alui fluxio succrescat, vt sæpe solet, coniectandum est, an corpus per ventrem colliquetur, an ex ventris impotentia aluus cruda aut praue confecta excernat, vel hæc eadem ex irritamento illato ab his quæ colliquantur, acria & mordacia præ calore & siccitate exire contingat. Hæc enim omnia considerare magna diligentia prius oportebit: primo tamen conijcies, nusquam corpus sic affectum medicamen- B tis adstringentibus extrinsecus corpus esse macerandum: nam compressis partibus exterioribus & carnosis, facile est omnem colliquationem & humorem ad internas partes protrudi, & fieri ob id maiorem alui fluxum. Quapropter dum corpus colliquatur, & colliquamenta per ventrem excernuntur, viscosiora alimenta, & ea quæ quodammodo emplasticam habent vim, porrigenda sunt, velut sunt *pultes ex farina hordei cum iure capitum & extremitatum auium, & omne alimentum quod ex hordeo parari possit:* cui simile beneficium præstat *cibus albus cum farina hordei & carne ranarum confectus; succus etiam carnium assarum cum pulueribus boli armeni, margaritarum præparatarum, aut electuarij de gemmis.* Quo sane tem- C pore tutissimum est præsidium, corpus amplius fricare, & mollioribus vnguentis ac illinitionibus inungere, vt ad partes extimas trahatur quod fluit, & caliditas exurens attemperetur. Quo facto, alimentis admiscere oportet aliquid eorum, quæ vim habent adstringendi, veluti est *agrestæ succus, acetosa, aut granatorum acrium:* quos sane succos extrahes cum *aqua deaurata aut chalybeata*, vt simul calorem compascant. Vti etiam in eodem fluxu poteris *chalybeato lacte ferro aut candentibus lapillis*, addito *bolo armeno, aut terra sigillata:* vel porriges *saccharum rosaceum cum eisdem pulueribus*, & alia non pauca quæ cap. de phthisi in arte medendi latius scripsimus. Verum si ex ventris imbecillitate affectio prodeat, tunc D quidem roborantibus & adstringentibus firmare ipsum oportebit: ac si calore æstuare comperies, addes quæ refrigerare nata sunt, vt *syrupus cydoniorum, rosarum, myrtillorum, & de rosis siccis*, prodest & *ptisana hordeacea, aqua hordeo torrefacto admixta:* exterius vero quæ consimilem vim habeant præstabis.

Hecticis si syncope superueniat, quid agendum.

Quod si ex caloris defectu venter fluxerit, temperationibus ac modice calidis ipsum roborabis. Pari etiam modo syncopizantibus subuenies vino, instillatitijs ex carne aquis cum modico *vino rubro*, maxime *granatorum cum sacchåro feruefacto*, & frequenti renutritione, minutim tamen facta, odoramentis insuper veteris ex recente *pane, vino aqua rosacea, ac naphtha irrorato:* tandem omni arte curandum est, spiritus reficere.

Finis Libri Quinti.

DE

DE FEBRIVM PVTRIDARVM NATVRA, CAVSSIS, DIGNOTIONE, ET CVRATIONE.

LIBER SEXTVS.

QVi febres putridas optimè curaturus est, nosse prius tenetur quæ sint omnib. ipsis communia, tū quatenus ad materiam earū attinet, tum verò ad materiæ alterationes: tū vltimò quoad communem omnium curationē. Præterea expédisse etiā oportet, quæ sint cuiq; febrium forti propria, & peculiaria atque proficua. Verum illa tria diligenter expendere prius institui, quam auxiliares manus alicui earū adhibeam.

Febrium omnium cōmunis materia.

Dictum quidem in superioribus est, materiā febribus omnibus præstare humores *naturales* appellatos, quos in venis residere gratia præstādi alimoniā diximus: item & *non naturales*, qui licet naturaliter corpori insint, & ex quotidiano alimento generationem sortiantur, eo quod alimoniam non præstent, & ob id non naturales à medicis iure optimo appellantur. Pari etiam pensu putridis febribus materiam præstant humores, quos *præter naturam* nuncupamus, qd generationem sortiantur ex alijs humoribus, aut ex eorum materia, à caussis tamen præter naturam, cuius naturæ est vitellina bilis, & reliquæ eiusdem speciei, quæ perperam in corpore generātur: sic & pituita vitrea, salsa, atra bilis, & huiusmodi humores, nec non & eorum serosa substantia, & mille varietatibus implicata humorū vagantium sors: quos omnes scimus febribus omnibus, & singulis materiā præstare.

Calor cuiusuis humorū sex modis alteratur, aut præter naturam fit.

Qua vero alteratione humores prædicti afficiantur, vt febrem, quæ *humoralis* nomen mereatur, succendere possint, expendendum nunc est: & quod maius in hoc negotio præstare beneficium potest, est nosse, qualis naturæ, & efficaciæ futurus sit calor, qui prædictam alterationem in humores inferre possit. Cuius doctrinæ gratia præmittendum est, calorem cuiusuis humorum vno è sex modis posse præter naturam fieri, nam *Aut* incalescit amplius idem humor, quam illi secundum naturam ex vsu est, calore ex aliqua occasione intrinseca, aut extrinseca illi accedente: *Aut* efferuescit, ebullit, & calore agitatur, atque mouetur: *Aut* insuper adeo crescit eiusdem calor, vt humor ipse veluti vri videatur: *quartò* vero marcidus redditur humorum calor, & viribus infirmis, veluti deficiente proprio humido deuincitur: *quintò* putredinosus redditur prædictus calor ex longè diuersa humorum alteratione, quam patitur ab omnibus nuper adductis, humido calorem superante: *vltimò* vero pestilens, & contagiosus redditur humorū calor, principium præstans febribus pestilentibus, & malignis. His præmissis, quæ magni sunt momenti curaturo febres putridas, necessum est, cuiusque scorsum meminisse, vt constet qualis naturæ febrium humoralium sint febres, quæ ex vnoquoque principium sortiuntur: sic profectò & cuiusque cognitio, & præsagiendi ratio, atque medendi via clariores vnicuiq; sese offerent.

I. *Calor adauctus pr. nat. in humorib. citra putredinem febres efficit ephemeras plurium dierum de cōtinentium genere.*

Circa horum calorum primum sciendum est, humores, quos antea *naturales* appellauimus, & maximè sanguinem, aut crudum aliquem succū posse excalfieri citra vllam putredinis labem, quo tempore si cordis aliqua substantia, maximè spirituosa ponatur in calfacto esse, *ephemera* succrescit *febris*, plurium dierum nuncupata: quæ sanè de genere est humoralium, earum præsertim, quæ continentes citra putredinem dicuntur: quas omnes Galen. iure optimo à consortio putridarum ablegauit, reduxitque ad spurias, & illegitimas ephemeras. Hæc sanè caloris alteratio tantum fit calore præter naturam humoribus succrescente citra aliud vitium: quippe incalescentia hæc nullam in calorem natiuum rei, quæ alteratur, neque in eius substantiam infert sensibilem iacturā, sed ex calore illo cor, & corpus amplius incalescūt, & cum humorum substantia incolumis existat, etiamsi cordi communicet suum calorem, vt plurimum prædicta ephemerarum sors succrescit.

II. *Calor pr. nat. qui humores solum efferuescere facit, febres efficit humorales. Febres humorales vnde. Calor secūdus qd à primo differat.*

Secunda caloris conditio maioris est efficaciæ, vt quæ non solum ad calorem humores omnes mouere nata sit, sed eo peruenit, vt etiam in feruorem agat. Quippe is calor exagitat, mouet, & in feruorem mutat, ac ebullitionem prædictos humores, & omnes etiam alios. Quo sanè tempore febres quoque fieri *humorales* censemus, cæterum reducibiles ad genus putridarum, quales multorum decreto sunt nonnullæ ex tertianis exquisitis: itē aliæ quæ ex sanguine fiunt, dum ipse adeo efferuescit, vt eius subtile vertatur in flauam bilem, & crassum in melancholiam: quæ sanè febrium generatio, censenda non est per putredinem fieri, sed solum per sanguinis efferuescentiam, in qua non fit febris ephemera, sed ea quæ ob mutationem sanguinis in aliam substantiam putridarum generi adstricta sit, licet putrida reuera non existat. Differunt etiam is calor, & eius actio à præcedēti calore, peculiari eiusdem actione, quia in hoc non est sola humorum alteratio, sed adeo crescit eius actiuitas, & efficacia, vt substantiam quoque humorum dissipari, & corrumpi aliquo modo contingat: quia calor ille primus solum ad maiorem intensionem calorem agit: hic vero potius calorem præexistentem depopulatur, & conterit, ac substantiæ tenuiorem partem dissipat, media efferuescentia, quam molitur.

III. *Calor vrens si spiritus ado*

Hos sanè calores (*quos tanquam præludium sumit*) tertius sequitur vrens quidam calor, qui dum siccam corporis substantiam, & spirituosam adoriur, febres concitat *ephemeras*, quas *legitimas* esse procul

ritur efficit legitimā: si humores ardentem.

dubio arbitramur: ea enim est vstionis propria, & peculiaris conditio, vt non nisi siccorum *velut spiritus sunt*) genuina sit passio. Cum hoc tamen largè sumpto huius vocis significato. Humores etiam comburi, omnis medicorum schola citra controuersiam fatetur, nimirum cùm adeo efferuescunt, & præ calore ebulliunt, vt non solùm aliquid eorum resoluatur, & euanescat, verum & sensibiliter corrumpatur mutetur que in alienam naturam: sicut dum ex flaua bile per efferuescentiam fit vitellina, quam nos & medici omnes per vstionem fieri concedimus, aut hæc in viridem, vel æruginosam, & atram. Quam sanè mutationem nulli est dubium per efferuescentiam fieri,

Calor pri. efferuescens differt ab vrente.

eam tamen *vstionem* appellamus, ad differentiam secundi caloris, quod ille quantumuis humores in efferuescentiam ducat, eos tamen in alienam naturā non mutat sanguine excepto: hic vero quem *vstiuum* appellamus, more putredinosi caloris substantiam eorum mutat in alienam naturam, & conditionem (*vt dictum est.*) Cuius sanè conditionis censemus esse febres quarum Galen. meminit 10. *method.* scribēs cuidam iuueni contigisse, qui cum æstate media laboribus defatigatus, ira, vigilia, curisque consumptus extitisset, febre correptus fuit biliosa, quam ex accidentibus facilè venamur ex huiusmodi efferuescentia, & vstione potius, quam ex putredine ortum duxisse: cum citra euidentem plenitudinem, qua iuuenem illum carere certum erat, vel humorum crassitie, sed solum æstuantissima caussa accedente, febricitauerit homo ob feruorem adeo intensum, qui flauam bilem naturalem, & parcam in vitellinam, aut grauiorem forsan mutauit, corruptione facta serosæ, & tenuioris eius partis. Itaque vera efferuescentia ea iure

Efferuescentia vera quæ.

optimo censenda est, in qua aliquid humoris euanescit, manente tamen humore sub propria forma: efferuescentia vero quæ per resolutionem tenuioris partis, & efferuescentiam vlteriorem in aliam naturam

Vstio qd.

humorem mutat, *Vstio* more medico nuncupanda est: siquidem vera vstio ab Aristot. appellata, siccorum potius passio quam humorum habenda sit. Nec turbet nostram sententiam, esse quandam bilis speciem, quam *zinariam*, Barbari medici appellant, cui

Zinaria bilis quæ.

maximam siccitatem ob impensam vstionem tribuunt: nam ne hæc quidem sine humiditate, & fluiditate est: vnde constat *zinariam*, quæ eadem est cū æruginosa, non omnino sortiri conditionem rerum, quæ vstionem propriè pati possunt, sed solum ab ingenti calore maximam efferuescentiam, qua perdūt, & deponunt natiuam, familiarem, ac nobis amicam humiditatem: qua deposita vri quidem possunt, ni antea animal ab eodem calore interijsset. Itaque flaua

Efferuescere qui humores possint.

bilis, vt quæ ad maiorem calorem facilius moueatur, velut serosa humorum substantia, (*nam reliqui humores promptius putrescunt, quod eorum calor ex ambiente imbecillitetur prius quam substantia efferuescat*) frequentius efferuescere solent, præsertim æstiuo tempore, & præhabitis dispositionibus quas de iuuene illo retulerat Galen. 10. *method.* Quarum sanè defectu frequentius conspicimus bilem putrefieri, quia raro quę ad efferuescentiam necessaria sunt, coniunguntur, & in vnum coeunt. Ichores tamen, & acres, ac biliosas humiditates, *vt ex Hippoc. 4. acut. euidenter constat*, nō raro efferuescere conspicimus, & à tenuibus venis trahi, febrem ardentissimam facturas: quo tempore, aut protinus ex loci mutatione putrescunt, aut in vasis maiorem concipiunt feruorem.

IV. Calor quot modis fiat marcidus

Sequitur iam quarta caloris prĕter naturam conditio, quæ *marcidum* reddit cuiusuis humoris innatum calorem. Marcidus vero efficitur calor vno è duobus modis: *Primo* in partibus solidis nostri corporis, cuius marcore *febris hectica* succrescit: quippe defectu proprij humidi facto ab eodem calore præter naturam reddito, ipsemet calor marcescit, & tabidus A efficitur ob deperditionem sui, & proprij etiam humidi: Alio vero in humoribus, dum humidi extranei efficacia imbecillior efficitur cuiusque humoris calor, & à proprio, & extraneo humido simul veluti deuincitur, marcescit, & impotens efficitur: via quidē & præludium putredinis ipsius humoris, & caussa potissima prauissimæ dispositionis, quæ minatur casum in febrem impensè putridam. Quo sanè tempore mirum non est, hominem febribus quibusdam lentis, atque prauissimis premi, quas potius ex hoc marcido calore ab humidi copia contracto, quam ex putredinoso oriri est arbitrandum. Est tamen differentia inter marcidum calorem partium solidarum, & humorum pulchra, & magni momenti ad curationem vtriusque, & veram eius, qui est in humoribus cogni- B tionem: quippe in solidis membris marcescit calor ob humidi defectum, quòd ipsemet calor extraneus factus depopulatur, & consterit: in humoribus vero ob humidi abundantiam, abundat enim, quia non regulatur probe à proprio calore extraneo facto, & ob alieni humidi abundantiam; & ob id disponitur ad prædictam perniciosam putredinem sic affectus humor, ni diligenter præueniatur.

Marcidus calor partium solidarum, et humorum quid differat.

V. Caloris putredinosi ratio.

Caloris præter naturam quinta, communiorque conditio est, qua non solum humores incalescunt vtcunque, sed adeo prauo, & putredinoso calore affliciuntur, vt eo tendat calor ipse, quo corrumpantur, & omnis eorum mixtio, miscibilibus manentibus dis- C soluatur: quem sanè caloris effectum putredinem appellamus, & ipsum *calorem putredinosum*. Cuius natura vt exactè constet, signis distinguenda est, non solum à memoratis calorum conditionibus, verum etiam à quauis alia alteratione ex his, quas scimus calorem naturalem posse pati. Quippe *differunt putredo, & putredinosus calor à prima caloris specie, seu alteratione*, quod in illa solum caliditas aduenoiens accedat citra caloris naturalis humorum quibus succrescit sensibile damnum: nulla etiam læsione in eorundem substantiam illata: in putredinoso vero calore innatus calor primum, & maximè patitur, & humoris substantia ex consequenti quàm paucissimum videtur susceptare beneficium, & gubernationē à pro- D prio calore. Differt etiam putredo ab efferuescentia, quod in hac calor extrinsecus agens, & calorē, & humidum pariter dissipat, in putredine vero calor naturalis humorum infirmatur ab extraneo, & ab intrinseco separatur humidum à sicco, vtrumque manēs: quod in efferuescentia non contingit, vbi licet maneant tenues, & crassæ partes separatæ, vt in putredine, non tamen sunt partes elementales, & mistionis, sed partes componentes massam sanguinatiam. Pari etiam ratione *dissidet ab efferuescentia*, quā *vstionem* appellauimus, quia in hac vniuersum humidū quod separatur vi caloris per insensilem halitum euanescit & si quid eius adhuc superest, id est in intimis rei quę vritur partibus: in putredine vero humiditas quæ se- E paratur, manet quidem, cæterum in extimis: quod factum esse censeo, quia calor exurens, & feruidus vstioni est proficuus, lentior vero & imbecillior putredini. Denique differunt, quia putrefactio fit cum excessu vtriusque principij, formalis nimirum, & materialis ad interitum naturaliter perducente: combustio autem cum excessu tantum formalis principij, & cū humidi defectu (vt dictum est) adeo vt iure optimo dictum sit Aristoteli, putredinem naturalem esse corruptionem, vstionem vero violentam. Differunt prætérea, quia putredo raro, aut nusquam fit citra prohibitam ventilationem, vstio vero citra ipsam necessario. *Insuper putredo differt à marcido calore*, quoniam putredo humidi natiui interminationem effusionemque ab ambiente calore effectam declarat: marcor vero calidi extraneationem ob humidi extranei superantis dominium, dum in humoribus marcidus

Putredo quid differat à calore putredinoso.

Ab efferuescentia.

Ab vstione.

A marcido calore.

calor

calor consideratur: nam in partibus solidis marcidus tabidusque calor consideratus calidi per humidi proprij consumptionem, defectum, & languorem cõnotat. Qualiter autem putridus calor à pestilenti calore dissideat, leges *lib. 7. de pest. feb. nat. & cond.* interim tamen eius naturam breuiter explicabo.

A pestilẽti calore.

VI. Conditio caloris præter naturam vltima, & sexta constituit *calorem pestilentem* cunctis grauiorem, & perniciosiorem. Cuius naturam latius sum monstraturus loco nuper citato: hac tamen in parte sufficiat scire, pestilentem calorem esse eum, cui omnes reliquorum calorum conditiones simul iunctæ insunt, & in vnum coeunt. Namque calor hic materiam sibi subditam calfacit, in feruorem agit, vrit, ac simul fœda putredine conspurcat: quibus euidentissimè constat longissimis interuallis ab omnibus alijs differre.

Calor pestilẽs qui.

Quum vniuersa curandi febres putridas ratio, & methodus prodeat proculdubio ex cognitione, & integra notitia eius, & caussarum, quibus concitatur (*cum contrarijs prorsus ipsam nitatur ars euertere*) necessum est profectò, paulo diligentius eius conditionem, atque differentias inuestigare. In qua quidem disputatione præmittendum est, nulla alia ratione, aut via priuationem distinctius posse cognosci, quã habita prius proprij habitus exacta notitia: sic quidem cum generatio, & mixtio transitus sint ad esse, putrefactio, & corruptio ad non esse, reduci facilè possunt clarioris doctrinæ gratia ad habitum, & priuationem. Ita enim cogemur mixtionis principia, & modum summa quadam complecti, quo facilior eua dat putredinis, quæ huic mixtorum generationi opponitur, naturæ cognitio. Constat enim ex Aristot. 2. *de generat.* mixta omnia per mixtionem solum generari, & eam nil aliud esse, quam mistibilium alteratorum vnionem: adeo vt vniuersa ratio, & natura eorum sita sit in vnione eorum, quæ mutuo alterantur, & miscentur, vt generari mixtum possit. Ex quo euidenter constat, mixta, quatenus talia sunt, nullam aliam formam sortiri quam vnionem. Cuius sanè formæ introducendæ gratia, primo, & per se mistibilia humida esse oportet: quod tanquam potissimum in mixtione prærequiritur, licet non sufficiat, in siccum succrescat, quod est secundum miscibilium elementum. Quod sanè frustra in mixtionem conscenderet, nisi præfuisset humidum: nam tunc mixtioné fieri scribit Aristot. 1. & 2. *de generat.* dum siccum humido miscetur, quia hoc terminabile est alieno termino, illud vero stabilitatem præbet: erat enim opus mistibilia in loco recipi, figurari, & permanere sic. Sed ne hæc quidem sola satis ad mixtionem esse possunt, quia tantum nata sunt materiam mixtioni præstare, ni aliquod agens ea mutuo miscens, frangens, discindens, & veluti in mixtione perficiens accedat, & sese quoque reliquis immisceat. Quod proculdubio calidum esse constat, quod licet elementa per se non possit ad mixtionem euocare, potens tamen est euocata miscere, vnire, & vnionem continere. Cum hoc tamen, ne ea quidem sufficerent, nisi frigidũ insuper accederet, calori modum imponens, iuxta mixti futuram conditionem, & naturam. Itaque humidum, & siccum tanquam materia mixtionis præstantur, ita vt ab humido mixtum habeat cõtinuitatem, à sicco consistentiam, à calido formam, mensurã vero & modum à frigido: siquidem non à quouis calore, neque à quouis etiam eiusmodi fieri potest mixtio, sed à mensurato, & determinato, ac diffinito, cui quidem modum, & determinationem ponit frigiditas. Denique mixtio fit, & mixti generatio (*quæ tantum est vera mistibilium vnio*) tanquam à proxima caussa, à calore, qui insitus, vel innatus, seu naturalis dicitur. Sed in re hac non leuis sese nobis offert dubitãdi ratio: nimirum, *quanam ratione vnionis vinculũ perfe-*

Putredinis natura, & differentia.

Mixtio quid.

Mixta quatenus talia, quã sortiãtur formam.

Ad mixtioné quæ requirantur.

Mixtum quid ab humido calido siccofrigido habeat.

Mixtio fit à calore.

Calor qua ratione

A *ctionem, & auctorem calorem esse arbitramur, & omnes Philosophi censent, adeo, vt eo dissoluto, aut imbecilliori facto, omnis mixtio dissoluatur, & in interitũ, & vltimã corruptionem migret, si caloris munus, natura, & conditio tantum est congregare homogenea, & quæ heterogenea sunt, & diuersæ rationis, disgregare, & seiũgere vt putredinosus calor apertè monstrat, cuius munus est, humidum à sicco separare: & cum elemẽta sint longissimis internallis diffidentia, heterogenea, & cõtraria, incredibile videtur profectò, posse caloris beneficio coniungi, & vniri, cum id calor non possit, & contrariũ necessariò, & ex propria natura exsequatur. Quapropter videtur potius vnionis munus fore tribuendum frigori, cuius conditio est heterogenea in vnũ cogere, atq; vnire.*

sit vnionis vinculum, non vero frigus.

B Cuius dubitationis gratia præmittendum est, mixtiones multis modis fieri posse: vno quidem ex primis communissimisque omnium rerum elementis: aliquando ex secundis, idque tertia, atque quarta mistibilium vnione. Metalla enim ex primis fieri plerumque contingit, at mixtiones imperfectorum animaliũ ex terræ putredine: perfectorum ex semine, & sanguine, atque carne, & ossibus, & humoribus. Sic enim quædam mixtiones fiunt ab vniuersali caussa, & rursus quædam à particulari, quæ sibi simile efficere nititur. Dubium tamen præbabitum circa omnes mixtionis sortes quærit enodationem. In prima enim, quæ ex primis elementis fit, citra controuersiam statuendum est, elementa (*quod non habeant intrinsecam,*

Mixtiones multis modis fiunt.

C *& naturalem repugnantium admixtionem*) ad eã moueri, motu, & virtute cœlorum, mediante qualitate quadam cœlesti, in qua veluti in quodam seminario est vis generatiua mixtorum omnium, deducta à corporibus cœlestibus: qua quidem veluti quadam arte deriuata dispensantur elementa in mistorum generatione. Coeunt enim in vnum locum prædicta elemẽta vbique pro qualitate materiæ, & loci, eorumq; partes maiores minoresve, atque ibidem impuratæ alteratione ad inuicem facta componuntur. Præmittendum secundo, triplices esse calores, quibus commissum est hoc insigne opus perficere: primus sanè est calor elementalis, cui tantum munus est, mistibilia omnia, quæ iam in vnum locum conscenderunt, ra-

Calor mixtioné perficiens triplex.

D riora tenuioraque efficere: dispositio vero necessaria ad mixtionem efficiendam. Verum quia hac sola dispositione, & caloris actione mixtionem fieri erat impossibile, præstitit cœlum igni (*qui veluti organum est primum prædicti muneris*) cœlestem illam qualitaté, in ipsumque impressit, vt auctor fieret, figulus, & architectus illius, quam nulli alteri elementorum præstitisse decuit: quippe igni erat magis familiaris, ob similitudinem quam habet cum cœli natura, & conditionibus: nam hic reliqua elementa dignitate, puritate, actiuitate, & longè minore corruptibilitate superat: quibus sanè dotibus cœlesti naturæ quodammodo assimilatur, & promptioris, atque efficacioris

Calor congregat heterogenea non vt igneus, sed vt temperatus, & cęlesti virtute adiutus.

E efficitur conditionis: ob idque sanè cœlum in ipsum suam vim impressit, & illi producturam qualitatem communicauit. Qua sanè cœlesti qualitate ignis calor perfectior factus suas vires egrediens, elemẽta quę tenuauerat, aduersus propriam conditionem (*siquidem antea tantum tenuandi, atque liquefaciendi vires sortiebatur*) miscet ad inuicem, & iungit, continuans perficiensque inceptum à cœlo mixtionis morũ, virtute cœlestis qualitatis sibi huic muneri exsequendo præstita. In quo sanè opere cum omnia vicissim vicerint, victaque sint, etiam ad inuicem contemperata, calor ipse euadit diues virtute cœlesti, temperatus vero & remissus viribus proprijs, ob coactionem, & contrarietatem frigidi elementi, qua temperie suscepta simul cum tepore cœlestis qualitatis, sic mixta elementa concoquit, & coctione, quod antea (*vt purum elementum*) tenuauerat, nunc vero naturalis factus, incrassat, cogit, densat, coagulatque eò vsque,

donec coquendo deuentum sit ad perfectionem, & vnionem formæ introducendæ aptam; qualis naturæ est temperies, seu complexio, quæ aptum existit instrumentum formæ mixti. Cui sanè temperamento, ac reliquis mixtionis elementis, qualitas illa cœlestis, quæ primo recepta fuit in calido proprio, seu in parte ignea communis efficitur. Qua profectò ratione calorem vocamus potius naturalem quam reliquas mixtionis qualitates: & ob id etiam illi potius ob propriam naturam, & peculiares actiones tribuimus mixtionis efficientiam, atque dignitatem. Itaque calor vt igneus est, elementa tenuat; vt cœlesti qualitate fruitur, miscet; & vt à frigido est attemperatus coquendo vnit: vnio autem est vltima perfectio mixti (*vt mixtum est*) quo tempore succrescit forma substantialis, quæ prædictam vnionem tuetur medio temperamento, & calore ex prædictis actionibus in mixto contracto. Quo fit, vt actio hæc, qua mixtio fit, & continetur, temperati caloris munus sit; quo tā quam immediato instrumento vniuntur mistibilia, & à forma mixti vnita continentur: quibus videtur dubitationi esse satisfactum. Quæ sanè omnia natura temperat insita diuina arte, quam intellectus humanus ad vnguem attingere nequit, sed generali quadam motione mira hæc naturæ opera scrutatur, & agnoscit.

Calor vt igneus est elementū tenuat, vt cœlesti qualitate frui tur, miscet vt à frigido attemperatur coquendo vnit.

Sed dubitabit vlterius forsan aliquis, *sitne eadem huius operis ratio, dum mixtum fit ab elementis, nō prima mixtione, sed secunda, aut tertia, quarta ve compositione ex materijs, seu humoribus mistilibus vicem elementorum gerentibus*. Cui profectò respōdendum est, idem propemodum dicendum esse, nam vicem ignis sortitur corpus igneum, quod propriam temperiem habuerit accommodatam mixto generando, velut sanguis est, aut semen: & vicem terræ, & aquæ, corpus mixtum crassius, atque vicem aeris corpus aereū, quorum naturam referunt, & sortiuntur animalium humores. Quæ sanè omnia vicissim agent patienturque, & fiet ex illis mixtum, vi generantis impressa in parte elemento ignis respondenti, vtpote quod calore medio hanc mixtionem, haud secus quam cœlestis vis igni impressa efficere teneatur. Quo fit, vt à mira viuentium generatio contineat opera, ex hoc nimirum calore cœlesti, tempore, & qualitate insignito, atque frigidi occursu, & miscella frænato, nec non generantis etiam præstita impressaque vi generatiua spirituum omnium adminiculo. Qua sanè caloris sorte in animalium corporibus mixtiones fieri coctione media, atque mistibilia, seu humores coagulari euidentissimum est: quippe hæc per coagulationem à calido factam vniuntur. Nam cum certum sit, coagulationem fieri duobus modis, à frigido nimirum per se, compressis, & vnitis partibus humidis cū siccis, vel ex accidenti euaporata, atque expressa parte humida, & vaporosa, & hatum nulla verā efficiat viuentium mixtionem: superest à calido etiam fieri necessario debere. Verum cum à calido etiam duobus modis fiat: vno à calido sicco inducendo siccitatem, & firmitudinem: alio componendo partes aqueas, aereasve & humidas cum terrestribus, necnon & resoluendo partes aqueas in vaporem, fit profectò, vt hoc vltimo modo mixtionem vnionemque fieri certissimum sit: quia hæc caloris actio vera propriaque existit coctio qua omnia crassantur coguntur que, & ad vnam formam reducuntur, quæ temperies in mixtione est, & complexio quæ resultat ex prædicti caloris actione, & eodem etiam conseruatur. Exemplo profectò est putrefactio, qua vitiato calore mixtio dissoluitur, putrescitque mixtum.

Dubium. Mixtionis ratio vniuersa calori tributa.

Coagulatio fit duobus modis.

Ex qua sanè doctrina dubium alicui videri potest, *si vniuersa mixtionis ratio calori tributa est, necessario eiusdem corruptionem frigori esse referendam*: nā contrariorum contrariæ videntur esse caussæ. Verum si

Dubium. Calori nō solū mixtio, sed &

A quis rem hanc diligentius pensitet, reperiet, calori corruptionem necessario tribuendam esse omnis corruptionis mixtorum per putredinem culpam. Primo, *quia non minus illi cōtrariatur calor extraneus quam frigiditas*, & probatur, *quia medio, vt calor innatus est, æquè contrariatur extrema, sed calidum præter naturam, nō minus habet vicem extremi, quam frigiditas, quia æquè recedit à moderato*, ergo pari mensura erit illi cōtrarius. Secundo, *quia eius cuius est aliquid facere, dum est secundum naturam, eius erit non efficere, aut praue facere, dum præter naturam fuerit, sed calore naturali conseruatur vnio*, ergo *à calore præter naturam dissipabitur*. Ratio quidem ex principijs naturæ prodit, *nam calor ignis in principio mixtionis antequam frigidi actione*

corruptio tribuēda. Solutio.

B *temperaretur, solum nitebatur dissoluere, & separare, temperatus vero, & mitior factus concoquere*: ergo *si iterum ad eandem intemperantiam redierit, vt cum calor extraneus illi accedit; necessario ad antiquum opus se conuertet: illud tamen erat dissoluere, & separare*, ergo potius à calore quam à frigore *prædictam mixti dissolutionem per putredinem fieri, e rit arbitrandum*. Et confirmatur, *quia media frigiditate putredinem cohibemus, atque compescimus, calore nimirum temperationi facto*. Quapropter arbitror, merito putredinem appellatam fuisse cruditatem, quod ab excedenti calore fiat, qui moderatum coctionis auctorem vitiet: & contrarium coctioni actum, hoc est, dissolutionem humidi à sicco exsequatur. Ex quibus iam

Putredo cur cruditas appellata.

C constare arbitror (*& etiam ex Aristotele constat 4. meteororū*) putredinem contrariam esse generationi mixti: quippe constat, ipsam esse communem, naturalemque passionem, ex formæ nimirum priuatione corruptionis absolutæ complementum. Et sicut mistionis perfectio, & opus calori secundum naturam iure optimo tribuitur, ita profectò, cum similis sit oppositorum ratio, putrefactionis principiū eiusdem caloris imbecillitati, aut vitio referri debet: nam sicut concoctio, & transmutatio à natiuo calore facta, via est, ob caloris victoriam, ad mixtionem, & vnionem eorum, quæ miscentur: ita & putrefactio fit hoc calore ab extraneo deuicto, nequeūte amplius continere, quæ antea mixta erant, &

Putredo contraria generatio ni mixti.

D vnita.

Incumbit profectò, vt clarior euadat prædicta doctrina, docere, dupliciter Aristot. diffinijsse putredinem, idque iuxta primam considerationem, & peculiarem indigentiam. Vno modo putredinem statuit *esse naturalem corruptionem, & interitum mixti*: quod censeo dixisse, quia putredo summè est contraria generationi mixti, siquidem alterum est commune principium, & opus naturale, nimirum mixtio: alterum vero vt finis, & communis passio, hoc est putredo. Nec mirandum profectò est, putredinem per *corruptionem* diffiniri: nam licet generatio, & corruptio opposita sint, oppositiora quidem, & maximè contraria esse generationem, & putredinem censeo,

Putredo quid. 1.

E quia maximè extrema sunt. Cuius ratione arbitror Aristotelem dixisse, *putredinem, non mixtorum naturalem corruptionem, sed corruptionis terminum, ac finem esse, eorum saltem, quæ vita orbantur*, nam viuentia per putredinem non corrumpuntur naturaliter, sed per siccitatem, quæ sanè siccitas via est post mortem ad putredinem. Habet tamen hoc peculiare id verbum *corruptio*, quod commune fit ad viuentium, & non viuenoum interitum: quo fit, vt cuiuis generationi ex opposito assistat, siue per mixtionem fiat, cuius forma est vnio, & tunc dicitur corruptionis complementum, seu terminus *putredoque* nuncupata: siue per formam perfectiorem cuiuslis entis fiat generatio, quo tempore simpliciter dicitur *corruptio*. At putredo tantum opponitur generationi, ei nimirum quæ mixtis propria existit, quibus interitus, & corruptio per putredinem propria est: vt probat

bat verbum Arist. *putredinem videlicet esse terminũ, & finem corruptionis:* quia omnia etiam viuentia vltimam post mortem adipiscuntur corruptionem per putredinem. Quod etiam probati potest, *nam genera tionis multa sunt agentia, & plures subsunt caussarum genera, & ob id plures corruptionis modi: at mixtionis vnica solum, caloris nimirum secundum naturam actio, & vnicus subinde corruptionis modus, videlicet putrefactio, vt vnica etiã reductionis via, & medela, coctio nimirum*, de qua à Gal. dictum est, *posse putredinẽ compescere, siquidem sola nata fuit mixtionem fabrefacere.*

II. *Putrefactio quid.* Secundo insuper modo definitur ab Aristot. non quidem putredo *(vt prima diffinitio statuit)* sed putrefactio, seu via ad putredinem: nã putredo corruptionis mixti est vltimum complementum, (vt dictũ est.) B At putrefactio quæ via est in prædictum corruptionis complementum, aliter definitur ab eodem Aristot. nimirum, est *corruptio proprij, & innati caloris in vnoquoque humido ab aliena caliditate:* Quas sanè diffinitiones adeo diuersis terminis scriptas exposuisse arbitror, vt constet ex prima, qualis naturæ, & qualis etiam finis sit putredo ipsa, siquidem desinit in vltimum ipsius mixti interitum: ex secunda vero, vt subsit, & innotescat via, modus, & caussa, quibus putredo efficitur, omnium proprio mixti calore corrupto, idq; ab aliena caliditate. Quod etiam arbitror Arist. fecisse, vt doceret, in termino, & fine putredinis, nullam subesse reductionis, seu beneficij occasionem, in putrefactione vero reductionis, & correctionis locũ C adesse, cum non sit omnium quæ in mixto sunt corruptio. Inquit enim, *putredo est corruptio innati* (non totius compositi) *proprijque in vnoquoque humido* (nõ in sicco) *caloris* (non frigiditatis) *ab aliena caliditate*, (vt secluderet mortem naturalem, quæ à proprio, & innato fit calore.) Hæc autem ambientis est, vt constet, quæ calore proprio vacant, hac putredine corrũpi non posse, sed totali corruptione, vt in cadauere cõtingit, ex proprijs, & naturalibus principijs. Quo fit, vt cum putrescit, obstructione, aut prohibita ventilatione opus non habeat, sed solum vincentibus frigidis, & humidis elementis: quæ sanè putredinis ratio sub prima diffinitione comprehenditur, & eam inhibere difficile est, ni corpus nimirum exiccaueris. At D in putredine secundæ diffinitionis, facilè est cognitionis eius caussis modum, & terminum ponere, qualẽ profectò coctionem præstare quotidie conspicimus. In quo sanè sensu censeo Gal. dixisse: *Coctio est quæ facit cessare putredinem manente substantia.* Ex quo

Putredo & putrefactio qd differant. constat, in putrefactione non omnino omnem substantiam corrumpi, in putredine vero omnem, & omnino: item in hac compescitur putredinosus motus, sola caloris ad antiquum statum reductione, quia in sola eiusdem caloris corruptione sita erat omnis eius natura: in illa vero corrumpitur calor, & etiam perijt ferre ex toto siccitas: quo fit, vt si velis cadauer tueri à putredine, id tenearis siccissimis, nec non & calidissimis efficere præsidijs, sicut in putrefactione E ijs solum quæ proprium calorem ad antiquum statũ reducant. Tandem eadem docendi methodo vsus est Arist. qua coctionem, & miscibilium vnionẽ considerate docuit, nam coctionem dixit perfectionem esse à propria, & innata caliditate ex oppositis passiuis, cuius terminus est miscibilium alteratorũ vnio: via autem in vnionem mixtione efficitur, quæ perfectio est à calore præstita. Pari prorsus ratione putredo terminus est interitus, atque finis mixti: via vero & motus putrefactio, quæ ex corruptione innatæ caliditatis efficitur: quo fit, vt arbitrandum sit, Aristot. has duas putredinis rationes distinxisse, vt seiungeret putredinem quæ accidit viuentibus corporibus, ab ea, quæ succescit vita orbatis, siue natura, siue morte talia sint: nam in his putredo est vltimũ corruptionis complementum, vt in cadauere contingit, &

A id euenit vincente frigiditate calorem à se, aut ab ambiente proprium rei, quæ putrescit calorem dissipante citra vllam obstructionis indigentiam: quo fit, vt talia mixta citius in calidis locis putrescant. At viuentium corpora putrefieri nequeunt citra prohibitam ventilationem, & caloris innati à calido externo corruptionem, *vt antea dictum est*. De qua sanè putrefactione, quæ via est, & motus, non vero de putredinẽ, quæ terminus est, & finis, nostra disceptatio hæc in parte intelligenda venit.

Complectitur etiam putrefactio hæc, quam secundo loco vt viam diffiniuit Arist. eam alterationem, seu passionem, quam humores perpetiuntur à calore præter naturam, dum febres succendunt: nam cum dictum sit, calorem cuiusque rei naturalem non solũ ipsam perfecisse coctione, sed etiam eandem tueri, & moderari: sic dum ipsemet calor vitiatur, & corrumpitur, protinus humores in corruptionem aguntur, mediante putrefactione, quæ corruptio est caloris, qui ipsos tuebatur. Cum enim calor cuiuscunque rei proprius ab extraneo calore vitiatur, aut ipse *(deficiente natiua attemperatione)* intensior efficitur, more ignis dissipare, ac seiungere iam dictorum studet, & hoc est putrefacere. Potest autem ab alieno, & extraneo calore bifariam superari, & extingui proprius cuiusque rei calor: *Vno* quidem, dum adeo illum superat, vt humidum cui subijciunt, etiam consumat, cõmuteturque in sui substantiam, quo consumpto simul, & calor extinguitur: quam caloris actionem *combustionem* antea appellauimus. *Interdum* vero nõ ita subito, & affatim, ac violenter ipsum innatũ calorẽ externus superat, vt eius humidũ dissipet, sed paulatim extra euocat, educit, dissoluitque vt proprium humidum deserens à sicco seiungatur, *(siquidem vi caloris ambo in mixtione continebantur)*. & loco innati externus viget, & calfaciendo extra naturæ modum dissipat, donec in totum ambo pereant, & tunc *putredo* verè dicitur: argumento est humiditas, quæ externis, quę putrescunt inundant, quod vstis non accidit. Ab intrinseco, & ex proprijs principijs seipsum perdit, & præter naturam efficitur idemmet calor innatus, duobus etiam modis: *Vno* naturaliter, cum ex diutina ipsius actione humidum, & vna cum ipso idemmet calor absumitur, qualiter senibus accidere scimus naturaliter, sed hanc impropriè putredinem appellarunt, cum potius corruptio naturalis per siccitatem dicenda sit: *Altero* vero, quando calor natiuus in alienum & extraneum conuertitur, *(violenter tamẽ licet à caussis internis prodeat, ita vt ea ratione corruptio naturalis ab Arist. iure optimo dici mereatur)* qui sanè sicut dũ naturalis erat, mixtionis, & conseruationis erat auctor; ita cum transit in alienum, & præter naturam, corrumpit, putrefacit, & dissoluit mixtionem. Degenerat autem in alienum cum excedit limites proprij, & naturalis temperamenti rei, cuius est calor: atque huius excessus etsi multæ possint referri caussæ, hæc tamen prima, & præcipua est, nimirum, *ventilationis*, quæ fit ab aere frigido, *priuatio*, cuius occasione cum non euentetur calor, atque compescatur, crescit, & intensior efficitur, ob prohibitum calidorum vaporũ, aut vstulaginum effluxũ: quo fit, vt protinus proprios limites egrediatur. Sunt tamen huius deperditæ euentationis propriæ caussæ obstructiones viscerum, atq; vasorum, condensatioque cutis corporum animatorum. Quas sanè obstructiones efficiunt copiosi, aut crassi humores.

Verum ne videar hæc omnia frustra, & inutiliter dixisse, oportebit profectò ea reducere aptareque ad modum, quo humores febrem succendentes intro, aut extra venas putrescunt. Sciendum itaque est, humores nostri corporis, & fieri, & secundum naturam conseruari à proprio cuiusque alimenti, aut humoris calore, & ab insito, & earum mẽbrorũ, vbi vel confi

Putredinis humorum ratio & differentia.

Calor proprius quot modis superetur ab alieno calore.

Putrefactionis humorum in animalibus præcipua caussa est prohibita ventilatio.

Humores febrẽ succendentes intro, quomodo putrescãt.

ficiuntur, vel ad vitæ vsus asseruantur, adeo vt, quod- A cunq; ex his deficiat, protinus humores vitientur, & alieni à vitæ vsibus supersint. Vitiatur autem venarum, iecoris, & solidorum membrorũ calor, ex adiectione alterius extrinseci caloris, aut ex proprio excessu, commoda ventilatione deficiente, aut ob præstitum vitium à re contagiosa, vel dissipante, aut distrahente ipsum. At humores tunc ex proprio vitio putrescunt, cum à primæua sui constitutione caloris diminuti exstiterunt, vel vitiosam, & corruptam conditionem nacti fuere ob iecoris, ventriculi, & venarũ prauam caloris sortem: vel vltimo, ob alimentorum vitiosam naturam, & conditionem, aut ob quantitatẽ, siue rei extraneæ mixtionem, vel præposterum sumendi ordinem. Quibus omnibus apti fiunt humores ad B putredinem suscipiendam, quod in eis calor elementalis omnino prædominetur, & coctioni resistat: quo fit vt facilè putredinem subeant.

Humores qualiter intra vasa putrescant.

Superest adhuc expendendum, qualiter intra, & extra vasa humores putrefieri possint. Sed primo quãtumuis receptissimum sit, humores posse intra vasa putredinem sortiri, & mille rationibus probatum existat, non desunt inter iuniores, qui liberè ausint asserere, nullam febrem ex his, quę ex vitiatis humoribus intra vasa fiunt, posse à putredine fieri, sed omnes ab humorum efferuescentia oriri: quod si à putredine aliqua febris oriatur, lethalis omnino habenda est, & salubris, quæ ab efferuescentia prouenit. Huius autẽ sententiæ fuit Ioubertus, cuius profectò rationes nõ C videntur omnino probare suum axioma. Quia sequeretur, intermittentes esse continuis periculosiores, q̃d necessario, *vt probant eius rationes*, humores extra venas debeant putrefieri; ac ex consequenti ex præfata eius doctrina deteriores erunt. Sed eius opinionis falsitas multis rationibus probari potest. Quippe *si humores non possint intra vasa putrefieri, corrueret profecto celebratissima illa diuisio plenitudinis in eam quæ quoad vires dicitur, & eam quæ quoad vasa*. Quo fit, vt cum humores deflectunt à debito statu ob copiã, aut vitium, non minus intra vasa quam extra corrumpi possent· quod videbatur probare prima eius ratio. Item licet synceros, & impermixtos humores extra vasa existimet non putrefieri, vt probat exem- D plo tumorum præter naturam, qui suppurationem non admittunt: cum hoc tamen experimento quotidiano constat putrefieri, quia raro absoluitur quiuis humorum, dum extra venas pellitur, ab alterius humoris consortio, aut ab aliqua humiditate, quæ putredinem suscipere nata sit: quo fit, vt intra venas longè melius putrescant. Præterquam quod plus iuuat, ac præualet ad putredinem prohibita ventilatio in vasis, quam iuuet eorum vasorum beneficium ad ipsam putredinem inhibendam, quod existimat Ioubertus esse sui dogmatis firmissimum argumentum. Quapropter statuendum est, humores dum intra venas impedimento sunt ventilationi, necessario putre- E fieri: non solum omnes simul, vt in lethalibus febribus, & in continentibus verum, & vnusquisque seorsum: quia non sufficit vasorum vis ad inhibendam putredinem, ni humores ipsi debitam nacti fuerint copiam, & qualitatem, nam vbi aliquid horum prætergrediuntur, putredine recrudescunt, ad quorũ subsidium iubent auctores exuberantem copiam demere, vt natura, visque vasorum reddatur potentior supra residuum, & coctione ipsum tueatur, ac regat. Monstrat quidem huius doctrinæ veritatem quotidianus euentus, namque ex febrium idea, & excrementorum fœtore id facilè venamur: quippe illud humoris putrescentis naturam, hoc vero putredinem esse, non vstionem apertè demonstrat. Itaque statuẽdum est, febres ex efferuescentia humorum salubriores esse, verum cum hoc ex putridis tam continuis quam intermittentibus non paucas esse salubres, & cũ hoc A in plerisque continuatarum materiam non efferuescere, sed putrefieri intra venas.

An in febribus interpolatis humor extra venas putrescat.

Humores qualiter extra venas putrescant.

SEd quod maius profectò inferre dubium videtur, est nosse, *quanam ratione febres interpolatæ ab humoribus putrescentibus extra venas fieri possint.* In qua re, vt clarior euadat nostra sententia, non est mihi in animo omnium auctorum sententias recensere, sed eis prætermissis, ne videar à Galen. & Hippoc. antiqua doctrina discedere, primum eorum sententiã referam, & rationibus confirmabo, curaboque diluere B re Iuniorum rationes, quibus nituntur antiquam illam doctrinam euertere. Quo facto diligenter expendam qualiter sit intelligendum, humores putrefieri extra vasa in febribus interpolatis, & an omnino verum sit, in eisdem humores ad partes carnosas, & sentientes diffundi.

Gal. sententia de loco putredinis in febribus intermittentibus.

Circa primum communissima, atque vulgatissima est omnium medicorum sententia, *humores, vtcunque à vasis exierint, vel concrescere vt sanguis, vel putrefieri*: in quorum exitu ad prædictas partes rigores fieri, atque horrores frequentissimo experimur euentu. Sic enim Hipp. *6. aphor.* 20. scripsit: *Sanguinẽ si extra venas exierit, necessum est corrũpi, & in pus verti*: cuius rei ratio est, quod humores, qui à venis pro- C funduntur calore, & spiritu vitali destituantur. Constat enim ex Gal. *lib. de vsu pulsuum, c. 3. & de fœtus forma, c. 3.* quod vt iecur vim habet gignendi humores, ita quoque & conseruandi vndique à putredine, & reliquis vitijs, ob insitum calorem, & huic muneri à corde sibi præstitum, *vt Galen. refert 6. popul. par. 4. 25.* Quod sanè beneficium præstare etiam habet venosum genus, *vt Galeno placuit lib. 4. de vsu par. cap. 6.* Verum cum præ humorum copia, aut vitio, vel facultatis venarum, & iecoris imbecillitate, humores aliquo modo alterari, vitiari, putrefieri, aut corrumpi cęperint, naturam lacessunt, & irritant adeo, vt hęc vbi primum vitium aliquod ex numeratis persenserit, protinus ante maius malum à se pellere studeat, & ne D vniuersa humorum copiam eadem labe fœdari contingat, extra vasa incredibili diligentia fundit: in quorum sanè exitu ad partes sentientes, rigores, horrores, atque perfrigerationes concitantur, primo statim sui accessu; *vt Gal. statuerat 2. de crisibus, c. 3. & 6.* In quibus locis cum prædicto venarum beneficio humores destituantur, putrefieri necessum est: & sic eorum calor protinus intensior efficitur, & putredinosam conditionem subit, ac febrem concitat intermittentem, eo quod facilè resoluatur id, quod transmissum est ad partes sentientes, & tantundem iterum natura ad easdem transmittat, statutis, ac certis periodis, quod vel per insensilem halitum discutit, vel per sudorem expurgat.

Humores extra venas in partibus carnosis non putrefieri, Iuniores aduersus Galen. doctrinã statuunt.

E Hanc sanè sententiam, quantumuis receptissima ab Hippocr. & Galen. & reliquis auctoribus, ac mille rationibus nostro æuo confirmata fuerit, non defuit inter iuniores, qui eam studuerit euertere. Sic enim primo conatur probare, *nulla lege humores in febribus interpolatis, extra vasa posse putrefieri.* Primo quidem ex Aristot. se putat posse prædictum dogma tueri, quod statuerit, *quæ putrescunt aliquando in cinerem degenerare, aliquando vero in limum: sed in febribus tertianis, nihil post accessionem in parte relinquitur, nec per cutim expurgatur, quod limi, aut cineris naturam referat: ergo videtur rationi consonum, ibidem humores non putruisse.* Præterea videtur impossibile, *in prædictis spatijs adeo breuiter putrefieri, cum eo tempore, & loco sese magis ventilationi humores exponãt, adeo vt promptius, & commodius aeris beneficio frui possint, quã dũ in venis, et abditis corporis sedibus degebãt*

præ-

A *præterquã quod fuliginibus expellendis, promptior tum temporis natura existit. Præterea in ictero maior bilis copia funditur, & nulla sequitur putredo neque febris, ergo nec in febrium accessionibus sequetur ob putredinem. Item in tumoribus præter naturam qui ex impermixtis fiunt humoribus, vbi conclusi sunt, & coerciti humores ipsi, nulla fit suppuratio, ergo longe minus fiet putredo in partibus carnosis, maxime cum in parua quantitate ac per varias partes dispersi humores diffunduntur, ita vt præ paruissima quantitate, neque calorem partium mutent, neque in tumorem eleuent.* Ex quo videtur rationi consonum esse, conijcere, *calorem febrilem, quem in febribus interpolatis conspicimus ab efferuescentia potius quam à putredine debere concitari:* Atque hæ sunt Iuniorum rationes, quibus nituntur B probare, nullam febrem intermittentem à putredine humorum proficisci *(licet id Galenus instituerit)* sed tantum ab humorum efferuescentia contracta in ijsdem ad partes sentientes transmissis. Verum ne quis *(si velit antiquam Hippocratis & Galeni, huiusque receptam doctrinam tueri)* careat debita ac vera rationum dilutione, expendat, putredinem in partibus carnosis longe difficilius posse concitari ob loci commoditatem ad ventilationem, quàm in vasis, & reconditis corporis sedibus. Verùm cum hoc duo esse, quæ putredini obnoxios reddunt humores, in prædictas confluentes. *Primum*, quod ibidem transmissi, quieti existunt: quippe motus putredinem renuit: sunt etiam incalcati in locis sibi non na C turalibus, vbi omni naturæ subsidio destituuntur, ita vt hæc omnia simul iuncta maiorem præstent putredini apparatum, quam ventilationis commoditas, humoris paruitas, & extensio ad eam prohibendam iuuent. *Secundum* vero, & quod maioris momenti esse arbitror, est proculdubio, humores ad prædictas partes trãsmissos, principium putredinis prius contraxisse intra vasa ipsa: cuius occasione natura eos tanquam inutiles ab aliorum consortio reiecit. Quo fit, vt hoc putredinis principio iam suscepto, deinceps extra venas cum non sit, qui eos tueatur, facilime vlterius putrescant. Quibus rationibus tueri haud difficulter possumus antiquam & receptissimam Galen. de hac re opinionem, vt quisque si D velit, non discedat à tanto auctore: nam mihi in eadem re aliter sentiendum esse (saluo meliori iudicio) nunc visum est, quod iam probare aggredior.

Iuniorum rationes refutantur.

Verùm quod magis videtur in febribus intermittentibus dubitatione dignum, nõ quidem est humores posse aut non posse extra venas putrefieri: sed mihi longe difficilius videtur naturam eos posse extra venas ad sentientia loca in febrium accessionibus pellere. In qua sane dubitatione primo proponam rationes, quibus cogor asserere, nullum humorem extra venas exire, aut ad eo tenuem & paruæ quantitatis, vt leui calore euanescat & resoluatur, ita vt nequeat putredini aut febri materiam præstare. *Secundo* sta E tuam, quomodo & quo in loco fiat interpolatis febribus putredo, vt febris succrescat. *Tertio* vero studebo respõdere dubijs, quæ ex præfata doctrina suboriri possunt. Circa primam difficultatis huius partem, si quis diligẽti animo pensitet, reperiet, eam mille rationes probare, præter auctorum non parui momenti decreta: quorum vnus Fernel. ob id statuit, interpolatas febres solum fieri ex putrescentia humorum in pancreis, quod crediderit prædictam humorum transmissionem ad sentientia loca, merum esse figmentum. Quinimo arbitratur, non minus posse prædictos humores à venis profusos rigorem efficere, si ad ventrem, aut partium internarum membranas confluxerint, quam si ad sentientem carnẽ, quod omnes sensu participent. Qua ratione huius viri sententia fuit, interpolatam febrem fieri humore trans- A misso ad ventrem, & partes sibi vicinas. Neq; obstet Galen. dixisse *lib. 2. de cris. cap. 3. & 6.* tertianam febrem fieri delata flaua bile per sentientia corporis membra; & ardentem intra vasa putrescentẽ: nam censeo maturiori consilio ductum, *lib. 2. de diff. febr.* sententiam mutasse, atque statuisse non solum per partes sentientes delato humore, sed vbicumque putruerit in quouis membro, dum in vasis non fiat penitioribus, interpolatam fieri. Probat id etiam exemplo membri transmittentis & recipientis, nec non membri imbecillis ac nequeuntis conficere sibi cõmissum alimentum, aut reijcere proprium excrementum: nam id profecto periodicationis febrium caussam esse antea diximus. Itaque adeo varius apparuit B Galen. in enodanda huiusmodi difficultate, vt iure optimo, citra eius iniuriam, possit quisque veriorem sententiam indagare & tueri: maxime cum rationibus probabilibus id confirmare possit.

Auctoris sententia de missione humorũ extra vasa in interpolatis febribus.

Gal. accusatur varietatis.

Nam videtur omnino creditu difficile, *crassissimã melancholiam quartanum circuitum effecturam a vasis excedere, & per angustissima corporis ac sentientium partium foramina permeare, & postmodum insensibiliter, adeo breui tempore in habitum abire.* Cui etiam rei maiorem difficultatem infert crassa, viscida atque adhærescens pituita: *quis enim accessionis tempore separauit, discidit, attenuauit, ac ad motum adegit humorem, quem neque medicamenta, neque naturalis calor; neque corporis facultas longissimo tempore valent atte* C *nuare, mouere, aut deiucere? & quod grauius est, eundem breuissimo tempore non quidem mutare vtcumque ad benignum, sed in vaporem insensibilem conuertere?* Quapropter conuincitur intellectus credere alibi, quam in carnosis partibus, prædictos humores putrefieri in febrium accessionibus.

1. Ratio.

Probat insuper secundo nostram veritatem, & vim præstat prædictæ rationi, euentus quidam haud obscurus, quem non raro in tertianis febribus comperimus: quippe *in quibusdam ante accessionem per corpus apparent maculæ rubentes, tumorosæ, atque pruriginosæ, emulantes amplum aut minutum essere Barbaris appellatum: quas sane scimus inuadente febre euanescere atque resolui.* Ex quo euentu duo necessario licet D colligere, primum quidem, *non in omnibus interpolatis febribus humores fundi extra venas, siquidem in his, in quibus vere profunduntur, quantumuis tenues sint, protinus in cute efflorescunt, proprium calorem ferentes atque sensibiliter partes in tumorem eleuantes:* quo fit, vt conijcere liceat, in quibus id non apparet, non fundi extra venas, quod est nostri instituti certissimum argumentum. Secundum est, *non putrescere quod defluit extra venas, quinimo protinus delitescere, & cum hoc febrem succrescere interpolatam,* quæ apertissima euidentia demonstrat non oriri ab humore extra vasa profuso, sed eo post rigorem dissoluto ex residuo, quia aliunde putrescit, febrem oriri. Itaque ex proposito euentu colligimus rarissimum esse, *hu* E *mores à venis excidere, nisi vbi vel tenues sint, vel internus feruor maximus: ac licet aliquando excidant, minime ab eis febrem oriri, nisi ab alijs, qui alicubi remanent putrescentes:* argumento sunt maculæ rubentes, quæ apparent in febre maligna; quæ à putredine seu feruore humorum, qui sunt intra venas prodeunt, & ipsæ non sunt materia febris, quantumuis ad partes sentientes deueniant, neque valent rigorem concitare, quia lente & paulatim transmittitur humor, non autem confertim & subito.

2. Ratio.

Probat insuper hanc nostram sententiam ratio periodicationis humorum, petita nimirum ex fomite relicto à materia, quæ computruit præterita accessione: nam *illud, quod relinquitur, nemo est qui renuat concedere, haud secus quàm sedimentum, in extremitatibus vasorum recondi, non aũt in partibus sentientibus: à quo sane loco nullam putredinis principium antecedẽte*

3. Ratio.

materia quæ in venis est susceptare poterit: Quapropter statuẽdum est, in vasis asseruari, vbi reliqua materia, quæ accessionem præstitit, computruit, ac ex consequenti febres intermittentes non fieri extra vasa.

4. Ratio. Non minori ratione prædictam sententiam confirmare possumus, ex sudore, qui plerumque in declinatione prædictarum febrium intermittentium succrescere solet. Quippe sudorem, vnanimi vero omnium dictorum sententia, eiusdem materiæ esse cum vrina, & vno eodemque loco generari, (*licet per diuersas regionis distribui contingat*) certissimum est: quod si in venis generari assuescit sanitatis tempore, eisdem quoque gignetur (*vna enim est actionis vnius in corpore secundum naturam officina*) in morboso statu, credendum proculdubio erit, & ex consequenti B eius materiam non adesse extra vasa in prædict. febribus erit arbitrandum. Quod si dixeris; *communissimam illam doctrinam veram quidem esse in sudore, qui ex eadem materia fit, ac vrina in corporibus bene valentibus, verum in morbosis & iis quæ sese per sudorem expurgant, longe aliter accidere: nam ex quauis materia morbi fieri potest, ac ex consequenti vbicumque fuerit, ibidem generabitur etiam sudor.* Hanc sane rationem, quantumuis vera videatur, in confirmationem meæ sententiæ sic retorqueo. *Si sudor febrium, & iudicium est coctionis, aut actiua naturæ in materiam morbi, & coctiones non fiunt nisi in venis, nam hac lege refert Gal. coctiones humorum in febribus similes esse suppurationi, quæ in tumoribus fit præter naturam,* C *argumentum erit euidentissimum, in eis solum debere versari: sed intermittentibus febribus erumpunt prædicti sudores atque in declinatione, ergo eius generatio in vasis necessario erit, vbi coctiones humorum molitur natura.* Et confirmatur hæc ratio, *nam si humores extra vasa putrescerent, vera esset putredo, quæ in limum & cinerem degenerasset, vt statuit Aristot. aut esset suppuratio, sed neutrum horum apparet, ergo constabit ibidem non alterari humores.* Et probatur vtraque antecedentis pars, *nam extra vasa nulla actio celebratur circa humores, nisi solum assimilatio alimenti ad partem alendam, aut putrefactio prædicta vel commutatio eorum in pus: sed neutrum istorum fit, ergo sententia nostra tenet.* D Quod si dixeris *materiam per resolutionem euanescere,* longe magis à veritate discedes, *nam in alteratione quæ tendit in resolutionem, non obstat febris ratio, ac ex consequenti febris non succresceret è prædicta alteratione, præterquam quod per resolutionem nõ fieret sudor, sed fit, ergo per coctionem, ac ex consequenti intra vasa, natura vincente attenuanteque quod concoxerat, haud secus quàm in febribus ardentibus fieri quotidie conspicimus.*

5. Ratio. Probatur insuper quintò nostram sententiam sedimentum, *quod post accessionem in vrinis apparet: (non solum ex antecedente materia, vt multi sunt arbitrati, quæ nondum putredinem nacta est adeo intensam, quod coctione morbosis caussis debita corrigi desideret, siquidem leuiori alteratione facilius in antiquum statum reducitur) qua visa, victoriam naturæ partam in statu præcedentis accessionis supra materiam eiusdem protinus coniicimus. Sed materiæ morbificæ sedimentum nullibi quàm intra venas fieri est arbitrandum: ergo ibidem præfuisse putrefactionem, iure optimo erit statuendum.*

6. Ratio. Confirmat nostrã sententia ex rigore magni momenti sumpta ratio: quippe *quo magis putrescit materia & febris exacerbatur, eò rigor est mitior & omnino delitescit:* quod suppositum confirmat quotidianus euentus: Tunc sic procedit ratio, *si rigoris materia seu motiua caussa est humor accessionem facturus, sequeretur, in febribus intermittentibus, vsque ad statum accessionis, longè intensiores debere fieri rigores: & patet sequela, quia intensiùs putrescit deteriorque redditur, acrior, atque mordacior humor ibidem transmissus, cum dictum sit Hippocratis: dum pus conficitur, dolores ac febres magis accedere, & cum rigor sit dolorosa affectio, proculdubio intensior fieret, quo magis putresceret humor: exemplo sunt tumorum suppurationes, quorum confectione frequentissimi fiunt rigores, quod in febribus continuis non accidit, quia humor non putrescit in partibus sentientibus: sed nullus apparet rigor crescente febre, ergo euidentissimum est argumentum, materiam aliunde putrefieri, & ex eius calore rigoris caussam euanescere, ac ex consequenti credibile efficitur, materiam quæ rigorem mouet in partibus sentientibus longe diuersam esse ab ea quæ putrescit, & febrem concitat, ac ex consequenti, loco etiam differre, quod est nostrum intentum. Nam quæ rigorem concitat, necessum est per* B *partes sentientes mouëri, quæ verò febrem est factura, in extremis vasorum putrefieri. Nam si in carne putresceret, licet non moueretur, vt contingit in tumoribus, non minus rigorem efficeret, cum in statu eorum tumorum accedant rigores in puris generatione, quam inter initia accessionum.*

7. Ratio. Septimo sequeretur, *si humores non putrescant intra vasa, febres omnes intermittentes esse de sorte & natura febrium ephemerarum: & sequela probatur; quia pari ratione cor incalesceret, ac dum aliqua corporis particula phlegmone laborat: quippe nulla apparet dispar ratio, ac si eadem est, erit quoque eadem effectus, ac ex consequenti vel humores non putrescunt extra vasa, vel febris est ephemera, vel si eam non velis ephemeram æstimare, sed putridam, vt quæ ex bubonibus aliquando* C *oritur dicit, nulla febris intermittens erit sua natura salubris, iuxta illud Hippocrat. Febris ex bubone mala, exceptis ephemeris.*

8. Ratio. Vltimo tamen difficile videtur creditu, *humores extra vasa posse in febribus interpolatis putrefieri,* & assumptum probatur, *quia impossibile videtur humorem extra vasa proiectum tam cito posse putrefieri, & simul vel excerni, vel insensibiliter resolui: exemplo euidentissimo sunt tumores præter naturam, qui quantumuis paruissimi sint, velut paronychia vel furunculus; cum hoc tamen non nisi plurimis diebus suppurari, aut resolui vlla arte aut diligentia possunt.* Ex quo sic infero rationem: *si tam parua humoris quantitas, & in* D *vno loco collecta, tam longo indiget tempore ad suppurationem suscipiendam, proculdubio si humores funduntur extra vasa, non tam breui temporis interuallo, sed longe maiori tenentur putrefieri & resolui: præterquam quod in locis adeo conspicua transpiratione expositis longe tardius aut nusquam concitabitur putredo, quinimò resolutioni cedent, ac ex consequenti constabit, vel ibidem non transmitti, vel longiori indigere tempore ad suppurationem: quod cum euentus non monstret, constat alibi putrefieri.*

Hæ sunt, candide lector, rationes, quibus (*saluo meliori iudicio*) mihi persuasum habeo, humores in febribus interpolaris alibi, quam extra venas putrefieri, qualis autem sit hic locus, iam probare aggredior.

Humores in febrib' intermittentibus, qua parte putrescãt? Resol. 1. in aluo et venis mesaraicis. 2. i exilib' & extremis venis. 3. i spatus nõ naturalibus extra venas.

E Præmittendum in hac re primo est, humorem, qui naturalem facultatem irritat, vt ipsum à venis pellat, tripliciter solere ab ipsa natura, dum expellit, diuidi. Quippe aliquam eius partem & aliquado maiorem in vtramque aluum, venas mesaraicas, & his vicinas regiones profundit adeo conspicue, & inuariabili lege id efficiens, vt coegerit Fernelium, & alios viros magni momenti conijcere, solum ad eas partes in febribus intermittentibus naturam humores propellere, & solum in eisdem putredinem suscipere. Quod sane probant ex frequentibus vtriusque alui fluxionibus, & torminibus ac ventriculi anxietate, & intolerabili molestia: argumentum profecto euidentissimum transmissionis humorum in prædictas partes. Aliam vero peccantis, seu antecedentis humoris partem in exiles, & extremas venas immittit, Vltimo qui-

Et quibus signis à singulis caussis orta febres cognoscãtur.

quidem aliam ad spatia non naturalia extra venas A ipsas, & ad carnosas ac sentientes partes propellit. Quam sane humoris diuisionem naturam frequenter obseruare, non temere & citra aliquem vsum arbitrandum est. Quippe quod ex humore crassius est, ne magis, & pressius vasa obstruantur, si per ea ad cutim deferatur, per maiores vasorum cauitates, vsque ad spatia & inanitates vtriusque ventris boni consulens profundit. Quod sane si natura per dicta vasa fundere, per alteram, aut vtramque aluum in principijs accessionum studueris, febrisque subsequitur, longe minor & leuior succrescet: verum si eorum humorum maior pars in mesaraicis venis, aut in eis, quæ prope iecur sunt, permanserit, ibidem necessario putrescent, & febrem concitabunt, *vt Fernelius fuit arbitratus.* Distingues autem ad cauam ventriculi, & intestinorũ regionem *(vbi putrescere raro assuescunt)* B peruenisse, quod in principijs accessionum maior eorum pars vomitu vel secessu profunditur, febris, quæ sequitur, leuior est, & accidentia febre crescente mitissima. At comperies humores permansisse in vasis prope iecur, & ventriculum: ibidemque computruisse, quia in accessionis initio inanis vomendi cupiditas laborantes torquet, & febris citra euidentem rigorem exacerbatur, anxietate & molestia, ac siti implacabili laborantes premuntur, ac vomitus & alui fluxus in accessionis declinatione copiosiores apparent. Atque hac ratione censeo fieri intermittẽtium febrium non paucas, licet Fernelius studuerit probare, omnes hæc lege fieri. Altera quidem humoris pars, quæ in extremitatibus vasorum immoratur *(vt mea mens tenet)* est profecto, quæ ocyus & certius ac semper putrescit, vt quæ conclusa in arctissimis locis, diffIari nequeat, ac ex consequenti putrefieri teneatur: Quam sane mille rationes videntur probare: quia creditu videtur difficile, humores adeo frequenter in partibus carnosis putrefieri, vt febrem efficiant, in carne vero nullum eluceat damnum, neque virium vigente aut cessante febre: cum paruissima bilis copia, quæ *erysipelas* concitat, vel quiuis alius humor qui paruissimum tumorem excitet, nunquam discedere per resolutionem, aut suppurationě possit citra dolores ingentes ac sensibile in parte relictum incõmodum. Quo fit profecto, vt tam frequens humoris biliosi ad sentientes partes transmissio, tamque euidens putrefactio, impossibile sit, quin maius effecisset damnum, quam experimento comperimus, quod nullum apparet. Ex quo rationi consonum videtur, *alicubi putredinem fieri, quam in carnosis partibus, ac nullibi securius, & tutius ab his damnis, quam in venis ipsis, vbi longe maiores fieri solent putredines citra vllum propositorum affectuum.* Confirmat nostram sententiam paruissima eiusdem humoris portio, quam ad prædicta spatia transmittit natura, rigorem concitans ob ingentem mordacitatem & acrimoniam: quam ni cito euanescere fugeretque à prædictis partibus, easdem posse exulcerare, & sensibile damnum præstare, nulli dubium fore arbitror: quæ quidem damna, cum neque in rigore, neque in febrium accessionibus conspiciamus, coniectabile est, materiam intra vasa putrefieri, vbi hæc damna fieri non est facile. Accedit insuper alia ratio, nimirum, quod impossibilis esset adeo celer humoris putrefactio atque resolutio, si locus putredinis esset extra venas: cum ne minimam quidem pronychiam, aut furunculam, adeo breui tempore superet, ac deuincat natura, nedum tantum humorum copiam, & aliquando melãcholiæ, quantam esse, quæ in accessionem conscendit, est coniectabile. Quapropter iure optimo arbitrandum est, siquidem adeo breui spatio putrescunt & resoluuntur prædicti humores, in calidioribus & conclusis locis manere, vbi facili negotio cum venarum beneficio omnino non destituantur, & in car-

A nosis spatijs, in quibus non fruuntur prædicto venarum munere, calorem acquirant præter naturam, & ab vtraque caussa, nimirum vasorum calore, & ipso qui succrescit præter naturam, longe citius in puris effigiem, aut quid illi simile vertatur, atque simul euanescat, aut sensibiliter per partes & canales huic muneri dicatos expellatur. *Probant* insuper hanc veritatem excretiones humoris peccantis, quæ post accessionem febrium intermittentium plerumque fiunt: nimirum per vrinam, per vomitum & aluum, cum si pars carnosa esset putredinis locus solum debuisset fieri per sudorem aut per insensilem halitum: quippe credibile non est, id, quod extra venas putrescit, iterum transacta accessione ad eas remeare, vt per easdem ad iecur & vrinę meatus, ad ventriculum & intestina prolabi possit. Quod sane mihi est euidentissimum argumentum, in venarum extremitatibus necessario humorem febrium interpolatarum putrefieri. Quo fit, vt sedimentum in vrinis earundem febrium verum sit ac certum alterationis materiæ coniunctæ indicium: quippe si partes illæ probe coxerunt humorem illum *(hanc enim coctionem mediam alterationem inter eam & putredinem esse censendum est)* accessionem efficientem, sedimentum ostendit naturæ victoriam, & morbum fore breuem, atque vacuationes arte factas, materiam antecedentem imminuisse, naturamque potentiorem supra residuũ C euasisse. Probat vlterius eleganti quadam ratione hanc putredinem in vasis necessario fieri, pulsus febricitantium febre interpolata natura & conditio: quippe habent inæqualitatem in vna pulsatione (quã *febrilem* medici appellant) quam citra vitium instrumenti fieri est impossibile: tunc sic procedit ratio: *Si eadem met inæqualitas, quæ apparet in continuis febribus, hæc eadem apparet in interpolatis, vnam esse & communem caussam in vtraque arbitrandum erit: hæc autem est vitium instrumenti ob vasorum plenitudinẽ, qua remoratur naturam, quo minus conuenienti celeritate vsui satisfaciat; ergo eandem vasorum plenitudinem necessum est adesse in interpolatis, dum febris viget, & prædicta inæqualitas apparet, ac ex consequenti* D *ibidem erit putredo, non in spatijs carnosis, vbi necessario non succresceret prædicta inæqualitas; quinimo si antea erat, delitesceret accessione superueniente, quod humores fundantur à vasis ad prædict. spatia, vbi nullum inferunt motibus arteriarum impedimentum, quo prædicta inæqualitas succrescat.* Quibus rationibus persuasus arbitror, veram putredinis mineram adesse in prædictis vasorum extremitatibus, à quibus ob cutis & carnis pororum commoditatem facilior est materiæ discussio, securior putredo, atque salubrior affectionis conditio.

Pulsus febre interpolata laborãtium conditio.

Verùm si quis dubitauerit, *qualis nam constituenda sit differentia inter febres continentes continuas & interpolatas ratione loci, siquidem omnes intra venas* E *sortiuntur locum putredinis:* expendat, eandem ac longe maiorem adesse differentiam inter febres intermittentes factas in extremitatibus vasorum, ac ea sit, quæ versatur inter continentes & continuas, cum omnes etiam intra vasa fiant, quia distantior est locus putredinis intermittentium ab alijs omnibus, quam locus continentium à continuarum loco, & hoc est sufficiens, vt continuæ & continentes differant inter se: Ergo maior erit differentia inter has omnes & intermittentes, etiamsi omnino extra vasa fierent. Quod si quis iterum dixerit, *continentes & continuas licet loco distare comperiamus, conuenire tamen, quia omnes fiunt continuæ: quæ vero fiunt in extremitatibus vasorum interpolatæ:* expendat, has necessario debere intermittere, quia si ob id quod continuæ in minoribus vasis putredinem sortiuntur, accessionales existunt, licet non omnino intermittant, sed solum remittantur, vt seruent sui humoris periodum,

Intermittentes, cõtinua & continentes febres quid differant.

dum, & continentes vnum semper tenorem sortiantur, quod in loco addito & penitiori fiant, coniectabile est, eas, quæ prope foramina putredinem nanciscuntur, non solum remissionem omnino habituras ob situs commoditatem, ac peruiam transpirationem, & liberum fuliginosorum ac humoris exitum, siue ad cutem, siue ad viscera & canales terminentur, ac degenerent in vasa, in quibus humor putrescit. Atque hic est locus, ad quem natura transmittit humorem febrem facturum interpolatam, vt mea mens tenet.

Intermittentiũ febrium rigor, horror & frigus vnde.

Altera vero humoris pars, quæ paruissima atque tenuissima est, simul cum mordaci & acri halitu admixta foras egreditur, ad carnosa sentientiaque loca rigorem, horrorem, aut frigus factura, prout ipsius humoris qui expellitur, fuerit conditio & natura. Quippe id est naturæ secernentis conditio atque efficacia, vt id quod ipsam molestat, secernat, ab alijsque sciungat, & ad extremitates vasorum propellendo alliciat: & cum tenuioris substantiæ conditio sit, prius & antea moueri quam crassa, coniectabile est, ad vltima vasorum tenuem citius peruenire, & ob commoditatem sui & vasorum vi & impulsu naturæ foras protrudi, crassiori humoris parte intus manente febrem succensura. Illa tamen, quæ extra euolauit, caussa seu materia effecta est rigoris; nam cum ad partes deuenit sentientes, eas exulcerando mordendoque ad sui excitat expulsionem, quę tanto vehementior fit, quãto materia malignior, potentia robustior, & sensus exquisitior. Quam sane conceptus calor alterius, qui intra vasa putruit, protinus discutit, resoluit, ac digerit; adeo, vt quo maior crescit calor, longe minus aut nihil rigeant laborantes. Quod sane mihi est euidentissimum argumentum, *materiam rigoris non esse eandem cum ea, quæ febrem est effectura; sed hanc intra venas manere, illam verò extra profundi*. Probant etiam hanc veritatem oscitationes, & pandiculationes, quas scimus ante febrium accessiones nonnunquam succrescere, & solum à crasso halitu musculosas partes obsidente proficisci; et sicut in his febribus non præstat materiam vaporosa substantia quę pandiculationem concitauit, pari prorsus ratione credẽdum est, caussam quæ rigorem concitat, febri materiam præstare non posse: Confirmat vltimò plerasque febrium intermittentium citra vllum rigoris, horroris, aut frigoris sensum incipere: quippe si necessum fuisset, humores extra venas fundi, necessario profecto aliquid horum symptomatum anteiret, cum credibile non sit, materiam posse ad sentientis loca peruenire citra sensibilem aliquam sensus alterationem. Quibus sane rationibus cogor ab antiquo dogmate discedere, atque asserere, materiam febrium intermittentium in extremitatibus vasorum putrefieri.

Rigoris materia.

Humores vẽtilationis & refrigerij beneficio destituti putrescunt. Putredinis vera caussa proprij caloris defect⁹

Ad pensum igitur rediens, statuendum est, humores, vbi ventilationis & refrigerij beneficio destituuntur protinus putrefieri: nam hæc est differentia inter viuentium & non viuentium putredinem, quod ad illam concitandam non opus est obstructione, neque prohibita ventilatione; nec rursus necessum est calorem fieri maiorem. Quinimo tota huius putredinis ratio est, proprij caloris defectus, cuius imbecillitate humidum cum sicco regulari & contineri non potest. Quo fit profecto, vt citiùs putrescant, quæ locis & ventis calidis exposita sunt (*quod euolet ab externo calore internus*) quam quæ frigidis, quibus vegetior redditur innatus calor. Cum hoc tamen arbitrandum est, multa quæ putrescunt, reddi calidiora, adeo vt de stercore columbino Galen. referat, totam domum, vbi computruerat, conflagrasse. Quod sane factum fuisse est arbitrandum, vel ex prohibito proprij caloris efflatu, vel ex caussa externa, quæ rei putrescenti multum caloris præstitit, vt multi sunt arbitrati. Ego tamen conijcio, putredinem illam violentam esse, & tantum caloris concipere ex cœli influxu, haud secus quam in eodem stercore animalcula generantur: quippe mirum non est eadem & solis vehementi calore ignem concitari ex apta materia. Sic enim Galen. verba monstrare videntur. At viuentium putredo fit ab externo calore, non solum corrumpente innatum, verum & obsidente eius subiectum, quemadmodum antea abunde expositum est.

Domus à stercore columbino combusta

Animalcula ex stercore vnde.

Ioubertus refutatur.

Superest adhuc expendenda Iouberti sententia, qua probat, *omnes febres ortum ducere ab efferuescente flaua bile*: sed tamen est antiquo dogmati aduersa, euentui quotidiano omnino contraria, & mille rationibus infirmata, vt alienum mihi videatur ab optimo scribendi genere in re tam inutili tempus conterere. Sat enim mihi nunc est docere, omnes huius auctoris rationes probare facilitatem succensionis prædicti humoris: verum cum hoc non ob id constat, necessario ante reliquos succendi, eos enim natura facilius deserit, quos sibi molestos esse persentit: quo fit, vt copiosi & crassiores facilius succendantur, quam biliosi, si bi secundum naturam existant. Ex hac ratio sola sufficere videtur, & loca Galen. atque Hippocat. hoc idem sonare videntur, quamuis ipse in sui patrocinium ea adduxerit.

De generali febrium putridarum curatione.

Curationis diuisio

CVm affectuum omnium prima præcipuaque diuisio sit, quosdam esse Factos, quosdam Fientes, reliquos vero Partim factos. Partim fientes: ideo curandi rationes diuidere quoque opus erit, in eam, quæ solis factis debetur, & in prophylacticam, seu præcautoriam, quæ futuris seu imminentibus ex vsu est: verum affectus, qui mixtam compositamque habent naturam, vt arbitramur esse febres in humoribus succensas, compositum quoque opus seu officium desiderant, non solum quidem quatenus ad caussas attinet, quæ variæ admodum sunt, sed etiam quatenus ad morbi rationem spectat. Nam calida distemperies, partim facta, partim fiens ac dependens, & quæ incrementum susceptura est, existit. Sic pari ratione caussa non vnica sed diuersa est: nam immediata caloris præter naturam & proxima putrefactio humorum existit, huic vero continua est prohibita ventilatio: hanc quidem efficit obstructio, cui caussam præstare quoque potest, vel immodica humorum copia, quæ vasa replere, vel vires grauare nata sit, aut humorum ipsorum deprauata & aliena conditio, quæ crassitie, lentore, & viscidi tate vasis adhærens eadem obstruat. Ea quibus constare arbitror, duplicem esse in febribus ex humore concitatis curandi rationem: *Vnam*, quæ primam partẽ affectus sistat, fientem nimirum: quam *prophylacticam*, seu *præcautoriam* appellamus, & nonnulli etiam *curatoriam* nuncuparunt, quia aduersus aliquam morbi partem agere & pugnare nata erat: *Alteram* rursus, quæ aduersus factam distemperiem agit, nullo habito ad caussam respectu, quam *verè curatricem* appellamus. Hanc equidem solis contrarijs perfici constat, frigidis nimirum: illam vero per ablationem caussarum suum consequitur finem. Atque cum caussæ plures sint, *vt dictum est*, aduersus vnamquamque seorsum, debito ordine & ratione agere æquũ esse duxi. Quod sane opus vt prudens & diligens medicus exacte intelligat, expendat, aliud esse, morbum considerare ad cognitionem, aliud vero ad curationem: nam ad cognitionem procedimus, vt integram notitiam eius adipiscamur, ordine resolutiuo, ab effectu nimirum ad caussam: sic enim in cuiusuis affectionis cognitione primò nobis proponitur affectus, à quo per resolutionem versus primam caussam retrocedimus, conside-

Distemperies calida vnde.

Curandi ratio in febribus duplex.
1. Prophylactica.
2. Curatrix.

Morbũ ad cognitionem considerare quid.

siderantes; si febris calor est præter naturam à putredine proficiscens, & putredo fieri etiam nequit citra prohibitam ventilationem, hanc in super communissimè ab obstructione fieri, & eam frequentiùs bumores multi & crassi, proculdubio ex affectu qui nobis primo proponitur, dicto ordine in cognitionem caussarum deueniemus. Ceterum ad curationem vario prorsus ordine procedendum est, via nimirum compositiua, ex propositis caussis vltimo inuentis, curationis principio sumpto. Nam cum statutum sit ab Hippocrat. ad caussam & caussæ principium deueniendum esse in curatione, licet febrilis calor primo nobis sese offerat, cum potissima eius pars in fieri constituta sit, vltimo curationis sumpto à principio caussæ, quę vltimo inuenta est, quam sane arbitramur esse indebitam vitæ & victus institutionem, à qua bumores aut multi aut vitiosi procedunt, vel alimenti culpa, vel defectu facultatum, quibus munus est ea probe conficere. Quo fit, vt si velimus rectè febribus mederi, vnamquamque prædictarum caussarum per se expendisse oportebit, vt postea ad morbi indicationem facile subsit aditus.

Ad curationem quid.

Abundātia prima omnium putridarū caussa.

Est igitur prima omnium caussa, cui primò prouidendum est, in febrium putridarum curatione abundantia seu bumorum vitium, à qua meritò principiú curationis auspicari oportet. Cuius gratia expendere est necessum, abundantiam, *vt primo capite diximus*, tribus modis esse considerandam: nam *Aut* humores ex æquo abundant, *Aut* sanguis solus, vel alicui aliorum commixtus, *Aut* ex reliquis humoribus, vnus aut duo, quam potius *cacobymiam* proprio vocabulo appellamus, aut vnius bumoris redundantiam, In qua quidem re videndum est, quid aduersus vnamquamq; abundantiam agere oporteat, insuper quam peculiarem prærequirat prouidentiam humorū crassities, aut lentor. Est quidem inuiolabile præceptum illud Galen. *s 11. meth.* in omnibus febribus, quas putridus concitat humor, sanguinem esse mittendum, sed primo & maxime, vbi copia obstructionis, & prohibitæ ventilationis est caussa, aut vt materiam peccantem minuamus, *vt idem Galen. eodem loco pulcre aduertit, quò faciliùs quod superest, concoquat, onere leuato*. Quam sententiam tanti semper babui (*præter bas occasiones*) vt citra vllam exceptionem intelligédam esse censuerim: nam vtcunque febris putrida sit, modo ex omnibus humoribus putrescentibus aut alteratis, modo ex aliquo bumore quantumuis syncero, semper sanguinem esse mittendum mihi statui: atqui licet hoc præceptum primo accessu perdifficile videatur, facile tamen ex ipsa rei ratione probari potest: quippe sicut plenitudo ipsam sanguinis detractionem expostulat (*quod dubitauit nullus*) eodem prorsus modo redundantiam cuiuslibet succi exposcere sanguinis missionem tenetur fateri, etiamsi vulgariter dictum sit, cacochymiam expurgationem postulare. Nam vitiosi succi abundantia, non quidem suæ naturæ ratione, sed solum ratione abundantiæ ventilationem inhibentis, id auxilium expostulat, cò quòd rectiùs sanguine misso, id opus exsequetur natura. Quippe quatenus pertinet ad vasorum plenitudiné, nullo alio habito respectu, sanguinem extrahito, etiamsi cum bumore peccante aliorum quoque aliquid extrahatur, quod perperam esse factum vulgus existimat, cum boc tamen, si plenitudine aut redundantia depositis prohibenda obstructio est, citius, commodius, & tutius sanguine detracto, quam expurganti medicamento fiet. Secus quidem res se habet, si ratione alia, aut alia indicatione, præter eam, quam præstat abundantia quę ventilationem prohibet, sanguinem mittimus: siquidem si vasorum sarcina obstructionis caussa existit, ipsa vtcunque deposita, obstructionem auferédam fore dubitauit nemo. Namque firmum & ex omnium consensu proba- A tum est, sanguinis detractionem abundantiæ esse vnicum præsidium. Quamobrem censeo loco nuper citato Galen. dixisse in omnibus, nulla excepta, febribus, quas putridus concitat bumor, sanguinem esse mittendum. Præterea alia ratione probari decretum potest, quia tempus circumscriptum ad sanguinis detractionem, nequit profecto suppeditare occasionem aptam expurganti medicamento, quod cacochymiæ, seu vnius bumoris redundantiæ proficuum esse fatentur medici omnes. Atqui cum periculum sit, & graue quidem, vacuarionem differre, donec tempus purgationi aptum appareat, optime dictum esse censeo, sanguinem esse mittendum in omnibus febri- B bus putridis, idque in earum principijs: siquidem ex redundantia (*licet vnius sit bumoris*) non euacuata eo tempore, sperandum est febrem longe maiorem fieri, & naturam non posse sufficere coctioni, ac alijs operibus, tanto bumore grauatam. Neque obstet vulgare illud impedimentum, nimirum eodem æquilibrio, & eadem quantitate bumorem peccantem superesse, sicut antea erat, sanguine adhuc misso: namque licet bæc indicatio, quæ sanguinis detractionem commonstrat, non respiciat vnum, neque singularem humorem, neque rursus tempus in quo sanguinem mittimus, quicquam aliud doceat considerare, præter copiam quæ venas ipsas replet, cum boc tamen citra humoris singularis respectum, docet me- C dendi ratio, copiam esse deponendam, qua deposita, sanguine detracto, modo ex alijs humoribus plus, aut tantundem detrahatur, modo secus, indicatio illius temporis, quæ copiam esse deponendam docet, adimpletur: siquidem paucioribus existentibus humoribus intra venas, aut saltem in minori copia, quam antea, etiamsi eorum aliquis prædumineтur, præter id quod consequimur intentum, quod est copiam minorem reddere, quo obstructio etiam minor efficitur, maius sequitur humori peccanti & putrescenti ex præstita ventilatione beneficium, quam damnum ex æquilibrio: Quam profecto sententiam tacita quadam ratione insinuat Hippocr. *lib. 4. acutorum* dicens: *In acutissimis febribus sanguinem* D *detrahes vsque ad animi deliquium*: sed nullos esse constat acutiores ijs, qui ex synceta flaua bili proficiscútur, & nullo habito respectu humoris seu cacocbymiæ, sanguinem copiose fundere iubet: ergo multo rectiùs ceteris omnibus; aut saltem (*si quidem non obtinebunt tantum caloris*) non oportebit alio vti auxilio ante sanguinis detractionem. Cum boc tamen in mere biliosis ad deliquium vsque mittendus non est, sed longe parcius, nam illud præceptum de solis continentibus subaudiri oportet. Sed illi rationi alia nō parui momenti accedit ad sanguinem mittendum in quauis febre, nimirum *Necessitas refrigerandi seu ventilandi*: quam sane cò maiorem esse censemus, quo intensior & vebementior febris fuerit, adeo vt E pro ratione vehementiæ vsque ad animi deliquium oporteat sanguinem detrabere, quo corpus in contrarium habitum deferatur. Quo equidem verbo (*videlicet vsque ad animi deliquium*) credendum est, non præcepisse sanguinem mittere in his febribus solum vacuationis gratia, nam ea caussa sufficeret moderate sanguinem fundere, solum quidem iuxta abundantiæ copiam, sed quia in prædictis febribus, quod habitus sit vere ignitus, ad contrarium habitum corpus mutetur, quia in febribus, vbi caussa, nimirum plenitudo, & morbus, videlicet febris, plurimum & pariter vigent, præsidium adhibere tenemur, vtrumque respicientes, *precautorium* quidem, quod copiam deponat; *Euacuatorium* vero, quod calorem attemperet, ac vniuersum corpus refrigeret, cuius naturæ est in huiusmodi febribus copiosa sanguinis detractio: præterquam quod præstatur via & aditus ad exhibitionem expurgantis pharmaci, quod ex venis,

Abundātia tribus modis considerāda, & quomodo singulis sit prouidendum.

Sanguinis detractio abundantiæ vnicū præsidiū.

aut

aut plenioribus, aut obstructis; nihil trahere aut pellere citra maximum incommodum poterit. Qua ratione corpus redditur purgationi fluidum, & paratissimum, si sanguinis missione febris non quieuerit: nã sanguine misso copiose & opportunè, *vt ex Galen. 8. meth. constat*, febres plerumque iugulantur.

Verùm ne quis hoc saluberrimo præsidio temere aut imprudenter vtatur, expendere prius oportet, quod licet verum sit, *omne febrium humoralium genus sanguinis detractionem exposcere*, non verum tamen est, *in omnibus libere & audacter & eodem modo esse mittendum*. Quippe in quibus febribus vel humores omnes abundant, vel maior eorum pars, aut sanguis, ita vt vasa plurimum distendi, aut supra vires repleri conspiciamus, audacter sanguis mittendus est: quia id proculdubio affectus postulat, & vires quoque consentire cernimus: rarò enim vasorum plenitudinem viribus languidis adiungi conspicimus. At dum vel vnius humoris redundantia fuerit, vel plenitudinem ad vires præfuisse cognouerimus, & humores ob id admodum esse vitiatos, tunc quidem sanguinem quoque mittemus, parcè tamen & viribus summopere custodiens: nam frequenter ex copiosa sanguinis detractione in corporibus sic affectis, vires adeo labuntur, vt etiamsi parum humoris supersit, facile succumbant & laborantem deserant. Seruabit tamen in his omnibus hanc legem, quòd in biliosis febribus plus extrahes, quàm in pituitosis, atque in eisdem pituitosis plus, quò magis morbus ad statum properauerit: coniectabile profectò est, sanguinem ex pituita caloris actione eo tempore fieri, in quibus etiam plus quàm in melancholicis extrahere licebit. Ac si à principio constiterit, cũ sanguine peccantem humorem satis esse commixtum, tunc sanguinis missionis occasio est; sin aliter, exspectandũ erit, donec incepta coctione admisceatur, & in vrina signa appareant, quæ sanguinis detractionem designent: & ob id Auicen. *cap. de quartana* in humore melancholico, vt sanguinem detrahat, coctionem desiderat, cuius contrarium exsequitur, dũ solum sanguinem redundantem demere studet, *vt in 4. tractat. 2. ca. 7. scribit*. Sicut reliquum 4. 1. *cap.* 20. Sed præstat in his & omnibus huius naturæ febribus, potius iterato sanguinem detrahere, quàm inconsiderate vires adeo prosternere, quod non possint cum morbo vsque ad statum pugnare. Namque semper in quouis auxilio, et maxime in sanguinis detractione, vires inspiciendas esse consulit vniuersa medicorum schola: qua ratione censeo tantopere Hippocrat. præcepisse considerare diuersitatem ætatis, regionis, temperamenti, sexus & habitus corporis, vt sicut diuersæ sunt robore & efficacia ad agendum & patiendum, ita quoque metiamur diuersam sanguinis, aut cuiuslibet alterius auxilij quantitatem, quo vires incolumes asseruemus. Nihil enim horum, quæ diximus, sanguinis missionem indicat, sed tantum eius quantitatem metitur iuxta vires, quas pueri, quas senes, & quas fœminæ obtinere possunt, non enim ætatem inspicere oportet, sed virium robur. Præter id etiam alias contrepugnantias considerare oportebit, quibus sanguinis missio interdicitur, adhuc in febribus maioris momenti: nam cum vrina aquosa extiterit, aut vt refert Auic. *fen. 1. 4. tract. 2. cap. 7.* cum citrina ignea que sit quæ humoris vnius feruorem indicat, hoc quidem est intelligendum, si vires ob feruorem defuerint, alioqui *vt dictum est*, mitti debet, licet caute & prudenter. Itaque medici in tanta controuersia officium erit, omnium indicationum vires perpendere, & omnia quæ venæ sectionem renuunt & hortantur librare, ita vt si in præsentia cacochymiæ accesserit aliqua ex prædictis vtilitatibus quæ præponderet noxæ cacochymiæ, vena est secanda, non ex toto posthabita cacochymia: quod facies, si

Putrida febres quę & quando copiosiorem, parciorẽ aut pluribus vicibus diuisam sanguinis missionem poscunt.

Vires in quouis auxilio ponderandæ.

Sanguinis missionem in febrib⁹ quæ interdicant.

A formidolosius, & parcius, vt dictum est, sanguinem detraxeris: Quippe aliquando vincitur indicatio à cacochymia, quæ sanguinis missionem dehortatur, interdum magis præponderant vtilitates, aut vna aut plures, quæ venæ sectionem postulant.

Quod si humorum abundantiæ sanguinis detractione satis factum sit, quiescendum eo tempore est, donec morbi materia concoquatur, vt quod natura in eo opere separauerit, expurganti medicamẽto extrahamus. Verùm si sanguine sufficienter misso, cacochymiæ supererit abundantia, vidẽdum tunc est, qua arte eandem deponere teneamur. In qua quidem re sentiendum sic est, quanto maior fuerit sanguinis redundantia cum cacochymia, tanto tardius post sanguinis detractionem vti expurganti medica B mento oportebit: nequeunt huiusmodi humores à sanguine separari, nisi facta sufficienter coctione. Quod si cacochymia præualuerit, tanto citius expurgandum est, quanto humor biliosus sanguinem & reliquos superauerit: nam sperare donec ex toto morbus coquatur, existente tanta vitiosorum humorum copia, periculum est, ne natura impotens ad eorum coctionem, ante debitum tempus ad crisim excitetur, quam aut perniciosam aut infidam esse necessum est, turgentes verò humores non habent peculiare ad expurgationem tempus.

Cacochymia post sanguin. miss. qua arte deponenda.

Dictum est in huius capitis principio, duplicem esse obstructionis caussam: Vnam quidem *plenitudinem*, seu redundantiam: alteram vero *Crassitiem* ac C lentorem & visciditatem humorum, in quorum prouidẽtia videndum nunc est, quid agendum sit, dum putridam febrem curare aggredimur. Habet profectò hoc peculiare hæc humoris natura, vt si plenitudini adiungatur, semper sanguinis detractionem primo factam desideret, antea inquam, quam medicamenta incidentia & attenuantia ijs humoribus proficua adhibeamus. Omnibus proculdubio medicis in confesso est, quod si humorum crassities, lentor aut visciditas, vel vtrumque caussa sit obstructionis, peculiaris, necessaria que medendi via erit, crassitiem extenuare, visciditatem abstergere, lentorem inscindere, aut vtrumque opus simul efficere. Ita *vt libr. 2. art. med. cap. 94.* id euidenter docuerit Gal. *& lib. 11.* D *meth. cap. 10.* ac mille alijs in locis: quod sane dogma verissimum & inuiolabile esse existimo. Verùm quibus id fieri debeat & quomodo, abunde me dixisse arbitror *libr. nostro de præsidiorum artc.* Sed mox pauca referam, si prius dixero, quid sentiendum sit de sanguinis detractione, indicatione sumpta ab humorum crassitie, & tenacitate.

Obstruct. caussa duplex.

Putrida febres ex crasso & lento humore qualiter & quibus præsidiis curanda.

Sed dubitare quidem in hac re oportet, an licet indicatione sumpta ab obstructione et obstruẽte caussa, vbi prohibita ventilatio maius facessit negotium, quam obstructio, etiamsi sanguis non abundet, vena scindenda sit. Censent quidem auctores fere omnes, & ex Galen. mente 10. *meth. cap.* 10. probare videntur, in his quoque febribus, etiamsi abundantia non E adsit, sanguinem quoque esse mittendum, non tamẽ vacuationis gratia: sed caussa reuulsionis & retractionis crassorum humorum, non quidem eorum, qui actu obstructionem efficiunt, sed eorum, qui ad partem obstructionem ipsam augere poterunt. In qua sane re, si verum fateri licet, multo rectiùs id fieri existimo per expurgantia medicamenta, vt Galen. consulit 10. *meth.* dicens: *Iam vero obstructionum ipsarum alia est, quæ ex abundantia, alia est quæ ex qualitate succorum, sed qui aut lenti aut crassi sint*: & paulo inferius subdit: *Præsertim autem inter remedia, in ea quam copia facit, sanguinis missio, in ea quæ ex humorum qualitate consistit attenuantium vsus*. Quod etiam Trallianus *lib. 12. capit. 1.* dixerat his verbis: *Quod si non copia, sed biliosi, crassique humores obstructionem procrearint, mittendus non est, sed decoctis prius vtendum)*

Vena vtrum scindenda in obstr. ex crassis & lentis humoribus.

Affirmatur.

qua

quæ extenuare possint. Ex quibus mihi persuasum habeo, necessariam esse sanguinis detractionem in febre, cuius obstructio ex densis crassisque humoribus proficiscitur, ceterum non reuulsionis gratia, *vt vulgo fertur*, sed potius caussa ventilationis præstandæ (*etiamsi sanguis non abundet*) quantum obstructio ipsius ventilationis priuationem inferre videtur. Id profecto est, quod Matthæus in antiquaris obstructionibus consulit, maxime hepatis. Quippe sanguinem mittit, etiamsi nulla subsit abundantia, vt impacti in iecore humores ex venæ sectione, quæ omnes humores exagitat, initium motus accipiant, crassi (inquam) illi, qui impacti sunt in obstructo viscere, vt deinceps pharmacis incidentibus & repurgantibus sit locus. Alioqui certum est obstructam partem periclitari calore nimio excitato, & maiori humorũ compressione. Quo fit, vt non rara in inflammationem commigret obstructio. Quam profecto sententiam antea his verbis Auicen. scripserat. *Sed cum antiquatur oppilatio, indiges phlebotomia basilicæ & solutiuo:* phlebotomia scilic. vt commoueat, solutiuo vt vacuet materias, quæ moueri cœperunt. Iraque cum in principijs, nisi copiosa facta vacuatione, locus non sit inscindendi & attenuandi, quum necessum sit putredinem inhibere, idque fieri non possit obstructione permanente; ob id quidem detractis humoribus, vasorum ventilatio, quæ hac ratione fit maior, sufficiet impedire, quo minus obstructio non valeat maiorem inferre putredinem: præterquam quod putredo non viget in humoribus illis crassis & viscidis, qui obstructionem moliuntur, sed in reliquis in venoso genere inundantibus, quorum copiam detrahere, sæpissime putredinem inhibet, præstatque aditum & locum exhibendi deobstruentia & expurgantia, quæ ante id exhiberi minime possunt. Quorum profecto copiam detrahere etiam nititur Gal. 8. *meth. cap.* 4. dicens: *Ac si quidem vel puer vel senex sit, sanguinem detrahere non licet*. Inter has ætates, vbi robur ægro non deest, secunda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint. Præstat enim, vitiosi succi maiori parte amissa, ad detergendas obstructiones accedere, cum alioqui melius sit, si obstructionibus liberandis, priusquam vacuaueris, studeat, ne ipsas magis impingas. Quamobrem in hac controuersia proculdubio censeo sanguinem esse mittendum, sicut in reliquis præsidijs diximus, etiamsi obstructionis potissima caussa humorum crassities existat: id tamen potius agendum est, quantum sat sit, vt & ventilationis defectum suppleamus, & aditus extenuationi supersit. Nam ante id neque expurganti medicamento, neque vllo alio auxilio vti tuto datur, sed omnium seorsum meminisse oportet.

Putridarum febrium. Obstructio quib⁹ aufferenda, quæ sint, quomodo ac quando deobstruentibus vtendum.

Fere eadem, quæ humores inscindere & extenuare vires habent, deobstruendi quoque facultate pollent. Sed cui præcipue hoc munus tribuitur, id medicamenti genus est, quod infarctu liberat, quod sane in se complectitur ea pharmaca, quæ abstergendi & repurgandi facultatem habent. Sat enim non est ad obstructionem aufferendam, crassos humores extenuasse & inscidisse, ni quod eorum inscissum & attenuatum probe est, repurgaueris & absterseris: quinimò frequentissime accidit, inscindentibus & attenuãtibus pharmacis exhibitis, maiores subinde fieri obstructiones ex attenuata et inscissa materia, nisi simul cũ ipsis repurgantia & abstergentia adhibueris, quæ id, quod inscissum est, apertè separent & expurgent. Verùm quia in febribus plurima ex his, quæ id efficere nata sunt, maioré caloré concitant, ob id seligere expediet, quæ citra manifestum calorem id opus præstent. Quamobrem nutrimentis admiscere oportet, quæ detergendi vim habeant, veluti est *ptisana & mulsa*: serapijs vero & alijs pharmacis *oxymel* simplex aut compositum admiscebis. Quod sane me

Detergendi vim habent.

A dicamentum omnem scopum adimplere omnes fatentur: inscindit enim & abstergit, maxime si admiscueris aquam hordei feruefactum modico *hyssopo, origano, aut radicibus cychorij & apij*. Sed inter omnia pharmaca, quæ ad meatuum expurgationem adhibentur, *absynthium* primas obtinere norunt omnes, præsertim eius decoctum cum *oxymelite* admixtum. Ex quibus omnibus, & ijs similimis, quæ calidiora sunt, pituitosis febribus, & corporibus liberalius porrigere poteris; quæ verò temperatiora, reliquis. Id enim opus est quod Hippocr. consuluisse censeo *aphoris.* 10. vbi scripsit: *Corpus vbi quis vult purgare, oportet fluida facere*; nam vt purgatio ex voto succedat, meatus aperire, & humores attenuare opus B est, alioqui difficiles fiunt purgationes, & quod deterius est, parum aut nihil putredinem corrigi conspicimus, & iudicia fieri ob id grauiora, periculosiora, & infida, recidiuasque minantia.

Absynthiũ meatus aperit. Purgam⁹ fluida corpora.

Sed si humorum crassitiem maximam esse cognoueris, copiosioresque esse crassos humores, extenuationem institues, atq; inscissionem non diu aut perseueranter factam, sed factis etiam per interualla minutis vacuationibus, quibus quod diebus aliquot extenuatum est, paulatim etiam excernatur. Verùm si humorum crassities vel parua fuerit, vel humores nõ multi, vnica purgatione rem agere oportebit, præmissa tamen sufficienti humorum extenuatione & inscissione. Si tamen forte contigerit plenitudinem & C crassitiem simul febri caussam præstare, vtroque auxilio opus erit, & sanguinis detractione, & post extenuationem purgatione quoque: quibus sane auxilijs simul medeberis prohibitæ transpirationi & obstructioni. Ceterum quia ventilationem prohibitam ad antiquum statum redire impossibile est alijs auxilijs, quam ablata obstructione, quæ vel à crassis aut multis succis fit, ob id vna aut eadem auxiliorum sorte omnibus his caussis prouidemus: sicut, cùm densatis exiguis meatibus, aut constrictis poris, quandoque fiat transpirationis cohibitio, per ea quę rarefaciunt, ac dilatant constrictas partes, rem agere satius erit.

De obstruentib⁹ quãdo aut quomodo vti liceat.

Cum potissima & immediata febrilis caloris caussa in putrida febre putredo ipsa sit, hac in parte operæ D pretium duxi, exponere, qualis nam sit humoris putredinis habenda prouidentia, vt in ordine ad eius naturam & conditionem apta illi præsidia præstare possimus. Cum enim in humorum putredine primum, quod vitium contrahit, eorum aut partium, quibus continentur, innatus sit calor, qui extraneus factus, humidorum cum siccis vnionem continere probe nequit, fit facile, vt tria reperiantur in ipsa putredine vitiorum genera. *Primum* caloris corruptio per excessum; *secundum*, separatio humidi à sicco in ipso putredinis motu: & *rursus*, aliquid putridum, & iam omnino à natura separatum & corruptum. Quapropter aduersus vnamquamque harum partium pugnandum nobis est in quauis febre. Sed considera E bis primo, an putredo sibi comites habeat peculiares caussas, quibus excitatur, an sola per se prærequirat prouidentiam: quòd si primum sit, frustra præsidia porriges putredini, si prius caussas non abstuleris eo modo quo dictum est. Verùm si id iam eo modo feceris, & cum hoc putredo per se vrgeat, quod maximum nacta sit à suis caussis principium, tunc quidem prouidendum illi est: primo, per ea, quæ putredinoso calori aduersantur, quod sane opus nil tutius aut commodius facere poterit, quam calor ipse innatus coctione media. Ob id enim dixit Galen. *Coctio est quæ facit cessare putredinem*: verum si is iam admodum sit vitiatus, ita vt sperandum sit, citra artis adminiculum, id opus naturam non posse exsequi, huic muneri maximum præstabis principium, per ea, quæ excedentem calorem attemperent, qualia sunt frigida & sicca, illa vero quæ calorem compescant,

Putredinis præsidium.

Vitiorum in putredine tria genera.

Coctio facit cessare putrediné fcant, & ad antiquum statum redigant: hæc vero, quæ quod humidius factum est, exsiccent, & quodãmodo cum sicco adiungant, & firmitudinem præstent. Sed mox, si quid putridum est, sui expulsioné indicat. Ex quo constat, in putredine duo tantum esse agenda, *In putredine duo agenda.* vnum aduersus id, quod adhuc putrescit, quod præstat prædicta alteratio: aliud vero aduersus corruptum & putridum, quod sui ablationem expostulat. Quod profectò optime dixerat Galen. 11. *method. cap. 9.* hæc verba scribens: *Quicquid humorum putrescentium veluti putrescens seminaleque est, per ea quæ tantum alterare possunt, tum concoquere vtile reddere sanabis, facultatem eius, quæ naturaliter concoquit, excitans firmansque.* Quæ sane coctio cùm à moderato fieri debeat, excessum caloris retundit tanquam remissum, humiditatem coniungit propria actione caloris, qui etiam quod superfluum est dissipat, ac manent quidem substantiæ, quia nondum ex toto erant corruptæ, & si quid vitiosum ex toto erat, tantæ efficaciæ est virtus ipsa, vt selecto bono, quod reliquum est separet, & aliquando per sudorem, vrinam, aluum, & vomitum expellat, vel si deterius extitent, in abscessum pellat. In quem sensum censeo Galenum dixisse 11. *method. cap. 10.* vires roborandas esse, quo putredinem superantes succos concoquant: hac enim ratione dictum esse ab eodem auctore existimo, quandoque virium roborationem ad affectus curationem condacere. Nam licet curatio per contraria fieri debeat, in quibus est putredinem compescere, totum opus naturæ est committendum, & ob id roboranda summopere est, vt curationi quoque profit. In quo opere exsequendo coniectandum est, nullo alio auxilio citius ac tutius ipsam roborari quã deuicto frenatoque contrario, hoc est, calore, id quod per ea, quæ excessum eius remittunt, prompte facies. Etenim in humorum putrefactione motus *(quo quæ putrescunt, aut ad pristinum reducuntur, aut difficilius putredinem concipiunt)* refrigeratio, ventilatio, & semiputridorum concoctio ex aduerso illi respondent. Verùm quod corruptum putridumque est, multis modis eodem loco vacuare docet, quæ postea latius exsequi docebo. Itaque id quod semiputrescens est, omnino, sed caute alterabis, ijs, quæ frigidæ & siccæ naturæ sunt, ac tenui substantia constant, ne frigiditate impensa corporis meatus constringantur & obstruantur, quod solet esse maioris damni præludium.

Putredini fienti mederi oportet frigidis & siccis.

Sunt quidem præter dictas considerationes aliæ, quæ mihi in hac re in mentem semper venerũt, quas nosse maximi esse momenti ad curationem existimo, quarum prima versatur circa extraneum & præter naturam calorem; non quidem eum, qui putredinis auctor est, & in humoribus viget, & caussa mali existit, sed circa eum qui extraneus est etiam & præter naturam & rationem morbi habens, vigensque in solidis particulis. Nam aliud est considerare calorem præter naturam vt morbus est; aliud vero calorem qui excessu præter naturã efficitur, morbosum calorem prædictam in solidis particulis generans: sicut aliud est refrigerare simpliciter, quod calori, vt caussa est, debetur: aliud vero refrigerare tantum actualiter, quod pro ratione eius quod naturam excedat fieri debet. Calori enim vt calor est, refrigeratio debetur, tanquam caussæ præter naturam operanti: vt vero præter naturam est, morbumque constituit, tanta refrigeratio, quantus est recessus à naturali moderatione. Quin potius quæ nostrum calorem æmulantur, non quæ frigida sunt absolute, adhibenda esse consulit rei natura; nam his auferenda est intemperantia in membris relicta, iuxta illud Gal. *Vnamquamque caussam abscindere prius: deinde ad eam, quæ facta est, discrasiam peruenire:* forsan enim tepore illo securius reducetur natura ad antiquum statum, quam frigidioribus, quibus mirũ non est, si ipsa quoque aliquo modo naturæ indigentiam & natiuam temperiem excedendo naturam infirment, cum hoc tamen nihil inconueniet parum frigidiora adhibere, dum lente & paulatim efficias, verens naturæ alterationem, maxime cum calorem hunc compescere oporteat in membris præcipuis, in quibus nil subito, audacter, temere, aut confertim aggrediendum est. Atque hæc aduersus febrilem morbum in partibus relictum sufficere videntur, interim dum non migret in habitum, sed in habitudine, & leuiter præsit.

Calor morbosus quibus pellendus aut abigendus.

In Tertiana Exquisita.

Solent procul dubio Medici nomine tertianę multa intelligere: Primum quidem *simplicem tertianam:* id quod Galen. *lib. 2. de diff. febr. cap. 3.* fatetur, nempe, *tertianam illegitimam,* quam rursus idem auctor 1. *popul. part. 3. com. 5.* appellat *tertianam extensam:* nonnunquam vero nomine tertianæ Medici vtuntur, cum adiectione, videlicet *semitertiana seu hemitritæi,* quæ tertiana loco citato sic appellatur à Galen. quia præter hoc quod cum rigore inuadit tertianarum more, intermissione tamen caret, quia diem secundum non habet integrum. Alio modo cognominatur tertiana, cum *duplicem* eam appellamus, eo quòd tempore quietis, die nimirum intermedio inter duas accessiones alia superuenit accessio quæ tertianam duplicem constituit. Vltimo vero *tertiana exquisita* ea solet appellari, quæ vera & legitima est, ex flaua nimirum bile in extremitatibus vasorum putrescente. Exquisitum tamen & legitimum aliquem affectum nominamus, vno è duobus modis: *Primo* quidem, cum nulli alteri affectioni adiungitur: *altero* vero, cum materialis illius affectus caussa sola impermixtaque est, & absque alterius consortio. Exquisita autem tertiana vtroque modo venit æstimanda, & quod nulli alteri affectioni adiungatur, & quod in ea solus biliosus humor abundat, aut peccat. Verùm licet dictum sit, exquisitam tertianam nullum alium humorem sibi habere comitem præter flauam bilem, non ob id intelligendum est omnino absolui à consortio alicuius humoris, cum perdifficile sit credere, febrem aut tumorem præter naturam omnino absolui posse ab aliquo alio humore. Synceram tamen & puram esse exquisitam tertianam intelligimus, vel quatenus sensus iudicio perpendi potest, vel *(quod vtrinque esse arbitror)* quod licet aliquis alius humor simul succendatur, neque ipse morbum efficit, neque pars morbi efficitur, neque vllo modo compescit bilis morem & conditionem, aut vlla lege actiones lædere potest, vt in spurijs & illegitimis febribus euidenter conspicimus: nam vel simul ambo humores qui in eis peccant, lædunt actiones, vel vterque efficitur pars materiæ morbi, aut diuersos creant eiusdem speciei affectus, vt de duplici tertiana certo scimus. Est itaque tertiana exquisita de ardentium sorte & natura, quod ambæ ab vno & eodem humore succenso, nimirum, bile flaua proficiscantur, licet intermissione tertiana ab ardenti differat, nec non & caloris modo: quippe inquit Galen. *6. popul.* Tertianæ calor ab ipsa manu deuincitur, causonidis autem minime: quod etiam Hippocrat. dixisse constat *eod. 6.* Quod sane fieri arbitror ex diuersitate locorum, in quibus bilis flaua in vtraque putrescit: nã in tertiana, quod prope sit cutis, euanescit, discutiturque ocyus, in causonide vero conclusus calor intensior & efficacior redditur.

Tertiana multiplex acceptio. 1. 2. 3. 4.

Tertiana duplici ratione dicitur legitima, & exquisita.

Tertiana quatenus syncera et pura.

Tertia exquisita est de ardentium numero & natura, et quid ab ardente differat.

Ex his, quæ dicta sunt, facilè constat, exquisitam tertianam vno è duobus modis fieri posse: *Vel* flaua bile in extremis vasorum efferuescente, vel putredinem ibidem nacta: vtcumque tamen fiat, ad febres

Tertiana exquisita quot modis fiat.

ex

Tertiana exquisita facta ex bilis efferuescentia in quas febres degeneret.

ex putredine ortas reduci debet, vt constet, veram esse Galen. sententiam, quæ tenet, ex humore omnes febres ortas putridas esse. Ex qua sane vstionis & putredinis diuisione arbitror proficisci ex tertianis plurimas æstatis tempore, & prope autumnum in quartanas commigrasse: nam dum humores intra vasa efferuescunt, facile quod eorum tenue est resoluitur & euanescit, adeo, vt crassum deinceps in melancholiam, quæ talis est alioqui materiam, ocyssime commigret. Verùm dum intra venas principium putredinis sortitur humor, facilius eo transmisso ad extrema earum in duplicem tertianam aut in spuriam commigrare visum est: à quibus non raro spuriam quartanam suboriri contingit, quæ longe diuturnior existit ea, quæ ex bile quæ efferbuit calore æstiuo exorta est. Qua ratione censeo dictum esse Hippoc. 2. *aph. 25. æstiuas quartanas esse breues*, quod plerumque earum materia ab efferuescentia proficiscatur, sicut diuturniores autumnales, quod à miscella humoris peccantis in duplici tertiana cum melancholia suboriantur.

Tertianarũ caussæ. 1. Excitãs

Ex febrium tertianarum caussis quædam profectò Febrem ipsam excitant ac mouent, quædam Materiam suppeditant, & rursus quædam materiam & morbum augent & præstant. Hanc quidem exquisitam tertianam plerumque excitant caussæ omnes, quæ corpore existẽte bilioso quotidianum effluuium prohibent, vt *decubitus in locis humidis, frigidis herbam etiam frigidam producentibus*: nec non & quæ feruorem mouent, vel nimis excalfaciũt, quales sunt omnes calidę & siccæ, vt Galen. *refert lib. 2. de differ. febr. cap. 1. & 5.* quare non paucæ materiam quoque præstant. Cuius naturæ est consueta vel incõsueta victus ratio per alimenta calida, sicca, pauca, aut per inediam, cum labore, curis, vigilia, mœrore, aut feruentissima ira, iuuenilis quoque ætas, natura sicca, squalida, biliosa, bitsita, æstiuum insuper tempus, regio calida & sicca, & magnus æstus, aut igni inconsuetus accessus. Ex quibus profectò vel naturalem ipsam bilem nedum excedentem, aut vitiosam, si in corpore sit, inflammari, moueri, exuri, & putrefieri, aut vtcumque aliter alterari, donec in febrem commigret, certum est, & plerumq; in continuam, si maior copia fuerit, quam natura possit ad extremas venas principio morbi trudere, aut interpolatam, si potens validaque huic operi existit. Quæ omnia profectò & flauam bilem copiosiorem gignere, & genitam in feruorem aut putredinem agere nata sunt.

Tertiana exquisita non à sola flaua bile, sed à quauis alia bilis specie fit.

Præterea dum bilis in corpore abundat, vel ipsa per se materiam huic malo præstat: vel in rubeam, vitellinam, porraceã, æruginosam conuersam, idem quoque malum, sed longe grauius & periculosius efficit: quos sane progressus bilis flaua exsequitur in deterius mutata, vi & efficacia prædictarum caussarum. In qua re licet Galen. dixerit, bilem putam huius febris caussam esse, credendum est, non solum de bile flaua subaudiendum esse, sed ex quauis alia quoque fieri posse, licet ob id tertiana ipsa deterrima admodum euadat, aut productior. Altera vero caussa, quæ veluti fomentum huic febri præstat, vel est iecur, huius & reliquorum humorum officina, vel cistis fellis, vel meseræon, & quæcumque circum præcordia cauaque viscera sunt loca, è quibus tanquam è receptaculis aut officinis, deprauata bilis effluit indies magis ac magis, qua febris tertiana fouetur: quas sane caussarum differentias nouisse ad veram medendi rationem exsequendam, maximi est momenti.

Signa tertianæ triplicia sumuntur. 1. ab iis quæ præcesserunt. 2. quæ comitãtur. 3. quæ sequuntur. Signa tertianam comitantia.

Signis quidem in hac febre nobis opus est, non solum ad cognitionem distinctionemque, sed ad verã etiam præsagiendi viam adinueniendam. Ea autem omnia triplici genere comprehendes: nam quædam sumuntur ab his, quæ *Præcesserunt*, quæ caussas nuper relatas omnino complectuntur, velut *temperatura calida & sicca in ætate iuuenili, anni tempus æstiuum, regio & victus calfaciens & exsiccans*, à quibus omnibus copiosam bilem generari necessum est. Inquit enim Hippoc. 3. *aphor. 19. Quidam morbi in quibusdam temporibus magis contingunt*: quod etiam intelligendum est de ætate, regione, temperamento, ac victus institutione: Quædam vero ab his quæ affectum *comitantur*, & alia ab his quæ mox *sequuntur*. Sic profectò inter ea, quæ affectum comitantur signa, primum locum habet *rigoris natura & conditio*: nam inuadit febris hæc semper cum valido rigore, in quo veluti pungentes aculeos laborantes præsentire referunt. Qui etenim initio vehementior est, procedente tamen tempore paulatim mitescit, à quo protinus calor increscit maximus.

1. Rigor. Eius natura & conditio.

Fit itaque in his febribus validus rigor ob naturam halitus, & humoris tenuissimi & pauci, qui extra venas feruntur, nam cum bilis sit quæ mouetur, & ea cum leui alterius humoris miscella, ac intra venas nacta putredinis aut efferuescentiæ principium, ex quo natura valide irritatur, contingit profectò triplicem ad validum rigorem efficiendum adesse caussam.

Rigoris validi triplex caussa.

Primam quidem humoris & halitus acrimoniam & caliditatem, quæ facultatem ipsam ad expulsionem lacessit, ac tanto rigorem contingit esse vehementiorem, quanto humores acriores calidioresve extiterint. *Secundam* vero facultatem, quæ vehementer materiam agitare mouereque valeat, non tamen vtcumque, sed valide: quippe tanto rigores vehementiores succrescunt, quanto vires validiores fuerint, licet grauius & molestius rigores ferantur à debilibus corporibus etiamsi in eis minores fiant ob facultatum impotentiam. *Tertiam* vero & vltimam caussam esse arbitror, sensum laborantis nimis acutum: nam ad pensum ipsius magis ac magis facultatem irritari contingit, ex quo maiores aut minores fieri rigores certum est: præstans enim sensus facilius percipit noxam, quo fit, vt facilius irritetur ac gliscat ad materiæ expulsionem.

Rigoris discrimen quod.

Ex quo euidenter constat, non leue rigoris discrimẽ ex modo motus exortum, nam si remissa fuerint prædicta accidentia horrorem efficiunt. At si cum hoc remissiora fuerint, & materia non æque calida, aut plane frigida, frigus progignitur ac frigiditas extremorum ex retrocessione caloris ad interna propter viscerum dolores ex effluxione flauæ bilis ad ea. Quibus præmissis, ne nos rigores primò morbi insultu superuenientes decipiant, nosse oportet prædictam differentiam distinguere. Itaque exquisitam tertianam præcedit rigor vehemens, punctorius, ac mordicationis sensum præ se ferens, cum calore & totius corporis concussione.

2 Caloris copia & qualitas. Tertiana exquisita calor similis est calori causonis, sed nõ æque acris & mordax.

Secundo cognoscitur prædictæ febris natura ex copia & qualitate caloris, atque ex breui vel diuturna eius succensione: quippe eò biliosior & exquisitior febris est, quò citius post rigorem succenditur calor: & quò tardius ea, impurior. Præterea habent exquisitæ tertianæ, quatenus ad copiam caloris attinet, ingentissimum calorem, ęqualem quidem calori causonis, non tamen æque acrem & mordacem: nam licet talis à principio appareat, mox ab ipsa manu deuincitur, vt Hippoc. refert 6. *popul. part. 1. tex. 29. nec non & eodem 6. part. 8. text. 36.* dicens: *Febres in quibus vlcerantur labia forte intermittentes, et tertianis refrigerationes, vrentes vero statim ad manum soluta semper.* Sic enim dum increscit calor, intima vruntur & ipse acris & multus sentitur, cum æstu & feruore maximo: corpus item nullibi quiescit, & spiritum emittit magnum ac densum, & calidissimum, conflagranti flammæ persimilem. Habet tamen id peculiare, vt refert Galen. 2. *de crisib. cap. 3.* quod prope vigorem extremæ partes æque ac thorax incalescant, quo tempore madore leui totum corpus perfunditur, qui protinus à potu increscit.

3. Pulsus.

Ex pulsu etiam nõ minorem huius mali notitiam per-

Tertiana exquisita signa ex pulsu.

perdisces, namq; à principio accessionis apparet paruus, tardus, rarus, ac debilis, ita vt tarditas ad eum qui secũdum naturam est modum accedat, eo quod calor ad intima fugiens supiatur. Ceterum cum ad incrementum peruenit, fit pulsus magnus, celer, & crebet, & manifeste iam ad statum properans, magnus efficitur, celerrimus, & creberrimus, omnis tamen inæqualitatis, præterquam febrilis, expers.

Inæqualitas febritis duplex.

Verùm vt quisq; probe tenere possit, qualis nam sit communis febrium omnium inæqualitas, & qualis quibusdam propria existat, expendat, inæqualitatem febrilem duplicem esse: alteram inter Diastolem & Systolem, reliquam vero in vna tantum pulsatione. Prima quidem potius describit diuersitatem temporum morbi, quam affectus ipsius naturam: nam cum in B prima hac differentia rhythmus in statu morbi æqualis existat, (*quod æqualis sit necessitas attrahendi aerem ad refrigerationem, & expellendi fuliginosa excrementa*) sicut in reliquis temporibus inæqualis, ob inæqualem vtriusque vsus indigentiam: sequitur, non vere posse dici febrilem inæqualitatem. *Secunda* vero qui in vnica fit pulsatione, nimirum, quando arteria mouetur velocius in principio & fine dilatationis, quam in medio, vt Galenus intellexit 1. *ad Glauc.c.6.* quod sane contendit Stephanus Atheniensis de diastole & systole esse intelligendum: quantum autem veritatis habeat, mox referam, si prius inceptum finiero. Quando enim in principio & fine vnius tantum dilatationis motus est celer, ab ipsa necessitate C concitata facultate pulsifica, in medio vero dilatationis pulsus fit tardus, eadem facultate præ nimio humorum pondere grauata, omnium febrium humoralium sorti propriam esse inæqualitatem arbitramur, licet in tertianis obscurior appareat. Nam hac ratione intelligendus venit Galen. 2. *de crisib. cap.3. & 1. ad Glauc. cap.5.* quod ibidem tantum loquatur de his differentijs, manifestis tamen, quas esse priores continuis & periculosis febribus censemus.

Inæqualitatis febrilis nomine quid vẽniat.

Contendit enim Stephanus, per inæqualitatem febrilem solum intelligendam esse, quæ inter diastolem & systolem reperitur: quam sane ego, licet in febribus conspicuam & necessariò contemplabilem arbitrer, potius temporum circumscriptiuam, quam morbi indico D (*vt latius lib. de pulsus arte scripsimus*) aut saltem vtrumque simul. Verùm quia huius nullum est in febrium intermissionibus iudicium, eam arbitror proprius febrilem inæqualitatem censendam esse, quam ex Gal. mente adduximus: alioqui impossibile esset, in die quietis prædictam febrilem inæqualitatem adhuc superesse, vt Galen. aperte fatetur, & nos loco citato exposuimus. Habet insuper hæc febris pulsum (*vt cœperam dicere*) magnum, celerem, & frequentem, absente vero febre, licet pulsus citra ipsam sit, nõ tamen omnino liber est ab inæqualitate febrili, *vt 1. ad Glauc. cap.5. Galen. statuit.* Nam cum pondus & grauitas in facultate ex eo humore qui in venis est prodeat, nil mirum profecto: si inæqualitas quæ ab E plenitudine proficiscitur, supersit quoque cessante febre, etiamsi eodem loco in nulla alia febre referat Galen. pulsum reuerti æquè ad naturalem statum, ac in exquisita tertiana: quod de calore febrili & inæqualitate inter dilatationem & compressionem censeo intelligendum fore, namque adhuc in ea remanent alterius singularis inæqualitatis vestigia, eo modo quo dictum est.

4. Tertianæ exquisitæ signa ex accidẽtibus.

Monstrant etiam exquisitam tertianam accidentia, quæ ipsi succrescunt, nimirum, sitis, qualis in causonide reperitur, quæ ex caloris vehementia, & biliosi succi cõfluxu ad ventriculum, adhuc in prima accessione suboritur: quod continuis febribus nonnisi crescente malo succrescit. Dolor item capitis sine grauitate, vel ex leuissimo & tenuissimo flauæ bilis halitu proficiscens. Adest vigilia, & non raro, vt refert Auicen. 1.4. *tra. cap.37.* delirium, & ad iram propensio. Reperitur in quibusdam feruoris sensus in hepatis regione, quod plurimum humoris in ea parte & circumuicinas confluxerit. Dolor item renum grauissimus ex dilabente prope ipsos flaua & acri bile. Adest & inquietudo totius corporis, bile per ipsum delata. Apparent insuper in huiusmodi tertianis vlcera in labris, vt pulcre aduertit Hippoc. 6. *pop. part 8. cap.36.* dicens: *Febres in quibus vlcerantur labia, forte intermittentes, & tertianæ refrigerationes, vrentes vero statim ad manum solutæ semper.* Verùm quia prædictæ pustulæ non sunt tertianis adeo propriæ, quin aliquando continuis accidant, ob id censeo dixisse. *Forte.* Itaque omnia alia signa, quæ febribus per accessionem repentibus succrescunt, longe vehementiora reperiuntur in exquisitis quam in reliquis omnibus.

5. Tertianæ exquisita.

Signa item ab excrementis petita multifariam prædictam febrem obstendunt: huius naturæ est *Vomitus*, aliquando in principio apparens, dum ad ventriculum aliquid bilis, tempore rigoris excernitur: aliquando vero post rigorem, dum iecur & partes in quibus bilis continetur, flauam bilem iam superatam post accessionem fundunt & expurgant: *Alui deiectiones* pari pensu & *sudores*, non nisi inclinante febre, velut vapor quidam calidus totum corpus æqualiter perfundens. Quo tempore & potus est occasio, & pulsus talis apparet, qualis his, qui à citatiori C cursu excitantur, aut balneo vsi sunt. *Vrina* vero subrussa, flaua, russa, mediocris substantiæ, aut, *vt Arabes censent*, rubra, tenuis, substantia ignea, parte quidem inferiori subtilior, superiori vmbrosa atque nebulosa, ab ardore & permixtione biliosi humoris, vt ex Galen. 2. *prog. 26. euidenter constat*, in qua si nebula alba aut appendiculum appareat, non transcendet quartum circuitum: iuxta illud Hippoc. 4. *aph.71. Quibus in vrina nebula rubea quarto die apparet, is septima iudicatur.* In vrinæ autem excretione obseruandum est, dum accessio viget, aliquod huius conditionis appetere, aliquando secus, alba quidem & cruda, aut mediocris caloris: & nonnunquam decolor tempore quietis; & dum accessio viget, rubicundior conD spicitur. Cuius varietatis caussam arbitramur esse locum, vbi biliosus humor magis immoratur: quippe si prope iecur & venas maiores præsit biliosus hic humor, ante accessionem & vniuerso tempore quietis, intensior apparebit vrina, in accessione vero humore ad vasa minora, & eorum extrema transmisso, vel crudior, vel melioris erit coloris.

Colorum mutatio in vrina, vnde in tertiana exquisita.

Verùm si humor vigeat in minoribus venis, & ad pancreas & venas viscerum transmittatur, accessionis tempore intensioris caloris erit vrina: in die vero quietis, præstantioris, quod longius distet humor peccans ab emulgentibus, sicut in accessione propriùs illis accedit.

6. Tertianæ exquisitæ signa ex dubitatione.

Nec minoris momenti signum est febris ipsius duratio, nam exquisita tertiana in vnica accessione E plus non consumit quam duodecim horas. Quippe hoc tempus in veris, legitimis, & exquisitis tertianis longissimum est: sæpius autem septem horis accessio terminatur, nonnunquam serius finitur, aut tardius, prout bilis multa vel pauca, tenuis vel crassior extiterit, virtus robusta aut imbecilla, corporis habitudo rara vel densa: nam hæ proculdubio sunt caussæ, quæ statutum tempus accessionis anteuertunt aut temorantur. Atque licet hoc verum sit, & non mediocre signum febrium tertianarum, *vt dictum est ab Hippocrat. 2. popul. part. 3. text. 22. & Galen. 2. de differen. febr. cap.3. & 4. aphor. 59. & Auicen. fen. 1.4. cap.49.* non ob id existimandum est, ex reditu ad similem statum febrem cognoscendam esse: inquit enim Auicen. loco citato: *Qui iudicat febres per accessiones, errat in eis:* quod etiam dixerat Galen. *libr. 1. de differen. cap. 10. Non oportet, inquit, accessionum circuitionem*

solum

solum in febribus aduertere, sed multo magis ipsius febris modum, vt ex vnguibus leonem venemur.

7\. *Tertiana exquisita signa ex ætate & anni tempore.*

Præterea id malum cognoscimus, signo desumpto à natura, ætate, regione, victu, & cæli statu. Promtissima enim est ad exquisitam tertianam iuuentus, cui similis existit calida & sicca temperatura, quæ in laboribus, vigilijs & inedijs extiterit, cibus etiam calidus præcedens id maxime monstrat, præsertim siccus aut parcus. Tempestas quoque arida & valens, & caussa & signum euidentissimum existit, maxime si consimiles morbi per populum grassentur: Nec mirari oportet, tot signa adduxisse huius febris, quæ & facilis est cognitu, & curatu facilior: nam ex vnanimi omnium Medicorum sententia constat, febrem tertianam *(maxime exquisitam)* esse veluti ideam & exemplar tertianarum omnium, ob id venia dignum me iudico.

Præsagiū tertianæ exquisitæ.

Primo quidē cognita exquisita tertiana, breuissimam esse mox referendum est, & securissimam: breuissimam quidem forte, probat Hippoc. 4. *aphor.* 59. dicens, *tertianam exquisitam septem circuitibus terminari*: Quod sane alijs verbis dixerat 6. *popul. part.* 2. *text.* 15. statuens, à quinta accessione ad septimam iudicari, vt idem auctor exposuerat eodem opere, *lib.* 2. *part.* 3. *text.* 17. dicens: *Quæ diem vnum intermittentes, altero superrigent cum indicatione ad septimum.* Sed breuissimam & securissimam protulerat *lib.* 1. *eiusdem operis, part.* 3. *text.* 8. scribens: *Tertiana exquisita cito iudicatur, nec lethalis est:* & Gal. *lib.* 1. *de arte cur. ad Glauc. cap.* 8. inquit: *Ex intermittētibus breuissima quidem ac mitissima est tertiana.* Itaque constat, septem periodos non excedere, aut ad summum nouem tātum attingere, vt videtur sensisse Hipp. *lib.* 4. *de coacis præn. tex.* 44. Sed intelligendum hac in parte est, septem periodos tredecim diebus finiri. Contam cludit itaq; Trallia *lib.* 12. *c.* 6. tertianam exquisitam esse breuem et facilis curationis, maxime si quis eam recte tractet, alioquin mirū non est, si difficilis & grauis fiat, vel in grauiores morbos commigret, vt Gal. exemplo probari potest *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 9. de macie seu tabe ex tertiana improbè curata, oborta.

Septem periodis finitur & facilis est curatu.

Curandi ratio.

Cum vniuersa simplicium tertianarum curatio veteribus Medicis ad alterationem & vacuationem reducta sit, illam quidem refrigerantibus et humectantibus præstitam, hanc vero sudationibus, vrinis, vomitibus, & alui subductionibus, ob id quidem vtramque indicationem, & eam quæ à caussa, quæ prædictas euacuationes aliquando postulat, & eam quę ab affectu, quæ conuenienti refrigeratione fit, ad vnguē expēdisse erit operæ pretium. Sed præstat vniuersam medendi rationem in tria tantum membra dissecare: quorum primum considerat *flauam bilem*, idque duobus modis, vno *Succensam iam & putrefactum*, cuius etiam habenda est aliquomodo prouidentia; altero *succensioni paratam.* Secundum autem considerat *Membrum recipiens*, quod in hac affectione maius plerumq; facessit negotium. Tertium vero & vltimum membrum *Mandans* quod sane licet videatur primo esse expendendū, cum in omni curatione non solum sit veniendum ad caussam, sed ad caussæ principium, cum hoc tamen; quia humoris biliosi conditio, natura, atq; vrgentia sæpissime curantis consilium ad se vertit, ob id profecto ab humoris peccantis prouidentia, initium curationis auspicari oportebit, quia hac lege prouidemus recipienti membro, & morbo ipsi ac symptomatis; cum ad id quod magis vrget, dirigi debeat omne curantis consilium.

Tertianæ curādæ ratio triplici constat prouidentia.

Curationis tertianæ principium crudo adhuc cibo existē-te, vnde sumendum.

In primis igitur considerabis, & diligenti animo expendes, an crudus adhuc subsit in ventre cibus, quod laborans parum ante febris exordium intercipi de prauasuerit: quo tempore vomitu curabis quod crudum est expellere. Quippe non licet protinus corpus pharmacis turbare, neque si paucis ante diebus parce se gesserit laborans, nam tūc coniectabile est, quod crudum præfuerat ad intestina descendisse: quo tempore à clysmate vehementiori, quod ventrem purget, incipiendum erit. Verùm si quidem crudum praueque digestum in primis venis inhæserit, quod vereamur venas maiores posse irruere, tūc quidem optime corpus ad vlteriorem curationem præparabis, si exhibito leui pharmaco prædictam cruditatem expurgaueris. Quo facto, vel si ea curatione opus non fuerit, principium curationis, non quidem protinus à sanguinis detractione sumes, vt multi indistincte faciunt: nam licet dictum sit, omnibus putridis febribus sanguinem esse mittendum, etiam statutū est, vbi præualuerit cacochymia, ipsam esse expurgandam prius: neq; id temere aggrediendum, cū Gal. & reliquis decretum sit, in æstuosis ac feruore concitatis tertianis alteratione tantum esse vtendū. In qua dubitatione, vt quis intelligat *à quonam incipiendum sit*, primo considerare oportet *flauę bilis quātitatem*: secundo, locum *vbi viget, ac putrescit, & vitiatur*: tertio vero, *eius vitium seu qualitatem, citra id quod quantitate abundet.* Quod si hoc tertium cognoueris in corpore præesse, ex anteacta vita laboriosa, vigilijs & curis plena, atque tempore æstiuo, cauendum est omnino ab omni vacuatorio auxilio, quintimo res agenda est per eam victus & vitæ institutionem, quæ præter id, quod refrigeret, reficiat quoque, atque optimi nutrimenti præstet quod laboribus præhabitis euanuit, siquidem dum affectio ex hac caussa prouenit, potius à defectu probi nutrimenti, quàm bilis abundantia proficiscitur. Verùm si bilem abūdare constiterit, tunc quidem cōiectandum est, quo auxilio, sanguinis nimirum missione aut pharmaco, in principio ipsam liceat extrahere. In qua hæsitatione scito, quod si in primis venis præfuerit flaua bilis, aut in eis proximis, & iuxta vias & canales communes, *(quod ostēdit vomitus biliosus, vel alui fluxus, aut intestinorū aut ventriculi morsus, maxime in diequietis, vel saltem ineunte accessione)* eo tempore tutissimū fore consilium arbitror, a purgatione incipere: quæ nec omnino sit seligenō pharmaco facta, ne plus, quàm par sit, ipsius flauæ bilis ad communes vias è venis trahatur: nec omnino leui, vt aliquid agere possit. Quippe eo tempore naturam habemus adminiculantem, monstrantemque regionem sibi proficuam & intentam, cui operi coctionem præesse opus non est, cum materia illa antecedens sit, quæ nondum putredinem contraxit, sed solum leue quoddam vitiū, quo natura irritatur ad expulsionem. Quo tempore vacuationem institues, nam ea profecto est occasio quam præcepit Hipp. rimari ad expurgans medicamentum exhibendum etiam incohoante malo. Neq; opus est sanguinem misisse, quia non deerit trahenti pharmaco locus, quod prope emunctoria vitiosi humores existant: nec rursus ob id contrariamur Gal. *qui* 11. *meth.* iussit in omnibus febribus putridis sanguinem mittere, quia huic etiam auxilio non deerit occasio, nunc enim solum à quonam liceat initium sumere differimus: cum ipse etiam consuluerit abstinendum esse à sanguinis detractione, in his, quibus os ventris bile abundat, aut imbecillum, vel nimis sensile est, concitat enim in his sanguinis detractio maiorem feruorem, ac syncopem, & ipsius ventris erosionem. In hac etenim occasione vtor *pulpæ cassiæ fistulæ* ℥. 7. *facti in cum saccharo bolus, & mox superbibere syrupi soluti vt rosarum Persicarum* ℥. 1. *&* ß. quo pharmaco facilè quod in pancreis im motatur, quantumuis sit bilisum, expurgari conspicimus. Cui consimilis est *manna, pondere* ℥. 3. *vel* 2. *dissoluta in aqua infusionum rosarum, vel cichorij, si ingens sit calor, aut in succo rosaceo:* vel si nimium vigeat bilis, modicum diaturi rhabarbari adijcies.

Bilis abūdans qua ratione extrahenda.

Tertiana exquisita quādo sanguinis missionem postulet aut renuat ratione bilis.

Bilem expurgant.

Præterea hac purgatione facta, vel si flaua bilis tā-

Tertianæ exquisitæ curatio, si flauabilis in vasis maioribus abundet, & sanguinis missione debet incipi.

tum intra vasa immoretur, vbi maius est cum sanguine commercium, in dubium ferunt medici, sit ne sanguis mittendus: cum constet id Galen. in curatione huius febris prætermisisse, cuius etiam consilium secuti sunt Paulus, & Auer. 7. *collect. cap.* 2. Auen. 3. *theisir. cap.* 1. & enim ex altera parte Gal. consulat, *lib.* 2. *meth.* semper in putridis febribus sanguinē esse mittendum, non leue videtur dubium, quid sentiendum sit. In qua quidem re vt iustè auxilia administrate possis, concipies animo, exquisitam tertianam his nostris temporibus raro accidere ob victus & vitæ intemperantiam: quapropter tantum ab illius curatione, quæ antiquis medicis tanquam idea proponitur, euariandum erit, quantum ab ea proposita febris declinauerit, *vt Paulus etiam monuit lib.* 2. *cap.* 20. Verùm cum hoc sic litem dirimere mihi visum est, nimirum, sanguinem proculdubio esse mittendum, siue bilis quantitate nimia exsuperet, siue nimis feruida existat, dummodo vires non renuant. Nam deposita vtcunq; abundantia, promptiùs ventilantur humores, & minus putrescunt: quippe vereri oportet, ne ex adhæsu, & consortio huius efficacissimi humoris sanguis aut reliqui succi incalescant plus iusto, & putredinem quoq; contrahant. Quapropter sanguinem esse mittendum censeo, tantumque eius, quantum corporis conditio, & humoris biliosi sinceritas, ac laborantis vires, & præsens occasio permiserint: namque in negligentia harum considerationum potius incommodum situm esse arbitror, quā in ipsa sanguinis detractione. Sic enim plus sanguinis extrahendum est, dum sanguini ipsi admixta fuerit bilis quæ morbum creat, quam dum vagari solam comperiamus. Dignosces autem sanguinem quoque redundare, aut ceteros humores principiū iam feruoris contrahere, ex præcedente victu, & ante acta vita, ex totius corporis rubore, turgore, tensione, ac dolore, maxime capitis, adiuncta tamen grauitate: quo tempore paulo audacius sanguinē detrahes, etiamsi Gal. huius auxilij non meminerit, aut Auic. 4. *primi, cap.* 20. dixerit: *Caue ne ægrum ad alterum horum deducas, uel ad ebullitionē cholericorum humorum, uel ad frigidam cruditatem:* aut etiamsi prohibuerit eadem parte sanguinem detrahere in biliosis corporibus, dicens: *Ne phlebotomes infelicem ex generatione choleræ:* hæc enim omnia non contrariantur nostræ sententiæ, cum de copiosa detractione dicta sint, aut de biliosa abundantia citra febrem: præsertim cum ei adstipuletur Stephanus Atheniensis, qui ex dextri aut sinistri brachij basilica ob mille rationes iubet sanguinē mittere. Nam hæc sanguinis detractio copiā demit, & quòd remanet, ventilari ac refrigerari liberalius deinceps permittit, tandem & iecori et vniuerso generi venoso proficit. Sed exsequi hoc præsidium tunc expedit, cum (*vt dictum est*) mixtionem nacta est flaua bilis cum sanguine, quo casu sanguis vitiosus efficitur. Quo quidem sensu intelligēdus venit Auicen. 4. 1. 6. 20. qui in febre sanguinis coctionē requirit, vt copiosa fiat phlebotomia, sin aliter, exiguus sanguis educitur: de febre à sanguine melancholico, pituitoso, aut bilioso, vt coctione is sanguis fluxilis, & mixtus reddatur, est audiendus; alioqui sibi ipsi pugnaret quia 1. 4. *tract.* 2. c. 7. ita scribit: *scies quod phlebotomia, quando est intentio sanguinis, nō est in genere eius in quo exspectatur digestio, nisi in humoribus alijs.* Quapropter non desunt inter Medicos qui teneant, mittendum quidem esse sanguinem, non tamen ante tertiam accessionem; & falso experimento innitentes credunt, quibus aliter fit, febrem plurimum exacerbari, venamq; ob id scindunt sexto die, & prædicunt fore, vt proxima accessio, quæ quarta est, die septimo grauissima sit, ne id ex errato contigisse videatur. Quod profectò cōsultius Auicennam fecisse arbitror, qui hanc venæ sectionem ante tres

Tertianā exquisitā indigere sectione venæ ex Auic. sētētia post tres periodos, quomodo intelligendum sit.

A periodos fieri iussit, si possibile est, vt ipse inquit: quā versionem credo veriorem esse ea quæ contrarium tenet, negatione non ante posita, nimirum, *non ante tres periodos.* Cuius versionis ipsemet rationem reddit, dicens, *quod bilis & sanguis illi vicinus in dies magis efferuescunt, et biliosiores redduntur, minusque apti eductioni per sanguinis detractionem.* Quod credo dixisse, dum à principio mixta existit flaua bilis: nam si in febris primis diebus nondum mixta appareat, vt cum viget in primis venis, aut ijs qui sunt prope iecur & vias ductuum, naturamque reddat ad expurgandum nauseabundam, facta prius purgatione, *& post tres periodos*, vt prima & antiqua versio tenet, B prædictum auctorem intelligere oportet: quo casu post tertiam accessionem sanguinē mittere par est, quia coctione & agitatione tunc magis miscentur. Moderari enim prudēs Medicus id tenetur, ne post debitū tempus, aut ante occasionem sanguinem mittat. Verùm licet hæc omnia rationi consona existāt, non ob id credendum est, in omni corpore, occasione, aut caussa sanguinem esse mittendum: nam si in huiusmodi febrem quis temperamēto biliosissimus, ætate feruida, itinere, fame, vigilia, vel defatigatione alia dissipatus incidat, sanguis mittendus nō est. Certum profectò existet his occasionibus, aut alijs similimis, vires adeo labefactari, vt ne parcam quidem sanguinis detractionem citra maximum damnum ferre C possint: vt optime aduertit Galen. *9. method.* qui a sanguinis missione abstinendum esse iubet, in his, quibus os ventris imbecillum est, & supra modum sensile, in quibus curandum est, feruorem omni arte compescere, & vires quàm citissimè reficere, ne humorum vitium longe grauius vitium defectu fiat, aut febris in continuam commigret.

Bilis quātitas quibus minuatur.

Sanguine igitur misso quantitatem ipsius bilis alijs auxilijs demere aut minuere necessum erit, verū id varijs modis & rationibus aggrediēdum est: nam minuenda sese offert, quę in accessione à natura trāsmissa est, quæ effectura est sequentem accessionem. Quod si eam, quæ accessionem conciliat, minuere velis, id duobus modis facies (*maxime si nimis mole-* D *sta sit, & plurimum vrgeat accessio*) vel *ineunte* accessione, vel *Ipsa desinente.* Incipiente quidem vomitibus, velut natura frequentissime assuescit, vtiliter & sua sponte: quos sane mouebis, si protinus huic operi ipsum laborantem senseris, calidæ aquæ haustu ex decocto *seminis raphani, & adiecto modico oxymelite.*

Vomitorium.

Præstat & *ptisana tepida* ℥. 4. *sacchari* ℥. ß. item conficies vomitorium, q. ℞. *decocti lactucæ, atriplicis, & portulacæ* ℥. 5. *olei* ℥. 1. *vel oxymelitis quartam vnam, quo tepido vtere.* Item *aquæ hordei ad crepaturam decocti* ℥. 4. *syrupi acetosi* ℥. 1. *aquæ tepidæ* ℥. 3. Quo sane auxilium tentare prius non oportet quam natura id moueat: quo tempore si nihil notatu dignū febris excreuerit, illi auxilium præstabis. Quippe hu- E iusmodi vacuandi ratio longè minorem reddit accessionem, nam ij qui vel vomunt, vel per aluum quid biliosum deijciunt, facile ab accessione se expediunt. Cauendum tamen in his est, ne ventris os nimium ex flauæ bilis contactu offendatur: quo casu potius *aqua feruentissima potu* vtēdum est, si crudum aliquid à flaua bile moueri & agitari comperiamus: verum si ex acrimonia bilis prodeant accidentia, *succum mali punici acidi* porriges, & clysmate quo deorsum feratur, quiuis humor sit, vteris. Inclinante iam accessione, vt ex toto immunis à febre superstit laborans, curandum est (*si mador apparuerit*) copioso sudore biliosum humorem finire: nam qui ex hoc affectu exsudant, omnino à febre immunes euadunt. Quod sane non calidis auxilijs, sed *aqua hordei potu, vel stillatitia aqua, cui adest iulapij violacei, vel acetosi, vel oxysacchari* ℥. 1. Verùm si æger medicamentosum hunc potum renuerit, laudo

Cauenda.

Sudor in biliosis quibus mouendus.

parif-

purissima, aqua bauttum cum saccharo rosaceo albo; A qua potione æger reficitur & contemperatur, ac statim copiam vaporis calidi per cutem pullulare persentit: id quoque facies potu *aquæ buglossæ, scorcioneræ, borraginis, cichorij & hordei.* Quippe solum res agenda est ijs, quæ humores fundant, & modico ac vaporoso calore attenuent. Balneorum hac in parte meminisse mihi visum non fuit, quod iam diu ab vsu recesserint, quapropter nolui frustra tempus conterere: loco tamen eorum intermissionis tempore corpus fricare oportet, quo facilius, quod vi naturæ tenuatum est, dissoluatur, non tamen dum febris adhuc viget, id enim vetuerat Hipp. *6. popul. par. 3.* statuens, *frictiones aduersari febrientibus:* quod sane intelligendum est, dum crudus adhuc est humor, aut B viget febris. Verùm si accessione iam iam inclinante persenseris ilia murmurare, aluum clysmate subducito ex *hordei decocto cum saccharo, oleo rosaceo, & pulpa cassiæ, ac modico succo rosarum.*

Frictiones.

Bilis copia in accessionem tertianæ migratura duobus modis minuitur.

Ceterum si minuere velis eam copiam, quæ in accessionem migratura est, id quoque duobus modis facies. *Vno* quidem facta biliosi humoris copiosa *purgatione*, aut partita, vt morbum finias: *alio* vero *Consumptis residui humoris reliquijs*, vel per vrinam, vel per paulatinam vacuationem seligenti pharmaco factam. Sed cum potissimam in curandis exquisitis tertianis indicationem eam Gal. censeat esse, quam refrigerando exsequimur: ob id primo monendus mihi lector est, sæpissime solam refrigerationem pru C denter factam his febribus citra aliud auxilium sufficisse: nam cum materia peccans, & affectus ipse in eadem indicatione coincidant, nimirū refrigeratione, quòd ambo calorem maximū præstent, ea ratione profecto refrigeratio maius quam humorū eductio negotium facessit, maxime quidem cum natura (*quæ potius ab humoris acrimonia, calore, & mordacitate, quam à copia, quod leuissimus sit humor, molestiam susceperat*) à prædictis iniurijs immunis, facilion negotio eandem materiam duxerit. Itaque in his febribus maior est refrigerādi & humectandi indicatio, eum hoc tamen non est summe refrigerandum, *vt videtur consulere Gal. lib. 1. ad Glauc.* Sed vt Auic. præcipit *fen. 1. 4. tract. 2. c. 39.* non oportet (*vt ipse scribit*) vlu- D mare in refrigeratione multa. Sed censeo Galen. intelligere voluisse rātum esse refrigerandum, non quidem quantum affectus expostulat, sed quantum vires & natura laborantis citra damnum perferre possint. Quæ sane præcepta licet vera sint, & ijs præsidijs, quę inferius scribam exsequenda veniant; eum hoc tamen vbi vberior succreuerit bilis copia, quam quod sperandum sit, per accessionum vacuationes posse finiri, quin vel morbus prorogetur, aut in grauiorem commigret, proculdubio longe vtilius fore arbitror, ipsam expurgāti pharmaco minuere, quàm nimium refrigerationi innitens, aliquod ex prædictis periculis sperare, eò maximè quia bilis eductio refrigerās quoque auxilium est.

Refrigeratio quādo & quatenus tertianæ medeatur.

Qua sane ratione censeo, flauam bilem, quæ redūdat, duobus modis docuisse compescere Galen. *lib. 1. ad Glauc.* Vno caliditatem eius & acrimoniam *Retundendo:* alio vero eiusdem redundantiā *Imminuendo:* cum certum sit, non semper in humorum vitijs esse purgandum (*licet dictum sit, purgationem deberi his humoribus, qui sua qualitate peccant*) nam nisi aut abundauerint, aut præ nimia corruptione & vitio, velut quæ toto genere præter naturam regenerantur, purgandum non est. Peccant enim humores aliquando citra copiam solo vitio, quod potius contrarijs corriges, quam euacuatione. Quæ sane medendi ratio adeo necessaria est, vt sæpe alteratione & attempetamento probe factis morbus subsideat, & humores in meliorem conditionem mutentur. Sic humorum calliditatem & siccitatem compesces (*quo mitiora fiant* A *acidentia, & coctioni aptior ipsa bilis reddatur*) humectantibus & refrigerātibus præsidijs: hac tamen consideratione præmissa, ne vltra id, quam par sit frigiditatem exsequamur, ne bilis ineptior purgationi fiat, quod Hippocrates atque Trallianus vetuerant, docentes, *prope purgationis tempus corpus debere fluidum reddi.* Esto tamen à principio contentus corpus refrigerare potione summo mane exhibita, quæ suscipiat *succi granatorum acidorum & dulcium, anā ℥. 1 & ß.* semota residentia, sequenti die adde *sacchari optimi, aut syrupi violacei ℥. 1. cui etiam addes aquæ hordei ℥. 3.* Quod si suspicio obstructionis fuerit, addes *aquæ cichoris loco aquæ hordei ℥. 3.* aut *oxysacchari S. ℥. 1.* Verùm si amplius refrigerare fuerit in animo cum mo- B derata viarum reseratione, *syrupum cichorij, acetosum simplicem, granatorum,* & huius census adhibere oportet cum *aquis intybi, buglossæ, borraginis, acetosæ, hordei, aut fontis, vel fluuij,* & maxime, quæ per lapideum mortarium percolatur, *cum saccharo & modico aceto, aut succo limonum.* Quod etiam exsequitur Auicenna dicens: *Et aqua frigida facit illud, retundit enim caliditatis excessum, quo interdicitur coctio.* Valet & aqua cum modico succo *agrestæ, aut aceto, & saccharo:* hoc tamen in bilis præparatione obseruabis, quod si febris ab eius vstione proficiscatur, frigidis & humectioribus vtendum est: verum si eiusdem putredine, frigidis & modice siccis, dummodo eis admisceas aliquid, quod impensam bilis siccitatē com- C pescat: Dignosces autem ex vstione aut putredine prouenire, ab excrementorum graueolentia, vel spumoso feruore. In his autem & similibus id præceptum perpetuo obseruabis, quod incipiente malo, & vsque ad augmenti finem frigidioribus vtēdum est: Instante vero purgationis tempore, & parum ante ipsum, adaugebis, quæ modice aperiendi & incidendi vires habent. Secus quidem res se habet, dum solum his auxilijs calorem febrilem exstinguere nitimur: nam tunc post signa coctionis copioso licet aquæ frigidæ potu vti.

Bilis flaua redundās duob. modis à Gal. refrænata.

Retundēdo et Imminuēdo.

Refrigeratio corporis biliosi quib. fiat.

Eandem quoque intentionem adimplere oportet, debita vitæ & victus institutione, qui vlui acrem pa- rare frigidum & humidum expediet, vel arte talem D reddere, pauimento frequenter sparso cum *aceto rosaceo, floribus & folijs sparsis, rosarum præsertim, myrthi, violarum, vitis, salicis, & cannarum.* In primis cauendum esse consulit Aet. *à calidis & fætidis aromatis, & à pinguibus & dulcibus alimentis,* quippe hæc quam citissimè bilescunt. A b alimentis insuper abstinendum est perpetuo in accessionibus, nisi virium et spirituum exsolutio contrarium instituerint: Ea tamen esse oportet frigida & humida, velut *lactuca, scariola, cichoriū, cucurbita, & buglossum, aut ptisana.* Ceterum commune omnibus alimētum est *pullus cum lactucis vel cucurbita decoctus,* præstant & aliquādo *hædinæ carnes:* alæ item magnarum auium, *testes gallorum, perdicum, & pullorum:* ac si hęc laboranti non E placuerint, *saxatiles pisces, & paruam tructam* præbere licebit, & *oua sorbilia cum aceto, aut agresta, & saccharo.* Panatellam etiam ex *lacte amygdalarum, aut iure pullorum, & saccharo, cum succo limonum, aut aceto,* gustui gratissimam esse comperimus: item præstantissimum efficitur alimentum ex *pane loto, cum saccharo & modico succo limonum:* far etiam, quod toti ptisanæ Hippoc. ex parte respondet. Ex fructibus quidem *melones, melopepones, malagranata, & arantia dulcia, vel acida cum saccharo, & guttis quibusdam aquæ frigidæ sparsis: pruna item Damascena, & cerasa acria proficua sunt.* Potus sit *aqua hordei aut saccharo decocta, vel purissima ex fluuio aut fonte vel feruefacta cum modico cinnamomi, si ventriculus id postulauerit.* Vinum quidem ex toto vitare oportet, nisi gratia alicuius symptomatis (*maxime ventriculi*) id præbere cogaris: quod sane eam considerationem inclinante

Victus ratio quæ debeatur tertianæ exquisitæ laborantibus.

Potus.

affectu Galen. libenter concedit, & nos etiam eo vti A possumus in extenuatis corporibus, & his, qui debiles habent vires, cuius loco aquam cinnamomi porrigimus. Somnus vero minime permittendus est in accessionum principijs, sed solum à potu frigidæ, aut vigore transacto.

Somnus.

Tertiana exquisita laborātes qualiter, et quomodo purgādi.

Qua sane vitæ institutione, & prædictis syrupis tēperata materia, reseratisque vijs, si antea morbus crisi non soluatur, transacto vigore, quem plerumque occupat quinta aut sexta accessio, flauæ bilis redundantiam minuere præstat: cuius operis indicationem præbet naturæ motus, & inclinatio, vel membri mandantis aut recipientis dispositio & affectus. Quod si nullum peculiariter affici cognouerimus, nec naturam alicui regioni incumbere, vt per illam vergere insinuet, à solo humore peccante indicatione sum- B pta, per infernam aluum purgabimus, *(etiamsi naturæ facilius flauam bilem per vomitum assuescat purgare)* pharmaco illi è directo proficuo: quale est in delicatioribus, & minus robustis *manna, sero lactis, vel iure pulli decocti cum lactucis, & cucurbita, aut 4. qua cichorij dissoluta cassia fistula cum saccharo:* Nam sæpe in his quibus bilis abundat, sat est leui medicamento principium motus præstare. Quod si constiteris laborantem difficilius purgari, porriges *infusum rhabarbari pondere ʒ. 1. & ß. aut ℈. 4. in aqua cychorij vel hordei, cum syrupo rosarum ex nouem infusionibus, aut violarum (nisi ventriculi laxitas vetuerit) mensura ℥. 4.* Quale etiam est ex *aqua lactis, & myrobolanis citrinis infusis & expressis, ac addito aliquo ex prædi- C ctis syrupis.* Robustis vero corporibus porrigere oportet in aliquo ex memoratis liquoribus ℥. 2. *electuarij de succo rosarum Mesues, cum syrupo ex infusionibus rosarum.* Nec maiorem copiam horum medicamentorum mihi visum est porrigere, nisi in ruralibus, & huiusce sortis hominibus, nam humoris ipsius moti acrimonia frequentissime aluum ipsam citatiorem reddit, præterquam quod id etiam interdixerat Auer. 7. *collig.*

Clysteres.

Clysteribus quoque ventrem lubricum reddere oportet, parum tamen aut nihil purgantibus, sed tantum emollientibus & refrigerantibus; quales conficiuntur ex decoctis *maluarum, prunorum, hordei, violarum, & herbarum, ac florum consimilem virtutem D obtinentium:* item ex *oleo violarum, rosarum vel amygdalarum dulcium,* si aluus admodum adstricta fuerit, quibus addes *saccharum,* ac si intestinorum tormina vrgeant, *vitella ouorum* addes: verum si aluum quodammodo citatiorem reddere oportuerit, huic addes *pulpæ cassiæ fistulæ ʒ. 4. aut* 6. vel tantundem *diacatholiconis, vel succi rosarum ac siclæ ℥. 4.* Conficies etiam clysteria ex *iure pullorum decocto cum lactucis, scariolis, cucurbitis, et hordeo, addito butyro recenti, & oleo violarum, aut amygdalarum dulcium, cum saccharo.* Quod si calor ingens fuerit, addere insuper poteris emulsionem *quatuor seminum frigidorum,* ad quorum sane pensum alia non parui momenti conficere poteris.

Tertianæ exquisitæ quæ membri mandātis prouidentia debeatur.

Quod si, quæ dicta sunt, sufficere huic malo non videantur, sciendum procuidubio est, fomentum illi præstare aliquod viscus, vel vniuersum venosum genus, quorum occasione, purgantibus per vrinam, & alijs paulatinis per aluum factis vtendum est, & membro mittenti prouidendum, diuerso tamen modo iuxta naturam membri mandantis. In qua re statuendum est, mandās membrum esse in duplici differentia, Vnum *generans* humorem biliosum; Reliquum verò vbi genitum præter naturam colligitur, & ibidem ad partes carnosas, aut vbi putrescit, vt febris fiat, transmittitur. Sic iecur semper vberrimam bilis copiam, vbi malè affectum est, generat; recipit tamen vel vterus, vel pars iuxta hypochondria & pancreas, aut ventrem, à quibus ad alias partes, vt putrescat, transmittitur.

Membrū mandans duplex.

Considerare itaque primò expedit, *an iecur caussam & fomentum huic malo præstet,* quod videtur esse Gal. decretum *li. 1. ad Glauc.* Quod sane vno è tribus modis bilem vberiorem gignit. *Primo,* dum calfactum est. *Secundo,* dum crassiore bile obstructum. *Tertio,* dum eius vasa bile abundant, ita vt facilius chylosa substantia in bilem vertatur. Si primum, considerabis, ante morbumne fuerit excalfactum, quia eo tempore caussa est morbi: si vero fiat intemperamentum hoc ex febris calore effectus existit mali, & longe aliter curari desiderat. Quod sane venaberis ex calore illius partis, & maxime volæ manus, ex dolore etiam, duririe & tumore iecoris, quemadmodum et ex totius corporis pallido colore, ac ex vrina flauæ bili persimili, substantia crassa & B calore citrina. Quod si obstructio accidat, censeo ex ipsius flauæ bilis copiosiori generatione proficisci, principium quidem trahens ab immodica iecoris intemperantia: aliquando vero ex aliquo humore crasso, iecori impacto. Vtcumque tamen sit, huic malo primo subueniendum est *(præmissa aliqua aut leui purgatione, vel sanguine misso ex saluatella dextræ manus)* per ea auxilia, quæ aperiendi vim obtineant, quibus ante prædictas vacuationes locus non est, etiamsi ea expostulet affectus natura in obstructione sita, factaque hac leui iecoris prouidentia, ne vlterius impingantur ibidem humores, antequam ipsi membro quicquam adhibeas *(quod etiam de pancreis & hypo- C chondrijs, ac reliquis viscerū vacuitatibus, quibus flauæ bilis copia tertianis suppeditatur, subaudiendum esse arbitror)* ei humori, qui in iecore *(aut aliqua ex prædictis partibus)* remanet, vel ab ipso indies generatur, prouidendum est, tum per ea, quæ destruant referentque iecoris vias ac per vrinas deducant: tum per ea, quæ modice expurgent, quod indies generatur, & vi attenuantium à vasis separatur. Adeo profecto vsum eorum, quæ vrinam mouent, laudauit in hac febre Galen. vt dubium sit, consuluentne alio, an hoc solo *(præter refrigerationem)* vti præsidio: Non enim desunt inter probatos viros, qui asserant, *absynthium* commendasse, *(cum constet purgatoria & diuretica etiam facultate)* potius gratia mouendi vrinas, quam expurgandi: arbitror tamen ipsum voluisse vti vt purgatoria eo D loco, cum huic ministerio coctionem in humoribus exquirat, quod de alijs diureticis non protulit. Quapropter rem hanc, in qua non raro tyrones medicos hallucinari conspicimus, paulo diligentiùs expendisse studui. Vt sane ab illis caueamus, quæ *(vt Gal. monet 11. meth. c. 9.)* insignem vim habent calfaciendi & desiccandi, in quorum vsu sita est omnis errandi occasio, docendum est, eorum multos esse ordines *(vt latius scripsimus libro nostro de recto præsid. vsu.)* Quædam enim non modo non calfaciunt, verum potius refrigerant, qualia sunt, quæ præter id, quod tenuium sunt partium, multam quoque suppeditant aquosam humiditatem, vt emulsiones *seminum frigidorum, mulsa, syrupus acetosus,* & reliqua huius natu- E ræ: hæc quidem & leuissima sunt, & calorem compescunt. Alia vero aliquantulum calfaciunt, vt *anethum & apium,* de quo 8. *simpl.* ait, Galen. quòd eatenus duntaxat calfacit, vt possit mouere vrinam: Non est ergo in eo tanta caliditas, quæ possit febrem augere, maxime si aqua prius maceretur, modo eius coma *(quod magis probo)* modo radices sint. Quod sane opus mirum in modum præstat, vt Auic. consuluit, *syrupus acetosus, ex apij decoctione:* ac vt Galen. miris laudibus prædicat *(maxime apparentibus signis coctionis)* absynthij coma ex mulsa macerata: quod medicamentum non solum est febri optimum præsidium, verum & vim habet repurgandi bilem, eiusque morsum compescendi in ventriculo: quòd frequentissime accidere in huiusmodi febribus conspicimus. Itaque vt subterfugias calorem & siccitatem eorum,

Iecur tribus modis vberiorē bilem gignit.

Saluatella quando tertianę conferat.

Vrinam mouentia quādo tertianę conferant.

Absynthij laus.

Calfaciendi multi ordines.

1.

2.

Absynthij coma ex mulsa macerata tertianæ optimum præsidiū.

quæ

quæ vrinas mouent (*dimitto quidem hac in parte, quæ id vehementium aut abstergendo efficiunt, quod proficua huic febri non sint*) aliqua potione, qua remissiores fiant calor & siccitas, admiscere opus erit. Primo quidem id opus exsequeris per emulsiones *quatuor seminum frigidorum, extractas quidem aqua graminis, fœniculi, asparagi, cichorij, aut apij*, summoq; mane sumptas. Idem quoque beneficium præstabit decoctum *radicum diureticarum cum hordei cremore, aut syrupus acetosus, ℥. vel duarum radicum cum syrupo violarum & cichorij, addita aqua lupulorum, aut rubea*. Præstat etiam decoctum *cychorij, graminis, & fœniculi, cum modico saccharo*: sed post aliquot dies porrigenda est *aqua lactis caprini, per se aut cum modico syrupo capillorum Veneris*, maxime si inter vnam & alteram dię, dilutum ℥. ß. *rhabarbari* bis terve in hebdomada, dũ affectio præest, porrexeris, quod maioris momenti fore procuIdubio arbitror.

Saluatella man⁹ dextræ quando & ad quid conferat.

Externis vero nil adhibebis, antequam (*si quæ dicta sunt, non profuerint*) iterum, aut denuo, si antea non miseris, sanguine ex saluatella manus dextræ fundas. Cuius sectionem censeo hoc tempore maxime prodesse, dum non quidem vacuare conamur, sed aut sistentes potius, & feruentes humores in partibus nostri corporis profundioribus, & prope membra principalia sitos, ac maxime iuxta iecur & in ipso, ad extimas corporis partes studemus remouere, velut, qui ligna procul à foco separant, vt ignis hanotum defectu euanescat. Cuius quidem auxilij meminit Galenus 2. *method. ad finem*, cum reuulsionem seu deriuationem ad latera affectui, cuius qualitate nocet sanguis factus inutilis, studet moliri. Vel eo quidem vtimur præsidio, vbi non admodum exsangues arbitramur esse laborantes, ac siticula & ardore assiduo molestantur, signum quidem intemperamenti iecoris, cuius ventilationem seu hac vacuatione intendimus.

Tertiana exquisita quando et quib. præsidijs conferat, iecoris temperamétum corrigere. Bilis à dulci.

Quo facto, ipsum viscus (*si adhuc perstiterit malũ*) refrigerare, & eius vasa iterum reserare, erit opus: Cuius gratia laboranti porrigimus primo id, q. ℞. *succorum scariolæ & cichorij, seorsum depuratorum, anã* ℥. 4. *sacchari quantum sat sit*, vt fiat syrupus, cuius quantitas sit ℥. 1. & ß. *cum* ℥. 4. *aquæ oxalidis, hordei aut seri lactis*: Cauendum semper in his febribus ab his, quæ plurimum dulcia sunt: Inquit enim Hippocrates 6 *sect. 5. text. 13. & sect. 6. cap. 3. A dulci bilis*: quare aquarum proportio ad syrupum tripla sit oportet. Poteris etiam ex *hordei decocto & radicibus cichorij cum saccharo*, dilutiorem potum conficere: cui non erit ab re (*si plus bilis, quam par sit, adhuc apparuerit*) aliquid *absynthij* addere, aut ipsum *absynthij* decoctum cum tabellis *diarrhodonis* porrigere tertio quoque die. Sed his factis, gratia refrigerandi adhibebis id, q. ℞. *conseruæ rosarum, violarum, boraginis & buglossæ, anã* ℥. 1. quibus mixtis sumat laborans singulis diebus ℥. 1. ac si vires postulauerint, excipe *sacchari rosarum* ℥. ß. *pulueris electuarij de gemmis* ʒ. ß. Confert etiam saccharum *rosaceum* nouiter factum cum *aqua hordei*: vtatur insuper laborans (*dum vias etiam cum refrigeratione reserare studemus*) cremore *ptisanæ, cum radicum apij decocto*. Sumat præterea apozema confectum ex *radicibus cichorij, eringij, hordeo, ac ciceribus*, quo incoquendi sunt pulueres *triasantalorum in linteo ligati*. Vtor etiam decocto *foliorum cichorij & scariolæ*, in quo maduerit *absynthij pontici coma, aut amari*, si laborans patienter ferat.

Iecori externus adhibenda.

Exterius quidem iecoris regionem inungere oportebit, vel *rosaceo vel santalino vnguento*, vel vtroque, addito desuper *linteo succo agrestæ madido, aut intybi cum modico aceto*. Cui quoque vsui deseruit *vnguentum refrigerans* Galen. cum puluere *schœnanthi, aut santalorum*. Etiam confert *oleum rosaceum, omphaci-*

A *num, pluries aqua hordei rosacea & modico aceto lotum*: cuius inunctionis etiam nonnihil dorso adhibebis. Præstant & epithemata desuper *philtro serico cum aquis lactucæ, scariolæ, intybi, florum violarum, rosarum, nenuphăris, & similium* (maxime si incendium maximum sit) cum modico aceto, & pulueribus santalorum. Prodest aliud vnguentum, quod *recipit cerati santalini* ℥. 2. & ß. *olei violarum* ℥. 1. lauetur accurate aqua *frigida cum modico aceto*, & mox adde pulueris *spicæ nardi gr.* 10. & fiat vnguentum. Si tamen nobis compertum fuerit, obstructionem adhuc præesse in aliquo viscerum, maxime in iecore, iterum vti oportebit ijs, quæ superius retulimus, & B mox obstructam partem inungere *oleo capparum modico absynthij*, addito vnguento rosaceo, vel refrigeranti Galen. si simul cum obstructione caliditas præualuerit: sin aliter, sat adijcere *vnguentum deoppilatiuum ex succis*.

Tertiana exquisita, quę membri recipientis prouidentia tollenda.

Verùm quia membri recipientis affectio, & grauissima symptomata, maximum sæpe facessere solent negotium, eius quoque hac in parte edifcere prouidentiam conuenit. Si igitur humorem ad aliquam partem prolabi, ex proprijs accidentibus compertum fuerit, præter hoc, quod per ipsam, *vt dictum est*, si conueniens fuerit, eundem educere oportet, expediet quoq; partem ipsam corroborare, aut accidentia mitigare, vel præcauere antequam succrescat. Inprimis C imum ventrem, ne dolore torminibusvę infestetur, præuenire oportet prædictis clysteribus, quæ partim humorem attemperent, partim vero leuiter & blande expurgent. At si in ventriculum confluxerint, qui & dolorem, anxietatem, & cardiam, efficere solent, per ventrem, *vt dictum est*, ne vomitibus ad os ventris alliciantur, magis humores expurgare licebit: atque educta flaua bile, & ante accessionis tempus corroborare exterius ipsum ventrem oportebit oleo *absynthino, melius omphacino*, aut si calor maximus sit, *rosaceo*, additis pulueribus *rosarum, coralli rubei, aut absynthij, vel diarrhodonis momento*. Confert etiam mice panis *vino rubro* madida, & leuiter tosta exterius adhibita; præstat & eadem mica D succo *granatorum acrium imbuta*, comesta apte cibum: nec non & succus ipse per se, aut potus aquæ calidæ, quæ bilis flauæ acrimoniam retundant. Verum si ingens fuerit imbecillitas, haustus dilutissimi vini albi mirum in modum roborat, quemadmodum & pleraque alia, quæ capite de tertiana perniciosa dicturi sumus. Ceterum si coctio in vrinis apparuerit, tum vti oportebit *absynthio fontana aqua vel fluuiali macerato*, quod à Galeno 1. *ad Glauc.* tanquã summum præsidium extollitur; licet Trallianus id exhibere renuerit; qua tamen ratione id faciat sequenti capite monstrabo.

Absynthiũ aqua fontana maceratũ optimum tertianæ præsidiũ.

Renes quoque, vt qui frequenter dolere soleant, præcauebis post purgationem, & sanguinis detractio E nem prædictis clysteribus, & inunctione ex *oleo rosaceo, & refrigerante Galen.*

Capiti etiam prouidebis *frigidæ aquæ potu*, quippe ex bilis efferuescentia dolere solet: cui si adhuc perstiterit, adhibebis *lactis mulieris cum duplo aquæ rosarũ mixturam, aut aquam cum modico aceti, vel oleum rosaceum cum aceto*.

Quod si vigilia infestauerit, porriges *syrupi de papauere* ℥. 1. & ß. *aquæ lactucæ* ℥. 2. *diamargaritonis frigid. gr.* 5. *vel seminum papaueris albi, & melonum, anã* ℥. ß. cum *iure pulli* fiat expressio, vbi prius maceraueris, cuius ℥. 4. hora somni porriges. Quibus sane factis si affectionem non quiescere comperiamus, signum profecto erit in alterius naturam commigrasse, vt ad eius caput adeat prudens lector, ac non existimet morbum esse consilio & præsidio destitutum. Obseruandum tamen est, non esse properandum intrepide & tumultuose ad omnia, sed immo-

Nota.

randum est in vno, donec suas vires præstitisse compertum sit: Non enim oportet ante transire ad aliud (*manente eo, quod visum fuit à principio*) quàm compertiamus, illud sufficienti tempore transacto, non profuisse.

De notha, & de duplici tertiana.

Tertiana notha vnde sit dicta, et quomodo fiat

SVnt hæ duæ febres vna communi ratione eædē, de genere nimirum febrium tertianarū, eo quod ex bile, & tertio quoque die succendantur: ceterum cognomine dissident, nam altera appellatur *Tertiana notha*, altera vero *Duplex tertiana*; illa quidem *tertianæ* nomen meretur, quod tertio quoque die repetat; cognomen vero illegitimæ ac spuriæ ob impuritatem & miscellam alterius humoris cum ipsa flaua bile: vel ex eo, quod fiat à bile sola: ceterum *vitellina*, quæ licet ob sui naturam legitimæ tertianæ finitima habeat accidentia, longiorem tamen habet accessionem ob impensam crassitiem. Itaque nominis ratio ab humore superante desumitur; diuersitas vero in materia, quæ bili adhæret sita est: quo fit, vt caloris modus, symptomata, accessiones, & tempora varientur: Nam differentiæ ratio non à periodorum ordine, sed à signorum differentia sumenda est. Quæ enim exquisita est, simplicissima est, & vnius tantum rationis, quæ vero spuria, multiplicem varietatem recipit ab humorum diuersitate & miscella subortam.

Quid ab exquisita differat.

Duplex tertiana qualiter fiat.

Duplex vero tertiana fit, cum licet singulis diebus inundat, *tertio quoque die correspondentiam habet*, ratione cuius appellatur *tertiana*, & eo, quod singulis diebus hominem apprehendat tertiana *duplex*. Conueniunt quidem hæ duæ febres, quod eiusdem sint speciei, nimirū tertianæ, & quod ambæ ab eadem humoris natura & conditione, vt plurimum proficiscantur, videlicet a flaua bile alteri humori adiuncta, vel crassiori facta: quo fit vt ambæ de illegitimarum tertianarum sorte existant. Differunt tamē, quod simplex tertiana nomen spuriæ meretur, ob humoris qualitatem & conditionem nuper dictam: duplex vero tertiana, licet requirat prædictam humoris naturam & miscellam, efficitur, tamen duplex, vel quod duplex humoris vitiosi existat origo ac principium & minera (*vt aiunt*) vel quod prædictorum humorum sit maxima copia, ita vt cogat naturam singulis diebus accessionem moliri. Et quemadmodum est duplex conditio tertianæ spuriæ, quarum altera ex humore bilioso extra ad mixtionem, sed crasso fit, altera cum admixtione; ita quoque duplex est natura duplicis tertianæ, quarum altera prodit à nimia copia biliosi humoris, mixti vel solius: altera rursus quæ magis spuria efficitur, ex varia flauæ bilis mistione, iuxta varietatem nuper adductam, vt cum ex ventriculi vitio pituita admiscetur flauæ bili, & fit vna die accessio, & sequenti die altera ex flaua bile admixta melancholico succo, quod nouisse ad curationem summopere conducit. Itaque huiusmodi tertianæ, siue duplices, siue simplices cum spuriæ sint, vel ex crassa fiunt bile, vel ex humorum miscella, ad vnicam formam redacta, ita vt vnica ex eisdem sic iunctis pullulet febris natura & conditio, vna qualis est spuria, seu duplex tertiana. Denique harum febrium ratio in hoc solo consistit, quod ex miscella duorum vel plurium ex prædictis humoribus fiat, dummodo ex eis vnica tantum humoris forma resultet: quæ sane miscella cum putrescit, vnicam quoque efficit febris differentiam, eam tamen illegitimam, hoc est, vniusque humoris naturam referentem: Nam in reliquis complicatis febribus, licet duo humores etiam reperiantur, duæ quoque febres succrescunt, non vna.

Tertiana notha et duplex in quib. conueniant et differant.

Vtraq; duplex est.

Tertianæ notha &

Caussæ vero, quæ hunc affectum mouent, materia les sunt hæ, quas huc vsque diximus, & reliquæ sunt A in triplici differentia: nam *Quædam* copiosam suppeditant materiam: *Quædam* duplicem efficiunt tertianam: *Quædam* rursus fomentum præstant reliquis. Quæ vero materiam ministrant, & copiosiorem disponunt, sunt *corporis habitus pinguis, maxime iuuenis, candidi caloris, aut otiosi & crapulis dediti*. Præstant etiam id *æstiuum tempus inclinans, & autumnus adueniens, bile crassiore facta, feruidissimo æstatis præcedentis calore*: Præterquam quod autumnus, etiamsi soleat melancholicos affectus generare, cum æstatem excipiat, tertianas non rarò generare potens est. Quapropter censeo Hippocratem dixisse 3. *aphorism*. 22. *Autumno plurimi æstiui morbi*, vt etiam exemplo illius iuuenis, cuius meminit Galen. 1. *ad* B *Glauc. cap*. 8. facile probari potest, qui aduentante autumno, huiusmodi febre correptus fuit. Prodit etiam hæc affectio eo tempore ex pituita & crudis atque aquosis humoribus, genitis æstatis tempore ex defectu interni caloris, vel ex abundantia potus (*siue in tertiana exquisita sit, siue salutis tempore*) siquidem æstate & autumno ea ratione cibos difficile ferunt, & ob id ingens incendium copiosius potant.

duplicis quartanæ sint caussæ.

Tertiana duplex ex quib. caussis fiat.

Fit autem duplex tertiana, *Vel* quod copiosior sit humor, quam quod vna vice à natura pellatur, ex quo fit, vt singulis diebus ipsum pellat. Quod si quis dixerit, continuam debere fieri caussam ex abundantia humoris potius, quam interpolatam, expendat, 1.
C non fieri continuam; quia nec imbecillitas est adeo essentialis ac in continuis requiritur, in quibus sufficit quantitas, quæ quatuordecim vel vndecim diebus aut minus conteratur à natura, & omnibus finiat; licet eam quantitatem adeo paruam non potuisset transmittere: quia solum est imbecillitas respectu maioris abundantiæ, quam vna vice possit pellentem, & ob id hæc febris adeo est diuturna, sed salubris; continua vero breuior, sed periculosior. *Vel* 2.
quod duo sint putredinis & humoris deprauati principia, quorum vnum vna die, alterum vero sequenti, humorem quo abundat, mouet & pellit; ex quo duplicem fieri tertianam necessum est. Tertio vero & 3.
vltimo duplex efficitur, eo quod diuersimode admi- D sceatur pituita cum flaua bile, vel melancholia, ita vt hodie excernatur & moueatur, atque efficiat tertianam humor ex pituita & bile mixtus; sequenti vero die bilis, quę melancholia, aut crassiori vel tenuiori pituita aut vberiori eius copia fit admixta: quæ sane caussæ solent huiusmodi tertianas mira varietate insignire. Protrahuntur & fouentur hæ febres à magnis obstructionibus, vel praua qualitate relicta in membris præcipuis à diuturna quartana, aut diuturniori aliquo affectu: quibus mirum non est, si recrementis non probe purgetur corpus, aut plus generet, quā conterere possit, quin in huiusmodi febres commigret. Item diuturnior efficitur ab impensa humorum crassitie, & vltimo ab improbo viuendi, & vi- E ctus genere. Ex quibus omnibus, & singulis maxima crudorum humorum copia in ventriculo, intestinis, & pancreis congeritur, à quibus plerumque fomentum suscepit febris, quæ protrahitur, concurrente etiam iecore, bilem impuram, & à naturali alienam generante, & aliquando splene non probe repurgante sanguinem, maxime si in eo, aut in quouis alio viscere insignis præsit obstructio, quæ purgari membrum exacte non sinat.

Tertianæ spuriæ & duplex à quib. caussis protrahantur.

Signa quidem, quibus in his febribus opus habemus, in triplici sunt differentia: Nam *Quædam* febris naturam, & peculiarem conditionem monstrant: *Quædam* copiosum in eis febribus esse humorem, quo duplex fiat tertiana: *Quædam* vero duplicem esse humoris mineram (*vt aiunt*) quippe hac ratione certum est, medicum propriis ad curationem accessurum. Dignosces autem hanc febris speciem, & ab

Tertianæ duplicis triplex signorum genus.

& ab alijs, quæ tertio quoq; die repetunt, distingues,
eò quòd cum horrore incipiat, qui sane medium &
huius febris caussa media est, ex participatione vtriusque humoris.

I.

1. Humo. Quapropter huiusmodi laborantes, neque concussione, neque rigore valido corripiuntur,
neque adhuc plurimum refrigerantur. Ac licet aliquando accidat validum rigorem obtinere, id quidem censeo fieri, morbo iam eunte ad statum, consumptisque cruditatibus, & recrementis crassioribus: cum hoc tamen differt duratione à rigore exquisitę: Nam qui notha laborant, serius & lentius incalescunt. Sunt tamen inter has, quæ insultum sine rigore, frigore, aut horrore habent, & sensibili caloris inæqualitate incipiunt, & ad consistentiam accedunt: tales quidem, non contemnendi Auctores referunt, à materia benigna, & pauca suboriri, vel à
B modice calida, & valde crassa. Ceterum in plerisque harum febrium initium circumscribitur febricula quadam, quæ rigorem antecedit, & ipso adueniente remittitur, iterum postmodum susceptura incrementum.

2. Calor. Item calor non est sicut exquisitæ, nam mitior & suauior existit, neque adeo confertim, & subito per vniuersum corpus diffunditur, neque subsistit &

3. Obstructio. quiescit ita breuiter. Apparent etiam non rarò in ventre & hepate obstructiones insignes.

4. Pulsus. Pulsus item in his non admodum celer conspicitur, quo fit, vt febrilis inęqualitas percipiatur apertius, simulq; prima, secunda, tertia ve die, pulsibus mediocris durities succrescat; quarta autem, quinta, atque sequentibus, ad
C magnam perueniunt duritiem: signum quidem diuturnioris affectionis, sicut deinceps, morbo eunte ad

5. Tumor lienis. salutem, paulatim pulsus molliores redduntur. Apparet quidem lien in tumorem elatus, hypochondria flaubuit tensa, facies decolor, & cruta etiam subtumida. Accessio præterea vltra duodecim horas protrahitur, & aliquando ad triginta, & vltra, *vt ex Gal. constat 3. popul. part. 3. comment. 5. & 6. eiusdem operis part. tex. 23. & 2. de differen. febr. cap. 8.*

6. Noctis difficultas Item qui tertiana hac non exquisita laborant, difficiliorem habent noctem ante accessionem, quam post eam, idque tanto magis, quanto ab exquisitis absunt longius, vt ex Hippocrat. constat, *6. popul. part. 2. text. 16.* dicente: *Quæcunque tertianæ naturam mutantur, iis nox ante accessionem difficilis, quæ vero subsequitur, fa-*
D *cilis magna ex parte.*

7. Period. diuturnio. Præterea certum est, hanc febrem in intermissione ad integritatem adeo manifestam non deuenire, ac solent, quæ exquisitæ sunt. Insuper non terminatur septem periodis, vixque duodecima, aut decima quarta periodo finitur; sæpe enim in mensem aut quadragesimum diem extenditur, nonnunquam sex menses integros transgreditur, fere quidem definit in vitia lienis, quæ eiusdem

8. Symptomata. tumores, & obstructiones producunt. Hinc sane ponderosa grauitas, corporis & vertebrum dolor, ventriculi inflatio, fastidium, sitis magna, & oris

9. Vrina. amaritudo prodeunt. Vrina quidem humorum mixtionem optime monstrare valet: & ob id in principio semper crudior apparebit, diuersa tamen cruditatis sorte: Nam si citrina & crassior sit, bilem vitellinam abundare commonstrat: si crassior & boni coloris, vitellinam etiam, sed ex bilis & pituitæ pari mensura: si remissi coloris, pituitam & crudos succos præualere: si tenuis & intensi coloris, bilem flauam: si varijs diebus varia appareat, varia quoque esse humorum receptacula, præsertim si alternis diebus hęc varietas eluceat, ita vt hodie remissa & crassa, iuxta humoris, qui accessionem concitat dominium; sequenti die intensa & tenuis, pro ratione humoris eam accessionem concitantis. Quæ sane vera esse, experimento didicimus, nisi ex morbi augmento prædicta varietas subornatur, quod ex inordinato procedendi modo facilè dignosces.

10. Bilis vomitio. Raro insuper in hac febris specie bilis vomitio adest ac si
A apparuerit, instar olei bilis excernitur.

Sudor quidem aliquando copiosus apparet, & qui accessionem non soluit, nonnunquam modicus, qui nullius est momenti: quod solum appareat iuxta thoracem, & ceruicem. *11. Sudor.*

Secundum signorum genus commonstrat, tertianam ex his humoribus prodeuntem, fieri duplicem ob humorum abundantiam, quia cum sic fieri contingit, tertiana duplex eadem natura, & conditione ac eisdem accidentibus prædita apparet: neque vllum elucet discrimen inter eam, quæ hodie laborantem apprehendit, & eam, quæ sequenti die, sed omnes vel eadem hora, vel eisdem accidentibus insignitæ inuadunt. Argumentum profecto euidens, locum putredinis esse vnum, & humorem vtriusque
B eiusdem conditionis, ceterum copiosum, quem singulis diebus conterere nititur natura, quia singulis diebus ab eius copia lacessitur, irritaturque ac gliscit ad expulsionem. Præterquam quod id etiam venaberis ex totius corporis grauitate, vrinæ turbulentia, pulsus oppressione & reliquis, quæ alicuius humoris copiam attestantur. II.

Tertium verò, & vltimum signorum genus docet duplicem hanc tertianam, vel duplici bilis flauæ mixtione, prima nimirum cum pituitosis recrementis, & altera cum melancholicis, aut alterius naturę, vel à duplici putredinis loco prodire. Quod quidem euidenter constat, quia accessiones, neque eadem hora, neque eisdem accidentibus, laborantē in-
C uadunt. Nam facile quis coniectabit, duplicem humorum prauorum locum, duplicem etiam bilis flauæ permistionem, si accessionem, quæ hodie affligit, comperit comitatam accidentibus melancholicis, suspitiosis, mœstis, & cum totius corporis dolore, eā vero, quæ sequenti die inuadit, cōtrarijs prorsus symptomatis insignitam, somno nimirum graui, cibi & potus fastidio, torpore & veluti ad omnem actionem impotentia, ac alijs etiam huius census, quæ diuersum omnino humorem attestantur. Quibus accedit, vt clarior euadat coniectura, diuersorum membrorum euidens læsio, vt iecoris, lienis, aut mesaraei: quo tempore coniectandum est, quoduis membrum recrementa præstare, quæ bilioso humori adiuncta in
D accessionem commigrant. III.

Præsagiū tertianæ spuriæ & duplicis dubium esse. Verendum profecto est in his febribus, ne diu protrahantur, maxime si humorum nimia adsit crassities, vel ingens obstructio, aut indebita victus, & vitæ ratio. Verendum etiam est, ne in continuam commigret, maxime si medicus diu protraxerit præsidia, aut si eorum tempus anteuerterit, vel plurimis vtatur vacuationibus, & laborans nimio potu, ex quibus non raro degenerat affectio in malum corporis habitum, vel in lentam quādam febriculam: sæpe enim ex his febribus, autumno adueniente, quartanæ febres exoriri solent. Vtcumque tamen sit, spuria tertiana dubia est, quatenus ad periculum attinet, *vt ex Galen. 1. ad Glauc. apertè colligitur.* At diuturnitatem pol-
E licetur, si eadem hora apprehenderit, quod caussam arguat stabilem & firmam, cui magna ad debellandum vi opus est, *vt 4. aphor. 30. constat.* Præterea diurna grauior, & longior nocturna existit, *ex eodem colligitur, pop. 1.* tum quod tempore, quo per halitum corpus discutere debet, constringatur & densetur: tum vero, quod tempus præsidijs opportunum accessio occupet: licet quæ nocturna est, grauius feratur, quod laborantes ob accessionem consueto somno & quiete priuentur, *vt comment. 3. eiusdem libri probat Galen.* post meridianum tempus morbi magis grauant, & id etiam probat *2. popul. ac Anic. 2. 4.*

Adeo est rebellis naturæ, & duræ conditionis huiusmodi febris, vt etiamsi iuxta optimam rationem, & artis præcepta auxilia adhibeas, adeo importunè perstat atque obduratur, vt tædium & molestiam la-

borantibus, & medicis non paruum inferat. Ob id profecto minima quæque diligenti animo expendere oportet, nam sæpe parua caussa, & alioqui contemnenda, huic malo fomentum, & occasionem diuturnitatis non leuem præstat. Sic enim, qui hunc affectum curare probe studuerit, tria primitus considerare tenetur, præmissa horroris prouidentia, quæ primo loco exsequenda venit. *Primum*, si quid in ventre, & primis venis crudum (*quod post ea futurum est morbi materia*) inundat, docet diligenter victu, & medicamentis inanire. *Secundum*, humoribus intra venas contentis, qui mali materia existunt, instituit prouidere. *Tertium* verò, & vltimum, membra quæ huiusmodi febribus fomentum prçstare solent, considerare & prçcauere prçcipit: quę sane omnia, vt clariorem euadat, sigillatim studebo exsequi.

Tertianã spuriã & duplicem curã li ratio tria requirit.

Horroris medela.

Solent non rarò laborantes adeo horroribus torqueri, vt hi maius, quam ipsa febris, nonnunquam facessant negotium, & ob id expostulant frequenter leuamen aliquod suscipere. Quem sane vsum præstant inunctiones, ex *oleo chamamelino, liliorum, vel rutaceo per dorsum*: prosunt etiam *panni calidi extremitatibus*, præsertim testiculis ipsis admoti: iuuat & *modicus albi vini potus*: præsertim si in eo decoquantur *tres aut quatuor plantaginis radices*.

Tertiana spuria victus institutio.

Quibus præmissis, antequam aliter auxiliares manus adhibeas, victum in primis ita bene subducta ratione institues, vt & futuris viribus, quo magis possint diu sufficere prouideas, & quatenus possibile fuerit, morbum imminuas. Nam in hoc potissimum affectu (*quod in eo vires plurimum patiantur, & morbus diu sit duraturus*) coniectari oportet, an ęger cum tali victu sufficiat perdurare, quousque morbus consistat. Quod quidem facies, non solum habita ratione quantitatis victus, sed & qualitatis & substantiæ, nec non & modi ac temporis, & occasionis exhibendi, in quibus omnibus non paucæ succrescunt dubitandi rationes. Itaque à morbi initio eam victus quantitatem prę scribes, qua æger citra mutationem, (*quæ non parui incommodi esse solet*) vsque ad statum peruenire possit, addita etiam consideratione durationis accessionum: nam prout magis, aut minus extensa fuerit, tanto plus aut minus alimenti adhibere oportet, iuxta illud Hippocrat, *Trius verò vberius agendum, vt æger sufficiat.* Quod si accessio non trãsgrediatur viginti quatuor horas, tertio quoque die cibus offerendus est, vt die intermedio pituita, & crudi succi coquantur. Verùm licet id Auctores consulant, grauiter tamen ferendum esse censeo, ob potus necessitudinem: quapropter medico cibo exhibito (*velut est pomum assum vel gallinæ hepar*) inclinante iam febre, potum ea die porrigere oportet. Quẽ quoque vsum præstat *pyrum sacchoro conditum, & iusculum ius pulli, aut gallina decocta cum ciceribus, & cinnamomo; ac radicibus & foliis petroselini.* Si vero plus quam viginti quatuor horas durauerit accessio, parum solidioris, & vilioris cibi porriges, cuius census sunt *oua sorbilia, & gallinarum hepar* simul, donec ex toto inclinauerit longissima accessio: Nam in die sequenti, qui maioris est quietis, plenius reficere oportebit, nempe *carnibus gallinarum assis*, aut *elixis cum ciceribus petroselino, croco & modico cinnamomo*, licebit etiam delicatioribus præbere *pullorum carnes assas, & oua sorbilia*. Tandem victui misceantur, quæ incidunt, abstergunt, & nonnihil calfaciunt: Ceterũ non ob id laudandum est Gal. consilium, neq; eo temere est vtendum, nimirum ptisanam in hoc affectu esse propinandam cum *pipere, aut aquam mulsam cũ hyssopo & origano*: quod sine periculo offerri hęc non possunt, præsertim si admixta sit pauca pituita, aut ægri temperamentum calidius. Tunc enim satius esset, *ptisana vel cum apio, aut cinnamomo decocta, vel cum petroselino, aut cortice citri*, maxime si aliquid *hy-*

A *dromelitis cum aceto & hyssopo admiscueris*. Verùm si paucissima sit pituita, satis quidem est, si sola ptisana vtaris: ac si bilis ex propria natura crassa fuerit, is victus porrigendus est, qui bilis crassitiem tenuet, & coctu sit facilis. Vescatur igitur *lacte amygdalarum*, in quo *mica panis* macerata sit cum *sacchoro*; similiter *iusculis pullorum elixis cum petroselino, & viridi fœniculo, addito succo limonum*. Potioni autem dilutiones vtiles sunt magis aut minus, pro ratione materiæ quæ febrem efficit, temperamenti, ætatis, temporis & similium: nam si præualuerit bilis, sat erit *aquã puram sacchoro, & semine fœniculi coctam præbere, vel anisi, vel cinnamomi*, ac si necessitas postulauerit, B vini nonnihil porrigere poteris, & si abundantior fuerit pituita, minus diluti. Idem esto iudicium de *aqua cinnamomo decocta, de hydromelite, & de melle, & aqua hordei, & radicum, vel ex aniso & sacchoro, vel ex corticibus citri, & eodem sacchoro*.

Tertiana spuriæ curatio incipi debet à cruditatũ primæ regionis extractione, quæ fit:

Postquam prudens, & diligens medicus vlteriorem cruditatum propagationem p oba victus, & vitæ institutione præpedierit, ad id, quod simul cum morbo genitum in corpore præfuerat, omnis consideratio vertenda est. Sic enim primo excrementa, & cruditates, quæ in primis venis immorantur, ante sanguinis detractionem deponere studeat, quod faciet vno è duobus modis: primo quidem *Clysteribus*: secundo vero *Pharmacis*, & *potionibus*, quæ alterutram C aluum vim habeant expurgandi: Quatenus enim ad primũ attinet, vnanimi omnium auctorum sententia constat, aluum esse in principio huius affectus; clysteribus plurimum solicitandam: nam *vt dictum est*, in intestinis, ventriculo, & primis venis, sæpe huius mali fomentum existit. In quo opere considerandum est, fore vomendum, vbi adhuc cibus parum aut nihil mutatus in ventriculo immoratur. Clysmatis vtendum, vbi iam cruda excrementa ad intestina descenderunt: purgandum vero, quando in primis venis, & amicis ventriculi adhærent prædicta cruda excrementa, nec licet sine damno prædictum ordinem euertere.

per

Clysteria,

Clysteria autem conficiuntur, tam ea, quę in prin- D cipio affectus, quam quæ in febrium interuallis adhibere oportet, ex decocto *furfuris, hordei, meliloti, betę, rerum pinguium*, & coctum, quæ consimilem vim habent: quod si infrigidandi mens quoq; fuerit, *maluam aut lacti ...* addere oportebit. Si tamen aluus durior fuerit, addere oportet de emollientibus ea, quæ quodammodo aluum repurgent, veluti est *betonica, mercurialis, beta, & parietaria*. At si calfacere, statusque discutere fuerit opus, *calaminthum, origanum, anisum, fœniculum, aut cuminum incoques, & ad lib. 1. decocti* postea addes *olei chamæmeli, aut communis* ℥.4. *mellis rosati, aut communis* ℥.2. *succi rosarum, aut sicle* ℥.4. *diacatholiconis* ʒ.4. At si amplius purgare velis, loco *diacatholici* addes ℥.1. *benedicti*, aut ℥.ß. *diaphœni-* E *conis*: Quo sane prima die facto antequam sanguinis detractionem aggrediaris, ex ipsa affectus natura constat, aluum vtramque leui aliquo pharmaco esse purgandam: nam cum dictum sit, huiusmodi regiones cruditatibus scatere, easdem ab earum iniurijs præcauere expurgatione oportebit. Præstat autem hunc vsum *manna, serapium ex infusionibus rosarum, prunę damascenę cum decocto sena, & sacchoro ferrefacta*, item *ius confectum ex mercuriali cum passulis, & sacchoro rubro, nec non & flores violarum sacchoro confecti, vel mel ex rosis Alexandrinus*: & pari ratione easdem regiones purgant boli ex *catholico, & cassia confecti*. Quod si nuper pransus fuerit laborans, vel ex proximis crapulis nauseatiuam persenserit, à potu *hydromelitis calidi*, iubendum est vomere, antequam vel acriori vtaris *clysmate*, vel aliquo ex prædictis pharmacis: alioqui verendum est, ne in penitiora loca cruda recrementa deuehas.

&

Leuẽ purgationẽ.

Quo

Humorũ qui sunt intra venas prouidentia.

Quo facto, studium omne in eos humores, qui intra venas sunt, & malo caussam præstant, vertat prudens, & diligens medicus. Qui cum vna non constẽt substantia, sed ex diuersorum miscella, ob id hæc omnia considerans diligenter rimari oportet: sitne simul cum bile, & pituita sanguis quoque adauctus, aut solum summopere mixtus, cæterum solus: nam iuxta cuiusque harum considerationum rationem, sanguinem licebit mittere, vel id formidare, aut hoc vel illo tempore exsequi: non enim parum interest scire præsidij occasionem.

Sanguinis missio, quando et qua mensura in tertiana spuria exposcatur.

Quod si ex vrina, pulsus plenitudine, faciei, & totius rubore, dolore, grauitate, anteacta vita, & victus vbertate, vel suppressa aliqua euacuatione, maximè sanguinis, constiterit simul cũ pituita, & bile sanguinem redundare, protinus sanguis mittendus est ex dextri brachij basilica, & translacta sequenti accessione, ex sinistro latere, prout vires, corporis habitus, ætas, aut consuetudo admiserint. Non enim dubitauit Galenus, neque quisquam alius in hac febre, & cum prædictis signis, sanguinẽ esse mittendum. Verum si signa hæc minimè apparuerint, considerare tunc vrinam oportebit, sintne humores qui febrem concitant, nimis sanguini admixti *(licet sanguis non abundet)* nullamque habeant peculiarem mineram *(vt aiunt)* tunc quidem sanguinem quoque mittemus, obstructionis auferendæ gratia, cæterum parciùs, & per maiora interualla.

At dum neutrum adesse constiterit, sed certum sit humores separatos esse à sanguinis consortio, & originem, ac generationem sortiri in alio loco à venoso genere, licet in venas necessario morbum facturi irruant, tunc profectò cautius, prudentiùs, & tardiùs sanguis mittendus est. Exspectare enim opus erit, donec vel sanguini admisceãtur, vel qui crudiores sunt, coctionem recipiant, quo sanguis vberior efficitur, tum eorum mixtione, tum crudorum commutatione in sui naturam. Quapropter in his protrahenda est sanguinis detractio, donec vrina ad intensiorem calorem mutetur, aut febres quodammodo maiorẽ efficiant rigorem, signum quidem tenuitatis, & coctionis crudorum: quo tempore iam sese offert occasio mittendi sanguinem, & diebus aliquibus interpositis reiterandi, iuxta affectus indigentiam, & virium robur.

Tertiana spuria laborantes quãdo vomere oporteat.

At si adhuc aliquid in ventriculo, ac primis venis inesse comperiamus, vomitibus quidem (maximè si mali origo ibidem præsit) excernere oportebit, ante profectò quam ibidem morans cætera alimenta conspurcet, aut venas maiores irruens materia mali copiosior efficiatur. Quem sanè vomitum tam esse efficacem à cibo, materiæ antecedentis gratia existimant auctores ferè omnes, vt hoc solo præsidio plures conualuisse referant. Historia namque est apud Hippocrat. de vxore Theotimi, quam *mulso succo granatorum* curauit vomitu concitato: quem etiam mouere poteris *tepida, oxysacchara, oxymelite, cum aqua tepida, vel raphani decocto, aut seminis eius, vel hyssopi pondere* ℥.6. *cum* ℥.1. *oxymelitis.* Sed expendendum est, vomendi duplicem esse occasionem, vnam ob materiam antecedentem; aut quæ migratura est in antecedentem; quæ sanè in die quietis exsequenda venit: alteram vero gratia instantis accessionis, quam vt minorem reddamus, mox ante ipsam exsequimur.

Tertianæ spuriæ quæ & quando conueniat purgatio.

Quibus factis prouidendum est his humoribus, qui vitiati intra venas existunt, tum præparatione, vt facilius excernantur, tum vero purgatione, vt materiæ copia deposita, facilius deinceps natura coctionẽ exsequatur. Quod sanè opus *(tum quoad præparationem, tum vero quoad humorum purgationem)* non simplex, sed iuxta miscellam, & complicationem humorum, admixtis etiam auxilijs exsequeris. Item nõ semper æqualibus præsidijs, sed facto à leuioribus exordio: nam si grauioribus, & vehementioribus rem aggrediaris, pressiores efficies obstructiones, & maiora accidentia. Itaque cum id opus semel, & confertim primo accessu exsequi non licet, *(quod crassior, aut copiosior substãtia nequeat simul vniuersa coqui, sed partẽ post partem)* præparabis *syrupo intybi, borraginis, vel capillorum Veneris, cum aquis fœniculi, aut borraginis* ʒ. & apparente quauis coctione, primo præparatam materiam purgabis infuso aliquo ʒ.1. *aut* ℈.4. *vel* ʒ.1. *&* ß. *rhabarbari, vel agarici infusi, & expressi, cũ* ℥.4. *syr. ex 9. infusionibus rosarum, vel in substantia, cum* ℥.1. *pulpa cassiæ, admixta* ʒ.1. *rhabarbari, vel agarici.* Præstat *catholiconis* ℥.1. *cum* ℈.2. *alicuius dictorum medicamentorum.* Quod si ne his quidem affectionem cessare comperiamus, humores iterum præparare necessum est, his quæ intensiùs incidunt, & attenuant, ac fluxibiliores reddant humores cum caliditate, & partium tenuitate, dummodo aliquid refrigerent, citra adstrictionem tamen. Sunt quidem huius census medicamenta, veluti *syrupus ex duabus, aut quinque radicibus cum aceto, vel de byzanthijs, acetosus simplex, vel compositus,* vt dictum est, qui quidem aquis misceantur *intybi, cichorij, graminis, scariolæ, asparagi, apij, vel petroselini.* Quibus humore amplius præparato, si perfectior apparuerit coctio, corpus iterum purgabis prędictis medicamentis vel hoc q. ℞. *glycyrrhizæ, & polypodij, anã* ʒ.6. *medullæ carthami* ℥.1. *foliorum senæ* ʒ.2. *agarici* ʒ.1. *fiat decoctio in* ℥.10. *aqua, cuius sume* ℥.3. *vel* 2. *in quibus dissolue rhabarbari irrorati vino albo* ʒ.1. *facta expressione potui præbe.* Robustis vero corporibus præbere poteris aliquid *electuarij diaphœniconis, diacatholiconis, electuarij Indi, vel de succo rosarum pondere* ʒ.4. *& inuolues cum rhabarbari, vel agarici* ℈.2. vel si placet, dissolue *in succo rosarum*, aut si pilulis vti malueris, elige eas, quæ conficiuntur ex *rhabarbaro, ex agarico,* aut *aggregatiuas.* Post hæc autem si adhuc perstiterit malum, aliquo ex prædictis syrupis vteris *cum* ℥.ß. *oxymelitis*, & maiori alicuius dictarum aquarum copia, vel ptisana vteris hac lege confecta: Excipe *hordei mundi p. 2. hyssopi, glycyrrhizæ probe abrasæ, anã* ℥.ß. fiat decoctum in aqua purissima *ad lib. 2. è libris 4* coletur per manicam, & cum ℥.4. *sacchari* fiat *ptisana clarissima, & aromatizata cum* ℈.2. *cinnamomi.* Cui vsui, & vlterioris præparationis gratia *mulsam, vel mellitam, vel saccharatam parabis supra radicum diureticarum aquam*, cui in decoctione addes *spicæ Indicæ, vel stœchados p.ß.* His præmissis, *tertio quoque die* porriges tanquam peculiare, & præstantissimum præsidium præparationi simul, & expurgationi aptum, *syrupi cichorij compositi, cum modico oxymelite, aut acetosi diarrhodon* ℥.2. cum pari quantitate aquæ *graminis, aut radicis rubeæ, vel rumicis, fœniculi, dauci, anisi, vel radicum diureticarum.* Hoc tamen vnum in huius mali expurgationibus considerabis, quod purgationes non fiant simplicibus medicamentis, quæ vnum tantum humorem respiciant, sed compositis, vt caussa mali composita est, & mista ex duobus humoribus: nam simplicibus purgare ad semitertianam pertinet, licet ex diuersis constet, quia eos habet separatos, non mistos, vt tertiana notha.

Verum in duplici tertiana considerandum est, in vsum purgantium raro contingere, vtrumque humorem posse vno tempore purgari, quia contingit præcipuam, ac primam tertianam esse in augmento, & intercalarem in principio, & hanc exposcere sanguinis detractionem, & illam purgationem: quia perdifficile est credere, vtrumque humorem esse simul, & æqualiter coctum. Ex cuius rei ignoratione mille contingunt in curatione huius mali errata, & aliquando mutari in morbum continuum, aut succrescere alia accidentia. In qua re vt certo procedere possis, diligenter considera, an ambæ accessiones ab vno foco, & minera prodeant, vel vna quælibet à suo loco,

quod

quod dignosces ex varietate vrinarum quoad coctionem, quia vna ex his ostendet vnum morbi tempus, & alia aliud, ex difformitate accidentium ipsarum accessionum: nam cum minera mali vna est, omnia ferè similia apparebunt, & eisdem seruatis conditionibus. Quod si putredinis vnus sit locus, nullum in curatione per purgationem, aut sanguinis missionem aderit dubium: verum si fuerint diuersa putredinis loca, & diuersi humores, vno medicamento respondente cocto humori purgabis: & postea dum alter humor coctus apparuerit, altero non mistis ob diuersitatem.

Tertianæ spuriæ quādo & quę cōpetant. Vrinā mouentia. Diureticū optimum.

Quod si hæc non prodesse videantur, vrinæ ciendæ sunt *aqua graminis, asparagi, petroselini, cardui omnis generis, aut radicum,* quibus addere oportet *hydrosacchari aliquid, syrupi acetosi, & capillorum Veneris,* vel ex decocto *gentianæ* confectum, cum æquis *mellis, & sacchari* portionibus: cui etiam addes decoctū *cichorij, absynthij, cicerum rubrorum, aut lupulorum*: Prouocat etiam vrinam hoc medicamentum, q. ℞. *summitatum lupuli, absynthij, cichorij, anā m. ß. radicis apij, petroselini, & graminis, anā ℥. ß. seminis melonum, cucurbitæ, anisi, anā ʒ. 1. glycyrrhizæ rasæ ʒ. 2. fiat decoctio ad lib. 1. ex lib. 2. & in colatura syrupi de bysantijs, & capillorum Veneris, anā ℥. 1. cinnamomi, aut corticū citri ℥. 1.* & fiat ad modum potus largioris. Poteris etiam aliud diureticum conficere, q. ℞. *radicis petroselini, acetosæ, graminis, anā ℥ ß. seminis anisi, & fœniculi torrefacti, & liquiritiæ, anā ʒ ß. summitatum lupuli, fumariæ, cichorij cum toto anā p. 1. quatuor florum cordialium, anā p. ß. facta decoctione secundum artem, adde oxymelitis ß. & syrupi capillorum, anā ℥. 1. cuius ℥. 4.* porrige tempore remissionis febris, nam sæpè & vrinas, & sudores mouet, & summo mane, ac die intermissionis præbere oportebit *vinum absynthite cū tabellis diarrhodonis.*

Tertianę spuriæ quā pro sui eu ratione exigat mēbri mandantis prouidentiā, siue id vētriculus fit, siue iecur, siue splen. Iecoris prouisio fit. Fomento. &

Quod si ne his quidem cessare affectum comperies, coniectandum est, aliquod ex instrumentalibus membris (*quod sæpissimè accidere solet*) vitium contraxisse, cuius caussa morbus indies magis protrahitur. Quod quidem malum facilè dignoscere poteris ex pedum, & oculorum tumore, quod ex cruditatibus, & frigidiori sanguine ab affecto iecore oriri assolet; verùm *pedum tumor* adueniente nocte apparet magis, præsertim si laborans è lecto surgat, humore ad inferas partes tanquam graui, vtpote frigido, & crudo dilabente: *oculorum vero tumor* summo mane emicat magis, ob crassorum vaporum copiam, qui partes superiores ascendunt, ex improspera coctione somno facta. Quo sanè tempore duplex erit medendi via: *Vna* quæ impediat quo minus quid crudum amplius generetur, membrorum nutrimentaliū corroboratione: *Altera* vero, qua si quid congestum est, paulatim & sensim sine virtutis molestia excernatur. Ob id primo præmissis auxilijs, quæ retulimus, medicamenta calfacientia, & roborantia intus, & extra iecori, & ventriculo adhibenda sunt. Externus quidem fomenta adhibebis, quæ & vias aperiant, partes dilatent, humores fundant, ac tandem apertis actuali calore meatibus digerant, & aditum inunctionibus, & cæteris corroborantibus auxilijs præbeant, sed fomēta hæc parabis adiecto semper aliquo ex roborantibus, ne iecoris vis actuali, & potentiali calore deiecta amplius labatur. Fit autem ex *pulegio, calamentho, mēthastro, vino, & aqua modico decoctis,* si in materia morbifica pituita præualuerit, *vel in aqua,* in qua bullierint *semina diuretica, aut furfures addito aceto,* cui corroborationis gratia *absynthium, & malicorium* adijciemus. Sed probatior mihi videtur fotus, q. ℞. *cichorij, & fumariæ, ana m ß. foliorum chamæmeli, meliloti, & fœnugræci, anā ʒ. 4. summitatum absynthii, & rosarum rubearum, anā p. 1. spicæ, iunci odorati, anā ʒ. 1. bulliant secundum artem in sufficienti quantitate* A *aquæ, & adde aceti albi ℥ 1. & ß. aut oxymelitis ℥. 2.* Vti etiam poteris decocto, q. ℞. *schœnanthi, saluiæ, hyssopi, fœniculi, eupatorij, chamæmeli, & capparum, anā p. ß.* Quo facto, mox a fotu (*philtro, aut spongia præstito*) totam iecoris regionem vnguento hoc inunges, q. ℞. *olei amygdalarum amararum, & nardini, anā ℥. 1. & ß. trochiscorum de rhabarbaro ʒ. 1. & ß. ceræ q. s.* vt fiat vnguentum.

Vnguentis.

Pari etiam ratione parare poteris aliud, q. ℞. *succorum apij, petroselini, fœniculi, & cichorij, anā ʒ. 1. & ß. cerati rosarum ℥. 1. olei communis ℥. 4.* bulliant omnia ad consumptionem succorū, & mox adde *santalorum omnium, schœnanthi, & spicæ, anā ʒ. 1. ceræ q. s.* quod pan, & forsan maiori commodo parabis cum oleo *de absynthio, ac pulueribus calaminthę,* B *schœnanthi, eupatorij, assari, rosarum, & santalorum.* Aliud insuper vsu probatum conficies, q. ℞. *olei rosarum, & absynthij, anā ℥. 1. olei chamæmeli, & amygdalarum amararum, anā ℥. ß. olei nardini ʒ. 3. pulueris seminis lini, chamæmeli, & fœnugræci, anā ʒ. 1. coralli ʒ. ß. succi cichorij ℥. 6.* consumptis succis, & facta compressione colaturæ adde *q. s. ceræ,* & cum modico aceto fiat vnguentum.

Ventriculi prouidētia fit. Fomētis.

Pari quoque ratione si ventriculum esse imbecillum cognouerimus, prædictis fomentis fouebis, & eo præsertim, q. ℞. *summitatum absynthij, & rosarum rubearum, anā p. 1. spicæ nardi, & mastichis, anā ʒ. 1. & ß. cinnamomi ʒ. 1. florum chamæmeli, meliloti, & anethi singulorum ʒ. 4.* bulliant simul in tribus lib. aquæ, C & vna vini albi odoriferi, ac spongijs eo madidis vētriculus foueatur, hypochondriaque, & eo magis, si flatibus abundare compertum sit, & facies tumida, ac decolor. Aliud quoque conficies, q. ℞. *menthæ, & absynthij, anā m. 1. mastichis, cinnamomi, ligni aloes, corticis cyperi, anā ʒ 1. foliorum chamæmeli, meliloti, & anethi, anā ʒ. 4. rosarum rubearum p. 1.* singula contundantur, & ex eis linteo lineo fiat sacculus, qui calidus, & madidus sequenti decocto, ventriculo adhibeatur, & postea excipe *absynthij, & rosarum rubearum, anā m. ß. cinnamomi, mastichis, anā ʒ. 1. fœnugręci, & seminis lini, anā ʒ. 2.* bulliant in sufficienti quantitate aquæ, & vini albi, & fiat fotus.

&

Vnguentis.

A fotu quidem ventrem, & hypochondria inunges *oleo absynthij, menthę, spicę, citoniorum, aut vnguento ex eisdem oleis,* D *& pulueribus menthę, absynthij, coralli rubei, diarrhodonis, aut cinnamomi,* si pituitam, ac frigidam distemperiem præualere compertum sit, quibus addes *olei mastichis parum.* Conficies item aliud, q. ℞. *olei absynthij, & mastichini, anā ℥. ß. olei rosarum, & amygdalarum amararum, ana ℥. 1. olei nardini ℥. ß. coralli rubei ʒ. 1. & ß. cinnamomi, mastichis, ana ʒ. 1. vini albi, & cerę q. s.* Ego tamen vtor vnguento, q. ℞. *olei communis,* aut si calida sit distemperies, *olei rosarum ℥. 2. vini albi vetustioris ℥. ß summitatum absynthij confractarum num. 6. pulueris diarrhodonis ʒ. ß.* projciantur omnia in vase vitreo, & bulliant in aqua feruida ad consumptionem vini.

Spleni prouidetur. Potu.

E Prouidendum quoque est spleni, quod sanè frequētissimè obstrui, & indurari hac in febre solet. Quamobrem primo subueniendum est potu, q. ℞. *corticū radicum capparum, & tamarasci, ana ʒ. 4. scolopēdrij, & absynthij, ana p. 1. spicę ʒ. s. lupulorum, fumarię, ana m. ß. florum chamęmeli, fœnugręci, & meliloti, seminis lini, & anethi, ana ʒ. 4.* fiat decocto *in quatuor partibus aquę, & vna aceti, ac, vt superius dictum est,* spongia eo vtere.

&

Vnguentis.

Quo facto sinistram ventris regionem, & splenem inunges vnguento, q. ℞. *olei capparum ℥. 2. succi summitatum sampsuchi ℥. 1. & ß. aceti ℥. ß.* bulliant ad consumptionem succi, & aceti, ac adde ceræ q. s. Aliud etiam conficere poteris, q. ℞. *olei liliorum alborum, & irini, ana ℥. ß. olei capparum, & amygdalarum amararum, ana ℥. 1. olei nardini quartam 1. succi scolopendrij ℥. 1. & ß. butyri recentis ℥. 4. pulueris seminis lini, fœnugręci, chamęmeli, ana ʒ. 1. & ß. cum mo-*

dico

dico aceto bulliant ad consumptionem succi, & facta forti expressione colaturæ adde *cera* quantum sit satis, vt fiat vnguentum.

Tertianæ nothæ, quæ debitis adhibitis auxiliis adhuc perseuerat curatio.

Verum quia ne hæc quidem sufficere solent, existimandum est, vel aliquid adhuc generari indies, vel genitum quidem esse, cuius euacuationem, & consumptionem moliri oportet. Quod profecto aliquando prodis iecoris gratia, præsertim si siti prematur, & apparuerit vrina intensior, quo tempore sanguine misso ex saluatella maximum sequitur beneficium; quo facto, aut si eo opus non fuerit, per epicrasim humorem genitum, aut eum qui indies gignitur, educes ac minues. Tentandum tamen prius est, *(maximè si ventriculus caussam præstiterit)* vomitibus bis in hebdomada factis, quod crudum superest ex alimento in B ventriculo, ac primis venis euacuare, nam id censeo esse in diuturnis affectibus opportunum vomendi tempus. Quibus factis, mox curandum est, interim dum viscera roboramus *(vt iam diximus)* per vices, & interualla corpus, & viscera ab humorum spurcitia liberare: quod profecto elegantissimis verbis Trallianus protulerat dicens: *Conuenit igitur, vt qui humores dissolutos nouerit, non modo semel exhibeat, quæ per aluum subducere possunt, sed etiam rursus humectarc, velut, & dissoluentes, si quæ sicce, & crassa reliquiæ sub sunt, iterum leniter expurgent, ac exhibito per interpositos dies aliquo ex prædictis syrupis, semel aut bis in hebdomada porriges, vel rhabarbari, vel agarici, vel vtriusque dilutum pondere* ℈. 2. *in aqua fœniculi, vel* ℥. 2. *syrupi cichorij compositi, aut acetosi diarrhodonis, aut syrupi cichorij simplicis cum prædicto rhabarbari, aut agarici diluto.* C Sed mihi optimum, & salubertimum videtur præsidium, q. ℞. *radicum petroselini, asparagi, graminis, cichorij, & acetosæ, ana* ℥. 2. *capillorum Veneris, cichorij, buglossæ, & agrimoniæ, ana m.* 1. *betonicæ m.* ß. *quatuor seminum frigidorum, ana* ʒ. 3. *seminis apij, petroselini, & anisi, ana* ʒ. 1. *passularum prunorum ana paria* 10. *agarici trochiscati* ʒ. 4. *thamarindorum, senæ, seminis carthami, ana* ℥. 1. *florum cordialium p.* 2. radices macerentur in aqua, & aceto, & in eadem fiat decoctio, *ac in lib.* 1. *colaturæ* dissolue *sacchari* quantum sit satis, cui adde *cinnamomi*, quod sufficiat ad gratum saporem conciliandum, cuius ℥. 2. cum aqua lupulorum præbe. D Aliud etiam non minoris momenti conficies, q. ℞. *hordei integri pugillum* 1. *summitatum lupuli, & absynthij, cichorij, & eupatorij, ana p.* ß. *seminis melonum, & cucumeris, ana* ʒ. 2. & ß. *stœchados* ʒ. 1. *foliorum senæ* ʒ. 4. *fiat decoctio in lib.* 2. & ß. *aquæ ad tertias, & in* ℥. 10. *colaturæ infunde rhabarbari* ʒ. 1. & ß. *agarici trochiscati* ʒ. 1. *expressioni adde sacchari* ℥. ß. Cuius tertio, aut quarto quoque die laborans sumat ℥. 1. & ß. Quod si importunum videatur liquidis vti pharmacis, pilulas hac lege conficies: Excipe *agarici trochiscati* ʒ. 3. *succi agrimoniæ, petroselini, ana* ʒ. 1. *spicæ celticæ, squinanthi, & cinnamomi, ana* ʒ. 1. *rhabarbari puluerizati, & irrorati aqua endiuiæ* ʒ. 2. *cum syrupo solutiuo rosarum fiant pilulæ, quarum semel in hebdomada sumat* ʒ. 1. E Eundem vsum præstare scimus, idque magis ad reliquias humorum conterendas *absynthij* dilutum vino, aut aqua confectum, cum tabellis *diarrhodonis*, & eo magis quo bilem copiosiorem prædominari compertum fuerit: nam in pituitosis non ita prodesse credit Galen. in quibus magis ex vsu est *aromaticum rosaceum cum eodem vino absynthite*. Sed inter omnia magis prosunt trochisci ex *rhabarbaro, ex absynthio, aut eupatorio pondere* ʒ. 1. Item *conserua ex absynthio pontico cum saccharo confecto*: nec non & *rubea trochiscata Nicolai, & folia bursæ pastoris*, sed specialius, his tertianis ferunt prodesse *sampsuchum, & plantaginem*, quæ aceto subacta carpis alligatur, sunt qui sempetuiuum, & alia huiusmodi refrigerantia hepatis regioni adhibent, quæ sanè præsidia suspecta semper habui. Alij quidem pulsibus *fuliginem* A *è furno, & saluiam contusam vna miscent cum oui albumine*, & ita carpis adhibent. Nonnulli etiam *fuliginem cum allijs, cæpis, albumine oui, & aceto* miscét, & eadem parti adhibent. Est tamen his vulgaribus præsidijs prudenter vtendum, nam quæ calida sunt, non nisi vbi mitior est calor, & opus est humorem ad extima euocare, conueniunt: quæ verò frigida, vbi opus magis est refrigerio vti, in quibus recidiuam vereri oportet, nam restincto feruore, & superstite materia, verisimile est, iterum morbum reuersurum.

Tertianæ duplicis eadem curatio quæ nothæ.

Verum quia huius febris natura eadem est cũ tertiana duplici, consimilem vtrique curationem necessariam fore existimo. Cæterum licet humoribus, natura, durationis prolixitate, & vniformitate accidentium conueniant, *dissident tamen* in duobus potissimum. *Primo* quidem, quia in tertiana notha simplici vnica tantum est minera putredinis: at in duplici cõtingit sæpè duplicem esse. *Iterum differunt*, quia duplex tertiana, si ab vnico tantum putredinis loco prodit, maiorem designat habere humorum peccãtium copiam: quo fit, vt natura plurimum irritata onere, aut vitio, singulis diebus accessionem moueat. Ex qua sanè differentia duplex insurgit in re prædicta indicatio: *Vna* quidem, quæ maiorem vacuationum copiam moliendam esse docet, quæ quantitati maiori respondeat: *Secunda* vero diuersa putredinis loca rimari docet, & vtrique prouidere: ob id rectè curaturus hæc primò expendat, & ex medicamentis, quæ diximus, cuique viscerum, quod proficuum fore persenserit, exhibeat, aut ex omnibus vnum commixtum, quod vtrumque membrum respiciat. Verum qui complicatorum affectuum curationem desiderauerit, hoc in libro peculiare caput illis dicatum reperiet.

Differt tamè in aliquibus.

De tertiana perniciosa.

IN eo febrium genere, quod febres complectitur tertio die exacerbationem efficientes, perniciosa hæc, neque satis vulgata, aut cognita tertianæ species, non sine magno laborantium exitio, & Medicorum admiratione reperitur. Quæ sanè vt rarius accidit, ita difficilius noscitur, grauiusque ob id inuadit, & ob ignorationem, maiorem infert terrorem, & admirationem; & quod perniciosius est, negligentius curatur. Quis enim credet vsquam, tertianam febrem posse lethalem fieri, eò maximè, cum ab Hippocr. dictum sit: *Quocunque modo intermiserit, periculum abesse significat*, & mille alijs in locis tertianam breuissimam, securissimamque esse. Sed mirari iam desinat quisque, cum experimento non admodum raro constet, febres multis modis intermittentes inopinato laborantes non paucos perdidisse, decepisseve Medicos, vel doctissimos. Quamobrem quod experimẽto mihi in hac re habeo compertum, hoc vno capite patefacere studui.

Est itaque perniciosa tertiana febris quædam, quæ simulata tertiani circuitus effigie, lethalis, & mille accidentibus periculosissimis implicata existit. Tertianæ tamen vocabulo, & *simplicem*, & *duplicem* subaudiendam esse diximus, cum vtramque perniciosam esse haud raro mihi, & multis compertum sit.

Tertiana perniciosa quæ sit.

Caussæ et & species sex.

Fieri quidem perniciosam aliquam tertianam, contingit vno è sex modis: *Primo* quidem, occasione membri alicuius præcipui, in quod decũbat humor, quem natura à vasis ad eorum extrema transmittit: 1. nam cum membrum ex præcipuis sit, dubium non est, vitæ periculum impendere ex læsione quauis in ipsum illata, haud secus quàm in turgentibus humoribus, à quibus factam affectionem ob id periculosam arbitramur, quod vereamur, ne humor turgidus in aliquod membrum princeps irruat. *Secunda* talis 2.

effici-

efficitur, quia humor qui à venis ad prædicta extrema eijcitur, tenuis admodum sit, & summe putridus, qualis censetur tenuissima bilis copioso ichore plena: quo fit, vt qui hac febre laborant, frequentissimè syncope corripiantur, & eò, quòd facillimè exsoluantur, inanitione periclitentur, sudore enim pestifero dissipantur, quod ex humoris vitio, spirituum, & alterius substantiæ plurimum cum sudore abeat.
3. *Tertiò* ob humoris (*non putredinem quidem*) sed summam prauitatem, vt prauorum alimentorum contractam; cuius constat meminisse Hippoc. 7. *popul. tex.* 81. referentem caussas, & occasionem choleræ morbi, quę in has febres commigrare plerumque refert, vt optime intellexit Vallesius: aut prodeunt sic vitiosi ob vstionem, & peculiare vitium, quale sortiuntur *bilis vitellina, prassina, æruginosa*, & quæ in confinio est atræ bilis: quippe cum tanta sit horum humorum pernicies, si accedat insuper putredinosus calor, eosdem adeo excitat, & deterrimos reddit, vt quocunque ierint, perniciosissima inferant, & lethalia accidentia. Multi verò ex barbaris Medicis arbitrati sunt, impossibile esse, ex prædictis humoribus febres fieri, cuius censūs fuere *Isaac, & Rasius, Auic. Serapio, & Halia*, eò quòd humores eiusmodi, vt *Auerro.* 7. *collig.* scripsit, de natura essent veneni: quos protinus in quouis affectu natura per vomitum trudit, licet lethaliter sæpius: & nituntur probare suum dogma ex Arist. qui 4. *meteor.* profert, ignem, & quæ ignea sunt, putrescere non posse. Verum si quis rem ipsam, & auctores penitus consulat, reperiet, hos humores, & febres, & alios etiam affectus excitasse: nam primò eorum meminit Galen. *lib.* 12. *method.* in exemplo de iuuene febriente, qui æruginosam euomuit choleram, & ob id conuulsione correptus. Zoarus etiam expressè 3. *theisir* febrium reminiscitur, quæ ex his humoribus concitantur, dicens: *Febris quæ fit de genere transitionis febris ephemerę ad febrem cholericam, si fuerit de genere prassinę, aut ęruginosę, habebit accidentia magis fraudulenta.* Item dicit: *Febris ex cholera quę in vltima caliditate, ac siccitate existit, cum substantia densa, & crassa, sicut est cholera vitellina, prassina, & ęruginosa, febres perniciosas gignit*, & Auer. 4. collig. scripsit etiam in confirmationem huius veritatis. *Peior specierum causonis est illa, quę fit ex cholera zinaria, vel prassina, & tertiana insanabilis.* In tanta autem auctorum controuersia censeo primos sensisse, non posse fieri febrem salubrem ex prædictis humoribus, non autē ex toto negasse eius *generationem*. Quinimò ex eorū rationibus ego colligo, non rarò posse succrescere febrem interpolatam: nam vt Isaac scribit, tantum est odium, quod natura habet cum cholera prassina, & æruginosa, quod non patitur eius malitiam in vtroisque quo fit, vt certius sit ab hoc humore febrem interpolatam fieri, quam continuam; quam sanè fore grauissimam, & malignam, nemo dubitabit.
4. *Quartò*, tertiana efficitur perniciosa, ob humoris crudi, & inæqualis crassitiei, ac tenuitatis maximam copiam: cuius ratione more febris syncopalis humorosæ tertiana etiam talis efficitur, vnde non rarò, sicut illa cordis calorem, ita hæc totius corporis calorem extinguere nititur, & ob id periculosissima existit.
5. *Quintò* non minus perniciosa efficitur ex adiuncto aliquo accidenti, nimirum, ob aliquem defluxum, quem calor febrilis mox à principio concitat, cuius ratione, thorax, pulmo, & cor non rarò, aut ventriculi os anxietate, difficili respiratione, & pulsus interceptione, mille modis periclitantur. Quod etiam & longè grauiùs accidere conspicimus, si vterus, aut vteri aliquod vitium febrilis caloris vehementia in consortium trahatur.
6. *Sextò* vero & vltimo perniciosior efficitur tertiana, ob venenosam, ac pestilentem, & cōtagiosam aliquam humoris, qui è vasis eiaculatur cōditionem, qui sanè eo quòd moueatur, longè grauiora efficit accidentia. Quinimo die intermedio latitans, & quiescens, ac humoribus alijs adiunctus videtur nil mali efficere, neque corpus laborare, post vero in accessione propriam naturam, ac venenosam conditionem, non sine magno laborantis malo ostendit. Hæ sunt in vniuersum, optimè Lector, caussæ huius perniciosi mali, quas hucusque adinuenire valui, quarum omnium seorsum meminisse opus erit, vt cuiusque constent natura, signa, & medendi ratio, si prius omnis tertianæ perniciosæ in communi signa, & pręsagium scripsero.

Monstrant quidem tertianam fore perniciosam grauia quædam, & perniciosa accidentia, quæ statim primo accessu necessum est hæsitabundum reddant Medicum. Huius naturæ est laborantis *vultus*, prima accessione *cadauerosus*, aut nimis *tumidus*, cum pulsus inæqualitate, paruitate, debilitate, aut interceptione, vel asphyxia. Vrina nimis crassa, & praui coloris, inquietudo insolita, anxietas, syncopis, animi deliquium, exsolutio, & frigidi sudores, vel roro accessionis tempore inordinati rigores, difficiles respirationes, delitia, aut somni profunditas, vomitus etiam æruginosus, paucus, cum graui nausea: & qui non confert. Alui fluxus pinguis, dysentericus, variegatus, aut synceri humores, ingens totius corporis grauitas, aut inquietudo, & sitis quæ nullo potu sedatur. Sed præcipuè tertianam perniciosam esse ostendunt hæc signa, & alia, quæ cæteris tertianis sunt communia, cum ab eis nondum ex toto in die quietis liber euadit laborans: sit etenim malum portendit delirium, aut somnus, qui vsque in diem quietis protrahuntur: item eadem die languidos, inquietos, anxios, & sollicitos superesse laborantes, aut alio quouis accidenti oppressos, quantumuis febris, vel leuissima, vel nulla appareat. Sic rigorem vigente febre superesse perniciosum censemus: aut rigoris tempore corpus sudare, vel sudando frigere, animo linqui, & plurimum vexari. Quæ sanè omnia diligenti animo expendat Medicus oportet, vt discat primo accessu quantum mali affectio minari possit. *Signa*

Atqui licet prædictas tertianarum species perniciosas esse constet, non subinde existimandum est, omnes fore lethales: quædam enim perniciosæ, & timore plenæ sunt, aliæ in alios morbos migraturas se ostēdunt: nonnullæ in diutinos affectus, & plerique licet sæuissimis accidentibus insigniantur, non omnino lethales existunt. Sic profectò quæ ex defluxu ad mēbrum aliquod princeps fiunt, plerumque perniciosæ sunt, & lethales, sed ex his quædam magis, & quædā minus: quæ autem ad cerebrum tendunt, lethales fiunt, si in lethargum, aut phrenitidem commigrent: quæ vero in cor irruunt, siue ex oppressione, siue ex humoris vitio, omnes lethales sunt. Inter quas hæc est differentia, quòd hæ, quæ ex oppressione fiūt, in principio accessionis interficiunt, quæ vero ex humoris vitio, non nisi in declinatione ob virtutis, & caloris vitalis dispendium. At si in os ventris humores irruant, partim fiunt lethales, & partim secus: nam si ex ventre per vomitum fiat copiosa, & spontanea vacuatio, coniectabile est conferre, si laborans tolerauerit; sin aliter, minimè: verùm, si plurimum laborans conqueratur, & nihil notatu dignum excreuerit, vereri oportet, ne præ nimio dolore succumbat virtus, & morbo non sufficiat. Item si syncopis frequenter accidat, mortem ocyssimè venturam commonstrat; sin aliter, minimè, sed morbum fore grauem: Quod si in iecur malum incumbat, vel morbi diuturnitatem, vel hydropem pertimescere oportet. Et tandem in his omnibus malignam, & cōtinuam febrem posse subsequi existimandum est; sic profectò ex his, qui ex putredine tenuium humorum exsoluuntur, vel subitum virtutum casum, vel hecticam febrem vereri oportet: hoc quidem consumptis re- *Præsagium*

nuibus

nibus solidorum membrorum humiditatibus, illud quidem nimium resolutis spiritibus. Qui vero ex crudorum, & inæqualium succorum copia laborant, plerumque suffocatione periclitantur, & maximè ineunte accessione; vel saltem febris in diuturnissimum commigrat affectum. Item qui ex humoribus adustis, & omnino perniciosis infirmantur, vel in causonem, vel in hecticam febrem, vel in grauem dysenteriam degenerant. At qui fluxu alicuius humoris simul cum febre interpolata detinentur, vel suffocantur catarrho *(vt aiunt)* suffocatiuo vi accessionis euocato, vel cessante tertiana, difficulter deinceps respirant, aut tale symptoma patiuntur, quale fuerit membrum in quod defluxus prolabitur. Cæterùm, qui venefico, & pestilenti humore abundant, licet interpolata febre corripiantur, non ob id in minori periculo versantur, quam qui pestilenti alia febre laborant, sed forsan maiori, quod in die accessionis veneficus ille humor valdè moueatur, quod solet in pestiferis morbis perniciosissimum esse, & sic non rarò conspicimus, subita morte quàm plurimos inopinato interijsse.

His habitis, opus erit, vniuscuiusque prædictarum caussarum seorsum meminisse, vt cuiusque constent peculiaria signa, præsagium, & propria; ac genuina curandi ratio.

Prima tertianæ perniciosæ differentia.

Tertianæ perniciosæ prima species ex quibus caussis fiat.

EFficitur quidem perniciosæ tertianæ sors, & differentia, quod humores transmittat natura errans, aut impotens in partes, & extrema vasorũ mēbri alicuius cordi, vel alteri membro principi vicino. Accidit profectò hoc mali genus his corporibus, quibus adeo totius corporis vasa, vel obstructa, vel carne, aut pinguedine oppressa sunt, quod ad extimas vasorum propagines, & eas quæ degenerant in carnosas partes sese natura exonerare minimè possit, vel quod ipsa nimis languida, & impotens sit. Quo fit, vt eum è vasis maioribus primum se nitatur exonerare, humorem ad partes internas per vasa sibi proxima studeat transmittere; qua in re coniectabile est, necessario humorem transmissum prope aliquod mēbrum princeps prolapsurum. Occasio autem transmittendi humores communis naturæ est cùm reliquis febribus interpolatis, nimirum copia, aut vitium irritationi naturæ sufficiens, sed in hac febre non æquè valens, quòd longè à partibus præcipuis non possit pellere, vel impedita, vt dictum est, si id sua spontè possit.

Verum licet in hac febris sorte hæc sint communia, nihilominus tamen duplex ex hac caussa suborirur febris conditio, duplicia, & varia accidentia, & longè diuersa signa, ac ex consequenti varia præsagiendi, & curandi via, quæ omnia specialius expendisse oportet.

Signa cordis affecti & præsagium.

Ad primum igitur accedendo, coniectandum est, transmissum humorem ad extrema vasorum membri præcipui, aut iuxta ipsum, vel esse copiosum, vel malignum: quippe ex hac varietate reliqua, quæ sequuntur necessum est insigniri. Verum potissima varietatis ratio ex membri, prope quod incumbit humor, natura, & præstantia petenda est; si vero in venulas iuxta cor vitiosus humor illabatur, tunc procul dubio syncopem, pulsus paruitatem, frequentiam, inæqualitatem, & aliquando omnimodam asphyxiā sequi necessum est. Quæ omnia accidere solent, cum faciei rubore, sudore, & oculorum cauitate ob impēsam spirituum vitalium resolutionem, ex quo subitū virium casum, & inopinatam mortem vereri oportet, ac plerumque in accessionum inclinatione, vigore vitali simul cum febrili calore salutis. Quod si humorum crassities potius quam malitia prope idem etiam membrum caussam præstiterit, tunc quidem pulsus magna inæqualitate inter magnitudinem, & paruitatem pollet, vbi paruitas elucet magis, & intercadens nonnunquam efficitur, ac non rarò myurus deficiens. Torpet laborans, fronte exsudat, & maximè frigidum, suspiriosus est, & nesciens referre quid sentiat, plerumque angore premitur, & impotens ad motum, quasi graui onere pressus efficitur. Ex qua sanè affectione laborantes, vel cum frigido sudore, & pulsu formicante, aut omnino deficiente, tertia, aut quinta accessione pereunt, vel si has effugerint, graui febre, eaque continua, & plerumque de malignorum sorte, corripiuntur.

Signa, & præsagia oris ventriculi affecti.

Si tamen ad vasorum extrema, quæ ad ventris os terminantur, vel iuxta ipsum proiectus è vasis humor profluat, ibidemque diu immoretur, dolorem orisq; ventriculi morsus sequi est necessum, nec non & cardiacum effectum, cum biliosis, æruginosis, aut nimis crassis, aut viscidis vomitibus; cæterum minutis, aut præcedenti ingenti nausea, vtpote humore penitus in carnis venulis imbibito *(nam in reliquis tertianis licet copiosior in ventrem confluat bilis, non quidem ad carnem oris ventriculi, & per venas alimenti, sed ad cauitatem per communes canales)* quod quidem monstrat anxietas, inquietudo, exsolutio pulsus, vel ingentissima frequentia, & paruitas, vel raritas, maximè si prope syncopim fuerit laborans, vt multis videatur febre carere, adest & frigidus prope frontem sudor, faciei pallor, oculorum grandis cauitas, & calor. In quo quidem vereri oportet *(ni cito præueniatur, potissimè si frequentior succrescat syncopis)* mortem quinta accessione, aut ante, nisi affectus factus fuerit continuus, in quo iam nihil transmittitur in os ventris, vtpote cessantibus accessionibus, & humoribus intra vasa manentibus, licet ob id laborantes non omnino videantur periculo carere, verum præbet exspectandi inducias, quòd accidentia maiori ex parte cessauerint.

Signa, & præsagiū capitis affecti.

Verum si vel ad capitis vicinam partem mutatur humor, vel ad ipsum caput, aut omnino ex humore vapores conscendant, in grauem somnum laborantem delabi, vel in grauem aliam ex soporiferis affectionibus cōspicies, maximè si caliginosus, & ex crassa materia ortus prodeat vapor: sicut dum acris est, & mordax, in paraphrenitidem migrat affectio, cessat tamen in die quietis. Cæterum si humoris aliquid errabunda natura illuc miserit, non omnino ad antiquum statum laborantem redire conspicies: ac pertimescendum est, ne tertia, aut quarta accessione iterū in ipsum caput nouo humore irruente omnino essentiale fiat malum. Quod sanè ostendit dies intermedia, in qua laborans non omnino resipiscit, si vel dormierat, vel phrenitico aliquo affectu laborarat.

Signa, & præsagiū iecoris affecti.

Præterea si in iecur humores irruant, minus quidē periculi est, sed affectio mox continua fiet, & morbus diuturnior, ob ingentes obstructiones, & magnam iecoris imbecillitatem. Cuius occasione in hydropem sic affecti non raro deciderunt, quod nosces ex maioribus pulsibus, maiorique febre, dolore ipsius hepatis, cum grauitate, & difficili respiratione, donec febris soluatur. In plerisque enim ex bis qui hac occasione laborant, tussicula quædam in principio accessionum reperitur, sicca quidem, & cum ipsius iecoris ponderoso dolore, præludium quidem futuræ in ipso inflammationis.

Cōmunis via, & ratio curandi.

Vtcunque & ad quoduis membrū humor irruat, diligentissimè cognita, & accepta occasione curationem aggredi oportebit: quippe si in his malis differas, periculum ocyssimè accerses: procrastinatio enim in his nunquam non fuit perniciosa. Commune autem præceptum sit, siue in cor, siue in cerebrū, siue in ventrem irruat humor, maximè si vitiosus sit, protinus expurganti medicamento vti, haud secus

quam

quam in quauis alia humoris urgentia facies, præcauens, ne in membrum principes agiliter humores ruant; verum expurgantia medicamenta non teneantur tantum eadem rhabarbari vires. Itaque cognita ex prædictis signis accessionis praua conditione, mox sequenti die citra cunctationem corpus purgabis manna, vel cassia fistula, cum infuso rhabarbari, vel syrupo ex nouem infusionibus. Cui vtiliter censeo proficuum fore dilutum ʒ. 1. rhabarbari, cum ℥. 2. & ß. mannæ electæ, vel pulpæ cassiæ fistulæ ʒ. 6. superbibitis ℥. 3. & ß. syrupi solutiui rosarum. Item ʒ. 5. catholici, cum ʒ. 1. rosati laxatiui. Quo facto, si sequens accessio par afferat periculum, & æque grauia symptomata, pronuntiato prius discrimine, & viribus constantibus, sanguinem detrahes ex *dextra basilica*. Verum si vires ex purgatione, & accessionum grauitate lapsæ sint, ex saluatella, vel talo censeo plus commodi laborantes suscepturos. Quibus factis pro virium robore, & enemate aluo laxiori facta, & aliquando irritata, his, quæ acria sint, victu vtendum erit copiosioris nutrimenti, sed facili, ea lege quam *cap. de tertiana exquisita* adduximus: si tamen accessionis periculum ex humoris copia suboriatur, consultius te facturum arbitror, si mox à principio sanguinem miseris, maximè viribus robustis existentibus, & vrina aliquo modo id poscente, idque prima, aut secunda quietis die, præsertim si symptomata non accidant vitio oris ventriculi, quo tempore à sanguinis detractione abstinendum esse, ferè omnes consulunt auctores; nec displicet in hoc tertianarum genere, vel à poplitis, vel à manus dextræ, vel sinistræ venis sanguinem fundere, quo longius à partibus affectis, & quarum ratione periculum succrescit, humorem distrahas: quo facto, ante quintam accessionem, si fieri potest, ægrum purgato aliquo ex prædictis pharmacis. Postea autem curandum est, omni arte ad extimas partes, & carnosum genus humores euocare duriusculis frictionibus, & linteis odorato aliquo suffumigatis extremas partes ligare, aut plurimas, & minutas cucurbitulas toti corpori affigere, quibus extremæ, & extimæ corporis partes patentiores sint, & ob caloris in eis reuocationem humores ad ipsas natura pellat: quo forsan à periculo suffocationis liberabis, & accidentium immanitatem compesces: Seruabis tamen hanc legem in adhibendis cucurbitulis, frictionibus, & ligaturis, quod in his accessionibus, in quibus periculum suffocationis imminet, eis vteris parum ante accessionem, & ipsa adhuc incipiente, quo ad extimas motum à natura humorem euoces: in reliquis vero, quibus ob dissipationem caloris periculum incumbit, censeo tutius esse in die quietis naturam ad extima euocare, vt dissuescat à consuetudine mittendi ad interiora, quam dum laborantes dissipantur humoris malitia, his auxilijs vlterius spiritum, & calorem dissipare. Sed ad peculiaria cuiusque membri affecti auxilia tempestiuum est deuenire.

Cordis affecti prouidentia. Præmissis igitur his, quæ generalia, & omnibus membris communia sunt, cordi, si in hac affectione patiatur, prouidendum est, non quidem frigidis epithematis, ne penitius in seipsum sese inferant, & insinuent humores, quinimo ante accessionem vnguento *naphtha*, aut *eius oleo cum pulueribus electuarij de gemmis, vel diamargaritonis frigidi, & grana*: In accessione vero, quia opus est, quod iuxta existit resoluere (*antea enim non resoluere, sed roborare solum expediet*) *oleo Matthioli, & electuario de gemmis, aut de hyacintho* ipsius regionem inunges: & *oleo* etiam *Angelicæ*, quod in discutiendis, & euocandis ad cutem humoribus miram habet efficaciam. Item hæc eadem adijcies *oleo, & vnguento naphthæ* cum prædictis pulueribus, aut aquam stillatitiam ex *cinnamomo* cum guttis odoratissimi vini, interim tamen ea porriges, quæ & flatus cor irruentes discutiant, & longè ab ipso, si quid ibidem moratur pellant, at rursus ipsum roborent, velut sunt *tabellæ diamargaritonis frigidi, aut electuarij de gemmis, & modico diamusco confecta vino, aut aqua stillatitia cinnamomi*. Verum quod efficacius esse arbitror, est electuarium *de hyacintho miris encomijs* à plerisque commendatum. Ante accessionem tamen cucurbitulis vteris, & in die accessionis ratius, & in hypochondrio sinistro: ac in dorso è regione cordis, si forsan cogaris adhibere, seu opus esse aliquam scarificare, ne plus quam euoces extra, intus magis allicias.

Capitis affecti prouidentia. Quod si caput periclitari, & pati videatur, præmissis dictis actionibus, crurium lauacris, & euacuationibus, quæ satis sint, *oxyrrhodino* vtendum est, maximè in quietis die. Quod si ea die accidentis alicuius, siue delirij, siue profundioris somni, aliquid superent, vel sanguinem detrahes ex vena cephalica, iuxta carpum manus, vel cucurbitulas in brachijs scarificabis; quas si parum ante accessionem adhibueris, magis ex vsu facies: nam in die quietis eas attingere oportet à cruribus ad nates, in die vero accessionis à ceruice ad nates per dorsum. Prouidendum etiam est, vt laborans acetum rosaceum olfaciat, aquam rosaceam, & alia frigida odoramenta, quæ latius scripta reperies libro huius operis 7. in correctione accidentium quæ febribus succrescere solent.

Ventriculi affecti prouidentia. Si tamen ventriculi os pati in hac febre compertum sit, præterquam quod mox sanguinem mittere recusabis (*sunt enim huius visceris accidentia, maximè dolor, ex his quæ summopere vires labefactant, non solum vt sanguinis detractionem non ferant, si accessio præcessit, & vereantur talem futuram quæ sequitur, verum neque morbum adhuc ipsum, nisi vires post accessionem iterum robustæ appareant, maximè si consueuerit iecur in os ventris bilem reijcere: quo tempore tutissimum erit, ex dextra basilica, aut saluatella sanguinem mittere: nam si vires in die accessionis etiam languidæ supersint, cauendum est ab hoc auxilio*) protinus aliquo ex prædictis pharmacis, quæ purgationi idonea esse diximus vtendum est. Ac si vires adeo esse deiectas constiterit per epicrasim purgabis singulis diebus intermedijs, pauxillulum purgantis exhibens cum *syrupo acetoso, aut cichorij, & violarum*. Et à purgatione ventrem roborabis *oleo melino, rosarum, & omphacino, sparsisque desuper pulueribus coralli, rosarum, santalorum, & diarrhodonis*. Cataplasma etiam conficies ex *tosto pane, vino rubro madefacto, cum prædictis pulueribus, & oleis, vel ex eo quod ex surfure, vino, & eisdem pulusculis conficitur*. Cui etiam (*gratia vitandi animi deliquium*) modicum aceti addere poteris: tandem omni arte curandum est, aut roborare, aut quodammodo adstringere, vt vel non recipiat venter, vel si quid receptum habet, ocyssimè pellat. Quod si id fieri sit difficile, studendum est, humorem in os ventriculi iam fluxum compescere, & attemperare, vel *aquæ calidæ potibus, vel succo granatorum, agrestæ, papaueris, aut de portulaca, vel potu aquæ frigidæ*. vel (vt etiam vires roborentur, & spiritus reficiantur) *vini albi, & optimi modico haustu*. Cæterum quod satius esse frequenti experimento comperimus, est, vel ante accessionem clystere aliquo, quo laborans aliquid purget, vti; vel saltem vomere, maximè si id ventriculus tentauerit, & in eius cauitate aliquid immorari constiterit, non tamen instante accessione, ne vomitorijs motibus, & auxilijs plus bilis ad ventrem ipsum euocetur. Curandum quidem est in hac febre, si his quæ diximus non cedat, correctionem, & præparationem humoris moliri, vt vel copiosiùs purgetur, vel natura promptiùs ipsum deuincat. Quod si in alterius naturæ febrem tertiana hæc migrauerit, longè salubrius fore existimato.

De tertiana perniciosa, ob tenuis humoris putredinem.

Tertianæ perniciosę secunda species.

Efficit non minus perniciosam tertianam tenuis seu biliosus humor plurimo, & copioso ichore permixtus, secretusque, & separatus ab aliorum humorum consortio, & in extrema vasorum proiectus, vbi summam nanciscitur putredinem: tum quod ipse sit vitiosæ naturæ, tum quod alijs non temperetur, tum etiam quod locus sit arctus, & conclusus. Quibus etiam accedit, vt affectus grauior fiat, corpus esse raræ contexturæ, & porosum, & maximè excalfactũ, ita vt possint partes extimæ, & extrema vasorum facilè susceptare prædictos succos. Quem sanè affectũ etiam accidere comperimus his qui plurimos horaB rios fructus ingesserunt, *vt Hippocrat. 7. popul. tex. 8 t. de cholera morbo recenset*, qua parte etiã in malignos morbos, & vt Vallesius exponit, in febres intermittẽtes degenerare refert; qui sanè succus cum putrescit, quocunque loco sit, adeo est perniciosus, vt grauissimam, & perniciosam non raro efficiat tertianam, maximè si laborans raræ sit contexturæ, & facilis resolutionis. Quo profecto fit, vt ex ingenti illa putredine, quam statim illius succi conditio, & peculiaris natura contrahit, & ex prædicta hominis contextura, facilè qui sic afficitur, resolutione, & anxietate animo linquat, aut syncopi, & mille alijs accidentibus prematur. Quippe tales succi adeo malefica qualitate sunt affecti, vt ex motione, vel leui eorum agitatioC ne laborantes ocyssimè prædictis symptomatis corripiantur, affectio quidem syncopali minutæ, *vt refert Auicen. fen. 1. 4. tractat. 2. cap. 53.* persimilis, nomine tantum febris *syncopalis minutæ*, in qua sanè dispendium fit immodicum spiritus ob sanguinis attenuationem, atque etiam ob expultricem facultatem immoderatius in toto corpore concitatam: quod etiam ex imbecillitate retentricis plerumque accidere monet Galen. 12. *method. cap. 6.* vt paulo inferius latius sum probaturus. Huiusmodi enim humores quam citissimè exhalant, quia tenuiores à febrili calore redduntur, in ijs maximè quorum retentrix imbecilla existit, qua ratione diaphoreticis sudoribus sic affecti exsoluuntur. Quapropter tria necessaria in D hoc affectu reperiuntur, nimirum *humorum tenuissimorum in ventriculo, & vniuerso corpore copia*: secundum *virium imbecillitas*: tertium vero *vitiata meatuum, & venarum in laxitate compositio*, à quibus proculdubio necessum est subsequi immodicam resolutionem, & subitum virium lapsum.

Signa, & presagiũ.

Quamobrem qui sic laborant, vel leui corporis motione animo deficiunt, faciliter citra leuamen sudant, pulsum habent paruum, debilem, ac frequentissimum, vrgent vigiliæ, caput vaporibus infestatur, adest vomitio, aut inanis nausea, quam antecedit oris amaritudo, inappetentia, & tenebrosa vertigo, *vt Hippoc. refert 4. aphor. 17.* ac mox sequitur syncopis. Vultum etiam, qui sic affecti sunt, Hippocr. habent E quam simillimum, ob ingentem resolutionem citra dolorem in aliquo signato loco. Tandem loquens Auicen. citato *capite de febre* ex huiusmodi humore oborta, profert eam esse acutam, & quandoque non sufficere in ea virtutem vsque ad quartum: quo fit, vt iure optimo inter lethales numeranda sit.

Curandi ratio.

Curationem autem huius febris longè aliter instítues quàm reliquarum: quippe in hac præter leuem quandam purgationem, quam pari ratione à principio mali, & antequam vires labantur, instítues, omni arte cutis coarctanda est, & humores densandi.

Purgatio.

Sic profecto, quò citiùs possibile fuerit, corpus purgabis *syrupo solutiuo è rosis Hispanis, cum decocto corticum myrobalanorum citrinorum, vel cum ℥. 2. mannæ, & eodem decocto, vel pulueribus earundem corticum,* A *cum pulpa cassiæ fistulæ, vel rhabarbari infuso largiori cum syrupo rosarum.* Deinceps tamen humorem cõpesces ante accessionem *syrupo rosarum siccarum, & violarum, anã ℥. ß. syrupi rosarum ℥. 1. aquæ deaurata ℥. 3.* cui adde pulueris *diamargaritonis, aut coralli, aut electuarij de gemmis gr. 7.* quibus humores densiores fiunt, & longè melius coquuntur.

Humores cõpescũt.

Sed humores amplius densabis, ineptioresque ad fluxum, & putrefactionem reddes his, quæ intus sumuntur, qualis naturæ est *syrupus rosarum siccarum, de malis punicis, de portulaca, & papauere, cum aquis, aut decoctis rosarũ, portulacæ, oxalidis, cum aqua ferrata, aut deaurata.* Cæterum prodesse non parum comperies, abluere in aliqua prædictarum aquarum *boli Armeni, aut terræ si*B *gillatæ ℈. 1. aut ʒ. ß. cum modico syrupo papaueris, aut agrestæ*: hoc sanè medicamentum, præterquã quod humores densat, & corpus comprimit, inhibet quoque putredinem, & viscera roborat, ac præcauet. Cõfert etiam id, q. ℞. *pulueris triasantali, & rosatæ nouellæ, ana ʒ. 1. succini ℈. 1. sacchari rosati soluti in aqua rosacea*, quod sufficiat, vt fiat electuarium in rotulis, cuius sumat laborans ʒ. 1. *& ß. cum haustu frigidę aquę, aut alicuius ex dictis.* Vtilissimum quoque est aliud, q. ℞. *conseruę rosarum ℥. 2. pulueris electuarij de gemmis, aut diamargaritonis frigidi ʒ. 1. ß. confectionis Alchermes, vel de hyacintho ℈. 1. succini, ossis de corde cerui, pulueris granę ana ℈. ß.* misce, & fiat conditũ:

Roborantia cor, ac cerebrũ.

Cordi præterea, ac cerebro roborantibus prouidebis, *vt* C *Galen. consulit lib. 12. method. cap. 6.* Sic quidem primo facies attemperanda est frequenter *rosarum, myrtillorum, & plantaginis cum modico aceto rosaceo.* Cuius indicationis gratia inuoluitur etiam æger linteo *aqua rosarum madente*, aut conspergitur multo *rosarũ rubearum puluere, vel myrtillorum.* Verum vt ex toto syncopticis accessionibus, & sudoribus subueniamus, adhibere oportet epithema fœminarum mammis, aut virorum testibus, q. ℞. *aquę rosarum ℥. 10. aquę oxalidis, & buglossę, ana ℥. 1. & ß. vini optimi ℥. 2. aceti rosati ℥. ß. pulueris margaritarum, santalorum, coralli, seminis acetosę, succini, ana ℥. ß.* Aer, quomodo & cutis, attemperetur, refrigereturque frigidis asperginibus, sparsis humi floribus, & folijs *rosarum, pampino*D *rum vitis, salicis, cannarum, & myrti, superspersa aqua rosacea cum modico aceto*: item eundem aerem flabellabis linteo aliquo madido aqua frigidissima, aut rosaceo cum modico aceto.

Vnguentum.

Præstat quoque cordis regionem inungere vnguento, q. ℞. *pulueris electuarij de gemmis, & diamargaritonis frigidi, anã ʒ. 1. lapidis Bezoar gr. 15. pulueris granę ʒ. ß. olei foliorum nymphęę lutęę, aut olei rosarum omphacini ℥. 2. cerę albę, quod sufficiat, vt fiat linimentum molle*: item prædictos pulueres vnguento rosaceo excipies, addesque *terrę sigillatę ʒ. ß. rasurę eboris, & cornu monocerotis ℈. 1.* & eandem partem inunges. Thoracem etiam, & abdomen illinies hoc vnguento, q. ℞. *olei rosati omphacini, & myrti ℥. 2. olei melini ℥. 1. bulliant cum* E *℥. 2. aquę rosarum, ad consumptionem aquę, & adde pulueris rosarum rubearum ʒ. 1. santalorum omnium, anã ʒ. ß. cerę q. s. vt fiat vnguentum.* Hepari etiam, ac fronti gratia inhibendæ dissipationis, adhibebis præsidium, q. ℞. *mucaginis tragacanthi, & seminis psyllij, & citoniorum ℥. 6. albumina duorum ouorum*, misce, & prædictas partes illine, spargeque desuper puluerẽ, q. ℞. *santalorum omnium, rosarum, seminis arnoglossę, anã ʒ. 1.* Quibus profecto & sudoris impetum, & virium resolutionem compesces: id tamen prudenter, & paulatim facito, ne ex cutis dẽsitate intensior fiat febrilis calor. Securissimum tamen est & vtile, iecur illinire *oleo rosaceo omphacino cum pulueribus santalorum, positis desuper pannis aqua intybi madidis, vel succo agrestę, & aqua plantaginis, rosarum, & solatri.* Maximi etiam sunt momenti, cerebri adhuc roborandi gratia, odorata omnia, tum naribus, temporibus, ac

pul-

pulsibus adhibita, tum super faciem rotis modo inspersa, cuius census est id, q. ℞. *rosarum, santalorum omnium, spodij, ana ℈.2. ambra gr.3. moschi, & camphora, ana gr.2. aqua myrti ℥.1. aquæ rosarum ℥.4.* misce: ad cuius pensum odorata omnia frigida prodesse possunt.

Victu etiam subuenire his oportet paulo ante accessionem, vel in ipsius accessionis principio, sit autem ex his, qui ciuilissimè nutriunt, & modicè adstringunt, sint carnes assæ, & elixæ gallorum testes, & qui austeris condiantur; vinum sit rubrum modicè acerbum, dilutum aqua frigida, aut decocto hordei, vel radicis buglossæ. Præterea cum linquunt animo, *vino mali punici acidi* pane excepto, item renutriendus est æger crebris, & minutis cibationibus eius alimenti, quod non ocyssimè dissoluatur, velut est *caro perdicum, caponum, vituli*, & eius aliquod ex his confectum cum pane *loto*, & *saccharo*: fructus item acerbi, & putredini resistentes. Potus sit ex vino rubro, *vt dictum est*, aqua ferrata, aut deaurata diluto. Quod si morbus præstiterit exspectandi inducias, & vires ad meliorem statum redierint, vrinaque rubicundior apparuerit, non erit ab re ex saluatella dextræ manus modicum sanguinem extrahere, aut iterum aliquo ex prædictis pharmacis per epicrasim purgare, donec affectionem mitiorem esse factam comperiamus.

De tertiana perniciosa ex praua humorum natura.

Tertianæ perniciosæ tertia species ex quibus caussis oriatur.

ADeo sunt perniciosæ naturæ, & conditionis *bilis vitellina, prassina, & æruginosa*, vt dubitatum sit, quemadmodum antea diximus, inter Arabes Medicos, possint ne ex eis febres succendi: cum hoc tamen præter adductam auctorum mentem, nos etiã ex his nonnullas vidimus, quorum natura adeo fuit perniciosa, vt pestilentem affectum æmulari viderentur: fiunt autem ex his humoribus hac lege, & ratione.

Media æstate ob ingentem resolutionem propriæ humiditatis humorum, aut nimiam exustionem, & maximè si subito frigus occursauerit his corporibus; quæ improba, & biliosa nimis vasa fuere victus institutione, adustam bilem, prassinam, æruginosam, & in confinio atræ bilis existentem succrescere non raro visum est: præsertim si homo ira, furore, aut alijs vehementibus animi pathematis percitus fuerit. Quo quidem tempore mirum non est, si febre corripiatur, eam fore periculosam, etiamsi tertiana fuerit. Quippe si vires non admodum deiectæ sint, si humorum copia non grandis, certum est, naturam posse, quod intra venas molestum fore persentit, aut degustat, pellere. Quod si ad emunctoria, & corporis canales pellere non possit, poterit quidem prope partes sentientes sensim, & paulatim proijcere, vt facilè vel præmissa succensione dissoluatur: quo fit, vt more solito tertio quoque die id efficiat, quia sic humoris conditio postulat.

Signa.

Dignosces quidem hanc febrem tertianam ab humoribus ortã ex vehementissimis humoribus, *(quod humor sit mordacior)* & qui diutius protrahuntur ob humoris crassitiem: quippe lynceri sunt, & citra natiuam humiditatem. Febris mox à rigore vehementer crescit, quod humor suaptè natura siccissimus, & exurentissimus sit, sicut crassissimus: nam illi haud secus accidit, quam pici, & resinæ, dum succenduntur, quæ licet crassam habeant compagem, ocyssimè inflammantur. Mox vero ab inflammatione sitis, & linguæ asperitas, nigredo, & ingentissima siccitas succrescit. Oculi ob magnam spirituum resolutionem cauantur, & coloratior vniuersa facies *(licet cadauerosa)* efficitur, anxius, inquietus, & vniuerso corpore compunctus, ac veluti exulceratus æger hinc inde vagatur: qui neque potu, neque ventilatione, neque respiratione subsidium suscepta. Vrina ignea, ac veluti lixiuium apparet, pauca, & cum cinericio, vel furfuraceo sedimine, aut cum pinguedine supernatante: pulsus mediocris magnitudinis, non admodum debilis, dum viget febris; cæterum frequentissimus, & celerrimus, die autem quietis paruus, debilis, durus, & creber subest, quod vires ex accessione abierint, respiratio crebra, alui deiectiones opimæ, pingues, aut bilis vitellinæ, porraceæ, aut æruginosæ naturam referentes, plerumque dysenteriam efficientes. Vomitus quandoque alicuius dictorum humorum substantiam, & colorem æmulatur, cum angore maximo, & animi deliquio. Laborantes parum, aut nihil sudant, quod crassior, & sine humiditate sit materia, nisi prope mortem cum diaphoreticus erumpit.

Præsagiũ.

Quod sanè malum mille pericula afferre solet, ac multis modis perniciosum efficitur, nam cuiusuis prædictorum humorum talis est natura, & conditio, vt etiam citra putrefactionem, aut successionem quamcunque partem inierint, vel erodant, aut grauius aliud malum machinentur, nedum cum in extremis vasorum, & prope partes sentientes iam putrescunt, initio etiam putredinis à vasis maioribus sumpto. Quo profectu tempore certum est, ipsam febrem mediante validissima virium exsolutione, laborantem, aut interimere in febris ipsius inclinatione, aut ocyssimè labefactata natura in causonem, vel grauissimã aliam febrem migraturam, & quod certius est, nisi arte, aut diligentia præueniatur, in habitualem febrem. Tanta enim est primarum humiditatum, & substantiæ membrorum, in quibus hi humores putrescunt, resolutio, vt non vltra quartam accessionem visum sit laborantem in hecticam migrasse: maximè si gracilis sit, iuuenilis ætatis, & suaptè conditione rari habitus, & contexturæ.

Curandi ratio.

Non fert maligna, & atrocissima huius morbi conditio, in exhibendis auxilijs moram vllam: nam cũ certum sit, huiusmodi humores nullum posse beneficium, gratiam, aut coctionem à natura recipere (imo *vt inquit Auerroes 3. collect.* corrumpit formam specificam illius) proculdubio necessum est, protinus humorem purgare, maximè si in conuenientem regionem incumbat ipse sua sponte. Quippe si in superiorem ventrem irruat, vomitibus cum accessio instat *(quò facilius excernatur)* & venter nauseabundus apparet, minuendus est. Seruabis tamen hoc præceptũ in eius eductione, vt maximè ipsum admisceas humectationibus cibarijs, & copioso potu, tum vt facilius vẽter euomat: tum vero vt sine noxa, grauis enim, & periculo plenus est huiusmodi humoris contactus, & ob ipsum humidis præsidijs compescere, & attemperare opus est. Quod si in inferiorem ventrem humorem irruere persenseris, aut saltem ad nullam aliam se partem inclinare, per ipsum expurgabis: id quod cautè facies: siue enim purges, siue secus, periculo res non caret: quippe scimus, vel leuissimis pharmacis, grauissimas accersiti dysenterias, quod si has effugias, contabescet laborans, quo fit, vt prudentia, & maturo consilio opus aggredi, aut ab eo subsistere teneans. Sic profecto in huiusmodi humoris purgatione, blandioribus, verum seligentibus pharmacis admixtis rem ages: illud quidem ne nimis exacerbetur humor, hoc vero, vt peccans (necus citra aliorum agitationem excernatur: id quidem facies *cassia fistula superbibito lactis sero, in quo prius rhabarbari ʒ.1. maceraueris, aut ipso diluto copiosiore facto, vel syrupo ex 9. infusionibus violarum, cum infuso ʒ.4. rhabarbari, vel hordei cremore cum prædicto rhabarbari infuso.* Itẽ *confectione Hamech simplici*, superbibito copioso haustu *aquæ hordei cum saccharo, aut seri lactis, vel decoctionis violarum, & seminis maluarum.* Præstat *& manna dissoluta in aqua hordei, vel violarum*, sed robusta

Purgans medicam. cautissimè propinandum.

busta corpora optimè ferre poterunt ʒ. 1. *& ß. electuarij de psyllio, vel catholici* ʒ. 4. *cum copiosa aqua oxalidis, vel hordei.* Quo etenim semel facto, non licet plurimum inniti in sanguine extrahendo: quippe prædicti humores, neque corpus eisdem scatens id plurimum expostulant, neque innoxiè ferunt, plerumque à sanguinis missione continua euadit febris, quod impotens, sanguine detracto, natura ad pellendum à vasis nociuum supersit. Verum si vel simul sanguinem aliquo modo redundare (*quod raro exustis humoribus accidit*) vel opus esse comperias, id quidem ex saluatella manus dextræ facito. Postmodum verò humores, & vniuersum corporis habitum, ac viscera etiam humectare, curabis plurimum, & modicè refrigerare, pusillus enim calor natiuus, qualem hæc corpora habent, nec vacuationem, nec refrigerationem innoxiè ferunt, sed *vt Galen. 12. method.* in doloribus ab erodentibus succis ortis consulit, paulatim & sensim lenire, sic sequenti die à pharmaco copiosam aquam hordei cum syrupo *violarum, aut sacchara rosaceo, vel decoctum violarum* bibendum dare oportet, quo & vis medicamenti, & humorum acrimonia retundantur, abluanturque: Clysmatis prætera vtendum est, maximè cum laborans dormiturus est: quæ sanè conficito *ex decocto hordei, vel violarum, aut seminis maluarum, & papaueris, cum sacchara, & oleo rosarum, violarum, & vitellis ouorum.* Prætera summo mane, aut prope somnum, laboranti porriges *aqua hordei, acetosæ, violarum, scorcioneræ, vel per mortarium lapideum excolata* ℥. 6. *syrupi acetosæ, de succo limonum, rosarum, aut violarum* ℥. 1: Confert & saccharum rosaceum, sed violaceum magis, quibus admisce roborandarum virium gratia, *margaritarum præparatarum, aut electuarij de gemmis* ʒ. 1. Præstat & *diacorallium cum mucilagine seminis citoniorum, & psyllij pondere* ʒ. 1. Eiusdem vsus est, quod ex his omnibus conficitur forma boli, & pódere duarum ʒ. summo mane exhibitum. Sed ferunt non contemnendi auctores, & Conciliator etiam adstruit, alexipharmacum nullum reperiri in arte medica his humoribus pretiosius, quàm crystallum, cuius ʒ. 1. in subtilem puluerem redactam, & aqua dissolutam, mire opituletur: ego autem arbitror, id forsan occulta quadam proprietate illi accidere. Verum si dysenteria ex prædictis humoribus prodeat, vi sua adstringente extra omnem exspectationem prodesse comperimus: censeo tamen admiscendum fore aliquod ex prædictis pharmacis. Exterius vero corpus *refrigerante Galeni*, aut *rosaceo*, vel vnguento ex *cucurbitulis*, iuxta dorsum inunges, aut cordi epithemata appones, ea lege qua capite de tertiana exquisita scripsimus.

Crystalli in tertiana vis occulta.

Quod tamen maioris momenti arbitror, est victũ summè humectantem, & facilis, atque copiosioris alimenti instituere: ob id *iura caponum*, & *carnes pullorum ex lacte, aut hordeo nutritorum* ex vsu esse compertimus, & ex *oleribus decoctam lactucam, aut scariolã, & borraginem*: tandem potus sit hordei aqua, vel purissima cum saccharo. Quod si vires laborantis labi videantur, consultissimum est, vinum tenue, album, & maximè dilutum præbere: tandem si affectionem perstare adhuc contingat, existimandum est, iam in alterius naturam commigrasse, nam ex prædictis humoribus non transcendit quintam accessionem, quamobrem iuxta naturam eius in quam degenerauerit, curationem instirues.

De tertiana perniciosa ex miscella craßorum humorum cum serosis, & tenuibus.

Tertianæ perniciosæ species

CVm in humanis corporibus intra venas humores abundant ea copia, quæ naturam irritet ad sese deonerandam; cæterum quæ non adeo grauet, quod ad extrema vasorum pellere non possit, fit quidem, vt humorem pellat ipsa tertio quoque die: sed quod frequentius est, more duplicis tertianæ singulis diebus, maximè prope noctem ad extrema vasorum, & præcipuè iuxta os ventriculi humorem transmittat, quo febri syncopali humorosæ simillima existit. Quo fit, vt ob eius copiam, quæ sui respectu maior est, quam fuit respectu maiorum vasorum, à quibus pellit natura, proculdubio adeo grauentur, & offendantur vniuersi corporis partes, vt hac sola ratione tertiana, quæ sui natura salubris foret, perniciosa efficiatur, cui accedit, humorem esse mixtum ex tenui bilioso, & crasso, cuius crassitiem veluti ex congelatione, & condensatione factam arbitramur. In cuius febris natura expendendum primò est, *qua ratione hi humores grauent naturam in extremis vasorum, cum intra maiora non adeo graues extiterint.* Secundo, *qua ratione ob id perniciosa existat.*

quarta ex quib⁹ fiat caussis.

Circa primum coniectandum est, humorem hunc concretum, quem secum mouet biliosus, & tenuis humor, qui in accessionem prorumpit, cùm ad extrema venarum funditur, non protinus, aut simul ad dicta loca transmitti, nec simul incalescere, sed paulatim proijcitur, ac succenditur; tum quod copiosus fit, tum quod inæqualis. Quo fit, vt tenuior pars primo succendatur, & ex crassioribus, quæ primò transmittitur, & reliquæ sic successiuè, vt natura pellit. Præterea cum mox tenues partes succendantur, quæ crassæ sunt, simul incalescunt, grauioresque & rariores fiunt, eò quòd ex calore, quod crassum est, ocyssimè fundatur, & liquetur. Quo fit, vt ea humorum copia, quæ vasis maioribus non erat magna, nunc in extremis vasorum liquata, & fusa maxima fiat, grauis, & ponderosa, ex quo proculdubio sequitur, perniciosam, & periculo plenam efficere febrem, cum vereri oporteat, ne vniuersi corporis calor ex copioso illo humore suffocetur, extinguaturque, aut laborans syncopi frequenter corripiatur. Finitima quidem est hæc febris conditio ei, quam Medici *syncopalem humorosam* vocant, cuius Galen. 12. *method.* meminit nomine febris cum redundantia crudorum succorum, licet ex continuarum fiat genere, transactis primis accessionibus, quod impotens sit natura longè à cordis vasis humores illos crassos, & copiosos pellere, hæc vero intermittens.

Quare grauis, ac perniciosa.

Verum ob id grauis, licet procul à partibus cordi, & ventriculo, aut iecori vicinis eosdem valeat pellere, è quo vereri oportet vniuersi corporis caloris extinctionem, & ob id differunt etiam hæ febres ex occasione periculi, nam in illa vereri oportet, ne humorum pondere, & copia cordis calor extinguatur, quòd prope ipsum existat plenitudo, in hac vero ne totius corporis calor pereat, præterquam quod (*vt dictum est*) aliqua humorum crassorum portio prope viscera transmittatur, licet in vtraque ob vitium, & damnũ ventriculo illatum laborantes periclitentur. Triplex igitur caussa necessaria est huius febris generationi, crudorum nimirum humorum copia ventriculum, & carnosum, ac arteriosum genus opprimens, virium infirmitas, quæ caloris paucitatem sequitur, & vitiata angustorum meatuum, & venarum compositio.

Signa.

Cognosces autem hanc febrem ab his humoribus inæqualiter crassis, & copiosis prouenire, quòd lentè, & cum diuturno, ac moroso rigore incipiat, quem nonnunquam interrumpit calor quidam, veluti flamma exsurgens, quem iterum rigor compescit, ita vt per interualla rigeant, & incalescant qui sic affecti sunt. Quod symptoma illis succrescere censeo, quia humor copiosior est, & crassior (*potius profecto*) quàm quod simul totus possit à natura pelli, & si pellatur, simul succendi. Quo fit, vt pars post partem succendatur, & primò quæ in eo tenuior est, post

verò quæ crassior. Dignosces etiam id, quod laborantes tardè incalescant, ex toto, & quod calor diu duret, & non admodum sit extensus, sed per aliquod interuallum flammea in corpore compareat caliditas, sed mox cesset, & mitis appareat calor: quod licet ita sit, anxium reddit laborantem, ob pressuram, & grauitatem arteriarum, & musculorum totius corporis, quam fusi, & copiosi præstant humores. Impotens etiam toto febris tempore efficitur laborans, & cum anxius sit, sese mouere nequit, quo fit, vt molestius ferat, & veluti obtusus sensibus existat. Calore videtur carere, & siti plerumque premitur, & à potu grauius se habet, præcordio in principio inflato, corpus totum ampliori mole, quàm pro naturæ modo, tumens, color omnino vitiatus alijsque albidior, B quàm pro naturali habitu, & aqua inter cutem laborantibus persimilis, vel liuidus. Vrina copiosa subalbida, copioso sedimento, & crasso plena apparet. Pulsus ex paruitate, & magnitudine inæqualis, aliquando interceptus, & quo magis crescit febris, euidentiores fiunt prædictæ differentiæ, quòd eo tempore rarior fiat humor, & vehementius naturam premat, celeritas tamen & crebritas non plurimum à natura dissident, ita vt plerisque videatur febre carere. Sæpè etiam animo deficiunt, & aquæ potu non leuantur, neque aspersione aquæ supra faciem, quinimo frictionibus, & vinculis melius se habent: respiratio frequens est, & suspiriosa: in febris autem inclinatione laborantes maxima cum inquietudine, C ab vmbilico ad caput exsudant, & aliquantulum liberati videntur, & licet febre carere appareant, adhuc accidentia aliquot supersunt, quibus constat nimio pondere laborantes confringi: tandem hoc est in huiusmodi febribus tanquam pathognomonicum signum, nimirum, nec augmentum, nec statum, nec declinationem æqualiter fieri, sed in augmento aliquando inclinat febris, deluditque medicos, & potu exhibito, aut citra ipsum iterum increscit, in statu verò plerumque nouum incrementum, & aliquando declinationem, & postea aliud incrementum suscipiat, quod pari pensu in declinatione cernimus. Præter id hoc habet proprium, & peculiare, quod accidentia quæ propria sunt principijs re- D liquarum febrium, sibi vehementiora sint, & maiora prope statum, quam in principio: quo fit, vt eo tempore inæqualitates pulsus, laborantis suffocatio, & periculum sine dubio sint maiora: ratio est, quia cum hæc mala in hoc affectu ex arteriarum compressione, & caloris suffocatione prodeant, & hæc eo tempore commodiùs fiant, in quo maior fuerit plenitudo, & hæc maior sit prope statum, quia in hac febre vsque ad id tempus semper à vasis aliquid pellat natura ad minora, & quod pellit magis attenuetur prope statum, fit profectò, vt eo tempore accidentia principij eluceant magis.

Præsagiũ.

Verendum profectò est in hac febre, ne vnum è tribus malis laboranti succrescat, *primum* ne labo- E rans in augmento ipsius febris, cum iam incalescere cœpit vniuersum corpus, antequam ex toto incalescat suffocetur. Quippe eo tempore rarior efficitur materia ob feruorem quem contrahere incipit, quo fit, vt compressione vasorum, & exstinctione caloris in toto corpore, vel in syncopem grauem, & periculosam, vel in mortem prolabatur æger, quod si quis quæsierit, qua ratione in hac febre, quæ suffocatione interficit, laborãtes pereant in statu, & prope ipsum, cum in reliquis quæ hoc modo interficiunt, in principio laborantes suffocatione periclitentur; dicendũ est, hoc esse principium huius febris, quatenus ad eã portionem attinet, eo quod natura non transmittat simul humores à vasis, sed paulatim vsque ad statum, quo fit, vt eo tempore (præterquam quod funduntur, & efferuescunt, & liquantur) copiosiores vtraque ra- A tione sint, quam in principio, & ob id eo tempore calorem suffocent magis. *Secundum*, si fortè natura sese à syncopi tueatur, pertimescere oportet grauem, & diuturnum aliquem affectum subsequuturum, nã cum tertiana hæc plerumque sit nimis extensa, facilè continua efficitur, vel saltem sub ingressum duarum tertianarum. Quarum occasione non raro succrescere solet *tertium* malum, nimirum malus corporis habitus: quippe cum calor indies impotens reddatur, proculdubio verendum est, ne etiam bonum sanguinem conficere non possit, ac subinde neque corpus probe nutriri, & malum habitum ex consequenti subsequi.

Curandi ratio.

Sanguinẽ in hac quarta tertiana perniciosæ febre mittere, aut purgare nũ liceat.

Videtur profectò posse hanc febrem curationem B suscipere simillimam ei, quam febribus syncopalibus humorosis proficuam esse auctores scribunt, siquidem in omnibus ferè æquales existunt: in qua re non in paruam dubitationem incidimus, siquidem Galen. non satis apertè monstrat, *an liceat in huiusmodi febribus sanguinem mittere, aut expurgare*, cum solum frictionibus vtendum esse consulat, nec immerito quidem, cum in hac febre crudorum humorum maxima copia subsit, præcipuè iuxta ventriculi os, quæ sanguinis detractionem plerumque interdicit, nec rursus expurganti pharmaco videtur esse à principio vtendum, cum corpus plenum sit, & ob id non cessurum medicamentis: quo profectò fit, vt in dubium vertendum sit, quid agere oporteat. C Quippe solum vti frictionibus, insufficiens est tanto malo, nec licet corpore existente pleno, quod Galen. interdixerat 4. *de sanit. tuend.* Quamobrem censeo Auerroem à Galen. dissensisse 7. *collig.* qui non esse solum agendum frictionibus scripsit, cui fauet Trallian. qui neque mediam, neque multam frictionem sufficere docet, Rasius etiam 6. *conti.* cum Trallian. purgantia protinus consuluit. Verum si quis rem hanc diligenter expendat, reperiet proculdubio, huiusmodi febris longè diuersam esse medendi rationem à curatione febris syncopalis humorosæ, & continuæ. Nam præterquam quod in Galen. doctrina non expresè constat huius febris notitia, eius, quæ illi assimilatur, 12. *method.* non dissimilis est curandi D ratio. Sed dato, quod verendum sit sanguinem mittere, aut expurgare in illa, in hac verò ambo auxilia prærequiruntur, & vtrique superest à principio commodissima occasio: Primum quidem eò, quòd plenitudo illa, quæ in hac febre subest, non sit adeo copiosa intra vasa, quia tantum est plenitudo in potentia, quæ in extremis vasorum efficitur in actu, certum est subesse locum expurgationi: ac si cum sanguinis præsentia adsit copia illorum humorum, quos & crassos, & tenues esse diximus, ob id credendum est, non deesse occasionem mittendi sanguinẽ. Quapropter cum in hac febre periculum sit, ne in accessionis principio, aut statu, ex humoris efferuescentia, & plenitudine calor vniuersi corporis suffocetur, ob E id, si sanguinem præesse simul compertum fuerit, vel occasionem malo præstiterit sanguinolentæ euacuationis suppressio, demendus sanguis est vena basilica dextri brachij scissa, idque semel, aut bis pro virium robore; sin aliter, cauendum est à sanguinis detractione tanquam à magno malo: Nam plerumque sic affecti calore, & viribus carent. Verum si prædictos humores tantum dominari constet, à purgatione, & seligenti pharmaco facta, principium curationis auspicari oportet ex *syrupo solutiuo rosarum, cum infusione foliorum senæ, aut cum expressione agarici, vel carthami.* Prodest & *diacatholicon, in decocto senæ dilutum, vel diaphœniconis modicum cum confectione Hamech simplici.* Post hanc verò purgationem sanguis demendus est, quod si opus fuerit magis probo, quàm ante purgationem, & coctionem, si antea missus non fuerit. His tamen factis, omni arte

Purgatio quo pacto instituenda.

curan-

Caloris euocatio per frictiones & cucurbit.

curandum est corporis calorem euocare, atque excitare, quod facilius possit copiam humoris discutere, quippe in hoc malo frictionibus, & ligaturis, aut cucurbitis, licet vtamur, non quidem vt euocemus humorem ad extimas partes, vt in reliquis dictum est, cum potissima ratio periculi sit copiosior humor, aut caliginosus, & frigidus halitus in partibus carneis, sed vt solum calorem ipsum sopitum excitemus euocemusque ad easdem. Quod sanè facies leuiusculis, sed longioribus frictionibus, quibus, quod facilius euocari ad cutim possit, facilè sequatur, & cum is sit calor, & spiritus, is proculdubio succrescit. Item paruis, & frequentibus cucurbitis, quibus ablatis, vniuersum corpus suffumigabis, & perfricabis calidis linteis, quod sanè facies parum ante accessionem, aut in ipsa, & per vices, & interualla in ipso augmenti tempore, vt per carneas partes aliquid eius, quod ibidem moratur, antequam calorem offendat, euanescat, aut calor, qui id conterat, excitetur.

Deiectio alui.

Curandum etiam est, vt die quietis laborantes per aluum deijciant clysmatis, & suppositorijs acrioribus, vel vomant, quod profecto grandi diligentia exsequendum est.

Lipothymiæ præcautio.

Quod si his omnibus factis animo linquant, etiam incipiente accessione, *modico panis vino madefactum* porrigere oportebit, qui etiam odoramentis reficiendi sunt: quod secundo, aut tertio iterabis, donec incalescere corpus, & calorem conspicuè excitari comperias. Ac si eo pulsus paruitas deuenire videatur, quod efficacioribus auxilijs opus sit, porriges *cum modico vino* puluerem, q. ℞. *aromatici rosati* ʒ. 1. *margaritarum præparatarum* ℈. 2. *pulueris electuarij de gemmis* ℈. 1. *pulueris ossis de corde cerui* ʒ. 1. *rasuræ cornu monocerotis* ℥. ß. *misce, & cum melle rosaceo fiat bolus, cuius porrige* ℈. 1. Quo facto, cor, & dorsum inunges vnguento, q. ℞. *olei liliorum, & de semine Angelicæ, ana* ℥. 1. *olei cinnamomi* ʒ. 2. *pulueris cariophyllorum, & naphtha, ana* ℈. 1. *diambra gr.* 1. *pulueris florum rosmarini* ʒ. 1. *croci* ℈. 1. bulliant cum odorato vino in duplici vase, & facta expressione prædicti partes inunge. Ventriculo etiam prouidebis vnguento, q. ℞. *olei nardini, & nucis muscatæ, & absynthij, ana* ℥. ß. *cariophyllorum* ʒ. 1. *galliæ muscatæ gr.* 10. *ceræ q. s. vt fiat vnguentum*. Mammis vero fœminarum, & virorum testibus adhibebis, quæ odorata sint, & calorem concilient, velut est *vinum calidum cum aqua melissæ, & pul. aromatici rosati, & diacymini*.

Humoris imminutio, & coctio.

His factis in die accessionis, studendum est in diebus quietis humorum copiam minuere, & cruditatem, & crassitiem moderari, quod facies, addito *oxymelite*, vel *syrupo de corticibus citri, ac modico syrupo de duabus radicibus cum aquis cinnamomi, anisi, fœniculi, Angelicæ, vel de radice Chinæ*, ac procedente affectu, non recusarem, *oxymelitis scyllitici* modicum adijcere. Post quam præparationem si coctio apparenter eluceat, plenius corpus purgabis his, quæ superius diximus, aut *pilulis aggregatiuis*, vel *de agarico*. Verū si lentius naturam concoquere constet, latius esse duxi, per epicrasim corpus purgare pilulis ex *mastiche, rhabarbaro, & agarico*, aut *pilulis ex hiera Galen. & agarico*, vel *prunis Damascenis ex decocto senæ conditis*, *aut infuso rhabarbari, & agarici, vel carthami decocto*: Formidare enim in his oportet copiosas purgationes, ne humore copiosiùs in ventriculum irruente, citiùs in irreparabilem syncopen concidant. Præterea siue purgent, siue opus aliquod agere velint, è lecto non surgant, ne commoti humores citiùs syncopen excitent. Interim tamen prouidendum est *hæmorrhoidibus, & mensibus*: tandem post prædictas purgationes, *theriaca cum modico vino* vtendum est, aut *aromatico rosaceo, & vino passulato, vel diacymino*.

Victus.

In hac sanè febre, & somno, & vigilia opus habemus; quippe somnus concoquit, & vigilia digerit. A Item opus est victum instituere extenuantem, & parcum, ac sæpius, aut ex longis interuallis, *vinum* ferè his omnibus ex vsu est, si non dormierit laborans, noctu, sin aliter, diu. Prouidendum etiam est, vt laborans quam minimè turbetur, distrahaturve aliquo animi pathemate, quod sic affectis summopere noceat.

De perniciosa Tertiana ob aliquod accidens quod succrescit.

Tertianæ perniciosę quinta species ex quibus caussis oriatur.

Est itaque quinta perniciosæ tertianæ species ea, quæ non ex propria conditione, & natura talis efficitur, sed ex aliquo accidenti, quod illi succrescit, B cuius ratione ipsa periculosa efficitur, quantumuis suo more salubris, & signis firmata securissimus existat. Sic profecto hac lege vno è duobus modis aliquam tertianam periculosam fieri conspicimus: *Primo*, quando crescente calore in accessione ipsa pituitosus, aut crassus ob contractam fusionem, & tenuitatem ab ipso calore præstitam, instillat decumbitque in aliquam partem, ac velut suffocatiuum, (*vt aiunt*) catarrhum si ex capite; vel difficilem respirationem, aut orthopnœam si ex thorace; vel articulares, & grauissimos dolores concitat, si in articulos prædictus humor prolabatur, quippe certum est, non raro contingere his, qui caput habent catarrhosum, humidum, & fluxionibus obnoxium, si febre tertiana C corripiantur, tempore accessionis, ob calorem tantam defluere pituitæ fluxilis copiam, quod in grauissimam suffocationem, aut lateralem dolorem pleuritico dolori persimilem ocyssimè periclitari videantur, sicut his, qui asthmate laborant ob crassos, & viscidos humores, thoracis vasa, & partes obsidentes ab eodem calore liquari, & moueri, excitareque difficillimam respirationem, & grauissimam orthopnœam. Ita prorsus his contigisse scimus, qui articularem morbum pati sunt assueti, quibus vi caloris fusis humoribus, tenuior quædam pars in articulos migrauit, qua quidem grauissimæ, & molestissimæ fiunt tertianæ accessiones. Quæ omnia finita accessione protinus aliquando cessant, eò D quod calor, qui humores liquauit, eosdem discutere valuit, aliquando vero eiusdem mali, quod excitauit, aliquid adhuc superest, quod molestam, & non raro periculosam minatur fore venturam accessionem, si malum malo succrescat. *Secunda* quidem huius tertianæ species suboritur, cum febrilis calor vterum in consensum allicit, commouens corruptos vitiososque ibidem morantes succos, quibus motis, accidentia succrescunt, tota accessionis duratione æquè grauia, ac periculosa, his quæ hystericis fœminis accidere assolent.

Signa.

Signis profecto in huiusmodi tertianis non plurimum opus habemus, cum constet, prædicta accidentia, quæ illis succrescunt, non accidere ob caloris F febrilis, aut humoris peccantis, vel membri, in quo humor febrilis incumbit, vitium, sed accidentia longè diuersa esse à natura prædictorum, esseque symptomata, quæ alijs humoribus ab his, quæ tertianam efficiunt, diuersis propria sunt. Quippe affici catarrho, aut difficulter respirare, vel articulos dolere certum est, distinctum quid esse, & accidentale à natura febris tertianæ: & ob id cum hæc accidentia succrescunt, conijcies tertianam fieri perniciosam ex accidenti, & non ex natiua sorte.

Præsagiū.

Verendum quidem est in his tertianis, ne aliquod ex prædictis malis, quæ calore accessionis fiunt, vel laborantem suffocet, vel si iterum reuertatur, essentiale fiat, & proprium: Quapropter sic affectos in die quietis præcauere oportet, ne iterum reuertatur malum, & in accessionibus periclitentur.

Curandi ratio.

A Curandi ratio in hac affectione peculiares sibi præscribit considerationes, quas maximi esse momēti censeo. *Prima* sanè est, quod in ipsa accessione, vbi maius imminet periculum, id præcaueamus iuxta symptomatis, quod succrescit, naturam: Io die verò quietis curandum est, ne iterum reuertatur. Namque in curatione ipsius tertianæ nil noui agendum est, præter id, quod in reliquis tertianis salubribus ex vsu esse diximus: præterquam quod hæc paulo celeriùs, atque diligentiùs expostulat curari: ne si diutius protrahantur accessiones, & frequentiùs repetant, aliquo ex prædictis modis laborans in ipsis periclitetur. Sic profectò vrgente fluxionis periculo, siue ad fauces, siue ad thoracem, siue cum dolore, aut secus, B vel etiam difficili respiratione, & orthopnœa, omni arte curandum est fluxum à capite ad alias partes diuertere, quod facies brachijs vehementer fricatis, aut ligatis, vel si ipsis cucurbitas apposueris, bis in singulis horis, quòd fluxio illuc euocetur. At si grande periculum immineat, ipsas scarificare oportebit, & postmodum scapulis iterum alias affigere, quo flatus à thorace discutiantur, & aer partibus dilatatis commodius recipi possit. Quod si lateralis eluceat dolor, brachijs sat est ipsas apponere, & discutientibus, ac siccis præsidijs propè partem dolentem vti, *vt saccutis ex milio, & furfure, chamæmelo, & sale*: Nam si inunctionibus, aut euaporatorijs vtaris, laxiore facta parte copiosiùs ipsa recipiet, & fluxionem euocabis. C Sic profectò vtero prouidebis iuxta affectionis, quæ succrescit, indigentiam, vt libro nostro de mulierum affectionibus abundè dictum est. Podagricis, aut

Podagrici quatiter tractādi.

quibusuis alijs articulorum doloribus nihil adhibebis, ne, si frigidum sit, ad principalius membrum repellas; si verò calidius, plus ad affectas dolore partes attrahas, sed blandioribus auxilijs curandum est, laborantem ab accessionis sæuitia eruere, quod leges fusius libro nostro *de arte medendi morb. intern. proprio capite.* Cessante vero accessione, prouidendum est, ne iterum præcedens symptoma reuertatur, quod facies eisdem præsidijs, quibus si præsens fuisset, curasses: hoc vno in consideratione adhibito, quod si fieri possit, vno & eodem præsidio febri, & sympto- D mati prouideas, siue sanguis mittendus sit, siue corpus purgandum. Verùm, si id complicationis conditio non ferat, symptoma auferendum est. ac si sanguinem miseris, ex ea parte, & vena facito, quæ vel capiti mandanti, vel thoraci, à quo malum oritur, è directo respondeat: aut à iecore, & venis maioribus, si articulosum membrorum genus pati videatur: vel ex talo, si aut menses, aut hæmorrhoides deficiant, vel vterum compati constiterit. Quod quidem pari beneficio proderit febri, & accidenti, haud secus, quàm expurgans medicamentum, si eadem lege præstiteris: quippe ea adbibebis primò, quæ materiam accidentis respiciant; postea verò quæ febrem, licet aliquando mixta adhibere oporteat medicamenta, E vtrumque nimirum respicientia. Verum si ex prædictis accidentibus aliquod iam firmatum esse cōstet, quod liquido cernes, eò quòd die etiam quietis adhuc perseuerat, non omnino posthabita febris curatione, ipsi ex toto innitendum est, quod facies iuxta naturam mali, quod supererit, idque quæres proprio eius capite, vt & vniuersalia, & particularia auxilia probè administrare possis. Verum si morbus præstiterit exspectandi inducias, maiori diligentia studendum est tertianam febrem curare, siquidem illa vicem caussæ mouentis gerit, & ea curata facilè accidentia delitescunt.

De Tertiana Perniciosa ob humoris venenositatem, quæ necessaria ad c..rationem, & notitiam existunt, reperies libro huius operis septimo.

De Febre Quotidiana.

Quotidiana febris ex quibus caussis fiat.

FEbris Quotidiana non minus fit pituita delata ad extrema vasorum, quàm omnes aliæ intermittentes: habet hoc etiam peculiare, & propriū, quòd pari modo fiat à putrefacta pituita in intestinis, & ventriculo, & quinque aut septem dierum spatio finiatur, licet non ita conspicuè intermittit, sicut dum pituita putrescit in extremitatibus vasorum, quo tempore hanc febrem interpolatam efficere habet. Hāc

Cur sic dicta.

enim non ob id *quotidianam*, seu *amphemerinam* appellamus, quod singulis diebus laborantem corripiat, cum duplex etiam tertiana, & triplex quartana B id habeant peculiare, & proprium, sed quod ab ea materia proficiscatur, quæ suaptè natura singulis diebus habeat moueri, & succendi. Quotidiana igitur

Quotidiana quotuplex.

febris duplex quoque reperitur, vna *Legitima*, & *Exquisita* à pituita naturali orta; altera vero *Spuria*, &

Legitima. Illegitima.

Illegitima, quæ è reliquis pituitæ speciebus originem trahit, vel ex alio humore, aut sero pituita admixto. Prima quidem tardissima est, quod naturalis pituita ægre putrescat: seruatur enim à natura tanquam sibi familiaris, vt quæ deficiente sanguine reddatur naturæ alimentum: quinimo tardius ipso sanguine putrescit, eò quod frigiditate putredini opponatur; (*licet citius quam reliqui humores putrescat*) quod ex Galeno constare arbitror *lib. 2. de rat. vict. in a. comment.* C 44. Reliqua vero species, quæ illegitima est, & spuria, duobus potest fieri modis, vno admixto cum pituita aliquo succo, qui natiuam ipsius conditionem mutet, vt ob falsæ pituitæ contingit admixtionem, vel alterius serosæ, aut nitrosæ substantiæ. Quo fit, vt sicut tertiana, admixto quouis alio succo diuturnior efficitur, & quartana spuria breuior, ex adhæsione cuiusuis humoris, quotidiana quidem medio modo se habeat: quippe si pituitæ bilis admisceatur, breuior redditur quotidiana; si tamen melancholia accedat pituitæ, longè diuturnior. Secundo vero modo spuria fit à pituita, quæ à propria natura degenerauerit, qualis vitrea est, aut acida. Præterea siue hoc, siue

Intermittens.

D illo modo sit, ex prędictis humoribus interpolata prodit, vel continua, quam etiam Galenus amphemerinam appellat, *vt constat 5. popul. comment. 3. & 2. de*

Continua.

differentijs febrium. Cæterum cum Galenus appellat continuas ex pituita amphemerinas, eas quidem tales cum additione continuas appellat. Constat igitur ex communi omnium auctorum sententia, febrem illam quotidianam quam legitimam esse diximus, raro accidere citra ventriculi, aut hepatis offensionem, *vt ex Galeno signatim videtur constare 1. ad Glauconem.* Aliquando etiam proficiscitur ex coryza, & catarrho, *vt testatum reperies apud Hippocratē. 6. popul.* Est insuper quotidianis febribus alia finitima, quæ contingit, quando ex larga defluxione capi- E tis ab ambientis frigiditate, aut calore, dum modum excedunt (*quo tempore is humor inferius prolabitur*) modo calorem (*si in venis vratur humor*) modo rigorem, & calorem (*si iuxta corpus prolabatur carnosum, & sensibile*) concitat. Quæ quidem aliquando singulis diebus iuxta Solis occasum aggreditur, nonnunquam tertio die, aut quarto, *vt de ea refert Auicenna fen. 1. 4. tract. 2. cap. 53.* Cum hoc tamen nec tertiana, nec quartana censenda est, sed id contingit, quia vel pauca est materia, vel crassior, & sic tardiùs, aut citius defluit. Cuius curatio, aut plurimum dissidet à curatione catarrhi, *vt libro nostro de arte medēdi morb. intern. latius sum prosequutus.*

Legitima ex quibus caussis oriatur.

Febris quotidianæ finitima quæ.

Ad has quoque febres reducibilis est ea, quam *febrem Lacticam* appellant, cuius naturam facilè disces, si expenderis, quod febrium continuatarum, quæ ex pituita oriuntur, quædam citra vllam accessionem, aut notationem sunt (*quemadmodum in reliquis humo-*

Febris lactica quæ.

ribus

ribus contingit) quædam etiam reperiuntur, quæ præter id, quod non intermittunt, sicut cęteræ continuę, notationem tamen quandã sortiuntur, & leue quoddam incrementum à prædicta notatione inchoante. Cæterum differunt hæ duæ febres pituitosæ, quod illa prima ex humore pituitoso intrà venas putrescente concitatur: hæc vero non nisi ex pituitosis humiditatibus extrema vasorum, & poros carnis inundantibus. Quapropter illam simpliciter continuam nuncupamus: hanc vero *laticam* febrem, aut *spuriam pituitosam*, tum ob putredinis locum, tum vero ob humoris modum, & differentiam: quia latica ex tenuiori, & non ita frigido, & locis numeratis potius incalescit ad resolutionem, quam putrescat ad corruptionem.

Quid ab intermittentibus differat.

Circa huius febris naturam multa sese offerunt consideratione digna: Nam more intermittentium, cum oscitatione, & pandiculatione, ac leui perfrigeratione incrementum suscepta*(licet non intermittat)* quæ inuasio, seu incrementi principium sex horis terminatur, cum adeo leui calore, quod naturalem æmuletur, ac videatur intermittere. Quæ sanè post spacium prædictum leuiter incalescit, duratque decem, & octo horis, licet aliquando iterum refrigeretur, & incalescat more etiam intermittentium, à quibus pari ratione differt, quod hæ intermittunt sex horis, & iterum cum manifesta perfrigeratione incalescunt decem, & octo horarum spatio. Latica vero perfrigerationem illam habet cum moderatissimo calore, ita vt non sentiat molestiam, neque à perfrigeratione, neque à coniuncto sibi calore, quia ex cõplexa caussa contrariorum medius ille resultat effectus similis calori natiuo, quem sequitur incalescentia simillima calori exercitij, ac sine vlla accidẽtium molestia.

Media est inter putridas, & hecticas.

Quibus profecto rationibus Auicenna, & Barbari ferè omnes statuerũt, laticam hãc febrẽ mediã esse inter putridas, & hecticas, vt mox probabo.

Quippe euidenter constat, optimè dictum fuisse ab illis, hanc febrem mediam esse inter hecticam, & putridam: siquidem humoralis est, vt putridę omnes: & more etiam hecticarum in parte corporis carnosa, & in tertia eius regione insidet.

Quid ab vtraque differat.

Differt tamen ab vtraque, quia febres putridæ prodeunt à calore ex putredine humorum subnato: hæc vero ex tenuibus, & pituitosis humiditatibus tantum succensis, ac incalescentibus: At hectica ex succensione, & consumptione propriæ, & natiuæ corporis humiditatis: Hæc vero ex consumptione, & inflammatione alienæ, & extraneæ, ac superabundantis in eisdem partibus. Quo fit, vt iure optimo dici possit media inter has duas febres per conuenientias, & modos quosdam, quibus vtrique earum assimilatur, aut dissidet.

Estq; diuturnissima.

Ex quo etiam prodit, hanc febrem esse diuturnissimam, seu extensam, idque duplici significatione: *Vna* ob temporis diuturnitatem; *Reliqua* vero, quia eius calor latè, & ferè æqualiter se extendit per omnes corporis partes; magis tamen & proprius per tertiam regionem, à qua more hecticarum ad cor peruenit, contra ac putridæ visceribus, vbi obstructio viget ad tertiam regionem, quo rariùs purgationibus imitatur. Quo etiam fit, vt à putridis febribus dissideat, quia plerunque euacuatione curantur, sicut illa maiori ex parte refectione per nouam humiditatem, vt febres hecticæ, licet febris latica, frictionibus, & resolutorijs auxilijs curari desideret, *vt latius leges libro de recto præsidiorum vsu, capite de victus institutione.*

Quotidianæ febris speciales caussa.

Huius autem febris speciales, & potissimæ caussæ proculdubio hæ existunt, quæ pituitam in nobis largiorem gignunt, *(namque non sat est nosse, pituitam esse caussam materialem, sed caussæ etiam principium edisceres oportet, vt iuxta principij rationem, principium etiam, & modum curationis instituamus)* velut sunt frigida omnia, & humida ex propria natura, aut ex accidenti. Sic frigida, & humida tempeties, tum natiua, tum acquisitiua huic febri obnoxia plurimũ est; Corpora enim pituitosa minus transpirabilia sunt, quia id est frigidi opus, & ob id huic febri esse prona, nemo negauit. Sic in id mali genus promptè labuntur, *infantia, pueritia, senectus, mulier, Eunuchus*, sicut qui consuetam vitæ rationem in sumendis, admouẽdis, faciendis, educendis pituitosam habent. Item hyems suam seruans naturam huius febris auctor existit, regio, cœli status frigidus, & humidus, vita otio dedita, repletio quoque non solum à frigidis, & humidis, sed etiam à contrarijs: Vinum enim quanquã calidum, & potestate siccum existit, sumptum tamẽ intemperatè pituitam, & frigidos affectus gignit; eò quòd dum superari nequit, in crudum succum facilè abit. Sic ebrietas, crapula, balneum, & labor mox à cibo inter caussas pituitæ recensentur.

Materialis.

Est igitur materialis huius febris caussa pituita, quam sanè Auctores omnes censent esse omnem humorem frigidum, & humidum, *vt ex Galeno constat lib. 2. de differen. febrium*, cuius generationem in duobus consistere scimus, in diminuto corporis, & viscerum calore, ac in alimentorum frigida, & pituitosa natura, nec non copiosa abundantia.

Pituita quid, & ex quibus oriatur.

Pituitæ quatuor species.

Huius tamen quatuor species reperiri certum est, quarum vna à vehementi frigiditate oritur, quæ *Acida* est: altera à calore præter naturam proficiscitur, quam *salsam* esse existimamus. Verum vbi leuiter affectus calor est, & pauca frigiditas, *dulcis*, seu *Fatua*, aut *insipida* fit. Cõtingit tamen haud raro, quod pituitosus cibus in ventriculo non conficiatur, vel quiuis alius, vbi copia abundet, ex quo, quod generatur, *Cruditas* est, non pituita. Hæc enim putrescens, in prædictas partes à natura propulsa, caussa interna, & continens febris quotidianæ intermittentis efficitur, siue in primis venis à porta ortis, siue in vltimis à caua natis, siue extra ipsa vasa, & in carnibus viscerum, vel aliarum partium cauitatibus collecta putrescat: quod sanè ad curationem distinxisse erit operæ pretium, sed multo magis qualis naturæ sit pituita, ex his, quas retulimus, dum febrem concitat.

Quotidiana quomodo cognoscatur oriri ex pituita vitrea, acida, aut dulci.

Sed vitream, & acidam esse cognosces, quia dum mouetur per sentientia membra, rigorem validum, vtpote quæ frigidissimæ sunt commouent: præterquam quod acoris sunt participes, cuius ratione maiores fieri rigores necessum est, dulcis verò rigorem non infert, salsa caussonem potius, quàm quotidianam febrem efficere nata est.

Signa quotidianæ cognoscẽdæ triplicia.

Signa vero, quibus hanc febrem cognoscere datur, ex triplici signorum sorte posse desumi arbitror: nimirum ex his, quæ laboranti secundum naturam insunt, aut ex his, quæ pręcesserunt, & adsunt, vel ex his, quæ præter naturam reperiuntur. Ex his quidem, quæ naturaliter insunt, velut dictum est, natiua temperie, seu ætate, ex his, quæ adsunt, vt anni tempus, regio, victus, & vitæ institutio. Dignosces tamen id magis propriè ab his, quæ præter naturam sunt, nimirũ à morbo, caussa morbi, & symptomate. A morbo etenim quinque desumuntur signa: *Primum* à qualitate, & copia caloris: *Secundum* ab intermissione pura, aut impura: *Tertium* à duratione accessionis: *Quartum* ab accessionum repetentia: *Quintum* vero & vltimum ab hora inuasionis. Cognoscitur quidẽ *(præterquam quod cum extremarum partium frigore solum incipit)* ex caloris qualitate, quia primo accessit videtur halituosus, immoranti verò manui, paulatim densior sentitur, tanquam fumosus calor cum multo vapore mixtus, ac si ignis lignorum viridium copia suffocaretur, qualem dixit Hippocrates: *Initio quidem ad manum mitem esse, sed paulatim increscentem, ac multo post frigoris inuasionem.* Qua ratione Galenus 1. *ad Glauc. capite 7.* asseruit: *Calorem huius*

febris esse humidum cum quadam acredine. Ratio est, A quia cum materia sit humida, calor magis videtur suffocari, quam ipsam superare; acrimonia tamen eò sentitur, quia is halitus ex putredine promanat: quo fit, vt in primis minus appareat, & mox acris. Succenditur etiam in his calor tardius ob materiæ difficultatem, ex quo prodit, inæqualem esse calorem, quia non omnes partes simul succenduntur, sed tenuiores primò, mox quæ crassæ sunt. Cognosces quoque hãc febrem ex hora inuasionis; Nam accessionum initia habet vespertina, & noctu magis, quam interdiu vexare consueuit, & ob id credimus Hippocrati 3. *pop.* per *nocturnas* febres, quas appellat, *quotidianas esse* intelligendas. Inuadunt enim hę Solis absentia: nam B similia similibus augeri certum est, quia, qua ratione cum omnia Solis absentia frigidiora reddantur, fit, vt quæ frigida sunt, vt pituita, moueantur ea hora. Quotidiana item febris ægrè succenditur, & tardè mouetur, humore ipsius meatibus sępè ob crassitiem hærente. Longissimum item habet incrementum vsque ad vigorem, quia humor, cui subijcitur, natura frigidus, & humidus est, & plerunque consistẽtia crassus, & glutinosus, vires interdum frangens, premens, & grauans: cognoscitur etiam ex quiete quam integram non habet, neque veram remissionem, quia pituita putrescens, non potest simul tota succendi, neque attenuari, vt per sudorem possit expurgari: quo fit, vt cum tota simul non putrescat, neque euacuetur; sed paulatim, non possit ad integram quietem C peruenire. Verum si quis ob id dixerit, non esse de genere intermittentium, animaduertat, duplicem esse in febribus remissionem, seu integritatem; quarum altera est quoties laborans febre vacat; altera verò quoties, neque febrili calore, neque altero præter naturam molestatur. De hac etenim secunda dixit Galen. 1. *ad Glauc. cap. de febre ephemera*, quod nulla febris quantumuis intermittens, in remissione ad integritatem peruenire potest, hoc est, ad veram intermissionem caloris non naturalis: quo sensu etiam dicimus, febrem quotidianam non deuenire ad integritatem, quia semper adest caliditas aliqua præter naturam, & maior fortasse, quam in reliquis intermittentibus: Dicimus tamen esse febrem intermitten- D tem, quia deuenit ad febrilem integritatem, licet nõ ad integritatem caloris præter naturam. Ex qua etiã caussa prodit, accessionem esse, quam tertianæ longiorem, decem, & octo nimirum horarum ad intermissionem impuriorem; indicium quidem putrescẽtis humoris semper incalescentis. Dignosces etiam hanc febrem ex repetendi modo; nimirum per singulos dies, vt inferius latius scriptum reperies. Præterea in hac febre nulla fit euacuatio, quia humor ipsam concitans, crassus est, & lentus, qui ob crassitiem non permanat, & ob lentorem difficulter separatur, licet processu temporis, humore iam extenuato id fiat; nã eo tempore vomunt, sudant, & adsunt deiectiones pi- E tuitosæ, frigidæ, humidæ, & aquosæ, crudæ: nam totum corpus crudis humoribus scatet, & os ventriculi, & hepar: ob multas cruditates præcedentes, & coquendi tarditatem, vnde acidi ructus succrescunt, & initio febris hypochondria intumescunt, inflantur, ac distendũtur, ob id quidem merito dictum est Galen. censeo 1. *ad Glauc. & 2. de cris.* quotidianam rarò accidere sine ventriculi vitio.

Quotidiana cur dicatur intermittẽs.

Remissio in febribus duplex.

Has quoque febres ex symptomatis facilè dignosces, nam harum pulsus sunt parui, debiles, tardi, inæquales in initio accessionis, in augmento maiores, & velociores, sed obscuri, quemadmodum in tertianis. Sed hæc est differentia, quod in tertianis, quia materia facilè inflammatur, paucissimam durat huiusmodi pulsus: in ijs vero ob materiæ renixum diutius. Accedit tamen ijs febribus paruitas in pulsu triplici ratione, tum ob vsum parum adauctum, tum ob compressionem arteriæ, tum vero ob humorum abundãtiam, quæ facultatem grauat. Sed inæqualis suboritur non solum ex prædicta aggrauatione, sed ex vitio oris ventriculi, vbi multi humores abundant, & molestia infertur, quorum sarcina vires opprimuntur, & calor turbidus, ac fumosus difficulter accenditur: ex quo pulsus inæquales omnino fiunt, & varij, modo paulo maiores, modo minores, debiliores, aut vehementiores, prout calor materiam, aut materia calorem vicissim superauerit. Comparat autem Gal. pulsus magnitudinem, & alias differentias eis, quæ adsunt in tertianis, & in quartana, scribitque hæc verba: *Pulsus enim quotidianæ tanto minor est pulsu quartanæ, quanto quartanæ pulsus tertianæ minor est: pulsus item rarior, quam tertianæ, & quartanę est ęque tardus:* quotidianæ ergo est *minimus, rarus, tardissimus: tertianę maximus, velocissimus, & frequẽtissimus: quartanæ paruus, tardissimus, & rarissimus. Ratio huius diuersitatis est, quia cum in tertiana polleat magis vsus, quam in quartana, ac rursus in hac magis, quam in quotidiana, mirum non est, maiorem esse in vna, quam in alia: celeritas verò in quartana, & quotidiana est par, etsi maior sit calor in quartana, quam in quotidiana, quia id, quod magnitudine in quartana adimpletur, in quotidiana mediante maiori celeritate fit. Itaq; est quartanæ pulsus tanto rarior quotidianæ, quanto tertianę frequentior quotidianæ, ob fuliginum copiam, & acrimoniam in tertiana.*

Quotidiana rarò accidit sine vitio ventriculi.

Licet quoque hanc febrem nosse ex accessionis principio, quia vt antea dixeram, non incipit rigore, neque horrore, sed solum præmissa quadam perfrigeratione sine tremore, aut concussione, aut cum leui rigore, *vt Stephanus Gal. interpretatur.*

Sese quoque hæc febris ostẽdit ex qualitate totius corporis, aut alicuius partis: redditur enim in ea vniuersum corpus albidius, ad pallidum vergens, etiam vigente febre, ob delatam ad extremas vasorum partes in ambitu corporis pituitam. Apparet etiã facies tumida ob halitum crassum illuc ascendentem, & longè ante declinationem pedes intumescunt.

Non adest in hac febre sitis, neque anxietas, neque inquietudo, quia ventriculus madidus est, copiosori pituita, quæ calorem, & siccitatem sitis effectrices reprimit. Solet enim incompescibile cibi fastidium subsequi, nisi forte ob intensam aciditatem pituitæ fames excitetur. Quæ omnia elegantissimis verbis scripsit Galen. *lib. 1. de plenitudine, cap. 11.* dicens: *A salsa siticulosi, ab acida famelici, à dulci somnolenti, ab insipida minimè appetentes fiunt.* Quo fit etiam, vt ructus succrescant aliquando acidi, & frequentes, vomitiones pituitosæ citra molestiam, & præcordia inflata.

Ab excrementis etiam hanc febrem nosse facillimè datur, nam quæ ex aluo prodeunt, subalbida apparent, pituita per intestina delabente. Cuius euẽtus caussa est, ventriculi frigida intemperies, & venarũ meseraicarum obstructio: Nam ab illa fit, vt multa crudi, & aquosi humoris copia generetur, ab hac vero, vt in hepar concoctus cibus penetrare non possit, quare excrementa liquidiora reddi necesse est. Fit etiam non raro ob eandem caussam contrarius omnino euentus, nimirum, vt tardè laborantes deijciant, obtusa, & insensili facta intestinorum facultate, ob pituitæ vbertatem. Qua profecto ratione, quia excrementa in intestinis diutius immorantur, solent prędicta excrementa dura, ac solida prodire prę nimia exsiccatione venarum meseraicarum.

Apparet insuper in his febrib. vrina cruda in principio, ob materiæ naturã, & ingentes obstructiones, quæ solam serosam humiditatem fluere permittunt; cui accedunt aliæ duæ caussæ: *Prima* facultatis imbecillitas: *Secunda* prædictorum humorum abundantia. Quod si aliquando alicuius vasis obstructio ada-

peria-

periatur, crassa mingitur, & turbulenta, idq; nõ semper, sed aliquando, ac nonnunquam rubicunda, *vt Gal. refert 1. ad Glauc. cap. 7.* quod quidem prodit à putredine pituitę, vel à mutatione dulcis in sanguinem. Itaque prodit tenuis ab obstructione, crassa à fusione humorum, inæqualis ab vtroque, cruda à principio, ob summam materiæ cruditatem, rubra cum pituita coquitur, aut putrescit. Expendendum insuper est, quod adhuc morbo existente in principio, plerunque apparere solet in fundo matulæ, ac residere aliquid sedimento persimile, quod quidem si quis rectè intueatur, nullam præstare coctionis notam reperiet, quia quod in fundo matulæ existit, humoris peccantis adhuc crudi portio est potius, quam subsidentia, & ob id cruditatem potius commonstrat, & morbũ B adhuc esse in principio, donec coctione præualente subleuetur, & postmodum à parte superiore iam morbo perfectius cocto, ad verum sedimenti locum conscendit.

Verum si febris hæc à dulci oriatur pituita, mitiora ferè habebit hæc omnia, quod minori interuallo à sanguinis natura recedat, vrinas habet subrubeas, crassas, pulsus velociores, & frequentiores, oris amaritudinem, & sitim grauiorem, & in declinatione sudores. Inuadit plerunque cum horrore media nocte, quia ad sanguinis naturam accedit. Quæ vero ab acida, & vitrea fiunt, longè diuersa habent accidentia, vt *in cap. de epiala* leges.

Quotidiana quomodo, & quibus signis a duplici tertiana, et triplici quartana distinguatur.

Distinguere autem hoc febris genus à duplici tertiana, & triplici quartana opus erit, siquidem hæ singulis diebus inuadunt. A duplici quidem tertiana seiunges, si vtriusque species, & caussas longè pugnantissimas, & symptomata etiam obseruaueris: item ex hora inuasionis, nam quotidiana prope noctem sæpè, tertiana autem prope meridiem inuadit. Item quotidianæ accessiones omnes sunt similes, etiamsi quædam perpetuo, vel anticipent, vel remorentur, in tertianis vero tertio quoque die mutuam habere correspondentiam comperies, aut quarto quoque die, si triplex fuerit quartana: Nam vbi duę sunt tertianæ sic implicatæ, vt vna quotidie accessio fiat, tunc tertio, quinto, & septimo, & sic de reliquis diebus imparibus eadem consequutione erunt similes caloris specie, & symptomatis primæ accessionis, & secundæ accessioni similis erit quarta dies, sexta, & octaua, & reliquæ omnes diebus paribus repetentes. Quamobrem rectè nos admonet Galenus exercen in typis simplicium febrium, ne duas tertianas vnam quotidianam; & duas quartanas vnam tertianam putemus.

Quotidianæ febris præsagiũ.

Hanc proculdubio febrem, neque omnino tutã, neque planè periculosam esse censemus: non quidem tutam ob morbi diuturnitatem consumptis calore, & potentijs: non omnino periculosam, ob humoris peccantis benignitatem. Harum tamen febrium hyeme maximus est prouentus, maximè si accedat humiditas loci, & constitutionis: exercent plerunque pueros, eosque paruulos, aut grandiores, sed obesos, & pituitosos, plurimo otio, crapulis, & ebrietatibus deditos. Cæterum ex his febribus diurnas longiores esse censent Hippocrates, & Galenus *6. popul.* & longè periculosiores, cum aliquando ad tabem vergant.

Quotidianæ diurnę longiores.

Inquit enim Auicenna (vt cuique constet, quantum duratura sit quæuis harum febrium) *t. 4. tract. 2. capite* 48. *Principium quotidianæ febris producĩ sæpissimè vsque ad decimum octauum diem, & febrem ad quadragesimam quartam.* Galenus vero *1. ad Glauc. cap. 8. Longam, & non omnino tutam fore,* scribit, *& eo longiorẽ, quò synceriorem contigerit humorem esse, & eo breuiorem, quò magis accessiones per sudorem finierit,* vt Auicenna refert. Indicat enim humorum tenuitatem, & raritatem pororum.

Medendi quidem methodus, cognita huius febris A materia, in triplici scopo sita est: *Primus* quidem est, qui materiæ peccantis præparatione finitur: *Secundus* eiusdem eductionem exsequitur: *Tertius* vero ventris, & aliorum viscerum corroborationem præcipit.

Curãdi ratio febrẽ quotidianam triplicem habet scopũ. 1.

Primus sanè scopus quatuor modis completur, quemadmodum antecedens materia quatuor modis affecta est: in primis equidem frigida existit, adeo vt difficulter à nostro calore regulari possit: est etiam viscida, ac tenax quam maximè: tertiò est crassa: vltimò vero adeo lenta, vt difficulter, ac tardè moueri possit. Quamobrem iuxta cuiusque harum partium vitium, licet humorem præparare coctioni primo, expulsioni vero secundo. Nil etenim est, quod tam coctioni refragetur, quam frigiditas, aut putrefactio, & ob id primò habenda est coctionis prouidentia, vt subsit iuxta artis præcepta vacuationi locus, omnino enim curationi tertianæ contraria instituenda est medendi methodus in hac febre, nam hic neque morbus *(puta calor)* neque materia *(quæ frigida est)* refrigerari, vt in tertiana expostulat; maius enim periculum in quotidiana impendet ex caussæ frigiditate, & substantia, quam ex putredine, & calore, & ob id in hac minimum est humectandum, aut refrigerandum. Sed præstat in genere, qualia medicamenta cuique harum quatuor actionum proficua sint, prius docere: *Primò* quidem rem agere oportet calfacientibus, quæ *(ob putredinem, & conditionem humoris)* modicè siccantia existant: *Secundò* inciden C tibus, quæ tenacitati proficua sunt, quod etiam coctioni subseruire credendum est; nam supplet ars hoc medicamenõ genere, quod natura nequit, comminuit enim & liquat ipsa primò, eaque coquere studet: *Tertiò* quidem attenuantibus, quæ crassitiei prosunt, non solum ei, quæ naturaliter inest humoribus pituitosis, verum illi etiam, quæ ex coctione resultat: *Quartò* vero & *vltimo* per abstergentia, & quæ paulatim vrinas mouere nata sint, quæ sanè medicamenta lentori humorum, & obstructioni proficua etiam esse scimus.

Vict⁹ quotidianę febris quis debeatur.

Quibus sic præmissis, eum victum primo huic febri iniungere oportet, qui tenuans, incidens, & aperiens sit, his enim crassa materia inciditur, & obstru D ctiones aperiuntur. Insuper considerandum est, septẽ primis diebus minorem cibi copiam esse porrigendam, quò facilius natura vincere possit eam humorũ crudorum copiam, quam ventriculus, & venæ meseraicæ continent: deinceps vero is est instituendus victus, qui & parcus non sit ob morbi diuturnitatem, verum substantia tenuis, aut mediocris existat: talis quidem est *perdicum, gallinarum, & pullorum caro, tũ assa, tum elixa cum ciceribus nigris, petroselino, aut radicibus fœniculi, vel petroselini, & cum modico thymo, pulegio, aut mentha, croco, cinnamomo, & sinapi, vel ex his facto salsamento, quod gustui gratum sit, modo ea prius eligantur, quæ minus calfaciunt, & aperiunt, ne crassi adhuc & crudi humores in venas traducantur.* E In cœna vero parciori vtatur victu, quia ea hora febris exacerbatur, & ob id sorbilibus, aut pomis odoriferis assis, vel vitellis ouorum vti sat est. Transactis etiam aliquibus diebus, vtatur *passulis, amygdalis tostis, pane biscocto, ficubus siccis, & his, quæ huius naturæ sunt.* Bibat *aquam mellis, aut cinnamomi, anisi, vel fœniculi:* coctione verò iam manifesta *vino* vtatur *albo, tenui, & aquoso:* primis etiam diebus transactis, diureticis alimenta condire, & conficere oportet, quæ præparatum commoueant, ac paulatim sua vi per vrinas trudant. Sunt autem hæc calida tenuium partium extergentia, atque exsiccantia, quæ tenuando sanguinem ipsum id perficiunt, trahentibus renibus, quod sibi familiare existit. Quæ tamen varia existunt, sed quæ maximè proficua visuntur, sunt *semen apij, petroselini, fœniculi, dauci, smyrnij, seseli, meon, asarum, & acori radix,* quæ omnia, aut cũ iure

pulli decocta, vel *hydromelite maceratu* summopere id præstare possunt. Somnus etiam parcior longiori est vtilior, maximè iuxta accessionem, nam vereri oportet, ne in lethargum, aut aliam soporosam affectioné malum commigret: Somni enim tantum concedere fas erit, quantum ad coctionem celebrandã opus est. Præterea calorem excitare conueniet, ira, lætitia, aut frequentioribus frictionibus, saltem summo mane factis.

Humorũ incisio, ac præparatio an in principio quotidianæ fieri debeat, an vero calfacientib. vtendum.

Sed insequentes primam indicationem, cui munus erat humores præparare, animaduertisse primo oportebit, quanam ratione Galen. 1. *ad Glauc. cap.* 12. & etiam *lib.* 2. præcipiat primis huius febris diebus, diuretica, & incidentia adhiberi, quod etiam Auic. asseruisse *fen.* 1. 4. *cap.* 57. constat, nam inquit, *quod cõueniunt omnes febres phlegmaticæ in hora principij, in necessitate administrationis subtiliantium, & incidentium, & diureticorum.* Quibus locis videntur innuere, statim in principio licere vti ijs, quæ diximus pharmacis: quod sanè præter id, quod est aduersus eũdem Galen. & rationi aduersum, nil est, quod in his febribus adeo augeat obstructiones, & morbum ipsum diuturnum reddat, ac diureticorum intempestiuus vsus, eo quod (*præterquam quod in principio corpus plenum est*) humores viscidos, & prauè affectos per singulas partes deferant, quos maiores efficere obstructiones, dum per angustias vias deferuntur, necesse est. Præterea in principijs scatent communes viæ excrementis, quæ his medicamentis in alto corporis deferuntur, caussa profecto diuturnioris affectionis. Cui dubitationi Neoterici respondent, nil incõueniens lentam incisionem, & attenuationem per syrupos in principio fieri, nam aliam copiosiorem verendam esse dixisse Galen. censent: & eam eiusdem Galen. versionem laudant, quæ vertit, *in ipsis primis diebus*. Verum licet Ferdinandus à Mena protulerit, placuisse magis versionem prædictam, censeo tutiorem esse eam, quæ exponit *post primos dies*, cui consona videtur Auicen. lectio loco nuper citato, quo intelligit *ad diem vsque septimum*, nam inquit: *Et conuenientiores medicinæ, quæ administrantur à principio, sunt gelencabin*, id est, *mel rosaceum vsque ad septimũ diem:* quo loco iubet vsque ad prædictum terminum, calida hæc medicamenta, velut est mel rosaceum, aut hydromel, adhibenda esse, præsertim si acetosi parũ admisceatur. Itaque curandi ratio in prima hac indicatione, quæ præparationem humorum continet, euariat quidem secundum morbi tempora, & materiæ naturam. Initio tamen antequam ad incidentia & attenuantia deueniatur, opportunum erit, communes vias abstergere, & si quid crudum illic immorari comperiamus, purgare *clysmate acriori iniecto, aut blandiori cathartico exhibito*, quale est ius ex *mercuriali, vel syrupus ex infusionibus rosarum, vel electuariũ catholicon.* Verum si excrementis carere constiterit, prædicta via incedendum est, ijs nimirum, quæ pituitam primo modo parant, quæ iuxta naturam pituitæ diuersa esse oportet, dulcis enim pituita, & salsa, quæ minus contumaces sunt, leuiora expostulant auxilia; vitrea vero & acida, vehementiora, & diutius præstita. Primo itaque *melle rosaceo veteris, syrupo de prassio, aut de stœchade cum syrupo borraginis.* Præstat & *melicratum* confectum ex *decocto hyssopi, thymi, stœchados*, & similium: verum habenda ratio est, si materia febris contumacior sit, tempus anni frigidum, & regio, ac cætera pari pensu, nam sexta pars mellis misceri potest, contra vero in naturis ægrotorum, ac téporibus calidioribus, dilutius esse debet, alioqui prõptè bilesceret, & morbum intenderet. Hoc item perpetuo obseruare oportebit in vsu syruporũ, alias plus oportere dilui, alias minus: neque consuetudo recipiéda, quæ tantum aquæ, aut similis liquoris duplum imperat, sed iuxta dictam rationem efficiendum est.

Humorũ præparatio variat secundum morbi tẽpora, & materiæ naturam.

Clysma.

Transactis quinque, aut sex diebus, clysmatis, quæ præparata hæc excrementa ad intestina euocent, vtendum est, quæ sanè conficiuntur ex decocto *mercurialis, sicla, betonicæ, stœchados, aut furfuris cum succo siclæ, vel rosarum, & oleo communi, vel chamæmelino cum melle rosaceo, & sale:* quibus procedente tempore addere licebit *catholiconis, aut hiera picra ab ℥. ß. ad ℥. 1. vel diaphœnicon ℥. ß.* quibus tertio quoq; die vteris. Confici etiam possunt ad indurata excrementa, quæ frequenter sic affectis insunt, ex decocto *prunorum, maluarum, vel iure gallinæ, aut galli, cum prædictis succis, & oleis.* Verum quia plerumque præ copia humorum, à quibus vt plurimum pendet pituitosa febris, periculosa efficitur, ex optima medendi ratione prodit, præmissa leui hac præparatione, humores ipsos, vt Arabes proferunt, minuere expurganti pharmaco in ipso morbi principio, & postmodum secundo eosdem præparare ijs medicamentis, quæ incidunt, & humoris viscidítatem auferunt. Primo quidem exhibito *apozemate*, q; ℞. *polypodij, radicis petroselini, asparagi, cichorij cum folijs, carthami seminis, & passularum mundatarum, anà ℥. 1. agrimoniæ, cuscutæ, fumariæ, ana m. ß. thymi, asplenij, adianthi, ana m. ß. seminis anisi fœniculi, melonum, & cucumeris, ana ʒ. 2. florum cordialium p. 1. fiat decoctum ad lib. 1. & colaturæ adde oxymelitis simpl. ℥. 1. syrupi capillorum Veneris ℥. ß.* cuius dosis sit summo mane ad ℥. 3. *vel* 4. Quod si efficacius efficere volueris, addes *syrupi de quinque radicibus, aut de duabus cum aceto, vel syrupi acetosi simpl. ℥. 2.* Huic quoque vsui prosunt acetosa omnia; *vt oxymel simplex, aut compositum*, vel *syrupus acetosus simplex:* nam ijs quidem omne viscidum in pituita inciditur, quod secundam hanc præparandi viam efficere dictum est.

Tertio autem modo humor præparatur his, quæ tenuiorem reddant ipsum: qua sanè indicatione vtẽdum est; morbo properante ad pleniorem purgationem, tum vero caussa attenuationis humorum, vt facilius concoquãtur, & vt cocti facilius educi possint. Huiusmodi beneficium præstat syrupus de *quinque radicibus, aut de duabus, vel de bisantijs, vel acetosus, diarrhodon, & similes, cum aquis superius adductis, vel prædicto apozemate:* quæ sanè medicamenta calore, & partium tenuitate humorem liquant, & attenuãt, ac vias quoque reserant.

II. Quotidiana febre laborantibus quando & in qua quantitate sanguis mittendus.

Secunda autem indicatio curationis in humoris præparati eductione sita est, quam sanè quatuor modis fieri censemus: primo quidem, per sanguinis detractionem, nonnunquam per vomitum: frequenter per expurgans medicamentum; ac prolixiori facto morbo, per vrinam. Præparata porro materia si vrinæ crassæ, & rubentes appareant, si pulsus magni, si color faciei rubore perfundatur, si venæ tumeant, si sanguinolentæ alicuius vacuationis suppressio præcesserit, facto latiori in vena foramine, sanguis mittẽdus est. Sed in hoc auxilio exsequendo considerabis primo, raro in his febribus esse tutum, mox ipsum tẽtare, nisi suppressa sanguinis vacuatio præcesserit, aut apparente vrina crassa, & rubra, quam quidem rarissimè in principijs apparere scimus. Verum si talis apparuerit, facta leuiuscula purgatione, conducit protinus sanguinem detrahere, antequam sanguis recrudescat, maximè si (*vt dictum est*) ob eius suppressionem, vel copiam dulcis, aut salsæ pituitæ febris suboriatur: plerumque enim tales vrinas apparere, præmissa præparatione, & transacto principio comperimus: quamobrem id esse opportunum tempus sanguini educendo existimo. Cui etiam ratio adstipulatur; nam vrinis rubris, & crassis apparentibus, coniectandum est, pituitam, vel in sanguinem per coctionem versam esse, vel copioso sanguini admixtam, cuius augmento sanguis ipse crescit, & vrinæ tales apparent, ob idque eo tempore sanguinem mittere, con-

salutissimum est. Arabes quidem, quantum ex eorum scriptis colligere potui, in calida cœli constitutione dextram basilicam, in frigida sinistram pertundunt. Verùm in vtraque, ac multo minus in frigida parum detrahere iubent, quia id tenuere omnino videtur humoris peccantis conditio; & eò minus, quò magis dissideret à natura sanguinis, vt vitrea & acida. At in quotidiana continua longe aliter coniectari oportet sanguinem esse detrahendum: quippe in intermittente, cum materia antecedens putrida non sit, verum potestio sanguinis substantiam, & differenda est sanguinis detractio, donec appareant signa, quæ id monstrare possint, vt dictum est. In continua vero, cum putrida sit pituita, aut saltem putrescens, adeo vt nulla coctione possit in sanguinem mutari, cum huiusmodi coctio solum faciat cessare putredinem, non opus est tandiu differre sanguinis detractionem, sed veluti in quauis alia febre ab humorum putredine concitata mittendus est, quia id postulat affectus conditio, licet parce ob humoris naturam, quæ id auxilium renuit, & per longiora interualla, quia diuturnior futura est affectio.

Vomitus quando febri quotidianæ remedium sit.

Secunda tamen vacuandi ratio per vomitum in hoc morbo commodius fit, quam in quouis alio, idque sumpta indicatione à ventriculo et primis venis, partibus profecto in hac febre frequentissime affectis. Sic enim tertia aut quarta quaque accessione ante ipsam, vomitu prædictas partes purgare oportebit. Adde etiam id præcipere Galen. *lib. 1. ad Glauc. cap. 21.* cum hoc tamen caute & prudenter hac in occasione id munus exsequi est necessum: nam dum ex vitio iecoris & venosi generis sic affecti laborant, non videtur probari posse hoc vacuandi genus: difficulter enim ea, quæ in hac regione deguot, vomitu possunt expurgari, & non nisi validioribus pharmacis, et quibus ventriculus longe imbecillior redditur. Superest tantum esse ex vsu, cum ventriculus officina est pituitosorum humorum, quod post principiũ morbi, aut præmissis leuiusculis purgationibus exsequendum venit. Ac si dum genus venosum laborat, eo auxilio opus est, tum profecto, cum affectus vetustas ventriculum ipsum in consensum euocauerit, tunc enim verendum est, ne ex factis ibidem cruditatibus diuturnior reddatur affectio. Sed vomitus prouocandus est, dum ventriculum infestat pituita, decocta fœniculi, seminis raphani, oxymelite simplici cum succo raphani, & aqua tepida. Quo facto nõ est credendum, sat esse, vt mali principium subsidear & auferatur: quippe pituita, quæ infarcta existit in ventriculi tunicis, caussa est, cur ipse minus conficere possit sibi commissa alimenta, ac potius in pituitæ naturam commutet. Quamobrem per epicrasin vomere consulendum est, facta inter vnam & aliam debita præparatione *hydromelite confecto aqua hyssopi, aut absynthij, vel origani, & addita oxymelitis ℥. ß.* Quo facto, tribus quatuorve diebus non porriges copiosam aquam, aut decoctum tepidum ad vomendum, *vt vulgus Medicorum consulit*, sed eo medicamento vteris, quod præter id, quod pituitam purget, vomitum etiam cieat: huius naturæ est ʒ. 1. agarici, infusa & expressa in ℥ 5. hydromelitis calidi; & mox hora transacta æger cogendus est vomere: atque id bis in hebdomada facies. Qua etiam vacuatione quod in venis iecori & ventriculo proximis inest, haud difficulter excernitur. Deinceps vero curandum est, singulis diebus ventriculum modice calfaciendo roborare, vt vltima huius capitis parte abunde scriptum reperies.

Purgandi ratio qua & qualis quotidiana febri conueniat.

Tertia vero vacuandi ratio humoribus iam coctis debetur, quam sane non semel neque his efficere oportet, quia materia non simul neque ex omni parte concoquitur, sed paulatim & lente. Quapropter considerandum est, si materia copiosa fuerit in A principio, non ob id fugiendum esse ab expurgantibus medicamentis, donec ex toto cuncta atque concocta sit, sed præparationi sufficienti viarum & humorum præmissa, purgatiui medicamento eam minuere oportet, quod inter Arabes Auerroes, & inter Græcos Trallianus aperte protulerunt, præsertim cũ Galen. pituitosam febrem periculosam pronuntiauerit, eò quòd maturo consilio visus est illi succurrendum esse. Alienum enim ab omni ratione iudico, vbi conspexerimus multis humoribus premi vires, & inæquales apparere pulsus, diutius velle differre purgationem, periculum enim est, ne vires succumbant. Ceterum si in principio non præualuerit huiusmodi necessitas, non oportet subito & confertim B huiusmodi purgationem moliri: tam quia coctionem integram, quæ pleniori purgationi est necessaria, in hac febre exspectare periculosum est & inutile: tum verò quia difficulter tolerabit corpus vires medicamenti, tanto et tam crasso humori proficuas. Quamobrem censeo mature consuluisse Trallianũ, qui facta leui coctione, quam concitato per vniuersum corpus maiori calore moliri oportet, frictionibus leuibus, inunctionibus, & prædictis syrupis docet crassos & viscidos humores, ne diuturna in corpore mora intensius crassescant, vacuandos esse purgatione mediocri, quæ paulatim ac per vices expellat: non quidem vt Auicen. censuit, confertim & plene: In qua re monendus mihi Lector est, has paulatinas vaC cuationes non temere & vtcumque esse exsequendas, sed hac præmissa lege, quod dum ventriculi vitio malum oritur, & illis opus est prouidere, prædictis vacuationibus crebrius, sed parcius, & mitioribus pharmacis rem agere oportebit, ne si rarius purges, plus excrementi, quam leuia medicamenta educere possint, succrescat: si vehementioribus vtaris, vel robur ventriculi deijcias, aut venosi generis humores citra vacuationem, quæ vsui sit, interturbes, quod facies *prunis damascenis infuso foliorum senæ conditis, infuso agarici, pilulis masticbinis, de hiera,* & alijs, quæ consimilem vim habent, maxime si confeceris pilulas ex *agarico, mastiche, & rhabarbaro, aut ex infuso rhabarbari, & carthami, aut agarici, & foliorum* D *senæ*, ex omnium aut cuiusque quantitate, quæ citra virium ventriculi iacturam quarto die porrigi possit: si tamen peccantes humores crudi & crassi in venoso genere & iecoris vitio abundent, tunc quidem per maiora interualla *(vt coctio perfectiue fiat)* & per validiora pharmaca purgandum est, quò facilius quod in abditis & distitis à ventre partibus continetur vitiosum, facilius educi possit. Primò tamen id opus efficere oportet leuioribus medicamentis, vt si in ℥. 3. *supradicti apozematis* infundas *agarici trochiscati ʒ. 1. aut ʒ. 1. & ß. zingiberis gr. 6* & in expressione dissoluens *diacarthami ʒ. 1. syrupi de absynthio ℥. ß.* & fiat potio. Item in prædicto apozemate, vel in decocto passularum & liquiritiæ infundes *agarici ʒ. 1.* E *& ß.* vel dissolues *mannæ ℥. 2. & ß.* Purgata igitur semel hac lege materia, ex vsu est eandem iterum præparare aliquo ex prædictis syrupis, adiecto *decocto capillorum Veneris, buglossæ, intybi, fœniculi, glyzyrrhizæ, eupatorij, radicum apij & cicerum.* Quo facto, ad maiora medicamenta & efficaciora veniendum est, non tamen in magna quantitate: ob id in prædictis decoctis dissoluere poteris *diacatholiconis & diaphœniconis, anà ʒ. 3. & ß. aut diacatholiconis ʒ. 6. cum ℈. 4. agarici*: hoc vno in omnibus pharmacis seruato; vt semper illis admisceas, quod ventrem roborare efficax sit: verum in pituita dulci & salsa, quæ mitiora exposcunt medicamenta, id proculdubio erit vsui proficuum, q. ℞. *passularum par. 1. glyzyrrhizæ, seminis anisi, & fœniculi, anà ʒ. 1.* fiat decoctum, in quo dissolue *catholici ℥. 1. mellis rosati ℥. 1.* cui sane efficaciorem efficere libuerit, addere poteris *ʒ. 1. aut ʒ. 1. & ß.*

Vacuationes paulatinæ non temere & vtcumq; exsequenda.

Catharticum.

& ß. diaphœniconis, aut electuarij Indi ʒ.2. Laudat summopere Auicenna catharticum hoc, q. ℞. *mastichis, zingiberis, turpetiana* ℈. 1. *sacchari albissimi* ʒ.2. cum decocto passularum fiat potio: si tamen humores tenaciores sint, vel copiosiores, vtendum est pilulis, *de agarico, aggregatiuis, elephanginis, de hiera, vel assegeret pondere* ℈.2. *agarici trochiscati* ℈.1. quas efformabis syrupo rosarum ex infusionibus. Alias tamen probatiores conficies, q. ℞. *aloes lotæ in succo maioranæ* ʒ.1. *agarici* ℈.1. *mastichis, cinnamomi, piperis, anà gr.7. cum succo absynthij formentur pilulæ*. Quas aliter conficies, si acceperis *hieræ simplicis* Galen. ℈.4. *agarici trochiscati* ʒ.1. *seminis carthami, seminis vrticæ, anà* ʒ.ß. *turpeti* ℈.1. *mastichis, cinnamomi, galangæ, anà gr.6. sacchari in vino albo dissoluti*, quod sufficiat, & cum oxymelite fiat massa, cuius ʒ.1. *aut* ℈. 4. præbere poteris. Auicen. etiam breuibus interuallis præbet pilulas, q. ℞. *agarici* ʒ. 1. *seminis vrticæ tantundem*, cum melle fiat massa, quam multos probasse scio, vrticæ enim semen aluum soluit, non quidem trahendo, sed pungendo ac stimulando. Alias item conficies, quæ maioris sunt vehementiæ, & recipiunt *hiera simplicis Galen.* ʒ.1. *agarici trochiscati* ʒ.ß. *pulpæ colocynthidis* ℈.1. *mastichis* ℈.ß. *nucis muscatæ, & cinnamomi, anà gr.6. cum succo absynthij formentur pilulæ*, quas in duas partes diuides. Vltimo vero alias concipies, q. ℞. *aloes* ʒ.4. *rosarum, epithymi, cariophyllorum, absynthij, anà* ℈.1. *laccæ, cuscutæ, anà* ʒ.ß. *croci, esulæ, anà gr.6. cum succo absynthij fiant pilulæ, quarum porriges, anà* ʒ.ß. *ad* ʒ. 1. Inter vnam vero & aliam horum pharmacorum exhibitionem ijs medicamentis vtendum est, quæ vel interim humores & vias præparent, vel ventrem & viscera roborent: illa quidem superius diximus, hæc vero iam leges.

Vrticę semen aluũ soluit.

Vrinas mouere quãdo & quib⁹ medicamentis quotidiana laborantib. oporteat.

Quarta vero & vltima vacuandi ratio per vias vrinæ seruientes fieri debet, nil enim est, quod diuturnis morbis ex pituita originem trahentibus possit opitulari, præmissis generalibus vacuationibus, maxime per vomitum. Attenuantur enim in hoc opere humores, et coctioni quodammodo præparantur, atque etiam paulatim & sensim excernuntur. Est tamen expendendum in hac indicatione, non quibusuis medicamentis, neque quouis tempore, neque vtcumque vrinam esse mouendam: eius sane operi tantum viam præstat præmissa coctio, & sufficiens corporis vacuatio. Verùm licet huic muneri varia subsint medicamentorum genera, in febre tamen pituitosa ea iure optimo sunt adhibenda diuretica, quæ aut abstergant vias vrinæ seruientes, aut auidius vrinam trahant, expurgentque sanguinem ab aquosis humoribus, & ea etiam proficua sunt, quæ attenuant & liquant crassos & viscidos, cuius naturæ est pituita, quæ huiusmodi febrem generat. Quibus cognitis, vrinam mouere possumus, adhibitis per interualla, quæ in fine capitis de duplici tertiana huic vsui adduximus, necnon & medicamentis per aluum purgantibus, quæ præter id, quod hoc munus exsequantur, humores attenuant, concoquunt, & purgationi per vrinam aptos reddunt, cuiusmodi est puluis ex *agarico & zingibere, anà* ʒ. 1. quem tribus diebus mane sumat laborans. Conficies item ex *cinnamomo & agarico cum modico oxymelite* in eadem quantitate: sed confert huic vsui syrupus de *bisantis*, de quinque radicibus cum *oxymelite, cum decocto apij, origani, pulegij, cinnamomi, anethi, eupatorij, calaminthæ, radicum asparagi, fœniculi, liquiritiæ, rubeæ, anisi, betonicæ, Stœchados, cum optimo melle*: quibus sane vti oportet inter vnam & aliam purgationem. Sed habet miram in hac re efficaciam id q. ℞. *quinque radicum diureticarum maceratarum in aceto, anà* ℥.ß. *capillorum Veneris, polytrici, cuscutæ, anà m. 1. pentaphylli, philipendulæ, absynthij, anà m ß. buglossæ cum radicibus m. 1. seminis apij, anisi, fœniculi, anà* ʒ. 2. *quatuor semi. frig. ma*, *anà* ʒ.ß. *cicerum rub. m.ß. passularum mundatarum ab acinis* ℥.ß. *seminum carthami contusorum, agarici trochiscati, turbith contusi, anà* ʒ.3. *zingiberis* ʒ. 1. *polypodij quercini* ℥.ß. *foliorum senæ* ℥. 1. decoquantur, vt artis est, in aqua, & decocti colati accipe *lib. ß.* adijciatur *sacchari & mellis q.s.* ad dulcorem conciliandum, & aromatizetur cum cinnamomo, cuius sumat laborans summo mane ℥.3.

Venter quotidiana laborãtis quibus & quãdo debeat roborari.

Vltima vero curandi ratio membrorum nutrimentalium & reliquorum viscerum corroborationi & discussioni reliquiarum morbificæ materię solum intendit. Prouidendum quidem ventriculo est, vt qui officina sit huius morbi, ne crudos deinceps succos generet, eisdemmet fomentis & inunctionibus, quæ capite præcedente retulimus. Sed fouendus præcipue in hoc affectu est *oleo anethino, chamamelino, de mentha, iasminorum*, quibus totus venter fouendus est, & spina, idque cum frictione ex tela araneæ, quæ imbuta sit prius *oleis supradictis, aut nardino*. Verùm fomentis prædictis nullus erit locus, viribus minime constantibus, & febre plurimum intensa: verum vbi opus est, spongia easdem partes fouere oportet, prædictis decoctis imbuta. Sed præcipue saccelli conficiendi sunt, q. ℞. *origani, calaminthæ saluiæ, maioranę, absynthij, anà m. 1. seminis anisi & fœniculi, anà* ʒ.1. *cyperi & calami aromatici, anà* ʒ. 2. *florum chamameli, meliloti, & rosarum rubearum, anà p. 1.* fiant sacculi, qui bulliant in aqua & vino albo pro ventriculi fotu, vel etiam hypochondriorum. A quo quidem fotu inunctionem parare oportet ex *oleo absynthij & mastichis, anà* ℥.ß. *olei nardini* ℥.1. *addito cariophyllis, nucis muscatę chymica arte paratæ*, quod plurimũ valere scimus. Pręstat sũmopere sacculus, q. ℞. *menthæ siccę, absynthij, zingiberis, rosarum, roris marini, anà p.ß. coriandri præparati* ℥. ß. *cariophyllorum* ʒ. 2. *ligni aloes, macis, cinnamomi, anà* ʒ. 1. puluerizentur, & ponantur in panno serico rubeo, fiatque sacculus ad scutũ formam. Fricare item vniuersum corpus post exactas purgationes oportet: præstat & modicum exercitium intra domum, vel extra, in lectica, vel sede, aut lenta deambulatione. Expendendum tamen summopere in hac re est, ne excrementa aut crudi humores in ventre aut generentur, aut remaneant, vtilissimum fore singulis diebus adhibere *aromatici rosati, aut diarrhodonis tabellas cum modico vino*: item *mithridatij aut theriacę* ʒ. 1. *cum vino*: nam theriaca pręterquam, quod indomitorum humorum contumaciam discutit, & viribus etiam confert, ad refrigerationem etiam ineuntis accessionis inhibendam conducit. Probatur quoque huic vsui trochiscus ex *aniso, amygdalis, aut absynthio, eupatorio, capparibus & rhabarbaro, aut eiusdem rhabarbari trochiscus, & de eupatorio et absynthio, anà* ℈. 2. *cum syrupo de radicibus, fiãt pilulæ numero quindecim*: quarum laborãs sumat tres: ac si viscera imbecilla videantur, vt in malum habitum mutari periclitentur, superbibat decoctum, hoc, q. ℞. *rhabarbari medicè torrefacti* ʒ. 1. *radicis petroselini, asparagi, fœnic. anà* ʒ. 2. bulliant in iure *cicerum rubeorum*, & facta colatura sumat ℥. 3. Idem beneficium præstat decoctum *apij*, vel id, q. ℞. *zingiberis, origani, ameos, anà* ʒ. 3. *coriadri pręparati* ʒ. 4. *rosarum, calaminthę, anà* ʒ. 2. *passularum* ℥. 1. *coquantur in 6. lib. aquę*, ad consumptionem medietatis, cuius porrige ℥. 3. Verùm si ne his quidem factis accessionem cessare compereris, aut cruditatis alicuius, vel mali habitus principium inesse videas, semel in hebdomada duas pilulas exhibere *ex agarico nimirum et hiera Gal. pondere* ℈. 2. mihi est probatissimum. Quippe medicamentum hoc sua parua quantitate neque vires prosternit, neque coctionem interturbat, quamobrem vbi diutius immorari coctionem compertiamus, eas porrigere ad coctionem iuuandam vtile quoque est. Laudat quidem Auic. ad abstersionem & reliquiarum

Fotus.

Saccelli.

Vnguentum.

Sacculus.

Frictiones.

Tabellę.

Theriacę vires.

Trochiscus.

Decocta.

Pilulę.

rum

Sinapi qua licet vtendũ.

rum consumptionem *sinapis modicum, cum ℥. 1. mellis rosacei summo mane exhibitum.* Mihi tamen magni attisit semper sinapi vti in salsamentis; & condimenti gratia, quam libere hac lege eo vti. Tandem omnibus hucusque dictis vtendum est cum prudentia & cautione, ne aut febris ex nimia refrigeratione & negligentia in malum habitum migret, aut ob intempestiuam calidorum exhibitionem, & ipsius febris diuturnitatem in habitualem degeneret. Verùm si adhuc his omnibus factis tanta abundet corpus humiditate, vt prodesse non videantur, ex vsu semper sum arbitratus fore, vti in potu decocto *radicis China, vel sasafrassa Indica*, aut apozemate aliquo confecto ex eisdem, *petroselino, dauco, & aniso, ac folijs sena*; quod magni momenti futurum arbitror, ac forsan sudationi *(qua eo tempore inutilis non esset)* proficuum, ni alicuius viscerum calida intemperies id vetuerit.

De febribus Lipyria & Epiala.

Quotidiana, lipyria & epyala in quibus cõueniãt & in quibus differant.

CVm multis sit in confesso, in multis conuenire quotidianam febrem cum lipiria & epiala, ob id mihi iure optimo visum fuit, mox ab eius tractatione earum meminisse. Conueniunt itaque hæ tres febres, quod in omnibus pituita prædominetur, ac veluti potissima existat caussa: ceterum differunt, quòd in quotidiana præter frigus principij accessionum nullum aliud sentitur: in epiala vero & lipiria vniuersa morbi duratione frigus & calorem vigere probatissimum est. Ceterum hæ duæ febres, lipiria nimirum & epiala, hoc habent peculiare, quod ex inæquali constituantur intemperamento, ex frigore & calore pariter constituto, per omne vtriusque morbi tempus. Est tamen inter has febres dissidium, quod epiala in quauis corporis parte frigore & calore pollet; lipiria vero interna calore vrit, externa impense refrigerans: caussas tamen vtriusque euentus & naturam seorsum expendere oportebit, à lipiria sumpto initio.

Quod sit difficile ab auctorum scriptis ediscere, qualis naturę sit, qualesque sortiatur caussas lipiria febris, nulli erit absconditum eorum, qui diligenter tum Arabum tum Græcorum euoluerint libros; quod si Neotericos atque huius seculi scriptores legeris, non minus constabit esse obscurum & difficile eorum in hac hæsitatione dogma. Verùm ne tempus in conuellendis eorum sententijs conteramus, differendum primò est, quid certum, quidve incertum & varium apud omnes statutum reperiatur.

Lipyria febris qd.

Constat igitur vnanimi omnium consensu, lipyriam febrem esse eam, in qua interiora vruntur, externa tamen refrigerantur. Cum hoc tamen Auic. *fen. 1. 4. tract. 2. cap. 50.* ex pituita aut bile crassa, circa corporis meditullia incensa excitari refert, in qua per totum paroxysmi decursum interiora calent, ob pituitæ aut bilis succensionem, & exteriora refrigerantur, ob caloris ad intima recursum, aut vaporum frigidorum ad extima effluxum; qui sane vapor mediocriter calidus in extimis ad natiuam frigiditatem rediens impense refrigerat: quem sane auctorem in hac re fere omnes ex Barbarorum familia sequuntur. Verùm quia in huius febris symptomate & conditionibus nullum aut leuissimum inter auctores subest dissidium, ad caussam prædicti euentus redeamus, in cuius inuentione omnis sita est difficultas & controuersia.

Lipyriæ febris caussæ.

Quippe constat fere ex omnium decreto, ab inflammatione partium internarum, qua calor ad intima reuocatur, exteriora frigere, & interiora vri: quos sane constat deceptos esse Galeni verbis *lib. 4. aphorism. 48.* nec non & Aetij, qui *lib. 5. c. 88.* statuit febrem eam, quæ ab erysipelate ventriculi prodit, *lipyriam* dici, sicuti quæ in hepate, *typhodes*, & in pulmonibus *crymnodes*. Ex quibus locis colligunt, caussam potissimam huius febris, & accidentium, quæ in ipsa visuntur, esse internam exustionem, qua euocato calore corporis vniuersi ad interiora, ipsa vruntur, & exteriora impense frigida supersunt.

Lipyriæ febris caussæ.

Quo fit, vt hanc febrem inter febris accidentia recensuerint, futilibus rationibus studentes conciliare Galen. qui *lib. 7. aphor. 42.* ex propria & antiquorum mente statuit, hanc febrem esse continuã, & vere morbum, cum *4. aphor. 48.* dixerit, ex inflammatione in parte corporis profundiori ortum habere; quo videtur sibijpsi summe contrarius, siquidem ab inflammatione prodiens, accidens necessario debet censeri, non quidem inter veros morbos numerari: qualiter verò controuersia hæc dirimenda sit, inferius paucis absoluam, si prius dixero. Fuchsium, & ex Neotericis non paucos, hanc febrem statuisse proficisci ab inflammatione etiam internarum partium, aut more ardẽtium & perniciosarum febrium ab ingenti internarum partium exustione, & similem esse illi, qua etiam *(sicut in externis inflammationibus)* calore ad intima reuocato, exteriora summopere refrigerantur, & hanc esse horum symptomatum, quæ in hac febre apparent, potissimam caussam. Quos etiam censeo decepisse Galen. qui *lib. 4. aphorism. 48.* dicens caussam, quare partes internæ vrantur, & exteriora frigeant, *id docet euenire solis febribus, quæ causi ab incendio nominantur, perniciosis, vel si aliter libeat (inquit) appellari, valde malignis, veluti lipyrijs*: ex quo loco arbitrantur, Gal. voluisse lipiriam fieri malignam & ardentem, ob eandem caussam, quam sibi vendicant, quæ malignæ sunt & ardentes, & probant id esse sic intelligendum ex Galen. *2. cris. cap. 7.* vbi id explicans dicit: *Et febris ardens maligna, vel pulmonis, vel hepatis, vel ventriculi erysipelatibus aduenit*: quo loco videtur constituere lipirias ardentes, malignas, & eas sequi inflammationes harum partium. Sed, vt constet rei huius veritas, eruenda est ab opinionum varietate Galeni mens, ac tanquam verum statuendum, ipsum voluisse, longe diuersas esse prædictas febres à lipyria, malignitate, & caussa.

Lipyriã à febribus malignis & ardentibus longe diuersam esse.

Quod vero Gal. eas diuersissimas statuerit natura & caussis, constat euidenter *lib. de inæqual. intemp.* his verbis: *Nam intus & ipsis visceribus calorem, in externis vero partibus omnibus frigus sentiunt; tales perpetuo sunt febres, quæ lipyriæ vocantur. Præterea genus ardentium febrium perniciosum*; qua quidem sententia videtur eas distinxisse, sed clarius eandem sententiam expressit *2. prog. 4.* vbi loquens de ardentibus febribus, vbi interiora vruntur, & frigent externa, subiungit: *Ceterum, vt lipyriæ febris nomen relegetur ad hoc genus, cuiuis perspicuum est.* Itaque constat, Galen. noluisse lipyrias causones esse, aut malignas febres, sicut quæ erisypelata viscerum comitantur, sed solum relegari ad illud genus, quatenus ad hæc symptomata attinet, quo interiora vruntur, & exteriora refrigerantur; quinimo ad similitudinem malignarum & ardentium, atque earum, quæ visceribus inflammatis fiunt, lipyrias intus vrere, & exterius refrigerare; non quidem similes caussas obtinere, aut eiusdem naturæ esse, sed solum accidentibus conuenire, alioqui non opus esset relegare lipyrias ad ardentes, quia eadem essent: relegat tamen, quia natura dissident, & conueniunt dicta ratione, qua ad ardentem relegare oportuit. Quapropter statuendum est, lipyriæ caussas, naturam, & accidentia longe diuersa sortiri principia à prædictis: quod sane etiam constabit Galen. legenti *lib. de inæqual. intemp.* vbi hæc verba profert: *Quippe si pituitosus succus, qui frigidus est, quemq; Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis, quæ calida est, simul abundent, ac per sensilia membra moueantur, nil miri est, vtrumque à cubante pari modo sentiri*; (& subdit, vt epialæ naturam patefaciat) *cum in tenuissimis particulis aspersum*

sum

sum per corpus tum calidum sit, tum frigidum, nullam sensilem alterius portiunculam ita paruam desumas, in qua non alterum sit comprehensum, (& mox scribit, vt lipyriæ naturam ab eisdem caussis factam, licet diuerso modo, patefaciat) *in ipsa tamen accessionis inuasione aliqui febricitantium tum rigent, tum verò febricitant, tum ambo sentiunt frigus immodicum & calorem vna, verum non eodem loco: quippe cum possint, quæ excalfacta sunt partes manifestè à refrigeratis discernere: nam intus & in ipsis visceribus calorem sentiunt, in extimis vero partibus vniuersis frigus, tales perpetuò febres sunt; & quæ Græcè lipyriæ vocantur: præterea quoddam ardentium febrium perniciosum genus.* Qua quidem sententia constat, ab ardentibus & perniciosis distinctas esse lipyrias, & fieri ex humore bilioso intus succenso, atque ex pituitoso non succenso, extrinsecus ad extrema vasorum irruente. Itaque reliquæ febres, quæ exterius refrigerant, & intus vrunt, vt lipyria, vel ab interna fiunt inflammatione, vel ex interno incendio ad se euocante externum calorem, manente externa parte ob id refrigerata: at lipyria vera non nisi à duabus caussis, quarum vna calorem, et reliqua frigus concitare nata est, idque in diuersis partibus & longe inter se dissitis.

Lipyria ex qua fiat materia.

Ex qua sane doctrina quatuor scitu summopere necessaria sequuntur, quorum primum est, lipyriam febrem duplicis esse naturæ: Vnam *legitimam & exquisitam*, quæ ex duplicis naturæ humore, diuersis locis sito prodit, *vt nuper statutum est*. Quapropter censeo Galen. *dictum 7. aphorism. 45.* hanc febrem vere esse morbum, & non alterius morbi accidens: nam antea probauerat esse febrem continuam *(quod Auicenna non satis callnit, insinuans esse intermittentem)* lib. 4. dicens: *Dignum animaduersione est, numquid, huiusmodi casus possint in febre fieri intermittente; ego enim neque vidi, neque animo concipio;* vt conster ex humore succenso in aliqua parte, vt colligitur ex eodem Galen. 7. *aphorism.* 42. dicente ex antiquorum sententia, quam vltro admittit: *In quibus autem sine partis inflammatione putrescentes in venis humores febres accendunt, in illis solis dicebant, hominem à febre molestari, atque in ipsis febrium scripsere differentias, epialam, & lipyriam, & reliquas:* quo loco euidenter constat, legitimam lipyriam ab humoribus fieri, & continuam esse. Quapropter arbitror Hippoc. dictum *lib. 4. de coacis, lipyriæ febres non soluuntur, nisi cholera superueniat.* Qua sententia veram lipyriam & legitimam non ab internarum partium inflammatione, sed ab humorum diuersa natura proficisci, siquidem per vtramque aluum debent purgari, si sanitati restitui debet laborans: nam cum cohibeatur in visceribus bilis amara, vijs interceptis, & cohibita crassescat, putrescatque, & eò magis, quò plus exteriora frigeant, fit, vt nulla sit salutis spes, nisi natura excretrice concitata vitium expurgetur, liberatis vijs, quæ ad vtrumque ventrem pertinent. *Alteram* vero eiusdem speciem censemus & *illegitimam*, quæ symptomate quidem similis est exquisitæ lipyriæ, nimirum quatenus externus refrigerat, et interius calfacit, caussa tamen differunt, quia spuria non refrigerat extrinsecus à caussa refrigerante, sicut legitima, sed solum ex retrocessione caloris ad interna, qualis naturæ sũt omnes malignæ, atque ardentes, & reliquæ, quæ ex viscerum inflammatione prodeunt. Itaque inter omnes, quæ hoc accidenti insigniuntur, ea sola exquisita censenda est, quæ ab humorum diuersitate in diuersis locis sita prodit. Qua doctrina facile est Galen. vindicare à contradictione, qui 4. *aphorism.* docet, hanc febrem lipyriam ab inflammatione & accidẽs esse, at 7. *aphorism.* inter morbos statuit. Sed diluenda est contradictio, quia hic de exquisita & legitima loquebatur, et ob id eam constituit ac numerauit inter veros morbos antiquorum more: illic vero de spurijs & illegitimis, & ea ratione inter accidentia constituit.

Lipyria duplex.
Legitima.
Illegitima.

Probat insuper prædictam doctrinam non solum caussæ diuersitas, verum & accidentium prædictorum varius generationis modus, quo partes extremæ in vera lipyria refrigerantur à refrigerationis modo in reliquis. Cuius doctrinæ occasione nouisse oporter partes extimas posse refrigerari multis modis: *Primo*, ob caloris innati impotentiam et paruitatem, qui nequit intimis sufficere, vt in conualescentibus & senibus conspicimus; quorum extrema frigida existunt. *Secundò*, ob caloris ad intima recursum, vt videre est in principijs accessionum, vel in ventris aut intestinorum vehementibus doloribus *vt statuit Galen. 2. acut. 47. aphorism. 26.* Præterea ob eiusdem caloris etiam retrocessum ad cor, vt in timore; vel ob eius reuocationem ad viscera, vt maioris caloris ibidem existentis, siue à viscere aliquo inflammato, siue ex calfacto, vel ab humore ibidem putrescente, aut nacto pestilentem conditionem, vel exusto, *vt ex Galen. constat 1. popul. part. 2.* Vltimò tamen externa refrigerantur ab humoris frigidi occursu, licet in interioribus calidus alter exuratur. Quæ sanè refrigerationis via solá, & propria, & peculiaris, & quæ veram lipyriam generat, æstimanda est: quo fit, vt frigus atque calor reliquarum febrium, licet qualitate & loco huic simillima existant, dissident tamen prædicta ratione. Ex quo prodit etiam tertium, quod consideratione esse dignum diximus, nimirum quod in reliquis febribus, quæ lipyriam æmulantur, eadem est caussa caloris interni, & externi frigoris: in legitima vero lipyria longe diuersa, cum caloris interni calidus humor feruidus ibidem existẽs caussa sit, frigoris vero externi vitrea pituita, quæ in extimis præest, non putris: in reliquis vero eadem est frigoris & caloris occasio, nimirum calor internus, externum ad se alliciens, quo externa frigida supersunt. Qua doctrina subest solutio eius dubitationis, quam multi mouent, arbitrantes, eandem esse lipyriam & semitertianam, quod vtraque ab eisdem caussis oriatur, nimirum, à bile & pituita. In qua re statuendum est, in lipyria pituitam non putrefieri, neque febri materiam præstare, in hæmitritæo quidem necessario putrefieri, & peculiarem febrem concitare. Itaque in lipyria humor est varius, variè alteratus, & in varijs locis existens, nimirum, in extremis vasorum, qui frigidus est, & in meditullio corporis, qui calidus est. Quo factum est, vt cum Auicen. non intellexisset varietatem hanc *(licet ipsam olfecisset, vt constat ex proprio capite, quam subterfugimus)* statuit, febrem lipyriam fieri ex pituita, aut bile crassa seiunctim, nõ simul, *vt Galenus statuit*, sed ex quauis earum putrescente in corporis meditullio, à qua eleuantur halitus, leuiter calidi, qui protinus refrigerantur, & exteriora omnia refrigerant. Quantum dissideat hæc Auicennæ lipyria, & reliquæ, quæ ab alijs auctoribus consignantur, ab ea, quam constituit Galenus, nemo est, qui ambigat, nam pari ratione hæc, quæ ab Auicenna constituitur, spuria haberi debet, ita, vt etsi Barbati Medici etiam diuiserint lipyriam in propriam, & in impropriam, ac propriam constituerint eam, quam statuit Auicenna, pari prorsus ratione inter impropias & illegitimas habenda sit, quòd frigiditas prodeat à retractione caloris ad intima, vt reliquæ spuriæ. Et eò magis venit taxandus, quod ipse statuerit, veram, propriamque refrigerationem fieri à vitrea pituita, *(Galeni in hac parte veritate coactus)* inquit enim: *Et infrigidantur proprie, quando in interioribus sunt phlegmata cruda frigida:* cum hoc tamen statuit, vt veriorem alio modo fieri, vt dictum est. Quapropter, quod verius arbitror, statuendum est, hanc lipyriam à duabus caussis sortiri principiũ, quarum altera febrem constituit, ea nimirum, quæ calida est, & in meditullio corporis putrescit: reliqua vero,

Partes extima multis modis refrigerari possũt.
Lipyria cum semitertiana non est eadem.
Lipyria duplex, propria et impropria.

vero, accidens, videlicet externam refrigerationem, velut est vitrea pituita existens in extremitatibus vasorum pertingentium extrema corporis, & partes carneas ac sentientes.

Lipyria quibus signis prodatur legitimane sit, an illegitima.

Licet signis ad dignoscendam lipyriam opus non habeamus, necessum tamen est, eam ab illegitimis lipyrijs seiungere, vt non contingat vnquam in curatione aberrare. Sic etenim lipyriam legitimam nosces, quod in ea internæ corporis partes minime doleant, sed solum calore æstuent: at in spurijs plerumque interiora molestantur ac dolent, ob affectus naturam: quippe inflammationes dolorem secum semper accersunt. Item spuria non inducit simul cum calore frigus, sed postea in processu mali euocato ad intima calore: at legitima mox à principio frigus & calorem præstat, quia ambæ caussæ simul suum producunt effectum. Præterea in legitima partes externæ videntur in tumorem eleuari, & veluti humentes esse: at in spurijs frigidæ & siccæ apparent, ob defectum caloris & spirituum, quibus partes dilatantur, & tumidæ fiunt. Item in spuria linguæ adest asperitas & nigrities, in legitima vero non item. Quæ sane signa si quis diligenter expenderit, facile dicet vtrasque nosse & distinguere. Atque hæc de febre lipyria sufficiant.

Lipyria febris q. d. & cur ita dicta, qualisque sit natura.

Ad febrem igitur epialam (*qua etiam ex inæquali intemperie constat*) deueniendo, tria diligenter considerare erit opus: primum, *qualis sit natura & conditionis*: secundum, *quibus fiat locis*: tertium vero et vltimum, *qualis naturæ & conditionis sit caussa, quæ ipsam excitat*. Circa primum sciendum est, epialam febrem ob id talem esse dictam, quod corpus blande tepefaciat, cum ex contraria constet intemperie. Quam sane eiusdem naturæ generisque cum lipyria statuit esse Galenus *libr. 2. de differ. capite sexto*, dicens: *Hoc genere continetur febris epiala propriè nominata* (loquebatur de inæquali intemperie) *quoties simul febricitant ac rigent, & vtrumque sentiunt eodem tempore in quauis corporis parte*. Qua sententia constat, epialam de genere febrium, quæ in inæquali intemperie sitæ sunt, esse, quas lipyrias & epialas esse dixerat *libr. de inæquali intemperie*, qua parte solo dissidere locos, vbi prædictam intemperiem fabrefaciunt, statuit: *quippe in lipyria partes internæ incalescunt, & externæ refrigerantur: in epiala vero quæuis particula, quantumuis minima sit, refrigeratur & incalescit*: licet Auicenna longè aliter fieri censeat, nimirum, *internis partibus refrigeratis, & externis incalescentibus*: cuius sententiam plures Arabum sequuntur, cum Haliabas fere solus ab ea dissentire videatur, *8. theor. capit. 6.* statuens, in omnibus partibus vtrumque sentiri. Sed quam falsum sit Auicennæ dogma, pulchrè expressit Galen. loco citato de inæquali intemperie, dicens: *Nam si pituitosus humor frigidus, quem Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis humor calidus abundent simul, & per sensibilia corpora moueantur, nihil miri est vtrumque ab ægrotante pari modo sentiri. In febribus autem epialis tum intus, tum in exiguis portionibus, adeoque vniuersum corpus ambo sentire videtur. Quippe in minimis portiunculis aspersum est, tum calidum, tum frigidum.* Et paulo inferius subdit: *In ipsa quidem accessionis inuasione aliqui febricitantium tum rigent, tum ambo sentiunt frigus immodicum & calorem, verum non eodem loco: quippe possunt quæ excalfactæ sunt partes manifestè à refrigeratis discerni: nam intus & in ipsis visceribus calor; in internis vero particulis omnibus frigus sentitur: tales perpetuò sunt febres quæ lipiriæ vocantur.* Cuius sententiæ prima parte epialam circumscipsit, in vltima vero lipyriam: vtramque tamẽ statuit ab eadem caussa proficisci, nimirum, ab amara bile, & vitrea pituita; in lipyria quidem existentibus in locis diuersis, in epiala verò in quauis minima parte.

Pars vna eademque an contrarijs alterationib⁹ eodẽ tempore moueri possit.

Ex qua quidem differentia non leuis suborta est inter auctores fere omnes controuersia, nimirum, *an vna eademque pars alterationibus contrarijs moueri eodem tempore possit*. Quorum omnium eam arbitror veritati esse propinquiorem sententiam, quę Galen. intelligit locutum fuisse (dum statuit, in quauis minima parte sentiri simul frigus & calorem) de minimis particulis quoad sensum, non quidem minimis reuera, & physicè loquendo. Quippe sensus nequit discernere adeo paruam particulam, quæ diuidi non possit; quod si diuisionem pati queat, & diuersam quoque alterationem posse pati erit coniectabile; &

Epiala quibus locis fiat.

cum sensus discernere non valeat, præ prauitate partem, quę calet ab ea, quę refrigeratur, & quia mirum non est, circa commune obiectum falli, nimirum, circa quantitatem & distantiam, ob id statuit, minimas partes varijs modis simul alterari posse. Inquit enim Galen. *libr. de inæqual. intemper. cap. 2. In febribus verò epialis, tum intus, tum in exiguis portionibus, adeoque vniuersum corpus ambo sentire videtur: quippe minimis portiunculis per corpus aspersum est tum calidũ, tum frigidum, nullamque sensilem particulam licet accipere, in qua alterutrum non sit.* Quibus verbis euidenter constat, sic interpretandum esse Gal. quo etiam sensu ipsum intellexit Fulgineus *fen. 1. 4. tractat. 2. cap. 51.* vbi non secundum easdem partes formales illud debere intelligi affirmat, sed secundum diuersas, attamen adeo propinquas, quod sensus decipiatur in iudicio de situ partium, existimans, totum esse calidum, & totum esse frigidum: sed de hac controuersia hæc mihi sufficere videntur.

Epialam procreãs caussæ, qualis sit natura.

Tertium verò quod disceptandum proposuimus, est, inquirere, *qualis naturæ sit caussa, quæ hanc febrem excitare nata sit*: quippe cum à Galeno dissentire videatur, & ipse Galen. à seipso, non est ita facile statuere quid tamquam verius tenendum sit: nam Auicen. *fen. 1. lib. 4. tractat. 2. c. 49.* statuit, *hanc febrem fieri ex vitrea pituita*, haud secus quam Galen. *ceterum ea putrescente in meditullio corporis, à cuius putredine vapores elati corpus calfaciunt extrinsecus, pituita intrinsecus refrigerante*. Qua sententia duo absurda proponit: *primum*, hanc febrem sentiri calorem in vniuerso corpore extrinsecus, & frigiditatem in partibus internis, econtra ac lipyria: *secundum*, calorem fieri ab halitu calido à putrescente pituita elato, & frigiditate à pituita non putrefacta, cum certum sit, hac ratione interiora debere incalescere vt febrem conciter. Sed mittamus Auicen. cuius sententia neque omnibus suæ familiæ Medicis placuit, & Galeni mentem exquiramus. Inquit enim *lib. 2. de diff. febr. cap. 6. Acida autem ac vitrea si moueatur per corpora sentientia permeans infert rigorem sine febre; quod si qua putredo moderata illis adfuerit; epialam committit febrem; sin magis putrescat, rigor præuenit, febris ipsa subsequitur, deinde frigore ab ipsa multitudine caliditatis; ita vt nullo modo existat per incrementa & vigores accessionum*. Qua sententia licet cum Auicen. conueniat in caussa, vitream pituitam assignans, ab eo longissimis interuallis dissidet, quod statuat, pituitam per loca sentientia debere moueri, non quidem inclusam esse in occulto & profundo: item quæ statuit vniuersam debere putrefieri, non vt refert Auicen. aliquam eius partẽ: item quia Galenus statuit, leniter debere putrefieri, vt epialam gignat, nam si amplius putrefcat, febrem effectura est quotidianam. Itaque præterquam quod his omnibus Galenus ab Auicen. dissidet, ipse tantum statuit, huius febris caussam esse pituitam vitreã leuiter putrefactam, quo partes calore putredinis incalescunt, & frigore pituitæ refrigerantur simul. Huius tamen sententiæ oblitus *libr. de inæquali intemp. cap. 11.* statuens, hanc febrem efficere prædictam pituitam, & amaram bilem: *quippe* (inquit) *si pituitosus succus, qui frigidus est, quem Praxagoras vitreum*

appel-

appellat, & amara bilis, quæ calida est, simul abundẽt, A *per sensibilia membra moueatur, nihil mirũ est, verum quæ à laborante pars modo sentiri:* (& posito exemplo subdit) *Cum enim tenuissimus portiunculis aspersum per corpus tuum calidum sit, cum frigidum, nullam sensilem alterius portiunculam ita paruam desumas, in qua non alterum sit comprehensum.* Qua sententia constat, epialam ab vtroque simul humore omnes partes inuadente proficisci. In qua controuersia & Gal. contradictione censeo vtramq; sententiam esse veram: nam pari ratione in hoc febrium genere statuere oportet spuriam & legitimam febrem ac in reliquis omnibus: quippe eam arbitramur esse spuriam, quæ ex duplici constat humore, vt ea est, quæ ex amara bile fit, & ex pituita, *nam ea parte solum erat Galeni mens, inæqualis intemperamenti differentias inuenire,* B *non febrium assignare species*) cum certum sit, exquisitas febres ab vno tantum fieri humore. Neque obstet statuisse tanquam legitimam lipyriam, eam, quæ fit ea eisdem humoribus, nam hæc solum sortitur febris rationem ab amara bile intus putrescente: pituita enim non intrat rationem neque caussam febris, sed solum accidentis, nimirum externi frigoris, quod diuersum quid est à febris natura, & ob id huius epialæ non fecit mentionem *lib. de feb. differ.* vbi mens erat veram febrium rationem statuere, sed solum *libr. de inæqual. intemperie,* vt nuper diximus. Vt eam febrem ratus est legitimam esse epialam, quæ ab vno tantum prodit humore, nimirum à vitrea pituita, leuiter tamen alterata, quæ ob id vnam, legitimam, & C exquisitam efficit febris speciem, quia ab vno suborta humore, varia hæc procreat accidentia, nimirum, frigus, & calorem in eisdem partibus. Atque hæc de huius febris natura & caussis dixisse sit satis: neque signis ad eius cognitionem opus habemus præterquam ad distinguendam legitimam ab spuria. Quippe legitimam monstrant vrinæ: *vt refert Auicen.* cruda & alba, pulsus rarus & tardus, sitis nulla atque calor mitis. Spuriam vero ostendunt vrina rubra, cum sedimento albo, & crasso in fundo matulæ projecto, pulsus maior & velocior, sitis intensior, calor mordacior, & acrior.

Epiala duplex. Exquisita et spuria.

Epiale legitimę & spuria signa.

Lipyriæ febris curatio.

Non est mihi in animo in huius febris curatione spuriam lipyriam expendere, quippe quælibet earum D in curatione morbi, cuius est accidens, curationem susceperet, & ob id tantum lipyriæ meminisse hac in parte studui. Curandi igitur ratio, tam est difficilis in lipyria & epiala, quantum earum natura abdita, & varijs modis ab auctoribus patefacta. Quapropter persuasum mihi habeo, neque antiquos Græcos, neque Arabes ausos fuisse earum curationem aggredi, aut quam leniter tractasse. In qua tamen re præmittendum est, humores, quos hanc febrem efficere diximus, diuersis in locis vigere, & alterum esse morbi caussam, alterum symptomatis: cuius occasione docet medendi ratio, non vna purgatione, neque mixtis medicamentis esse educendos, quippe hæc statuenda est differentia inter affectus huius- E modi, & eos qui à diuersis causis vnam constituentibus, ad vnamque formam redactis proficiscuntur, quod ij semper mixtis auxilijs euacuari expostulant, vt quod vnitum vniformeque est, vno etiam medicamento diuersas vires sortito, & eodem tempore educatur: illi vero diuersis & varijs etiam occasionibus, & eo maxime quò magis constiterit, humores longe inter se differre loco & natura. Nam cum qui tenues sunt, & calidi atque succensi, ocyùs naturæ actionem transgrediantur & suscipiant, ac frigidi tardiùs, nulla lege vna proficua erit vtriusque occasio. *Secundò* considerare oportet, à cuius eorum prouidentia curationis principium auspicari sit opus. Nam cum statutum sit, ab eo quod magis vrget, & maius periculum inferre potest, esse in- A cipiendum, videtur profecto, amaram bilem adustam & putrefactam primò esse educendam: verum cum etiam medendis ars doceat, ab eo incipiendum esse, sine quo aliud curari non potest, videtur etiam, crudum succum, qui in ambitu corporis degit, impediens febrilis caloris difflationem, primo esse educendum, vt deinceps facilior pateat aditus purgationi biliosorum, & expulsioni fuliginosorum, quæ ab vstione eleuantur. In qua re statuendum est, à biliosis putridis esse incipiendum, tum ratione periculi vrgentioris, tum ratione facilitatis ob loci commoditatẽ, & viarum promptitudinem, tum etiam quia id erit morbum curare, habita vitreæ pituitæ interim prouidentia, quo facilius cedat medicamentis. Quo tamen modo horum vnumquodque fieri possit, mox referam, B si prius dixero, *an aliquo modo sanguis in huius febris curatione mitti possit.* Nam videtur ex Galen. decreto posse admitti, cum statutum sit, in quauis febre putrida necessum esse sanguinem mittere, maximè cum interiora viscera tanto incendio periclitentur. Huic tamen obstat humoris exusti synceritas, atque à sanguine separatio, & frigidissimi redundantia, quibus obesse sanguinis detractionem, nulli esse dubiũ arbitror. Quapropter durante affectu in ea natura, quæ proposita est, nulla ratione sanguis mitti debet, (*ni simul redundantiam adesse constiterit, ob aliquam sanguinolentã, & consueta vacuationis suppressionem*) verum si ex interna vstione viscerum aliquod inflammari constiterit, aut frigidorum humorum maior C pars coctione aut expulsione euanuerit, ab re non erit, veluti in quotidianis sanguinem detrahere vrina id exposcente, & remissa externorum frigiditate: quod quidem parce & prudenter facies: quippe ex errore in huiusmodi affectu longe maius damnum suscepturi laborantes, quam vbi opus est beneficium ob humoris vtriusque repugnantiam, & contrarietatem ...

Lipyria verũ exposcat sãguinis missionem.

Ad peculiarem igitur curationem accedendo, velut quantum opponendum est, lipyriam, quæ ex Auicen. mente fit, solum vna caussa constare, frigida nimirum, & in meditullio corporis succensa, aut biliosa & crassa, quarum quælibet velut spuria haberi debet, quod frigiditas extremorum solum ex retrocesD sione innati caloris fieri habeat, & ob id scriptis ab Auicen. auxilijs haud difficulter curatur: at quæ iuxta Galeni sententiam fit, cum à duplici fiat humore, longè diuersam expostulat curandi rationem. Sic enim cum dictum sit à biliosorum eductione esse incipiendum, statuere oportet, non esse protrahendum huiusmodi auxilium, haud secus quam in turgente materia: nam cum prope viscera inflammetur biliosus ille humor, vereri oportet, ne in aliquod ruat, & maius malum efficiat. Præterquam quod ex diutina mora nullo modo coctio, quinimo longe maior & sordidior putrefactio sequi assolet, quia commoda difflatione fere omnino priuantur, qui sic affecti sunt, ob frigidam caussam corpus circumdantem. E Quapropter si expedit, eadem die purgans medicamentum porrigere, necessum est, quod sane bilem purget amaram oportet, quale est *infusum rhabarbari & corticum myrobalanorum, citrinorum & nigrorum, cum syrupo ex infusionibus rosarum.* Vel si vsti humoris aliquid superesse constiterit, infundes *foliorum senæ* ℥.3. *turbith* ℥.1. *in aqua pluuiali,* & facta expressione, adde syrupi ex *nouem infusionibus violarũ* ℥.3. & ß. *vel mannæ electa* ℥.2. quod si laborans renuerit pharmacũ, pilulas ex *eupatorio* porriges, et mane *aquã hordei cum saccharo* potandam præbe. Quo facto, omni diligentia curabis pituitã tenuare, incidere, & per epicrasim purgare: tenuabis quidẽ frictionibus mollibus, & leuioribus calorificis, mane corpori adhibitis, quò facilior fiat perspiratus: tandem paruis cucurbitis calorem ad extima euocare curabis, vt in visceribus

Purgãtia bilẽ amaram & vstam.

Pituitam quæ tenuent & incidant.

ribus sit minor, & pituita extrinsecus tenuior & calidior. Inscindes autem cum humorem, admiscens serapijs infrigidantibus, quæ vsui sunt interno calori, acetosum aliquid, *vt serapium acetosum simplex, aut compositum, cum decocto radicum apij, petroselini, & seminum frigidorum*. Quibus factis, sex, septem ve

Pituitam qua purgent.

diebus porriges purgandæ pituitæ gratia *infusum agarici vel carthami succum, vel pilulas ex mastiche, aut ex agarico cum modica hiera Galen. aut easdem pilulas cum rhabarbaro, vel agaricum trochiscatum cum aloe*. Quæ sane medicamenta ea quantitate porriges, qua aliquid pituitosum simul cum bilioso educatur: & post tres aut quatuor dies, quibus ad prædicta serapia iterum est confugiendum, iteratò medicamento purganti, prędictos humores citra virium iacturam educes. Nec displicet Auicen. & Arabum consilium,

Clysmata. Vomitoria. Roborantia.

quo student, clysmatis & vomitorijs auxilijs per vtramque aluum humores euocare, quo minus in visceribus superfit biliosum, ac ad ambitum pergat pituitosum. Roborabisque ventriculum & viscera, cauens, ne calidis, deceptus externa frigiditate, vtaris per interna. sed intus, quæ temperata sunt, & incidendi vim habent: ac si calida præbueris, non careant vi purgatoria: exterius vero, quę vi calfaciēdi & digerendi habent, tū ventri, tum corpori vniuerso præstabis.

Victus.

Victum humidum, sed tenuis substantiæ copiosiorem tamen, ijs porriges, vt morbo diutius duraturo: illud quidem ratione interni caloris & humoris; hoc vero gratia pituitæ, quę morbum protrahere potest. Potus sit *aqua cinnamomi*, aut *corticum buglossa, vel scorzoneræ cum cinnamomo*.

Potus.

Quod si his omnibus factis malum adhuc perstiterit, verendum est, ne aliquod viscus grauius afficiatur, atque inspiciendum tunc erit, cesserne & attemperetur aliquo modo externum frigus, & tunc tuste sanguinem mittes; sin aliter, minimè, ne intus & extra calore corpus priues; vel si vrgeat interna inflammatio, caute, prudenter, & pronunciato periculo facies, idque maxime ex saluatella dextræ aut sinistræ manus, quo minus externæ partes refrigerentur, & internæ maius beneficium suscipient.

Epiala quo modo curetur.

Epiala quidem febris cum vel ab vnico humore prodeat diuersimode alterato, vel à duobus simul ad quamuis partem euntibus, eadem via curari desiderat, quam instituimus proficuam esse spurijs tertianis, & ob id non studui huius febris longiorem contexere sermonem.

De febribus syncopali, humorosa, & diminuta.

SCripseram à principio huius tractatus, plures esse inter febres, quæ nomen sortiuntur potius à symptomate aliquo, quo semper insigniuntur, quam à propria & peculiari natura: quippe hac ratione multis alijs febribus similes efficiuntur, symptomatis vero conditione nulli. Sic profectò syncopalis humorosa, quatenus ad caussæ & morbi rationem attinet, de genere est pituitosarum febrium, pertinens quidem ad quotidianam continuam *(quippe intermittens raro accidit huius naturæ, & tunc perniciosa efficitur tertiana, quod semper biliosum aliquid aut tenue sibi admixtum habeat, vt suo loco diximus)* verum ratione syncopis sibi adiunctæ, peculiarem circumscribit inter febres pituitosas speciem seu differentiam, nomine *syncopalis humorosæ* insignitam: quod hac ratione ab alijs sui generis dissideat, & quod sympt. hoc innotescát ratio, modus, ac locus caussæ seu materiæ

Syncopalis febris duplex. Minutaet humorosa

prædictam febrem efficientes. Sunt tñ febres hoc nomine, & sympt. insignitæ apud Auic. in duplici differentia, vna nimirū *syncopalis minuta* dicta, altera vero *humorosa*, quarum primus omniū Gal. 12. *meth. c. 3. & 4.* meminit, & nos etiā inter tertianas perniciosas annumerauimus: ita vt videretur inutilis labor, iterū earum contexere disputationem, ni certum exstitisset, longe aliter statuendam esse curandi viam, in his, quæ continuæ sunt, ac in interpolatis, licet vnius videantur caussæ: nam cum vera syncopalis minuta, aut humorosa de genere sit continuarum, ob id peculiarem cogor earum tractationem instituere, primo humntosæ facta mentione.

Syncopis humorosa qua sit.

Est igitur febris syncopalis humorosa ea, in qua natura morbo consentit ab ipso deuicta, quo corpus procedit in insignem lapsum & virium iacturam. In qua re duo expendenda succrescunt: primum quidē, *quæ sit caussa natura, quis sit modus & qualis conditio, quibus corporis natura & vis adeo infirmantur*: Secundum, *quanam ratione in his febribus succrescat syncopis cum hoc accidens, quo insigniuntur, potius quam reliquæ febres pituitosæ*. Circa primum statuendum est, duplicis conditionis posse esse huius mali caussam:

Syncopis proximæ caussæque sint.

primam quidem humorem frigidum & crassum, ex varijs cruditatum generibus aceruatum, maxime iuxta ventrē, ita vt eius os valide comprimatur, & meatus caloris occupentur adeo, vt cum non fruantur ipsius beneficio, putrescant et febrem concitent putridam. *Secundam* verò venenatam qualitatem à crassa bile elatam, cor ascendentem, dissipantemque vitales spiritus, ac supra modum ipsum calfacientem, quo fit, vt simul febris fiat, & spirituum vitaliū dispendiū.

Quibus profectò rationibus credendum est, signatim huic febrium sorti syncopin succrescere potius, quam alteri ex pituitosarum familia: nam cum maxima pituitæ copia in omni venoso genere abundet, & maxime in ventriculo, ac propinquioribus illi venulis, necessum est easdem, & arterias sibi proximas opprimi, ac ventris os frigiditate & corruptione humorum perstringi, & calorem exstingui, ac veluti suffocari, simulque cor lædere: ex quo prodijt spirituum & caloris paucitas, quæ syncopis, seu subiti virium lapsus immediata & proxima existit caussa. Sic etenim venenatus quiuis vapor ad cor emissus, vitales spiritus inficiens & exstinguens, eadem ratione syncopin accersit, eò frequentiùs, quò magis vel prædicti vapores ad cor ierint, vel frigidi, crudique & putrescentes succi magis celeriusque mouentur, vt pulcrè aduertit Auicenna dicens: *Et quando mouetur, & incipit in putrefactione, vincit virtutem plus, & facit eam hæsitare, quæ si dimissa fuerit cum materia, non sufficiet contra materiam*. Verùm licet

Syncopalis humo. non continet laborantem in perpetua accessione, quinimò potest citra syncopen vniuersa tempora percurrere.

dictum sit, hanc febrem, ob prędictum accidens, syncopalem esse nuncupatam, non ob id arbitrandum est, semper esse in perpetua syncopis accessione: quippe certissimum exstitit, plerumque citra syncopin vniuersa tempora percurrere, maxime, si neque medicamentis, neque alimentis, aut quauis alia occasione materia mali moueatur, quo tempore, *vt pulcrè Galenus aduertit*, in syncopen procidunt laborātes, quia, *vt inquit Auicenna: Et accidit, in inceptione sui, vt effundatur ad cor rei frigida faciens accidere syncopim*. Quapropter statuendum est, sat esse ad integritatem naturæ huius febris, syncopticum illum præesse apparatum, ex præfata caussa contractum: quippe statuens rationem, qua nequeunt sic affecti sanguinis detractionem, aut expurgans medicamentum ferre, inquit: *Quomodo enim tolerabit, cum sit illic sua quiete syncopis?* quod intelligendum censeo de prædicto apparatu in syncopin prono. Quapropter arbitror. Galen. prope finem capitis tertij Medicos taxasse, qui syncopin non interdicunt, ita vt integre sanitati restituantur, citra id, quod syncopis adoriatur, etiamsi gratia huius symptomatis fuerit nuncupata. Quo fit, vt non paucę ex his quotidie manus Medicorum incidant febres, quæ cum *syncopales* meritò dici possint, tales non censeantur, quod non incidant in syncopin, quæ in inopinatam mortem non raro prolabūtur, ob eorum inscitiam, *vt eodem cap. monet Gal.*

Inter

Signa febris humorosæ partim petuntur à caussarum occasionibus partim ab accidētibus.

Inter signa, quibus facilime innotescit hęc febris, caussarum occasiones annumerare non erit absre, nam cis cognitis, si accesserint signa à Galeno & Auicen. scripta, licet alijs febribus communia existant, haud difficile erit nosse, prædicta accidentia ex hac febris conditione & natura proficisci. Cruditates enim non vniformes, atque vnius conditionis (*vt in febre pituitosa conspicimus*) hanc febrem generare certò comperimus: nam quædam ex ocio, nonnullæ ex intempestiuis exercitijs & balneis: aliæ ex ciborum prauorum, atque diuersę naturę esu prodeunt. Sic profecto leguminum fructuumque fugacium, & carnium repletio, item lactis coagulati, aut decocti, nec non & pisces saliti, & maritimi, aut B fluuiales, veluti anguilla, & lampetta, & huius naturæ: maxime si accedat potus niue refrigeratus, aut copiosus, vel vini meracioris, nigri, aut crassioris intempestiuus, præsertim prope somnum, aut mox à prandio, nondum confecto primo cibo. Quæ sane si præcessisse compereris, scito febrem illam materiam sortiri diuersimode crudam, aptamque ad syncopalis constitutionem: quod si cum hoc accesserit in morbi principio, præcordia inflata esse, & corpus vniuersum ampliori mole, quam pro naturæ modo tumidum apparere, coloremque omnino vitiosum, quibusdam ad albidius, & alijs ad nigrius, aut liuidius, vel plumbi colorem referentem. Adsunt & ructus, & vomitus acidi, quo tempore oculi C fusci redduntur, ac nonnunquam virides & prominentes. Pulsus omnibus minores quam pro caloris ratione, obscuri præterea, omninoque inæquales in vno pulsu, & in pluribus. Apparet aliquando tactu calor mitis, & cum hoc lingua arida existit & nigra: quiete insuper laborantes melius se habent; si vero moueantur, veluti syncopi corripi videntur: tandem si alimentum ingerunt, deterius se habent, & pulsus longe magis obscuri conspiciuntur: si vero alimentis priuentur, in syncopin videntur iam incidere.

Præsagiū syncopalis humorosa.

Præsagium in hac febre non est mediocris momenti, quippe ex genere est pituitosarum, & quotidianæ typum repræsentat, vesperi & noctu magis D viget accessio, *vt Galeno placuit 12. method.* & cum hoc magna ex parte continua est, rarò intermittens, verum semper acuta, ob symptomatis vehementiam, & ob id magna ex parte lethalis. Cui etiam periculo accedit impossibilitas curationis: quippe neque sanguinis detractionem, neque expurgans medicamentum ferre possunt, qui sic affecti sunt, licet summopere sis necessum, læduntur enim quàm maximè, tum spirituum & caloris defectu, sanguine detracto, tum verò ab humoris agitatione, pharmaco exhibito: quapropter necessum est morbum præualere, ac deuincere naturam; quòd si visceris alicuius inflammatio accesserit, ventriculi præsertim, aut hepatis, vel E non solum succi crudi sint, sed etiam corrupti, ita vt coctionis beneficium suscipere non possint, deplorata salus est.

Syncopalis humorosa magna ex parte lethalis.

Syncopalis humorosa qualiter curanda.

Ex periculi rationibus in hac febre adductis prodit, quam sit difficile & graue, methodum & rationem curandi ei adscribere, quæ aliqua certitudine polliceatur felicem euentum. Quapropter si quo in morbo vtendum est præcepto illo omnibus probato, nimirum, *Festina vt prosis, saltem vt non noceas*, huic maxime proficuum fore est arbitrandum: quippe certissimum est, ex quouis errato in hac curatione commisso longè maius sequi damnum, quàm ex recta curandi ratione beneficium, & ob id studendum est, quo minus noceamus. Rationem difficultatis curationis atque vrgentioris periculi in hac febre statuit Galenus *loco citato*, nec non Auicen. esse, sic affectos, citra maius damnum non posse ferre sanguinis missionem, nec expurgans medicamentum, A licet affectio mille rationibus ea auxilia expostulet. Et occasionem huius difficultatis statuens, profert, eiusis in syncopin labi à quauis humoris commotione, quo cum natura velut deuicta sit, facile ex syncopi in mortem fit commeatus. Quibus rationibus seductus Galenus, alijs vtitur auxilijs, quæ infirmiora sunt & parui momenti in re adeo graui & periculosa: nam frictiones atque diuersiones lente & non nisi longissimo tempore vim suam exsequuntur, malum vero citissime minatur mortem, eamque vel subitam vel inopinatam: quapropter videndum diligenter est quid agendum sit. Tria quidem in hoc affectu in considerationem venire, vt felicius cedat res, neB cessum est: *primum*, locum affectum, quo grauior efficitur affectio: *secundum*, humorum naturam; & *tertium*, naturæ statum. Circa primum, quod locum, vbi, & qua occasione affectus redditur syncopticus & grauior; decet considerare, nullo alio auxilio arbitrandum esse commodius & tutius posse præcaueri imminentia mala, ac præsentem occasionem auferri, quam humore ab ea parte remoto, atque procul euocato; aut (*quod tutius fiat*) euacuato. Quod sane ob id veritus est Galenus, quod ex commotione facile in syncopin procidit laborans. Verum Galeni tempore mirum non est ea mala vereri, cum medicamenta adeo vehementia (*qualia quæ antiqui administrabant*) certissimum erat vim magnam illaC tura in deuictam ac deiectam naturam, ita vt simul ex humoris motu maior fieret suffocatio, & ex virium iactura minor longe resistentia, ac ex consequenti grauius periculum, & lethalior syncopis. At nostro æuo, vbi adeo comparuerunt clementia & familiaria medicamenta, vt & alimenti loco porrigi tuto possint, citra cunctationem præstare oportet, (*vt Tralliani est consilium lib. 12. cap. 3.*) primo mali accessu, quę citra vim atque violentiam, & magnam turbationem quotidiano vsu probata comperimus: ea quantitate, quæ ventrem solum nata sint purgare, minime euocatis ibidem succis, qui in genere venoso existunt. Quippe eos, qui in ventre sunt turbare & euacuare, minus periculosum est, quam D quietos permittere clam laboranti insidiari, ac inopinato vel leui occasione interficere. Sic enim vel *mellis persici* ℥. 3. *aut mannæ* ℥. 2. & ß. *seu catholici* ʒ. 6. tuto porriges: nec ob id tibi satis sit hæc semel fecisse nam vel quarto quoque die, vel per maiora interualla minorem prædicti mellis copiam præstabis, vel *catholici bolum, aut succi seminis carthami* ℥. ß. *cum* ℥. 1. *mellis rosati summo mane*, interdicens super dormire, donec aliquid egesserit, quò securius ante prandium dormire possit, nam postea tutum non est. Quod si vereatis ex motu humoris exstinctionem, *theriacæ* modicum admiscere poteris, aut mox à prima medicamenti purgantis motione, vini odoriferi, & tenuis substantiæ modicum porriE ges. At diebus intermedijs, quæ humorem calfaciendo abstergant, citra violentiam subitam, atque confertam attenuationem institues, quale est *mel rosaceum*, cui addes *syrupi de corticibus citri modicum, aut cinnamomi aquam, vel sasafrassæ Indicæ*, quam fore vtilissimam arbitror, vel *vini modicum cum pane*. Prædictum etiam ministerium vtilius exsequeris *clysteribus acribus*, quæ crudos succos ad infimam regionem euocent, velut est id, quod conficitur ex decocto *furfuris, chamæmeli, & maluarum, cum melle, & oleo chamæmeli, catholico, vel hiera*; idque tertio vel quoque die facito. Interim tamen dum hæc instituis, ventrem roborabis oleo *absynthij, naphthæ, & spicæ, cum semine Angelicæ, & modica theriaca*, quæ bulliant duplici vase, & facta expressione semel in die ante victum adhibeantur. Quo facto, ac toties repetito, quoties contulerit laboranti contulisse ad humoris naturam frangendam,

Tres scopi curationis syncopalis humorosæ.

I. Locus affectus.

Syncopali humorosa affectioni medicamento statim purgandi.

II. Humoris natura.

dam, eiusque impetum ad viscera compescendum, retrahendumque, ad extimas corporis partes te conferes.

Sic frænata syncopis occasione, & humoris existentis in ore ventriculi copia aliquo modo imminuta, corporis & venarum pituitæ & crudis succis prouidebis his, quæ ad coctionem iuuant, & corpori calorem conciliant, ac ad extimas partes, quod ex pituita tenuatur reuocant, *vt Galenus & Auicenna ac reliqui auctores probe consulunt*, cuius gratia confert *hydromel confectum aqua hyssopi, cinnamomi, aut sasafrassa Indica*, cui transactis quinque aut sex diebus adijcies *oxymellitis* ℥. ß. Quod sic hæc minime prodesse constiterit, non erit minoris momenti ℈. 1. *theriacæ* dissoluere *in* ℥. 4. *prædicti hydromellitis*. Item ipsum hydromel cóficere poteris decocto *ligni aloes*, quod est maioris efficaciæ. Quo facto, atque interim dum fit, summo mane, vt iubet Galenus, laborantem frictionibus validis panno aspero diutius fricare oportet, qua facta frictione somnum conciliabis. Verùm longiorem somnum interdicere oportebit, cum non sinat quicquam digerere, & viscera grauiora reddat; sed eò vsque permittere oportet, quo & coctionem probè fieri constiterit, moderatè sibi succedentibus somno & vigilia, quo post coctionem digesto perfectiùs celebretur. Præterea nec ab re erit, alijs diebus vni loco frictionum cucurbitis minutis & plurimis, vt ad extima euocentur humores, & sopitus calor excitetur. Item aliquando corpus inunges *oleo chamamelino, liliorum, vel amygdalarum dulcium, aut communi* in quo bullierint *flores chamameli, anethi, cacumina vel semen Angelicæ, aut lignum aloes:* inunctione tamen facta corpus abstergere curabis pannis calidis & siccis, quo minus ingrata fiat laboranti hæc curandi ratio. Quibus factis, non omnino abstinendum est ab aliqua purgatione, quæ eņpiam imminuat, maxime si *(vt dictum est)* constiterit, ventriculum quodammodo immunem esse à pituitæ sarcina, ita vt non vereamur ex motu & agitatione virium iacturam. Quo tempore *agarici infuso in liquore nouem infusionum rosarum veteris*, aut *carthami lacte, vel senæ infuso*, cauens, ne maior copia quam par sit in vias ventriculo proximas euocetur, sic enim Tralliano visum fuit. Verùm si persenseris ventriculum immunem esse à pituitæ copia, & ob id non præstaturum syncopi occasionem: item si iam vrina rubicundior apparuerit, si pulsus maior, & à pondere expeditior, & cum hoc febrem increscere, verendum non est sanguinem mittere, parcè tamen, & quantum par sit, vt deonerata natura & faciliùs concoquat, & expeditiores ventilationi vias habeat. Quorum sane omnium vel vno deficiente minime sanguis mittendus est. Item reliquias conteres, & ventri calorem & robur addes vino absynthij, aromatico rosaceo, theriaca, aut electuario de hiacyntho cum vino, vel cinnamomo masticato, & alijs, quæ consimilem vim obtineant.

III.
Naturæ status.

Tertium verò & vltimū, quod proposuimus huic febri esse vtile, est, omni studio atque diligentia curare, vim & robur conciliare naturæ, ac præcauere quo minus in syncopin labatur, & lapsa, vt protinus reficiatur.

Vires syncopali humorosa laborantium quo ingenio reficit.

Primò itaque vires roborare oportebit alimentis parcissimis, sed sæpius exhibitis, quæ sanè tenuis sint substantiæ oportet, & coctu facilia, ne plus iusto naturam grauent, vt vitella ouorum, pullorum carnes contusæ, aut earum iuscula. Item carnes prædictæ minutim inscisæ conspersæ puluisculis *cariophyllorum, cinnamomi, & santalorum cum vino & aqua rosacea:* confert ex omnibus stillatitius liquor extractus, atque admixtus iuri auium: idque facies adhuc accessione vrgente; nam hoc est quod postulat virtutis vrgentia. Nec turbet hanc nostram sententiam Galenus, qui alimentum sustinere non posse affirmat, qui sic affecti sunt, & ob id inedia macerare cōsulit, cum alioqui statuat vehementius esse fricandos. Quippe animus concipere non potest, vires adeo esse validas, quod simul inediā & frictiones ferre queant: & ob id cautiùs videtur esse agendum, nimirum parciùs fricandum, & modice vires reficiendas: nam vtroque auxilio nonnihil ex copia humorum dissipatur, & rursus commodum alimentum, quod concoqui facile, & in partes corporis distribui possit, vires restituit. Potus sit vinum tenue & generosum modice dilutum, aut aqua *cinnamomi, ligni aloes, vel sasafrassa, vel corticis citri;* vel si vinum tenuerit, aut alia occasione non oportuerit porrigere, in prima mensa panem vino madidum præsumat. Caueat insuper laborans, ne è lecto aliqua occasione surgat, ne in syncopin incidat, & collocetur in loco temperatissimo luce & calore; vel si calidior sit, temperatior efficiatur; si verò frigidior, odoramentis & suffitibus *ex thure, ligno aloes, styrace, cortice citri & cariophyllis:* idque fiat parum ante accessionem. Præterea vires roborabis, non solum frictionibus, quæ leuiter corpus calfaciant, & calorem excitent, sed epithematis & cordialibus medicamentis, quo spiritus vitalis vegetior fiat; cuius naturæ est q. ℞. *florum borraginis & buglossæ, summitatum melissæ, anà parte 2. ligni aloes, cariophyllorum, cinnamomi, anà* ℥. 2. *santalorum omnium, anà* ʒ. 1. *rosarum rubearum* ℈. 1. *croci* ʒ. ß. *coccibaphitæ* ʒ. 1. *musci, ambræ, anà* ℈. ß. puluerizentur omnia, & insinuantur panno serico rubro, & raro, ac fiat sacculus qui cordi adhibeatur. Sed eiusdem visceris regionem innnges *oleo iasminorum, Matthioli, & naphthæ, aut vnguento naphthæ, cum pulueribus ligni aloes, seminis. Angelicæ, diamargaritonis frigidi, vel diambra, ac diamusci*. Eandem quoque partem vino calido bis terve die fouebis: nec non & ventriculum oleo *iasminorum & de abiete cum modico absynthij & spicæ:* item in aliquo ex prędictis oleis dissolues *theriacæ* modicum, vel eidem parti adhibebis fomentum ex vino, vbi ferbuerint *absynthium, lignum aloes, & chamæmelum*. Interim tamen clysteribus aluum solicitare oportebit, & per interualla leuiter purgare, atque hæc omnia prudenter exsequi. Verùm si syncopis adsit, siue ex occasione, aut secus, omni diligentia curandum est, laborantem quàm citissime cibari, ne si vltrà vires labantur, in mortem commigret. Cui vsui præstat generosum vinum porrigere, aut panem eo madidum, crura & brachia ligare, perfricare, & calfacere leuiter, atque odoramentis spiritus reficere, & citra maximum laborem ægrum excitare.

Syncopalis minuta febris quæ, cuius natura, & cur ita dicta.

Syncopalis minuta à Barbaris nuncupata maius longe facessit negotium quàm humorosa, vt quæ periculosior & grauior existat: tum etiam, quia non est facile cuius naturæ sit ab auctorum scriptis eruere. Quippe Galenus eius meminit *libr. 12. method. capit. quarto* nomine syncopis ab humore bilioso ortæ, quem etiàm alij sequuntur ex Græcis, Auicenna illi proprium caput dicauit, statuens, *ab humoribus oriri tenuibus & serosis*, & ea ratione *minutam* appellat, quod à leuissimo tenuissimoque fiat humore, qui non indiget tanta quantitate vt faciat syncopen, ac pituita, & ob id à plerisque *minuta* insignitur. Præterea ex Barbaris non desunt, qui eò minutam dici arbitrentur, quod à minori pituitosi humoris copia originem sortiatur. Verùm licet hæc varietas in auctorum scriptis reperiatur, censeo, non ob id constare, firmum non esse, qualis naturæ sit febris, quæ vere nuncupanda est *syncopalis minuta:* quinimo arbitror, prædictam varietatem magni fore momenti in re practica, cum reuera his caussis omnibus plures conspiciamus febres oriri, quæ syncopales iure optimo dici merentur. Qua in re statuendum est,

Syncopalis minuta duplex *Syncopalis minuta ratione materiæ.*

duplicem esse febrem syncopalem minutam, *vnam* ratione materiæ, *reliquam* vero ratione syncopis seu accidentis. *Syncopalis* vero minuta ratione materiæ rursus duplicis est conditionis: *vna*, quæ fit ab humoribus tenuibus impense putrefactis; quæ vere talis ab Auicen. est nuncupata; *reliqua* vero eiusdem conditionis & accidentis, quam Galen. est arbitratus fieri ex bile, vtraque tamen lethaliter syncoptica, licet à diuersis fiat humoribus, verum quodam modo ad vnam naturam reducibilibus. Hæ autem duæ species *syncopales* dicuntur, ob accidentis conditionem & similitudinem cum humorosa: minutæ vero dicuntur, quod non ob copiam humorum, vt humorosa, sed solum ob deprauatam conditionem tenuis aut biliuli humoris eundem locum obsidentis syncopis & accidentia suboriantur.

Syncopalis minuta ratione syncopis.

Quæ vero syncopalis minuta efficitur ratione syncopis, quæ minor est, & securior, ea quidem ob id syncopalis efficitur, quia in eodem loco ac humorosa, parua quantitas humoris pituitosi & crassi viget: ceterum fit securior & minuta, quia adeo parua est huius humoris quantitas, vt non deferat laborantem ad subitum virium omnium casum. Quippe solum cor & pulsum coarctat, infirmat, & mille inæqualitatibus vitiat; ita vt licet syncopin non inferat, cor tamen summopere afficiat.

Syncopales febres similes sunt tertianis perniciosis. *Syncopalis febris qualiter curanda.*

Sunt tamen huiusmodi febres similes his tertianis perniciosis, quæ vel ex crasso humore, vel ex tenui originem ducunt: differunt tamen, quod tertianæ perniciosæ de intermittentium sunt genere, illæ vero continuæ existunt. Præterea in tertianis perniciosis humores putrescunt in ambitu corporis, in syncopalibus vero humorosis plerumque prope cor & ventriculum. Cum hoc tamen statuendum est, non dissimilem futuri curationem, quapropter institui, lectorem relegare ad prædicta capita.

De Quartana febre.

Quartana quæ, et vnde fiat

Est quoque quartana febris de genere intermittentium, quæ delata fit melancholia à venis ad extrema earum, qua ratione cum horrore inuadere, sicut ceteræ omnes, certum est. Est insuper humoris melancholici duplex ratio, quippe vel Naturalis est, vel ex Aliorum humorum assatione conficitur.

Melãcholia duplex.

Naturalis quidem, ex crassiori parte alimenti in hepate & corpore naturaliter habente fit, eam habens ad sanguinem proportionem, quam ad oleum amurca, aut ad vinum fæx, frigido & sicco temperamento constans: alter vero *humorum assatione* generatur, *vt paulo inferius latiùs sum scripturus*.

Quartana duplex *Exquisita.* *Notha.*

Ex hoc enim fit, duplicem quoque huius febris adesse naturam, nam aut Exquisita est & syncera: aut Notha ac mendosa. Exquisitam eam censemus, quæ ab exquisito & synceto humore melancholico generatur. Quæ vero exquisita non est, duobus fit modis; nam ab atra bile generatur, superassato in venis sanguine vna cum reliquis humoribus, *vt ex Galen. colligitur 3. prog. 29.* vbi vel melancholicus humor putrescens solus syncerusque non fit, sed alterius aliquam portionem admixtam habeat, bilis scilicet aut pituitæ. Vtriusque tamen seorsum meminisse oportebit, si prius caussas, tum quæ materiam substernunt, tum verò mouentes recensuero, vt postea è signis ad præsagium & curationem facilis subsit aditus.

Melãcholia quartanã efficiens quatruplex.

Caussam huius febris materialem, ex communi Græcorum omnium consensu, esse melancholiam, vel etiam bilem atram, præsertim, quæ ex superassato sanguine fit, *vt ex Galeno constat libro secundo prognost. comment. 29.* dubitauit nullus. Insuper, *vt ex Auicenna constat, 1.4. tract. ut. 2. capit. de quartana*, & ex Rasio. 18. *contin. capit. secundo*, ex torrefacta per putredinem pituita, etiam quartanam gigni posse, controuersia non mediocris est, quam quidem mox dirimam, si prius, *(vt veritas elucescat magis)* dixero quatruplicem, esse humoris nigri, & quartanam efficientis naturam seu differentiam.

I. Est igitur *prima* nigrorum humorum differentia, eorum qui ceteros concrescunt, cuius naturæ est sanguis *melancholicus* appellatus, cuius signum est, quod extra venas concrescit, cum reliqui melancholici succi permaneant fusi perpetuu, vt vera melancholia, quæ nihil aliud est quam sanguinis fæx:

II. *secunda* est atra bilis, quorum alterum naturale & vtile est excrementum, alterum vero prorsus præter naturam, siue ab exusto sanguine fiat, siue à bile aut melancholia, vel quovis alio succo, quas sane atræ bilis species, exitiosas esse, & magis minusve exurentes, & ab omni benignitate alienas scimus.

III. *Tertia* melancholiæ species naturaliter in corpore inest, hoc est, quæ ætatis ratione colligitur, in declinantibus, & senioribus à caloris progressu facta, naturalis prorsus, & minimum infestans: calida enim non est, neque acris aut adurens, vt priores, quæ ab igneo calore præter naturam proueniunt. Quippe natiuus calor debitam cuique ætati symmetriam seruans, vim illam adurendi virulentissimam sanguini præstare nequit: ob id quidem à sua bile atra senes minime laborant. Qua potissimum ratione dixit Hippocrates sexto *Aphorismorum 57. Apoplexiæ fiunt ab anno quadragesimo ad sexagesimum*, quod intelligendum scribit Galenus in *commentario*, de melancholicis apoplexijs, quod ea ætas melancholico succo coaceruando opportuna sit, nam siccissimus & frigidus humor senio conuenientissimus videtur. Quamobrem censeo Hippocrat. *tertio Aphorism. 31.* dixisse. *Senibus paraplexiæ, maniæ, & melancholiæ accidunt.*

IV. *Quartanam fieri à melancholia ex pituita genita præmissa disputatione, concluditur.*

Quarta vero humoris natura & sors, quæ quartanæ febri materiam præstat, pituita proculdubio est, & crudus succus. Quod profecto verum videtur, licet Galenus *libro de atra bile, capite tertio, & tertio aphor. 22. & 53.* vbi omnes species huius humoris annumerat, quinimo *tertio de locis affectis, capite septimo*, asserit ex pituita melancholicum morbum gigni non posse, *& sexto aphorism. 65.* expresse affirmat, ob humorum differentiam, furorem ex pituita non assata non posse induci. His tamen non obstantibus Auicenna 1.4. *tractatu. de quartana*, & Rasius 18. *contin. capite secundo*, non sine euidenti ratione, & frequenti euentu contrarium tuentur: cum certum sit, non ex quauis pituita melancholicos prodire affectus, *vt Galeno his locis visum est*, sed vel ex salsa ob bilis admixtionem, vel ex putrida, a qua terrestres aliquas reliquias ex assatione superesse necessum est, quæ licet paucæ sint, temperie tamen humoris melancholici naturam imitantur, *vt secundo de differentiis febrium*. Vltimo hoc profecto innuere videtur Galenus *lib. septimo aphorismorum 17.* dum ait: *Nisi quis dicat, ex putrefactione pituitam in bilem degenerare: nedum in melancholiam, cui propria natura similior est.* Quod etiam probari potest ex ea mutatione, quam œdemata in scirrhum pati solent, quod profecto euidenti argumento constat, nam ex albis nigricantes fiunt. Probabis id etiam ex mutatione quotidianarum febrium in quartanam, humore nimirum magis arefacto, resoluta solum aquea humiditate, & tantum aerea manente. Quod etiam probari posse constat ex improba victus ratione, quæ pueris, iuuenibus, virginibus, reliquisque optimi temperamenti corporibus humoris melancholici copiam suppeditat: qua sola ratione potius quam ex naturali melancholia prædicta corpora in febrem quartanam incidere, credendum est, affectum quidem longe diuersum à laudabili, & iuuenili temperie, idque experimento frequentissimo comperimus; nam secantes venam plerisque adolescenti-

scentibus, pueris aut puellis optimè temperatis sanguinem detrahimus, quem si mox in vase concretum inspiciamus, nonnunquam adeo lutulentum, & sordidum esse obseruauimus, vt à corpore vegeto, carnoso, & pulcro extractus minime videatur, nam sæpe fit, vt interni humoris vitiati dominatum externus color simulet, quod equidem nulla alia ratione fieri censeo, quam ex victus rationis qualitate vitiosa, quantitate immodica, superaddito intempestiuo exercitio, quæ sane vincunt, & superant corporis naturam, & aduersus ipsam hos crudos succos melancholiæ affines generant. Rationes vero quas Neoterici afferunt, parui momenti esse arbitror, nimirum non commigrare pituitam in humorem nigrum, quia id opus non est, sat enim erit assatione in sicciorem naturam, & aliquantulum ab albedine mutari. Nec valet, *nullam esse maiorem assationem ea qua pituita migrat in gypseam, & cum hoc non esse melancholiam.* Quod videtur, nulla assatione, nulloque calore in atram bilem posse mutari. Cui dicimus, hanc esse differentiam inter calorem seu caussam quæ efficit gypseam pituitam, & eam quæ ipsam mutat in melancholiam, quod illa lente agit, & diuturno tempore, & fere est calor mitis, & non plurimum à naturali excedens. Item in ea pituita nihil aliud fit quam partes humidas euaporari, remanereque solum siccas, eadem siccitate præditas, quæ illis est natiua ratione suæ mixtionis. At in ea, ex qua fit melancholia, calor vrentior est, & citius agit, & positiuam inducit siccitatem citra resolutionem omnis humiditatis, vt fit in gypsea, sed adeo agit, donec siccitas quædam introducatur, quæ finitima sit siccitati melancholiæ, citra id, quod vel ex toto conterat humiditatem, nec fluiditatem adimat, nec colorem omnino mutet: quod opus non est, siquidem ratio melancholiæ potius in frigido & sicco, quam in colore sita est: præterquam quod cum hæc sit præternaturalis melancholia, non tenetur sortiri omnes melancholiæ naturalis conditiones. His habitis, statuendum est, vberiorem copiam præstare naturalis melancholiæ ver, quod plurimum sanguinem, cuius melancholia est fæx, suppeditet, atræ bilis autumnum ab humorum assatione, moderatione præcedentis æstatis, modo alicuius, diutini morbi. Item iecur frigidum & siccum, splen obstructus aut imbecillus, illud quo minus potest attractum succum permeare, hic vero, quia præ impotentia nequit sugere, & corpus à melancholico recremento, expurgare. Ex quo euidenter constare arbitror, omnes ætates quartanis esse obnoxias, vt Aetius pulcre asserit, & experimento comperimus: non quidem quod tot ætatum diuersitates vni morborum generi conueniant, sed quod in omnibus melancholicos ob alias caussas redundare necessum sit, sic enim quæcumque frigidiorem & crassiorem sanguinem gignere nata sunt, materiam huic febri præstare possunt, vt si cuiuis temperamento aut naturæ accedat *mœror, solicitudo, cura, vigilia amor, tristitia,* maxime si præcesserint frigidi & sicciores cibi, item immodicus aceti vsus. Quo quidem frequentius vtuntur virgines fere omnes, quibus nihil gustui gratius videtur, quam id quod acidum sit: qua potissimum ratione in melancholiam & quartanam febrem dilabuntur. Porro acetum melancholico humori gignendo aptissimum esse, eius qualitates & vires euidentissimè docent, *vt ex Galeno constare videtur 4. simplic. cap. 12.* Est enim melancholia persimilis, quod insignis acrimonia ostendit, præterquam quod exsiccat simul, & refrigerat adeo, vt aceti vsus vberrimum succum melancholicum gignat, ac eo magis, quia sanguinem & reliquos humores frigefacit, incrassat, & exsiccat; quod etiam constat Hippocratem nouisse, qui 3.

Quartanæ omnes ætates obnoxiæ.

Virgines cur quartana plurimũ corripiãtur.

Acetum melancholico humori gignendo aptissimum.

A *acutorum* ab aceti vsu melancholicos arcet, licet Paulus & Aetius in melancholiæ morbo aceti quàm acerrimi sorbitiunculam post omnes cibos, vbi iam dormire velit æger, præbeant: quod quidem non attenuationis humorum gratia solum dixisse existimandum est, sed potissime ad cohibendos melancholici humoris vapores, quo minus ad caput deferantur, & ob id citius accidentia & vigilia, ac deliramenta cessent. Est etiam præter dictas alia vberioris humoris melancholici caussa, nimirum, *menstruæ purgationis cohibitio*, vel *hæmorrhoidarum suppressio*: quandoquidem menstruus ille sanguis, quam in fœmina secundum naturam se habente, vbi intra statutum tempus immoretur, si Galeno libro *de atra bile* credimus, nigrior esse solet. Sic enim fit, vt fœmina quæ boni est habitus, pulcra, & iuuencula, non raró in febrem quartanam incidat. Ratio euentus est, quia cum pulcriores partes & temperatiores plures sint in huiusmodi corporibus, & hæ similibus debeant ali: fit facile, vt superabundet succus melancholicus, quo paucissimæ partes egent, & ob id eo sic redundante quantumuis temperata & pulcra sit fœmina, necessum est in quartanam febrem & affectus melancholicos incidere.

Aceti sorbitiuncula post cœnam melancholicis cohibet.

Fæminæ iuuenculę cur quartanæ obnoxiæ.

Quibus sic constitutis, quę continere videntur omne genus caussæ materialis & motiuæ, superest quin C tam aliam humoris melancholici substantiam assignare, quæ plerisque quartanis naturam substernit: quę sane ex varijs humoribus complicata conficitur, velut ex pituita, bile flaua, aut quouis alio excremento melancholico humori admixto, vt nunc probare aggredior.

Sed ex his, quæ hucusque diximus, constare iam arbitror, duplicem esse quartanæ febris speciem, iuxta duplicem, vt primo loco proposuimus, humoris naturam: alteram quidem *Exquisitam* seu legitimam: reliquam vero *spuriam* seu illegitimam. Exquisita etenim & legitima febris ea est, quæ ex naturali melancholia originem trahit, citra alterius humoris admixtionem: cuius humoris tanta est aliquando D exsuperantia, vt *(cum pauco egeant, quæ illo gaudent particulæ, & splen turgens & plenus, vel imbecillus adeo, vt nequeat superfluum discutere)* in venis, hepate, mesæræo, & circum hypochondria abundans, coaceruetur ea copia, quæ necessario in febrem quartanam prorumpat. Certum profecto est huius humoris crassitiem & copiam, adeo meatus, quibus expelli solet, obstruere, vt promptius in corruptelam commigret, quam necesse est præire, antequam febrem gignere possit.

Quartanæ differentia.

Quartana legitima quę et vnde oriatur.

Quamobrem ijs, qui morbo regio, aut arquato nigro, & melancholicis affectionibus infestantur, quãdo prædicti humores malancholici abundantiores E fuerint, febrem non efficiunt, quia putredine non corripiuntur, sed eos ante à vasis pellit natura. Itaque quartana febris exquisita accidere non potest, priusquam tanta sit huius naturalis melaocholiæ copia, vt neque absumi, neque educi tota possit, vel ea qualitas adsit, quæ multum diuque expulsioni reluctetur, vel in meatibus vitium existens non sinat excrementum euacuari, vel lien non recte munus suum exsequatur.

Spuriam vero quartanam esse in doplici differentia, dubitabit nullus, si exacte perpenderit, fieri posse, vel Ex *atra bile*, vel Ex *aliorum humorum cum melancholia commercio*. Itaque primum huius speciei membrum ex atra bile per humorum adustionem ortum habet: quo fit, vt aliarum febrium, vel continuarum, vel intermittentium erraticarum sit soboles, de qua Hippocrates scripsit *tert. prog.* 80. *Interpolata febris, eaque errabunda, in quartanam*

Quartana spuria duplex.

I. Species.

mutabitur, præsertim si proximè est autumnus? in quo A sane ab exquisita differre videtur, quæ non ex alia febre originem trahit, sed primitus eos inuadere constat, quos melancholico humore male affectos superius retulimus. Continet sane hoc spuriæ genus quatuor subalternas species, iuxta quatruplicem humorum naturam, qui exuri ex aliqua caussa intra corpus possunt. *Prima* sane prodit ex adusto sanguine qui ob calorem factus siccior & exustione frigidior febres quartanas haud rarò efficere habet. *Secunda* species ex naturali melancholia, quæ etiam adusta fuit, originem trahit. *Tertia* vero ex flaua bile superassata, quæ in atram ob id commigrauit. In quibus considerare oportet, vstionem non eò vsque vltimari, quòd in veram atram bilem degene- B rauisset quippe grauissimum malum, sed parum ante subsidere. Item conijcere oportet, in his quartanis plerumque continuam adesse febrem, ex cuius vstione bilis assatur, & ea semiassata prodit quartana. *Quarta* vero & vltima ex pituita ab actione putredinosi caloris siccior facta, quam quidem haud raro quartanam efficere superius probauimus. Atque hæ proculdubio sunt illæ quartanæ species, quæ plerumque adolescentibus & puellis accidunt: nam ex proprio feruido atq; mordaci calore prodit, in exureotes febres deuehi, à quibus frequentissime quartana correpti euadunt, exustis eruditatibus, & in naturam atræ bilis redactis, quibus accedit salsamentorum & acrium alimẽtorum vsus, & alia, quæ igneo C calore humores adurentia alteri morbo occasionem præstant.

Quartana spuria ex atra bile quatruplex.

II. Secunda quartanæ febris spuriæ species est, cum melancholico humori naturali, aut præter naturam, alter reliquorum humorum admiscetur, & ipsam efficit spuriam atque illegitimam.

Species quartanæ spuriæ.

Verùm ne quid huic tractationi deesse videatur, expendendum est, *qui fiat vt ætate consistentes, & seniores frequenter febre quartana non laborent?* cum ex frigidiori sicciorique temperamento ex naturæ instituto plurimum melancholici humoris accumulent, tum ob præcedentem ætatem, quæ adustis siccis abundat, tum etiam quod Aetius omnibus ætatibus quartanam esse communem retulent. In qua qui- D dem re ego censeo non esse dubitandum, cur quartana febre frequenter hæc corpora non laborent; sed quo quartanæ genere laborare teneantur, cum in vtraque ætate plurimum melancholiæ abundet, cui dicimus, hæc corpora spurijs quartanis plurimum esse obnoxia, sicut iuuenum corpora, ot velis senum quartanam legitimam appellare, quod ex atra bile illi ætati naturali proficiscatur. Docuerat enim id Galenus 3. *prog.* 30. dicens: *Vt æstate concalfactos admodum & ebullientes humores atram bilem gignere, est necesse, quam in corpore collectam autumnus excipiens non patitur, vt pote frigidus, similiter extrorsum difflari, neque facile euacuari, sic per ætates difficulter discutiens non patitur similiter, febres potius commis-* E *tit.* Itaque licet in prædictis corporibus humores abundent, cum naturaliter insint, non ob id credendum est protinus & semper in morbum casura. Verùm si id acciderit alicuius caussæ interuentu, in has febres delabi necesse est. Cui porro dubitationi accedit alia, nimirum, quanam ratione scribat Aristoteles *libro primo problemat. 19. pueros quartanæ esse obnoxios, quod calore naturali plurimum polleant.* Quod ob id dictum esse censeo, quia in his vitio ventriculi crudus humor potissimum colligitur tam crassus & tenax, quantum est atra bilis, ex quo quartanam gigni posse non dubitat, quia in hisce hæc humoris exsuperantia melancholiæ supplet vices: prætterquam quod huius humoris nomine melancholiam intellexerunt Hippocrat. & alij antiqui. Neque id quidem repugnat Græcis & Arabibus Medicis, cæterum

Seniores & ætate consistentes cur nõ laborẽt febre quartana.

Pueri qua ratione quartanæ obnoxij.

pituita quantitate pauca & substantia multum crassa ac viscida quartanarios ac etiam rariores circuitus efficere habet.

Signa vero, quibus hæc omnia perpendes in duplici sunt differentia, nam Quædam *propria* existunt, quæ essentiam & naturam ipsius morbi propriè ostendunt: Quædam vero *impropriè*, hoc est, quæ à posteriori aut consequentia quadam aliquid monstrare habent. Propria quidem sunt velut *rigoris* forma, cui antecedit *oscitatio, pandiculatio*, & molesta quædam totius corporis inæqualitas, post quæ horror quidam inuadit, mitis quidem à principio, quia materia adhuc crassa existit, mox tamen feritate quadam inuehitur, ac attenuato humore violentius cum dentium stridore ingruit, ita vt ossa frangi videantur, ac totum corpus concuti & premi, vt à plerisque dolor *osteocopos* appelletur, postea tamen amplius attenuata materia in rigorem. Caloris etiam modus id ostendit, namque in tertianis veluti adurens est, & æstuosus admodum, in his vero non ita, sed adeo submissus, ac sine flamma, veluti si lapis quidam vreretur, qui etiamsi succendatur, flammam minime eleuat, cum hoc tamen à medio horroris intolerabilis vrget sitis, qui siccitatem humoris adhuc per calorem præter naturam amplius euocati attestatur. Pulsus insuper id docet agnoscere, nam longe est, quam in tertianis, minor, tardior, & rarior; non solum in principijs, sed adhuc in augmento: denique tanta est huius pulsus paruitas, tarditas, & raritas, vt non solum inæqualitas febrilis in hisce perpendatur, verum etiam tempore quietis seu interualli pulsus reddantur tardiores & rariores, quam laborantis natura exposcebat, ob frigidam dispositionem manentem post vstionem. Reuocauit quidem 12. *method.* Galen. ob hanc rationem in dubium, *an possit in febre inueniri pulsus paruus, rarus, ac tardus, cum calor auctus oppositos excitet:* bifariamq; id posse accidere respondet, & in accessionibus tales fieri, & magis quam pro naturali habitu, *(quod magis profectò mirandum est, quam si tempore quietis accidat)* & in reliquis febrium temporibus, quæ ob humorum cruditatem syncopin afferunt. Quod sano modo intelliges, hoc est, in diastole solum, idque quo tempore nondum plene incensi sunt humores, refrigerationem namque magis inuehunt, quam calorem: systoles vero, *vt ex eodem Galeno constat 3. de præsag. ex puls. capite septimo* etiam extra accessionem est concitatior, ob fuliginum expurgandarum vsum. Vrina item alba, tenuis, & aquosa in principio morbi apparet, octo nimirum primis diebus, quia tunc crassi humoris vberior copia in venas irruit, ingentis obstructionis necessariam consecutionem afferens. Quo fit, vt crassior portio nequeat in principio excolari, at longiùs progresso morbo, coloratiores & crassiores prodeunt, natura concoquente, & vias reserante. Variæ item & omnes crudæ plerumque apparent, præsertim in spuria quartana, quæ ex varia humorum miscella proficiscitur, à fæculento sanguine & bile vsta: apparet quidem cruda in principio, docens speciem morbi, *vt ex Galeno constat 6. popul. part. 5. text. 14. & 4. de sanitat. tuend.* cum hoc tamen monstrat morbi principium. Sudores etiam in declinatione harum febrium prorumpunt, quibus ab alijs quoque dissident; quia minores sunt quam in quotidianis, quod siccior crassiorque sit melancholicus humor. *Ex accidentibus* similiter quartanam deprehendes, quia sitis adhuc vigente febre minor, & dolor capitis cum grauitate intensior adest. Ea tamen signa minus propria esse censemus, quæ ex victu desumuntur, qui melancholiam generare possit, sicut vitæ modus solicitudinibus & curis implicitus, Item ex propria paten-

Quartanæ signa propria sumũtur ex rigore.

Ex caloris.

Ex Pulsu.

Ex vrina

Ex sudore.

Ex accidentia.

Im ppria ex victu, patientis temperie, anni tempore.

tientis tempetie, maxime si ad febrem quartanam prona sit, ex anni tempore, nimirum autumno, aut temporibus inęquali intemperie affectis, vt cum modo æstas, modo frigus infestat, quo tempore calor resoluit, frigiditas indurat ac refrigerat, & vtrumque vires labefactat, ac corpus & humores quartanis aptos reddit. Sed rationi consonum videtur, exquisitam quartanam plerumque. Vere accidere: nam cum ex naturali melancholia prodeat, & hæc sit sanguinis fæx, eo tempore eam abundare credendum est, quo & sanguis: sed is abundat tempore Veris, *vt omnium auctorum est vulgatissima sententia*. Igitur & melancholia, ac ex consequenti ex quauis caussa quartanam fieri oportebat. Cum hoc tamen ratione & experimento constat non ita esse, (*etsi quandoque accidat breuiorem fore quartanam, quod plurimum dissidet ab exquisitę natura*) nam sanguinis vbertas, quæ eo tempore viget, potentior est ad frænandam melancholiam, quam sit ipsa ad morbus eo tempore efficiendos, saltem febriles, donec aduemente æstate sanguis conteratur, & in melancholicos affectus degeneret. Ab ætate quoque (*vt dictum est*) quartanam deprehendes, & ex lienis tumore, quod nosces, quia facilior sit in sinistrum latus decubitus, sicut si ex iecore, quia vrina rubet, tumor dextri hypochondrij conspicuus efficitur, totum corpus humidum & albicans existit, & facile in hydropem labitur. Præstat etiam impetum morborum intueri, sintne febres erraticæ, an quę aliquo modo per quartum repetant.

Aetate, lienis tumore, iecoris vitio, & ex impetu morborũ.

Præsagiũ

Nil profecto mirum videri debet, si in hac febre aliquid de præsagio dicere instituam, cum plerique & Medici & laborantes decepti, ita se negligenter (*ne imprudenter dicam*) gerunt, vt facile in mortem, aut in immedicabiles affectus degenerent. Est quidem, vt vulgo fertur, & Galenus quoque probat 1. *popul. part. 2. com. 4.* quartana febris omnium securissima, facilima, & longissima, & à magnis morbis liberare nata, ob humorum, quos absumit, vacuationem: id quod efficit frequenter per assiduos rigores & vomitus, ac nonnunquam quod calore pituitosam distemperiem, quæ epilepsiam seu paralysim & similes morbos facit, corrigit, atque emendat, *vt ex Hippocrate constat 6. popul. part. 6. text. 7.* non durat vltra annum, *vt Auicenna inquit*, nisi erratum sit, quod Hippocrati referendum censeo 6. *popul. part. 6.* prope finem: *Post defluxum*, inquit, *pilorum quartana febris non ultra annum durat, quanquam longius durasse constat*: & illud intelligendum esse solum post defluxum capillorum, ac licet Aetio & Hippocrati referatur acceptum, eundem hominem bis quartana non corripi, si semel fiat sanus, falsum esse comperimus, sicut bis corripi morbillis: siquidem quibus caussis semel quartana accedit, poterat, & sæpius euenire, licet inclinata ætas id non patiatur. Cæterum etsi hæc vera sint, ex humoris tamen, qui quartanæ efficitur, conditione, salubrisne, an laboriosa futura sit, constabit: nam ea, quæ ex sanguine assumpto prodit, omnium esse saluberrimam, & breuissimam, vt vix accessiones viginti suscipiat, certissimum est, biliosam salubrios, nec plurimum breuis censetur: quæ vero ex pituita prodit, prædictis longior & infestissima. Cum hoc tamen omnes species, siue quas mox retulimus, siue quarum paulo inferius meminero, breuiores esse legitima asserimus. Quo quidem maxime videtur ab omni tertianarum genere differe: nam inter tertianas, quæ legitima est, breuior existit: quæ vero spuria, longior, quorum verumque prouenit ex humoris natura, *vt ex Galeno constat 1. de arte curatiua ad Glauconem capite octauo, & 2. de different. febr. capite quinto*, nam quiuis humor sit, qui accedit flauæ bili, ipsam efficiet crassiorem, & tertianam productiorem; & pari ratione cuiusuis A conditionis sit is, qui eum melancholia adiungitur, efficiet ipsam tenuiorem, ac ex consequenti quartana ab eis proficiscens erit breuior. Præterea coniectandum est, non ob id periculo vacare, siquidem vitio hepatis quartanas aliquando succrescere comperimus: quippe feruidum hepar atram bilem generare certum est, quod periculo non omnino caret. Plures item alias ventriculi vitio prodire conspicies, à quibus potius quam ab splene hypochondria tumescit, maior spirandi labor & tussis: quippe obstructum & repletum iecur magis septum transuersum premit, atque huic ineuitabilis fere hydrops, siquidem hepatis ipsius materiæ multitudine grauati natiuus calor sanguinis auctor obruitur, atq; adeo extinguitur, vt sanguificationis priuatio adsis: quod si simul lien in-B tumuerit, diuturnius malum est quàm si ab hepate ortum sit, & ad hydropem non rarò ducit, est enim lien sanguinis depurandi officina, vnde si suo supersedeat officio, aqua in omentum effluens, hydropem accersit, vt ex Hippocrate *lib. secundo de morbis mulierum* constat, præter quæ omnia lien difficilius curatur, ob eius imbecillum calorem.

Quartanæ non omnes periculo vacant.

Quartana ex tumore lienis diuturnior est quam ex hepatis vitio.

Quartanæ quibus soluãtur.

Soluuntur quartanæ vrinis crassis, alias albis aut nigris, purgata pituita, vel melancholico humore per ipsas: menstruis item aut hæmorrhoidibus fluentibus, vel abscessu in cruribus facto. Accessionem item fere habet, viginti quatuor horarum, alias breuiorem, iuxta humoris naturam & conditionem; quin etiam quartanarum accessiones ita interdum C inualescunt, vt duplicem & triplicem quartanam repræsentent, atque etiam ad continuitatem progredi videantur, quod crassiori & copiosiori materiæ acceptum referendum est, *vt ex Galeno constat libro de typis*.

Quartana neminem iugulat.

Quartana quoque salubris est, *vt superius diximus*, neminemque iugulat, *vt Hippocratis est sententia libro primo popul. part. 3. text. 4. & Galeni in comment. sententia 17. partis 3. lib. 1. eiusdem operis*. Quod minime intelligendum est simpliciter, senes enim magna ex parte interficiunt: omnes enim febres in senibus periculo non vacant, funestæ verò & periculosiores ijs sunt maxime quartanæ; quia vt vincantur, multo egent calore, quo senes carere certum est. Di-D mitto hac in parte historias, & euentus, ac circuitus varios casus, quod nullius sint vsus, & passim scribantur.

Quartanæ curatio à leniorib⁹ incipi debet.

Curationis via in quartana febre duplex est, vna quæ curet, & omnino affectum demere nitatur: altera vero quæ leniat, quod iubet Galenus *libro 1. de arte curat. ad Glauconem*, nam licet sint, qui vehementioribus vtendum esse præcipiant, quod à leuioribus humores tantum commoueri, non autem educi possunt; melius tamen fuerit ad Galen. mentem totam curationem conuertere, & blandiora solum in morbi principio exhibere, ne naturæ perperam irritatæ vlla inferatur noxa. Præterquam quod humorum durities & renitentia id quoque interdicit, nisi tran-E sacto diuturno tempore, ac apparente iam coctione, quo tempore paulo valentiora sunt adhibenda, idque sensim & paulatim. Quod sane præceptum non solum intelligendum venit de purgantibus medicamentis, verum & de reliquis, quæ digerendi & incidendi vires habent: nam quicumque initio non solum catharticis, sed etiam fortioribus incidentibus & digerentibus vtuntur, ex simplici quartana duplicem, imò maiorem & difficiliorem, & ex duplici triplicem reddiderunt: & nonnunquam ex intempestiuo remediorum vsum continuam excitarunt.

Tempora igitur huius febris diligenter animaduertenda sunt, proximi inter se conferendi, videndumque, an maiora minorave accidentia superueniant, vt facile constet, sitne morbus in principio, an

Quartanæ curatio sita est in proba victus & vitæ institutione.

vltra, nam cum ex his sit, qui diu durant, primitus agere vberius conuenit, vt æger morbi prolixitatem ferre possit. Præterquam quod curationis huius affectus maxima pars in proba vitæ & victus institutione sita est, licet vulgus opinetur, nihil fore sic affectis interdicendum. Sed expendendum est primo, potiorem esse in huius febris medela indicationem, quæ sumitur à materia peccante, quàm quæ à morbo ipso, hoc est, à calore. Quapropter & genito humori, morbumque efficienti, & futuro quem viscera intemperata, & vires ab eodem humore oppressæ continua propagatione adaugent, prouidendum est: sed quia genitum per correctionem & attemperamentum, & futurum per prohibitionem vlterioris generationis moderatur, & præcauet victus ratio, ob id illi plurimum inniti opus erit. Si prius dixero, aerem eum esse eligendum, qui ad calidum & humidum inclinet; impatienter enim sic affecti frigoris inclementiam tolerant. Exercitijs ante cibum vtatur laborans, aut si id fieri non possit, matutinis frictionibus, ac si mitior sit febris, ad consueta munia, duobus diebus intermedijs, redeat, *vt Galenus commendat, primo ad Glauconem.*

Aer exercitia.

Quartanæ affectorū victus ratio.

In ea quidem victus ratione, quæ huic febri debetur, considerandum est, an quartana febris ex alio affectu prodierit, an ex seipsa incipiat: si primum, crassiorem victum à principio porrigere oportebit, non enim est, quod virtutem multum defatigatam præcedente affectu tenui victu exsoluamus. At si febris quartana incipiendo procedit, victum facilioris coctionis, & tenuioris substantiæ vsque ad dies viginti, qui septem periodos continent, postea vero crassiori vtantur. Cibi omnino sint, quotquot humorem crassum frigidumque non gignunt, neque flatulenti sint, sed boni succi, humidioris & copiosi nutrimenti. Erit autem huius naturæ caponum & auium caro, (*præterquam primis morbi diebus, donec excrementa primæ regionis vel expurgentur, vel tenuiori victu conterantur*) nunc assa, nunc vero elixa cum *ciceribus*, & *croco*, *borragine*, *& diureticis radicibus*. Vtatur etiam laborans salsamentis, vt quæ vim babeant crassos succos extenuandi, ac conterendi superuacuam humiditatem, qualia constant ex cibis *pipere*, *synapi*, *aut nasturtio* conditis: cœna verò sit ex *pullorum carnibus*, aut *ouis sorbilibus*, *borraginibus*, aut *scariolis* elixis. Prosunt quoque *passullæ* & *pruna damascena* quod si velit cibaria mutare vitandi fastidij gratia, *hœdinis*, *vitulinis*, *gallinarum*, *columborum iuuenum*, *& perdicum carnibus vti poterit*: & ex piscibus aqua & vino elixis, admixtis etiam aromatis & saccharo: hordeatum prodest, amygdalatum, & panis mica iure carnis macerata. Ex fructibus conueniunt *poma dulcia* optime assa, *saccharo* & *anyso* aspersa, *pruna* item *dulcia*, & *vuæ pensiles*, prosunt & æstiui fructus, si saccharo condiantur aut melle. Quo vero die febris affligit, nil sumendum cibi est, nisi vbi febris inclinauerit, aut si quid dare corporis necessitas cogat, id perexiguum sit & liquidum, vt iuscula ac sorbitiones. Bibat inprimis qui febre quartana laborat, *aquam fœniculi*, *anisi*, *cinnamomi*, *radicum buglossæ*, *aut scorzonerae*; sed maxime *sasafrasse Indicæ*, procedente tamen tempore vtatur *vino albo tenui & aquoso*. Sed ne quis existimet omnino esse fabulosum, quod vulgo fertur, nimirum cibaria diuersa, & prauæ substantiæ plerumque à quartana non paucos liberasse, legat librum nostrum de *recto præsidiorum vsu in consilia de victus ratione*, & interim expendat prædicta alimenta non rarò profuisse; quia cum experita & concupita magis amplectatur natura, & ob id perfectius concoquat, & ea ratione majus robur sibi comparet, & minus excrementi, fit facile, vt aliquando eis exhibitis sanitati restituatur homo: sed satius est morbum aliquantulum citra periculum protrahi, quàm cum temeritate, & forsan cum grauiori damnum ipsum velle breuiorem reddere.

Potus.

Cibaria diuersa à quartana liberant.

Quartanæ blāda curatio q̄b & quo modo perfici debeat.

Sese iam offert blanda illa curationis via, quæ potius nititur humorem compescere & moderari, ac corpus lubricum reddere, ac vires roborare, futuram melancholiam demere, quam existentem & indomitam inutiliter exagitare, ac euertere & turbare. Quapropter coniectari prius oportet, an febris quartana ex alio morbo profecta fuerit, quo tempore blanda curatio solum lubricis, & his, quæ vires roborent (*vt possit sufficere*) auxilijs & alimentis rem B agere oportebit, quam vllo vacuante præsidio: vel si incipiendo procedat, nam tunc blande tractare opus erit, & occasionem qua laborans cœperit febricitare expendere: quod si ex sanguinis copia vberiore existente melancholia affectus prodeat, vel ex suppressa sanguinis vacuatione, non erit ab re sanguinem mittere, quò facilius reliquum humoris tolerare possit natura. At si crudorum vbertatem persensens, blanda purgatione præcauere oportet ne maior fiat, & copiosior melancholiæ prouentus. Primò itaque perficitur per ea, quæ lubricum pariunt ventrem vtrumque, & si quid in ipsis præter naturam inest crudum aut fæculentum pellat, ne venas ingrediens materia sit mali. Paratur autem imus venter C per inferiora clysteribus duplici virtute præditis, quarum altera leuis sit & mulcebris, cuius indicatio à principio locum habet, vt solum corpus molle & fluidum reddatur: altera vero actioris, vt quod ibidem moratur, medicamentorum vi, sine noxa extrahatur, cuius indicatio locum habet in principio gratia cruditatum, & etiam transacto, vt si quid à natura superatum est, citra alterius turbationem educatur. Lenientia quidem clysteria conficiuntur ex solo mollientium decocto, cui *mel rosarum & saccharum* adiunguntur, vt inhærens etiam intestinis detergatur; postea vero reliquis clysmatis oleum, quod vim habeat emolliendi, additur: emollit vt *pulpa cassiæ recentis*, maxime si fæces induratæ sint, D quo tempore ex *hydraleo* vtile conficitur: Quod sic parabis, Excipe *decocti quatuor emollientium herbarum* ℥. 10. *mucaginis seminis cytoniorum* ℥. 2. *mellis rosati*, *sacchari rubei*, *anā* ℥. 1. *& si, olei communis aut violarum* ℥. 2. *salis parum*, conficiturque item ex *iusculo aliquo cum oleo communi*, *butyro*, *& saccharo*. Actiora vero parantur ex *decocto mercurialis*, *altheæ*, *maluarum*, *polypodij*, *sennæ*, *siclæ*, *cum oleis & melle supradictis*, *additis succi siclæ vel rosarum* ℥. 4. *diacatholiconis* ℥. 1. ac si efficaciorem efficere volueris, oleis & decocto supradictis: addes *confectionis Hamech* ℥. 4. vel tantundem *diaphœniconis*, *vel hieræ picbræ* ℥. 6. Quæ sane non nisi morbo eunte ad manifestam coctionem, vel in declinatione adE hibenda sunt, aut superueniente aliquo accidente, cuius ratione opus sit vacuatione; eamque morbi aut anni tempus non admittat, vt frequentissime accidit ijs, quibus aliquid humoris crudi aut melancholici confluit ad os ventriculi, aut intestina vel renes, præsertim si ex improba victus institutione hæc accidentia prodierint. Quæ vero superius iniecta ventrem leniunt, sunt quæ citra euidentem alterationem id munus præstare possunt; velut est decoctum *cordialium modico epithymo*, *& polypodio superaddito syrupo violarum*, quo laborantes interpositis diebus vtantur dosi ℥. 5. prodest etiam decoctum *cassiæ fistulæ semiconquassatæ cum modico polypodio eadem dosi exhibitum*. Confert non minus decoctum *florum cordialium cum myrobalanis emblicis*, *ac syrupo cichorij*, præsertim si ex adustione quartana prodierit: eundem etiā vsum præstat serum lactis, in quo efferbuerit *sennæ modicum*. Præstat

Clysteria lenientia.

Clysteria actiora.

Ventrem lenientia superne.

&

& *cassiæ fistulæ vncia ß. cum sero caprino* disiunctim, vel simul exhibita. Verùm byberno tempore si necessitas poposcerit, dissoluta hoc decocto, q. ℞. *passularum p.* 1. *foliorum senæ* ʒ. 2. *cinnamomi & seminis anisi, ana* ℈. 1. fiat decoctum. Præstat idem beneficium *iusculum galli, vel capi alteratum borragine, buglossa, apio hortensi, scariola, aut lactuca*, si ex adultis fuerit quartana, cui adijciantur *senæ* ʒ. 3. & iusculum colatum sorbendum exhibeto quantitate *vnciarum* 6. Sed peculiarem habet vim in hac indicatione decoctum, q. ℞. *prunorum damascenorum numero* 16. *passularum sine granis* ℥. 1. *florum cordialium, ana* ʒ. 2. *myrobalanorum emblicorum* ʒ. 5. *senæ* ʒ. 2. decoquantur omnia secundum artem, & facta expressione, excipe *decoctionis* ℥. 3. *syrupi Sabor Regis* ℥. 1. *syrupi borraginis* ℥. ß. misce & vtere. Quæ sane omnia non solum ventrem leniunt, ac lubricum reddunt, verum quod natura singulis diebus separat, per inferiorem ventrem sine noxa, educunt, præsertim si intercedat leuis aliqua purgatio, qualem permittit quartanæ principium, *ex cassia, manna, syrupo ex infusionibus, aut catholico*. Hoc tamen in prima curationis via obseruandum est, vt temperata vel temperatis proxima adhibeamus medicamenta, ne ante tempus alteratione maiori facta, affectus vel augeatur, vel in duplicem commigret.

Præcipua curādi ratio. Secunda vero curationis via primæ occasionem requirit adhibendi auxiliares manus, citra quam si ipsam aggrediaris magis proculdubio lædes: hanc autem præscribit vel morbi exacerbatio, vel coctio obediens: exacerbationem vero distinguere oportet, à qua nam occasione prodeat: quippe si ex improbo victus, aut vitæ genere, curari quidem desiderat, ceterum non nisi blandis, & ventris solum purgatiuis auxilijs, quæ nullam vim habeant melancholiam mouere: si tamen ex temporis inclementia, vel regionis prodeat, ipsam mutare sat est: si ex animi pathemate, bona spe, & hilari animo laborantem alere: verum si ex incipiente coctione, differre oportet, donec appareat euidentius, aut saltem medio vere fiat, vbi sperandum est humores tenaces magis ac fundi & concoqui, quo tempore duos tantum proponit scopos: alterum qui congestum humorem educat: alterum qui vel viscerum emendata intemperie vel obstructione, nouæ inposterum caussæ generationem prohibeat. Primus quidem suum opus exsequitur tribus remediorum generibus: *vno* quod humorem præparet, vel præparatum euacuet: *secundo* quod si quid post vacuationem relinquitur, consumat & digerat, ne iterum morbus reuertatur; *tertio* vero, quod à proprietate, ac peculiari quadam & innominata efficacia febrem hanc

Horroris præsidiū. curare habeat. Verùm ante omnia curandum est horrorem mitigare, qui adeo vehementer plerunque affligit, vt sibi vniuersam curationem arroget. Cui vsui præstant, quæ capite præcedenti diximus, vel si coctio iam appatuerit, ʒ. *ß. theriacæ cum pauco vino, vel tantundem seminis hypericonis, vel pulueris melissophylli cum vino albo*: eandem vim habere scribitur ʒ. 1. *assæ fœtidæ*, vel mixturæ huius q. ℞. *Myrthidati* ℈. 4. *plantaginis* ʒ. 2. qui ter in principijs accessionum exhibitus, curare non solum rigorem, sed & quartanam fertur. Patem habet efficaciam præsidium illud q. ℞. *pulueris assæ fœtidæ, piperis longi, rutæ, ana* ʒ. 4. *mellis quantum sit satis*, vt confectio fiat, cuius dosis sit ʒ. 1. *& ß. cum modico vino*. Idem quoque beneficium præstat puluis *corticum arantiorum cum vino aut melle*, sed confert plurimum alius, q. ℞. *baccarum lauri* ʒ. 1. *zingiberis & radicis gentianæ, ana* ℈. 2. *dosis sit* ʒ. 1. *cum vino*: prodest etiam *succus plantaginis cum aqua mellis, aut succi radicis thapsi barbati, & vini, ana* ʒ. 2. *succus calamenthi eadem dosi*. Valet & id, q. ℞. *pulueris ossis de corde cerui* ʒ. 1. *& ß.*

exhibitis cum decocto dictamni, saluiæ, & chamedryos. Vnguentum etiam boc mire prodest, q. ℞. *theriacæ magnæ* ℥. ß. *cariophyllorum, spicæ nardi, ana* ℈. 2. *olei antiqui & vini optimi, ana* ʒ. 2. quibus feruefactis dorsum inungatur. Quod si corpus robustum fuerit, & horror vehemens, ex vsu erit vnguentum q. ℞. *pulueris castorij* ℈. 1. *theriacæ* ℈. 4. *myrrhæ* ℈. 2. *olei laurini* ℥. ß. *mellis despumati* ℥. 1. quo volæ manus & pedum inungantur, præterquam quod diligenter curandum est, ab his partibus frigus arcere, tum linteis frequenter calidis: tum lateribus calidis vino irrotatis ibidem appositis.

Quo quidem facto, humori peccanti intendendum est, & primò videndum, an expediat à principio, vel quauis alia morbi parte sanguinem detrabere: quid tamen ego in hac re sentiam, libenter dicam. Facta igitur leui purgatione, etsi corpus plenum extiterit, latis venis, & mediocriter gracile, vel melancholia plurimo sanguine admixta, vel laborans iuuenis, præsertim ineunte vere, mittendus sanguis est ex basilica sinistri brachij: nam satius erit nimio venas tundere, quam febris incrementum exspectare, præsertim si vacuatio aliqua insignis suppressa fuerit, & venæ turgidæ, dummodo ex flatu non turgeant: vtcumque tamen fit, amplo foramine vena tundenda est: quod si niger & crassus exient sanguis, pro ratione virium & redundantię vacuandum est: verum si tenuior & flauior, claudenda statim scissura, ex Galen. sententia 3. *de loc. affect. & 1. ad Glauc.* quod sane præceptum in omnibus morbis melancholicis obseruandum est. Quod facito, præmissis præparantibus, quo facilius misceatur cum sanguine melancholia: alioqui sanguis extrabetur, & remanebit humor melancholicus. Aperitur quidem frequentius basilica sinistri brachij, quia per ea crassior humor facilius effluit, etiamsi maius fiat spirituum dispendium, quod in debilioribus pertimescendum est, in quibus saluatellam eiusdem manus tundere sat erit, quia inter alia commoda, quæ vsus probauit scissa hac vena, vnum est posse scindi experimenti gratia, vt qualis sit sanguis cognoscamus. Verùm vt diligentius rem hanc, quæ tanti est momenti, in importunissimo hoc morbo expendamus, considerandum vltra ea, quæ diximus, est, an hepar mali caussa existat: quippe tunc ex dextra basilica sanguis mittendus est. Sed consideratione dignum est, quo morbi tempore sanguis mitti debeat, cum multis visum sit, mox à principio, alijs, inclinante affectu, plerisque apparentibus signis coctionis, quod insinuauerat Auicenna *vt capite de quotidiana latius scripsimus*, & ex Barbarorum familia non pauci. In qua sane controuersia considerare oportet, corporis affecti & humoris conditionem: nam si corpus plenitudine sanguinis abundet, si sanguinolenta vacuatio suppressa sit, si venæ turgidæ, si corpus graue & dolorosum, si anteacta vita crapulis & copioso alimento dedita, certum est sanguinem à principio mittendum fore, maxime si cum boc constat, quartanam non esse ex pure exquisitis (*aut ex alio morbo decidere, vbi sufficienter sanguis missus sit*) eo tempore naturæ rem committere oportebit, optimo vitæ modo instituto. Verùm si hæc non adsint, quinimo exquisita sit quartana, sanguinis missionem differre oportet, donec coctionem apparere iam euidenter constet: non quidem quod opus sit coctione ad sanguinis detractionem, sed quod eo tempore certum est humorem melancholicum sanguini esse admixtum, quo facilius & tutius sanguine misso extrahitur, quam dum separatus erat ante coctionem, quia eo tempore tenuior & rubicundior, ac vtilior sanguis extraheretur, crassiore & melancholico intus manente: inclinante vero affectu sanguinem mittimus ob aliquod viscus affectum, ac forsan

Sanguis in quarta na vti ū mittēdus & ex qua trane an sinistra basilica.

Quartana ex Auicennæ sententia sanguinis missione nō indiga ante coctionem.

Qua hora mittēdus sanguis.

forsan vt copiosior fieri possit: quod si nil vrgeat, aduentante vere mittendus sanguis est. De horæ vero delectu ad sanguinis detractionem non satis conuenit inter auctores, nam quibusdam placet hora accessionis venam tundere: quippe commotus humor se sequaciorem reddit, & melius profluit: alijs quidem id non placet, sed tutius & vtilius existimant esse sanguinem mittere die ante accessionem: quam sententiam semper veriorem & rationi consonam habui.

Quartanis quę debeantur.

Purgandi ratio.

Facta autem, aut in posterum asseruata sanguinis detractione, omnis cura humoris peccantis habenda est: quem sane post debitam præparationem (*tum vt coquatur, tum vero vt euacuetur*) tripliciter educere oportebit, & cuiusque vacuationis propriam scribere præparandi viam. Quippe aliter humorem præparare ad vomendum opus est (*cuius indicationem præstant humores in ventre immorantes, vel in ipsum confluentes*) aliter vero vt aptus reddatur purgationi per infernam aluum (*cui quidem præstat indicationem humor copiosus intra venas existens, & qui coqui iam incipit*) ceterum lēte ob grauatam naturam, itē suo modo humores aptos requirit natura ad moliendam per vrinas purgationem, cui præstat occasionem humor, qui tenuitatem adipiscitur, maxime cum excernitur vrina nigra vel crassa, quæ monstrat naturam irruere per regionem istam. Sed primo innitendum est purgationi, quę fit per imum ventrem, nam reliquas, nisi natura tentauerit, difficulter mouebis. Cui sane vacuationi inprimis paratur humor iis, quæ humectandi vim habeant, (*siccitas enim est, ac durities, quæ coctioni & eductioni humorum summe resistunt*) necnon & modice calfaciendi, posthabita febrilis conditionis natura, nisi humectantia à pituitæ mixtione impediri visum sit. Qua etiam in re dissidere Neotericos comperio, sunt enim, qui Galen. adstricti attenuationi tantum innituntur: alij vero sumpta ex siccissimi humoris natura indicatione humectando præparare consulunt. Rei tamen ratio se habet in hunc modum, quod si ex melancholia naturali, vel quauis alia atræ bilis specie quartana febris ortum duxerit, primo humectante victu syrupis & apozematis id valentibus humorem præparare oportebit, sic exposcente siccissima humoris natura verum si ex miscella pituitosæ & crudæ substantiæ quartana oriatur, aut humor (*quiuis sit*) iam coqui incipiat, vt facilius educi possit, inscindentibus & attenuantibus rem agere oportebit. In vera tamen melancholia cum his, quæ humectant, nonnihil attenuantium admiscere oportebit. Itaque in quartana à vere melancholia humectioribus & modicè tenuantibus in atra bile solis, quæ humectiora sunt vteris; in pituitæ admixtione vel vstione tenuantibus & inscindentibus. Quamobrem primo humectabis *syrupis borraginis, violarum, buglossæ, florum altheæ, & seminis maluarum*: quibus, dum id postulauerit humorum idea, aliquid inscindentium adijciendum est, vt *oxymelitis, vel momentum acetosi*. Nec calfaciendum quidem est in principio, quantum humorem melancholicum exposcere nonnulli autumant. Quippe adusti humores mediocriter potius refrigerari, aut saltem attemperari & mitigari desiderant: verum initio quartanæ ex his vel naturali melancholia factæ, leniora in omnibus qualitatibus actiuis conuenire certum est, aut nulla, neque enim fortiter calfaciendum aut refrigerandum est, eligendaque sunt eo tempore, quæ vel temperata, vel temperatis proxima sunt, præterquam in spuria quartana ex pituitæ admixtione, in qua aliquantulum licentiosiùs licet calfacere & inscindere, cum hoc tamen non sine moderamine, ne plus iusto extennes & calfacias, nisi iam signis coctionis apparentibus, vt sudores & vrinas facile mouere possis,

Quartanæ materia primo per imū ventrem vacuanda, & qui bus præparetur.

A quo tempore paulatim & sensim ad maiora aggredieris, adhibens syrupum de *epithymo, oxymel diureticum, syrupum de bisantijs, de eupatorio, vel fumaria*, & huius naturæ, cum decocto *fœniculi, radicis capparis, petroselini, rusci, genistæ, fraxinæ, polypodij, glycyrrhizæ, & similium, cum passulis aut prunis damascenis*. Quod si hæc sufficere non videantur, apozema parabis, q. ℞. *polypodij drach. 3. radicis caparrorum, tamarisci petroselini, & fœniculi, anà ℥. 1. agrimonij, scolopendriæ, asplenij, adianti, buglossæ, lupulorum, & fumariæ, anà ℥. 1. seminum frigidorū maiorum, & anysi, anà ʒ. 1. florum cordialium & genista, anà p. 1. fiat decoctio ad lib. 1. in Colatura dissolue syrupi de scolopendrio & bisantijs, vel oxymelitis simpl. & syrupi de lupulis, anà ℥. 1. dosis sit ℥. 4.* Quod si & dissolutos & B mediocriter coctos cognoueris humores iam esse, quod facile comperies, quod dum antea in motu essent, moueri iam incipiunt, & ad os, vel ad aluum, vel ad articulos, aut cutem per sudores irruunt, aut vehementiores rigores per horrores inferunt eo sane tempore ad vacuationem festinandum esse consuluit Trallianus: verum in quartana febre nec multum, nec vtcumque purgandum est, sed vt natura concoxerit, ita eodem gradu deonerandа est, facto initio à leuioribus pharmacis, ne cum maior sit humorum crudorum copia, maiorem turbationem quam humorum vacuationem molianis. Ob hoc primò vteris purganti, q. ℞. *decocti florum cordialium quantum sit satis, in quo bulliant sena & epitymi, anà* C *ʒ. 1. & ß. colatura adde pulpa cassiæ fistulæ ℥. 1: aut catholici tantundem vel confectionis Hamech sine scamoneo, & colocynthide ʒ. 6.* quod vtilius & tutius fore arbitror. Quæ omnia etiam dissoluere poteris in *sero lactis*, maxime si in eo ferbuerit *senæ, epithymi & polypodij, anà ʒ. 1. & ß. vel turbith ʒ. ß.* Ac si plenius purgare volueris, hoc modo pharmacum conficies: Cum *aqua lactis, in qua bullierit sena & epithymi, anà ʒ. 1. diasenæ & confectionis Hamech simplicis, anà ʒ. 3.* Vel si corpus fuerit robustum, confecto *Hamech* sit integra. Proderit etiam bolus *ex confectione Hamech simplici cum catholica vel cassia*. Verùm si his factis morbus vigori proximus fiat, iuuandus quoque erit inuoctionibus & quiete. Ceterum quia mor D bi natura, vtpote quæ febris sit, vehementiora medicamenta non sustinet, sæpius purgare consulo, potius quam plenius, quod iussere antiqui omnes: qua in re summopere laudo, semel aut bis in hebdomada ℥. 3. *syrupi ex epithymo* porrigere cum *aqua lactis temperato*. Dabis etiam pilulas *ex agarico, turpetho, polypodio, epithymo, cum tribus granis diagridis*. Verùm vtilissimæ & vsu probatæ sunt, q. ℞. *aloes ℈. 4. epithymi ʒ. 1. agarici ℈. 2. lapidis armeni ℈. 1. cariophyllorum ℈. 2. diagridij ℈. 1.* formentur cum succo *sicla*, & præbe earum ℈. 1. *aut ʒ. ß.* Laudat quoque Trallianus has, q. ℞. *aloes, epithymi, anà ʒ. 2. succi absynthij ʒ. 3. medullæ colocynthidis ʒ. 1. formentur cum melle rosaceo, quarum præbe ʒ. ß.* Verùm inter om- E nes mihi probatiores videntur, præsertim si laborans viribus constet, q. ℞. *aloes ʒ. 2. spica nardi, asari, mastichis, croci, cariophyllorum, xylobalsami, anà grani 12. corticis radicis ellebori nigri ℈. ß. melle formentur, & dosis sit ℈. 1.* quod si mitius agere velis, dilutum ʒ. 3. *foliorum senæ*, in aqua lupulorum, vel sero, frequenter porrigito: hoc vno in hac curatione asseruato, ne visa semel coctione purgationem differamus, ne crassi humores recoquantur, & præ crassitudine expulsioni fiant ineptiores. Circa purgationem etiam scitu dignum iudico, an eadem accessionis die fieri aliquando purgationem oportet, quoniam Conciliatori; alijsque visum est crassos humores & admodum difficiles in dio, quo sponte mouentur, pharmaco fore deturbandos. Cui etiam sententiæ videtur subscripsisse Aetius, qui

Apozema.

Quartana nec multum nec vtcūque fallā purgationem desiderat.

Purgantium leniorum formula.

Quartana humores statim visa coctione purgandi.

Quartana affecti per aluũ non purgandi in die accessionis.

qui pharmacum propinauit parum ante ipsam accessionem. Verum si Galeo. & Auicen. credendum est, per infernam aluum in dic accessionis non est mouendus humor, benc tamen per superiorem (*vt mox probabo*) proindc ne in diuersa trahatur suc ci, hoc medicamento ex interna venarum cauitate trahente, & extra ad cutim naturæ motu, vt solet in accessione, quod est expurgandum corpus deorsum, nisi id sponte faceret natura. Sic etiam Aetium de vomitu locutum fuisse existimandum est.

Quartanę materia, quando, quomodo, & quibus medicamẽtis per vomitum euacuari debeat.

Secunda purgationis via huic quoque febri necessaria, per vomitum proculdubio est: cui sanè indicationem præstat, vel nauseabundus venter, vel dolés, vel vtcunque aliter affectus, vel antecedens materia, B vel coniuncta, si in ipsum confluat, quæ ob renitentiam expurgantibus cedere nequit. In quo etiam ope te Medici controuertunt: nam sunt, qui initio accessionis extrema calfaciont, in remissione vero vomũt. Alij quidem imperant, velut Græci, à cœna vomere, sed crescit dubitandi ratio: nam vt ex Hippocr. constat 4. *aphorism*. 9. melancholici potius per inferiora purgandi sunt: ex quo constat, neque esse tutum, neque cuique conuenire. Verum qui Auicen. & reliquos strenuos viros attentè legerit, facilè intelliget, vomitum ex vsu esse omni morbi tempore, stante tamen aliqua ex suptadictis indicationibus, & instante accessione: nam commodissima hora est commo ta materia vt naturæ accessionem mouentis, ad cuius motum commouentur humores, vomitu etiam C lacessiti, vt vel accessionem ex toto eradicet, vel leuio rem reddat, nam motus naturæ principijs accessionum, & vomitus non contrariantur, præsertim appa sente in ventriculo humoris illuc confluentis nota. Cui vsui prius præparare materiam oportet *aqua tepida*, aut *decocto raphani*, vel *seminis eius*, & *oxymelite*, vel *anethi decocto*. Verum ad purgationem *agarico* vtendum est, facta larga infusione in aqua tepida. Præstat etiam *allium* cum *melle*, aut *porro* præmasum præbere, deinde potionem *aquæ mulsa largioris* con ferre scimus, plerumque tamen vomitus accommodissimè fit, pleno diuersis edulijs ventre, præsertim si difficulter laborans vomuerit; quod Græci commẽ D darunt, & vsu probatissimum comperimus. Verum si naturam cessante accessione, seu nauseabundam censuerimus, eo tempore commodissimè vacuabimus vomitu prædictis prouocato.

Quartana affecti qui, quando, & qui bus medicamentis debeant per vrinas purgari.

Vlomam vero purgandi rationem per vrinas mouere opus est, ac per sudores, quibus indicationẽ præstat morbus in vigore existens, vel iam inclioat com turbida vrina, & mollis per vniuersum corpus mador, cui rei *melicratum*, ex *calamentho*, *mulsa*, in qua *anethum*, *ruta*, & similia coxent. Prodest eòam in prolixiori quartana, vt cui pituita multa admixta est, *guaiaci decoctum*, quod dilutius parare oportet caussa febris, vt si maceraueris *in libris aquæ decem* ℥. 4. *guaiaci*, donec ad ternas coquamr, additis *cichorio*, *vel o- E xalide*, *lupulis*, *liquiritia*, *& calamentho in fine coctionis*. Ad cuius vsum considerandum est, & diligenter inspiciendum, sitne tumidum dextrum hypochondrium, tunc enim guaiaci vis aduersa existit. Post purgationem vero, & præhabita manifestioi coctione, & morbo in vigore existente, quæ vrinas mouẽt, velut est *syrupus hyssopi*, *glycyrrhizæ*, *quinque radicum*, *oxymel*, *theriaca*, quę digerat, & roboret partium calorem, ex vsu esse competimus: nolo autem hic re censere, quæ his valentiora sunt, nam raro esse tuta possunt, licet aliquando prosint, hoc est, plurima redundante pituita, libenter tamen vteter *cinnamomo*, *pipere*, *& cariophyllis in tabellis cum saccharo*. Cui etiam actioni valet *ameos*, *carui*, *ana partes æquales cũ melle rosaceo*.

Cautio.

Verum in vsu horum omnium medicamentorum cauendum est, ne eis vtamur in calidis, & siccis naturis, tantum enim proficua sunt frigidis, A & humidis, aut vbi in quartana abundauerit pituito sus succus.

II. *Quartanaaffectis quę pharmaca conueniãt, ad reliquias, quę ex purgatione supersunt.*

Secunda autem curationis via, reliquijs, quæ à pur gationibus supersunt, prouidet, ne aut diutius protrahatur febris, aut reuertatur iterum. Quæ tamen licet secundo loco assignata sit, indicationem, & locum habet post omnem purgationem, ac inter vnam, & aliam fieri desiderat. Sunt autem medicamenta, quæ id habent, *theriaca*, *Mithridatum*, *aurea Alexandrina*, *athanasia*, *conserua acori*, *scabiosæ*, *anthos*, *& zingiber conditum*, *mel item anthosatum*, *& de genista*, *trochisci quoque ex eupatorio*, *& rhabarbaro*, *& capparibus*, *ex absynthio*, *ligno aloe*: quibus admiscere oportet, cordis, & mœstitiæ gratia *diacalamenthum*, *diambram*, *diamoschum*, *& diagalangam*. Quæ omnia sanè humo rum reliquias attenuant, concoquunt, & consumũt, simul etiam aperiunt, & abstergunt, & membris nutrimentalibus robur addunt, quorum dosis fit ℥. ß. *ad* ℥. 1. *ex vino*, *vel decoctione chamædryos*, *fumarię*, *& lupulorum*, *ac valerianæ*, *& calamenthi*. Prodest offerre hoc medicamentum, q. ℞. *succi summitatum absynthij* ℥. 2. *theriacæ antiq*. ℥. 1. *vini albi generosi* ℥. ß. Præstat & aliud, q. ℞. *castorei*, *myrrhę*, *ana* ℈. 1. *cum* ℥. 2. *vini albi*. Item succus *calamenthi dosi* ℥. 1. *cum vino*. Quæ tamen omnia certis legibus metiri oportet, ne exhibito salutari pharmaco deterius quid accidat, quod Galen. de theriaca alijs euenisse scribit. In primis administrare hæc pharmaca oportet transacto statu, coctione diu præmissa, & humore plusquam le uiter purgato, vt id humoris, quod remanet, non solũ liquet, & attenuet, verum & resolutione etiam conte rat, & discutiat: quippe si multus, crassus, & immaturus fuerit humor, cum tamen liquare ipsum medicamenta prædicta possint, non solum non auferẽt quãtanam, verum humore tenuato, & non resoluto, duplicem, aut maiorem efficient. Porrigere hæc omnia, oportet duabus horis ante accessionem. Prosunt etiã peculiari dote frigidis temperie, & corpore, vel saltẽ temperatis, ac minus calidis ieiuno ventre summo mane in diebus quietis tribus horis ante cibũ, vt Galen. placuisse videtur *lib. de vsu theri. ad Pamphylianum*, *& de theriaca ad Pisonem*. Itaque interpositis purgationibus modo ad vnum, modo ad aliud ex prę dictis pharmacis veniendum est, prudẽter tamen, & cum consideratione, ne nobis, quæ diximus, accidãt mala: sed in ea prorsus occasione prodest summopere hæmorrhoides aperire, & fęculentum sanguinem ab eis fundere, ac si hæc non adsint, sinistræ manus saluatellæ pridie ante accessionem, vel in ipsa lunæ, (*vt aliqui volunt*) coniunctione, vel in principio accessionis, *vt Thilonius testatur*, qui plurimos ab importunis quartanis liberatos se vidisse testatur.

Quartanarius quãdo hęmorrhoides aperiendę: quãdo salvatella sinistrę manus inscindi debeat.

III. *Quartanę curationis quę debeatur membrorũ nutrimentalium prouidentia, & quibus remedijs.*

Tertia vero & vltima curandi ratio ijs constat medicamentis, quæ membris nutrimentalibus prouideant, & ijs, quæ peculiari dote quartanam curatẽ scimus. Sæpissimè enim in prolixo hoc affectu ventriculus infestatur, intumescit, ac induratur lien, ac vniuersa ferè hypochondria: quibus partibus male affectis, vnctionibus, fomentis, emplastris, & alijs huius generis præsidijs succurritur, vacuato imprimis corpore, frictionibus vtemur mollibus, quæ calefaciant, & humores minimè moueant. Item & deambulationibus, quibus maximè esse vtendum in morbis longis monstrat ratio, & experimentum. At si vehemens non fuerit quartana, consueta munia adeat laborans diebus intermedijs. Item hypochondrijs prouidere oportet, *vt consulit Trallianus*, etiam ante vigorem, verum corpore euacuato mitioribus tamẽ & placidis fomentis ex *chamæmelo*, *meliloto*, *absynthio*. Post vigorem vero, foris, & intus fortioribus vti licebit, vt cum prædictis addunt *semina apij*, *rutę*, *cumini*, & tandem alia, quæ præcedenti cap. adduximus.

Verum

Spleni quo modo prouidendũ.

A Verum quia frequentiſſimè in hac affectione ijs adhuc omnibus factis ſplenem indurari plurimum conſpicimus, vt melancholicum ſuccum recipere amplius haud difficulter poſſit, ob id non leui diligentia innitendum eſt ijs, quæ obſtructionem auferant; ſplenem molliant, & quæ in ipſo continentur, digerant, ſed præcipuè vſui probata reperimus inunctionem *ex oleo capparum, & vnguento deoppilatiuo*, cum eodẽ oleo, vel vnguento, q. ℞. *ſucci ſummitatum ſambuci, olei capparum, & dialthææ ana partes æquales*. Fotus item paratur ex decocto *thamariſci, agnicaſti, radicis althææ, aſpleni, radicis capparum cum modico aceto*, quo ante prædictam inunctionem vti poteris.

Vnguẽta.

Præſtantiſſimum etiam eſt aliud vnguentum, q. ℞. *ſucci radicis althęę ℥. 3. adipis anatis ℥. 1. & ß. pulueris aſpleni* B *ʒ. 2. cum oleo capparum, & cera f. vnguent. Item aliud mirabilis efficacię conficies, ſi accipias radicis althęę, in oleo liliorum decoctę lib. 1. mucilaginis ſeminis lini, & fœnugręci, ana ℥. 2. medullę crurum vituli ℥. 3. aſſungię gallinę, & anatis, ana ʒ. 1. cerę q. s.*

Syrupus.

Cæterum interim, dum ijs vtimur, ſyrupo hoc vti conuenit, qui ſenſim, & paulatim, quod his medicamentis liqueſcit, & diſcuti nequit, excernat; fiat autem ſyrupus largus ex folijs *ſenę, epithymo, & ſcolopendrio decoctis in aqua ferrata cum modiciſſimo aceto, & ſaccharo, q. ſit ſatis.*

Quartana ſpuria ex bilis vſtione orta quã cu rationem expoſtulet.

Diſtinguendum tamen eſſe, ſummaque cum diligentia prouidendum arbitror, vtrum ex vſtione genita fuerit febris: ſi enim hac ratione inſit, quod ex ſignis prægreſſis cognoſces, quæ bilis dominium maximè aduſtæ ſignificet, ſitiſque adſit quartanæ inſolita, vomitus bilioſus, vrina flauior, temperamentum calidum, & ſiccum, ætaſque iuuenilis, ferè eodẽ modo curabitur, ac legitima tertiana, id docentibus Auicen. & Tralliano. Neque vllo calido auxilio vtendum eſt, ſed frigido, & humido, tam in cibis, & potibus quam in omni medicamenti genere, maximè in balneis tepidis, in quibus opus eſt laborantes ſedere, & ſe abluere, *vt Auicenna conſuluit*. Ad quod quidẽ opus, veluti in tertiana, coctionis ego ſpectarem notas, quanquam interdum, ſi neceſſitas vrget, recuſandum non eſt, nam, *vt Trallianus inquit*, hanc præ cæ D teris ſibi vendicant licentiam humores bilioſi, id quod Galen. quoque commendauerat 3. *acutorum, comment. vltimo*. Atque ſi hypochondria fomentis indigere videantur, poſt corporis vacuationem admouebis *hydręleon ſimplex*, quod ea laxat, etiam ſi tumefacta ſint, vel decoctum ex *chamęmelo, meliloto, abſynthio, & dactylis pinguibus*, in qua ſanè quartana, *vt Aetio placet*, cenſeo iecur eſſe maximè affectũ, quod noſces ex calore albicante (*ne falſa pituitę ſpecie decipiaris*) id eſt, pallido albeſcente, *vt ex Hippocr. colligitur 2. popul. par. 1. tex. 37.* vbi ſic habet: *Quibus media inter abdomen, & cutim pars inflammata eſt, color qualis vehementer pallidus, & qui ad album vergit, id omne ex iecore proficiſcitur, quippe arquati ex iecino* E *re in ſubalbidum tendunt.*

Somnum quę moueant.

In quo ſanè affectu magna diligentia curandum eſt, ſomnum conciliare, præſertim vbi torqueat vigilia. Mouet autem ſomnum *ſeminis papaueris, & fœniculi, & ſacchari, ana ʒ. 1.* cuius ʒ. 1. porriges cum aqua calida.

Quartanis peculiari dote quę proſint.

Ferunt quoque prodeſſe quartanis multa, quæ peculiari dote id efficere, experimento comprobatum eſt, velut *ſuccus abſynthij cum modico aceto, ſuccus verbenę cum pauco vino, conſerua facta ex radicibus apij, aut ex floribus tamariſci: vinum, in quo maduerint per noctem tres, vel quatuor bugloſſę radices.* Item hora acceſſionis hauſtum aquæ roſarum, quod ſpurijs ex vſtione ex vſu magis eſſe cenſeo.

De Febre ſanguinis, & de reliquis continentibus.

Sanguinẽ putreſcere poſſe.

NI nos turbaſſet opinionum varietas in conſtituenda febre ex ſanguine putreſcente, proculdubio ipſa rei ratio eam videretur facilè probare. Quis enim negare poterit, *ſanguinem poſſe putreſieri?* & ſi ex aliorum humorum putrefactione febres ſuccenduntur, quid eſt, quod vetet, dum ſanguis putreſcit, non etiam prodire febres. Certè intellectus quãuis errabundus in opinionibus vagetur, nequit huic veritati non aſſentiri. Sed adeo hanc rationis firmitudinem ex Neotericis Medicis nonnulli, quibuſdã Galen. & aliorum antiquorum prauè intellectis lo B cis, interturbare ſtuduerunt, vt neceſſario cogamur breuibus quibuſdam rationibus rei huius veritatem firmare, & clariùs enodare, ſi prius in memoriam reuocauero continuarum, & continentium febrium differentias.

Cõtinuaſe bris quę dicatur.

Continua enim febris ea dicitur, quæ ægrotantem non deſinit, donec ex toto ſoluatur, *vt Galen. placuit 2. criſ. cap. 6.* Quam ſanè eſſe duplicis naturæ conſpicimus: Vnam, quæ ſenſibiles habet remiſſiones, ſtatis diebus, nomen continuæ obtinentem, habet tamen maiorem exacerbationem tertio quoque, vel quarto quoque, aut ſingulis diebus, iuxta humoris putreſcentis naturam: fiunt tamen in eis prædictæ exacerbationes, quia à maioribus ad minora vaſa tranſmittitur humor. In qua quidem re exiſti C mat Ferdinandus à Mena, magis poſſe creſcere, ſi à minoribus ad maiora vaſa fiat tranſmiſſio, quod ſanè nos quoque cõcederemus, dummodo ſtatuamus, eo tempore non continentes, ſed continuas febres fieri.

1. Periodica.

Alio equidem *modo* continua dicitur, quæ præter id, quod ſemper affligit, vt prima, nullam habet periodi ſenſibilem remiſſionem, quam *continentem*, ſeu *ſynochum*, ſicut primam *continuam*, ſeu *ſynochus* appellamus.

2. A periodica, ſeu Synochus.

Synochon verò in tres alias ſpecies diuiſimus, eò quod plus accendatur humoris, quam reſoluatur, aut Contra, aut Aequaliter: quo fit, vt primam *Creſcentem*, ſecundam *Decreſcentem*, & tertiam eundem tenorem *Seruantem* appellauerit Gal.

Synochorum tres ſpecies.

Quarum omnium, quæ propriæ, & exquiſitiores habẽdę ſunt, D ex ſanguine generantur: ſicut ſpuriæ, quæ ex copioſiori bile in vaſis maioribus originem ducunt. Sic enim ex ſanguine duplex febrium genus ſuboritur, vno tantum nomine *Synochi* contentum, eo quod omnes huius ſortis febres, *vt ex Galen. conſtat 2. de different. febr. cap. vltimo*, nullam exacerbationem habeant, ſed earum omne tempus vnica acceſſione finiatur.

Febriũ ex ſanguine duplex genus.

Primum ſanè earum genus eſt, quod fit ab inflammatis humoribus, aut ſanguine ſolo, quos arteriæ, & venæ continent, præſertim maiores, & quæ inter alas, & inguina clauduntur. 1.

Secundum vero ab eiſdem humoribus, non iam ſolum inflammatis, ſed putreſcentibus, ſiue omnes ſimul, ſiue ſanguis ſolus, cũ vno è reliquis creſcente putreſcant: quarum differen E tias, & naturam abundè præcedentibus libris expoſuimus. Verum vt ſubſit liberior diſputationi propoſitæ locus, primo me ab ea febre, quæ ex efferueſcenti fit ſanguine, expediam. 2.

Febris ex efferueſcẽti ſanguine cuius naturę ſit.

Ea etenim febris, quæ ex efferueſcenti ſanguine prodit, mediæ proculdubio eſt naturæ inter omnes febres: nam primo ab interpolatis diſtinguitur continuitate: à continuis, quæ proportionem habent, diſſidet, quia vnicam habet acceſſionem à principio ad finem: atque cum ſanguis ſit inflammatus à febribus ephemeris, quæ ex ſpirituum inflammatione prodeunt, diſſidet, & ab hecticis ſubiecti etiam ratione. In qua febris etiam ſpecie dubitandum eſt, an neceſſum ſit ſanguinem, vtcunque vehementer calore correptum, conuerti in bilem: ſiquidem in reliquis febrium generibus, quæ ex bile, & pituita fiunt, etiamſi propter viciniam ſanguis plurimum incaleſcat, nõ

ob

ob id in bilem, aut atram bilem mutatur, neque rursus in inflammationibus idem sanguis protinus bilescit, sed vel exuritur, *vt in carbone*, vel conuertitur in pus, *vt contingit in phlegmone*. Præterquam quod adhuc in febre sanguinis putrescentis, vbi per multos dies exarsit sanguis plurimus, isque integer permanés fluit: ex quo argumento probari potest, febrem sanguinis non protinus biliosam fieri. In qua re statuendum etiam est, non esse omnino verum, sanguinem, qui vritur, aut putrescit, verti protinus in bilem, & melancholiam, idque non solum ex parte sanguinis, sed etiam ex parte caloris agẽtis. Nam calor, qui sanguinem aggreditur, vel putrefacit, vel vrit, aut in feruorem, & incalescentiam ipsum ducit: quo fit; vt experimento, & ratione verissimum sit, sanguinem, qui B putrescit, non posse verti in prædictos succos. Quod probatur primo, quia calor præter naturam solum habet naturalem calorem corrumpere, quo miscibilia separantur, & ad antiquam naturam elementorum reducuntur, non quidem generatur denuo bilis, sed necessario omnia, quæ in viuentibus putrescunt, in limum, & cinerem, *vt refert Aristot.* commigrant: nisi velis dicere, ob putredinem discedere bilem à melancholia, cum vtraque substantia sit in massa appellata sanguinaria. Quod sanè si ita consideres, euidentissimum est, non habere veram putrefactionis rationẽ, sed solum separationem componentium. At putrefactio mixtioni, quæ ex elementis fit, opponitur, non quidem mixtioni, quæ fit ex humoribus sanguinariá C massam constituentibus. Nam pari ratione res se habet in putrescente carne, quippe non separantur in ea humores, quibus constat, sed in partes discedit elementis correspondentes, nimirum in *limum*, & in *cinerem*. Quod si dixeris, in massa esse omnes humores sub propria forma, non tamen ita in carne, scito, separationem illam non esse veram putredinem, cuius natura est, solum veræ, & primæ mixtioni opponi, vt quæ omnem generationem antecedat. Quapropter statuendum est, non posse quæ putrescunt in massa sanguinaria, mutari in bilem, & melancholiam. Nec sat est, interim dum efficitur putredo, hæc fieri, nam putredine facta, certum est, non posse contingere, vt probant prædictæ rationes: cui dubitationi dicimus, D longè minus posse fieri, dum fit putredo, quia nondum sanguis degenerauit à propria natura. *Secunda* probatur, longè minus posse fieri bilem, aut melancholiam, dum sanguis supra modum vritur, quia necessum est, partes humidas, & tenues, ex quibus bilis debet fieri, resolui, & euanescere, ac ex consequenti non erit materia ad bilem generandam, licet fiat melancholia, aut, *vt rectius loquar*, atra bilis: nam euidentissimum erit, nunquam posse per assationem fieri ex sanguine atram bilem citra simultaneam bilis generationem, quod nemo concessit vsquam, aut si fit, eò est, quòd omnino in vstione tenuis sanguinis pars corrumpatur, & euanescat. Quippe hæc est differentia inter putredinem, & vstionem, quod in illa li- E cet separatur humidum à sicco, ambo tamen manẽt; in hac vero separatur humidum, ac tenue, cæterum corrumpitur, solo manente crasso; quo fit, vt ex sanguine superassato fieri non possint bilis, & melãcholia. Superest tamen *Tertio*, quod solum, dum sanguis incalescit, & concitatur feruore, mutari possit in bilem, & melancholiam, id quidem duobus modis: *Vno* ex sanguine, prout est quartus humor; cuius tenues partes calor (*vt de more habet*) à crassis, & dissimilibus separat, præstita tenuibus biliosa natura (*quippe dulcia amplius recocta redduntur amara*,) & crassis melancholica: nam crassa separata à tenuibus redduntur austera, vel acerba. Secundo vero separata bile, quæ est in massa sanguinaria à melancholia, quod calor optimè citra putredinem valebit efficere, crudis etiam partibus correctis, & concoctis,

Febris sanguinis nõ protinus fit biliosa.

Putredo, & vstio quid differant.

Sanguis duob⁹ modis mutatur in bilem, et melãcholiã.

A Quod si diutius incalescat, in feruoremque agatur, non separans (*vt dictum est*) partibus, & ad earum separationem resoluto, & euanescente innato calore, tum quidem calor ipse innatus corrumpitur, vitiatur, & infirmior factus putredinem concitat, vt non raro comperimus in continente citra putredinẽ, quæ in putridam commigrat ex effereuescentia. Itaq; maiori ex parte ex febre sanguinis citra putredinem, prodit mutatio ipsius in bilem, & melacholiam, nisi mutatione in putridam præueniatur: atque hæc de prædicta controuersia sufficiant.

Generatur autem hæc febris ob probibitam ventilationem, & humorum calidorum retentionem, ab ambientis frigore repente ingruente, ex ira, & vehementibus laboribus, ac ijs omnibus, quæ vel calorem inferre possunt, vel naturalis caloris influxum impedire, dummodo à moderatione nondum deuiauerit sanguis, nam aliter in putridam incidet. Cohibetur autem halitus, & non euentatur calor sanguinis ob cutis constipationem: constipatur autem (*vt dictum est*) ex frigore externo ob sordes cutis, ob balnea adstringentia, aut obstruentia, vel eiusdem naturæ pharmacis. Non euentatur etiam ob nimium feruorem ab æstu, vel ira commotum, ob nimiam ipsius sanguinis copiam, aut crassitiem, aut ob carnis, vel pinguedinis molem, tandem ob alias caussas, quæ calorem (*citra putredinem*) concitare natę sunt, aut sanguinem adaugere. Quippe augetur facilè sanguis in C his, qui carnoso, & denso corporis habitu sunt, præsertim si liberaliter nutriantur, alimentis vberiorem sanguinem generantibus, carne multa, vino copioso, & generoso, aut lacte: item si intermissa sit aliqua sanguinis euacuatio, aut suppressa, si consueti exercitij intermissus sit modus.

Continentis febris citra putredinem caussa.

Nosces autem hanc febris speciem, si calor multus adsit, mitis, & vaporosus, *vt Galenus docet 2. de different. febr.* adest quoque faciei rubedo, oculorum, & temporum venarum inflammatio, pulsus magni, veloces, frequentes, & æquales, vrina sanorum nimis simillima, & laboranti adest solita tolerantia.

Signa.

Nisi sanguinis missione coerceatur hæc febris mox à principio, plerumque maximum promittit peD riculum suffocationis, vel syncopis, vel ne sanguis in pulmonem, aut thoracem confluat, ni periculum natura adimat sudore, aut sanguinis narium fluxu, *vt Galen. pollicetur 9. method. cap. 4.* quod plerumq; quarto die solet accidere, *vt etiam constat ex Gal. 3. de crisib. cap. 4.* licet ad 7. vsque aliquando protrahitur, *vt Gal. aduertit 2. de differ. febr. 11. & 2. de crisib. cap. 6.* quod si hos effugerint, certum est in putridam migrasse. Curandi vero rationem, cum communis sit cum ea, quæ sanguini putrescenti debetur, in eum vsque locum differo.

Præsagiũ.

Curatio.

Altera verò huius febris species, quam ex sanguine putrescenti arbitramur fieri, maiorem infert dubitationem apud eos, qui perperam Galen. mentem E intelligentes, ipsum falsitatis, aut varietatis accusarunt. Mirum profectò videtur, cur in dubium reuocatum sit, senserintne Galen. febrem ex putrescente sanguine generari, cum eam tories expresse, & in proprias differentias secuerit, & curationem instituerit, *vt 8. method. cap. 3. & 2. de different. febr. 2. & 11. ac 3. de crisib. cap. 4.* maximè cum huic sententiæ nunquã contrariam statuerit, præsertim cum Hippoc. harum etiam febrium recordatus, statuit *6. popu.* febres quasdam valdè rubentes esse. Verum si quis velit, vnde litium duxerit, nosse, expendat, hæc tria apud Gal. & Medicos omnes rata esse, & firma, nimirum, sanguinem posse putrescere, & febrem excitare, *vt locis citatis aperte monstrat Gal.* Secundum, febrem hanc nulla periodorum ratione distingui, *vt 2. de different. febr. cap. 11.* Galen. testatur, quia febris hæc vnicam tantum habet accessionem, *vt ex eod. 2. de different. febr.*

Febris ex sanguine putrescente quę sit, & cuius naturæ.

febr. & 9. method. apertè colligitur: ex quo constat, periodicam non esse. Tertium vero & vltimum est, omnes periodicarum febrium ideas ad tres tantum referendas esse, *vt 2. de different. febr. cap. 3. & 2. crisium cap. 12. colligitur*, nimirum ad biliosam, pituitosam, & melancholicam. Tunc sic oritur dubitandi occasio: quippe cum quærat Galen. *2. de different. febr. capite 9.* num putrescens alicubi (nam in maioribus vasis continentem generat) sanguis distinctam à prædictis periodis febrem accendat, nimirum si extra venas pulsus incitetur, ad quam periodorum formam teneatur pertinere, cum necesse sit, earum trium aliquam imitari: in quo euentu concludit, ab inflammationibus febrem excitatam, tertianis circuitibus repetere, & idcirco biliosam esse, quod ocyus in bilem sanguis, cum exuritur, commigrat, quam in quemuis alium humorem. Hic enim multi arbitrantur Galen. opinari, nullam ex putrescente sanguine accendi, sed eum protinus in bilem commutari, omnemque febrem biliosam esse, si à sanguine prodeat. Ex prædictis etiam locis prodit, Auerro. *2. collig. 23.* existimasse, Galen. sibi in hac re non constare. Verum si quis Galenum diligenter expenderit, reperiet *2. de different. febr 9.* de synochis, & his, quæ continentes sunt, & vnica accessione finiuntur, non fuisse locutum, cum scribit, *febres ex sanguine putrescente ad tertianas referendas esse*, sed solum de his, quæ in vasis minoribus fiunt, humoribus missis à maioribus ad minora. Quippe in maioribus non solum sanguis per accessiones non repetit, verum neque flaua ipsa bilis, cum in vasis maioribus putrescit, tunc enim nomen *synochi* sibi vendicat. At cum in synochis febribus sanguis in venis maximis putreat, non opus erat periodorum rationem exquirere, sed vbi longè à corde putrescit, si febrem accendit. Qui tempore de sinte, & natura tertianarum fore fatetur. Quia cum sanguis (*vt ipse refert 4. de sanitate tuend.*) mediæ sit naturæ, si febrem excitaturus est, necessum potius erit ad calorem, & bilis naturam, quam pituitæ (*cum in medio vtriusque sit*) accedere, calfaciēte caussa ipsum ad putredinem agente. Ex quibus omnibus constat, Galenum non negasse, febres ex sanguine putrescente fieri posse, easque esse continentes, & nondum in febres alterius naturæ mutari (*etiamsi ipse sanguis ob impensum calorem eo modo, quem diximus, mutetur in bilem, & melancholiam*) donec, vel bilis, vel melāncholia denuo putrescant, aut si non putrescunt, in alios affectus biliosos, aut atrabiliosos degenerent. Item coniectandum est, Galenum ipsum quæsijsse, dum is sanguis in vasis minoribus putrescit, cuius naturæ periodum seruare teneatur, adstruxisseque tertianam: neque ob id credēdum est voluisse, omnem febrem ex sanguine esse biliosam, siquidem non ob id sequitur, non posse dum putrescit, & nondum in aliorum naturam migrauit, febrem excitare. Nam aut febris, quæ eo tempore fit, dato quod fieri possit, ex bile, quæ tunc generatur, principium sortitur, aut ex ea, quæ ante putredinem genita est, si ex hac tunc sanguis non putrescit, sed bilis: si vero ex ea, quæ in sanguinis efferuescentia fit, cum illa ante efferuescentiam non sit, non poterit febrem sui generis efficere, ac per consequens superest, ex solo sanguine putrescente fieri eo tempore, cum in vasis maioribus, etiamsi bilis abundet, & putrescat, propriam periodum seruare non poteris; in minoribus vero, aut extra venas ipsas mirum non est, si bilis, quæ vel copiosior generatur, vel facilius succendatur, sanguine efferuescente, vel putrescente, accessiones tertianas delineet.

Continentem febrē ex sanguine in maioribus vasis putrescente fieri Gal. nō negauit.

Primo quidem proficiscitur in sanguine putredo ab eisdem caussis, quas superius retulimus, dum modo adauctiores, & vehementiores sint, & ea, quæ per spiratu prohibentur fuliginosa deteriora exsistant, & acriora; commutatione ergo natiuus calor à fuligine retenta, acrior factus alterabitur ad caliditatem præter naturam. *Præterea* humores, qui motum caloris, & spirituum sequi solent (*est enim spiritus, calor, & sanguis vnum subiectum*) iam non perflantur, neque mouentur libere, quo fit, vt peculiarem quendam præter naturam calorem contrahant, & ab alteratis calore, & spiritu alterentur. Tria ergo iam concurrunt, quæ sanguinem ad putredinem mouent, impedita nimirum transpiratio, calor natiuus in igneum mutatus, & motus humorum priuatio, iuxta illud vulgare theorema, *Corpora calida, & humida, loco calido conclusa, nisi difflentur, statim putredinem acquirunt, vt constat ex Galen. lib. 8. method. cap. 7. & 4. de sanitate tuen.* Quæ sanè omnia accidere facilius consitat hominibus gustui indulgentibus, sanguine plenis, in ventibus exercitatis, qui sanguine nimis adaucto calori se exponunt, & iræ, maximè si his omnibus accedat non solum cutis densitas, sed etiam interior obstructio, quæ tenues iecoris, habitusque corporis venas infarciat ab impactis humoribus multis, lentis, & crassis, vel putredinoso aliquo habitu.

Continentis febris ex putrescente sanguine caussa.

Signa.

Cognosces omnes ex putrescenti sanguine febres ortas, quia qualibet statim primo manus accessu mitis, & suauis existit, talisque perseuerat, nisi putredo plurimum intendatur, quo tempore acritudinem præfert. Item magnitudine, & vehementia, calor à synocho citra putredinem dissidet. *Vrina* adest subrubra, crassa, turbida, aliquantulum ad liuorem vergens, fœtetque, & nullo sedimento est prædita spirandi difficultas. *Pulsus* habet magnos, celeres, & crebros, in quibus velocior est contractio, ob vaporum, qui à putredine eleuantur, copiam: quod proprium est putridarum, *vt ex Gal. 1. de diff. febr. 7. apertè colligitur:* adsunt etiā pulsus inordinati ob materiæ grauantis vbertatem: dolet, ex lassitudine grauatiua corpus premitur, item & caput cum tumore, & rubore oculorum, & venarum faciei.

Presagiū.

Sic affecti periculo non vacant, sicut hi, qui non putrida laborant, maximè si alui fluxio succrescat à morbi principio, nam vires ita absumit, vt postea coctioni non sufficiant: quo fit, vt frequenter in malignam febrem degeneret, interdum maculis latioribus, & eminentioribus soluitur, si signa præcesserint coctionis; sin aliter, graue, & periculo plenum existit. Verum cum triplicis sint differentiæ febres, quæ hac via inuadunt, eam inter cæteras periculosiorem arbitramur, quæ semper crescendo procedit, sicut securiorem, quæ decrescendo; & reliquæ periculo non vacant. Finiuntur 4. die aliquando, *vt 3. crisium Gal. docuit, cap. 4.*: quod si eā die signa coctionis incipiant apparere, septima die crisis futura sperabitur, quæ salubrior erit per fluxum sanguinis narium, licet proficua per aluum, & per vrinam etiam habeatur: verū si sexta die accidat, quantumuis præcesserint coctionis signa, infida erit iudicatio, vt Galen. docueras 1. *de diebus decret. cap. 4.*

Curandi ratio.

In vtraque febre, tam ea, quæ ex putredine, quam quæ sola sanguinis efferuescentia fit, eadem medendi ratio, & eisdem occasionibus præstita proficua censetur, præterquam quod in putrescente copiosius sanguinem (*quod nondum nacta sit cacochymiam, & maiori polleat calore, ac vrgentiori periculo, & valentes sint etiam in ea vires*) mittere opus erit, nec non intensiore alteratione, & copiosiore purgatione sic affecti indigent; hoc præcepto in omnibus asseruato, vt citò præsidijs subueniantur, alioqui periculum est, ne ocyssimè suffocatio, vel syncopis accidat, præsertim si febris sit ex his, quæ incrementum suscipiunt (*nam hæ inter reliquas sui generis deterrima sunt*) ob id quidem triplex erit medendi ratio. *Prima*, quæ suffocationis periculum, & syncopis etiam adimat. *Secunda*, quæ prouideat quo minus in aliam febris speciem dege-

degeneret. *Tertia* vero, quæ calori (*maximè si causo- nidis naturam retulerit*) commodum auxilium præscribere docet, prius tamen, qualis vitæ, & victus ratio, & modus institui debeat.

Victus ratio.

Victus itaque ratio sit omnino refrigerans, & humectans, tenuis tamen & paucioris nutrimenti. Huius naturæ sunt iuscula pulli refrigerantia, in quibus *lactuca, scariola, oxalis, cucurbita, aut portulaca incocta sint.* Præstant & ex fructibus horarijs, *poma, aut pyra assa, vel lactucæ elixæ cum modico aceto, & saccharo:* potus sit *aqua hordei, vel saccharata*, vinum tamen, carnes, & quæcunque multum sanguinis generant, aut calfaciunt, interdicimus. Quo facto, primū

Sanguis qua ratione, & quā titate in continēte febre ex putredine sanguinis mittatur.

scopum aggredieris, cum enim ex plenitudine, ex cutis densitate, ex suppresso aliquo sanguinis consueto fluxu, vel ex humorum copia febris orta sit, à venę sectione indubitanter curationem (*nisi plus vrgeat cibus nuper ingestus, aut euidens in ventriculo cruditas, quæ cogat prius modicum cassiæ fistulæ præbere: sed si non admodum hæc vrgeant, sat est clysmatis aluum ducere*) nulla facta cunctatione, nam periculo non vacat, auspicari oportet. Quam licet considerato ætatis vigore, & robore virium efficere iubeat Galen. vsque ad animi deliquium, cum hoc tamen melius est iterato sanguinem detrahere, quam conantes Galeni exemplo febrem iugulare, laborantem quoque iugulemus. Tantum enim à principio detrahes, quantum visum fuerit satis, & quod superest, extrahes. Nam, vt probat Auerroes 7 *collig.* 8. natura nūquam educit sanguinem vsque ad syncopen, nisi symptomaticè id fit, vt neque Medicus id teneatur efficere. Cum hoc tamen in hac febris specie audacius sanguinem detrahere oportebit, quam in quauis alia, rarò enim nisi viribus robustis existentibus huiusmodi febre, succrescunt: quo solo præsidio plures sanitati restitutos experimento prisci auctores asserebāt.

Continens febris semper sanguinis missionem desiderat, a quæ vero potum nō nisi præcedente coctione.

Verum cum 9. *method.* & *mille alijs in locis* ex professo doceat Galen. hæc duo esse maxima febrium continentium remedia, nimirum sanguinis missionem, & frigidæ potum, illud quidem omni tempore fieri desiderat, dum factum non est; hoc vero non nisi coctione apparente, vel calore plurimum exacerbato. Quod si sanguis pro virium robore sufficienter missus sit, & cum hoc affectio non subsideat, suspicandum profecto tunc est, sanguinem iam biliosum, aut alium succum in consensum euocasse, quo fomentum febris deinceps susceptat, etiamsi sanguinis vitium sanguine misso quieuerit, cui secundus scopus subuenit.

Continentiū febriū materia Cacochymica qualiter, quando & quibus præparanda, & educenda.

Secunda autem indicatio docet, quid agendum sit sanguine degenerante in cacochymiam, aut si incalescat (*vt dictum est*) bilis, & melancholia separentur à consortio sanguinis, quod calor ocyssimè solet efficere, nisi auxilijs præueniatur. Quo sanè casu vniuersa medendi ratio docet, cacochymiam, ex prædicta caloris actione genitam, attemperare, corrigere, & educere: nam ante id expurganti pharmaco vtendum non est. Verum si persenserimus flauæ bilis aliquid iam redundare, & denuo putrefieri, (*ex velociori, & minori pulsu, ex acriori calore, ex vrina intensè ruffa, & quæ ad croci colorem tendit, ex lingua arida, sapore quodam amaro imbuta, ex vigilia, ex capitis dolore citra grauitatem, ex anxietate, & inquietudine insolita, & alijs quæ flauam bilem attestantur*) tunc profecto apozematis, & syrupis humor mitigandus contēperandusque est, donec apparente coctione, expurgāti pharmaco vtamur: aut vt Auerroes 7. *collig. cap.* 8. præcipit, si calor & sitis nimium vrgent, non exspectata coctione, potum frigidæ porrigere: satius enim arbitratur (*ni viscerum obstructio vetuerit*) morbum protrahere frigidæ potu, quam ingenti calore virtutem permittere dissipari. Ni velis antea laboranti indulgere succo acido *citri saccharo conditi*, & diluto co-

A pioso aqua frigida, vel *syrupo violarum, rosarum, aut acetoso simplici.* Et si his factis vltra quartum, aut septimum affectio protrahatur, *syrupum acetosum* porriges cum modico *violaceo, oxysaccharum intybi, buglossæ, oxalidis, & portulacæ*, vna cum aquis stillatitijs, aut decoctis ex *hordeo, saccharo, vel cucurbita.* Apparente igitur coctione, rhabarbari infusi in sero lactis, vel in liquore nouem infusionum *rosarum* ℥. 1. & ß. porriges, cum modico syrupo ex *nouem infus. violarum.* Vel præstabis *mannæ electæ* ℥. 2. & ß. *dissolutæ in prædicto rosarum liquore, aut in expressione rhabarbari, facta in sero lactis, vel aqua cichorij.* Interim tamen dum hæc & reliqua fiunt, clysmatis emollientibus, & attemperantibus vteris, saltem tertio quoque B die, cum laborans it dormitum. Quod si melancholici, vel atrabiliosi humoris aliquid superesse nobis sit compertum, diutius præparare oportet, tardiusque & maturius purgare, præsertim si primo morbi accessu vsus fueris leui aliquo expurganti.

Quo facto, in vtraque febre, siue biliosa, siue cuiusuis alterius cacochymiæ, perseuerante adhuc calore febrili, tertia indicatio iubet, *saluatellam* manus dextræ, aut sinistræ, si succum melancholicum abundare persenseris: deinde ad corporis refrigerationem te conferes, adhibens ea medicamenta, quæ excalfacta viscera attemperent, & roborent. Quem vsum præstant *saccharum rosaceum cum aqua hordei*, vel id q. C ℞. *pulueris electuarij, trium santalorum* ℨ. 1. *trochiscorum de spodio* ℈. 2. *coralli rub.* ℈. 1. *conseruæ rosarum* ℨ. 3. *sacchari albi dissoluti in aqua rosarum*, q. s. vt fiat confectio in orbiculis, cuius præbe ℨ. 2. *cum aqua oxalidis.* Aliud etiam conficies, q. ℞. *conseruæ rosarum, & buglossæ, ana* ℨ. 2. *pulueris diamargariti frigidi, & trium santalorum, ana* ℨ. ß. *puluer. corall. rub.* ℈. 4. *puluer. cristall.* ℨ. 1. *sacchari albi dissoluti in aqua rosarum* q. s. vt fiat confectio in orbiculis. Renum quoque regionem & dorsum temperabis vnguentis, & inūctionibus, quæ sequenti cap. recensebo: quo etiam loco reperies epithemata, quæ thoraci, & iecori adhibita mire profuisse comperimus.

D

De febre ardenti, & de reliquis continuis.

Ardentis febris, seu causi natura.

Est quidem febris ardens inter omnes ex continuarum genere exurentissima, & calore, ac siccitate pollens, qua ratione ab Hippocr. passim *ignis* nomine insignitur, *vt 1. popul. comment.* 3. in historia Sileni, & vxoris Philini conspicitur. Quapropter à flagrantissimo ardore *causus* appellata fuit: quāquam non solum febris ardens de vero causo intelligatur, sed etiam de febre qualibet vehementissima, vt de synocho vtraque, & maximè de ea, quæ ex flaua bile oritur, vt ex Galen. constat 1. *popul. part.* 1. *comment.* 37. Est denique morbus tertianæ exquisitæ finitimus & eiusdem naturæ, tantum ab ea dissidens, quòd in E hac bilis syncera per minora vniuersi corporis vasa deferatur; in causo enim bilis in maioribus vasis efferuet, *vt 2. crisium Galen. cap.* 3. *aduertit.* Prodit tamen hæc differentia inter tertianam continuam, & causum, dum vtraque febris à flaua bile oritur, quod in causo putrescat in venis maioribus, & cordi propinquis, aut ventriculo, aut pulmoni: quo fit, vt præter id, quod ardescit, ex synochorum sit parte, vt Galen. *docet 2. crisi ca.* 6. cuius nulla est remissio, aut quā parcissima, cum hoc tamen arbitrandum est non esse legitimam continentem, sed spuriam iuxta statutam antea doctrinam: at in tertiana continua bilis putrescit in minoribus, & à corde dissitis: quo fit, vt accessionum habeat remissiones, licet ex toto nōn soluatur. Cum hoc tamen certum est, in venulis paruis causum quoque succendi, dum venulæ non sint in ambitu corporis, sed in visceribus cordi, aut iecori, vel ori ventriculi proximis, nam in his quoque partibus

Ardens quid differat à tertiana continua.

2. tibus extrema vasorum adsunt. Differunt etiam, quia A tertiana continua plerumque fit à diluriori flaua bile, quæ ad incendij locum alternis diebus conscēdit, & facilè conflagrat: causus vero à perniciosa, & retorrida bile, quæ succensa maius incendium suscepiat. Conueniunt tamen, quia sicut tertiana continua spuria aliquando succrescit, ita & causus illegitimus quoque efficitur. Sed in hoc etiam iterum differunt, quia continua tertiana spuria efficitur admixtione pituitæ, aut melancholiæ: at causus non sic, sed alio modo: Quod intelliges, si animo conceperis duplicem esse causonis speciem: *Vnam, quæ exquisitum* complectitur: reliquam vero, *quæ non exquisitum*. Ex quisiti causonis species duplici differentia discecatur, *vna* est cuius meminit Hippoc. 4. *acut. text.* 1. dicens: B *Causus, id est, febris ardens, fit cum venula exsiccatæ tempore æstiuo acres, & biliosas, quæ tenues sunt, ad se trahunt humiditates, quas ichores vocant.* Quod etia dogma protulerat Galen. *lib.* 1. *popul. par.* 2. *comment.* 25. dicens, quod cum præ nimio æstu, aut labore paruulę venæ exsiccantur, aut ichorosas humiditates ex vicinis partibus trahunt, si putrescant, hoc causi genus concitare valent. Quod proculdubio intelligendum esse censeo de venis minoribus, quæ in visceribus, aut propè ipsa, non in his quæ iuxta cutem sunt, *vt antea dictum est.* Altera rursus causi exquisiti differentia est, cuius meminit Galen. *lib.* 2. *crisi. cap.* 6. & 4. *aphorism.* 9. vbi ex professo docet, quod si humor biliosus in vena caua, & reliquis latioribus venis prope cor, C aut simul in omnibus putrescat, ardentem proculdubio efficit febrem, atque exquisitam, de genere tamē continentium, vt ardentem etiam arbitratur esse cōtinentem omnem. Quod latissimè probauerat Gal. *loco citato* 2. *crisi. cap.* 6. dicens: *Cum vero neque declinatio sensibilis fiat, semper verò à principio febris vsq; ad crisim similis perseuerauerit: erit & hæc de genere febrium ardentium, ab eisdem acutis tamen differt.* Sed inter se longissimis interuallis distident hæ duæ ardētes exquisitæ, nam prima species fit in venulis paruis, & ex tenuibus humiditatibus. Secunda vero (præter omnem continentis formam) præcipuè ex flaua bile, & in maioribus, aut retorrida existente in pluribus, aut ex vtraque in venulis iuxta aliquod membrum D princeps, *vt pulchre aduertit Galen. lib.* 1. *popul. part.* 2. *comment.* 9. vbi ita scribit: *Verum ante ver, cum subito præter morem Aquilo spirasset, eisque ad interiores corporis partes impulisset humores, tenuissimus primus fluebat, itaque febrem ardentem induxit. Neque in quibuslibet corruptus partibus febrem potest humor hic excitare ardentem, verum circa ventriculum, & huius præcipuè os, circaque recinoris partes simas:* & idem etiam probat *eodem lib. part.* 2. *comment.* 20. & *part.* 3. *comment.* 14. Item in prima siccitas maior, acrimonia, atque mordacitas; in secunda autem maius incēdium, hoc quidem ob materiæ coarctationem, & lo cum cordi vicinum; illud vero ob prauam materiæ naturam: cum hoc tamen refert Gal. 2. *de different.* E *febr.* eam esse potissimum ardentem febrem, quæ ex flaua bile principium sortitur, siue in magnis vasis, siue in paruis existat, quam tamen referendam esse cēset ad tertianam continuam, aut ad continentem biliosam. Cæterum vt verè ardens dici mereatur, & ab alijs dissideat, bilem ex qua oritur, deterioris esse conditionis oportet, & magis ad adustam naturam vergentem. Febris etiam ardens spuria duplex existit, vna ex salsa pituita, cuius meminit Hippoc. 4. *acut.* 13. dicens: *Causi genus aliud aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa:* qua quidem parte Gal. asserit, hanc febrem originem trahere ex salsa pituita, si in ventriculo, aut hepate, aut pulmone putrescat, *vt eodem* 4. *acut. comment.* 6. Galen. expressit, quæ eo exquisita censeri non debet, quia vteos calor (*pathognomonicum alioqui causi signum*) in ipsa reperitur, ob pi-

Id quibus cum tertiana con veniat.

3.

Causi exquisiti species duæ.

1.

2.

Quid inter se differant ardentes.

Febris ardēs spuria duplex.

1.

tuitæ natiuam conditionem, licet ob salsuginosam naturam, cui additur calor febrilis, ingens adsit, & implacabilis sitis. Altera vero illegitimi causi species 2. est, ea febris, quæ ex internorum viscerum inflammatio nibus succrescit, *vt de pleuritide, peripneumonia, & oris ventriculi, aut iecoris inflammationibus fertur.* Atque hæ sunt omnes febrium ardentium sortes, & peculiares conditiones.

Cæterum continuarum febrium natura, licet præ- dictis similis existat, intensione tamen, & vehementia longè dissidet ab ardentibus, tum quia continuæ ex omnibus humoribus fieri possunt, tum quia per exacerbationes repetunt, tum vero quia in vasis minoribus, & ad extimas corporis sedes, & partes etnos sas fiunt, præterquam quod caussas non habent vehementissimas, vt causus. Solum enim quatenus pertinet ad generis naturam, vnicam habent omnes eorum munem curandi rationem: ob id hac in parte tantū expendisse oportebit, febrem hanc ardentem exposcere diligentiorem, & efficaciorem curationem, licet vnica sit omnium medendi ratio, *vt cap. de generali medendi via latius adduximus.*

Cum genus hoc mali non vnica constet natura, & sorte, sed multigena, & varia, certum quoque est diuersas sortiri caussas. Sic enim quatenus ad materiales caussas attinet, legitimus causus, & qui apud Galen. exquisitior est, vel ex sanguine, vel ex omnibus humoribus qui continentem febrem concitant, proficiscitur, maximè ex flaua bile in vasis maioribus putrescente, vel ni bile putrescente in pluribus vasorum partibus, cæterum non ex flaua, aut miniori, vt præcedens; sed ex adustiori, & retorrida, aut vitellina, vel æruginis præternaturalis sortis. Altera autem causi legitimi species, cuius Hippocr. potissimum meminit, ex tenuibus, ac ichorosis humiditatibus non quidem vtcunque dispositis, sed perperam affectis, quas æstiuum tempus, aut exurens, & exsiccans caussa prauè disposuit: quibus profectò in exilibus venis reconditis facilè succrescit ingens putredo, & calor exurentissimus, tum ratione suæ substantiæ, tum vero ratione loci. Causi vero illegitimi prima species, quæ ex salsa pituita principium sortitur, materiam habet, non (*vt vulgo fertur*) ex bile, & pituita admixtam: quippe id frequentissimè contingere scimus (*citra id quod febris ardens generetur*) in spurijs tertianis, & in continuis, quæ spuriæ sunt, & ex vtroque humore constāt, citra vllum salsuginis sensum, nec adeo grande incēdium: sed arbitrandum est, hoc causi genus solum fieri ex tenuissima pituita, quæ principium vitionis, aut putredinis sortita, admiscetur multis, & prauis ichoribus ex bile flaua exortis, vel ex alia ex præternaturalibus. Quo fit, vt tenuis illa, & nitrosa, aut actis, & mordax substantia, pituitæ putridæ, aut aliter vitiatæ admixta, facilè dum putrescit (*maximè in vasis prope cor*) hoc suū febris genus concitare possit, quod alioqui pituitæ naturæ est aduersissimum: quod profectò fit, quia maiorem habet huius deterrimi humoris miscellam, quo facilius sese insinuat humor in ab ditas corporis, & membri vbi adest, partes, & ob pituitæ lentorem fixius adhæret, & ex ratione efficacissimè torquet, & afficit. Vltima vero illegitimi causi sors eam materiam nanciscitur, quæ internam inflāmationem vbi oritur efficit.

Hæ habitis, proficiscitur, ac concitatur, vbi aliquis prædictorum apparatuum in corpore fuerit, hoc genus febris à mille rebus externis, quæ non cutis densitatem, velut in reliquis inferant, sed humorum, & totius corporis ingentem calorem, & efferuescentiam. Sic feruentissimus Solis æstus, qualis vigente canicula fit, immodicissimus labor, vigilia diuturna, & molestia, copiosior meracissimi vini potus, ira quæ diu durat, sitis cui non sit suo tempore satisfactum, id mali genus proculdubio efficere habent, *vt* 4. *acut.* 7. *Gal. docet.*

Continua & ardentes quid differant.

Ardētes diligētius curāda continuis.

Ardētes ex quibus oriuntur caussis.

docet. Mouent enim hæc ad maximum calorem corpus,& ab humoribus exsiccant tenuem,& propriam humiditatem,facta ebullitione,& feruore maximo, à quibus proculdubio necesse est, ingentem calorem proficisci, tum propter caussæ vehementiam, tum ob materiæ dispositionem,& pronam ad id recipiendum naturam, tum vero ob vicinitam loci, in quo putrescunt humores, cum corde ipso. Ex quibus omnibus etiam prodit incompescibilis sitis, atque etiam ob ingentem humidi efferuescentiam,& resolutionem.

Causi signa pathognomonica.

Habet proculdubio hoc febrium genus peculiaria duo signa propria,& pathognomonica,quæ complent eius essentiam, eamque commonstrant, vt ex professo docet Galen. 3.*popul.par.3.comment.* 34. nimirum,cauma ingētissimum, & insatiabilem sitim, Quæ profecto adeo sunt huic affectioni propria, vt absque his ardens febris dici non possit, in quibus etiam tertianæ exquisitæ assimilatur, licet vehementia,& magnitudine ab ea dissideat. Præterea hæc febris non incipit cum rigore; quod si aliquando accidat,malignitatis est signum: quinimo rigore frequēter desinit,quod nullis alijs conuenire potest, vt Hippocr.est sententia 4.*aphorism.* 58. Verum vt expendere possimus quantum hæc signa crescant, vt febrem hanc ab alijs sibi similibus distinguant, primo pulsum considerare oportet, nam celerior, & frequētior existit,quam is,qui in febribus à putrido sanguine ortis,aut alijs continentibus repertur,inæqualis magis, & durus, & ob id non æquè magnus, neque vehemens,ob id incendium, *vt ex Galen. euidenter constat* 1.*ad Glauc.cap.*8. Accidit cibi fastidium,iactatio corporis,& ossearia lassitudo,nonnunquam vlcerosa,& mordax, etiam linguæ nigrities ab immodica caliditate prodiens,arida item & aspera,ob ingentem humidi consumptionem, vt ex Galen. constat 1. *acut. tex.*1.dicente: *Fit quoque & lingua aspera,sicca,& valdè nigra*,qua parte alia scribit signa,dicens: *Venter quoque morsu dolet,deiectionesque liquida, ac pallida sunt, ex quibus vigere ingentem sitim proculdubio necesse est.* Adsunt & vigiliæ,atque interdum mentis alienatio,quę proculdubio omnia necessum non est omnibus ardentibus accidere, sed eis quæ exquisitæ sunt: nam ventrem erodi,& biliosa effundi,perpetuum nō est,sed vbi vehemens sit morbus,& acrium,ac tenuium humiditatum motus ad inferna fiat, maximè si in ventriculo, aut hepate sit morbi sedes; nam si in pulmone,potius prodit spirandi difficultas,igneus spiritus,delirium,& quæ de lingua dicta sunt,vt Galen. aduertit 4. *acut*.4. sic si flauæ bili crudus humor, aut pituita salsa misceatur, magna corporis perturbatio, capitis grauitas,& dolor,vrinæ crassæ,& turbulentæ, & non raro conuulsio, sed in summa (*vt reliqua signa,quæ his accedunt,percurramus*) expendēdum est, frequenter illis profluere stillam sanguinis è naribus, partim ex calore oscula dilatante,ea potissimum parte, qua calidæ vstilagines excernuntur exspiratione, partim ex materiæ acrimonia,partim ex tenuitate,siquidem ad supremas partes,quod tenue existit,ascensurum credibile est, maximè quia eadem parte sanguis efferuescit, & ebullitione petit supernas partes, *vt liquet* 1.*popul.par.*2.*tex.*62.*&* 66.de quo signo dixerat Hippoc. *In febribus ardentibus, stilla sanguinis narium malum.* Vrina item in hac febre tenuior,quā in febribus ex sanguine ortis cernitur, ruffa, seu flaua,& ignea.

Ardentis febris præsagium.

Sunt etiam præter hæc alia signa,quæ bonum aliquid, aut malum in hoc febrium genere ex propria natura monstrare habent. Primo sciendum est,plerunque causum iudicari,siue ad salutem,siue ad mortem,vsque ad septimum diem, *vt ex Hippocr. videtur constare* 4.*aphorism.* 59. Si tamen accessiones per pares repetant,quarto, aut sexto perniciosæ iudicantur, A *vt ex eodem Hippoc.& Galen.constat* 1.*pop.par.*2.*tex.*75.cum hoc tamen hyeme perniciosior quam verè, aut æstate sit. Sed perniciosa signa sunt,cum rigore incipere, & forsan per inordinata interualla hoc idē symptoma efficere,maximè si cum hoc aut citra extrema frigeant: quippe signum est, ob sanguinis penuriam extrema calore destitui,& emori, vt 4.*aphor.*48.*scriptum reperies*, Item si accidat sudor circa frōtem, sed deterius si sudor frigidus sit: nam syncopin instantem indicat. Pessimum etiam est inuoluntariè lachrymari, vri, & non sitire, fastidire cibos, corpus iactare, profunde dormire, aut diu noctuque vigilare; perniciosa quoque vox clangosa ex gutture resiccato, vt docuit Hippoc. 1.*porrhe.* 13. corporis insolita B grauitas capitis dolor, conuulsio, vel motus tremulus, maximè si accidat vrina existente crassa, quia indicat, ex bilis efferuescentia omnes humores agitari, & admisceri spiritibus, qui ad caput multa vitiosa deferunt. Quod si vrinæ nigræ, paucæ, tenues emittantur, perniciosum quoque, sicut aluum durā esse: item & sanguinis stillam prodire, sicut & alijs febribus malum est, vt ex Galen. constat 4.*acut.comment.*67. Malum quoque desipere,& carpere floccos, aut festucas: solet tamen aliquando causus iudicari salubriter per copiosum sanguinis narium fluxum, *vt* 1. *popul. par.*2.*tex.& comment* 63.*apertè colligitur*, nisi quarta die sit, qua maximè periculosus censetur, minus vero quinta die, quod accidit ijs, quibus sanguis mittēdus C non est, *vt paulo inferius referam*. Iudicatur etiā per sudorem, per vomitum, & per alui deiectionem, *vt colligitur* 3.*cris.cap.* 3. nec non & per abscessum, licet impropriè, *vt monstratur* 4.*acut.* 11.

Ardentes qualiter curandæ.

Atrocissima huius febris conditio, nec differre, vel momenti temporis curationem patitur, nec ab alia indicatione, priusquam ab ipsius caloris extinctione, principium curationis auspicari permittit: sic enim duo maxima auxilia illi solum Gal. præstitit, nimirum sanguinis detractionem vsque ad animi deliquium,& potum frigidæ,&, vt arbitror, vnius tantū vsus gratia proficua: namque sanguinis detractionē potius censeo in hac febre præstitam caussa refrigerādi vniuersi corporis incendium, quam quod adeo lar D giori opus sit in eo affectu, in quo biliosi,& acres humores tot numeris sanguinem superant. Cum hoc tamen censendum est, opus esse in hac febre, quantumuis feruentissima, vacuatione, & maiori adhuc refrigerio,& attemperatione. De vacuatione autem, quæ fit per sanguinis detractionem (nam de ea, quæ fit per expurgans medicamentum, paulo inferius disseram) addubitare oportet, *in curatione huius febris liceatne sanguinem detrahere*: & secundo, *an aliquando citra ipsum sanari possint, aut debeant sic affecti restitui*: & tertio, *si sanguis mitti debet, an expediat ipsum vsque ad animi deliquium ducere,& si subsistendum est citra deliquium, quantum licet euacuare.*

Sāguinem vtrum liceat mittere in febribus ardentibus.

Primæ dubitationi ansam præstiterunt Galen.& alij non contemnēdi auctores, qui humoribus longius à sanguinis natu- E ra recedentibus omnino sanguinis detractionem negarunt. Sic Galen. 4.*de sanit. tuen.* sanguinem mittere interdicit, humoribus citra, aut vltra sanguinem existentibus; nam vtroque sanguine detracto, metus est, ne alieni succi putriores cum sint, vitalem mixtionem dissoluant, idque maximè & ocyus biliosis succis redundantibus: cuius etiam occasione 9. *method.* in quibus amara bilis abundat, à sanguinis detractione abstinet, sicut 4.*de sanit.tuen.* in vlcerosa lassitudine etiam vetat, *vt* 2.*ad Glauc.* in erysipelate,& 4. *method.* in herpete. Quod decretum insecutus etiā *Auicen.*4.1.*cap.*20. ne ægrum sanguine misso ad duarum rerum vnam perducat, aut biliosorum nimirū ebullitionem, & ob caussæ naturam, ad frigidorum cruditatem. Præterea inter symptomata, quæ causo correptos solent male afficere, vnum est immodicus sanguinis

guinis oarium fluxus,cuius ratione dixit Auicen.*cap.* A *de curat. causi*: *Et oportet vt caueatur in eis superfluitas sanguinis narium, est enim de eis in quibus magnificatur timor apud eos.* Si igitur sanguinis è naribus fluor (per quem enam natura solet causos feliciter iudicare,vbi scil.coctionis notæ præterierint, *vt cõstat ex Galen.4. acut.cap.10.& 17.*)tam est verêdus,multò magis superfluam sanguinis detractionem cauisse oportebit. Quod profectò optimè dixerat Auicen. his verbis: *Non phlebotomes, fortasse enim phlebotomia inflammabit eos. Verum si fuerit in vrina rubiditas, & turbedo, fortasse phlebotomia iuuabit eos.* Quibus & experimento multi ex auctoribus formidarũt in hoc febrium genere sanguinem detrahere. Verum cum ex Galen. mille in locis constat sanguinem esse B mittendum,idque & vsque ad animi deliquium,dubitatio non parua ingruit, quid nam in re adeo dubia agendum sit: inquit enim Galen.*lib.de sanguinis missione,cap.12.Porro vbi feruentis sanguinis copia acutissimam accendens febrem inerit, confertim vacuare expedit,& vsque ad animi deliquium ducere tentandũ.* Præterea in omni putridarum genere sanguinem esse mittendum consulit *9. method.cap.4.& mille in locis* in ardentissimis febribus sanguinem docet vsque ad animi deliquium mittere. Cæterum vt prædictam controuersiam diluamus, & breuiter dubitationes propositas absoluamus,in memoriam reuocare oportet omnes quatuor causi,quas diximus, species,in quibus licet vna sit communis morbi ratio,tamen ob diuersitatem materiæ,& dispositionis virium non licet C arbitrari, vnam quoque esse debere medendi viam, & rationem. Sic profectò in eo causo,qui tempore æstiuo reficcatis venis accidit ob ichorosæ substantiæ attractionem ,nulla lege licet sanguinem detrahere, tum quod affectio in reficcatione corporis humorũ defectu potissimum sita sit, tum quia vires necessum est hoc casu languidissimas esse,tum etiam,quia humoris natura longè maius habet peccatum in vitio, & cacochymia,quàm in copia:præterquam quod hu mores morbum concitant in vasis minutissimis, & longè distitis à maioribus, & quæ sanguinem contentum facilius vena scissa præbent : quapropter huic deneganda est omnino sanguinis detractio, quod D prorsus alter scopus deficiat, & alijs auxilijs morbus tutius mitescit. At in eo causo, qui ex efferuescente, aut putrescente fit flaua bile in maioribus vasis,de cõtinentium sorte efficitur, siue in paruulis prope aliquod viscus,sanguis quidem mittendus est,sed longè parcius, quam in quauis alia eius specie,& adhuc longè minus in eo,qui fit in prædictis venis minoribus, cuius ratione censeo Auicen. dixisse, *Non phlebotomes,fortasse inflammabit eos,*quod vtilior sanguis facilius extrahatur, quam succus, qui reconditis illis venulis putrescit. At vbi putredo est in maioribus,facilius prædicta quantitas educitur, solum vt minor fiat humoris peccatis copia. Quod optimè docuerat *lib.* E *11.method.*& Auicen.*etiam 4.1.cap.20.* ita scribens: *Multoties præterea phlebotomia in febribus licet necessaria non sit, efficit vt natura fortis fiat super materiã, propterea quod eam efficit paucam.* Quo fit,vt solũ parcè eum liceat mittere,tanquam in affectu, in quo parum est sanguinis,& longè plus bilis. Vbi tamen copiosior etiam sanguis sit,siue ab vtroque,siue ab altero causus fiat, paulo licentiosius licebit sanguinem detrahere : non enim tantum quantum affectio expostulat, *vt Galen.4. de sanit.tuend.*intelligendus venit,dum inquit, *parcè sanguinem esse detrahendum, dũ humores sunt vltra, aut citra sanguinem.* In quo etiam casu Auicen. sanguinis missionem admittit, postquã ipsam negauerat dicens: *Non phlebotomes, fortasse enim phlebotomia inflammabit eos: verum si fuerit vrinæ turbedo,& rubiditas,fortasse iuuabit eos.* Verum si febris ex continentium sit sorte, maximè si ex abundantiore fiat sanguine,aut ex omnium humorum abundantia,tunc quidem audacter sanguinem detrahes,quantum affectionem expostulare visum sit,quia necessum est semper huiusmodi affectionem vahdis, & robustis viribus adiungi : cum hoc tamen non licet vsque ad animi deliquium mittere. Id profectò interdixerat Hippoc.*1.aphorism.3. Neque compressiones (inquit) ad extremum ducendæ, periculosum enim, sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.* In causo vero qui ex salsa pituita oritur, non sat est parcè sanguinem detrahere, sed per aliquod interuallum,si bis,aut ter sanguis mittendus est, quò magis sanguini vterque humor salsam pituitam efficiens admisceatur. At in ea causi specie,quæ ex internorum viscerum inflammatione prodit,liberaliter quoque sanguis mittendus est, quòd humoris natura non tenuat,& expostulet non solum affectionis grauitas, sed dignitas etiam loci, qui periclitari conspicitur.

Causũ medendi ratio diuersa pro diuersitate materiæ & dispositionis virium.

Sanguis qua quantitate in causo mitti debeat.

Licet Galen. non meminerit eius vacuationis in curatione causi, quæ fit per expurgans medicamentum, cum hoc tamen maioris solet esse momenti, & visus, quam sanguinis detractio, quod plerunque humorum corruptela, & virium sanguinem superet, & conspicicet. Quapropter nonnihil de eius vsu dicerédum statui. Sanguine igitur misso, si opus sit, aut secus, in quibus non licet, protinus studendum est, vitiosos humores, antequam reliquos conspurcent, expurgare. In quo casu,vt inquit Auicen. laborantes indiget lenificatione forti in principio : nam cum suopte motu humor faciliter excernatur, cum tenuior, acris, & feruidus existat, lenientibus vti pharmacis ad purgationem sat est. Verum quia copiam eius extrahere, saltem minorare oportet, ob id fortem consulit lenificationem,quæ maiori copia vicem fehgentis suppleat,quo opus esse videbatur in huiusmodi febre. Quamobrem *cassiæ,vel mannæ* debitam quantitatem porrigere oportet *sero lactis caprini,vel aqua ei ebory dissolutam.* Idem præstat beneficium syrupus ex *infusionibus violarum,cum diluto rhabarbari,*maximè si plurimum bilis inundare comperiamus, quod genuinum est huic febri præsidium,idque 1.2.3. aut quarta, & interdum quinta die, iuxta illud Hippoc. *2.aphor.10.in acutis passionibus raro, & c. & 1. aphor. 24.cum morbi inchoant,&c.* nam hæc potissimũ morbi species est, quæ hanc peculiarem prouidentiam in principijs prærequirere videtur. Obseruabis autem in hoc auxilio exequendo *(ni aliquid aliud vetuerit)* qđ in ichorosis humiditatibus, quæ sunt in exilibus venis, ocyus oportet velut in turgentibus mediocriter purgare, in biliosis factâ sufficienti sanguinis detractione,forsan ante 7.10 reliquis contionentibus feruore restincto.

Ardenti febre laborantes virtum & qualiter purgandi.

Facta igitur purgatione in omni causi specie necessaria *(excepta quæ à visceribus inflammatis prodit)* curandum est humorem ipsum *(quòd facilius coqui, superarique à natura possit)* attemperare, & refrigerare simul,& vniuersi corporis calorem compescere. Nãque licet Galen. solum meminerit eius refrigerationis,quæ corpori,& eius morboso calori debetur, ante id oportet humores temperare, & *(vt dictum est)* coctioni disponere, nec licet id differre, donec tempus sit præstandi aquæ frigidæ potum,hoc est, coctione apparente, sed mox à morbi principio necessum est humores corrigere,& attemperare. Quod primò exsequeris ea victus,& potus forma instituta, quæ ter rianis exquisitis proficua existit : curans quoque aerẽ refrigerare , ipso irrorato aqua frigidissima, rosacea, & aceto, floribus item,ac folijs sparsis, fontanellis etiam arte factis, & aere commoto flabellatione cum linteis madidis facta. Præstat & clysteribus vti in quauis morbi parte: nam hæc præter teporem,& frigiditatem,quam inducunt, molliunt quoque & abluũ cient,

Ardenti febri quis debeatur refrigeratiũ vsus.

cient, quæ ſanè coficies ex decoctis rerum refrigerãtium, veluti *lac ſeminum frigidorum, maluæ, violarum, lactucæ, hordei*: & reliquarum herbarum conſimilem virtutem habentium, *ex ſaccharo, & oleo roſaceo*, quorum abundè meminimus *cap. de tertiana exquiſita*. Mane quidem porriges potum *ex ſucco granatorum, arantiorum acrium, & dulcium, ſucco acetoſæ clarificato cum modico ſaccharo, & aqua hordei*. Si laborans poſtulauerit refrigerata, conferunt *ſtillatitiæ aquæ frigidæ, vel puriſſima aqua* diu aſſeruata fontis, aut fluminis, quibus admiſcere oportet, vel *aceti, vel ſucci limonis acidi, aut agreſtæ*, vel alterius rei acidæ modicum, ſuperadde que ſacchari quantum ſit ſatis ad gratum ſaporem conciliandum: fugiendum enim eſt in hoc affectu à dulcioribus, quod facilè in bilem mutari poſſint, ut velis parum ſyrupi *cichorij, acetoſi, de ſucco limonum, roſarum, vel granatorum cum quadrupla frigidæ aquæ portione*, ſummo mane exhibere. Tantæ enim eſt efferueſcentiæ, & tam ingentis caloris hæc febris, vt niſi plurimum refrigerantia exhibeas, parum prodeſſe videaris. Verum quia his, quæ diximus, frigidiora porrigere non datur, ob imminens periculum extinctionis innati caloris, ad potum aquæ frigidæ copioſiorem deueniendum eſt. Atque licet formidatũ huiuſmodi præſidium apud pleroſque viſum ſit, ne humores iterum recrudeſcant, aut aqua in bilis naturam migret, cum periculum ſit in huiuſmodi febre lõgè euidentius, quam in quauis alia, ne aut ſpiritus nimio calore euaneſcant, vel ſolida ſubſtantia excalfiat plurimum: ob id ruſtico timore depoſito, febre exiſtente intenſa, laborante anxio, præmiſſa ſufficiẽti vacuatione, ac leui aliquo principio coctionis apparente, aquæ potum copioſum porrigere non dubitatem. Crudele quidem eſt, & ab omni curatione alienum, verentes morbi diuturnitatem, & humorum cruditatem, in maius periculum deferre laborantes. Quod ſi nec his omnibus factis, ad vſum *ſyruporum, & apozematum* iterum oportet (*ſi affectio non quieuerit*) confugere, quo tempore porriges ſyrupum *de portulaca, de neunphare, de papauere, de agreſta, violarum cum modico aceto*, & copioſiore aqua *neunpharis, lactucæ, hordei, vel acetoſæ, aut borraginis*. Veſpere autem porriges, dum efferueſcit magis calor, apozema ex prædictis *aquis, aut aqua pluuiali, ſucco limonũ, vel aceto, & ſaccharo, aut cum ſyrupo violarum, vel roſarum*, ac ſi ſomnum conciliare ſit opus, cum *ſyrupo papaueris, vel portulacæ*. Cæterum ſi vrgentior ſitis ſit, commendatur ad ipſam mulcendam, id q. ℞. *ſucci cucumeris craſſioris lib. 4. ſacchari lib. 2.* coquantur ſecundum artem, & fiat ſyrupus, cuius ſume ℥. 2. & admiſce ℥. 16. *aquæ hordei, cucurbitæ, lactucæ, acetoſæ, buglosſæ*, & ſimilium, & paulatim præbe. Præſtat & *mucilago pſyllij extracta aqua cucurbitæ, aut hordei cũ modico ſaccharo*. Quia tamen frequenter caput adeo intensè dolere aſſolet, vt verendum ſit, ne humoris aliquid illuc irruat, ipſi prouidendum eſt *oxyrrhodino, q. ℞. ſucci lactucæ, olei roſati, ana ℥. 2. aceti ℥. ß.* prodeſt & epithemata cordi attingere, qualia ſcripſimus *cap. de tertiana*, aquis refrigerantibus, modicum aceto, & pulueribus *diamargaritonis frigidi, vel electuarij de gemmis*, & eius naturæ alijs: quod etiam teſtibus adhibebis. Vix enim credi poteſt, quantus ſit teſtibus cum corde conſenſus. Item iecori prouidebis vnctionibus, aut epithemate etiam ex prædictis aquis, & pulueribus ſantalorum omnium. Sic dorſum iounges vnguento *roſaceo, refrigerante Gal. aut reſumptiuo, vel de cucurbita, poſitis ſupra id, & iecur madidis pannis ex aqua cichorij, ſucco cucurbitæ, aut lacte mulieris*. Quibus auxilijs cautè vtendum eſſe conſulo, quippe cum calor efferueſcens ea ſola expiramenta habeat, quæ cuti natura donauit, quæ quidem ſi frigidis occluſeris, nulli dubium eſt, quin manus incendium deinceps ſubſequatur.

Dulcia in cauſo vitanda.

Potus aquæ frigidæ cauſo laboranti non denegandus.

Sitis vrgentior ut pellenda.

Capiti qualiter i cauſo prouidendum.

Teſtium cum corde maximus conſenſus.

Iecori qualiter i cauſo prouidendum.

Si tamen ſeptima dies (*in qua vt plurimum cauſus iudicari aſſolet*) præterierit, & adhuc vigere hoc malũ conſtiterit, videndum profecto eſt, an tempus iam inſtet ſecundæ purgationi aptum, quam nulla ratione moliri poſſumus, niſi factis prius alijs vacuationibus, & morbi efferueſcentia iam ſedata. Hanc facies ex infuſo *rhabarbari cum manna, aut ſyrupo ex infuſionibus cum aliqua ex ſupradictis aquis*, poſt quam iterum ad ea, quæ intus, & extra corpus, & viſcera refrigerãt, te conferes: ac forſan eo tempore non erit à b re ſaluatellam dextræ manus tundere, & deinceps *ſero lactis cum ſaccharo* vti, maximè ſi per interualla modicum *rhabarbari* in prędicto ſero ablueris.

Cauſo laborantes quãdo criſi facta purgandi.

De febribus complicatis, & de ſemitertiana.

TAm eſt difficile, graue, & periculoſum hoc genus febrium, vt & laborantem, & medicum ſimul deludat, & contemnat: nam & difficilis cognitionis, & difficilioris longè curationis exiſtit: Quippe cum ſæpiſſimè contrariæ reperiantur indicationes, eædemque ſimul vrgentes, non facilè ob id conſtat, cui earum innitendum ſit, nam ſi vni prouideas, altera prorſus exacerbabitur, & id beneficium reſuit. Quamobrem, & noſſe, & curare ſimul, magna diligẽtia docere oportet. Conſtat proculdubio ex Galen. *lib. 2. criſ. cap 7.* febrium compoſitionem duplicem eſſe: *Vnam* cum alicui morbo non febrili adiungitur febris: *alteram* vero cum febris febri connectitur. Illa inſuper duplex exiſtit: quippe aut illi morbo ſuccreſcit febris, vt accidens, *velut in pleuritide*, aut complicatur vt nouus affectus, *vt in hydrope, paralyſi, & reliquis frigidis morbis, dum febribus complicantur*. Prima enim compoſitionis ratio ſpuria eſt, & illegitima, nam eo tempore febris non morbi, ſed ſymptomatis rationem ſubit: quapropter eius hac in parte meminiſſe non eſt opus. Secunda vero non eſt præſentis cõſiderationis. Compoſitæ verò febres ſunt, quando eædem vel diſſidentes genere, aut ſpecie coniunguntur, quod fieri bifariam contingit, complicatis nimirum, ſeu mixtis, aut confuſis. Complicatio quidem verè eſt, quando febres diuerſis è locis inuadunt, eo ordine, ea variatione, vt ſingulæ per propria, & peculiaria ſigna diſtingui poſſint: velut dum tertiana cũ quartana coniungitur, inuadens quidem tertiana ab ortu Solis vſque ad meridiem, & quartana eadem die inclinante Sole. At mixtio, ſeu confuſio ea propriè dicitur, quando duæ febres ſimul incipiunt, & deſinũt eiſdem horis, ita vt vix diſcerni poſſint, quod ſigna habeant commixta, & confuſa ad inuicem, veluti cum tertiana, & quartana, & quotidiana, non ſolum eadem die coeunt, ſed eadem etiam hora incipiunt, verbi gratia, ambæ ſummo mane, quo tempore nemo poterit, neque per caloris modum, neque per ſymptomata, eas exactè diſtinguere. Nam fit plerunque hæc confuſio, quòd humores etiam inter ſe, licet diuerſæ ſint naturę, confundantur, ſintque in eodem loco, & cum hoc quilibet propriam aſſeruet naturã, & peculiarem putredinem ſortiatur, licet ſimul cohabitent, quo tempore mirum non eſt, ſi ambo ſimul eadem hora perpetiantur alterationem. Ad cõplicationem igitur redeuntes, poſſe febres multis modis coniungi, coniectandum eſt. Nam præter eas quæ ex toto diuerſi generis ſunt, vt *hectica cum putrida, aut ephemera* cum aliqua ex prædictis: poſſunt quidem complicari continuæ febres cum continuis, vel intermittentes cum intermittentibus, aut intermittentes cũ continuis. Quas ſanè combinationes multis modis poſſe fieri coniectandum eſt, vno dum febres eiuſdem ſortis cum alijs eiuſdem naturæ adiunguntur, vt cum dictæ tertianæ adiunguntur, vel tres quartanæ complicantur: alio modo cum febres diuerſi generis, & ſpeciei cohærent, vt cum tertiana continua

Febrium cõpoſitio duplex.

Compoſitæ febres quæ ſint.

Complicatio febriũ quid.

Mixtio febriũ quid.

Febres poſſe multis modis coniungi.

quotidianæ intermittenti complicatur: differunt quidem hæ duæ febres, quod altera eſt continua, & altera intermittens: & rurſus quia vna eſt bilioſa, & altera pituitoſa. Item coniungi poteſt, quæ continua eſt ex bile, cum tertiana, quæ quidem differunt, quia vna eſt intermittens, & altera continua, cæterum ſimiles ſpecie, hoc eſt, humoris natura exiſtunt. Sic enim varijs modis ludere comperimus huiuſmodi febres, dũ in vno eodemque corpore, & tempore cohærent, & complicantur nunc duæ, nunc tres, nunc vero plures, iuxta adductam huius conſortij, & complicationis legem, quæ omnia haud difficulter noſces, ſi eam diligenti animo contempleris.

Verum quia operoſum eſſet, & alienum ab optimo ſcribendi inſtituto, cuiuſque complicationis ſeorſum B meminiſſe, longum ſanè, & inutile foret contexere labyrinthum, ratione ductus decreui ex omnibus complicationibus vnam exempli loco in medium proponere, cuius cauſſas, & ſigna ad amuſſim ſtudebo expendere, illique adſcribere vniuerſalem complicatorum affectuum curationem: & illi propriam, ac peculiarem, ita vt nihil deeſſe videatur ad cuiuſque ſpeciei cognitionem, & curationem. Sit autem hæc *ſemitertiana, hemitritæus, ſeu horrorifica febris.*

Semitertiana febris quæ.

Semitertianæ natura, & nomen non ſatis conſpicua ſunt apud Auctores, nam quidam *ſemitertianam* appellant eam, quæ conſtat ex tertiana intermittente, & quotidiana continua. Quo fit, vt partim habeat accidentia tertianæ, partim vero ſecus: referuntque C Galen. *lib. 2. de differ. febr. cap.* 8. qui ſemitertianã appellat eam, quæ ex quotidiana continua, & tertiana ſit temperata. Sed *lib. 1. popul. par. 3. comment.* 5. obiter ſcripſit, quod tantũ abſit, quod ſemitertiana quidquam intermiſſionis admittat, quod cõtinuitatis cauſa longè grauior exiſtat. Cum hoc tamen ſcimus Galen. hac in re dubium eſſe: nam inquit *lib. de typ. c. 3. Ex tertiana interim ſemitertiana fit, & contra, ac ferè eadem habet accidentia.* Verum ex Gal. apertius colligitur, eam febrem hemitritæi, ſeu ſemitertianę nomẽ potiſſimum mereri, quæ tertianæ febris aliquas habeat notas, & aliquibus careat: nam neque ad integritatem deuenit, neque cum rigore inuadit, neq; excretione finitur, neque diem ſecundum integrum habet, tamen tertio quoq; die inſultat, vt tertianis mos eſſe ſolet: quo fit, vt cum integram naturam tertianæ non aſſequatur, ſemitertianæ nomen mereatur.

Semitertiana cuius naturæ ſit.

De natura etiam huius febris, haud difficile eſt varia apud Auctores reperiri, nam ſunt, qui inter febres complicatas eam annumerent. Sunt vero & qui inter confuſas, eo quod in ſemitertiana vterque humor in vaſis abundet: quo fit, vt neque quotidiana, neque tertiana *(ex quibus conſtat)* propria ſigna, & integra circumſcribat. Sed veluti ex duplici harum genere vnum quoddam confuſum, & mixtũ coaleſcit genus, quod in vera complicatione diſtinctũ, & per ſe vnũquodque apparet: atque licet hæc vera videantur, cũ hoc tamen veram eſſe febrium complicationem du- E bitabit nemo, ſiquidem tertia quaque die acceſſio denuo ſuperuenit. Ad cuius febris integram naturam adipiſcendam conſtat, quatuor modis pituitoſam cũ bilioſa febre commiſceri poſſe. Quippe aliquando cõperies, tertianam continuam cum quotidiana continua coniungi, nonnunquam intermittentem cum intermittente. Item continuam tertianam cum quotidiana intermittente: vltimo etiam intermittentem tertianam cum quotidiana continua. Ex quibus ſanè combinationibus, *vt ex Gal. conſtat 2. de different. febr. cap. 7. & 8.* vnam duntaxat legitimam ſemitertianam, & veram, ac propriam conſtituit, nimirum eam, quæ ex quotidiana continua cum tertiana intermittente conſtituitur. Cuius etiam complicationis conſtat Hippoc. meminiſſe *lib. 1. popul. par. 1. tex. 23. & par. 2. tex. 25.* in hunc modum: *Infeſtabant illos plerosque febres horrorificæ, continuæ, acutæ non intermittentes: modus erat ſemitertianus, vna dies leuius, altera grauius inuadens, in ſumma in dies acutius inuadebant.* Appellauit autem Hippoc. *horrorificas* has febres, nõ quod initio acceſſionis horror appareat, ſed quod tota acceſſionis duratione horrores vigeant: Neceſſe igitur erit, ſi horrorifica ſimul, atque continua ſit futura, ex duabus generari febribus, & humoribus, diuerſæ tamen ſpeciei, & naturæ, ita vt vna ſit intermittens, altera vero cõtinua, reliquas vero ſemitertianas impropriè, & abuſiuè tales appellamus. Verũ ea, quæ legitima eſt, & exquiſita, & *propriè ſemitertiana* appellata, tripliciter proculdubio fieri poteſt. Nam vel redundante ſuperanteque pituita, vel ipſam ſuperante B flaua bile, quod copioſior exiſtat, vel ambæ æqualiter ſe habentes: & hæc vltima, eſt vera, legitima, & exquiſitiſſima ſemitertiana, *vt Galen. loco citato placuiſſe conſtat:* Archigenes vero hanc non cognouit, licet aliarum meminerit. At earum, quæ à legitima diſſident, ea, in qua prædominatur bilis, horridior ſemper erit, feruidiorque protinus eſt, & incendij magis habet, citiuſque feſtinat ad ſummum vigorem, in qua etiam aliquid per vomitum, per aluum, aut ſudorem excernitur. Ea quidem, quæ prædominantem habet pituitam, frigore vehementiore occupat extremas partes, horroreſque pauci fiunt, & pulſus fit quodammodo coarctatus, & tardus, acceſſio inualeſcit, & longũ poſt tempus conſiſtit, neque in ea aliquid excernitur C notatu dignum, ſicut in prima. In vtraque tamen pituita, & bilis ſimul putreſcunt, velut in tertiana notha, ſed hæc eſt differentia, quòd in tertiana ex vtroque humore vna humoris reſultat forma, & in vnico loco fit putrefactio, in ſemitertiana vero quiſque ſeorſum putreſcit, & forſan in diuerſis locis. Præterea cõſiderandum eſt, omnes ſemitertianas duobus poſſe generari modis. Vno quidem duabus in vno eodemque tempore coeuntibus acceſſionibus, aut ſtatim ab initio eiſdem acceſſionibus confuſis: quod licet ita ſit, non conſtat apud Galen. neque Hippocr. aliquam earum, quæ ad integritatem euadunt, *ſemitertianam* appellari, neque ab hoc inſtituto deſiſtẽdum eſt, eo quod Galen. dixerit, *lib de typis, Semitertianam* D *ad integritatem poſſe peruenire.* Inquit enim: *Porro nõ ſemper continua eſt, ſed etiam intermittens aliquando reperitur,* nam ex contextus litera euidenter conſtat, ex Agathini ſententia loquutum. Sed placet magis intelligere, Gal. hac in parte loquutum fuiſſe de omni tertianarum ſpecie, quarum nonnullæ ad integritatem deueniunt, vt ipſemet inſinuat *lib. 2. pop. par. 3. comment. 2.* dicens: *At ex ſemitertianis, quædam vtraque incedunt via, quædam altera tantum, earum quæ ad integritatem non veniunt.* Qua parte videtur admittere quaſdam ſemitertianas, quæ ad integritatem venire poſſunt ſaltem apparenter: quibus proculdubio conſtat, qualis naturæ ſit ſemitertiana, & quibus nã modis complicari poſſit: nam qua ratione dictum E eſt, tertianam, & quotidianam complicari poſſe, eadem quoque intelligendum eſt de reliquis febrium ſpeciebus. Verum cum febris hæc naturam ſapiat tertianæ, & quotidianæ, neceſſe eſt vtriuſque ſigna præſtare, quamobrem aduertiſſe oportebit, quæ ſigna habeat propria, & peculiaria, vt ab alijs complicatis diſtingui queat.

Pituitoſa febris cũ bilioſa quatuor modis cõmiſceri poteſt.

Semitertiana legitima quæ ſit, & quibus modis fiat.

Horrifica cur dicta ſemitertiana.

Semitertiana legitima trib. modis fieri poteſt.

Quid inter ſe differant.

Semitertianæ omnes duob' potiſſimũ modis fiunt.

Hemitritæi nõ poſſunt, niſi apparẽter ad integritatem venire.

Signa igitur erunt in triplici differentia: nã Quædam patefaciunt naturam vniuſcuiuſque componentium: Quædam referunt vtraſque febres ſimul mixtas: Quædam vero peculiariter hoc genus febrium commonſtrant citra reſpectum ad aliquam componentium. Sapit enim inter ſigna naturam flauę bilis, cum horrore incipere: nam ea eſt propria febrium intermittentium conditio: ob quotidianam quidem febrem grauis fit quotidie ſemitertiana: ob tertianã vero, tertio quoque grauior: tardantur acceſſiones

Semitertianę exquiſita ſigna triplicia.

ob

ob pituitam, & hæc eadem facit, vt in plures dies pro- A trahatur, ac reduplicationem habet: ob tertianæ etenim naturam semitertiana redditur acutissima: nõ sint aliquando laborans ob pituitam, nihilominus tamen ob incendium lingua arescit: præterea ob flauam bilem ventriculo inuodantem sitiunt quidem laborantes, sed lingua non arescit, pituita etiam prolabente in os ipsum, quæ siccitatem impedit: cæterũ ob salsuginem, quæ nõ rarò sentitur, sitis adaugetur. Itaque tanto hæc signa, quæ mox retulimus, flauam bilem attestantur, quanto tertiana, quæ semitertianã constituit, exquisitior, & magis legitima fuerit, nam si tertiana spuria sit, certum est, quotidianam sibi ad mixtam confundere flauæ bilis signa. Pari quoque ratione, si quotidiana est ex illegitimis, dubium non erit, quin signa tertianæ præualeant. Atq; ex hac collatione spuriæ ad legitimam, & è contra, varias procul dubio licebit effingere semitertianæ species: quarum latissime Barbari omnes meminerunt, & Rondeletius eas expressius, & ad amussim distinxit.

Semitertianæ variæ species vnde.

Signa propria.

Communia autem signa, quæ morbi ipsius naturam attestantur, sunt, febrem esse continuam, cæterum cum frequentissimis horroribus, argumentum proculdubio euidens mixtæ naturæ huius febris: nus la enim continuatum cum horrore inuadit, neq; ex his, quæ cum rigore incipiunt, aliqua ex propria conditione est continua, nisi ex accidenti illi succrescat. Habet etiam alias duas conditiones sibi peculiares, nimirum diuturnam esse, & grauibus symptomatis insignitam: quippe grauia accidentia morbi breuitatem ostendunt, & diuturna mala acutis esse salubriora constat: hæc etenim febris periculum sumit ex tertiana, nõ quod suapte natura periculosa sit, sed quod ex flaua bile morbum periculosum efficiente proficiscatur, quia grauia accidentia bilis in hac febre diu durant: quo fit, vt periculosa efficiatur: ex pituita vero sumit diuturnitatem: Denique ex quauis duarum caussarum sumit, quod deterius est, & relinquit quod salubrius: nam ex flaua bile periculũ, & amittit breuitatem, ex pituita longitudinem, & amittit securitatem. Constat id euidenter, quia ventriculum frequentissimè subuertit, graue quidem in morbis symptoma, partes etiam neruosas lædit, quod solet esse diuturnitatis principium. Soporosos etiam, & veternosos inducit affectus, deliria item & implacabiles vigilias: fiunt insuper neruorum resolutiones, quæ diuturnitate superant reliquos affectus. Adest quoque syncopis periculosissimum symptoma, adest & animi deliquium, quibus vires maximè prosternuntur. Quo fit, vt optimè dictum sit Galen. *lib. de typis, typum hæbere ferum:* nam colliquat corpus, profunda vehemẽter commouet, & tandem febris est periculis omnino plena, nam graue est partim exhorrescere, & partim incalescere: quo factum est, vt horrorificam febrem appellauerit Hippoct. Sed monendus mihi lector est hac in parte, esse inter malignas febres aliquas, quas citra vllam tertianæ, & quotidianæ admixtionem horroribus plenas esse constat: nam cã caussam, quam præstat bilis, & pituita ad excitãda prædicta accidentia, eandem omnino suppeditant acres halitus, mordaces, venenosi, & pestiferi, illari à corrupta materia febrium malignarum. Ob id toto aoimo ex pendere oportet, quando ex hac vel illa caussa prodeant prædicta accidentia, namque dum ex venenoso humore principium trahunt citra granium accidentium admixtionem, in principijs febrium, & vsq; ad septimum prædicti horrores apparent: at in vero hemitritæo magis, quo propiùs ad statum properauerit febris, vtrina etiam crudior, & inæqualis, & laborantes citra manifestam consumptionem degunt, prædominante nimirum pituita: aliquando vero colliquationem perpetiuntur bile exusta præualente.

Hemitritæi naturã aliquã do æmula tur maligna febris in horroribus, & quomodo distinguãtur.

Hæc tamen omnia vera esse competiemus, si exquisita sit semitertiana, quod vterque humor pari mẽsura pollet, *vt ex Galen. constat 2. de differ. feb. 8. & 1. popul. par. 2. comment. 25.* Verum quæ exquisita non est, in alterum extremorum habet vergentia signa: nam si bilis superabundat, horrores contingunt maiores, febris statim validior, calidior, & æstuosior, & ad consistendi vigorem celerius properat, cum vomitibus, & alui deiectionibus biliosis, cuius exemplum adduxit Hippoct. 7. *popul.* in historia vxoris Theotimi. Si vero pituitosus humor reliquum superet, frigus extremarum partium exsuperat horrores, accessio diuturnior erit, & lennùs incedet, & omnia minora comparebunt.

Semitertiana non exquisitæ signa.

Præter accidentia, quæ paulo ante retulimus, possibile B se sic affectus succrescere, experimento compertum le, thaleu esse ex propria natura huiusmodi febrem, *vt ex Hippoc. constat 1. popul. par. 1 sex. 23. & par. 3 text. 5.* Nam frequenter tabi, frequentius tamen quibusdã, alijs diuturnissimis morbis adiungitur, *vt idem Hippoc. eodem tex. 5 expressit, & Auicen. 1. 4. tract. 4. cap. 17.* siue his morbis talis febris accidat, siue ipsa per se inuadat, de qua refert Auicen. ad septimum mensem, quandoque produci, sed vt ex Galen. constat 1. *aphorism. 12.* media est longitudine inter ardentem febrẽ, & typhodem, nam quæ largiorem habet bilem, breuior: quæ vero pituitam, diuturnior existit, *vt etiam, aduertit Paul. lib. 2. cap. 34.*

Præsagiũ. Semitertiana lethalis est ex propria natura.

Nihil profectò in arte medica æquè difficile, & C graue existit, ac id, quod vnam non sortitur naturã, sed variam, inæqualem, & confusam: quod licet diligentia maxima consequaris, & agnoscas, nihilominus tamen aut impossibiliter, aut difficulter curare poteris. Nam cum in vera curandi ratione, ea sit potissima lex, & methodus, vt vnum contrariorum reliquum è corpore pellat, & caussam per sui ablationẽ auferre oporteat, contingit non raro, contraria in vnum coire, ita vt vnt prouidere non possis citra alterius euidens damnum. Præterea dum caussarum ablatio, ex illata in naturam vehementia fieri debeat, frequentissimè accidere conspicimus, maius damnum naturam susceptural ex beneficio, quam ex morbo: ob id quidem quærenda est lex, & ratio, *qua* D *cum duo in indicationem coeunt contrariam, beneficium citra alterius damnum adhiberi possit?* Cui sanè actioni adhibenda sunt axiomata quædam, quibus id opus ruro fieri possit.

Duobus in indicationem cõtrariã coeuntibus quã ratione citra alterius dãnum bene ficium adhiberi posit.

Primo quidem expendendum est, morbum posse complicatum esse ex duobus contrarijs, aut diuersis, vel caussam ex duabus quoque contrarijs constare, vel rursus caussam morbo esse contrariam, licet ipsa simplex sit, & simplex quoque morbus. Contingit enim frequentissimè, effectum vnum ex duobus contrarijs constare: veluti si quis panatur febrem cum neruorum resolutione: hydropem cum erysipelate, vel febrem putridam cum hectica, quarum altera adiectionem, & reliqua subtractionem desiderat, & E alia huius generis. Fit autem, vt dictum est, de hemitritæo, quod licet morbus vnius naturæ, & generis videatur, febris nimirum, caussa tamen & ipse morbus ex diuersis caussis, & morbi speciebus constans, nimirum ex flaua bile tertianam excitante, & ex pituita quotidianam continuam. Item accidere conspicimus affectum frequentissimè longè diuersum esse à natura suæ caussæ, vt videre est de febre pituitosa, quæ cum in calore, & siccitate sita sit, caussam habet omnino contrariam, frigidam nimirum, & humidam.

I.

Præter has enim complicationes, secundum axioma alias proponit non minoris momenti, quas elicimus ex morborum complicatorum periculo, & grauitate: sæpè enim maius facessit negotium in re practica, affectus qui superuenit ob periculum quod minatur, quam is, quem curandum susceperamus.

II.

III. Præmittendum tertio est, aliam esse complicationis rationem, prædictis longè grauiorem, nimirum cum affectus, vel caussa, vel symptoma aliquod expostulant auxilium, facultas vero id permittere non videtur. Quibus sanè complicationibus subueniendū esse docet medendi ratio maturo consilio, & maxima cum consideratione: nam id est Galen. & Hippocr. obseruatissimum præceptum, nimirum, *vt si possimus prodesse, saltem vt non noceamus*. Atqui cum in complicatis indicationibus vni prodesse citra alterius aliquod damnum non possimus, omni arte curandum est, vni prouidere altero non neglecto. In qua quidem re iuxta distinctionem primorum axiomatum, alia vnicuique respondentia assignare oportet: Quorum profecto primum est affectus contrarios hoc habere proprium, & peculiare, vt primo auxilium desideret is, qui alterius caussa existit, si pari vrgentia laborantem premat, sin aliter, vrgentiori prouidendum est primo, donec sæuitia mitescat: interim tamen intendendum est ei, qui caussam suppeditat. Verum si affectus non solum diuersi, sed contrarij omnino extiterint, non quidem vt multi censent, admixtis medicamentis vtendum est, namque eo modo neutri illorum satisfacere poterimus, his pharmacis, quæ commixtam habeant naturam: siquidem neutris magnitudini, & gradibus correspondēt: nam mixta auxilia solum proficua sunt affectibus, quorum caussa reducta est ad vnam formam, reliquis vero nequaquam, quia dispari efficacia fiet medicamenti actio, ac ex consequenti forsan vnum alteri erit impedimento. Dispersos itaque humores diuersis temporibus, & vno medicamento aliquem humorum peccantium respiciente vno die, altero vero alio reliquam educente: mistos vero composito pharmaco educes. Quamobrem existimo tutiorem esse medendi rationem eam, quæ iubet alternatim adhibenda esse auxilia, veluti si quis patiatur calidum iecoris intemperamentum, & ventriculi frigidum, ventriculo quidem calidis exterius adhibitis, aut interius, sed in solidiori forma, ne ocyssimè à ventriculo dilabantur, & iecur adeant, iecori vero frigidis intus sumptis, & in fluidiori forma, quo facilius iecur conscendant. Nam prouidendum est in hac complicatione, & similibus, vt medicamenta, quæ ad distantissimas partes à ventriculo peruenire tenentur, tenuissimæ sint substantiæ, & fluidæ, vt nihil aut parum in ventriculo frigido immorentur, sed ocyssimè partes prędictas adeant. Qua lege seruata, non est difficile contrarijs affectibus mederi, si dum alteri auxiliamur, alterius non omnino obliuiscamur. Docuit quoque hæc prima methodus expendendam esse heterogeneitatem, & varietatem caussæ: nam si quis morbus proficisca tur ex flaua bile, & pituita simul, vnam formam nactus, ei quidem subueniendum est mixtis auxilijs; ac si diuersa sit humorum origo, alternatim id opus aggredi oportet: biliosos, vt qui facilè coquantur, primis purgationibus educere oportebit, medicamentis à prædominio bilem ducentibus: pituitosos vero diutius præparare, & tardius purgare opus erit, ijs tamē quæ solum respiciant pituitosam materiam, nam procedente morbo, & vlterius protogato, perdifficile est credere superfuisse bilis flauæ aliquid, ac si fuerit, purgatione peculiari minimè indiget, nam & necessaria est ad calorem, & ipsa sua spontè quouis medicamento facillimè purgatur.

Complicati morbi qualiter curandi.

Affectibus cōtrarijs qualiter medēdum.

I. Continet etiam hæc prima methodus considerationem, quæ docet aliquando caussam esse à morbi, seu effectus proprij natura diuisam, aut accidens diuersam caussam nactum ab ea, quæ morbum creat, *vt cap. de lypiria dictum est*. In qua quidem complicatione frustra laboranti porrigimus, quę morbo plurimum innituntur: nam in febre pituitosa nihil aliud refrigeratio præstat, quam diuturniorem, & difficiliorem ipsam reddere, licet ipsa sua spontè refrigeriū expostulet. Quamobrem semper, & in omni curatione caussam primo illidere oportet; nam præterquam, quod impossibile est effectum compescere, caussa integra manente, damna, quæ retulimus, sequi necesse est.

Morbi caussa interdū ab eiusdem natura diuisa.

II. Verum quia sæpissimè tantum facessit negotium calor ipse præter naturam, vt vniuersam curationem ad se verti postulet, supersedendum aliquando est ab his, quæ caussam respiciunt, & victu, ac moderatissimis refrigerijs febri est prouidendum, sed mox iterū ad caussæ prouidentiam deueniendum, multa enim sunt, quæ & caussam, & effectum, quantumuis sint contraria, respicere habent. Nam in febribus pituitosis plerunque lædit pituita magis tenacitate, crassitie, & lentore, quam frigiditate, siquidem actu calida existit, & putrefacta, & ob id refrigerare modicum possumus: incidere tamen & attenuare semper, nam acetum, & acetosa omnia, præter attenuationem, & incisionem quam præstant, refrigerant quoque.

Periculi grauitas in complicatis morbis quid poscat.

Secundum autem axioma proponit periculi grauitatem, & magnitudinem, non quidem vtcunque, sed facta collatione inter duos affectus, quorum vterque sit periculosus, in his enim semper prouidendum est, ne quod superuenit, vires adimat, nam eo tempore vires gerit caussæ eiusdem morbi præexistentis. Veluti si vigilia vrgentissima febri continuæ accedat, vel grauis somnus, aut quoduis aliud accidens ex his, quæ morbum intendere nata sunt, nam licet hæc accidentia non sint suapiè natura morbo ipso grauiora, nihilominus tamen, quia affectum ipsum grauiorem, & periculosiorem reddunt, primo curationem expostulant, affectu præexistenti non neglecto, quod quidem ea potissimum de caussa fit, quod in febribus continuis alioqui periculosissimis leuissimum quoddam accidens curationem ad se vertat, nō quidem alia ratione, quam quod vices caussæ morbum intendentis gerunt.

III. Tertium vero axioma, & vltimum proponit, vrgentioris considerationem omnibus alijs præferendam esse, aduertit quidem Galen. 1. *ad Glauc.* ei primo prouidendum esse, quod maius facessit negotiū, & grauius periculum; sic enim in quouis affectu complicato, vtcunque complicationem sortiatur, hæc enim erit inuiolabilis lex, & regula, vt ei quod maius infert periculum, intendendum primò sit. Sic enim dixit Galen. *loco citato*, vrgentiori est prouidendum, magis vrget quod maius periculum imminet, siue is sit morbus, siue caussa morbi, siue symptoma. In hac etenim consideratione coniectandum est, in periculi vrgentia semper incipiendum esse ab eo morbo, qui breuius minatur periculum, licet alter morbus periculosior sit, vt videre est in febribus putridis, & hectica, & in hydrope, & febre: quippe febris putrida citius periculum pollicetur, & ei primo subueniendum, tum vt id periculum præueniatur, tum vt subsit liberior, & expeditior via curationi, quæ proficua est alteri morbo diuturniori, & grauiori, cui impedimento sunt auxilia, quæ febri profutura sunt. Itaque in omni morbo expendendum est, caussa ne, an morbus ipse, vel symptoma magis vrgeat, maiusve periculum inferat, nam illi est perpetuò innitendum. Sic enim in vlceribus, & vulneribus omnibus, quæ simplicia sunt, morbum tantummodo respicimus, in febribus caussam quidem primò, secundò accidentia, quæ superueniunt, tertio verò & vltimò iuxta Galen. decretum, ad eam, quæ facta est, discrasiam deueniēdum est.

Vrgētior consideratio alijs præferenda.

His quidem præmissis, peculiarem semitertianæ curationem aggredi oportet: quæ sanè magnam prę requirit in caussa prouidentia: nam cum hæc constituta sit ex pituitosis, & biliosis succis diuersa sorte libratis, curandum est quam citissimè vnicuiq; prouidere.

Semitertiana peculiaris curatio.

Victus. uidere. *Primò* quidem per eam victus, & vitæ institutionem, quæ nec omnino parca sit, *(licet biliosus morbus eam expostulet)* ne laborans vsque ad statum peruenire non possit: nec nimium aucta, & crassa, ne fomentum subsit vtrique morbo maius. Sed semel in die victu præstito, quo æger possit citra aliam victus exhibitionem 24. horarum spatio durare, ne si noctu cogaris exhibere, accessio quotidiana *(quæ quamuis continua sit, singulis noctibus exacerbationem parit)* deterior, & grauior fiat, ac nox molestior. Quapropter pullorum, aut auium iuuenum carnes elixas *petroselino, cicenbus, & cinnamomo*, aut assas præbere oportebit: & in potu aquam *cinnamomi*, nisi vires vinum expostulare videantur.

Sanguinis missio. Quo facto cum certum sit, duos in hoc affectu vigere humores, videndum est primo, *an sanguinis præsentia adsit*, quo tempore audacius sanguinem detrahes; sin aliter, ipsius quoque mittes quantum par sit pro magnitudine febris, cæterum per longiora interualla, ne vel vires labantur, vel pituita crudior fiat: nam si id auxilium prætermiseris, feruidior reddetur vniuersa substantia succorum, aut crudior præ nimia plenitudine, quæ duorum humorum abundantia succrescit. *Præparatio humorum.* Postmodum vero curabis omni diligentia, æquales, & homogeneos reddere humores, pituita incisa, & attenuata, vt facilius coquatur, & flaua bile retusa, ac purgata, vt ex duobus humoribus alterum pronnus subsequatur, nimirum vrgentiorem primo euacuare, ac reliquum, vel compescere, vel præparare. *Purgatio.* Item coniectandum est, an ambo humores in venis abundent, vel alibi generentur, & in venas postmodum irruāt: quippe si ambo in venis præsunt, tardius licebit purgare, mitescit enim bilis ex pituitæ pariter reduodaotus adhæsu, & ipsa pituita citius coquitur: & ob id differre oportebit purgationem, donec mixtis fieri possit medicamentis. Verum si diuersam sortiantur generationis mineram, per epicrasin purgare licebit, alternatim quidem, tum per eam, quæ bilem ducat, tum vero per eam, quæ pituitam, diutius tamen protracta pituitæ purgatione. Reliqua vero auxilia mixtæ naturæ esse oportet, vel per interualla pariter, & alternatim adhibita, vt prædominari aliquem humorem cognouerimus, *vt latè scripsimus capite de lypiria, & epiala.*

DE FEBRE PESTILENTI, ET DE MALIGNA, AC DE ACCIDENTIBVS, QVAE IIS, ET RELIQVIS PVTRIDIS SVCCRESCVNT.

LIBER SEPTIMVS.

Morbus quò rarior eò oculatiùs tractandus. STatutum profectò est, atque omnibus viris doctis mille rationibus firmatum, quo res aliqua rarius sese offert, aut ex sua natura abdita est, & obscura, eò oculatius, & diligentius expendendam esse, nedum in his, quę hominum saluti profutura sunt, quorum ignorantia periculum vitæ impendet. Sic etenim cum pestilentium morborum conditio adeo sit atrocissimæ, & perniciosæ naturæ, nec plurimum vulgaris, ob id mihi tractaturo de re hac difficili, & abdita, subit in animum exactiori diligentia ipsam expendere, ne si forsan aliquando accidat *(quod Deus auertat)* vel non intellecta negligatur, vel perperam auxiliares manus illi adhibeantur. Quapropter primo *pestilentium morborum differentias* in communi enumerare erit opus, deinceps *pestilentis febris species* recensere, tandem cuiusque seorsum *naturam, signa*, atque *curationem* instituere, qua potuero diligentia, & breuitate curabo.

Pestis, & febris pestilēs quid differant. Pestis igitur nomine longè diuersum quid à pestilenti febre Galen. intellexisse, apertissimè constat: quippe qui asserat *pestem esse epidemiam perniciosam, quæ plerosque, quos apprehenderit, interficit: febrem vero pestilentem, licet idea, & natura eadem sit cum peste; orbari tamen ea conditione, qua plures apprehendat:* nam contingit non rarò, ex aliqua peculiari caussa aliquem febre adeo pestilenti corripi, vt ipso interfecto, ipsa quoque citra alterius corporis contagium, & damnum intereat simul & exsoluatur. Cuius doctrinæ occasione in memoriam reuocare oportet, quæ intersit differentia inter popularem, & pestilentem morbum, vt clarius subsit pestis natura, & conditio.

Morbus popularis Popularis morbus is est, *qui passim in vulgus grassatur, communisque omnibus est, communemq; habet caussam, aerem nempe (aut potum, vel alimentum multis commune) qui vulgarium morborum caussa præcipua esse solet Hippoc. & Galen. auctoribus lib. de nat. human. & 1. popul.* *& pestilens quid differant.* Quod sanè morborum genus tūc est, cum vno tempore plures idem morbus occupat, *Epidemicus quis.* qui sanè tunc *popularis, epidemicus, vulgaris*, atq; *communis* dici ab omnibus consueuit, cuius subinde plures, licet non magni momenti reperiuntur differentiæ, quas breuitati consulens prætermitto. *Pestilens quis.* *Pestilens vero morbus* is censeri debet, qui cum vulgaris sit, perniciosus etiam est, atque lethalis: itaque epidemicus morbus est, qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundat insolescitque, pestis vero, *epidemia perniciosa.* *Endemius quis.* At eum morbum, qui regioni cuipiam peculiaris est, *endemium, seu vernaculum, & genti proprium* nuncupare soleot: qui profecto omnes ex diametro dispersis vocatis opponuntur.

Pestis q.d. His habitis, morbus is censeri debet pestis, qui cū vulgaris sit, perniciosus etiam est, atque lethalis; Itaque erit pestis *epidemia perniciosa*, aut si mauis, venenosus quidam vapor in aere conceptus, qoi vitali spiritu omnino aduersatur: aut aereum venenum ex putrium vaporum admixtione, vel infelici planetarum concursu in perniciosissimam animāoum generis conditionem dira conuersione mutatum, si Astrologorum sententiam sequi voluerimus. Sed potest sanè clariùs adhuc diffiniri, nimirum, quòd nil aliud pestis sit, quam morbus communis, vulgaris, pessimus, atque perniciosissimus, qui perinde, ac totum morborum vulgarium genus ex cœli statu proficiscitur. *Febris pestilēs quid* Clariùs tamen & veriùs, atque specialiùs *febris pestilens* diffinitur, cum dicimus febrem pestilentem reuera esse morbum sordidæ, & profundæ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ cootagionis per se, ex quo lethalis, & contagiosa efficitur:

ficitur: Quarum diffinitionum gratia primum non leuis sese offert dubitandi occasio, *deturne pestilens constitutio citra febrem;* Cui dicimus, huiusmodi cōstitutionem posse dari, non minus quam putredinem aliam reperiri citra febrem: nam septica medicamēta partem putrefaciunt, dissipata eius substantia citra vllam febrem, quod pari lege pestilentem constitutionem posse efficere, doctissimorum consensu cōstare arbitror, & experimento quotidiano in catarrho, & dysenteria pestilentibus comperimus, quemadmodum hecticam, & ephemeram pestilentes reperiri, *vt paulo inferius sumus monstraturi.* Secundo expendisse oportet (*earundem diffinitionum gratia*) ex quonam principio, & qua de caussa morbi omnes venenosi, pestilentes, & contagiosi suboriantur. Cuius B rei occasione præmittendum est, nasci omnes huiusmodi morbos ex corrupto, atque vitiato aliquo inquinamento aere, qui morbidam excretionem in se habens, quæ veneni instar cum sit, pestilentes, & contaginsos parit morbos. Quam quidem sententiā Galen. *lib. de theria. ad Pis.* his verbis bellissimè expressisse est visus, inquiens: *Pestis tanquam & ipsa existat quadam bellua haud paucos interimit, verum ciuitates quoque totas depascens, malè conficit.* Quippe subdit: *Praua quadam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur:* quod rursus idem auctor *lib. ad Pamphil.* confirmat, Hippoc. vtique *lib. de natur. human.* mentem secutus. Pendet autem hæc aeris pernicies à venenato quodam inquinamento aeri insperso, quod C consurgit aliquando ab inferioribus, vt exhalatione putrida à cadaueribus excitata, corruptis frugibus, & leguminibus, herbis, & oleribus, aut specubus, aut metallicis fodinis, cloacis, barathris, aut paludibus, & stagnantibus aquis. Quæ profecto inquinamenta, & his similia aliquando longius euagantur, aliquando particularem aliquam regionem occupant, ac sæpè in vna regione, aut ciuitate vigent. Quam etiam corruptelam aeris aliquando cœlitus aduenire, communis est Astrologorum sententia.

Pestilens cōstitutio vtrum citra febrē detur.

Pestilētes morbi vnde orian-tur.

Aeris pernicies vnde.

Cæterum Popularium morborum, item & Pestilentium multiplices ab Hippoc. *lib. pop. morb.* traduntur species: sunt enim *Mites* quidam, nec lethales, cōtagiosi tamen & populares, ex alia, atque alia tempo- D ris conditione procreati, vt *ophthalmiæ quædam:* alij rursus sunt *Periculosi*, alij *periculo Carentes: Acuti* aliqui, nonnulli *Diuturni* quidem, & qui *Vnicam* duntaxat corporis partem infestant, quidam qui *Totum corpus*. Vt enim inter venēna quædam vnam partem magis quam aliam inficiunt, sic popularium morborum alij *Partibus* quibusdam proprij sunt, alij *Toti* communes. Sic ab Hippoc. inter populares nominātur *ophthalmiæ quædam, tertianæ, intestinorum difficultates, tenesmi, tusses, & catarrhi.* Quinimò tanta est in pestilentium natura varietas, vt contemplantibus admirationem maximam pariat. An non admirabile videri debet, pestem quandam satis, & arboribus propriam esse? aliam pecoribus? aliam hominibus? cæ- E teris vero omnibus innoxiam? quod non aliundè profecto euenit, quam ex rerum sympathia quadam, & antipathia. Verum qui rem hanc diligentius studuerit diuidere, expendat, maiorem partem diuersitatis huius diræ conditionis prodire ab aeris venenati conditione, quippe compertum est, ex prædicta cōditione, vel diu durare, vel mox euanescere, vel iterū cessante iam reuiuiscere, tādem quibusdam prauum colorem concitando, alijs odorem terrum præstando: denique quædam est pestilens constitutio adeo vniuersalis, vt vniuersum orbem occupare videatur, vt Guid. à Cauliac. descripsit, sicut alia insuper particularis vnam tantum regionem occupans, aut vnam ciuitatem, vel etiam domum aliquam. Est etiam ab affectis corporibus non vulgaris differentia, cum pestis varijs rerum generibus infesta sit, ita vt aliquan- A do inter animalia solum armenta constat perijsse, nonnunquam aues, ac interim pisces, quin etiam & fruges, ac omne stirpium genus. Præterea nec eius, quæ homines peculiariter aggreditur, vnica est ratio, cum alias mares, alias mulieres afficiat magis: quædā pueros, alia iuuenes, & calidos, aut frigidos temperamento magis. Quæ sanè omnia euidens confirmat ratio, siquidem temperamentorum varietas, pro sexus, & ætatis diuersitate ad hanc, aut illam morbi caussam propensiores efficiat: nec enim perpetuo eadem est nocentis caussæ conditio. At dum pestilens hæc constitutio febres excitare nata existit, hoc profecto habet commune, quod putrédine media id efficiat, vt graueolentia in omni eius specie apertè com- B monstrat. Verum cum febrium omnium principia sint, vel *Spiritus*, vel *Humores*, vel *Partes corporis solidæ*, ob id credibile efficitur, pestilentium febrium differentias esse, vel *Spiritales, vel Humorales, vel Hecticas*, vt communis ferè omnium consensus statuit, licet ephemeram, seu spirituosam non admittat Conciliator quod existimet, spiritus putrefieri non posse. Cæterum qui rem diligentius pensitauerit, reperiet mixtum omne putredinem subire, ac ex consequenti spiritus. Verum quod credibilius est in hac re arbitror, spiritus posse duobus modis alterari: Vno: dum licet incalescant, suam propriam seruant naturam, & puritatem, & potius euanescunt, quam putredine fœdentur: alio verò cum in propria substantia vi- C tiantur, & calore pestilenti concepto immutantur, inficiuntur, & coinquinantur, commixta eisdem prædicta pestilenti, ac putrida aeris substantia: quapropter, nec verè, nec propriè hæ febres dici merentur *diariæ*, licet ab spiritibus prodeant, sed *diariæ pestilentes*. Itaque licet ab spiritu hoc venenato malum incipiat, protinus vniuersum calorem innatum substantiæ cordis vitiat dissipatque, tum quod veneficus spiritus citius, efficacius, & potentius cor ipsum aggrediatur, quam vapor ex putridis humoribus in putridis pestilentibus elatus: tum etiam quia cum spiritus vitalis sit omnium actionum instrumentum, dum adeo grandi corruptione afficitur, membrum omne eius beneficio destitutum perit, & subinde actiones, D ac ex consequenti adeo breuiter vita ipsa.

Pestilens cōstitutio febres efficiens semper eas effecit media putredine.

Pestilentium febrium differentiæ.

Spiritus duob' modis alterari possūt.

Ephemera pestilens quæ.

De hectica vero febre pauci sunt qui ambigant, cum eam Galen. 3. *de præsag. ex puls. cap. 4.* his verbis statuat. *Etenim sunt, vt docuimus, pestilentes non paucæ, nempe vsque ab initio hecticæ, distantque ab omnibus alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur.* Quo loco apertissimè eam constituit: nec valent Cōciliatoris rationes, nam hecticam pestilentem solum ex calore facto ex prima cordis humiditate proficisci est credendum, non quidem in solidiori. Quippe pestilens calor citius vniuersam eius harmoniam vitiabit, & omnino dissoluet, quam quod credibile sit, in nimius figi posse, aut (*vt multi autumant*) putrefieri cordis substantiam, prius enim morietur homo. At E *pestilentem putridam* tot posse sortiri differētias, quot & humores putrescentes excitare, dictum antea est, præter intermittentem: nec non à symptomatis alias oriri, atque non paucas à tumorum præter naturam differentijs, apparentibus, delitescentibus in hac, vel in illa parte, vel in pus versis, aut dissolutis, vel durioribus factis, dolentibus, aut secus: nam hæ quidem omnes conditiones sunt, quæ maximi existunt momenti ad curationem, & cognitionem huius mali. Cum hoc tamen in hoc genere dupliciter febres redduntur pestilentes: vno modo legitime, proprie, & exquisite: alio vero spurie, & illegitime: illas quidem proprie pestilentes appellamus, diuisas tamen in *hecticam, ephemeram, & putridam* pestilentem, hanc vero in *pseudopestilentem, seu malignam* appellatā febrem. In quarum tractatione, (*ephemera posthabita, vt quæ adeo sit celeris periculi, vt nulli auxiliorū locū præstet:*

Hectica pestilens quæ.

Pestilens putrida quæ.

Febres duplici modo pestilētes reddūtur.

Legitime, & Illegitime.

&

& bellica etiam, vt quæ eius sit vehementiæ, & perniciei, vt nulli auxilio cedere vsquam visum sit: præterquam quod plura scripturus sum auxilia, quæ omnibus Deo fauente profutura spero) duo tantum capita instituam, quorum primum, putridam legitime, & propriè pestilentem complectetur, in quo eius essentiam, caussas, signa, & curationes expendam: secundum vero febris malignæ conditionem, differentias, caussas, accidentia, & curationem comprehendet.

CAPVT I.

De pestilenti febre.

Pestilentis febris natura.

CVm febrium pestilentium natura sita maiore ex parte sit in contagiosa, maligna, seu perniciosa aeris putrescentia, *(siquidem, quà communis est morbus, communem quoque sortiri caussam tenetur: quà vero contagiosus, putredinem nancisci, & quà perniciosus, malignitatem: nam hæc tria sunt, quæ huius febris diffinitionem, & naturam complent)* considerare oportet primo, vt eius natura iuxta hanc diffinitionem patefacta, magis elucescat, qua occasione communis fiat morbus, qua etiam contagiosus, quapropter adeo lethali conditione affectus, vt non solum omnibus fiat communis, verum etiam maiorem eorum partem interimat.

Pestilens febris qua occasione fiat popularis.

Efficitur quidem hæc febris *Communis, & Popularis*, ob aliquam caussam communem, & ineuitabilem, citra quam animal diu viuere nequit: cuius naturæ est aer, vel alimentum, aut potus: nam vestes, & quæ non necessario nos alterant, contagio quidem afficiunt, quem attingunt, non tamen communi damno inficiunt. Itaque cum aer, alimentum, aut potus venefica conditione viciantur, necessum est animantia ijs ad vitæ tutelam vtentia infectione eadem corripi, & plerumque periclitari. Verum non omnium animantia, sed ea, quæ vel eo aere magis participant, vel alimento vberius vtuntur, aut potui indulgent: quo fit, vt aues sæpè ea labe inficiantur, & periclitentur, aut pisces, vel bruta plerumque aut homines non raro, iuxta maiorem, aut minorem cum re hac communiter infecta sympathiam, vel liberiorem, & copiosiorem eius vsum. Qualiter autẽ infici praua hac cõditione aer, potus, aut victus possint, in caussarum tractatu copiosius reperies.

Pestilens febris qua ratione fiat contagiosa. Contagiũ, quid.

Qua vero ratione non solum communis, verum & contagiosa fiat hæc dicta febris conditio, iam constabit, si prius dixero, quid & quotuplex *Contagium sit*, vt ad quod eius genus reduci debeat, facilè innotescat. Est igitur contagium, affectus quidam pluribus tacito quodam consensu, atque contactu communicatus: nisi enim quod primo vitium concepit, simile vitium alteri communicet, ipsumque vno quodam modo contingat, nusquam sanè afficiet. Quippe contagium non vnius tantum esse potest, sed plurium, saltem duorum, cum sit consimilis ab vno ad aliud deducta pernicies, siue ea mala, & aduersaria quædam homini qualitas sit, siue infectio tabifica, & pestilens, siue venenata substantia quæpiam lethalem noxam inferens. In pestilentibus autem morbis infectionem tabificam, & corrumpentem ingenerari animaduertimus, quæ ab cæca caussa, & abdita nascitur, siue ea sit grauis anni constitutio, siue sui generis qualitas aeri impressa, siue exhalationes terreæ, à terra aquisve manantes. Illud porro in vniuersum omni contagioni conuenit, vt ex vno in aliud transeat, cui simile vitium præstet, quo ipsum primo affectum est.

Cõtagium qua ratione corpora afficiat.

Qua vero ratione contagium corpora afficiat, *mutata* nimirum *substantia, an alteratis qualitatibus*, expendendum nunc est. Fit igitur contagium secundum substantiam, maximè cum infici substantiam eius, quæ contagio afficitur, corrumpique cernamus.

A In particulis namque minimis primum infectio suscipitur, indeque latius manans, arteriarum, & meatuum corporis adminiculo, in totum corpus disseminatur, partesque eius principes attingens labefactat: quo fit, vt mixtorum sit propria passio, non enim quę simplicia sunt, contagio affici possunt, ob eorum substantiæ puritatem, ac simplicitatem, quà valdè caussis inficere potentibus obnituntur, cum contra mixta ob partium diuersitatem impuritatemque, ac dissimilitudinem contagium excipere apta sint. Ex quo compertum est, contagium vt contagium quoddam perdere, indeque mixti dissolutionem fieri: cũ enim corruptio omnis à contrario fiat, affectus vero à contagio impressus, si vehemens sit, ac deleterius (*nõ enim* B *contagium omne lethale existit, vt inferius probabo*) cõpositum perdere cernamus, vt contrarium id efficere consequens certè est: quippe nulla maior contrarietas quam veneni ad corpus reperiri potest. Sunt etenim in rebus contrarij quidam dissensus, qui natiua quadam contrarietate se inuicem perdunt, simili facta in eo, qui inficitur corruptione, ac ea est, quæ in inficiente existit, quod idem in vtroque seminariũ insit. Contagium quoque prædictam esse corruptionem partium potius, quam alterationem, illud abundè declarat, quod plerumque absque vlla ferè partiũ in suis qualitatibus mutatione, concidere totum repentino quodam interitu videamus. Vt enim alteratio quædam est à contrarijs qualitatibus, sic profecto C substantiæ quædam est, ac peculiaris à contraria quadam substantia corruptio, vt in ephemera pestilenti cordis spiritibus contagio lethali affectis, cernere licet, vbi laborantem minimè à natiuo statu permutatum, repentina tamen morte, cum optima vrina, & pulsu, ac reliquis eodem modo stantibus corripi cernimus. Constat igitur ex his, quæ diximus, infectionem eam, quæ ex contagio suscipitur, in corruptione totius, quæ inficitur substantiæ, magis quam in alteratione consistere.

Contagionis tres differentiæ.

Cæterum vt ad pensum redeamus, statuẽdum est, tres esse contagionis differentias, quarum Quædam contactu solo afficiunt: Quædam præter cõtactum, fomitem etiam in re, quam tetigerunt, relinquunt, à D quo postmodum simile vitium prodit: Tertia verò & vltima differentia est, quæ non contactu, aut fomite solum, sed etiam ad distans ferri potest, eoque vim mali transferre, vt in vasta illa pestilentia, quæ ex Asia in Europam translata multa hominũ millia perdidit: Quæ sanè contagionum differentiæ, vt diuersę sunt, atque dissimiles; sic profecto non idem omnes generationis principium nactæ sunt: quæ enim contactu solo afficit, vt in putrescentibus fructibus spectare licet, cum se coniungunt, principium à putredine sumit cõtagium. Quod primò quidem cõputruit, id alteri putredinem consimilem tactu, aut vicinia affricat, partibus quibusdã insensibilibus à primo fluentibus, seu vaporibus putridis, atque alteri per viciniã, E & contactum adhærentibus. Vera tamen pestilentis contagij ratio sita est in ea seminariorum efficacia, quæ ad distans etiam vim habeat communicari, deferreq; secum vim illam pestilentem, ac diu seruare, occulta quadam, & truculenta cõditione, petita à tenuissima substantia simul & tenacissima, quibus diu durant, & penitius sese inferunt: necnon à putredinosa quadam conditione, quæ licet in seminarijs præd. actu nõ semper sit, est tamen in potentia. Quippe cui dentissimũ est, septica medicamenta nullam in se habere putredinem, cum hoc tamen carnem putrefaciunt. Sic profecto seminaria hæc aliquando putredinis sobolem secum ferunt, vt eum ab inferioribus, terra nimirum, aquis, & rebus putridis eleuantur, nõnunquam vero citra putredinem actualem, potẽtia, quam efficacissimam habent, putrefaciũt inficiũtq; humores, spiritus, & solidas nostri corporis partes.

Putredo vt fiat cōtagiosa, quæ requirantur.

Verum vt putredo contagiosa efficiatur, primo requiritur, glutinosum aliquid putrefactionem obtinere, nam licet ad id fomitem prærequiri omnes auctores fateantur, diu partibus adhærere oportet, quæ nostris corporibus contagium præstatura sunt, alioquin euanescet pronnus, & dissipabitur vapor venenosus corpori impressus, antequam contagium inferre possit: quæ enim aquea sunt, & fluida, nequeunt sua spontè nostris corporibus contagium præstare. *Secundo* ea tātum putredo contagiosa est, cui morbida exhalatio, substantiæ proprietate infensa, coniuncta copulataque fuerit. *Tertio* si ea non adsit intraneam, & fordidam esse putredinem opus proculdubio est: ex quo constat, febrem hanc esse cōtagiosam, communem, & perniciosam.

Putredinos febris pestilentis conditio, et natura.

Licet omnibus videatur constare, qualis naturæ sit febris pestilentis putredo, qualisve sit caloris pestilentis conditio, paucis tamen apertum esse reor, qualis naturæ, & conditionis existat hæc maligna, pestilens, & perniciosa putredo, quæ futura est ad distans contagiosa: & rursus in quo dissideat putridus hic calor, qui in corporibus peste correptis succrescit, à quouis alio putredinis aliquarum febrium putridarum calore. Communes namque putredines certum est, contagiosas non esse, quod ex eo colligere possumus, quod in tertianis, quartanis, & continuis etiam febribus, à putredine ortis (*modo populares pestilentesve non sint*) nullum contagium inferri adstantibus videamus, etiamsi cum ægris perpetuo versentur, tum quod putredo illa ægri tantum corpus obsideat, ad alios minimè transiens: tum vero quod seminario contagionis omnino careat: quo fit, vt aliud peculiarius requiratur ad constitutionem contagiosæ, & perniciosæ putredinis. Nam licet in fructibus, & alijs rebus huius census, putredo nulla alia conditione requisita, contagiosa sit, in nostris tamen corporibus, vt ex vno in aliud transeat, non id sufficit solum, sed maioris efficaciæ putredo prærequiritur, quæ & sordidior sit, & maior, ac profundior, quo sibi similem infectionem, vbicunque accedat, inferre possit, ac etiam ad distans citra corruptionem ferri, & vbique adhærens diu durare. Verum quid per sordidam putredinem, intraneam, grandem, aut malignam liceat intelligere (*quam multi tanquam veram naturam febris pestilentis constituunt*) nondum liquet. Cuius rei occasione animaduertisse oportet, qualis intersit differentia inter hunc pestilentem calorem, & reliquos, qui ex putredine prodeunt, (*nam in eo sita est omnis lethalis efficaciæ ratio*) quo clarior euadet huius putredinis, & diræ conditionis natura, & sors: si prius dixero, non mihi esse satis probatum axioma eorum, qui tenent, veram pestis rationem consistere solum in putredine alicuius substantiæ cordis, reliquarum vero febriū in putredine humorum, aut substantiarum quæ sunt extra cor. Nam licet aliquando intra cor aliquid in peste putrefieri contingat, id potius ad intensionem, & magnitudinem morbi, quam ad naturam referri debet. Ad pensum igitur rediens, in memoriam reuocare oportet, quod *lib. huius operis 6.* adduximus, nimirum caloris præter naturam sex esse differentias, quibus nostri substantia, aut humores vitiantur, & pereunt. Nam aut calor cuiusuis rei intensior efficitur, & res ipsa incalescit amplius quam par sit: Aut efferuescit ita vt rem ipsam exagitet, & in feruorē moueat: Aut vrit, & quod in re humidum est, vrendo cōterit, & tenue omne resoluit: Aut marcidus redditur viribusque infirmis abundantia extranei humidi: Aut putridus efficitur calore ipso reddito imbecilliori ab extraneo adueniente, cùm humidi proprij exsuperantia res ipsa facilè putrescit, & dissoluitur. Aut vltimò pestilens, ac omnino perniciosus, & contagiosus est calor, quo efficitur corruptio. Qualis verò naturæ sit pestilens calor (*quod est summè scitu difficile*) dimissis aliorum opinionibus, nunc expendēdum est: In qua re grauissima, & abdita arbitramur, calorem pestilentem sortiri virtutem, & efficaciam in vnum simul iunctam, atque copulatam prędictorum omnium calorum, & omnes simul eorum alterationis modos ad animantium corpus immaniter inficiendum. Quæ sanè constitutio ob id est nobis adeo aduersa, & potens nostri constitutionem efficaciter euertere, quod omnino præter naturam omnem naturæ modum, seu constitutionem euertat, existatque omnifariam opposita natiuo calori, tum salubri, tum vitali, vt quæ tam spirituum, quam humorum, atque vltimo solidarum partium aduersetur calido, siue hęc aeris, siue aquę, cum cuiusuis alterius mixti corporis qualitatis extiterit, aut à prauo cœli adspectu, (*si ita intelligere licuerit, vt postea sum monstraturus*) aut à praua terrestri qualitate sit genita. Itaque hic calor prauarum qualitatum omnium summam possidens, prauitate malitiæ, & copia, ac modo nocumenti à reliquis deprauatis caloribus seiungitur, & excellentia lethali pollet: quo fit, vt halitus, qui ex putredine, vbi viget huiusmodi calor, eleuetur, contagiosus efficiatur, ob vehementes vires, quas sortitur, & ob id consimilem inferre putredinem, qua vniuersa rei putrescētis substantia perit. Qua sanè ratione quidam hunc calorem secundum totam substantiam natiuo contrarium appellarunt, (*hoc est, secundum omnem modum, quo quidem calidum natiuum existit*) idque non sine magna ratione, siquidem natiuus, & hic, diuersarum substantiarum termini oppositi existunt. Qui quidem sic nominantur, non quod sint substantiæ, sed quod ipsi substantiæ secundum omnes suos gradus caloris, adeo sunt intimi, & familiares, vt alteri substantiæ nequaquam congruere possint: quapropter etsi caliditas hæc accidens sit, & de tertia qualitatis specie, tamen quia secundum totam suam latitudinem natiui caloris omni latitudini, & modo, atque perfectioni opponitur, ideo substantialiter opponi illi dicitur. Quorsnam factum esse arbitror, plerosque Medicorum hanc pestilentem putredinem appellasse *sordidam, profundam, intraneam*, & eadem ratione *contagiosam*. Nam licet ipsi rationem, & caussam non scripserint, verùm tamen eorum dogma censemus, quia ob id iure optimo talis dicenda venit, quod omnis putredinis sit veluti summa, & cōplementum. Quippe in quauis alia febre putrida, vno tantum modo putrescit id, quod patitur, aut per vstionem nimirum, aut per putredinem, vel per tabescentiam: at in pestilenti hac putredine omnibus modis substantia patitur: nam separatur humidum à sicco, vt in reliquis, & rursus humidum corrumpitur, & siccum exuritur, ita vt omnino ab omni natura fiat alienum, quia calor, cui munus est, id exitium machinari (*haud secus quam venenum, vel ignis subiectam sibi materiam in sui naturam mutant, & corrumpunt*) in venenatam hanc qualitatem omnem corporis substantiam trahit. Quod proculdubio censeo esse, putredinem intraneam, & sordidam, ac longè diuersam natura, & efficacia à reliquis. Et ob id iure optimo dicitur huiusmodi calor contagiosus efficaxque & potens, ac crudelis natiui caloris hostis, quia facilè cordis substantiam, & eius contenta adire potest, tum ob natiuam sympathiam, quam cum vitali, & spirituoso calore sortitur: tum vero ob perpetuum cordis motum, quo aeream igneamque substantiam facilè allicit. Quapropter promptè corrumpit intima corporis, atq; simul spirituum massæq; sanguineæ, & solidarum partium innatum calorem putrefacit, adurit, & marcidum simul reddit, quo totius substantiæ corruptio sequitur. Nam reliqui pręter naturam calores, qui singulariter suum subiectum corrumpunt, non secundum totam substantiam pręternaturales asseruntur: quippe secundū aliquos tantum

Calor pestilēs quid differat à caloribus reliquis ex putredine ortis.

Caloris pr. naturam sex differentiæ.

Pestilens putredo cur appellata sordida, profunda, intranea, contagiosa, &c.

Caloris pestilētialis quāta crudelitas, et efficacia.

Calor pestilētialis quid à reliquis ca-

gradus,

loribus prat.nat. differat. gradus, qui intimioris substantiæ sunt, tales nominâtur: secundum vero alios gradus sanitati tantum, & non vitæ opponi traduntur. Putridus namque calor ex putrida tantum febre consurgit, sicut marcidus ab hectica, aut vstiuus ab ardenti, qui sane cum vitali calore diu state, & cohabitare possunt: verùm pestilens hic calor non sic, sed sicut venenum omnê vitalem firmitudinem ambit & conterit, quod omnium calorum præter naturam vim & efficaciã fortiatur, atque id censeo esse, aliquid alteri esse aduersum tota substantia *(vt aiunt)* aut amicum. Sic enim venena à tota substantia nobis sunt aduersa, ita vt ne que calidis, neq; frigidis, humidis aut siccis infirmentur, sed iis tantum, quæ etiam à tota substãtia illis sint aduersa, vt *alexipharmaca*, quæ licet calida sint, calidis venenis contraria existunt, & ita in reliquis considerandum venit. Hinc profectò prodit, plures homines *(siue parati sint, siue secus)* eo calore corripi, quia licet paratos citius apprehendat, nihilominus tamen fortitudo agentis caloris, ad quam eius constans validaque actio, redigunt proculdubio ipsum subiectum ad patiendum pronum & paratissimum. Quibus habitis, necessum non est ad venandam pestilentis naturæ conditionem, ad occultam spiritualemq; caussam recurrere, siquidem materialis hæc ex omnium calorum confluxu integrata, satis esse creditur. Sed experimentis veritatem nostrã expedier confirmare: quippe visitur haud raro huiusmodi pestilés corrumpentque calor in putridorum excedentiumque affectuum infectione: quales sunt *carbunculus, anthrax, esthiomenus, cancer*, & consimiles, quorum sane calores omnino vt pestilentes, præter naturam sunt, & diuersi à calore reliquorum tumorum. Hoc tamen est dissidij inter hos calores, & eum qui vere est pestilens, quòd in vnoquoque prædictorum tumorum, vnus prædominatur caloris modus, licet alij quoque adsint, vt in carbone vstiuus & putredinosus: in esthiomeno putrefactiuus, vstiuus & marcidus, dispari tamen efficacia: at in vere pestilenti febre omnes simul pari, & intensiori efficacia hominem perdunt. Quippe in esthiomeno vstionis vestigium adest, quod natura corrumpatur; putredinis, quia humiditas inundat partem; marcoris, quod absque sensu & dolore hæc fiant: quę sane omnia maiori intensione in bumoribus, dum pestilenti putredine corripiuntur, adesse credendum est.

A tota substãtia a. uersum esse quid.

Pestis na tura non pédet ab occulta & spiri tuali caus sa, sed à naturali.

Carbuncu li, anthra cis, &c. Calor qd à pestilen ti differat

Pestis no men gene rali quã febris pe stilentis.

P stis pro prie quid.

Atque hanc arbitramur pestis, & pestilentis febris conditionem & naturam esse, dum modo intelligatur pestis nomine generalius quid designari, quam nomine febris pestilentis: quippe pestis propriè acreum designat venenum, à quo variæ & populares atque multis communes pestilentium morborum sortes oriri conspicimus. Nam spiritus cordis venenoso illo aere, qui nunc inspiratur, & per arterias, quæ ad cutim terminantur, attrahitur, clam subit offensus et alteratus, tanquam à sibi aduerso veneno, ac mox amissa natiua temperie prædicti aeris consortio naturæ beneficio destitutus, putrere incipit, & subinde sanguini, & reliquis humoribus mixtus clam augescente ac serpente noxa præd. putredinem machinatur, *(ac sæpe cordis humores vitiat, ac nonnunquam ipsius substantiam)* quo per vniuersum corpus ardor pu trafactę & multigenę conditionis diffusus vires omnes deijcit, & maxime principalium membrorum. Quo fit vt eo tempore succi insolenter agitentur, & furiant tanta pernicie affecti, vt dum singulæ partes illis aduersantur, nusquam nullibique con sistere valeant: & ob id in digniora viscera impetu irruentes, in emissaria, vel habitum corporis, *(natura non ferente eorum consortium)* si vires constiterint, truduntur. Hinc sane *bubones, carbunculi, herpetes, & erysipelata fiunt*, nec non & *calores in cute efflorescunt purpurei, carulei, virides, aut alterius praui coloris*, signum profectò euidens huiusmodi malorum. Quo quidem modo pestilentem febrem fieri, quæ vere talis sit, credendum est, licet alia etiam exsistat, quam ex similitudine pestilẽtem nuncupant, quod eiusdem sit ideæ & conditionis, similiaque edat symptomata, ac lethalis existat, etiamsi contagionem non inferat, nisi in simillimam materiam quam censeo Galen. appellasse *lib. 3. de præsag. ex puls. c. 4. & 3. popul. part. 3. 57.* febrem pestilentem sine peste, ortam quidem ab internis principijs, nulla ex viriato aere sumpta sufficienti occasione. Quibus iam constare arbitror, pestilentem febrem esse *morbum vulgarem ex contagione aeris venenati excitatum, putrefactione pestilenti in humoribus concitata quæ omnino nostræ naturæ existit aduersa, eo maxime, quia calor ille multigenus, vt morbi rationem constituat, factus necessario teneatur esse in solida cordis substantia*, ob id profectò mortem plerumque succrescere est arbitrandum, & plerosque deceptos fuisse, credétes solidam cordis substantiam aut humores ibidem contentos putrefieri, quod viuente animali credibile non videtur, aut saltem quã citissime mori erit coniectandum.

Bubones, carbunculi &c. Qua ratione fiat.

Febris pe stilens si ne peste quæ.

Febris pe stilés pro prie quid.

Caussæ pestis & pestilentis febris.

CVm præcipua curandi ratio ex ablatione caussæ, in his affectibus, qui ab ea dependent, principium nanciscatur, & pestilens conditio variam monstrosamque sortiatur naturam, ita vt sæpe incautos medicos fallat, & peritissimis illudat, sit profectò, ob id necessum esse, caussas in genere inuestigare, & speciali us cuiusque varietatis & mutationis rationem inquirere. Quibus cognitis, facile erit præceptis curatiuis vti, & eadem ad varietatem caussæ, affectus, & accidentium etiam mutare. Quemobrem clarioris doctrinę gratia, caussas omnes, quas in hac febre cõsiderare est necessum, ad duas tãtum iure optimo esse reducendas censeo *(præter caussam omnium primã ac præcipuam, quæ nimirum ad Dei omnipotentis iustitiam refertur)* si prius dixero, qualis sit differentia inter caussas morborum popularium, & caussas pestilenis constitutionis.

Est igitur communium morborum caussa de his, quæ nunquam aut difficulter euitari possunt, qualis naturæ est Aer, & res omnes non naturales: ex quibus, vt necessariæ sunt, necessario etiam corpus alteratur, ac sæpe quantum fat sit, vt in morbum incidat: Cuius doctrinę rationem Gal. reddit *lib. 1. popul. part. 1. proœmio.* Nam qua ratione, vbi hæ caussæ intra naturæ legem corpori adhibentur, id tuentur & conseruant, eadem dum vltra eiusdem, vel naturæ modum eisdem vtimur, pronnus nos perdunt, aut in grauissimos affectus deferût. Et cum inter has caussas quædam sint ineuitabiles, & omnibus communes, ita quoq; omnibus communes pariunt affectus. Cęterum cum eædem variæ sint, ita longe diuersam obtinent agendi potestatem. Nam aer potissimus est in communibus morbis efficiendis, idque duplici ratione: *Prima*, quia nobis ceteris communior, & ineuitabilior: *Secunda* vero, quia maiores in se habet alterandi vires. Cui accedit alimentum ineuitabilitet quoque necessarium, à quo naturalem quandam mutationem corpus suscepat, secus tamen res se habet, dum vltra modum aliqua ratione iogeritur. Quapropter censeo a b Hipp. *lib. de flat.* dictum fuisse, morborum omnium caussas in vniuersum esse, *victus* nimirum rationem, & aeris inspirationem. Non quidem, quod ceteræ res non naturales, vt caussa etiam non existant morborum, sed quod has existimet esse potissimas, quia ineuitabiliores sunt ceteris omnibus. Nam aerem, & victum diu citra animantis periculum interdicere non possemus, somnum vero, animi perturbationes, & cetera huius census non ita.

Morborũ popularium caussæ qd à pestilen tis consti utionis caussis differant.

Aer quo ratione morbos efficiat.

Victus et aeris inspi ratio omniũ mor borũ caus sę.

Perti-

Putredo vt fiat cõtagiosa quæ requiruntur.

Verum vt putredo contagiosa efficiatur, primo requiritur, glutinosum aliquid putrefactionem obtinere, nam licet ad id fomitem prærequiri omnes auctores fateantur, diu partibus adhærere oportet, quæ nostris corporibus contagium præstatura sunt, alioquin euanescet protinus, & dissipabitur vapor venenosus corpori impressus, antequam contagium inferre possit: quæ enim aquea sunt, & fluida, nequeunt sua sponte nostris corporibus contagium præstare. *Secundo* ea tantum putredo contagiosa est, cui morbida exhalatio, substantiæ proprietate infensa, coniuncta copulataque fuerit. *Tertio* si ea non adsit intraneam, & sordidam esse putredinem opus proculdubio est: ex quo constat, febrem hanc esse cõtagiosam, communem, & perniciosam.

Putredinos febris pestilentis conditio, et natura.

Licet omnibus videatur constare, qualis naturæ sit febris pestilentis putredo, qualisve sit caloris pestilentis conditio, paucis tamen apertum esse reor, qualis naturæ, & conditionis existat hæc maligna, pestilens, & perniciosa putredo, quæ futura est ad distans contagiosa: & rursus in quo dissideat putridus hic calor, qui in corporibus peste correptis succrescit, à quouis alio putredinis aliquarum febrium putridarum calore. Communes namque putredines certum est, contagiosas non esse, quod ex eo colligere possumus, quod in tertianis, quartanis, & continuis etiam febribus, à putredine ortis (*modo populares pestilentesve non sint*) nullum contagium inferri adstantibus videamus, etiamsi cum ægris perpetuo versentur, tum quod putredo illa ægri tantum corpus obsideat, ad alios minimè transiens: tum vero quod seminario contagionis omnino careat: quo fit, vt aliud peculiarius requiratur ad constitutionem contagiosæ, & perniciosæ putredinis. Nam licet in fructibus, & alijs rebus huius census, putredo nulla alia conditione requisita, contagiosa sit, in nostris tamen corporibus, vt ex vno in aliud transeat, non id sufficit solum, sed maioris efficaciæ putredo prærequiritur, quæ & sordidior sit, & maior, ac profundior, quo sibi similem infectionem, vbicunque accedat, inferre possit, ac etiam ad distans citra corruptionem ferri, & vbique adhærens diu durare. Verum quid per sordidam putredinem, intraneam, grandem, aut malignam liceat intelligere (*quam multi tanquam veram naturam febris pestilentis constituunt*) nondum liquet. Cuius rei occasione animaduertisse oportet, qualis intersit differentia inter hunc pestilentem calorem, & reliquos, qui ex putredine prodeunt, (*nam in eo sita est omnis lethalis efficaciæ ratio*) quo clarior euadet huius putredinis, & diræ conditionis natura, & sors: si prius dixero, non mihi esse satis probatum axioma eorum, qui tenent, veram pestis rationem consistere solum in putredine alicuius substantiæ cordis, reliquarum vero febriũ in putredine humorum, aut substantiarum quæ sunt extra cor. Nam licet aliquando intra cor aliquid in peste putrefieri contingat, id potius ad intensionem, & magnitudinem morbi, quam ad naturam referri debet.

Calor pestilẽs quid differat à caloribus reliquis ex putredine ortis.

Ad pensum igitur rediens, in memoriam reuocare oportet, quod *lib. huius operis 6.* adduximus, nimirum caloris præter naturam sex esse differentias, quibus nostri substantia, aut humores vitiantur, & pereunt.

Caloris pr. naturam sex differentiæ.

Nam aut calor cuiusuis rei intensior efficitur, & res ipsa incalescit amplius quam par sit: Aut efferuescit ita vt rem ipsam exagitet, & in feruorẽ moueat: Aut vrit, & quod in re humidum est, vrendo cõterit, & tenue omne resoluit: Aut marcidus redditur viribusque infirmis abundantia extranei humidi; Aut putridus efficitur calore ipso reddito imbecilliori ab extraneo adueniente, cùm humidi proprij exsuperantia res ipsa facilè putrescit, & dissoluitur. Aut vltimò pestilens, ac omnino perniciosus, & contagiosus est calor, quo efficitur corruptio. Qualis verò naturæ sit pestilens calor (*quod est summe scitu difficile*) A dimissis aliorum opinionibus, nunc expendẽdum est: In qua re grauissima, & abdita arbitramur, calorem pestilentem sortiri virtutem, & efficaciam in vnum simul iunctam, atque copulatam prędictorum omnium calorum, & omnes simul eorum alterationis modos ad animantium corpus immaniter inficiendum. Quæ sanè constitutio ob id est nobis adeo aduersa, & potens nostri constitutionem efficaciter euertere, quod omnino præter naturam omnem naturæ modum, seu constitutionem euertat, existatque omnifariam opposita natiuo calori, tum salubri, tum vitali, vt quæ tam spirituum, quam humorum, atque vltimo solidarum partium aduersetur calido, siue hęc aeris, siue aquę, cum cuiusuis alterius mixti corpo- B ris qualitatis extiterit, aut à prauo cœli adspectu, (*si ita intelligere licuerit, vt postea sum monstraturus*) aut à praua terrestri qualitate sit genita. Itaque hic calor prauarum qualitatum omnium summam possidens, prauitate malitiæ, & copia, ac modo nocumenti à reliquis deprauatis caloribus seiungitur, & excellentia lethali pollet: quo fit, vt halitus, qui ex putredine, vbi viget huiusmodi calor, eleuetur, contagiosus efficiatur, ob vehementes vires, quas sortitur, & ob id consimilem inferre putredinem, qua vniuersa rei putrescẽtis substantia perit. Qua sanè ratione quidam hunc calorem secundum totam substantiam natiuo contrarium appellarunt, (*hoc est, secundum omnem modum, quo quidem calidum natiuum existit*) idque non C sine magna ratione, siquidem natiuus, & hic, diuersarum substantiarum termini oppositi existunt. Qui quidem sic nominantur, non quod sint substantiæ, sed quod ipsi substantiæ secundum omnes suos gradus caloris, adeo sunt intimi, & familiares, vt alteri substantiæ nequaquam congruere possint: quapropter etsi caliditas hæc accidens sit, & de tertia qualitatis specie, tamen quia secundum totam suam latitudinem natiui caloris omni latitudini, & modo, atque perfectioni opponitur, ideo substantialiter opponi illi dicimr. Quo etiam factum esse arbitror, plerosque Medicorum hanc pestilentem putredinem appellasse *sordidam, profundam, intraneam,* & eadem D appellatione *contagiosam*. Nam licet ipsi rationem, & caussam non scripserint, verum tamen eorum dogma censemus, quia ob id iure optimo talis dicenda venit, quod omnis putredinis sit velut summa, & cõplementum.

Pestilens putredo cur appellata sordida, profunda, intranea, contagiosa, &c.

Quippe in qualiuis alia febre putrida, vno tantum modo putrescit id, quod patitur, aut per vstionem nimirum, aut per putredinem, vel per tabescentiam: at in pestilenti hac putredine omnibus modis substantia patitur: nam separatur humidum à sicco, vt in reliquis, & rursus humidum corrumpitur, & siccum exuritur, ita vt omnino ab omni natura fiat alienum, quia calor, cui munus est, id exitium machinari (*haud secus quam venenum, vel ignis subiectam sibi materiam in sui naturam mutant, & corrumpunt*) in venenatam hanc qualitatem omnem cor- E poris substantiam trahit. Quod proculdubio censeo esse, putredinem intraneam, & sordidam, ac longè diuersam natura, & efficacia à reliquis. Et ob id iure optimo dicitur huiusmodi calor contagiosus efficaxque & potens, ac crudelis natiui caloris hostis, quia facilè cordis substantiam, & eius contenta adire potest, tum ob natiuam sympathiam, quam cum vitali, & spirituoso calore sortitur: tum vero ob perpetuum cordis motum, quo aeream igneamque substantiam facilè allicit.

Caloris pestilẽtialis quãta crudelitas, et efficacia.

Quapropter promptè corrumpit intima corporis, atq; simul spirituum massæq; sanguineæ, & solidarum partium innatum calorem putrefacit, adurit, & marcidum simul reddit, quo totius substantiæ corruptio sequitur. Nam reliqui pręter naturam calores, qui singulariter suum subiectum corrumpunt, non secundum totam substantiam pręternaturales asseruntur: quippe secundũ aliquot tantum

Calor pestilẽtialis quid à reliquis ca-

gradus,

loribus prat. nat. differat. gradus, qui intimioris substantiæ sunt, tales nominantur: secundum vero alios gradus sanitati tantum; & non vitæ opponi traduntur. Putridus namque calor ex putrida tantum febre consurgit, sicut marcidus ab hectica, aut vstiuus ab ardenti, qui sane cum vitali calore diu stare, & cohabitare possunt: verum pestilens hic calor non sic, sed sicut venenum omnem vitalem firmitudinem ambit & contenit, quod omnium calorum præter naturam vim & efficaciá sortiatur, atque id censeo esse, aliquid alteri esse aduersum tota substantia *(vt aiunt)* aut amicum. Sic enim venena à tota substantia nobis sunt aduersa, ita vt ne quæ calidis, neq; frigidis, humidis aut siccis infirmentur, sed ijs tantum, quæ etiam à tota substátia illis sint aduersa, vt *alexipharmaca*, quæ licet calida sint, calidis venenis contraria existunt, & ita in reliquis considerandum venit. Hinc profecto prodit, plures homines *(siue parati sint, siue secus)* eo calore corripi, quia licet paratos eius apprehendat, nihilominus tamen fortitudo agentis caloris, atque eius constans validaque actio, redigunt proculdubio ipsum subiectum ad patiendum pronum & paratissimum. Quibus habitis, necessum non est ad venandam pestilentis naturæ conditionem, ad occultam spiritualemq; caussam recurrere, si quidem materialis hæc ex omnium calorum confluxu integrata, satis esse creditur. Sed experimentis veritatem nostrá expediet confirmare: quippe visitur haud raro huiusmodi pestilés corrumpentique calor in putridorum excedentiumque affectuum infectione: quales sunt *carbunculus, anthrax, esthiomenus, cancer*, & consimiles, quorum sane calores omnino vt pestilentes, præter naturam sunt, & differ si à calore reliquorum tumorum. Hoc tamen est dissidij inter hos calores, & eum qui vere est pestilens, quòd in vnoquoque prædictorum tumorum, vnus prædominatur caloris modus, licet alij quoque adsint, vt in carbone vstiuus & putredinosus: in esthiomeno putrefactiuus, vstiuus & marcidus, dispari tamen efficacia: at in vere pestilenti febre omnes simul pari, & intensiori efficacia hominem perdunt. Quippe in esthiomeno vstionis vestigium adest, quod natura corrumpatur; putredinis, quia humiditas inundat partem; marcons, quod absque sensu & dolore hæc fiant: quę sane omnia malon intensione in humoribus, dum pestilenti putredine corripiuntur, adesse credendum est.

A tota substātia aduersum esse quid.

Pestis natura non pēdet ab occulta, & spiritali causa, sed à naturali.

Carbunculi, anthracis, &c.

Calor qd à pestilen ti differat

Atque hanc arbitramur pestis, & pestilentis febris conditionem & naturam esse, dum modo intelligatur pestis nomine generalius quid designari, quam nomine febris pestilentis: quippe pestis propriè aereum designat venenum, à quo variæ & populares at que multis communes pestilentium morborum sortes oriri conspicimus. Nam spiritus cordis venenoso illo aere, qui tunc inspiratur, & per arterias, quæ ad cutim terminantur, attrahitur, clam subit offensus et alteratus, tanquam à sibi aduerso veneno, ac mox amissa natiua temperie prædictis actis consortio naturæ beneficio destitutus, puttere incipit, & subinde sanguini, & reliquis humoribus mixtus clam augescente ac serpente noxa præd. puttedinem machinatur *(ac sæpe cordis humores vitiat, ac nonnunquam ipsius substantiam)* quo per vniuersum corpus ardor pus trafactę & multigenę conditionis diffusus vires omnes deijcit, & maxime principalium membrorum. Quo fit vt eo tempore succi insolenter agitentur, & furiant tanta pernicie affecti, vt dum singulæ partes illis aduersantur, nusquam nullibique consistere valeant: & ob id in digniora viscera impetu irruentes, in emissaria, vel habitum corporis, *(natura non ferente eorum consortium)* si vites constiterint, truduntur. Hinc sane *bubones, carbunculi, herpetes, & erysipelata fiunt*, nec non & *calores in cute efflorescunt purpurei, cærulei, virides, aut alterius praui coloris*, signum pro-

Pestis nomen generali⁹ quā febris pestilentis.

Pestis proprie quid.

A fecto euidens huiusmodi malorum. Quo quidem modo pestilentem febrem fieri, quæ vere talis sit, credendum est, licet alia etiam existat, quam ex similitudine pestilérem nuncupant, quod eiusdem sit ideæ & conditionis, similiaque edat symptomata, ac lethalis existat, etiamsi contagionem non inferat, nisi in simillimam materiam quam censeo Galen. appellasse *lib. 3. de præsag. ex puls. c. 4. & 3. popul. part. 3. 57.* febrem pestilentem sine peste, ortam quidem ab internis principijs, nulla ex vitiato aere sumpta sufficienti occasione. Quibus iam constare arbitror, pestilentem febrem esse *morbum vulgarem ex contagione aeris venenati excitatum, putrefactione pestilenti in humoribus concitata quæ omnino nostræ naturæ existit*

B *aduersa, eo maxime, quia calor ille multigenus, vt morbi rationem constituat, factus necessario teneatur esse in solida cordis substantia*, ob id profecto motem in plerumque succrescere est arbitrandum, & plerosque deceptos fuisse, credétes solidam cordis substantiam aut humores ibidem contentos putrefieri, quod viuente animali credibile non videtur, aut saltem quá citissime mori erit coniectandum.

Bubones, carbunculi &c.

Qua ratione fiāt.

Febris pestilens sine peste quæ.

Febris pestilés propric quid.

Caussæ pestis & pestilentis febris.

C Vm præcipua curandi ratio ex ablatione caussæ, in his affectibus, qui ab ea dependent, principium nanciscatur, & pestilens conditio variam monstrosamque sortiatur naturam, ita vt sæpe incautos medicos fallat, & peritissimis illudat, fit profecto, ob id necessum esse, caussas in genere inuestigare, & specialius cuiusque varietatis & mutationis rationem inquirere. Quibus cognitis, facile erit præceptis curatiuis vti, & eadem ad varietatem caussæ, affectus, & accidentium etiam mutare. Quemobrem clarioris doctrinę gratia, caussas omnes, quas in hac febre cōsiderare est necessum, ad duas tatum iure optimo esse reducendas censeo *(præter caussam omnium primā ac præcipuam, quæ nimirum ad Dei omnipotentis iustitiam refertur)* si prius dixero, qualis sit differentia inter caussas morborum popularium, & caussas pesti-

D lentis constitutionis.

Est igitur communium morborum caussa de his, quæ nunquam aut difficulter euitari possunt, qualis naturæ est Aer, & res omnes non naturales: ex quibus, vt necessariæ sunt, necessario etiam corpus alteratur, ac sæpe quantum sat sit, vt in morbum incidat: Cuius doctrinę rationem Gal. reddit *lib. 1. popul. part. 1. proœmio.* Nam qua ratione, vbi hæ caussæ intra naturæ legem corpori adhibentur, id tuentur & conseruant, eadem dum vltra eiusdem, vel naturæ modum eisdem vtimur, pronius nos perdunt, aut in grauissimos affectus deferút. Et cum inter has caussas quædam sint ineuitabiles, & omnibus communes, ita quoq; omnibus communes pariunt affectus.

E Ceterum cum eædem variæ sint, ita longe diuersam obtinent agendi potestatem. Nam aer potissimus est in communibus morbis efficiendis, idque duplici ratione: *Prima*, quia nobis ceteris communior; & ineuitabilior: *Secunda* vero, quia maiores in se habet alterandi vires. Cui accedit alimentum ineuitabilitet quoque necessarium, à quo naturalem quandam mutationem corpus suscepiat, secus tamen res se habet, dum vltra modum aliqua ratione ingeritur. Quapropter censeo ab Hipp. *lib. de flat.* dictum fuisse, morborum omnium caussas in vniuersum esse, victus nimirum rationem, & aeris inspirationem. Non quidem, quod ceteræ res non naturales, vt caussæ etiam non existant morborum, sed quod has existimet esse potissimas, quia ineuitabiliores sunt ceteris omnibus. Nam aerem, & victum diu citra animantis periculum interdicere non possemus, somnum vero, animi perturbationes, & cetera huius census non ita.

Morborū popularių caussa qd à pestilentis constitutionis caussis differant.

Aer quo ratione morbos efficiat.

Victus et aeris inspiratio omniū morborū caussæ.

Perti-

Populares morbi ad communes pertinent.

Pertinent vero ad communes morbos hi, quos *populares* appellamus, quos à prædictis differre solo modo vagandi caussæ, omnibus esse compertum censeo: nam populares morbi aerem solum temporaria occasione male affectum sequuntur. Quo fit, vt per omnes ætates, sexus, ac victus genera ex communitate caussæ populares fiant morbi. Itaque ad communes pertinere populares cõstat, quia ex aere fiunt, populares tamen existunt, quia ex aere temporaria occasione male affecto suboriuntur. Dissident tamen ab endemijs, quia hi fiunt ab aere male affecto semper, aut ab alia occasione, quæ eodem modo semper se habeat: illi vero ab aere temporaria occasione affecto: à quibus etiam dissident multitudine affectorum hominum, nam populares plures, endemij pauciores homines apprehendunt. Itaque aer popularium morborum caussa existit, quia *communis effectus communem quoque caussam esse necessum est: sed aere communior caussa non reperitur*, ergo *ipse popularium præcipua existit caussa*. Nam licet commune alicui populo aut regioni alimentum, populares quoque morbos efficere sit natum, quia tamen raro contingit, eadem quantitate alimentorum omnes homines vti, nec si eadem vtatur, ob id popularis morbus suboriretur, quia differt corpus à corpore, & natura à natura, ideo sane aerem popularium morborum præcipuam caussam existimamus. Præterquam quod morbi ex alijs caussis facti, neque ita sunt frequentes, neque difficiles cognitu, *Gal. refert lib. 2. pop. in proœm.*

Quid ab endemiis dissideat.

Aer popularium morborum præcipua causa.

Ceterum non vnico & eodem modo caussa popularium omnium existit, sed cum varij sint populares morbi, varias quoque esse eiusdem alterationes necessum est. Quarum omnium discretissima satis oratione meminere Hippocrat. & Galen. *lib. 1. & 2. popul. & 3. aphorism.* Morbidus igitur, & popularium caussa efficitur aer, *Vno* quidem modo, dum secundum qualitates manifestas alteratur: nam aut ventorum inquinamentis afficitur, aut cœlorum mutationibus, *vt capit. de febr. malign. inferius dicturus sum: Alio* vero, dum in tota substantia alteratur, qui non solum popularium vt primus modus, sed popularium pestilentium potissima existit caussa, cuius doctrinæ gratia legere oporter caussas febris malignæ, quatenus ad aerem pertinet, quippe nõ patuam vtilitatem his, quæ hac in parte dicturus sum, afferre possunt: quibus suppositis, & ante hunc locum lectis, aggrediar pestilentis naturæ genuinas, & potissimas caussas. Multi profecto fuere ex veteribus qui pestis rationem & caussam explicare, & posteris tradere tentarunt, sed vnum Hippocrat. in eo genere omnes alios excelluisse, inter Medicos constat: non modo in his, quos *epidemicos* scripsit *libros*, verum etiam *lib. de spiritibus*. In quo sapientissimus senex omnium morborum aliquod dari commune principium, nempe aerem ante cetera ostendens, ita scribit: *Post hoc igitur statim dicendum, quod non aliunde potissimum morbo. nasci consentaneum est, quam hinc, quando scilicet* (loquebatur de aere siue spiritu) *vel copiosior vel paucior, vel cumulatior, atque morbosis inquinamentis infectus corpus intrat:* paulo vero post febres in duo genera partiens: alterum commune omnibus *pestem* vocat: alterum ijs qui mala viuendi consuetudine vtuntur, ob victum *proprium* facit. Atque de primo siue pestilente in hunc modum loquitur. *Communis itaque febris ideo talis est, quod spiritum huiusmodi omnes attrahant: simili modo spiritu similiter corpori commixto, similes quoque morbi efficiuntur.* Neque ob id quidem credendum est, eandem contagionem omni animalium generi esse communẽ: caussa profecto est, quia licet aer omnibus animantibus sit communis, corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento differunt: non enim omnibus animalium generibus incongrua eadem & congrua sunt, sed alia

Aer quot modis popularium morborum caussa.

A alijs conueniunt. Ob id profecto vnanimi fere omnium doctissimorum consensu constat, pestilentem cuiusque contagionem suæ speciei esse communem & familiarem, potius quam alteri aut diuersæ. Quapropter nec male sentiunt, meo iudicio, qui volunt, hominum pestiferorum cadauera hominibus nocere magis, vt equorum equis, & aliorum animalium suæ speciei animalibus. Qua ratione frequenter conspicitur, pestem pecora deuastare, aut fruges, aut arbores, aut alias viuentium species: reliquis superstitibus manentibus. Quam sententiam Lucret. *in 6. de natur.* adeo eloquenter & apposite expressit, vt non aliunde quam ex Hippocr. libris eam excerpsisse videatur: Eiusdem quoq; sententiæ Gal. fuisse videtur *lib. 1. pop.* qui huius rei caussas reijcit in aerem & corB porum variam dispositionem. Atqui licet Hipp. eodem *lib. de flat.* dicat, vtriusque generis febrium auctorem esse; subaudiendum est, *primum genus primo, & per se, ac præcipue ab aere fieri: secundum vero secundario.* Ex quibus constat, pestilẽtem constitutionem ex aere proficisci. Cui dogmati subscribit Galen. *1. popul.* per hæc verba: *Popularium perniciosissimi sunt qui pestilentes vocantur, qui perinde ac totum popularium genus ex aeris statu profecti sunt.* Itaque cum vno & consimili morbo omnes homines eodem tempore corripiuntur, caussam maxime communem esse, iure optimo cẽsebimus: quod ratione deducta ab Hippocrat. *lib. de natur. hum.* vlterius probari potest. *Morbi, inquit, alij à victus genere, alij spiritu, quem attraC hentes viuimus proueniunt.* Tunc si ex victu solo, *vt superius probatum est,* hi morbi prouenire nequeunt; *Ergo ex aere necessario proficiscentur:* cui tanquam talis adiungitur. *Omne morborum genus quod citra vllam distinctionem victus, sexus, aut ætatis per multos homines eodem tempore grassatur, ab aere male affecto principium sumere dicendum est; Sed talis est morborum pestilentium inuulgatio: siquidem omnes similis affectus corripis; ergo ab aere proficisci est necessum, eò quod nulla sit inter caussas inferiores, quæ consimiles morbos diuersis naturis præstare possit.*

Pestilens contagio suæ speciei cõmunis & familiaris, nõ alteri à propria specie diuersæ.

Pestilentium febrium præcipua causa aer ratione primaria; aliarum febrium ratione secundaria.

Sed nosse hac in parte decet, quanam ratione aer vt pestilens fiat, à caussis id efficientibus disponatur corrumpaturque secundum substantiam: pendere D hanc aeris perniciem à venenato quodam inquinamento aeris inspersõ prima huius capitis parte diximus. Quod profecto consurgit aliquando ab inferioribus, vt exhalatione putrida à cadaueribus excitata, aut corruptis frugibus, leguminibus, & olerihus, paludibus baratris, & alijs huius censũs, quæ præd. loco retulimus. A quibus inquinamentis aer fœda putredine conspurcatus corpus ingrediens, pestilentes & contagiosos concitat affectus. Itaque aer, cuius tãtopere vlus nobis est necessarius & communis, licet secundum Arist. *lib. 20. probl. text. 25.* non putrescat vera putredine, varie tamen alteratur, & veluti corrumpitur externæ & venenosæ substantię admixtio E ne aut alteratione, *vt inferius monstrabo:* quam ego censeo esse veram aeris putrefactionem. Nam quod aliter putrescere non possit, constat euidenter ex Galen. *lib. art. med. cap. 85. 2. de nat. hum. com. 2. lib. 12. meth. cap. 5. lib. 1. de san. tuend. cap. 11.* quam etiam aeris corruptelam aliquando cœlitus aduenire, communi fere Astrologorum omnium & Medicorum consensu firmatum est. Quod duobus modis cœlum posse efficere, constare apud omnes arbitror, nimirum aere mutato secundum manifestas qualitates, eo modo, quo in popularibus caussis dictum est, *vt in ortu Caniculæ, vigente maxime æstu, & in alijs vehementibus aeris mutationibus facile conspicimus*, quas pestilentes posse parere morbos constat, *vt etiam ex Gal. probari potest lib. art. medicinalis, cap. 85. & lib. 1. de different. febr.* Quam aeris mutationem secundum eius qualitates & in popularibus & in pestilentibus morbis

Aer qua ratione fiat pestilens.

Pestilens constitutio nequit fieri citra manifestã aeris alterationem.

Aer quomodo corrumpatur à cœli influxu.

bis considerare, plurimum conducit. Secunda vero A aeris alteratio à cœlo etiam demandata, fit in tota eius substantia, ita vt quemadmodum in alimentis, sic in aere experiamur, aliquãdo qualitatem familiarem spiritui animali: aliam vero alienam & corruptricẽ. Nam tunc habet aer morbidam illam excretionem, quam commemorat Hippocrat. *lib. de natur. hum.* estque diuinum illud, quod perpendendum docuit, *lib. 1. prog. & lib. 1. de morb.* Atqui dum aer maligno hoc inquinamento fœdatur, substantia eius veluti corrupta, tunc inspiratus pestilentes generat affectus.

Dubium.

Cæterum an *huiusmodi aeris inquinamentum in occulta quadam proprietate, & venenoso contagio consistat ex diuerso, maligno & occulto syderum & planetarum omnium aspectu prodeunte, circa manifestã aeris alterationem: an qualitatibus manifestis aeris impressis, ex manifestis, communibus & necessarijs astrorum aspectibus* non satis inter Auctores conuenit. B Quibus accedit tertia dubitatio, nimirum *an cœlum possit venenosam & contagiosam qualitatem in hæc inferiora influere.* Quapropter quid in hac re sentiendũ sit, breuibus perstringam. Nam sunt plures, & præstantissimi inter Medicos & Philosophos, qui cum Astronomis contendunt, ex occulto quodam contagioso inquinamento aeri impresso, ex inimico et pernicioso syderum aspectu pestem proficisci. Alij rursus cum Platone, Arist. & plerisque antiquorum tenent, nulla lege, nullaque ratione posse fieri, quod syderum aspectus venenum ac perniciem in hæc inferiora distribuant. Alij item sunt, qui cœlitus aliquid transmitti in hæc inferiora fatentur ad pestis generationem: ceterum id fieri mediatibus manifestis qualitatibus. Quibus dubitationibus quæ maximi esse momenti mihi in hac re videntur, satis facere in hoc loco visum est quatuor propositionibus quarum prima est: *Influxum esse ad febres pestilẽtes cœlitus necessarium:* quod probatur ex communi Philosophorum omnium consensu, qui gubernari hæc inferiora superioribus lationibus necessariò fatentur: dixit enim Proclus lib. de anim. *Superiori harmonica ratione mũdana omnia continent atque perficiunt & inuicem accommodant.* Præterea id Auic. *fen. 1. 4. tract. 4. cap. 1.* specialius fatetur loquẽs de pestilentium febrium generatione, dicens: *Principium omnium horum sunt formæ ex formis cœli facientes esse necessarium illud, cuius aduentus ignoratur:* Ex paulo post inquit. *Oportet vt scias, quod caussa prima longinqua ad illum sunt figuræ cœlestes, & propinquæ dispositiones terrestres.* In quo sane dogmate, tanquam in verissimo, non est in animo plurium auctorum sententias recensere: sed vnica & euidenti ratione rem concludere, quæ talis est: *Illud quod est inevitabiliter multis aut omnibus in diuersis partibus commune, communissimam obtinere caussam necessarium est, sed talis est pestilens constitutio.* Ergo *necessarium est obtinere communem caussam.* Quod facile probari potest: *nam pestilens constitutio, quæ principium ex his inferioribus trahit, regione & aere mutatis, vim nullam habere potest: Ceterum ea, quæ huiusmodi non est, cum caussam habeat omnibus communem, nimirum planetarum, syderumque influxum, vitari minime potest:* Ex quo infero rationem, *pestilentem videlicet constitutionem, quæ multis est communis, & in diuersis locis, necessario ab influxu cœlesti demandari.* Itaque cœlum generationis & corruptionis caussam esse, & ad vtrumque esse necessarium eiusdem naturalem influxum, nemo sanæ mentis negabit.

Pestis vtrum ex pernicioso syderũ aspectu oriatur.

I. *Influxus cœli necessarius est ad febriũ pestilẽtiũ generationem, & quare.*

Pestilens cõstitutio ab influxu cœli oritur.

II. Secunda propositio huic finitima talis est. *Ex syderum & planetarum aspectibus, & coniunctionibus, quosdam sunt alijs præstantiores, & vsui humanæ vitæ commodiores.* Ex hac quidem propositione cõstat, in hæc inferiora fieri diuersos influxus, ex vario & diuerso syderum congressu & aspectu, quorum aspectuum

Syderum aspectus alij alijs præstantiores.

diuersitas diuersum efficit in his inferioribus affectum: quemadmodum Galen. profert *lib. 2. de diebus decretorijs,* dicens: *Lunam, vbi planetas salutares & temperatos aspexerit, faustos & beneuolos producere dies, infaustos autem & molestos, vbi intemperatos:* Probat hanc propositionem Auer. *libr. 9. metaphys. cap. 10.* per hæc verba. *Manifestum est, quod in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna: sed eorum essentia est principium, in his neque malum est omnino, neque error, neque corruptio: corruptio enim est ex rebus malis.* Et ex hoc cognoscitur, impossibile id esse scire, quod Astronomi dicunt, *stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas: id autem scribi de eis potest, quibusdam esse meliores.* Ex qua sententia infertur, esse inter astra non leuem differentiam sub ratione præstantiæ. Tunc vltra, si verum est, astra suis mutationibus & aspectibus hæc inferiora mutare, necessum est conijcere, (*siquidem variam cognoscimus, diuersam ac sæpe contrariam inferiorum mutationem*) varios quoque esse syderũ concursus & aspectus. Atqui cum inferiorum mutationes quædam sint salutiferæ, quædam minus salutares, necessum subinde erit conijcere, aspectus mutationũ effectrices esse dispari bonitate affectos. Non enim possibile est, vt omnibus naturis, regionibus ac anni temporibus omnes cœlorum motus, & syderum aspectus sint æquè salutares: idque non solũ ex inferiorum varietate, sed ex mutationum inclemẽ- C tia. Quis enim vehemens frigus, vehementem æstum, & aliarum mutationum inæqualitatem, & nobis cõtrariam atque inimicam intemperiem (*quantumuis temperato sit corpore*) citra noxam perferre poterit? Itaque constat ex prima propositione, cœlum hæc omnia immutare, & ex secunda, variam & diuersam mutationem præstare.

Influxus cœlestis quare varie immutet hæc inferiora.

Tertia vero propositio tenet, *licet astra possint in hæc inferiora influere, nullum esse cœli neque syderum concursum talem, aut configurationem, quæ suapte natura citra manifestam aeris alterationem, pestem aut contagium immittere in hæc inferiora possit.* Quam propositionem ex antiquorum decretis probare esset facile, sed importunum: nam cum vnanimi constet omnium D sententia, cœlum ac planetarum omnium & syderum concursus semper bonum in hæc inferiora influere, *vt ex Plat. in Epinom. apertè constare video,* qui Solis, Lunæ, ac reliquorum planetarum, & stellarum potestatem atque naturam admirans, *sorores* omnes appellat, sic mille in locis testatus est, amicitiam, conseruationem & beneficium nobis præstare, idque, non alia ratione fieri, quam ex eo, quod cœlestium substãtia vna sit, salutaris & benefica. Quamobrem videtur à ratione alienum, contagium seu pestẽ, rem omnino malam, inordinatam & non naturalem, primis adscribere naturæ caussis, alioquin ordinatissimis & potentissimis. Quod etiam conceptis verbis testatur Aristot. *lib. 9. Meta. cap. 10. In his* (inquit) *quæ* E *sempiterna, atque æthereæ sunt, neque malum, neque errorem aut corruptionem inueniri.* Cui consimilem sententiam adducit idem auctor *1. cœli comm. 13.* affirmans *malum neque in illis esse, neque ab ipsis manare. Præsertim cum trãsmutabilia non sint, & passionis expertia, quæ illic sunt corpora.* Quibus sententijs (pretermissis doctissimorum virorum quam plurimis) subscribunt rationes non paucæ. Prima sane desumitur ex Mercurio Trismegisto in Asclepio, quæ talis est: *Quicquid de alto descendit* (inquit) *generans est. Quod si generat quod è cœlo ad nos labitur, corrumpere suapte natura non potest: at contagium & pestis non sunt corruptiones aptæ ad generationem, neque vlla ratione prærequisita media ad eadem,* ergo *nullo modo à cœlo & astris possunt intendi.* Secunda ratio desumitur ex Auer. *1. cœli, com. 24.* hæc verba proferente. *Corpora cœlestia conseruant elementa, & continent ipsa, & vniuersa-*

III. *Influxus cœli & syderũ concursus nõ possunt sua pte natura pestem immittere, citra manifestã aeris alterationem.*

Pestem ab aspectibus non oriri.

1.

2.

uersaliter sunt eis quasi forma. Ex qua sententia sic formo tanonem: *Quod conseruat & continet, ceterisque omnibus est velut forma, id contagio afficere atque veneno, quæ conseruat & continet, minime potest: sed cælum est huiusmodi.* Igitur *à cælo contagium manare*
3. *non potest.* Tertia vero ratio desumitur etiam ex eodem Auer. 1. *comm.* 28. nam inquit: *Si enim aduersaria nobis cælestia corpora essent, corrumpi statim vniuersum, consequens plane foret:* tunc sic infero rationem: *Cælum vitam nobis plātisque benefico munere impartitur*, ergo *id contagium & quid maleficum nobis impartiri nō potest.* Probat assumptum idem Auctor *lib. de subst. orbis* dicens, *vitam nobis vegetabilem, sensibilem, & animalem, calore cælestium corporum tradi:* ergo *alienum est à ratione, existimare ea, quorum be*
4. *neficio viuimus, nos contagio afficere.* Quarta autem & vltima ratio desumitur ex natura pestilentis constitutionis, *quæ cum de genere sit eorum, quæ contagio afficiunt, necessum est, à re, quæ id valeat inferre, proficisci: sed astrorum adspectus nullo modo id possunt inferre*, ergo *neque pestem.* Minor probatur, *vt enim contagium fiat, id à quo primum manat, inquinatum esse oportet, si alteri inquinamentum præstare debet, cum contagium non vnius solum, sed duorum sit affectus.* Quamobrem *aut sydera esse contagione affecta, aut ipsa contagium non præstare* credendum est. Ex quibus manifeste constat, ex astrorum aspectibus contagium seu pestem non posse ex propria eorum natura aut inimicitia proficisci: nam fortasse (si id esset verum) quæ non esset minoris momenti ratio, sequeretur, omnia viuētia male affici ex præd. aspectibus.

Influxus cæli pestē efficiunt medianti bus manifestis qualitatibus et aeri tribuēdo aliquod nobis occultum substātię vitium.

Quarta autem propositio se habet in hunc modū, *licet superni influxus necessarij sint, & varij, ac diuersi: cum hoc tamen non sunt malefici, neque contagiosi, ac pestilentes, sed pestilentem efficere possunt constitutionem, mediantibus manifestis qualitatibus, licet aeri insit ex eisdem aliquod nobis occultum substātiæ vitium.* Qua propositione probatur, sufficere manifestas aeris alterationes à varijs sydetum adspectibus illatas ad pestis generationem. Quod manifestissime probauerat Hippocrates *lib. epidemior.* nam omnem morbidam seu pestilentem constitutionem depingit, sumpto narrationis principio a manifestis aeris mutationibus, quod Galenus pulcra quadam sententia videtur confirmare *lib* 1. *de temperam.* per hæc verba: *Verum hic minus* (subdit) *vtpote vno tantum è temporibus mutato malum fuit. Quod si duo triaue sint mutata, aut totus annus calidus humidusq; fuerit, necesse est magna pestilentia succedat*, cuiusmodi *in tertio epidemior.* narrat Hippocrat. Sic Paul. *lib.* 2. *cap.* 36. & Aetius venatur, *futuram pestem ex malignorum anni temporum mutationibus.* Quam seotentiam vltro profitentur Auicen. & Plat. in conui. his verbis: *Nam quoties in anni constitutione calida & frigida, humida & sicca congruum inter se sortiuntur amorem & harmoniam, temperiemque oportunam suscipiunt, salubrem & fertilem annum hominibus, animantibus, atque plantis afferunt, neque quicquam lædunt. Contra vero cum petulans & contumeliosus amor in anni temporibus præualet, iniuria multa corrumpit. Pestes siquidem ex his fieri consueuerunt & alij morbi:* Qua seotentia constat, aeris alterationem sufficere ad pestilentem constitutionē.

Aeris alteratio ad pestilentē constitutionē sufficit.

Sed constat vlterius assertio nostra, supposito, aerem duobus modis putrefieri: *Vno* ex mixtione putridi habitus. *Altero* vero ex aliena vehementi & cootraria ipsius alteratione cœlitus syderum adspectibus illata, quæ quodammodo mutata aeris substantia, certum quendam efficit corruptionis modum. Tunc sic, si aer potest in tota substantia alterari (*euidens esse omnibus viris doctis arbitror*) necessum est morbos efficere communes, & pestilentes, ac contagiosos: Sed hæc aeris mutatio nequit fieri citra manifestam qualitatum eius alterationem: reliquum est igi-
A tur, *pestilentem constitutionem prærequirere manifestam aeris alterationem.* Verùm quod fieri nequeat pestilens constitutio citra manifestam aeris alterationem certum est omnibus Astronomis: nam cœlestes adspectus nil aliud præter manifestas qualitates imprimunt, quibus sua munia huc perficiunt, quod docuerat Ptolemeus, dicens: *Dominantibus Saturno & Marte prouenire frigus, calorem & siccitatem:* cui sententię adstipulantur omnium Astrologorum decreta.

Pestilens constitutio citra manifestam aeris alterationē non fit.

Dubium.

Sed dubitabit aliquis, *si popularibus, sicut & pestilentibus morbis necessaria est aeris alteratio, in quo sita sit, quatenus ad aerem pertinet, differentia.* Cui dicimus, aerem duobus modis vitiari, iuxta qualitates ni-
B mirum, & secundum totam eius substantiam: Prima morbos proculdubio efficit populares & communes: morbi vero pestilentes vtramque requirunt alterationem, & manifestam, & quæ in tota substantia fit, medicis occultam appellatam: illam vt corpora pestilenti contagio paratissima reddat: hanc vero, vt magnam, sordidam & contagiosam putredinem pestilentiæ sobolem perficiat.

Aer duobus modis vitiatur.

Quam sane corruptionem aeris substantia susceptauit, non quidem ex malefico astrorum adspectu, sed quia qualitates illæ manifestæ tam fuere vehementes, & aeris naturę aduersæ, vt substantiam ipsam viriauerint: qua quidem vitiata ineffabili aliquo vitio (*quia substantia vitia, sicut neque eius natura exactè verbis exprimi nequit*)
C quod *occultam qualitatem* appellamus, protinus nostra corpora pręparata iam manifesta aeris intemperie inuadit & perdit, tanquam perniciosum alimentum, idque citius & efficacius, quia velocius peruadit abdita corporis & spiritus: & ob id ocyssime solidam substantiam subuertit, etiamsi ipse aer putridus vere non sit. Non enim inconuenit, aliquid posse aliud putrefacere ac corrumpere, licet ipsum neque putridum, neque corruptum sit, quemadmodum septica & putrefacientia medicamenta passim efficiunt. Ex qua sententia manifeste elicitur, quod licet aer hoc occulto & maligno vitio ex manifestis qualitatibus, veluti fabrefactus existat, cum hoc tamen contagium, neque cœlitus, neque ex astrorum
D adspectu obtinet, etiam si contagiosus sit, quia omnibus est communis, & ipse secundum propriam substantiam vitiatus: quo fit, vt plures aut omnes eodem modo afficiat, qui postea spurcissimo morbo sunt affecti, reliquos aere infecto afficiant. Quibus sane constat, cœlum & cœlorum aspectus aerem immutare mutationibus prædictis & rursus duplicē aeris alterationem esse necessariam ad pestilentem cōstitutionem efficiendum.

Aer dupliciter alteratur ut cōstituat pestem.

Itaque vt rem concludamus, aer, qui medium est communius & generalius (*quia etiam per alimenta & potum nobis solent succrescere pestilentes morbi*) duobus modis affici potest, vt pestilētem constitutionem fabrefaciat: *Vno* quidem cœlitus accepto principio, qui duobus etiam modis
E efficitur, per alterationem nimirum in qualitatibus factam; & per corruptionem etiam substantiæ eiusdem aeris: *Altero* vero suscepta deprauata & contagiosa qualitate ab halitibus sibi admixtis & eleuatis à corporibus animantium mortuorū & putrefactorum, nec non à lacubus, specubus, auri fodinis & maxime reliquorum metallorum, item à latrinis & reliquis rebus, quæ putorem in se contrahunt, & aeri cōmunicant. Atque hæc de caussis sint satis.

Signa pestis & pestilentis febris.

Pestis futurę signa quæ sint.

CVm futurum hoc malū pertimescendum summopere sit, primo *quibus signis id præuideri possit*, expendendum duxi: mox *quibus præsens cognoscatur*, ac vltimo *quibus periculi ratio, & caussa natura dignosci possint*, initio sumpto à caussarum cognitione: quippe ijs cognitis, facile erit, quid efficere pos-

sint,

sint, aut qua via id præcauere, vel curare oporteat nosse. *1. Adspectus cœli.* Primum itaque cœli adspectus considerare oportebit: nam licet pestem inferre non posse dictum sit, cum hoc tamen aerem ea alteratione disponunt, qua facile in perniciem & lethalem constitutionem deuenitur. Sic enim ex Martis cum Saturno in signis humanis, (*qualia sunt Virgo & Gemini*) coniunctione, & ex luminarium eclipsibus, excedentes & nobis aduersas intemperies venari proculdubio poterimus. *2. Temperies calida & humida aeris intempestiua.* Præterea calida & humida aeris temperies vbi intempestiua sit, vt Hippocrat. statuit *2. popul.* ad initium illius pestis dicens: *Carbunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus aqua larga:* vbi constat, calorem cum humiditate eo tempore intempestiue esse coniunctum, & ob id mortiferum. *3. Temporum mutatio repentina.* Item id prævidere licebit ex repentinis etiam temporum mutationibus, maxime tempore æstiuo factis, nec non ex publica fame, quam vt vitent homines, pessimis alimentis coguntur vesci. *4. Fames.* Sic & cadauerum multorum corpora non sepulta, atque locustarum multitudo aquis nõ fluentibus interfecta, ibidemque putrescens. Idem quoque prædici potest ex oleribus putrefactis, ex canabi, aut lino, vel corio, maceratis stagnãtibus aquis. *5. Cadauera.* Pari etiam ratione ex lacubus & paludibus stagnantium aquarum, & colluuie fœtidorum excrementorum: item ex vaporibus exitialibus è terræ visceribus erumpẽtibus. *6. Locustæ. 7. Olera putrefacta &c. 8. Aquæ stagnãtes.* Quæ sane omnia eo facilius vim suam exserere poterunt, quo aer magis nubilosus turbidusque fuerit, licet dum caussa est efficacissima, vehemẽtius operetur aer clarus & tenuis; quæ omnia expendisse oportebit, vt præueniantur more Hippocratico, quo Aethiopicam luem mira prouidentia in propria patria præcauit. Interest præterea nosse, quando vitium præcognitum futurum sit cœli, aeris, vel aquæ aut terræ occasione, vt facilius præcaueri possit. *9. Excrementa fœtida. 10. Halitus exitiales.* Quod sane facile nosces, nam, vt Aetius aduertit, si aer nos ambiens pestilens reddatur cœli caussa, volucrum generis prior interitus erit: si vero ex prauis de terra exhalationibus id contingat, quadrupedum animantium prior corruptio fiet: quod si ex aquarum vitio, pisces emori videbuntur. Verùm si neutrum horum adfuerit, coniectabile est, hominũ alimenta, vel contagiosas vestes id malum accersire.

Pestis præsentis signa quæ sint. At præsenté iam & incipientem, antequam populariter grassetur, cognosces pestem, quod in ea omnia accidentia, signaque horrendissima appareant, varia & indefinita, atque nihil certum habentia, vt *Aetio & Paulo visum est*. Verùm caloris conditio & modus primo accessu id patefacient: quippe qui neque impense calidus aut perurens videtur, quamuis laborantes intus conflagrari referant, *vt Galen. visum est, lib. 6. popul.* vbi recensens Thucydidis pestem, refert, *interiora laborantium summopere exuri, ita vt nil ferre possint supra carnes, tactu vero exterius nihil percipiebatur excedens:* diligens tamen Medicus supra thoracem manu imposita venabitur facile caloris inclementiam & mordacitatem, cum extremorum frigiditate impensa. Pulsus tamen in his, qui sic affecti sunt, omnino apparẽt celeres, frequentes sæpius, non autem præualidi, imo & plerisque imbecilles, cum manifesta contractionis celeritate. Quibusdam pulsus adsunt moderatis similes, dum diuersis intemperantijs cor & eius contenta afficiuntur: respiratio insuper frequens et inæqualiter magna, ac sæpe graueolens. Vrinæ non semper eodem modo in omnibus, neque in singulis apparent: quippe aliquãdo vrinis sanorum persimiles, maxime cum cordis substantia pestilenti contagio afficitur: nonnunquam tenues, quasi expressa humorum omnium tenuitate, aliquando crassæ ex ingenti humorũ agitatione & turbatione: plerumque liuidi, subnigri, viridis & cœrulei coloris, cum sedimine araneorum telis persimili desuper natante, quod partes etiam colliquari commonstrat, *vt Galen. aduertit tertio de præ-* A *sagatione ex puls.* tandem fœtida excernitur, & nonnunquam sine sedimine, ac sæpius cum crasso, & simili lanæ congestæ. *Pestis & pestilẽtis febris signa, ab humoribus oborta.* Præterea ex funesta laborantis facie id venaberis, quippe aliquando in facie & vniuerso corpore erysipelatosus efflorescit calor, nonnũquam ruber, & qui momento temporis mutatur in deteriorem, liuidum nimirum, viridem, cineritium ac fuscum: oculi manifeste flammei & calidi apparent: sitiunt præter modum, & potu non sedantur: cibos fastidiunt & abominantur. Succrescuntque eis insuper deliria, comata, bilis porraceæ aut fœtidæ vomitus, præcordiorum distensiones, dolores, sudores multi, præsertim circa corporis extrema, frigiditas impensa percipitur: alui profluuia, tenuia, biliosa, variegata, opima, fœtidissima & flatuosa. Ad- B sunt & sanguinis narium stillæ, æstus in thorace & ventre, vigiliæ, linguæ ariditas, vocis interceptio, conuulsiones, vlcera praua, & carbunculosa in corpore, facie & tonsillis. Præterea sic affecti syncope aliquãdo corripiuntur, iactatione & inquietudine, & angustia implacabili. Quibus sane & alijs, quæ cap. *de febre maligna* inferius copiosa reperies, febrem esse pestilentis naturæ & sortis, si diligẽter intuearis, cognosces: Quo tempore iterum sciscitari oportebit, sitne *principium mali in humoribus, an in spiritibus, vel in cordis solidis partibus*. Quippe si prædictus pestilens calor in humoribus succensus fuerit, interius magis æstu prementur laborantes, licet exterius nil notatu dignum percipiatur, etiamsi totum corpus sit liuidũ, C pustulis exiguis, & vlceribus efflorescens. Pulsus habent celeriores, non tamen adeo imbecilles, vt ægri inæqualiter percipiant se laborare, respiratio maior & frequentior erit, atque grauissime olens. Vrinæ quoque conturbatæ, aut aquosæ & tenues, biliosæ, & nigræ deterrimas habentes subsidentias, aut oleosa & pessima suspensa, sitiunt & frigidum appetunt, atque cibos magis auersantur. Post aures aut sub alis, vel iuxta inguina succrescunt potissimum bubones, & alij pestilentes tumores: adsunt his *vigiliæ, deliria, conuulsiones, angustiæ, alui excrementa graueolenta, biliosa, & pinguia*. Quæ omnia humores vitiari proculdubio attestantur. *A cordis substãtia orta signa.* Verùm si contagiosa pestilensque lues solidas cordis particulas prehenderit, febris D pusilla erit, calor velut mitis, æqualis adeo, vt Medici & laborantes existiment febre carere. Pulsus erunt naturalibus similes, celeriores tamen, similiter & vrina calore, crassitudine, & sedimento persimilis, hecticorum corporum more (*non quidem vt multi arbitrati sunt, quod natura non audeat humores aggredi, figmentum quidem est, aut inæquali intemperie corpus cordis afficitur, & ob id minus accidunt his deliria, sudores, alui fluxus, vomitus & reliqua, quæ alijs succrescere diximus.* *A spiritibus signa.* Verùm si spiritibus accidat prædicto veneno corripi, calor erit copiosior, accidentia mitiora, & mors citius succrescet, quia frequẽtius incidunt sic affecti in animi deliquia & syncopin, cum paucis sudoribus circa frontem & ceruicem. Quibus sane si- E gnis, vel quibusdam eorum visis, qui solerti fuerit ingenio præditus, futuram pestem prænoscet, & diligenti studio prouidebit, quo minus nocere possit. Quod si id fieri non potuerit, omnem febrem huius sortis iudicabit perniciosam, quod magna sit membri principis læsio ob cacoethiam, siue malignitatem, inter quas perniciosiores iudicabit, quæ *spiritus* perdunt, quod citissime laborantes perimant, *Incurabiles*, quæ solidas corporis cordis prehenderint, nam quam excogitare poteris medicinam, inquit Gal. 3. *de præsagatione ex puls.* ad putredinem, quæ cor occupauit? Verùm collatione facta ad prædictas, minus lethales sunt, quæ in humoribus succenduntur, tum quod inducias dent exspectandi, tum vero, quod & sanguinis detractione & purgatione, ac reliquis auxilijs pugnari permittant.

De

A

De pestilentium febrium præcautione.

IMplorato prius *diuino* auxilio, atque Beatissimæ & Gloriosissimæ Virginis *Mariæ*, & omnium *Sanctorum*, rem hanc grauissimam aggredi oportet, In cuius ministerio expendendum est, maioris esse momenti & vsus, Rempublicam, & quemque eius particularem hominem à pestilenti contagio præcauere & tueri, quam iam apprehensum curare. Quapropter institui primo, Deo fauēte, modum & rationem, quo id fieri commodius possit, docere, & mox correptos in pristinum statum restituere. Quippe cum difficilimum sit, integram Rempublicam à proprio populo fugere, & aerem mutare, *quod vtilius & certius est refugium, si cito, si longe, si lente fiat progressus à loco, vbi aer pestilens exsistit, ac vltimo si tarde reuertatur, nam durat diu in vestibus et parietibus mali contagiū)* B

Præcautio pestis sit duob' modis.

sed necessum est aliquos manere in ciuitatibus, ob id cauere eos oportet, quo minus corripi contingat. Quod fieri sane duobus modis necessum est, primo, *grandi diligentia cauere conuenit contactum & vim pestilentis caussæ*: secundo vero, *corpus oportet immune esse ab omni excrementitia superfluitate, nec non ab humorum abundantia, atque eorum spurcitia & cacochymia* Caussam quidem infirmare ac fugere primo expedit, selecta habitatione ab omni inquinamēto seu fœtore munitissima, aquilonaribus ventis exposita, in loco sublimi, clausa, nisi ad ventos frigidos & siccos, in qua pauci sint habitatores, famulis ac ministris procul degentibus, quo minus incalescat: item ipsam irrorare oportet *aceto, aqua rosarum, & floribus, ac herbis frigidis & siccis sparsis.* Verùm si hyems fuerit, aut tempus non plurimum æstuosum, in locis publicis domus, & sub diu ignem alere oportet rebus odoratis, *vt lauro, pino, iunipero, aliua lencisco, cupresso, rore marino, ligno aloe, & myrtho.* Interim tamen aromatis suffumigare domum ipsam oportet, *vt thure, myrrha, laudano, styrace, spica, iunco, cinnamomo & cariophyllis.* Cui etiam vsui pomum componere *odoratum* poteris, ac sæpe manibus tractare, quod recipiat *ligni aloes, carpobalsami, cassiæ ligneæ, anà ℈. 1. calami odorati, amomi, spicæ, anà gr. 7. cariophyllorum, nucis muscatæ, thuris, myrrhæ, anà gran. 4. florum nymphææ violarum, & buglossæ, anà ʒ. 2. santalorum & corallorum rubeorum, anà ʒ. 1. rosarum rubearum drachmas tres* contundantur omnia simul, & cum *aceto, aqua rosarum & naphthæ fiat pila.* In qua conficienda, pro diuersa natura ætate, regione, consuetudine, anni tēperie, & reliquis huius census, horum simplicium maiorem vel minorem quantitatem addere, minuere, aut mutare opus erit. Oportet insuper aerem mutare in eadem ciuitate, versus eam partem, qua purior frigidiorq; spirat, & homines minus corripiuntur morbis. Sed curent Magistratus, qui publicæ saluti consulere tenentur, vicus & plateas omnes, ac sentinas, & aquæ ductus à fimo & sterquilinijs accuratissime expurgari, ita vt nil putridum aut fæculentum in ciuitate sit: Canes item & feles non permittant vagari, nec plurimos esse, sed inutiles interficere. Viteni bominum conuentus, maxime cum extra Dei offensam non fiunt: & curent omnes in domo diu manere, nisi qui publicum aliquod officium exsequuntur, quibus non decet à domo exire, priusquam Sol dissoluerit humidas noctis reliquias. Vestimenta item munda, frequentiusque mutata exoptanda sunt, quæ ex densiori materia fieri oportet, quo minus grauent: subuculas etiam abluere oportet *aqua rosacea, vel alio odore, cum modico aceto,* ita vt omnibus vestibus suauis concilietur odor, æstiuo tempore frigidus, frigido vero calidus: quod etiam de reliquis odoramentis ac domorum præparatione subaudiendum pari lege puto.

Domus qualis seligenda. Irroratio. Ignis. Suffumigia. Pomum. Pila. Aeris mutatio. Platea. Canes. Conētus. Vestimenta.

C D E

A Præmunito corpore ab aeris iniurijs, & aere ipso correcto frænatoque, corpus ipsum ab excrementorum illuuie vendicare oportet, ac præcauere, quo minus ea congerere amplius possit, & omnino disponere, quo difficilius aeris venenati contagio afficiatur. Primum quidem facies, cum victum & vitæ modū instituens, quo minus possit quid præter modum superesse. Sic alimenta porriges, qualitate & copia moderata, quæ nec calorem reddant acriorem, nec corpus immodice humectent, ac præ nimio pondore respirare plurimum cogant: deniq; curandum est, ne vires imminuantur, & vt sensim fiat alimenti & vitæ mutatio. Alimentà quippe mediocris sint substantiæ, siccæ potius quam humidæ naturæ: sic panis probe coctus: ex carnibus quæ montanæ sunt, tam volatilium, quam quadrupedum, *vt cuniculorum, apri modice salsi, vituli, arietis, ceruorum, columbarum, perdicum, phasianorum, turturum,* & reliquarum huius naturæ, tum *caponum, gallorum, atque pullorum,* quas potius assas quam elixas institues. Verum si iure aliquo vsurus sis, maxime ipsum parabis ex auibus cō quassatis cum *acetosa* elixis, vel cum *scariolis,* & additis pulusculis. Præstant etiam & æstiuis temporibus pisces saxatiles, *vt tructæ, salmo, mullus barbatus,* & eius naturę, qui aquas dulces incolūt. Item *oua sorbilia, & ex oleribus,* quæ refrigerationis & attemperamenti gratia sufficiant. Sic *vuæ pensiles, caricæ, cucurbita croco & oxalide condita, pyra, poma odorifera, pruna modice acida, & cerasa acria,* quæ omnia meridiano prandio sumenda sunt, præterquam dum pyra & poma assa exhibentur. Item ex oleribus *acetosa, scariola, lactuca, nec non & lentium iura cum aceto, & croco, ac cinnamomo.* Sed condimentis fercula omnia parare oportebit, quo vtiliora fiant: nam piperis integra grana iusculis addere conuenit, dummodo acetoli aliquid recipiant: item puluere hoc obsonia inspergere condireque oportebit, q. ℞. *santali citrini ℥. ß. beeni albi, & pulueris pentaphylli, anà ʒ. 1. & ß. cinnamomi ʒ. 1. croci ʒ. ß. sacchari ℥. 2.* fiat puluis: tempore tamen hyemis addes *cariophyllorum, cardamomi, & anisi, anà ʒ. 1. nucis muscatæ ℈. 2.* pauperibus vero porrigere oportet *allia, serpillum, maioranam, & thymum.* Frequentior tamen ciborum correctio per acida fieri debet, nimirum per *oxalidis succum, arantiorum, citri, limonum, acetum, & omphacium* item *ex malorum punicorum succo cum sacchbaro & modico cinnamomo:* nec non *ex rosacea aqua cum aceto rosaceo, & sacchbaro.* Conficitur etiam salsamentum gustui gratum, & omnibus proficuum, q. ℞. *succi malorum punicorum, arantiorum, limonum, & citri, anà quartam vnam, succi acetosæ, & cerasorum acrium, anà ℥. ß. aceti modicum, aquæ rosarum aut naphthæ q. s.* vt cum saccharo & modico *cinnamomo,* transacto feruore, & facta colatura gustui fiat gratum. Confert tamen omnibus *lac amygdalarum cum sacchbaro:* quippe amygdalas venenis aduersari ferunt.

Victus. Panis. Carnes. Iura. Pisces. Vuæ, &c. Olera. Condimenta. Salsamenta. Amygdala venenis aduersa.

E Potum vero instituere oportebit ex purissima aqua puteali, ne aeris contractu sit affecta, vel ex cisterna, vel ex fontibus nitidissimis & purissimis: quod si talis non habeatur, *aromaticis* condienda tempore hyberno, vel rebus *acidis* æstiuo. Vel in communi omnibus decoquantur *oxalide, quinquefolio, scordio, scabiosa, aut radice carlinæ, vel scorcionera,* tandem vinum omnibus est veluti necessarium antidotum.

Potus. Vinū pestis antidotum.

In reliquis vero rebus non naturalibus curandum est, diu non dormire, corpus exerceri mane Sole iam orto, & in loco sub dio posito, si aer vitiatus non sit, vel in domo, si id accidat. Exercitium sit lentum, ne crebrius respirare cogamur: à Venere omnino abstinendum esse, auctorum decreta consulunt: item cibis non satiari, & excrementa alui magna diligentia deponere, sicut animi pathemata omnino vitare.

Res non naturales

Altera vero præscutationis pars consulit copiam depo-

Sãguinis missio. depouere, & cacochymiam corrigere atque expur- A
gare: in qua quidem re si corpus plethoricum est, si
sanguine abundans, si sanguinolenta vacuatio sup-
pressa, non erit ab re sanguinem mittere, parce ta-
men, ne vires labantur, nimirum quantum sat sit, ne
Cucurbitę. exsuperantia morbo materiam præstet. Quod si id
fieri aliquid interdicat, cucurbitas natibus & suris af
Frictiones. figere oportebit, ac nonnunquam scarificare: item si
id renuerit laborans, frictionibus & media corpus i-
Purgatio nanire oportebit. Quo facto, aut si id fieri non licue-
rit, alui excrementa & cacochymiam purganti phar
maco educere oportebit, prudenter tamen & leuissi-
mis medicamẽtis, ac rarò, ne vel humores plus quàm
par sit turbentur, vel aluo soluta vires deijciãtur. Sat B
enim est, in his, qui castè & parcè viuunt, clysmate
vn: in reliquis vero *cassia, manna, syrupo ex infusioni-
bus rosarum aut violarum, vel confectione Hamech*
Melãcholia pesti resistit. *simplici, vel mercurialis decocto*. In purgatione qui-
dem præcautoria id præceptum tibi erit obseruandũ,
nimirum, quod eum humorem purgando eligas, qui
cacochymum reddiderit corpus, non alium: item
neque melancholicum, quippe is plerumque pestilen-
ti putredini obsistit: vtcumque tamen sit, ipsum faci-
A peste prçcaueant quę interne. liori eductioni dispones. Cui quidem vsui corpus &
humorem præparabis ijs, quæ humores disponunt,
& corpus à contagio præcaueatit, ac modice etiam
vias reserent, cuius naturæ est apozema, q. ℞. *radicis
graminis rusci & sparragi, anà* ℥. 1. *glycyrrhizæ* ℥. ß. *ci-* C
*chorij, intybi, buglossæ, borraginis, summitatum lupuli,
oxalidis, lactucę & capillorum veneris, anà m. 1. fuma-
riæ, betonicæ, melissæ, hyssopi, anà manipul. ß. absynthij
modicum, prunorum acidorum num. 12. pulpæ tamarin-
dorum, passularum, anà* ℥. ß. *quatuor seminum frigido-
rum, & anisi, anà* ʒ. 2. *florum cordialium, anà pug. 1.
hordei integri, et cicerum rubrorum, anà pug. ß. coquan-
tur in sufficienti aqua fontis, & colatura facta, accipe
colaturæ lib. 1. & ß. succi granatorum acidorum & li-
monum, anà* ℥. 2. *sacchari albissimi, q. s. cinnamomi &
cariophyllorum, anà* ʒ. 1. *santali albi* ℈. 4. fiat apozema
Apozema. secundum artem, cuius capiat homo diluculo ℥. 3. per
quatuor aut quinque dies ante purgationem. Quod
si corpore purgato eo libuerit vti, addere oportet eo- D
rum, quæ venenis aduersantur aliquid, vt *scabiosa, an-
gelica, pentaphyllum, tormentilla, marrubium, & agri-*
Pilulę. *monia*. Quo facto, non erit abs re per interualla ali-
1. quam ex pilulis huic vsui communiter scriptis porri-
2. gere: velut sunt q. ℞. *pulueris hieræ Galeni* ʒ. 1. *rhabar-*
3. *bari* ℈. 4. *spicæ* ℈. 2. fiant cum succo melissophylli pilu-
4. læ: quibus si pituitosum aliquid abundauerit, addes
agarici ʒ. 1. *vel pulueris senæ* ʒ. 2. *epithymi* ʒ. 1. quarum
sumat ʒ. 1. Item celebranissimæ sunt, q. ℞. *aloes lotæ
partes duas, myrrhæ & croci, anà partem vnam*, quarũ
ʒ. 1. cum vino datur summo mane: ferunt etiam ale-
phanginas non parum prodesse. Eiusdem ac longe
præstantioris vsus sunt aliæ. q. ℞. *aloes* ʒ. 2. *rhabarba-
ri & agarici trochiscati, anà* ʒ. ß. *zingiberis & cinnamo-* E
mi, anà gr. 6. cum syrupo limonum fiat massa: cui si
addas *mastichis & zedoariæ modicum*, ex vsu facies.
Electuar. Prosunt insuper multa, quatenus venenis aduersan-
1. tur, vel corpus firmiter reddunt, quale est quòd confi-
2. citur *ex caricis, ruthæ & nucibus*. Item illud, q. ℞. *bac-*
3. *carum iuniperi* ʒ. 2. *terræ Lemniæ tantundem oleo &*
Puluis. *melle commiscebis in puluerem reddacta, porrigesque a-
uellanæ quantitatem:* præterea *mali medici acidum sac-
charo conditum*, sicut puluis hic q. ℞. *cornu cerui vsti,
semin. citri, anà* ʒ. 2. *foliorum dictamni, baccarum iuni
peri, radicis tormentillæ & zedoariæ, anà* ʒ. 1. *seminis
oxalidis, rosarum, & corallorum rubeorum, anà* ℈. 2. *cro
ci gr. 4.* puluis, cuius ʒ. 1. cum vino plurimum prodesse
fertur. Summopere etiam iuuat vsus *lapidis Bezoar,
aut pulueris electuarij de gemmis, boli armeni, terrę si-
gillat. vnicornu, rinocerotis, alchermes confectio ex hia-
cyntho, theriaca, & radix angel. masticata.*

A Exteriùs verò odoramentis, dentifricijs, & lotio- *A peste quę exterius prçcaueant.*
nibus, atque inunctionibus corpus præmunire opor-
tebit, quo minus corripiatur venenata qualitate. Sic
dentes & os colluere & fricare oportet eo puluere,
q. ℞. *salis, coralli albi, & crystalli vstorum, anà* ʒ. 2.
corticis citri, radicis angelicę, mastichis, anà ʒ. 1. *cyperi
& cinnamomi, anà* ℈. 2. *cariophyllorũ* ʒ. ß. *moschi gr. 3.*
fiat puluis. Item faciem & manus sæpe lauare opor-
tet *aqua rosacea cum modico aceto*, vel ea q. ℞. *zedoa-
riç aut corticum citri in puluerem redactorum* ℥. ß. dis-
soluantur *aquę rosaceę lib. 1. vini albi odoriferi* ℥. 3. *ace
ti* ℥. 2. *moschi gr. 2.* Præterea confert globulum mani-
bus portare ex *cupresso, iunipero, vel fraxino, & facta*
B *cauitate*, impone frustum spongię, aceto vel aliquo ex
dictis liquoribus imbutum. Conficiuntur item poma
ex *laudano cum mastiche, thure, nuce muscata, cario-
phyllis, cinnamomo, iride, melissa, maiorana, ocymo, ca-
riophyllato, valeriana, zedoaria, & folijs lauri*: & cali-
diori tempore folijs & baccis *myrti, rosis, violis, bor-
ragine, cum modico ambra & moscho, & cum campho-
rę & santalis in modica quantitate*: nec contemnendi
sunt fascieuli olfactorij *ex rosis, moscatis, violis, beto-
nica, myrto, semine angelicę*. Vngere etiam cor & par-
tes vicinas oportebit oleo *Matthioli, de naphtha; &
theriaca, cum pulueribus de gemmis, aut aliquo ex prę-
dictis*: item alijs vti poteris, quæ inferius latius scripta
reperies: hæc tamen satis sit ad præseruationem scri-
C psisse. Vltra quæ, tanquam quid huic muneri summe
necessarium, esse arbitror stillatitiam aquam, cuius
meminimus *cap. sequenti*, extractam ex *theriaca, ele-
ctuario de gemmis, & de hyacintho, cum herbis, radici-
bus, & pulueribus*, quæ aduersus pestem proficua esse
diximus, cum vino instillatam, si eius ʒ. 1. bis, terve in
mense porrexeris.

De pestis & pestilentium febrium curatione.

INuocato prius *diuino* auxilio, nec non & inteme-
ratæ Beatissimæ Gloriosissimæque Virginis *Ma-
rię*, atque omnium *Sanctorum*, pestis curationem ag-
gredi oportet, facta in primis consideratione caussæ,
D quæ principium ei præstiut: Namq; magni momenti
esse arbitramur, nosse, aerisne vitio, an ex prauorum
eduliorum esu malum principium sortiatur, maxime
si in considerationem veniat corporis apparatus.
Quippe in hac febre & pestilentibus constitutioni-
bus non licet, sicut in alijs putridis, obstructiones at-
que alias caussas considerare, sed solum pestilentem
caussam, & eius in corpore effectum, seu putredinis
modum, adhibito in considerationem morboso cor
poris apparatu, si quis sit, sin aliter, solum prædicta re *Medico in peste affectis duo considerãde: vires & putredo.*
spicere omni diligentia curandum est. Ex quibus om
nibus consideratis in corporibus peste affectis, duo
succrescunt, quæ omne Medici consilium ad se ver-
tunt: quorum primum est *virium status*: secundum
E vero id quod *putrilaginosum corruptum ve est, aut effi-
citur tale, siue intus lateat, membrumque aliquod prin-
ceps infirmet, siue in pustulas & tumores per corpus v-
niuersum, aut aliquam eius partem erumpat.*

Circa virium custodiam statuendum est, custodiri *Vires quot modis custodiantur.*
quidem posse duobus modis: *Vno*, & magis propriè,
per alimenta: *secundo* verò vel retusa, frænataque pe-
stis sæuitia, vel à præcipuis membris auersa vel educta
materia, cui primo insedit: quæ sane ad secundã con-
siderationem attinere videntur: quapropter hic so-
lum est in animo victum instituere, quo felicius res
succedat. In cuius ministerio *præmissa omni tran- *Victus in peste ad pest' qualis esse debeat et quantus.*
quilitate, quippe animi affectus summopere sic affectos
lędunt)* coniectari oportet, victum non solum vires
habiturum alimenti, sed & medicamenti, nam cor-
rupta affectio vt attemperetur, id sibi iure expostulat,
vt Gal. est sententia 17 *aph. 1. sectionis*, dicens: *Qui-
bus virtus debilis fuerit* (frequẽtius enim hic morbus
viribus

viribus imbecillimis adiungitur) *cum humorum corruptione vel defectu, parum et sæpe alimenta præbere oportet*: *Parum* inquit, quia facultas languida plus ferre nequit: & *sæpius*, quia multis indiget affectio, vt quæ in corruptione sita est. Ex quo dogmate duo in victus institutione sequuntur necessaria: primum, aliquo modo maiorē cibi copiam esse huic malo porrigendam, quam ceteris morbis, qui æque acuti fuerint, idque quia & vires vrgent, & affectus simul expostulat, quod in alijs simpliciter putridis non reperitur; nec ob id credendum est, plus iusto esse indulgendum, vt rudis plebecula arbitratur: quippe Hippo. 2. *de natura hum.* corpora extenuare iubet, ne vel pressius cogantur respirare, vel maior, quam par sit, subsit excrementorum copia, sed tantum cibi indulgendum, quantum vires exigunt, & quia vrget etiam indicatio morbi, & maiorem copiam non poterit ferre facultas, ter, quaterve die cibum porrigere oportebit (*laborantemq; ad id cogere, nam, vt testis est Gal. 3. popul. part. 5. text. 81. id summopere est vtile; nam euadunt potius, qui viriliter comedunt, famem enim vitare necessum est*) quo temperatior reddatur putrilaginosa humoris substantia, læsuraque minus sit.

In victus institutione duo necessaria.

1\.

Peste affect. si largi⁹ edunt, euadunt.

Alimentis peste laborantium quæ admiscenda.

Secundum verò, cibariis omnia admiscere oportebit *aceto* & reliquis quæ *acetosa* sunt, præsertim *mali punici acido et succo limonum atque arantiorum acidorum*: siquidem corruptela non solum expostulat prædictam adiectionem, sed & attemperamentum. Verùm in particulari ab his alimentis cauendum est, quæ excrementosa sint, & plurimum humectent, ea semper eligendo, quæ vires maxime reficiant, & citius, ac succo abundent alimentoso. Sic *ptisana, far, et panis ex iure coctus* optimi sunt nutrimenti, & excrementitia caret humiditate: item & *oua sorbilia*, item *oxalis iure cocta, & amygdalarum lac, cum saccharo*, carnes etiam vel elixæ cum *oxalide*, adiecto succo *limonum*: cui vsui probantur *gallinæ, capones, perdices*, & aliæ huius naturæ, nisi laborans aut puer fuerit, aut adeo languidus, quod pullorum carnes cogamur exhibere.

Iuscula.

Præterea si iusculis vtendum est, vitium gratia ipsis adijcies *mali punici succi, aut arantiorum, vel limonum, & noctu oua sorbilia, hepata gallinarum, aut poma acida cum saccharo assa, & aqua rosacea* institues.

Condimenta.

Tandem condimentis vteris, quæ & gustui grata sint, & acidum semper sapiant cum dulci admixtum, ac inter vnam & aliam victus exhibitionē porriges, vel *potum medicatum*, vel aliquod, quod præter id, quod vires habeat ventrem roborare, pugnet tamen aduersus veneficam vim. Cuius census est *succus mali punici & limonis cum aqua acetosa & saccharo*: vel ex eisdem formatis bolis cum pulueribus *lapidis bezoar, margaritarum præparatarum, & electuarij de gemmis ac pulueris cornu monocerotis*. Item porrigere poteris conseruam *ex carne limonum, & citri cum saccharo confectam*, præbens superbibendam aquam *scorcioneræ, aut scordij, vel acetosæ*.

Potus.

Potū præterea his institues ex aqua *tamarindis decocta*, si incorrupti haberi possint: sin aliter, *ex acetosa, ex hordeo cum succo mali punici, vel succo acetosæ, vel de succo limonum, vel scordio decocta, aut radices carlinæ, vel scorcioneræ*.

Vinum.

Vinum vero non nisi virium gratia porrigere conceditur, quippe quod maiorem feruorem & agitationem conciat, inclinante vero morbo ex vsu maxima est.

Somnus.

Quatenus vero ad somnum attinet immodicum, cauere oportet, ne corpus plus iusto humectetur, sicut vigiliam, quæ nimirum vires conterit: exercitium vitare omnino oportet, cum hoc tamē corpus fricare, atque ad cutem, quod in visceribus læsurum est, euocare, cucurbitis, & inunctionibus ex *oleo & nitro*, maxime cum *oleo dulci, adiecto modico olei Matthioli*.

Domus.

Domum vniuersam & laborantis domicilium *aqua rosacea, & aceto, atque floribus & folijs*, quæ bonum spirent odorem, irrorabis, curans aerem puriorem fieri, atque emendatiorem, æstiuo tempore his, quæ diximus, & hyberno suffitibus ex *belzoino, ladano, & ligno aloe*, atque alijs, quæ capite præcedenti diximus. Item laboranti omni arte bonum odorem conciliabis, tum per irrorationes, tum per odorata poma, aut pulueres, & alia, quæ ibidem latius scripta reperies: quibus institutis, ad veram curationem te conferes.

Sāguinis missio, quando locum habeat in peste affectis.

In qua quidem hæsitatione primo diligenter considerabis, corpus peste correptum sortitumne sit morbosum apparatum, an citra ipsum pestilentis contagij efficacia ipsum prehenderit: quod si hoc vltimum fuerit, solum agendum est his, quæ aduersus venenosum contagium pugnent, nulla aut leuissime habita humorum vel corporis prouidentia. Verùm si morbosus præfuerit in corpore apparatus, vtcumque proueniat contagium, apparatum ipsum deponere oportebit, idque quam citissime, dummodo id sub distinctione fiat: nā aut morbosus ipse apparatus est caussa potissima pestis, (*vt dum ex eduliorum corruptorum esu pestis oritur*) aut solum subiectiua, vt aiunt, hoc est, quod caussa extrinsecus adueniens in corpore adinuenit cacochymos vel exsuperantes succos. Tunc sic statuendum est, nimirum si vniuersa mali caussa ipse apparatus existit, cum is vitiosus sit, & plerumq; atque necessario viribus adiungatur infirmis, paruis, & crebris purgationibus rem agere oportebit; ac inter vnam & aliam humorem ipsum alexipharmacis, & alijs auxilijs, quæ mox referam, attemperare. Verùm si alter morbosus fuerit apparatus, tunc quid in vnoquoque auxilio exsequendo considerandum sit videre oportet &, primo in sanguinis detractione, nā circa omnium administrationem plurima succrescunt dubia.

Pestis qualem exposcat medicum.

Vt incredibilis est huius mali sæuitia & immanitas, atq; fraudulentia & inconstantia, ita Medicum exquirit diligentem, mente excitatum, prudentem, et super omnia pium & Christianum, vt miseretus proximorum miserijs, omni animo studeat intueaturq; morbi huius motum, & imminens periculum, atque præsens damnum; nam cum celerrime suum virium contagio hæc perniciosissima inferat in spiritus, humores, & solidas, etiam corporis partes, curandum est celeriter etiam et prouidere, præcauereque quo minus fiat. Primo itaque considerabit, an expediat venenatum humorem à corpore pellere per sanguinis tractionem, velut in reliquis febribus: namque certissimum est, nullum esse peculiarius auxilium, quam vel contagium repellere, vel contagiosum iam humorem expellere:, & cum illud sit difficile, ac si id fieri possit, non sat erit, ni venenatam substantiam & cōtagio corruptam corpore pellamus, ob id vtrumque simul exsequi erit opus, primo tamen humore educto, quo efficacius operentur præstita auxilia. Verùm in hoc hæsitatione non est leue, decretum firmum ac stabile constituere: nam si pestilens aer caussam malo præstat, præterquam quod nihil proderit sanguinem detrahere, vires labuntur summopere, alioqui lapsæ ex vi mali, & ab ambitu ad interna allicitur sanguinis defectu venenatus aer. Ex altera tamen parte videtur creditu difficile, succensos humores & putrefieri inceptos aliter corrigere, quam vel sanguine misso, vel purganti pharmaco exhibito, cui non semper subest occasio: vtramque tamen positionem mille experimentis probatā comperimus: quippe sunt mille pestis sortes, in quibus si sanguinem mittas, nulli dubium est, quin maxime læsurus sit, vt apud Venetos obseruationibus fidissimis habetur tanquam firmum & verissimum: item aliæ sunt, quibus si sanguinem protinus non emiseris, summopere lædes, ita vt si occasionem prætermittas, vel laborans pereat, vel si postea sanguinem detraxeris, plurimum lædas.

Vltimo

Pestis, & pestilétis febris sta- triplex.

Vltimo tamen nonnullæ visuntur, in quibus variæ sese offerunt mittendi sanguinem occasiones, quas prætermittere, aut negligere, periculo, & crimine non caret. Quibus præmissis, triplicem oportet pestis, & pestilentis febris (*quamuis multi inter pestem, & pestilentem febrem maximum dissidium constituunt, quod sanè verissimum est. Verum expendant, pestem, dum febrem accendit, non omnino ab auxilijs pestilentis febris posse absolui, & ob id consideratione hac hæc omnia distinxisse oportuit*) statum considerare: nam si pestilens constitutio, & aeris vitium (*modo cœlitus, modo ab aquis, vel à terra, aut quauis eius putrilagine prodeat*) adeo vehemens est, vt citra morbosum corporis apparatum, vel spirituum, vel solidæ substantiæ corruptione, vel adeo grandi, & efficaci humorum dissolutione breui tempore hominem perdat, frustra est sanguinem detrahere, maximè si humor qui peccat, dilitus fuerit à locis sanguinis, quinimo citius sic affecti, auxilio pereunt, quam solo morbo perijssent, & ob id alijs præsidijs (*quæ inferius referam*) pugnare iubent iure optimo auctores ferè omnes.

Sãgnis in peste affectu, quando quibus, & qua copia mitti debeat.

At cum in corpore præest morbidus apparatus ex copia humorum, vel sanguinis congestus, tunc profectò non solùm morbo incipiente, (*quod præstantissimum, atque necessarium est præsidium*) sed quouescunque tumores dolorosi, pustulæ grandiores, carbones, & anthraces apparuerint, sanguis mittendus est, idque maximè cum morbus non sedatur eis apparentibus, & potissimum si vires constiterint. In quo opere *primò* statuendum est, nulla lege sanguinem esse mittendum, etiamsi hæc omnia præsint, si vires validæ non sint, aut saltem mediocres: quo tempore cunctandum non est sanguinem mittere. *Secundum* est, quod dum mittitur, etiamsi maior sit necessitas, & vrgentia mali, parcè & per vices mittere debet potius, quam confertim, & subito, vt vires donec morbus consistat, sufficere possint. Præterea si his tumoribus apparentibus morbus quiescat, mitiorque fiat, retrahere manus à sanguinis detractione oportet, quinimo omni diligentia curandum est ad extima euocare, quod natura nititur à visceribus pellere, *vt mox referam*. Verum cum pestilens constitutio ex edulijs, vel potibus ingestis, vni populo, cui commune est illud alimentum, successerit, eo casu audacius sanguis est mittendus, cum videlicet sanguis simul abundauerit, vel aliqua eius consueta euacuatio suppressa fuerit, idque in principio mali, antequam vires omnino labantur, & morbus inualescat amplius.

Purgatio quando locũ habeat in peste.

Quo facto, aut secus si id fieri non liceat, etiamsi malum crescere, & plurimum sæuire constet, deinceps nulla lege sanguis mittendus est: quinimo si tumores apparuerint, crudi aperiendi sunt, vt per foramina exspiret omne veneni contagium, purgeturque corruptus humor, *vt paulo inferius docebo*. Item ad cutem euocare in hoc casu grandi diligentia oportet prædictos venenatos succos, tum cucurbitis, tum scarificationibus, tum frictionibus. In quo malo non displicet Galen. consilium, vbi sanguinem mitti non datur, nimirum suras scarificare, aut venam tali inscindere, maximè in principio, aut ad inguina vergente humore, quo distantius à præcipuis membris secedat.

Scarificatio.

In hoc enim vacuationis genere multa considerare opus est: primum qualis conditionis sit humor, & per quam regionem designet natura ipsum ducere: quippe licet in omni morbo statutum sit, quo natura vergit, eò esse ducendum, maximè profectò exsequendum venit in quauis pestilenti constitutione, nam aliter præterquam, quod natura non erit nobis adminiculans, omnino succumbet, humoris venenosi motu per aliam regionem reuocato, quia plures erunt eo tẽpore partes, quæ contactu venenosi humoris lædantur: quod in omni pestilenti constitutione tanquam summè perniciosum est fugiendum. Itaque si per ventriculum vomitibus constiterit mouere, eodem duce te oportebit, maximè si humor ex biliosorum sorte fuerit, quos si deorsum inuita natura pellas, in lethalem dysenteriam, vel in magnam virium iacturam laborantem deferes.

Vomitus quando locũ habeat in peste laborantib.

Denique si laborans nauseabundus apparuerit, fastiditus, & ad vomendum pronus, ad ipsum cogendus est æger, compressa fronte, & oculis fascia aliqua, & prono corpore ab assumpto hoc medicamento, q. ℞. *chamæmeli* ℥. 2. *seminis anethi, & raphani, ana* ℥. 1. terantur omnia, & bulliant in *lib. 9. aquæ*, donec cõsumantur tres, & facta expressione, adde *oxymelitis simplicis* ℥. 4. *agarici puluerizati* ʒ. 1. cuius sumat laborans ℥. 8. & post pusillum cogatur vomere. Quo facto, citra potum quiescat, & quasi vna hora à vomitu, sumat apozema contra venenosum affectum, vt inferius scriptum reperies: quo sumpto, si sudor apparuerit, non est interdicendus, sin aliter nec prouocandus. Denique singulis diebus cogendus est ad vomitum laborans, ante cibum, vel si debilis fuerit, à cibo, donec aliquid profuisse compertum sit.

Sudores quãdo mouendi peste affectis, et quibus.

Quod si constiterit ad corporis ambitum humores moueri, vt euidenter conspicitur ex tumoribus, & pustulis ad cutẽ transmissis, aut ex eo, quod nullum est in peculiari membro signum decubitus humoris ibidem, tunc quidem sudores mouere, & corpus per eam partem purgare oportebit medicamento, q. ℞. *theriacæ magnæ* ʒ. 1. *boli præparati, rhabarbari puluerizati, ana* ʒ. ß. *cornu monocerotis, & pulueris cariophyllorum, ana* ℈. 1. *lapidis bezoar* ℈. ß. *syrupi de succo limonum* ℥. ß. *aquarum scabiosæ, scordij, & scorcioneræ, ana* ℥. 2. *buglossæ, & radicis carlinæ, ana* ℥. 8. misce, & sumat laborãs quinque, aut sex vncias, æstiuo tempore frigidas, & frigido temperatas. At in his laborantibus, in quibus per ventrem purgare licet, quod istuc vergat humor, vel necessum sit ipsum repellere, aut reuellere à membris præcipuis, dum tumores non apparent prope ipsa, aut in eorum emunctorijs, non minus difficile est nosse, quando, quibus, & cui sit præstandum expurgans medicamentum.

Purgans medicam. quãdo, quibus, quod & cui peste laborantium præstãdũ.

Nam si id pestilenti contagio solum operante porrigas, humores venenatos à circumferentia ad viscera allicies, vel cum pestilens spiritus pharmaco non cedat, longè magis lædes, & naturales, ac quietos humores eò citiùs agitabis, quò faciliùs contagium suscepient omnes laborantis partes: si tamen non purges, venenati humores reliquos conspurcabunt, & corrumpent. Præterea si morbosus præsit apparatus, difficile est nosse, quando eo auxilio vti liceat: nam si in principio id præstes, turbabis adeo crudum, & corruptum, vt reliqui succi, qui superstites sunt, eadẽ labe inficiantur: si differas, vniuersa humorum massa facilè contabescet, & membra principalia inuadet, ac infirmabit. Item vbi vitiosorum eduliorum occasione malum oritur, purgatio, vel copiosa futura est, & hanc nequibunt ferre pusillæ vires, vel si minus purges, nil facies.

Quapropter in his tribus dubitationis sortibus diligenter expendisse oportet, quid agere liceat: cum neque omnes purganti pharmaco liceat mouere, neque omnes vno, & eodem: item neque expediat omnes citra pharmaci exhibitionem curare: itaque dum ex aeris contagioso morbidoque veneno pestis oritur, potionibus, maximè, quæ aduersantur venenis, & pestilenti contagio, rem agere est æquum, *vt mox referam*, si prius dixero, quando hoc auxilio vtendum sit. In qua re dum humor iuxta aliquam regionem vrget, mox à principio expurgans medicamentum est propinandum, nulla exspectata coctione: quippe venenatos humores coquere non licet, neque valet natura; præterquam quod de sorte, & natura turgentium fiunt,

& ob id protinus sunt educendi, Sic enim dum ex (A) eduliorum vitio pestis suboritur, si possibile fuerit, prima die, leuibus tamen medicamentis, quibus & communia excremẽta, & quod in venoso genere est, simul extrahatur: nam in his humoribus sat est, quod medicamentum prester motus principium, ob id pro sunt *manna, cassia fistula, syrup. ex infusionibus rosarum*, postea vero adhibitis potionibus, & medicamẽtis, *(quæ mox referam)* vim habentibus venenum cõpescendi, atque frænandi. Item purgare oportebit, antequam natura in tumores, & pustulas erumpat, idque adiecto prædictis pharmacis aliquo ex his quæ magis electiuè purgant, iuxta humoris peccãtis ideã. Quippe tunc vtendum est *infuso rhabarbari, agarici, siue epithymi, & myrobolani*, ex quibus varias licebit componere pharmacorum formas: si tamen iam ap (B) paruerint pustulæ aut tumores, alia via incedẽdum. At si pestis principium sortiatur à veneato aere, præfueritque in corpore morbidus apparatus, tunc quidem sanguine misso, aut secus, si possibile non fuerit, mox purgabis, nulla etiam exspectata præparatione, aut coctione: Verum in his protinus seligentibus prædictis veteris, quibus addes *catholicon, & tripherã Persicam*, descriptionis Mesues: & robustis corporibus aliquod ex electuarijs, quæ magis purgare possunt, *vt electuarium de succo rosarum Mesues, & diaphænicon, aut confectionem Hamech*. Verum in vehementioribus pharmacis exhibendis cautius te geras oportet, ne naturam purgando deijcias, aut dysenteriam concites lethaliorem. In pestilenti vero febre, quæ vel spi (C) rituum, vel solidarum partium corruptione prodit, purgandum minimè est, sed omni arte venenum cõpescere oportebit, & ad extima euocare cucurbitarũ, frictionum, & inunctionum vsu.

Purgato sicciorique reddito corpore omni vacuationum genere, *vt dictum est*, tria exsequenda sese offerunt, quæ non minoris momenti esse solent. *Primum* est feruoris febrilis attemperamentum. *Secundum* venenosæ, ac pestilentis conditionis exstinctio, *Vltimò* verò tumorum, & pustularum prouidentia.

Calor pestilentialis qualiter exstinguendus.

Circa primum expendendum est, quod licet in omni pestilentium febrium sorte non appareat extrinsecus ingens, ac exurens cauma, nihilominus tamen interius credendum est, intolerabile, & intẽsissimum (D) esse, vtpote quod sit ex omni caloris præter naturam sorte: quapropter vt natura validior euadat, commodiusque possit humorem ipsum deuincere, aut saltem pellere, omni studio caloris illius exstinctionem exsequi oportebit. Sic interim dum & sanguis mittitur, & corpus pharmaco purgatur, mane aut vesperi refrigerans aliquod porriges, quale est, q. ℞. *hordei p. 6. cichorij manip. 3. florum borraginis, buglossæ, anà manip. 2. pimpinellæ, scabiosæ, borraginis, buglossæ, anà manip. 1. seminis acetosæ, seminis citri, anà ℥. ß. contundantur in lib. 12. aquæ vsque ad consumptionem tertiæ partis, & facta expressione colaturæ adde sacchari albi ℥. 2. tamarindorum extractorum per setam ℥. 2. & ß. sacchari rosarum, & violarum, anà ℥. 1. & ß.* & fiat apozema, (E)

Apozemata refrigerãtia pesti proficua.

Item conficies aliud apozema gustui gratum, q. ℞. *aquarum buglossæ, acetosæ, borraginis, & scabiosæ, anà ℥. 5. boli præparati ʒ. 1. diamargaritonis frigidi ʒ. ß. electuarij trium santalorum ʒ. 1. syrupi de succo limonum ℥. 1. & ß.* Præstat etiam aliud, quod solum conficitur *ex decocto hordei, scordij, acetosæ, radicis scorcionteræ, & carlinæ, addita conserua ex carne citri confecta cum syrupo rosarum, & acetositatis citri, addito puluere margaritarum præparatarum.* Quæ omnia magis minusue frigida porrigere poteris, prout vires laborantis ferre potuerint, aut æstus, & cauma tum temporis, tum laborantis poposcerint.

Pesti opponuntur varia medicamenta, & quæ ea sine Electuaria.

Quod hoc loco sese offert expendendum, proculdubio est vsus eorum medicamentorum, quæ vim habent efficacissimam contra pestem. In qua re præter ea, quæ sequenti cap. *de febre maligna* latius dicturus sum, quæ etiam huic malo semper prodesse possunt, *(vt theriaca, confectio de hyacintho pul. electuarij de gemmis, Alchermes lapis bezoar*, & alia huius census) peculiari efficacia hanc venenosam contagionẽ infirmant alia, quæ id efficaciùs nata sunt efficere, velut *electuarium de tribus generibus santalorum, diamargaritonis frigidi, electuarium de gemmis, trochisci de spodio, de camphora, de terra sigillata, & de baccis oxyacanthæ, conserua rosarum, oxalidis, nympheæ, violarum, & buglossæ*, quæ omnia quouis tempore assumi possunt. Inter composita verò præter theriacam confert *electuarium de bolo*, q. ℞. *boli Armeni purissimi loti aqua rosacea ℥. ß. radicis tormentillæ, & angelicæ, anà ʒ. 2. coralli rubei, rasuræ eboris, cornu cerui, & rosarum* (B) *rubearum, anà ʒ. 1. & ß. melonum, iuniperi, & bombacis mundati, ana ʒ. 1. seminis anisi, fœniculi, & cinnamomi, santalorum citrinorum, anà ʒ. ß. fiat puluis* Sed inter ea, quæ prestantissima habentur inter auctores, est electuarium, *q. ℞. sanguinis sicci anatis, anseris, & hædi, rutæ hortensis, seminis fœniculi, cymini, anethi, napi, anà ʒ. 3. radicis gentianæ, radicis quinquefolij, schænanthi, scabiosæ, pimpinellæ, betonicæ, & rosarum siccarum, ana ʒ. 2. aloes, thuris, masticbes, myrrhæ, nardi, ana ʒ. 2. belzoini, asari, ammoniaci, ana ʒ. ʒ. maioranæ, agarici, ana ʒ. 2. Carpobalsami ℈. 1. ireos, zingiberis, croci, ana ʒ. 1. stæchados ʒ. 5.* ex omnibus fiat puluis, & cum *quadruplo mellis despumati* fiat electuarium, cuius sumat laborans ʒ. ß. Item aliquando sumere pro- (C) derit ℈. 2. *huius pulueris* q. ℞. *radicis quinquefolij, betonicæ, pimpinellæ, scabiosæ, seminis citri, acetosæ, cardui benedicti, partes æquales.*

Pulueres.

1\.
2\.
3\.
4\.

Alios item conficies puluisculos summopere proficuos, q. ℞. *terræ sigillatæ, boli Armeni, ana ʒ. 1. dictamni ʒ. 2. quinquefolij ʒ. 1. & ß. seminis acetosæ ʒ. 3.* misce & fiat puluis.

Electuarium.

Est & aliud electuarium huic vsui non minoris momenti q. ℞. *ligni Indici in subtilem puluerem redacti*, & accuratissimè per cribrum purgati ℥. 1. & ß. infundantur in aqua buglossæ, quantum per noctem capere possit puluis, deinde adde *carnis passularũ extractæ per setam ℥. 4.* & fiat electuarium, vel fiat ex eodem *puluere cum saccharo rosaceo*, cuius mane & vesperi ʒ. 3. porrigere poteris. Præterea hoc puluisculo (D) vti etiam poteris, q. ℞. *gentianæ, dictamni, mastichis, spicæ nardi, corallinæ, radicum quinquefolij, terræ sigillatæ, boli Armeni, vtriusque coralli, cariophyllatæ, centaureæ minoris, santalorum rubeorum, ossis de corde cerui, & zedoariæ, ana ℥. ß.* fiat puluis, cuius ʒ. ß. laboranti porrigere poteris.

Puluis.

Fiunt etiam trochisci ex bolo, hac lege: Excipe *boli Armeni ℥. ß. radicis tormentillæ ʒ. 2. radicis angelicæ ʒ. 1. sacchari* ad pondus omnium, fiat puluis, ex quo formentur trochisci saccharo dissoluto in aqua *oxalidis, scabiosæ, infusionis gummi tragacanthi*, quorum præbe ʒ. 1. & ß. aut in forma pulueris ʒ. 1. Sunt etiam medicamenta, quæ appellantur opiata, magni profecto momenti in hoc ministerio, cuius census est illud, q. ℞. *conseruæ buglossæ, ana ℥. 1. pul-* (E) *ueris electuarij de gemmis, & diamargaritonis frigidi, ana ʒ. 2. trochiscorum de terra sigillata, & radicis angelicæ, ana ʒ. 1. cum syrupo acetositatis citri (æstiuo tempore) de corticibus citri (hyeme)* fiat opiata.

Opiata.

Alio etiã modo hoc medicamentum conficies, q. ℞. *conseruæ foliorum nympheæ, acetosæ, & borraginis, ana ℥. 1. boli Armeni purissimè loti decoctione buglossæ, & rosarum ʒ. 2. radicis angelicæ, zedoariæ, seminis, & corticis citri, & coralli rubei, ana ʒ. 1. cinnamomi, & margaritarum ana ʒ. ß. ambræ, & moschi, ana gr. 3. succi scordij, et quinquefolij, ana ℥. 2.* succi resideant, & ferueffiant cum mi ua myrobalanorum conditorum saccharo, & fiat opiata, cuius sicut alterius à ʒ. 1. *ad* 3. porrigi poterit.

Tabellæ.

Præstant quoque tabellæ, q. ℞. *boli Armeni purissimi ʒ. 1. & ß. coralli rubei ʒ. 1. radicis angelicæ, tormentillæ, & foliorũ dictamni recen, ana ʒ. ß. margaritarũ ℈. 1.*

zedoa-

zedoariæ ℈. 2. *macis* ʒ. 1. *conseruæ oxalidis* ʒ. 2. *sacchari albissimi* dissoluti aqua vel decoctione *scordij & scabiosæ q. s.* vt fiant tabellæ.

Serapis.

Conficies insuper serapia, quæ huic vsui summopere conducunt, quale est, quòd paratur ex succo *acidi mali, limonum, ac pomorum omnium acidorum, oxalidis, sonchi, melissophylli*, ea quibus vel aliquibus cum *sacchаro & aqua scordij*, aut *decocti radicis carlinæ*, fiēt serapia huic vsui vtilia, cuius census sunt *syrupus acetosus, aut oxysaccharum*, adiectis puluisculis ex *smaragdo*, aut *electuarij de gemmis*. Confert etiam id, q. ℞. *sacchari rosacei & buglossati, anà* ℥. 1. *& ß.* dissolue in *lib. 1. & ß. aquæ melissophylli, oxalidis*, & ter transfunde per collum, & addito syrupo ex *citro acido, oxysacchari*, & de *pomis singulorum* ℥. 2. pulueris *diamargaritonis frigidi* ʒ. 2. *foliorum dict. amni, zedoariæ, & radicis pentaphylli, anà* ʒ. *ß. foliorum auri num. 6.* cuius qualibet hora poteris modicum porrigere.

Puluis.

Item præstabis huius pulueris ʒ. 1. *cum modico vino*, si laborans languidus fuerit, aut tempus hybernum; sin secus, cum aqua scordij, q. ℞. *radicis heptaphylli, & pentaphylli, anà* ʒ. 1. *zedoariæ, dict. amni Cretensis, seminis mali medici, & cornu cerui vsti singul.* ℈. 2. *cyperi, baccarum iuniperi*, cuiuslibet ℈. 1. *ossis de corde cerui* ℈. *ß. croci gr.* 3. misceantur, & fiat puluis, cui addes pulueris *boli, margaritarum, & smaragdi, anà* ℈. 1.

Peste affectis quo modo cucurbitulæ sint affigendæ vel siccæ, vel cum scarificatione.

Vlterius vero varijs medicamentis & auxilijs venenatam qualitatem, & euocare & frenare assuescũt auctores: Primo quidem cucurbitulis prauis & pluri- C mis (*dum in animo est sanguinem non extrahere*) dorso, femoribus, & suris, ac brachijs sæpius affixis & reiteratis: quod sane facies, antequam bubones aut carbunculi appareant. Verùm si pustulæ aut exanthemata alia apparuerint, tunc quidem audacius eis vti licebit: At dum sanguinem fundere per cucurbitas cõceditur, vel è regione cordis fieri debet, vel in principio suris scarificatis, quo sanguis mediocriter fundatur, diuertaturque à visceribus venenosa substantia; quod si vereamur tenuem sanguinem relicto crassiore euanuisse, prius fouere oportet partem decocto *chamæmeli & pentaphylli*, aut *oleo liliorum cum nitro*, vel pars in ruborem fricanda.

Vnguenta ad efficiendum venenũ.

Præterea cordis regionem inungere oportebit, principio iam finito, fa- D cta etiam vacuatione sufficienti *vnguento*, q. ℞. *theriacæ* ʒ. 3. *terræ Lemniæ, santalorum rubeorum, anà* ʒ. 1. *aquæ rosaceæ & aceti parum*, fiat ad modum vnguenti. Quippe statutum est Galeno & veteribus, alexipharmaca ad se allicere venenum, forisque euocare nata esse, vbi extrinsecus adhibentur, *vt visum est Galen. 5. simpl. cap.* 18. prodest aliud, q. ℞. *olei rosati, nenupharis, & naphtæ, anà* ℥. 1. *olei Matthioli* ʒ. 2. *succi buglossæ, borraginis, scabiosæ, scordij, & pentaphylli, anà* ʒ. 1. *specierum cordialium* ℈. *ß. santalorum rubeorum, seminis citri & acetosæ, anà* ℈. 1. *aceti parum*, misce & fiat vnguentum. Prodest & *oleum Matthioli cum vnguento naphthæ, & pulueribus electuarij de gemmis, scordij*, & alijs, quæ superius memorauimus.

Epithemata cordialia.

Item si E cauma & incendium grandius fuerit, *epithemata* adhiberi possunt, quale est, q. ℞. *aquæ oxalidis, buglossæ, nymphææ, & rosarum rubearum, anà* ℥. 3. *aquæ melissophylli, & florum citrangulorum, anà* ℥. 2. *santalorum omnium, & corallorũ rubeorum singul.* ʒ. 3. *ligni aloes, corticum mali Indici, seminis basiliconis, cinnamomi*, cuiuslibet ℈. 1. *ossis de corde cerui* ʒ. 2. *croci gr.* 4. *vini albi odoriferi* ℥. 2. *& ß.* misceantur & excipiantur in serico purpureo, & cordis regioni adhibeantur. Aliud cõficies etiam, q. ℞. *aquarum scabiosæ, nenupharis, borraginis, acetosæ, rosarum, anà* ℥ 4. *aceti albi optimi* ℥. 2. *camphoræ* ℈. 2. *croci gr.* 4. *santalorum rubeorum* ʒ. 1. *& ß. specierum diamargaritonis frigidi* ʒ. 1. misce & fiat epithema.

Sacculus cordialis.

Cuiusmodi fieri etiam alia poterunt, quæ eundem vsum præstent, aut loco eorum sacculi possunt confici, q. ℞. *florum nymphææ, buglossæ, rosa-* A *rum rubearum, anà* m. *ß. florum citrangulorum, rorismarini, & melissophylli, anà* ʒ. 2. *santalorum, & corallorum rubeorum, anà* ʒ. 3. *ligni aloes, corticum citri, & seminis basiliconis, anà* ʒ. 1. *florum dict. amni, zedoariæ, & baccarum iuniperi, anà* ℈. *ß. croci gr.* 3. *ossis de corde cerui* ʒ. 1. *pulueris electuarij de gemmis* ℈. 4. *ambræ, & moschi, anà gr.* 2. & cum linteo serico omnibus simul iunctis, & in puluerem redactis fiat sacculus. Ex quibus omnibus varia poteris vsus tempore effingere medicamẽta, varijs formis confectã, quæ mane, vesperi semel, bisve die porrigere poteris.

Bubones & alij tumores præter naturam pestilentes quo modo fiãt

Bubonum & pustularum magna est in omni fere pestilenti cõstitutione alluuies, longe magis, quam in quouis alio morborum genere. Idque ob peculia- B rem huius mali naturam, & perniciosam conditionem: quippe ea, quæ vniuersam naturam vitiant, non patitur natura vigere in membris præcipuis, neque iuxta ipsa, vita enim protinus orbaretur, & ob id procul à prædictis membris nititur pellere, posthabita carnis corruptione, vt tueantur membra principalia: Et hac potissimum ratione in reliquis febribus, quæ solum natæ sunt intemperamentum inducere, non producit natura bubones, & pustulas, aut carbũculos, quia non impendet ex alteratione vitæ discrimen, sicut ex venenoso & pestilenti contagio, quod à tota substantia lædat; & ob id solum, aut maiori ex parte, in pestilentibus febribus ea producit. Itaque horum bubonum & pustularum, quod maius solet facessere negotium, sese iam offert prouidẽtia. In cuius exsequutione primo considerare oportet, pestilentiũ constitutionum quasdam terminari per pustulas vel leues exituras, aut papulas; quasdam vero per bubones & tumores præter naturam; alias vero per carbunculos & exurentissimos tumores, idque vel iudicatorie, vel symptomatice, adeo magna differentia præstita in curatione, ac ea est, à qua originem trahit quæuis harum pustularum, à natura nimirum, an à vi morbi, nam licet in omnibus morbis pestilentibus plerunque aliud per cutim appareat tumorosũ vel pustulosũ, nihilominus tamen non leuiter euariat curãtis consiliũ, dũ natura morbũ terminante id prodit, ac dũ ipsa patiente, & inuita atque coacta aliquid horũ appareat.

Bubones pestilentes quomodo curandi.

In qua re primũ videndũ est, quid agere oporteat, quouis horũ apparente, vtcumq; appareat. Sit ita vt bubo vel in inguinibus, vel post aures, vel sub alis prodat; aut pustulæ per cutem erumpant, vel carbo nigricare incipiat; primo quidẽ considerabis, an ante febrẽ apparuerit, vel post febrẽ: si primũ eandem curãdi viam institues, ac si non apparuisset; hoc solũ addito, quòd in omnibus auxilijs motũ illum à natura cœptũ sequi opus erit, cauens, ne protinus expurganti pharmaco vtaris, ne motũ naturæ ad extima, in intima retrahas. Præterea, si febre iam incepta apparuit, quantitatem eius & laborantis conferentiam considerabis, nimirum si paruus sit, an magnus febre non cessante. Quo tẽpore si paruus sit tumor, vel sanguinem mittes, si laborans ferre potuerit, vel cucurbitis & omni auxilio ad extima euocabis, *vt mox referam*, ac si non creuerit, vel febres cessauerit, protinus aperire curabis, quò faciliùs ad eam partem euocetur natura, & per foramen exspiret veneni vis. Verùm si magnus sit tumor, & febris non cessauerit, curabis protinus, ipsum quoque aperire, nam differre vigente febre, omnino graue est, & periculo plenum, maiorem enim arguit humoris venenati copiam, quam ferre possit laborans, donec ad suppurationem ducatur humor, & ob id protinus scalpello vel candenti ferro aperire expedit. At si tumore apparente cessauerit febris, tunc quidem ex ratione facies, si integram exspectaueris maturitatem, saltem mediocrem, ne iterum reuertatur febris. Itaque considerabis, cessaueritne febris, & laborans melius se habeat an deterius: quippe ex hoc naturæ victoriam vena-

Populares morbi ad communes pertinent.

Pertinent vero ad communes morbos hi, quos *populares* appellamus, quos à prædictis differre solo modo vagandi caussæ, omnibus esse compertum censeo: nam populares morbi aerem solum temporaria occasione male affectum sequuntur. Quo fit, vt per omnes ætates, sexus, ac victus genera ex communitate caussæ populares fiant morbi. Itaque ad communes pertinere populares cōstat, quia ex aere fiunt, populares tamen existunt, quia ex aere temporaria occasione male affecto suboriuntur. Dissident tamen ab endemijs, quia hi fiunt ab aere male affecto semper, aut ab alia occasione, quæ eodem modo semper se habeat: illi vero ab aere temporaria occasione affecto: à quibus etiam dissident multitudine affectorum hominum, nam populares plures, endemij pauciores homines apprehendunt. Itaque aer popularium morborum caussa existit, quia *communis effectus communem quoque caussam esse necessum est: sed aere communior caussa non reperitur*, ergo ipse popularium præcipua existit caussa. Nam licet commune alicui populo aut regioni alimentum, populares quoque morbos efficere sit natum, quia tamen raro contingit, eadem quantitate alimentorum omnes homines vti, nec si eadem vtātur, ob id popularis morbus suboritur, quia differt corpus à corpore, & natura à natura, ideo sane aerem popularium morborum præcipuam caussam existimamus. Præterquam quod morbi ex alijs caussis facti, neque ita sunt frequentes, neque difficiles cognitu, *Gal. refert lib. 2. pop. in proœm.*

Quid ab endemiis dissideāt.

Aer popularium morborū præcipua caussa.

Ceterum non vnico & eodem modo caussa popularium omnium existit, sed cum varij sint populares morbi, varias quoque esse eiusdem alterationes necessum est. Quarum omnium disertissima satis oratione meminere Hippocrat. & Galen. *lib. 1. & 3. popul. & 3. aphorism.* Morbidus igitur, & popularium caussa efficitur aer, *Vno* quidem modo, dum secundum qualitates manifestas alteratur: nam aut ventorum inquinamentis afficitur, aut cœlorum mutationibus, *vt capit. de febr. malign. inferius dicturus sum: Alio* vero, dum in tota substantia alteratur, qui non solum popularium vt primus modus, sed popularium pestilentium potissima existit caussa, cuius doctrinæ gratia legere oportet caussas febris malignæ, quatenus ad aerem pertinet, quippe nō patuam vtilitatem his, quæ hac in parte dicturus sum, afferre possunt: quibus suppositis, & ante hunc locum lectis, aggrediar pestilentis naturæ genuinas, & potissimas caussas. Multi profecto fuere ex veteribus qui pestis rationem & caussam explicare, & posteris tradere tentarunt, sed vnum Hippocrat. in eo genere omnes alios excelluisse, inter Medicos constat: non modo in his, quos *epidemicos* scripsit *libros*, verum etiam *lib. de spiritibus.* In quo, sapientissimus senex omnium morborum aliquod dari commune principium, nempe aerem ante cetera ostendens, ita scribit: *Post hoc igitur statim dicendum, quod non aliunde potissimum morbo. nasci consentaneum est, quam hinc, quando scilicet* (loquebatur de aere siue spiritu) *vel copiosior vel paucior, vel cumulatior, atque morbosis inquinamentis infestus corpus intrat:* paulo vero post febresm duo genera partiens: alterum commune omnibus *pestem* vocat: alterum ijs qui mala viuendi consuetudine vtuntur, ob victum *proprium* facit. Atque de primo siue pestilente in hunc modum loquitur. *Communis itaque febris ideo talis est, quod spiritum huiusmodi omnes attrahant, simili modo spiritu similiter corpori commixto, similes quoque morbi efficiuntur.* Neque ob id quidem credendum est, eandem contagionem omni animātium generi esse communē: caussa profecto est, quia licet aer omnibus animantibus sit communis, corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento differunt: non enim omnibus animalium generibus incongrua eadem & congrua sunt, sed alia

Aer quot modis popularium morborū caussa.

A alijs conueniunt. Ob id profecto vnanimi fere omnium doctissimorum consensu constat, pestilentem cuiusque contagionem suæ speciei esse communem & familiarem, ponus quam alteri aut diuersæ. Quapropter nec male senuunt, meo iudicio, qui volunt, hominum pestiferorum cadauera hominibus nocere magis, vt equorum equis, & aliorum animalium suæ speciei animalibus. Qua ratione frequenter conspicitur, pestem pecora deuastare, aut fruges, aut arbores, aut alias viuentium species: reliquis superstitibus manentibus. Quam sententiam Lucret. *in 6. de natur.* adeo eloquenter & apposite expressit, vt non aliunde quam ex Hippocr. libris eam excerpsisse videatur: Eiusdem quoq; sententiæ Gal. fuisse videtur *lib. 1. pop.* qui huius rei caussas reijcit in aerem & corB porum variam dispositionem. Atqui licet Hipp. eodem *lib. de flat.* dicat, vtriusque generis febrium auctorem esse; subaudiendum est, *primum genus primo, & per se, at præcipue ab aere fieri: secundum vero secundario.* Ex quibus constat, pestilētem constitutionem ex aere proficisci. Cui dogmati subscribit Galen. *1. popul.* per hæc verba: *Popularium perniciosissimi sunt qui pestilentes vocantur, qui perinde ac totum popularium genus ex aeris statu profecti sunt.* Itaque cum vno & consimili morbo omnes homines eodem tempore corripiuntur, caussam maxime communem esse, iure optimo cēlebrimus: quod ratione deducta ab Hippocrat. *lib. de natur. hum.* vlterius probari potest. *Morbi, inquit, alij à victus genere, alij spiritu, quem attrahentes viuimus proueniunt.* Tunc si ex victu solo, *vt*
C *superius probatum est*, hi morbi prouenire nequeunt; *Ergo ex aere necessario proficiscentur:* cui ratio talis adiungitur. *Omne morborum genus quod citra vllam distinctionem victus, sexus, aut ætatis per multos homines eodem temp. re grassatur, ab aere male affecto principium sumere dicendum est; Sed talis est morborum pestilentium inuulgatio: siquidem omnes similis affectus corripit;* ergo *ab aere proficisci est necessum, eò quod nulla sit inter caussas inferiores, quæ consimiles morbos diuersis naturis præstare possit.*

Pestilens contagio suæ speciei cōmunis & familiaris, nō alteri à propria specie diuersæ.

Pestilentium febriū præcipua caussa aer ratione primaria; aliarum febriū ratio ne secundaria.

Sed nosse hac in parte decet, quanam ratione aer vt pestilens fiat, à caussis id efficientibus disponatur
D corrumpaturque secundum substantiam: pendete hanc aeris perniciem à venenato quodam inquinamento aeris insperso prima huius capitis parte diximus. Quod profecto consurgit aliquando ab inferioribus, vt exhalatione putrida à cadauenbus excitata, aut corruptis frugibus, leguminibus, & oleribus, paludibus baratris, & alijs huius censu, quæ præd. loco retulimus. A quibus inquinamentis aer fœda putredine conspurcatus corpus ingrediens, pestilentes & contagiosos concitat affectus. Itaque aer, cuius tapore vlus nobis est necessarius & communis, licet secundum Arist. *lib. 20. probl. text. 25.* non putrescat vera putredine, varie tamen alteratur, & veluti corrumpitur extraneę & venenosæ substantię admixtio
E ne aut alteratione, *vt inferius monstrabo:* quam ego censeo esse veram aeris putrefactionem. Nam quod aliter putrescere non possit, constat euidenter ex Galen. *lib. art. med. cap. 85. 2. de nat. hum. com. 2. lib. 12. meth. cap. 5. lib. 1. de san. tuend. cap. 11.* quam etiam aeris corruptela aliquando à cœlitus aduenire, communi fere Astrologorum omnium & Medicorum consensu firmatum est. Quod duobus modis cœlum posse efficere, constare apud omnes arbitror, nimirum aere mutato secundum manifestas qualitates, eo modo, quo in popularibus caussis dictum est, *vt in ortu Caniculę, vigente maxime æstu, & in alijs vehementibus aeris mutationibus facile conspicimus*, quas pestilentes posse parere morbos constat, *vt etiam ex Gal. probari potest. lib. aeris medicinalis, cap. 85. & lib. 1. de differente. febr.* Quam aeris mutationem secundum eius qualitates & in popularibus & in pestilentibus morbis

Aer quæ ratione fiat pestilens.

Pestilens constitutio nequit fieri citra manifestā aeris alterationem.

Aer quomodo corrumpatur à cœli influxu.

bis considerare, plurimum conducit. Secunda vero aeris alteratio à cœlo etiam demandata, fit in tota eius substantia, ita vt quemadmodum in alimentis, sic in aere experiamur, aliquãdo qualitatem familiarem spiritui animalis: aliam vero alienam & corruptricẽ. Nam tunc habet aer morbidam illam exeretionem, quam commemorat Hippocrat. *lib. de natur. hum.* estque diuinum illud, quod perpendendum docuit, *lib. 1. prog. & lib. 1. de morb.* Atqui dum aer maligno hoc inquinamento fœdatur, substantia eius veluti corrupta, tunc inspitatus pestilentes generat affectus.

Dubium.

Cæterum an *huiusmodi aeris inquinamentum in occulta quadam proprietate, & venenoso contagio consistat ex diuerso, maligno & occulto syderum & planetarum omnium aspectu prodeunte, circa manifestã aeris alterationem: an qualitatibus manifestis aeris impressis, ex manifestis, communibus & necessarijs astrorum aspectibus* non satis inter Auctores conuenit. Quibus accedit tertia dubitatio, nimirum *an cœlum possit venenosam & contagiosam qualitatem in hæc inferiora influere.* Quapropter quid in hac re sentiendũ sit, breuibus perstringam. Nam sunt plures, & præstantissimi inter Medicos & Philosophos, qui cum Astronomis contendunt, ex occulto quodam contagioso inquinamento aeri impresso, ex inimico et pernicioso syderum aspectu pestem proficisci. Alij rursus cum Platone, Arist. & plerisque antiquorum tenent, nulla lege, nullaque ratione posse fieri, quod syderum aspectus venenum ac pernitiem in hæc infe- C riora distribuant. Alij item sunt, qui cœlitus aliquid trasmitti in hæc inferiora fatentur ad pestis generationem: ceterum id fieri mediãtibus manifestis qualitatibus. Quibus dubitationibus quæ maximi esse momenti mihi in hac re videntur, satis facere in hoc loco visum est quatuor propositionibus quarum prima est: *Influxum esse ad febres pestilẽtes cœlitus necessarium:* quod probatur ex communi Philosophorum omnium consensu, qui gubernari hæc inferiora superioribus latinnibus necessariò fatentur: dixit enim Proclus lib. de anim. *Superiori harmonica ratione mũdana omnia continent atque perficiunt & inuicem accommodant.* Præterea id Auic. *fen. 1. 4. tractat. 4. cap. 1.* specialius fatetur loquẽs de pestilentium febrium ge- D neratione, dicens: *Principium omnium horum sunt forma ex formis cœli facientes esse necessarium illud, cuius aduentus ignoratur:* Ex paulo post inquit. *Oportet vt scias, quod caussa prima longinqua ad illum sunt figuræ cœlestes, & propinquæ dispositiones terrestres.* In quo sane dogmate, tanquam in verissimo, non est in animo plurium auctorum sententias recensere: sed vnica & euidenti ratione rem concludere, quæ talis est: *Illud quod est ineuitabiliter multis aut omnibus in diuersis partibus commune, communissimam obtiuere caussam necessum est, sed talis est pestilens constitutio. Ergo necessum est obtinere omnibus communem caussam.* Quod facile probari potest: *nam pestilens constitutio, quæ principium ex his inferioribus trahit, regione & aere mutatis, vim nullam habere potest: Ceterum ea, quæ huiusmodi non est, cum caussam habeat omnibus communem, nimirum planetarum, syderumque influxum, vitari minimè potest:* Ex quo infero rationem, *pestilentem videlicet constitutionem, quæ multis est communis, & in diuersis locis, necessario ab influxu cœlesti demandari.* Itaque cœlum generationis & corruptionis caussam esse, & ad vtrumque esse necessarium eiusdem naturalem influxum, nemo sanæ mentis negabit.

Pestis verum ex pernicioso syderũ aspectu oriatur.

I.
Influxus cœli necessarius est ad febriũ pestilẽtiũ generationem & quare.

Pestilens cõstitutio ab influxu cœli oritur.

II.
Syderum aspectus alij alijs præstantiores.

Secunda propositio huic finitima talis est. *Ex syderum & planetarum aspectibus, & coniunctionibus, quidam sunt alijs præstantiores, & vsui humanæ vitæ commodiores.* Ex hac quidem propositione cõstat, in hæc inferiora fieri diuersos influxus, ex vario & diuerso syderum congressu & aspectu, quorum aspectuum A diuersitas diuersum efficit in his inferioribus affectum: quemadmodum Galen. profert *lib. 2. de diebus decretorijs*, dicens: *Lunam, vbi planetas salutares & temperatos aspexerit, faustos & beneuolos producere dies, infaustos autem & molestos, vbi intemperatos:* Probat hanc propositionem Auer. *libr. 9. metaphys. cap. 10.* per hæc verba. *Manifestum est, quod in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna: sed eorum essentia est principium, in his neque malum est omnino, neque error, neque corruptio: corruptio enim est ex rebus malis.* Et ex hoc cognoscitur, impossibile id esse scire, quod Astronomi dicunt, *Stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas: id autem scribi de eis potest, quibusdam esse melio-* B *res.* Ex qua sententia infertur, esse inter astra non leuem differentiam sub ratione præstantiæ. Tunc vltra, si verum est, astra suis mutationibus & aspectibus hæc inferiora mutare, necessum est conijcere, (*siquidem variam cognoscimus, diuersam ac sæpe contrariam inferiorum mutationem*) varios quoque esse syderũ concursus & aspectus. Atqui cum inferiorum mutationes quædam sint salutiferæ, quædam minus salutares, necessum subinde erit conijcere, aspectus mutationũ effectrices esse dispari bonitate affectos. Non enim possibile est, vt omnibus naturis, regionibus ac anni temporibus omnes cœlorum motus, & syderum aspectus sint æque salutares: idque non solũ ex inferiorum varietate, sed ex mutationum inclemẽ- C tia. Quis enim vehemens frigus, vehemẽtem æstum, & aliarum mutationum inæqualitatem, & nobis cõtrariam atque inimicam intemperiem (*quantumuis temperato sit corpore*) citra noxam perferre poterit? Itaque constat ex prima propositione, cœlum hæc omnia immutare, & ex secunda, variam & diuersam mutationem præstare.

Influxus cœlestis quare varie immutẽt hæc inferiora.

III.
Influxus cœli & syderũ concursus nõ possũt sua pte natura pestem immittere, citra manifestã aeris alterationem.

Tertia vero propositio tenet, *licet astra possint in hæc inferiora influere, nullum esse cœli neque syderum concursum talem, aut configurationem, quæ suapte natura citra manifestam aeris alterationem, pestem aut contagium immittere in hæc inferiora possit.* Quam propositionem ex antiquorum decretis probare esset facile, sed importunum: nam cum vnanimi constet om- D nium sententia, cœlum ac planetarum omnium & syderum concursus semper bonum in hæc inferiora influere, *vt ex Plat. in Epinom. apertè constare video*, qui Solis, Lunæ, ac reliquorum planetarum, & stellarum potestatem atq; naturam admirans, *sorores* omnes appellat, sic mille in locis testatus est, amicitiam, conseruationem & beneficium nobis præstare, idq; non alia ratione fieri, quam ex eo, quod cœlestium substãtia vna sit, salutaris & benefica. Quamobrem videtur à ratione alienum, contagium seu pestẽ, rem omnino malam, inordinatam & non naturalem, primis adscribere naturæ caussis, alioquin ordinatissimis & potentissimis. Quod etiam conceptis verbis testatur Aristot. *lib. 9. Meta. cap. 10. In his* (inquit) *quæ* E *sempiterna, atque ætherea sunt, neque malum, neque errorem aut corruptionem inueniri.* Cui consimilem sententiam adducit idem auctor *1. cœli comm. 13.* affirmans *malum neque in illis esse, neque ab ipsis manare. Præsertim cum trãsmutabilia non sint, & passionis expertia, quę illic sunt corpora.* Quibus sententijs (prętermissis doctissimorum virorum quam plurimis) subscribunt rationes non paucæ. Prima sane desumitur 1.
ex Mercurio Trismegisto in Asclepio, quæ talis est: *Quicquid de alto descendit* (inquit) *generans est. Quod si generat quod è cœlo ad nos labitur, corrumpere suapte natura non potest: at contagium & pestis non sunt corruptiones aptæ ad generationem, neque vlla ratione prę requisita media ad eadem,* ergo *nullo modo à cœlo & astris possunt intendi.* Secunda ratio desumitur ex A- 2.
uer. *1. cęli, com. 24.* hæc verba proferente. *Corpora cœlestia conseruant elementa, & continent ipsa, & vniuersa-*

Pestem ab aspectibus non oriri.

uerſaliter ſunt eis quaſi forma. Ex qua ſententia ſic A formo rationem: *Quod conſeruat & contiaet, ceteriſque omnibus eſt veluti forma, id contagio afficereatque veneno, quæ, conſeruat & continet, minime poteſt: ſed cœlum eſt huiuſmodi.* Igitur *à cœlo contagium manare* 3. *non poteſt.* Tertia vero ratio deſumitur etiam ex eodem Auer. t. *comm.* 28. nam inquit: *Si enim aduerſaria nobis cœleſtia corpora eſſent, corrumpi ſtatim vniuerſum, conſequens plane foret:* tunc ſic infero rationem: *Cœlum vitam nobis plãtiſque benefico munere impartitur, ergo id contagium & quid maleficum nobis impartiri nõ poteſt.* Probat aſſumptum idem Auctor *lib. de ſabſt. orbis* dicens, *vitam nobis vegetabilem, ſenſibilem, & animalem, calore cæleſtium corporum tra-* B *di: ergo alienum eſt à ratione, exiſtimare ea, quorum be-* 4. *neficio viuimus, nos contagio afficere.* Quarta autem & vltima ratio deſumitur ex natura peſtilentis conſtitutionis, *quæ cum de genere ſit eorum, quæ contagio afficiant, neceſſum eſt, à re, quæ id valeat inferre, proficiſci: ſed aſtrorum adſpectus nullo modo id poſſunt inferre, ergo neque peſtem.* Minor probatur, *vt enim contagium fiat, id à quo primum manat, inquinatum eſſe oportet, ſi alteri inquinamentum præſtare debet, cum contagium non vnius ſolum, ſed duorum ſit affectus.* Quamobrem *aut ſydera eſſe contagione affecta, aut ipſa contagium non præſtare* credendum eſt. Ex quibus manifeſte conſtat, ex aſtrorum aſpectibus contagium ſeu peſtem non poſſe ex propria eorum natura aut inimicitia proficiſci: nam fortaſſe (ſi id eſſet verum) quæ non eſſet minoris momenti ratio, ſequeretur, omnia viuẽtia male affici ex præd. aſpectibus.

Influxus cœli peſtẽ efficiunt medianti bus mani feſtis qua litatibus et aeri tri buẽdo ali quod nobis occul tum ſub ſtãtię vitium.

Quarta autem propoſitio ſe habet in hunc modũ, *licet ſuperni influxus neceſſarÿ ſint, & varÿ, ac diuerſi: cum hoc tamen non ſunt malefici, neque contagioſi, ac peſtilentes, ſed peſtilentem efficere poſſunt conſtitutionem, mediantibus manifeſtis qualitatibus, licet aeri tamen ſit ex eiſdem aliquod nobis occultum ſubſtãtiæ vitium.* Qua propoſitione probatur, ſufficere manifeſtas aeri alterationes à varÿs ſyderum adſpectibus illatas ad peſtis generationem. Quod manifeſtiſſime probauerat Hippocrates *lib. epidemior.* nam omnem morbidam ſeu peſtilentem conſtitutionem depingit, ſumpto narrationis principio a manifeſtis aeris mutationibus, quod Galenus pulcra quadam ſententia videtur confirmare *lib* 1. *de temperam.* per hæc verba: *Verum hic minus* (ſubdit) *vtpote vno tantum è temporibus mutato malum fuit. Quod ſi duo triaue ſint mutata, aut totus annus calidus humidaſq; fuerit, neceſſe eſt magna peſtilentia ſuccedat,* cuiuſmodi *in tertio epidemior.* narrat Hippocrat. Sic Paul. *lib.* 2. *cap.* 36. & Aetius vocatur, *futuram peſtem ex malignorum anni temporum mutationibus.* Quam ſententiam vltro profitentur Auicen. & Plat. in conui. his verbis: *Nam quoties in anni conſtitutione calida & frigida, humida & ſicca congruum inter ſe ſortiuntur amorem & harmoniam, temperiemque oportunam ſuſcipiunt, ſalubrem & fertilem annum hominibus, animantibus, atque plantis afferunt, neque quicquam lædunt. Contra vero cum petulans & contumelioſus amor in anni temporibus prǽualet, iniuria multa corrumpit. Peſtes ſiquidem ex his fieri conſueuerunt & alÿ morbi:* Qua ſententia conſtat, aeris alterationem ſufficere ad peſtilentem conſtitutionẽ.

Aeris alteratio ad peſtilentẽ conſtitutionẽ ſufficit.

Sed conſtat vlterius aſſertio noſtra, ſuppoſito, aerem duobus modis putrefieri: *Vno* ex mixtione putridi habitus. *Altero* vero ex aliena vehementi & contraria ipſius alteratione cœlitus ſyderum adſpectibus illata, quæ quodammodo mutata aeris ſubſtantia, certum quendam efficit corruptionis modum. Tunc ſic, ſi aer poteſt in tota ſubſtantia alterari (*euidens eſſe omnibus viris doctis arbitror*) neceſſum eſt morbos efficere communes, & peſtilentes, ac contagioſos: Sed hæc aeris mutatio nequit fieri citra manifeſtam qualitatum eius alterationem: reliquum eſt igitur, *peſtilentem conſtitutionem præ requirere manifeſtam aeris alterationem.* Verùm quod fieri nequeat peſtilens conſtitutio citra manifeſtam aeris alterationem certum eſt omnibus Aſtronomis: nam cœleſtes adſpectus nil aliud præter manifeſtas qualitates imprimunt, quibus ſua munia hue perficiunt, quod dočuerat Ptolemeus, dicens: *Dominantibus Saturno & Marte prouenire frigus, calorem & ſiccitatem:* cui ſententię adſtipulantur omnium Aſtrologorum decreta. Sed dubitabit aliquis, *ſi popularibus, ſicut & peſtilentibus morbis neceſſaria eſt aeris alteratio, in quo ſita ſit, quatenus ad aerem pertinet, differentia.* Cui dicimus, aerem duobus modis vitiari, iuxta qualitates nimirum, & ſecundum totam eius ſubſtantiam: Prima morbos proculdubio efficit populares & communes: morbi vero peſtilentes vtramque requirunt alterationem, & manifeſtam, & quæ in tota ſubſtantia fit, medicis occultam appellatam: illam vt corpora peſtilenti contagio paratiſſima reddat: hanc vero, vt magnam, ſordidam & contagioſam putredinem peſtilentiæ ſobolem perficiat. Quam ſane corruptionem aeris ſubſtantia ſuſceptauit, non quidem ex malefico aſtrorum adſpectu, ſed quia qualitates illæ manifeſtæ tam fuere vehementes, & aeris naturę aduerſæ, vt ſubſtantiam ipſam vinauerint: qua quidem vitiata ineffabili aliquo vitio (*quia ſubſtantiæ vitia, ſicut neque eius natura exactè verbis exprimi nequit*) C quod *occultam qualitatem* appellamus, protinus noſtra corpora pręparata iam manifeſta aeris intemperie inuadit & perdit, tanquam perniciofum alimentum, idque citius & efficacius, quia velocius peruadit abdita corporis & ſpiritus: & ob id ocyſſime ſolidam ſubſtantiam ſubuertit, etiamſi ipſe aer putridus vere non ſit. Non enim inconuenit, aliquid poſſe aliud putrefacere ac corrumpere, licet ipſum neque putridum, neque corruptum ſit, quemadmodum ſeptica & putrefacientia medicamenta paſſim efficiunt. Ex qua ſententia manifeſte elicitur, quod licet aer hoc occulto & maligno vitio ex manifeſtis qualitatibus, veluti fabrefactus exiſtat, cum hoc tamen contagium, neque cœlitus, neque ex aſtrorum D adſpectu obtinet, etiamſi contagioſus ſit, quia omnibus eſt communis, & ipſe ſecundum propriam ſubſtantiam vitiatus: quo fit, vt plures aut omnes eodem modo afficiat, qui poſtea ſpurciſſimo morbo ſunt affecti, reliquos aere infecto afficiant. Quibus ſane conſtat, cœlum & cœlorum aſpectus aerem immutare mutationibus prædictis & rurſus duplicẽ aeris alterationem eſſe neceſſariam ad peſtilentem cõſtitutionem efficiendum. Itaque vt rem concludamus, aer, qui medium eſt communius & generalius (*quia etiam per alimenta & potum nobis ſolent ſuccreſcere peſtilentes morbi*) duobus modis affici poteſt, vt peſtilẽtem conſtitutionem fabrefaciat: *Vno* quidem cœlitus accepto principio, qui duobus etiam modis E efficitur, per alterationem nimirum in qualitatibus factam; & per corruptionem etiam ſubſtantiæ eiuſdem aeris: *Altero* vero ſuſcepta deprauata & contagioſa qualitate ab halitibus ſibi admixtis & eleuatis, à corporibus Animantium mortuorũ & putrefactorum, nec non à lacubus, ſpecubus, auri fodinis & maxime reliquorum metallorum, item à latrinis & reliquis rebus, quæ putorem in ſe contrahunt, & aeri cõmunicant. Atque hæc de cauſſis ſint ſatis.

Peſtilens conſtitutio citra manifeſtam aeris alteratione non fit.

Dubium.

Aer duobus modis vitiatur.

Aer duplici teral teratur ut cõſtituat peſtem.

Signa peſtis & peſtilentis febris.

Peſtis futurę ſigna quæ ſint.

CVm futurum hoc malũ pertimeſcendum ſummopere ſit, primo *quibus ſignis id præuideri poſſit,* expendendum duxi: mox *quibus præſens cognoſcatur,* ac vltimo *quibus periculi ratio, & cauſſæ natura dignoſci poſſint,* initio ſumpto à cauſſarum cognitione: quippe iis cognitis, facile erit, quid efficere poſ-

ſint,

sint; aut qua via id præcauere, vel curare oporteat A nosse. Primum itaque cœli adspectus considerare o-

1. Adspectus cœli.

portebit: nam licet pestem inferre non posse dictum sit, cum hoc tamen aerem ea alteratione disponunt, qua facile in perniciem & lethalem constitutionem deueniitur. Sic enim ex Martis cum Saturno in signis humanis, (*qualia sunt Virgo & Gemini*) coniunctione, & ex luminarium eclipsibus, excedentes & nobis aduersas intemperies venari proculdubio poterimus.

2. Temperies calida & humida aeris intempestiua.

Præterea calida & humida aeris temperies vbi intempestiua sit, vt Hippocrat. statuit 2. *popul.* ad initium illius pestis dicens: *Carbunculi in Cranone æstiui, pluebat in ardoribus aqua larga:* vbi constat, calorem cum humiditate eo tempore intempestiue esse coniunctum, & ob id mortiferum. Item id præuidere licebit ex repentinis etiam temporum mutationi- B bus, maxime tempore æstiuo factis, nec non ex publica fame, quam vt vitent homines, pessimis alimentis coguntur vesci.

3. Temporum mutatio repentina.

Sic & cadauerum multorum corpora non sepulta, atque locustarum multitudo aquis nō fluentibus interfecta, ibidemque putrescens.

4. Fames.

Idem quoque prædici potest ex oleribus putrefactis, ex canabi, aut lino, vel corio, maceratis stagnātibus aquis. Pari etiam ratione ex lacubus & paludibus stagnantium aquarum, & colluuie fœtidorum excrementorum: item ex vaporibus exitialibus è terræ visceribus erumpētibus.

5. Cadauera. 6. Locustæ. 7. Olera putrefacta &c. 8. Aquæ stagnātes.

Quæ sane omnia eo facilius vim suam exserere poterunt, quo aer magis nubilosus turbidusque fuerit, licet dum caussa est efficacissima, vehemētius operetur aer clarus & tenuis; quæ omnia expen- C disse oportebit, vt præueniantur more Hippocratico, quo Aethiopicam luem mira prouidentia in propria patria præcauit. Interest præterea nosse, quando vitium præcognitum futurum sit cœli, aeris, vel aquæ aut terræ occasione, vt facilius præcaueri possit.

9. Excrementa fœtida. 10. Halitus exitiales.

Quod sane facile nosces, nam, vt Aetius aduertit, si aer nos ambiens pestilens reddatur cœli caussa, volucrum generis prior interitus erit: si vero ex prauis de terra exhalationibus id contingat, quadrupedum animantium prior corruptio fiet: quod si ex aquarum vitio, pisces emori videbuntur. Verùm si neutrum horum adfuerit, coniectabile est, hominū alimenta, vel contagiosas vestes id malum accersire.

Pestis præsentis signa quæ sint.

At præsentē iam & incipientem, antequam populariter grassetur, co- D gnosces pestem, quod in ea omnia accidentia, signaque horrendissima appareant, varia & indefinita, atque nihil certum habentia, vt *Aetio & Paulo visum est.* Verùm caloris conditio & modus primo accessu id patefacient: quippe qui neque impense calidus aut perurens videtur, quamuis laborantes intus conflagrari referant, *vt Galen. visum est, lib. 6. popul.* vbi recensens Thucydidis pestem, refert, *interiora laborantium summopere exuri, ita vt nil ferre possint supra carnes, tactu vero exterius nihil percipiebatur excedens:* diligens tamen Medicus supra thoracem manu imposita venabitur facile caloris inclementiam & mordacitatem, cum extremorum frigiditate impensa. Pulsus tamen in his, qui sic affecti sunt, omnino apparēt E celeres, frequentes sæpius, non autem præualidi, imo & plerisque imbecilles, cum manifesta contractionis celeritate. Quibusdam pulsus adsunt moderatis similes, dum diuersis intemperantijs cor & eius contenta afficiuntur: respiratio insuper frequens et inæqualiter magna, ac sæpe graueolens. Vrinæ non semper eodem modo in omnibus, neque in singulis apparent: quippe aliquādo vrinis sanorum persimiles, maxime cum cordis substantia pestilenti contagio afficitur: nonnunquam tenues, quasi expressa humorum omnium tenuitate, aliquando crassæ ex ingenti humorū agitatione & turbatione: plerumque liuidi, subnigri, viridis & cœrulei coloris, cum sedimine araneorum telis persimili desuper natante, quod partes etiam colliquari commonstrat, *vt Galen. aduertit tertio de præ-* A *sagatione ex puls.* tandem fœtida excernitur, & nonnunquam sine sedimine, ac sæpius cum crasso, & simili lanæ congestæ. Præterea ex funesta laborantis facie id venaberis, quippe aliquando in facie & vniuerso corpore erysipelatosus efflorescit calor, nonnūquam ruber, & qui momento temporis mutatur in deteriorem, liuidum nimirum, viridem, cineritium ac fuscum: oculi manifeste flammei & calidi apparent: sitiunt præter modum, & potu non sedantur: cibos fastidiunt & abominantur.

Pestis & pestilentis febris signa, ab humoribus obortæ.

Succrescuntque eis insuper deliria, comata, bilis porraceæ aut fœtidæ vomitus, præcordiorum distensiones, dolores, sudores multi, præsertim circa corporis extrema, frigiditas impensa percipitur: alui profluuia, tenuia, biliosa, variegata, opima, fœtidissima & flatuosa. Ad- B sunt & sanguinis narium stillæ, æstus in thorace & ventre, vigiliæ, linguæ ariditas, vocis interceptio, conuulsiones, vlcera praua, & carbunculosa in corpore, facie & tonsillis. Præterea sic affecti syncope aliquādo corripiuntur, iactatione & inquietudine, & angustia implacabili. Quibus sane & alijs, quæ cap. de *febre maligna* inferius copiosa reperies, febrem esse pestilentis naturæ & sortis, si diligēter inuneris, cognosces: Quo tempore iterum sciscitari oportebit, sitne *principium mali in humoribus, an in spiritibus, vel in cordis solidis partibus.* Quippe si prædictus pestilens calor in humoribus succensus fuerit, internus magis æstu prementur laborantes, licet exterius nil notatu dignum percipiatur, etiamsi totum corpus sit liuidū, C pustulis exiguis, & vlceribus efflorescens. Pulsus habent celeriores, non tamen adeo imbecilles, vt ægri inæqualiter percipiant se laborare, respiratio maior & frequentior erit, atque grauissime olens. Vrinæ quoque conturbatæ, aut aquosæ & tenues, biliosæ, & nigræ deterrimas habentes subsidentias, aut oleosa & pessima suspensa, sitiunt & frigidum appetunt, atque cibos magis auersantur. Post aures aut sub alis, vel iuxta inguina succrescunt potissimum bubones, & alij pestilentes tumores: adsunt his *vigiliæ, deliria, conuulsiones, angustiæ, alui excrementa graueolenta, biliosa, & pinguia.* Quæ omnia humores vitiari procùldubio attestantur.

A cordis substātia orta signa.

Verùm si contagiosa pestilensque lues solidas cordis particulas prehenderit, febris D pusilla erit, calor velut mitis, æqualis adeo, vt Medici & laborantes existiment febre carere. Pulsus erunt naturalibus similes, celeriores tamen, similiter & vrina calore, crassitudine, & sedimento persimilis, hecticorum corporum more (*non quidem vt multi arbitrati sunt, quod natura non audeat humores aggredi, figmentum quidem est, aut inæquali intemperie corpus cordis afficitur, & ob id minus accidunt his deliria, sudores, alui fluxus, vomitus & reliqua, quæ alijs succrescere diximus.*

A spiritibus signa.

Verùm si spiritibus accidat prædicto veneno corripi, calor erit copiosior, accidentia mitiora, & mors citius succrescet, quia frequentius incidunt sic affecti in animi deliquia & syncopin, cum paucis sudoribus circa frontem & ceruicem. Quibus sane si- E gnis, vel quibusdam eorum visis, qui solerti fuerit ingenio præditus, futuram pestem prænoscet, & diligenti studio prouidebit, quo minus nocere possit. Quod si id fieri non potuerit, omnem febrem huius sortis iudicabit perniciosam, quod magna sit membri principis læsio ob cacoethiam, siue malignitatem, inter quas perniciosiores iudicabit, quæ *spiritus* perdunt, quod citissime laborantes perimant, *Incurabiles*, quæ solidas corporis cordis prehenderint, nam quam excogitare poteris medicinam, inquit Gal. 3. *de præsagatione ex puls.* ad putredinem, quæ cor occupauit? Verùm collatione facta ad prædictas, minus lethales sunt, quæ in humoribus succenduntur, tum quod inducias dent exspectandi, tum vero, quod & sanguinis detractione & purgatione, ac reliquis auxilijs pugnari permittant.

De

A

De pestilentium febrium præcautione.

IMplorato prius *diuino* auxilio, atque Beatissimæ & Gloriosissimæ Virginis *Mariæ*, & omnium *Sanctorum*, rem hanc grauissimam aggredi oportet, In cuius ministerio expendendum est, maioris esse momenti & vsus, Rempublicam, & quemque eius particularem hominem à pestilenti contagio præcauere & tueri, quam iam apprehensum curare. Quapropter institui primo, Deo fauēte, modum & rationem, quo id fieri commodius possit, docere, & mox correptos in pristinum statum restituere. Quippe cum difficilimum sit, integram Rempublicam à proprio populo fugere, & aerem mutare, *quod vtilius & certius est* B *refugium, si cito, si longe, si lente fiat progressus à loco, vbi aer pestileus existit, ac vltimo si tarde reuertatur, nam durat diu in vestibus et parietibus mali contagiū)* sed necessum est aliquos manere in ciuitatibus, ob id cauere eos oportet, quo minus corripi contingat.

Præcautio pestis sit duob' modis.

Quod fieri sane duobus modis necessum est, primo, *grandi diligentia cauere conuenit contactum & vim pestilentis caussæ:* secundo vero, *corpus oportet immune esse ab omni excrementitia superfluitate, nec non ab humorum abundantia, atque eorum spurcitia & cacochymia* Caussam quidem infirmare ac fugere primo expedit,

1. *2.*

Domus qualis seligenda.

selecta habitatione ab omni inquinamēto seu foetore munitissima, aquilonaribus ventis exposita, in loco sublimi, clausa, nisi ad ventos frigidos & siccos, in qua pauci sint habitatores, famulis ac ministris procul degentibus, quo minus incalescat: item ipsam irrorare oportet *aceto, aqua rosarum, & floribus, ac herbis frigidis & siccis sparsis.* C

Irroratio.

Ignis.

Verùm si hyems fuerit, aut tempus non plurimum æstuosum, in locis publicis domus, & sub diu ignem alere oportet rebus odoratis, *vt lauro, pino, iunipero, aliua lencisco, cupresso, rore marino, ligno aloe, & myrtho.*

Suffumigia.

Interim tamen aromatis suffumigare domum ipsam oportet, *vt thure, myrrha, laudano, styrace, spica, iunco, cinnamomo & cariophyllis.*

Pomum.

Cui etiam vsui pomum componere *odoratum* poteris, ac sæpe manibus tractare, quod recipiat *ligni aloes, carpobalsami, cassiæ ligneæ, anà ℈. 1. calami odorati, amomi, spicæ, anà gr. 7. cariophyllorum, nucis* D *muscatæ, thuris, myrrhæ, anà gran. 4. florum nymphææ violarum, & buglossæ, anà ʒ. 1. santalorum & corallorum rubeorum, ana ʒ. 1. rosarum rubearum drachmas tres* contundantur omnia simul, & cum *aceto, aqua rosarum & naphthæ fiat pila.*

Pila.

In qua conficienda, pro diuersa natura ætate, regione, consuetudine, anni tempore, & reliquis huius census, horum simplicium maiorem vel minorem quantitatem addere, minuere, aut mutare opus erit.

Aeris mutatio.

Oportet insuper aerem mutare in eadem ciuitate, versus eam partem, qua purior frigidiorq; spirat, & homines minus corripiuntur morbis.

Platea.

Sed curent Magistratus, qui publicæ saluti consulere tenentur, vicus & plateas omnes, ac sentinas, & aquæ ductus à fimo & sterquilinijs accuratissime E expurgari, ita vt nil putridum aut fæculentum in ciuitate sit:

Canes.

Canes item & feles non permittant vagari, nec plurimos esse, sed inutiles interficere.

Conētus.

Vitent hominum conuentus, maxime cum citra Dei offensam non fiunt: & curent omnes in domo diu manere, nisi qui publicum aliquod officium exsequuntur, quibus non decet à domo exire, priusquam Sol dissoluerit humidas noctis reliquias.

Vestimenta.

Vestimenta item munda, frequentiusque mutata exoptanda sunt, quæ ex densiori materia fieri oportet, quo minus grauent: subuculas etiam abluere oportet *aqua rosacea, vel alio odore, cum modico aceto*, ita vt omnibus vestibus suauis concilietur odor, æstiuo tempore frigidus, frigido vero calidus: quod etiam de reliquis odoramentis ac domorum præparatione subaudiendum pari lege puto,

A Præmunito corpore ab aeris iniurijs, & aere ipso correcto frænatoque, corpus ipsum ab excrementorum illuuie vendicare oportet, ac præcauere, quo minus ea coogerere amplius possit, & omnino disponere, quo difficilius aeris venenati contagio afficiatur.

Victus.

Primum quidem facies, tum victum & vitæ modū instituens, quo minus possit quid præter modum superesse. Sic alimenta porriges, qualitate & copia moderata, quæ nec calorem reddant acriorem, nec corpus immodice humectent, ac præ nimio pondere respirare plurimum cogant: deniq; curandum est, ne vires imminuantur, & vt sensim fiat alimenti & vitæ mutatio.

Panis. *Carnes.*

Alimentá quippe mediocris sint substantiæ, siccæ potius quam humidæ naturæ: sic panis B probe coctus: ex carnibus quæ montanæ sunt, tam volatilium, quam quadrupedum, vt *cuniculorum, apri modice saliti, vituli, arietis, cervorum, columbarum, perdicum, phasianorum, turturum,* & reliquarum huius naturæ, cum *caponum, gallorum, atque pullorum,* quas potius assas quam elixas institues.

Iura.

Verum si iure aliquo vsurus sis, maxime ipsum parabis ex auibus cōquassatis cum *acetosa* elixis, vel cum *scariolis*, & additis puluisculis.

Pisces.

Præstant etiam & æstiuis temporibus pisces saxatiles, *vt truttæ, salmo, mullus barbatus,* & eius naturę, qui aquas dulces incolūt. Item *oua sorbilia, & ex oleribus*, quæ refrigerationis & attemperamenti grana sufficiant.

Vuę, &c.

Sic *vuæ pensiles, cariæ, cucurbita croco & oxalide condita, pyra, poma odorifera, pru-* C *na modice acida, & cerasa acria,* quæ omnia meridiano prandio sumenda sunt, præterquam dum pyra & poma assa exhibentur.

Olera.

Item ex oleribus *acetosa, scariola, lactuca, nec non & lentium iura cum aceto, & croco, ac cinnamomo.*

Condimenta.

Sed condimentis fercula omnia parare oportebit, quo vtiliora fiant: nam piperis integra grana iusculis addere conuenit; dummodo acetoli aliquid recipiant: item puluere hoc obsonia inspergere condireque oportebit, q. ℞. *santali citrini ℥. ß. beeni albi, & pulueris pentaphylli, anà ʒ. 1. & ß. cinnamomi ʒ. 1. croci ʒ. ß. sacchari ℥. 2.* fiat puluis: tempore tamen hyemis addes *cariophyllorum, cardamomi, & anisi, anà ʒ. 1. nucis muscatæ ℈. 2.* pauperibus vero porrigere oportet *allia, serpillum, maioranam, & thymum.* Fre- D quentior tamen ciborum correctio per acida fieri debet, nimirum per *oxalidis succum, arantiorum, citri, limonum, acetum, & omphacium*: item *ex malorum punicorum succo cum sacchara & modico cinnamomo:* nec non *ex rosacea aqua cum aceto rosaceo, & saccharo.*

Salsamenta.

Conficitur etiam salsamentum gustui gratum, & omnibus proficuum, q. ℞. *succi malorum punicorum, arantiorum, limonum, & citri, anà quartam vnam. succi acetosæ, & cerasorum acrium, anà ℥. ß. aceti modicum, aquæ rosarum aut naphthæ q. s.* vt cum saccharo & modico *cinnamomo*, transacto feruore, & facta colatura gustui fiat gratum.

Amygdala veneris aduersa.

Confert tamen omnibus *lac amygdalarum cum sacchara:* quippe amygdalas venenis aduersari ferunt.

Potus. *Vinū pestis antidotum.*

E Potum vero instituere oportebit ex purissima aqua puteali, ne aeris contactu sit affecta, vel ex cisterna, vel ex fontibus nitidissimis & purissimis: quod si talis non habeatur, *aromaticis* condienda tempore hyberno, vel rebus *acidis* æstiuo. Vel in communi omnibus decoquantur *oxalide, quinquefolio, scordio, scabiosa, aut radice carlinæ, vel scorcionera*, tandem vinum omnibus est veluti necessarium antidotum.

Res non naturales

In reliquis vero rebus non naturálibus curandum est, diu non dormire, corpus exerceri mane Sole iam orto, & in loco sub dio posito, si aer vitiatus non sit, vel in domo, si id accidat. Exercitium sit lentum, ne crebrius respirare cogamur: à Venere omnino abstinendum esse, auctorum decreta consulunt: item cibis non satiari, & excrementa alui magna diligentia deponere, sicut animi pathemata omnino vitare.

Altera vero præseruationis pars consulit copiam

depo-

Sãguinis missio. deponere, & cacochymiam corrigere atque expurgare: in qua quidem re si corpus plethoricum est, si sanguine abundans, si sanguinolenta vacuatio suppressa, non erit ab re sanguinem mittere, parce tamen, ne vires labantur, nimirum quantum sat sit, ne exsuperantia morbo materiam præstet. *Cucurbitę.* Quod si id fieri aliquid interdicat, cucurbitas natibus & suris affigere oportebit, ac nonnunquam scanficare: item si *Frictiones.* id tenuerit laborans, frictionibus & media corpus inanire oportebit. *Purgatio* Quo facto, aut si id fieri non licuerit, alui excrementa & cacochymiam purganti pharmaco educere oportebit, prudenter tamen & leuissimis medicamẽtis, ac rarò, ne vel humores plus quàm par sit turbentur, vel aluo soluta vires deijciãtur. B Sat enim est, in his, qui castè & parcè viuunt, clysmate vti: in reliquis vero *cassia, manna, syrupo ex infusionibus rosarum aut violarum, vel confectione Hamech simplici, vel mercurialis decocto.* *Melãcholia pesti resistit.* In purgatione quidem præcautoria id præceptum tibi erit obseruandũ, nimirum, quod eum humorem purgando eligas, qui cacochymum reddiderit corpus, non alium: item neque melancholicum, quippe is plerumque pestilenti putredini obsistit: vtcumque tamen sit, ipsum facilion eductioni dispones. *A peste precaueant quę interne.* Cui quidem vsui corpus & humorem præparabis ijs, quæ humores disponunt, & corpus à contagio præcaueant, ac modice etiam vias reserent, cuius naturæ est apozema, q. ℞. *radicis graminis rusci & sparragi, anã ℥. 1. glycyrrhizæ ℥. ß. cichorij, intybi, buglossæ, borraginis, summitatum lupuli, oxalidis, lactucę & capillorum veneris, anã m. 1. fumariæ, betonicæ, melissæ, hyssopi, anã manipul. ß. absynthij modicum, prunorum acidorum num. 12. pulpæ tamarindorum, passularum, anã ℥. ß. quatuor seminum frigidorum, & anisi, anã ʒ. 2. florum cordialium, anã pug. 1. hordei integri, et cicerum rubrorum, anã pug. ß. coquantur in sufficienti aqua fontis, & colatura facta, accipe colaturæ lib. 1. & ß. succi granatorum acidorum & limonum, anã ℥. 2. saccbari albissimi, q. s. cinnamomi & cariophyllorum, anã ʒ. 1. santali albi ℈. 4.* fiat apozema *Apozema.* secundum artem, cuius capiat homo diluculo ℥. 3. per quatuor aut quinque dies ante purgationem. Quod si corpore purgato eo libuerit vti, addere oportet eorum, quæ venenis aduersantur aliquid, vt *scabiosa, angelica, pentaphyllum, tormentilla, marrubium, & agrimonia.*

Pilulę. Quo facto, non erit ab re per interualla ali-
1. quam ex pilulis huic vsui communiter scriptis porri-
2. gere: velut sunt q. ℞. *pulueris hieræ Galeni* ʒ. 1. *rhabar-*
3. *bari* ℈. 4. *spicæ* ℈. 2. fiant cum succo melilopbylli pilu-
4. læ: quibus si pituitosum aliquid abundauerit, addes
agarici ʒ. 1. *vel pulueris senæ* ʒ. x. *epithymi* ʒ. 1. quarum sumat ʒ. 1. Item celebratissimæ sunt, q. ℞. *aloes lotæ partes duas, myrrhæ & croci, anã partem vnam,* quantũ ʒ. 1. cum vino datur summo mane: ferunt etiam alephanginas non parum prodesse. Eiusdem ac longe præstantioris vsus sunt aliæ, q. ℞. *aloes* ʒ. 2. *rhabarbari & agarici trochiscati, anã* ʒ. ß. *zingiberis & cinnamomi, anã gr. 6.* cum syrupo limonum fiat massa: cui si addas *mastichis & zedoariæ modicum,* ex vsu facies.

Electuar. Prosunt insuper multa, quatenus venenis aduersan-
1. tur, vel corpus firmius reddunt, quale est quòd confi-
2. citur *ex caricis, rutha & nucibus.* Item illud, q. ℞. *bac-*
3. *carum iuniperi* ʒ. 2. *terræ Lemniæ tantundem oleo &*
Pulius. *melle commiscebis in puluerem redacta, porrigesque auellanæ quantitatem:* præterea *mali medici acidum saccbaro conditum,* sicut puluis hic q. ℞. *cornu cerui vsti, semin. citri, anã* ʒ. 2. *foliorum dictamni, baccarum iuniperi, radicis tormentillæ & zedoariæ, anã* ʒ. 1. *seminis oxalidis, rosarum, & corallorum rubeorum, anã* ℈. 2. *croci gr. 4.* puluis, cuius ʒ. 1. cum vino plurimum prodesse fertur. Summopere etiam iuuat vsus *lapidis Bezoar, aut pulueris electuarij de gemmis, boli armeni, terrę sigillat. vnicornu, rinocerotis, alchermes confectio ex hiacyntho, theriaca, & radix angel. masticata.*

A Exteriùs verò odoramentis, dentifricijs, & lotionibus, atque inunctionibus corpus præmunire oportebit, quo minus corripiatur venenata qualitate. *A peste quę exterius prę caueant.* Sic dentes & os colluere & fricare oportet eo puluere, q. ℞. *salis, coralli albi, & crystalli vstorum, anã* ʒ. 2. *corticis citri, radicis angelicę, mastichis, anã* ʒ. 1. *cyperi & cinnamomi, anã* ℈. 2. *cariophyllorũ* ʒ. ß. *moschi gr. 3.* fiat puluis. Item faciem & manus sæpe lauare oportet *aqua rosacea cum modico aceto,* vel ea q. ℞. *zedoarię aut corticum citri in puluerem redactorum* ℥. ß. dissoluantur *aquę rosaceę lib. 1. vini albi odoriferi* ℥. 3. *aceti* ℥. 2. *moschi gr. 2.* Præterea confert globulum manibus portare ex *cupresso, iunipero, vel fraxino, & facta* B *cauitate,* impone frustum spongię, aceto vel aliquo ex dictis liquoribus imbutum. Conficiuntur item poma ex *laudano cum mastiche, thure, nuce muscata, cariophyllis, cinnamomo, iride, melissa, maiorana, ocymo, cariophyllato, valeriana, zedoaria, & folijs lauri*: & calidiori tempore folijs & baccis *myrti, rosis, violis, borragine, cum modico ambra & moschi, & cum camphorę & santali in modica quantitate*: nec contemnendi sunt fasciculi olfactorij *ex rosis, moscatis, violis, betonica, myrto, semine angelicę.* Vngere etiam cor & partes vicinas oportebit oleo *Mattbioli, de naphtha, & theriaca, cum pulueribus de gemmis, aut aliquo ex prędictis*: item alijs vti poteris, quæ inferius latius scripta reperies: hæc tamen satis sit ad præseruationem scri- C psisse. Vltra quæ, tanquam quid huic muneri summe necessarium, esse arbitror stillatitiam aquam, cuius meminimus *cap. sequenti,* extractam ex *theriaca, electuario de gemmis, & de hyacintho, cum herbis, radicibus, & pulueribus,* quæ aduersus pestem proficua esse diximus, cum vino instillatam, si eius ʒ. 1. bis, terve in mense porrexeris.

De pestis & pestilentium febrium curatione.

INuocato prius *diuino* auxilio, nec non & intemeratæ Beatissimæ Gloriosissimæque Virginis *Marię,* atque omnium *Sanctorum,* pestis curationem aggredi oportet, facta in primis consideratione caussæ, D quæ principium ei præstitit: Namq; magni momenti esse arbitramur, nosse, aerisne vitio, an ex prauorum eduliorum esu malum principium sortiatur, maxime si in considerationem veniat corporis apparatus. Quippe in hac febre & pestilentibus constitutionibus non licet, sicut in alijs putridis, obstructiones atque alias caussas considerare, sed solum pestilentem caussam, & eius in corpore effectum, seu putredinis modum, adhibito in considerationem morboso corporis apparatu, si quis sit, sin aliter, solum prædicta respicere omni diligentia curandum est. *Medico in peste affectis duo considerãde: vires & putredo.* Ex quibus omnibus consideratis in corporibus peste affectis, duo succrescunt, quæ omne Medici consilium ad se vertunt: quorum primum est *virium status*: secundum E vero id quod *putrilaginosum corruptum ve est, aut efficitur tale, siue intus lateat, membrumque aliquod princeps infirmet, siue in pustulas & tumores per corpus vniuersum, aut aliquam eius partem erumpat.*

Vires quot modis custodiantur. *Circa virium custodiam* statuendum est, custodiri quidem posse duobus modis: *Vno,* & magis propriè, per alimenta: *secundo* verò vel retusa, frænataque pestis sæuitia, vel à precipuis membris auersa vel educta materia, cui primo insedit: quæ sane ad secundã considerationem attinere videntur: quapropter hic solum est in animo victum instituere, quo felicius res succedat. *Victus in peste ad pest⁹ qualis esse debeat et quantus.* In cuius ministerio *premissa omni tranquilitate, quippe animi affectus summopere sic affectos ledunt)* coniectari oportet, victum non solum vires habiturum alimenti, sed & medicamenti, nam corrupta affectio vt attemperetur, id sibi iure expostulat, vt Gal. est sententia 17 *aph. 1. sectionis,* dicens: *Quibus virtus debilis fuerit* (frequẽtius enim hic morbus

viribus

viribus imbecillimis adiungitur) *cum humorum cor-ruptione vel defectu, parum et sæpe alimenta præbere oportet: Parum* inquit, quia facultas languida plus ferre nequit: & *sæpius*, quia multis indiget affectio, vt quæ in corruptione sita est. Ex quo dogmate duo in victus institutione sequuntur necessaria: primum, aliquo modo maiorē cibi copiam esse huic malo porrigendam, quam ceteris morbis, qui æque acuti fuerint, idque quia & vires vrgent, & affectus simul expostulat, quod in alijs simpliciter putridis non reperitur; nec ob id credendum est, plus iusto esse indulgendum, vt rudis plebecula arbitratur: quippe Hippo. 2. *de natura hum.* corpora extenuare iubet, ne vel pressiùs cogantur respirare, vel maior, quam par sit, subsit excrementorum copia, sed tantum cibi indulgendum, quantum vires exigunt, & quia vrget etiam indicatio morbi, & maiorem copiam non potent ferre facultas, ter, quater ve die cibum porrigere oportebit (*laborantemq; ad id cogere, nam, vt testis est Gal. 3. popul. part. 5. text. 81 id summopere est vtile; nam euadunt potius, qui viriliter comedunt, famem enim vitare necessum est*) quo temperatior reddatur putrilaginosa humoris substantia, læsuraque minus sit. Secundum verò, cibaria omnia admiscere oportebit *aceto* & reliquis quæ *acetosa* sunt, præsertim *mali punici acido et succo limonum atque arantiorum acidorum*; siquidem corruptela non solum expostulat prædictam adiectionem, sed & attemperamentum. Verum in particulari ab his alimentis cauendum est, quæ excrementosa sint, & plurimum humectent, ea semper eligendo, quæ vires maxime reficiant, & citiùs, ac succo abundent alimentoso. Sic *ptisana, far, et panis ex iure coctus* optimi sunt nutrimenti, & excrementitia carēt humiditate: item & *oua sorbilia*, item *oxalis iure cocta, & amygdalarum lac, cum saccharo*, carnes etiam vel elixæ cum *oxalide*, adiecto succo *limonum*: cui vsui probantur *gallinæ, capones, perdices*, & aliæ huius naturæ, nisi laborans aut puer fuerit, aut adeo languidus, quod pullorum carnes cogamur exhibere. Præterea si iusculis vtendum est, vitium gratia ipsis adijcies *mali punici succi, aut arantiorum, vel limonum, & noctu oua sorbilia, hepata gallinarum, aut poma acida cum saccharo assa, & aqua rosacea* institues. Tandem condimentis vteris, quæ & gustui grata sint, & acidum semper sapiant cum dulci admixtum, ac inter vnam & aliam victus exhibitionē porriges, vel *potum medicatum*, vel aliquod, quod præter id, quod vires habeat ventrem roborare, pugnet tamen aduersus veneficam vim. Cuius census est *succus mali punici & limonis cum aqua acetosa & saccharo*: vel ex eisdem formatis bolis cum pulueribus *lapidis bezoar, margaritarum præparatarum, & electuarij de gemmis ac pulueris corno monocerotis*. Item porrigere poteris conseruam *ex carne limonum, & citri cum saccharo confectam*, præbens superbibendam aquam *scorcioneræ, aut scordij, vel acetosæ*. Potū præterea bis institues ex aqua *tamarindis decocta*, si incorrupti haberi possint: sin aliter, *ex acetosa, ex hordeo cum succo mali punici, vel succo acetosæ, vel de succo limonum, vel scordio decocta, aut radices carlinæ, vel scorcioneræ*. Vinum vero non nisi virium gratia porrigere conceditur, quippe quod maiorem feruorem & agitationem concitat, inclinante vero morbo ex vsu maxima est. Quatenus vero ad somnum attinet immodicum, cauere oportet, ne corpus plus iusto humectet, sicut vigiliam, quæ nimirum vires conterit: exercitium vitare omnino oportet, cum hoc tamē corpus fricare, atque ad cutem, quod in visceribus læsurum est, euocare, cucurbitis, & inunctionibus ex *oleo & nitro*, maxime cum *oleo dulci, adiecto modico olei Matthioli*. Domum vniuersam & laborantis domicilium *aqua rosacea, & aceto, atque floribus & folijs*, quæ bonum spirent odorem, irrorabis, curans aerem puriorem fieri, atque emendatiorem, æstiuo tempore his, quæ diximus, & hyberno suffitibus ex *belzoino, ladano, & ligno, aloe*, atque alijs, quæ capite præcedenti diximus. Item laboranti omni arte bonum odorem conciliabis, tum per irrorationes, tum per odorata poma, aut pulueres, & alia, quæ ibidem latius scripta reperies: quibus institutis, ad veram curationem te conferes.

In victus institutio ne duo necessaria.

1.

Peste adfect. si largi' edunt, euadunt.

Alimentis peste laborantium quæ admiscenda.

Iuscula.

Condimē ta.

Potus.

Vinum.

Somnus.

Domus.

In qua quidem hæsitatione primo diligenter considerabis, corpus peste correptum sortitumne sit morbosum apparatum, an citra ipsum pestilentis contagij efficacia ipsum prehenderit: quod si hoc vltimum fuerit, solum agendum est his, quæ aduersus venenosum contagium pugnent, nulla aut leuissime habita humorum vel corporis prouidentia. Verùm si morbosus præfuerit in corpore apparatus, vtcumque proueniat contagium, apparatum ipsum deponere oportebit, idque quam citissime, dummodo id subdistinctione fiat: nā aut morbosus ipse apparatus est caussa potissima pestis, (*vt dum ex eduliorum corruptorum esu pestes oritur*) aut solum subiectiua, vt aiunt, hoc est, quod caussa extrinsecus adueniens in corpore adinuenit cacochymos vel exsuperantes succos. Tunc sic statuendum est, nimirum si vniuersa mali caussa ipse apparatus existit, cum is vitiosus sit, & plerumq; atque necessario viribus adiungatur infirmis, paruis, & crebris purgationibus rem agere oportebit, ac inter vnam & aliam humorem ipsum alexipharmacis, & alijs auxilijs, quæ mox referam, attemperare. Verùm si aliter morbosus fuerit apparatus, tunc quid in vnoquoque auxilio exsequendo considerandum sit videre oportet &, primo in sanguinis detractione, nā circa omnium administrationem plurima succrescunt dubia.

Sāguinis missio, quando locum habeat in peste adfectis.

Vt incredibilis est huius mali sæuitia & immanitas, atq; fraudulentia & inconstantia, ita Medicum exquirit diligentem, mente excitatum, prudentem, et super omnia pium & Christianum, vt misertus proximorum miserijs, omni animo studeat mederi, moturumq; morbi huius motum, & imminens periculum, atque præsens damnum: nam cum celerrime suum virium contagio hæc perniciosissima inferat in spiritus, humores, & solidas, etiam corporis partes, curandum est celeriter etiam ei prouidere, præcauereque quo minus fiat. Primo itaque considerabit, an expediat venenatum humorem à corpore pellere per sanguinis tractionem, velut in reliquis febribus: namque certissimum est, nullum esse peculiarius auxilium, quam vel contagium repellere, vel contagiosum iam humorem expellere; & cum illud sit difficile, ac si id fieri possit, non sat erit, ni venenatam substantiam & cōtagio corruptam corpore pellamus, ob id vtrumque simul exsequi erit opus, primo tamen humore educto, quo efficacius operentur præstita auxilia. Verùm in hoc hæsitatione non est leue, decretum firmum ac stabile constituere: nam si pestilens aer caussam malo præstat, præterquam quod nihil proderit sanguinem detrahere, vires labuntur summopere, alioqui lapsæ ex vi mali, & ab ambitu ad interna allicitur sanguinis defectu venenatus aer. Ex altera tamen parte videtur creditu difficile, succensos humores & putrefieri inceptos aliter corrigere, quam vel sanguine misso, vel purganti pharmaco exhibito, cui non semper subest occasio: vtramque tamen positionem mille experimentis probatā comperimus: quippe sunt mille pestis sortes, in quibus si sanguinem mittas, nulli dubium est, quin maxime læsurus sit, vt apud Venetos obseruationibus fidissimis habetur tanquam firmum & verissimum: item aliæ sunt, quibus si sanguinem protinus non emiseris, summopere lædes, ita vt si occasionem prætermittas, vel laborans pereat, vel si postea sanguinem detraxeris, plurimum lædas.

Pestisque lem expo scat medicum.

Vltimo

Pestis, & pestilētis febris status triplex.

Vltimo tamen nonnullæ visuntur, in quibus variæ sese offerunt mittendi sanguinem occasiones, quas prætermittere, aut negligere, periculo, & crimine non caret. Quibus præmissis, triplicem oportet pestis, & pestilentis febris (*quamuis multi inter pestem, & pestilentem febrem maximum dissidium constituunt, quod sanè verissimum est. Verum expendant, pestem, dum febrem accendit, non omnino ab auxilijs pestilentis febris posse absolui, & ob id considerationes hæc omnia distinxisse oportuit*) statum considerare: nam si pestilens constitutio, & aeris vitium (*modo cœlitus, modo ab aquis, vel à terra, aut quauis eius putrilagine prodeat*) adeo vehemens est, vt citra morbosum corporis apparatum, vel spirituum, vel solidæ substantiæ corruptione, vel adeo grandi, & efficaci humorum dissolutione breui tempore hominem perdat, frustra est sanguinem detrahere, maximè si humor qui peccat, dilitus fuerit à locis sanguinis, quinimo citius sic affecti, auxilio pereunt, quam solo morbo perijssent, & ob id alijs præsidijs (*quæ inferius referam*) pugnare iubent iure optimo auctores ferè omnes.

Sāguis in peste affectū, quando quibus, & qua copia mitti debeat.

At cum in corpore præest morbidus apparatus ex copia humorum, vel sanguinis congestus, tunc profecto non solum morbo incipiente, (*quod præstantissimum, atque necessarium est præsidium*) sed quoquo cumque tumores dolorosi, pustulæ grandiores, carbones, & anthraces apparuerint, sanguis mittendus est, idque maximè cum morbus non sedatur eis apparentibus, & potissimum si vires constiterint. In quo operæ primò statuendum est, nulla lege sanguinem esse mittendum, etiamsi hæc omnia præsint, si vires validæ non sint, aut saltem mediocres: quo tempore cunctandum non est sanguinem mittere. *Secundum* est, quod dum mittitur, etiamsi maior sit necessitas, & vrgentia mali, parcè & per vices mittere debet potius, quam confertim, & subito, vt vires donec morbus consistat, sufficere possint. Præterea si his tumoribus apparentibus morbus quiescat, mitiorque fiat, retrahere manus à sanguinis detractione oportet, quinimo omni diligentia curandum est ad extima euocare, quod natura nititur à visceribus pellere, *vt mox referam*. Verum cum pestilens constitutio ex edulijs, vel potibus ingestis, vni populo, cui commune est illud alimentum, successerit, eo casu audacius sanguis est mittendus, cum videlicet sanguis simul abundauerit, vel aliqua eius consueta euacuatio soppressa fuerit, idque in principio mali, antequam vires omnino labantur, & morbus inualescat amplius.

Purgatio quando locū habeat in peste.

Quo facto, aut secus si id fieri non liceat, etiamsi malum crescere, & plurimum sæuire constet, deinceps nulla lege sanguis mittendus est: quinimo si tumores apparuerint, crudi aperiendi sunt, vt per foramina exspiret omne veneni contagium, purgeturque corruptus humor, *vt paulo inferius docebo*. Item ad cutem euocare in hoc casu grandi diligentia oportet prædictos venenatos succos, tum cucurbitis, tum scarificationibus, tum frictionibus. In quo malo non displicet Galen. consilium, vbi sanguinem mitti non datur, nimirum suras scarificare, aut venam tali inscindere, maximè in principio, aut ad inguina vergente humore, quo distantius à præcipuis membris secedat.

Scarificatio.

In hoc enim vacuationis genere multa considerare opus est: primum qualis conditionis sit humor, & per quam regionem designet natura ipsum ducere: quippe licet in omni morbo statutum sit, quo natura vergit, eò esse ducendum, maximè profectò exsequendum venit in quauis pestilenti constitutione, nam aliter præterquam, quod natura non erit nobis adminiculans, omnino succumbet, humoris venenosi motu per aliam regionem reuocato, quia plures erunt eo tempore partes, quæ contactu venenosi humoris lædantur: quod in omni pestilenti constitutione tanquam

A summè perniciosum est fugiendum. Itaque si per vesiculum vomitibus constiterit mouere, eodem duce re oportebit, maximè si humor ex biliosorum forte fuerit, quos si deorsum inuita natura pellas, in lethalem dysenteriam, vel in magnam virium iacturam laborantem deseres.

Vomitus quando locū habeat in peste laborantib.

Denique si laborans nauseabundus apparuerit, fastiditus, & ad vomendum pronus, ad ipsum cogendus est æger, compressa fronte, & oculis fascia aliqua, & prono corpore ab assumpto hoc medicamento, q. ℞. *chamæmeli* ℥. 2. *seminis anethi, & raphani, ana* ℥. 1. terantur omnia, & bulliant in *lib. 9. aquæ*, donec cõsumantur tres, & facta expressione, adde *oxymelitis simplicis* ℥. 4. *agarici pulueriz ati* ʒ. 1. cuius sumat laborans B ℥. 8. & post pusillum cogatur vomere. Quo facto, citra potum quiescat, & quasi vna hora à vomitu, sumat apozema contra venenosum affectum, vt inferius scriptum reperies: quo sumpto, si sudor apparuerit, non est interdicendus, sin aliter nec prouocandus. Denique singulis diebus cogendus est ad vomitum laborans, ante cibum, vel si debilis fuerit, à cibo, donec aliquid profuisse compertum sit. Quod si constiterit ad corporis ambitum humores moueri, vt euidenter conspicitur ex tumoribus, & pustulis ad cutē transmissis, aut ex eo, quod nullum est in peculiari membro signum decubitus humoris ibidem, tunc quidem sudores mouere, & corpus per eam partem purgare oportebit medicamento, q. ℞. *theriacæ ma-* C *gnæ* ʒ. 1. *boli præparati, rhabarbari pulueriz ati, ana* ʒ. ß. *cornu monocerotis, & pulueris caryophyllorum, ana* ℈. 1. *lapidis bezoar* ℈. ß. *syrupi de succo limonum* ℥. ß. *aquarum scabiosæ, scordij, & scorcioneræ, ana* ℥. 2. *buglossæ, & radicis carlinæ, ana* ℥. 8. misce, & sumat laborãs quinque, aut sex vncias, æstiuo tempore frigidas, & frigido temperatas. At in his laborantibus, in quibus per ventrem purgare licet, quod istuc vergat humor, vel necessum sit ipsum repellere, aut reuellere à membris præcipuis, dum tumores non apparent propè ipsa, aut in eorum emunctorijs, non minus difficile est nosse, quando, quibus, & cui sit præstandum expurgans medicamentum.

Sudores quādo mouendi peste adfectis, et quibus.

D Nam si id pestilenti contagio solum operante potrigas, humores venenatos à circumferentia ad viscera allicies, vel cum pestilens spiritus pharmaco non cedat, longè magis lædes, & naturales, ac quietos humores eò citiùs agitabis, quò faciliùs contagium suscepterent omnes laborantis partes: si tamen non purges, venenati humores reliquos consporcabunt, & corrumpent. Præterea si morbosus præsit apparatus, difficile est nosse, quando eo auxilio vti liceat: nam si in principio id præstes, turbabis adeo crudum, & corruptum, vt reliqui succi, qui superstites sunt, eadē labe inficiantur: si differas, vniuersa humorum massa facilè contabescet, & membra principalia inuadet, ac infirmabit. Item vbi vinosorum eduliorum E occasione malum oritur, purgatio, vel copiosa futura est, & hanc nequibunt ferre pusillæ vires, vel si minus purges, nil facies.

Purgans medicam. quādo, quibus, quod & cui peste laborantium præstādū.

Quapropter in his tribus dubitationis fortibus diligenter expendisse oportet, quid agere liceat: cum neque omnes purganti pharmaco liceat mouere, neque omnes vno, & eodem: item neque expediat omnes citra pharmaci exhibitionem curare: itaque dum ex aeris contagioso morbidoque veneno, pestis oritur, potionibus, maximè, quæ aduersantur venenis, & pestilenti contagio, rem agere est æquum, *vt mox referam*, si prius dixero, quando hoc auxilio vtendum sit. In qua re dum humor iuxta aliquam regionem vrget, mox à principio expurgans medicamentum est propinandum, nulla exspectata coctione: quippe venenatos humores coquere non licet, neque valet natura; præterquam quod de forte, & natura turgentium fiuot,

zedoariæ ℈. 2. *macis* ʒ. 1. *conseruæ oxalidis* ʒ. 2. *sacchari albissimi* dissoluti aqua vel decoctione *scordij & scabiosæ* q. s. vt fiant tabellæ.

Serapis.

Conficies insuper serapia, quæ huic vsui summopere conducunt, quale est, quòd paratur ex succo *acidi mali, limonum, ac pomorum omnium acidorum, oxalidis, sonchi, melissophylli*, ex quibus vel aliquibus cum *sacchero & aqua scordij*, aut *decoctis radicis carlinæ*, fiēt serapia huic vsui vtilia, cuius census sunt *syrupus acetosus, aut oxysaccharum*, adiectis pulusculis ex *smaragdo*, aut *electuarij de gemmis*. Confert etiam id, q. ℞. *sacchari rosacei & buglossati, anà* ℥. 1. *& ß.* dissolue in *lib. 1. & ß. aquæ melissophylli, oxalidis*, & ter transfunde per collum, & addito syrupo ex *citro acido, oxysaccharí*, & de *pomis singulorum* ℥. 2. pulueris *diamargaritonis frigidi* ʒ. 2. *foliorum dictamni, zedoariæ, & radicis pentaphylli, anà* ʒ. *ß. foliorum auri num. 6.* cuius quauis hora poteris modicum porrigere. Item præstabis huius pulueris ʒ. 1. *cum modico vino*, si laborans languidus fuerit, aut tempus hybernum; sin secus, cum aqua scordij, q. ℞. *radicis heptaphylli, & pentaphylli, anà* ʒ. 1. *zedoariæ, dictamni Cretensis, seminis mali medici, & cornu cerui vsti singul.* ℈. 2. *cyperi, baccarum iuniperi*, cuiuslibet ℈. 1. *ossis de corde cerui* ℈. *ß. croci gr. 3.* misceantur, & fiat puluis, cui addes pulueris *boli, margaritarum, & smaragdi, anà* ℈. 1.

Pulvis.

Peste affectis quo modo cucurbitulæ sint affigendæ vel siccæ, vel cum scarificatione.

Vlterius vero varijs medicamentis & auxilijs venenatam qualitatem, & euocare & frænare assuescūt auctores: Primo quidem cucurbitulis prauis & plurimis (*dum in animo est sanguinem non extrahere*) dorso, femoribus, & suris, ac brachijs sæpius affixis & iteratis: quod sane facies, antequam bubones aut carbunculi appareant. Verùm si pustulæ aut exanthemata alia apparuerint, tunc quidem audacius eis vti licebit: At dum sanguinem fundere per cucurbitas cōceditur, vel è regione cordis fieri debet, vel in principio suris scarificatis, quo sanguis mediocriter fundatur, diuertaturque à visceribus venenosa substantia; quod si vereamur tenuem sanguinem relicto crassiore euanuisse, prius fouere oportet partem decocto *chamæmeli & pentaphylli*, aut *oleo liliorum cum nitro*, vel pars in ruborem fricanda. Præterea cordis regionem inungere oportebit, principio iam finito, facta etiam vacuatione sufficienti *vnguento*, q. ℞. *theriacæ* ʒ. 3. *terræ Lemniæ, santalorum rubeorum, anà* ʒ. 1. *aquæ rosaceæ & aceti parum*, fiat ad modum vnguenti. Quippe statutum est Galeno & veteribus, alexipharmaca ad se allicere venenum, forisque euocare nata esse, vbi extrinsecus adhibentur, *vt visum est Galen. 5. simpl. cap. 18.* prodest aliud, q. ℞. *olei rosati, nenupharis, & naphæ, anà* ℥. 1. *olei Matthioli* ʒ. 2. *succi buglossæ, borraginis, scabiosæ, scordij, & pentaphylli, anà* ℥. 1. *specierum cordialium* ℈. *ß. santalorum rubeorum, seminis citri & acetosæ, anà* ℈. 1. *aceti parum*, misce & fiat vnguentum. Prodest & *oleum Matthioli cum vnguento naphthæ, & pulueribus electuarij de gemmis, scordij*, & alijs, quæ superius memorauimus. Item si cauma & incendium grandius fuerit, *epithemata* adhiberi possunt, quale est, q. ℞. *aquæ oxalidis, buglossæ, nymphææ, & rosarum rubearum, anà* ℥. 3. *aquæ melissophylli, & florum citrangulorum, anà* ℥. 2. *santalorum omnium, & corallorū rubeorum singul.* ʒ. 3. *ligni aloes, corticum mali Indici, seminis basiliconis, cinnamomi*, cuiuslibet ℈. 1. *ossis de corde cerui* ʒ. 2. *croci gr. 4. vini albi odoriferi* ℥. 2. *& ß.* misceantur & excipiantur in serico purpureo, & cordis regioni adhibeantur. Aliud cōficies etiam, q. ℞. *aquarum scabiosæ, nenupharis, borraginis, acetosæ, rosarum, anà* ℥ 4. *aceti albi optimi* ℥. 2. *camphoræ* ℈. 2. *croci gr. 4. santalorum rubeorum* ʒ. 1. *& ß. specierum diamargaritonis frigidi* ʒ. 1. misce & fiat epithema. Cuiusmodi fieri etiam alia poterunt, quæ eundem vsum præstent, aut loco eorum sacculi possunt confici, q. ℞. *florum nymphææ, buglossæ, rosarum rubearum, anà* m. ß. *florum citrangulorum, rorismarini, & melissophylli, ana* ʒ. 2. *santalorum, & corallorum rubeorum, anà* ʒ. 3. *ligni aloes, corticum citri, & seminis basiliconis, ana* ʒ. 1. *florum dictamni, zedoariæ, & baccarum iuniperi, anà* ℈. *ß. croci gr. 3. ossis de corde cerui* ʒ. 1. *pulueris electuarij de gemmis* ℈. 4. *ambræ, & moschi, ana gr. 2.* & cum linteo serico omnibus simul iunctis, & in puluerem redactis fiat sacculus. Ex quibus omnibus varia poteris vsus tempore effingere medicamēta, varijs formis confecta, quæ mane, vesperi semel, bisve die porrigere poteris.

Vnguenta ad efficiendum venenū.

Epithemata cordialia.

Sacculus cordialis.

Bubones & alij tumores præter naturam pestilentes quomodo fiāt.

Bubonum & pustularum magna est in omni ferè pestilenti cōstitutione alluuies, longe magis, quam in quouis alio morborum genere. Idque ob peculiarem huius mali naturam, & perniciosam conditionem: quippe ea, quæ vniuersam naturam vitiant, non patitur natura vigere in membris præcipuis, neque iuxta ipsa, vita enim protinus orbaretur, & ob id procul à prædictis membris nititur pellere, posthabita carnis corruptione, vt tueatur membra principalia: Et hac potissimum ratione in reliquis febribus, quæ solum natæ sunt intemperamentum inducere, non producit natura bubones, & pustulas, aut carbūculos, quia non impendet ex alteratione vitæ discrimen, sicuti ex venenoso & pestilenti contagio, quod à tota substantia lædat; & ob id solum, aut maiori ex parte, in pestilentibus febribus ea producit. Itaque horum bubonum & pustularum, quod maius solet facessere negotium, sese iam offert prouidētia. In cuius exsequutione primo considerare oportet, pestilentiū constitutionum quasdam terminari per pustulas vel leues exituras, aut papulas; quasdam vero per bubones & tumores præter naturam; alias vero per carbunculos & exurentissimos tumores, idque vel iudicatorie, vel symptomatice, adeo magna differentia præstita in curatione, ac ea est, à qua originem trahit quæuis harum pustularum, à natura nimirum, an à vi morbi, nam licet in omnibus morbis pestilentibus plerunque aliud per cutim appareat tumorosū vel pustulosū, nihilominus tamen non leuiter euariat curātis consiliū, dū natura morbū terminante id prodit, ac dū ipsa patiente, & inuita atque coacta aliquid horū appareat. In qua re primū videndū est, quid agere oporteat, quouis horū apparente, vtcumq; appareat. Sit ita vt bubo vel in inguinibus, vel post aures, vel sub alis prodat; aut pustulæ per cutem erumpant, vel carbo nigricare incipiat; primo quidē considerabis, an ante febrē apparuerit, vel post febrē: si primū eandem curādi viam instities, ac si non apparuisset, hoc solū addito, quòd in omnibus auxilijs motū illum à natura cœptū sequi opus erit, cauens, ne protinus expurganti pharmaco vtaris, ne motū naturæ ad extima, in intima retrahas. Præterea, si febre iam incepta apparuit, quantitatem eius & laborantis conferentiam considerabis, nimirum si paruus sit, an magnus febre non cessante. Quo tēpore si paruus sit tumor, vel sanguinem mittes, si laborans ferre potuerit, vel cucurbitis & omni auxilio ad extima euocabis, *vt mox referam*, ac si non creuerit, vel febres cessauerit, protinus aperire curabis, quò faciliùs ad eam partem euocetur natura, & per foramen exspiret veneni vis. Verùm si magnus sit tumor, & febris non cessauerit, curabis protinus, ipsum quoque aperire, nam differre vigente febre, omnino graue est, & periculo plenum, maiorem enim arguit humoris venenati copiam, quam ferre possit laborans, donec ad supputationem ducatur humor, & ob id protinus scalpello vel candenti ferro aperire expedit. At si tumore apparente cessauerit febris, tunc quidem ex ratione facies, si integram exspectaueris maturitatem, saltem mediocrem, ne iterum reuertatur febris. Itaque considerabis, cessaueritne febris, & laborans melius se habeat an deterius: quippe ex hoc naturæ victoriam

Bubones pestilentes quomodo curandi.

tam referens, saltem in prima morbi accessione:nec ob id sane credendum est, febrem hanc esse de genere intermittentium: nam fallacissima eius natura maioris mali præsaga (*citra veram intermissionem*) id sæpe molitur. Quia licet semper laborans febricitet, (*vt coniectatur est in febre, quæ intra venas principium putredinis obtinet*) cum hoc tamé quo maior fuerit malitia, minor certe & remissior apparebit calor, & quo maior putredo, eò intensior, & ob id coniectandum est, ex maiore febris remissione, occultus venenum ponus, quàm vera febris remissio.

2. *Nulli continuarum generi adstricta.* Nulli etiam continuarum febrium generi (*licet continua sit*) adstricta est, sed vagans & furens, iuxta naturam morbosi apparatus differentiam sortitur: & nunc vni, nunc alteri febrium speciei adiungitur, licet ipsa semper sit eiusdem naturæ, seruans in vnaquaque specie sibi propriam & peculiarem conditionem. Quo fit, vt licet ob humoris cui adiungitur naturam de genere sit continuarum ex bile, pituita aut melancholia, ipsa tamen semper peculiarem seruat naturam, qua videtur ad omni genere febrium longe differre. Ex quo quidem fit, ad diuersas febrium differentias à Medicorum doctissimis non sine magna ratione reductam fuisse. Nam cum ipsa per omnes diuersimode vagari habeat, nullam habet propriam, neque peculiarem speciem, ad quam reduci, & à qua dominari possit, sed omnes illi sunt communes, & omnes familiares: qua sane ratione dictū est, *nulli continuarum generi esse adstrictam*.

3. *Est popularis.* Ex qua item conditione prodit *popularem* esse, quod tertium diffinitionis verbum monstrare videtur. Nam cum semel corpus morbosum contraxerit apparatum: modo is biliosus sit, modo pituitosus, aut melancholicus, protinus eadem corripitur, tanta est eius efficacia dum vagatur. Quo fit, vt vna in regione, ac vna & eadem anni tempestate plures homines diuersa temperie, & diuersis humoribus præditos veno eodemque modo afficiat. Sed quanam ratione hæc febris popularis sit, cum varia existat popularium morborum natura & ratio satis constat ex his, quæ cap. præcedenti dicta sunt.

4. *Maligna.* Probat quoque verbum illud, *maligna*, ex periculo so vulgarium genere hanc febrem esse: nam fallacissima eius conditio & natura eam proculdubio periculosissimam esse docet. Verùm vt satis cōstare possit, qualis sit malignitatis huius febris natura, expendendum primò est, aliquod esse primum genus, quo cetera, quæ maligna & venenosa dicuntur, speciem & denominationem sortiantur. Est plane id pestis, cuius quadam methodo meminisse oportet, vt quod quærimus elucescat magis. Pestis igitur morbus is censeri debet, qui cum vulgaris sit, perniciosus etiam est atque lethalis. Itaque erit *pestis epidemia perniciosa*, aut venenosus quidā vapor, qui vitali spiritui omnino aduersatur. Præfinita pestis natura facile erit nosse, an febris hæc maligna aliquid habeat pestilentis conditionis. In qua re statuendum est, multis rationibus hanc febrem esse prædictæ naturæ. *Prima* quidem, quia incertam & inconstantem obtinet naturam, & ob id inconstantia & incerta iudicia. *Secūda*, quia signa habet pleraque saluberrima, & sanis corporibus similia, inter quæ vnum aut duo, aut plura obruuet, quæ omnino lethalem naturam, & conditionem ostendunt: quæ sane signa sic mixta, semper occulti periculi & veneni præsaga sunt. *Tertia*, quia licet ex aere venenoso & pestilenti, vt pestilens febris, non sortiatur principium, præterquirit tamen inæqualem, intemperatam, aut morbidam quādam aeris conditionem: aut exposcit etiam peculiare aliquod inferius inquinamentum, quo aer affectus eiusdem mali principium præstet, præter morbosum apparatum ea dispositione affectum, qua suscepto principio à leui aeris mutatione, maximam & sordidam

Pestis qd

Febris maligna vtrumque aliquid pestilentis constitutionis habeat.

concipiat putredinem. *Quarta* vero & vltima ratio, qua constat, banc febrem malignam esse, est, quia secum affert sæuissima accidentia, quæ sæpe maius faciunt negotium & periculum, quā febris ipsa: quod proprium est malignarum febrium & venenosorum morborum.

Vltimo superest differere, quemadmodum diffinitio profert, febrem hanc esse *contagiosam*: quod profecto quotidiana experientia compertum sit satis, verum non vtcumque, sed contagio per contactum solum præstito, nam ad distans & per fomitem rarò accidit hanc febrem contagium præstare: esse verò variis accidentibus insignitā, inferius probabo, si prius dixero, quanam ratione ex aeris vitio prodeuntes febres pestilentes & malignæ dissideant inter se non parum.

5. Contagiosa.

Constat igitur ex Hippocrat. mente *lib. de flatibus*, aerem & victum, potissimas esse omnium morborum, caussas: ceterum aerem posse duobus modis alterari: in tota nimirum substantia, vt dictū est, (*vnde pestilētes morbi principiū sortiuntur*) & in qualitatibus: ex qua sane alteratione populares morbos oriri, vnanimi Medicorum consensu constat. Verùm, vt elucescat magis malignæ febris natura & conditio, hanc aeris secundam mutationem paulo diligentius expendere oportet. Aeris igitur duplicem cognoscimus alterationem: *Prima* est, vbi quatuor anni tempora suam seruant naturam, & paulatim in se mutuo conuertuntur. Quibus porro temporibus, vt ex Hippocr. constat *3. aphor. sect.* peculiares & propriæ insunt morborum constitutiones. Atqui licet Gal. *1. popul.* solos sparsos morbos tunc fieri asserat; nos tamen existimamus, ipsum ea parte non negare, vniuersales & communes morbos fieri posse: quia caussa est vniuersalis, à diuersis anni temporibus immutata. Quo fit, vt licet Gal. eos *dispersos* appellet ob victus rationem: cum hoc tamen quia à diuersis anni temporibus (*quæ plures homines communi alteratione afficit*) suboriuntur, ob id iure optimo communes censeri debeant. Nam autumno, æstati & singulis anni partibus, (*quantumuis temperatæ sint*) certos quosdā morbos esse proprios, et plurimis hominibus communes, *lib. 3. aphor.* expresse fatetur Hippocr. Itaque dispersi (*vt Galen. respondeamus*) ob prauam victus rationem ostendi sunt: communes verò ob communem caussam, puta aerem diuersimode à diuersis temporibus alteratum: *Secunda* aeris temperies, quæ communium seu vniuersalium morborum quoque caussa existit, eos constituit, qui per aliquod tempus aliquam regionem inuadunt, *vt Galen. refert 1. popul. & lib. de ratione victus*. Quorum etiam morborum auctor & caussa aer existit; at non ex anni temporibus secundum naturam existentibus alteratus, sed ex peculiari cœli statu, ipsisque anni temporibus præter naturam immutatis. Quorum *lib. 3. aphor. & lib. 1. popul.* ad amussim meminit Hippocrates referens *lib. 3. aphorism. text. 14.* non quamcumque aeris, seu cœli constitutionem hos vulgares morbos efficere posse, cum quę dam sit temporum anni conditio, quæ modico tempore duret, ac imbecilla existat (alia quæ plurimo & vehementer operetur) sed ea tantum, quæ præter, hoc, quod inæqualis, varia, intempestiua, & præternaturalis sit, plurimum & diu operari possit. Quod innuit Hippocr. per verbum illud, *dominari & vigere*. Ex qua sane constitutione plurimos sæuissimos malignos ac grauissimos affectus vel leui quodam morboso apparatu in corpore existenti, locis nuper citatis Hippocrat. oriri posse refert, quæ proculdubio mutatio pestilentes quoque affert morbos. Verùm hanc pestilentem constitutionem ea, quam hactenus tractauimus, minus esse perniciosam colliges, quòd certo loco, certa anni parte, non omnes indiscriminatim apprehendit, sed eos duntaxat, qui præparati

Aer pestis caussa

Aeris alteratio duplex.

sunt ad putredinem, quales sunt temperie calida & humida prædıti, & qui vitiosis abundant humoribus, aut qui incauta victus ratione vtuntur. Quos facile corripit huiusmodi maligna febris, quam iure optimo *pseudopestem, aut semipestem* dixeris. Cuius naturam censeo Hippoc. comprehendisse *lib. de flatibus* sub illo verbo, *ex victu*, quod nos sub nomine *morbosi apparatus* comprehendimus.

Maligna febri qui obnoxij.

Pseudopestis.

Verùm quia multa hæc febris maligna obtinet, quæ diffinitione comprehendi non possunt: ob id necessum est, sigillatim omnia percurrere, quæ clariorem eius notitiam præstatura esse speramus. Cuius gratia asserimus, varium esse pestilentium & malignarum febrium naturam & conditionem, eamque prout maiorem analogiam seu similitudinem habêt contagiosi illius spiritus respiratione attracti, cum mitiori, aut acutiori humore, ex his, qui in corporibus nostris insunt: Nam quidam ad sanguinem, quidam ad bilem, quidam vero ad alios humores analogiam habent: & ob id quædam ex pestilentibus febribus omnes fere perdunt: aliæ maiorem partem, aliæ vero minorem, prout magis ab extrinseca contagione, quæ in corruptione totius substantiæ aeris sita est, & vehementior existit, quam ab extrinseco apparatu principium nanciscatur. Ex quo fit, pestilentium esse duplex genus: *Vnum*, quod ab extrinseca aeris contagione proficiscitur, citra aliquem affecti corporis apparatum, nisi tantum analogia, & sympathia mediátibus inter corpus & seminaria contagionis, seu aeris vitium: *Alterum* vero earum est febrium, quæ in nobis primo fiunt, originem sortitæ ex communibus cũ alijs febrium caussis, *vt plenitudine. obstructione, & humorum malitia*, dummodo sordidior, profundior & longè grauior sit harum febrium putredo, quam omnium aliarum, minor tamen, quam ea, quæ in vere pestilentibus reperitur. Cũ morboso apparatui adiungitur etiam, vt hoc secundum genus febrium pestilentium fiat, secunda illa aeris intemperies, quam ex inæquali & intempetata partium anni natura constare, secundo loco diximus: quibus temporibus vigere magis hanc febrem malignam, *qua huic secundo pestilentium generi reducitur)* conspicimus: cuius natura elucescet magis, si differentiam côstituerimus inter eam, & vere pestilentem, & reliqua putridarum febrium genera.

Pestilentium febrium genus duplex.

Maligna febris multipliciter differt à pestilenti.

Prima igitur differentia est, pestilentem tantum ex aeris contagione fieri, præmissa analogia ad aliquem ex humoribus, etiamsi secundum naturam extiterit. Maligna verò *(nam sic placet hanc febrem, in qua maculæ similes pulicum morsibus apparent, appellare: quia media est inter vere pestilentes, & simpliciter putridas)* semper ex morboso apparatu proficiscitur: licet ex aere etiam suum nanciscatur principium. Nihil enim prohibet, ex hoc apparatu sordidam fieri putredinem, & reliquis grauiorem, ac mox ab illo per contractum medio aere in alios migrare. Quod vero hæc febris de genere sit pestilentium, testatus est mille in locis Galen. præsertim *lib. de cibis bon. & mal. succi, cap. 4. & lib. 1. de different. febr. cap. 3.* qua parte enumerat alimenta, ex quibus apparatus huic febri malignæ aptus acquiritur: quibus numeratis inquit: *Nonnulli quidem putridis & pestiferis febribus interierunt: nonnulli pustulas instar scabiei ac lepræ in corpore contraxerunt.* Quas quidem febres *putridas* appellauit ex apparatu, pestilêtes vero ob diuersum putredinis modum, perniciosum nimirum ac sordidum, & ex eo, quod plures ex eis perierint, nõ tamen pestilentes omnino sunt, quia ab aere solum nõ trahunt originem. Quam sententiam confirmat etiam idem auctor de eisdem loquens, loco citato, dicens: *Fit quidem & aliquando propter humores ad putredinem paratos in corpore existentes;* & paulo inferius subdit, vt integrã huius febris exprimat naturam: *Cum breuem aliquam oc-*

I. Differentia.

A *casionem ad febris originem ab aere ambienti acceperit animal.* Quibus sane verbis videtur, vniuersam malignæ febris naturam & conditionem expressisse.

Ex prædicta differentia mox alia suboritur, nimirum febres pestilentes, dum vigent omnibus accidere, omnibusque communes esse, plures tamen ex eis perdere, requirentes tantum in corpore humorem sibi similem, seu analogum, tanquam peculiarem apparatum, aut naturalem corporis aptitudinem, puta raritatem, caliditatem, & humiditatem, aut imbecillitatem natiuam: in quo etiam à malignis differre videntur, nam pestilentes ex prædicta aptitudine facile fieri possunt, ob aeris validam efficaciam. Malignas vero nusquam ab hoc apparatu fieri contingit, nisi mediante eo, qui putredinem facile concipere possit.
B Quo fit, vt in maligna febre non omnes, sed ij tantũ apprehendantur, quibus putredinosus apparatus inest, quorum subinde maior pars euadit.

II. Differentia.

Alia rursus interstat differentia, videlicet in vera peste seminaria contagionis putredinem nulla prohibita transpiratione media efficere, sed veluti septica efficiunt medicamenta, natiua nimirum partis temperie, & calore solum deuastatis. At in maligna febre non à contagionis vi solum *(etiamsi aliqualis requiratur, quo dissideat ab alijs putridis)* sed à prohibita transpiratione, medijs caussis naturæ consuetis, proficiscitur: & ob id putredo pestilentium febrium nusquam aut raro corrigitur: quo fit, vt plures interimat; hæc vero, quæ in maligna febre reperitur, non
C corrupto, sed alterato calore fiat: & hac ratione plures ex ea euadunt, licet quid amplius, quam alterationem simplicem requirat.

III. Differentia.

Præterea differunt, quia in febre pestilenti contagium primo obsidet cordis substantiam, aut contenta. Quo fit, vt hac febre laborantium anhelitus grauiter oleat: in maligna vero non nisi humores vasorum, maiorum tamen, & eorum, quę propria vicinioraque cordi sunt. Quo etiam differunt ab alijs putridis, in quibus licet aliquando prope cor humores putrescant, non tamen propriùs, neque tam sordida putredine, quod ostendit facile sanguis primo per venæ sectionem extractus, qui sano & naturali persimilis est: ceterum vena scissa secundo aut tertio corruptior
D apparet, & eò magis, quò ex altioribus & reconditioribus corporis sedibus allicitur: quod, vt paulo inferius docebo, maioris periculi solet esse signum.

IV. Differentia.

Differunt etiam, quia febris vere pestilens contagiosa est simpliciter, celeriter, & quæ fomitem ad têpus relinquit, & ad distans suum venenum transmittit: maligna vero non sic, sed tantum per contactum, atque id non semper, neque omnibus, sed ijs, qui illi præbent substratum apparatum.

V. Differentia.

Non minus dissident, eo quod verè pestilentes placidæ & mites sunt à principio: maligna vero aliquando cum sæuissimis accidit symptomatis, iuxta morbosi apparatus naturam, aliquando placida apparet more pestilentium, ita vt medicis plerumque illudat,
E exspectantibus paulo post morbi solutionem.

VI. Differentia.

Præterea dissident, quia verè pestilentes fere eodẽ modo omnia corpora apprehendunt, & eadem quoque aut paulo diuersa omnibus accidunt symptomata, quia caussa est omnibus communis, vna & eadẽ. At in maligna febre licet morbi species vnica quoque & eadem in omnibus sit, diuersa tamen, & varijs accidentibus insignita apparet. Quod fieri existimo iuxta morbosi apparatus varietatem, qui longe diuersus est ob diuersam cuiusque viuendi rationem in cibis, potibus, ac omnibus alijs vitæ studijs.

VII. Differentia.

Differt præterea maligna febris à simpliciter putridis ratione, & excellentia putredinis, nec non & signorum malignitate & deterrima conditione, etiam si signa eiusdem sint speciei in vtraque fere. Nam ea, quæ simpliciter putridis insunt, à quauis putredine ex-

VIII. Differentia.

citantur;

citantur: illa vero, quæ febri malignæ propria sunt, A non nisi maxima ac sordida fuerit putredo, contracta quidem ex calore diuersis caloribus constituto, vt de pestilenti febre dictum est: non quidem quod omnes simul calores in hac, sicut in illa reperiantur. Sat enim est, adesse duos vel tres, qui varijs modis dissipent, & perdant substantiam: ita vt potius corruptio per putredinem, quam putredo simpliciter appellanda sit, cum neque alterari, neque vinci ita facile ac tuto possit, sicut in alijs contingit. Quo fit, vt sæpe coctionibus apparentibus, & quodammodo perfectis, laborantium non pauci tempore crisis succumbant: quia licet putris materia ex parte coctionem susceptet, veneficus ille spiritus, & quod sordidius putri- B dum est, corrigi ex toto non potest, & ob id natura in statu ac pugna succumbit, præterquam quod in his malignis febribus semper aut cordis substantia, aut spiritus longe diuerso ab aliarum putridarum modo afficiuntur. Quod manifestè ostendit insolita & præter omnem modum ac rationem imbecillitas, quod in alijs ex putredine ortis raro accidere solet.

IX. *Differentia.* Dissident præterea, ac magis, eò quod in febribus ex communi putredine accensis semper aliquis quatuor humorum putredinem susceptat, à quo febris ipsa speciem & rationem differentiæ sumit: in maligna vero non sic, etiamsi maiorem semper habeat ad sanguinem analogiam, sed in minera putredinis (*vt mea fert sententia*) omnes simul putrescunt, (*licet extra lo-* C *cum præcipuum putredinis, & in alijs nimirum vasculis puri & citra aliquod vitium supersint humores, vt euidenti quadam demonstratione in sanguinis detractionibus paulo superius probauimus*) quod ego suspicor esse maiorem partem substantiæ & naturæ huius febris, etiamsi ex humoris prædominantis natura quodammodo speciem sortiatur. Experientia enim comperitur in alijs putridis putrediné vnius humoris naturam referre, aut plurium, si complicatus est affectus: at in malignis tanta solet esse sanguinis, qui extrahitur, corruptio, vt nullum humorem peculiariter putridum repræsentet, sed omnes simul, & non vtcumque putridos, sed veluti corruptos, & fere omnino à natura alienos. Quod facile erit nosse, si quis san- D guinem, dum concreuerit, per medium scindat: namque nullam obtinere consistentiam neque compaginem, sed veluti atramentum pauco sanguine & aqua confusum comperies, *vt latius paulo inferius docebo*. Itaque maior huius malignæ febres pars (*vt mea fert opinio*) refertur ad sordidam putredinem, & ab alijs diuersam. In quem sensum suspicor Galen. dixisse *lib. de præsagit. ex puls. c. 3. & lib. 3. popul. par. 3. comment.* 57. quasdam esse febres pestilentes sine peste, hoc est, sine manifesta aeris contagione. Atq; hæc est in summa huius malignæ febris natura & conditio, quam haud difficulter quis intelligere & ab alijs distinguere poterit, vbi attento animo & sedula diligentia, quæ hucusque dicta sunt es pendent, maximè E si diligenter euoluerit antiquorum scripta, eorum præsertim, qui apertissimis verbis huius febris meminerunt. Inter quos primus omnium Hippocrates *lib. 2. de pop. part. 3.* hæc refert verba: *Fiebant autem in his febribus æstiuis circa septimam, octauam, & nonam diem asperitudines in cute miliaceæ, culicum morsibus magnitudine similes, non valde pruriginosæ.* Qua sane sententia nihil clarius, quam huiusmodi febris monstrari potest. Cuius etiam meminit 7. *pop.* in historia Fullonis: inquit enim: *Fullo in Syro phreniticus cum moueretur cruribus tremulis, corpus veluti à culicibus compunctum*: eiusdem quoq; meminit 7. *pop.* dicens: *Euphranoris filio pustulæ veluti à culicum morsu*: & fortasse easdem maculas refert *lib. 1. pop.* in hist. Sileni, dicens: *Papulæ cum sudore rubræ, rotundæ, paruæ, veluti vari.* Quibus facile constat, Hippoc. huiusmodi febrem cognouisse. Et ob id subriceo consulto sen- A tentiam Aetij & aliorum in hac re. Ex quorum omnium sententijs, & es his, quæ hucusque dicta sunt, facile constat, hanc febrem malignam esse, & de genere pestilentium, quatenus pertinet ad contagium, & malignam conditionem; differt tamen ab eis, & connexionem habet cum putridis; quia putredinem sortitur ex communibus caussis obortam, licet sordidior sit & profundior, ex prohibita nempe transpiratione. Atque hæc de prima parte dixisse sit satis.

De caussis febris malignæ.

B QVi voluerit huius malignæ febris caussas exactè intelligere, legat diligenter febrium pestilentium caussas in genere, ac postmodum consideret, quid ex illis caussis possit huic febri propriú & peculiare esse. Quippe vt popularis est, communem habere caussam oportet, vt vero maligna, aliquod sortiri intensius vitium, præter putredinem, ceterum vt à vera pestilenti degenerat, ita vt apprehensorum non maiorem partem interimat, morbosum aliquem requirit in corpore apparatum, ad cuius pensum periculum etiam intensius aut remissius succrescit. Prima igitur malignæ febris caussa, quæ illi competit, quatenus est de genere populariú morborum, est aeris intemperamentum temporaria occasione susceptum. Quo sane aeris vitio frequentius C his nostris temporibus per diuersas totius Hispaniæ prouincias hanc febrem vagari compertum est. *Malignæ febris caussa prima est aeris intemperamentum.* Cuius grana expendere oportet, ex anni temporibus duplices posse morbos oriri, quorum alij sunt tempori proportionales & vernaculi, (*seruantibus nimirum temporibus natiuam temperiem & constitutionem*) similitudinem habentes cum succis eodem tempore redundantibus: quorum omnium late meminit Hippocr. 3. *aphor.* 20. 21. 22. & 23. *Morbi ex anni temporib⁹ duplices.* Quamobrem merito dixit Galen. *lib. 1. pop. Itaque experimentis & ratione didicimus, vbi in hunc modum anni tempora procedant, & in se mutuo conuertantur, non existere neque pestem vllam, neque quenquam alium morbum vulgarem:* quē locum latius superiori cap. tractatu exposuimus. Alij D vero morbi ex anni temporibus & cœli constitutionibus oriri possunt, non quidem ex eisdem secúdum naturam existentibus; sed præter naturam mutatis & affectis, *vt de popularibus dictum est*. Quod vero huiusmodi aeris alterationes veræ pestis, nedum malignæ febris caussa existant, ex Hippocrat. apertissime constat *lib. 2. popularium, & 3. eiusdem operis lib. text. 3.* quo loco Galen. hæc refert verba, loquens de intempestiua humiditate: *Tamen affectus communis vtriusque tempestatis putredo est, vtique caussam obtinens humiditatem citra ventos*: & paulo inferius subdit: *Et videtur putredo ex materia quidem gigni humida, ex caussa vero efficienti extraneo & præter naturam calore, augeri porro quiete: quæ omnia in his con-* E *stitutionibus aeri adfuisse cernuntur*. Ex quo loco constat, aeris mutationem ad caliditatem & humiditatem huius febris esse potissimam caussam, præsertim tum calida & humida aeris constitutio turbida redditur, nebulosa, vmbrosa aut caliginosa & impura existens, neque lucida, neque omninò serena: præsertim cum anni constitutio, quæ mutata est à naturali temperie, pluuiosa admodum est, nebulosa, turbida, & nonnunquam nubium plena, *vt 2. popul. tempestate illa ad amussim exponit Galenus*. Verum licet hæ sint communes caussæ, quarum Hippocrates & Galenus, & reliqui omnes meminerunt, tanquam potissimarum malignarum febrium, & venenosorum morborum; habet etiam aliam peculiarem caussam hæc febris, nimirum temporum non intemperiem, *vt dictum est*, sed inæqualitatem, modo autumnalis sit, modo quouis tempore præsit. *Temporũ inæqualitas qualiter malignas febres conciret.* Quam sane inæqualitatem multis rationibus huius

Temporũ inæqualitas qualiter malignas febres conciter.

malignæ febris caussam esse comperimus, tum quia A suapte natura autumnalis tẽpestes acutissimos morbos efficit, *vt ex Hippocrat. apertè probari potest. lib. 3. aphorism. text. 9. & lib. 4. text. 8. ac. 22.* & ob id merito Galenus dixit *lib. 1. aphorism. commet. 17. Autumnus morbis qui ex corruptione fiunt assimilatur.* Quod duplici ratione peculiarius fieri in hac febre contingit (præter eam quàm autumnalium morborum Galenus *locis citatis* reddit) prima ex facultatum impotentia, quæ varijs alterationibus subitò irruentibus facta infirmiores reddit potentias, & ob id deterius redditur quoduis humorum vitium. Secunda sane est humorum omnium turbatio & agitatio ingens, ita vt neque vnam naturam seruent, neque vnicum locum, sed variè alteratos, instabiles & fallaces morbos faciant ac turbatos. Ἀκατάστατοι dixit Hippocrates: quam vocem exposuit Galenus *lib. 4. de ratione victus, comment. 52.* per eam intelligens febres, quę nihil habent stabile & firmum. Quibus de caussis promtissime suscipitur huius febris malignæ forma, nulla vel leuissima contagione: tum ob virium languorem, tum vero ob huiusmodi humorum apparatum. Quamobrem in his omnibus febribus, quæ inæqualibus temporibus suboriuntur, manifestum fit, vrinas & accessiones varias esse & turbatas, & caussas quoq; confusas, & minime placatas. Quo fit, vt difficulter iudicentur, licet varias tentet natura excretiones, quas non citra maximam symptomatum varietatem molitur.

Maligna febris cur tempore hyberno magis furiat.

Sed quod magis mi- C randum est in hoc morbi genere iudicio nostro, est pestilentem hanc constitutionem vehementius furere brumalibus ac rigidis temporibus, quam in reliquis, quinimo periculosiores esse: cuius rei caussam esse censeo, (*præterquam quod est propria quædam venenositatis & malitiæ ratio frigidis temporibus peculiaris, cuius meminit Hippocrat. libr. 1. popul. parte 1. tempes. 3. quo loco inquit: In Thaso paulo ante Arcturum & sub Arcturo multæ & magnæ, spirante Aquilone, pluuiæ: ex quibus illius tempestatis venenositatem & malitiam venatur*) quia cum hæc febris non prodeat, saltem præcipue, ex certo cœli statu, aut aeris vera contagione, sed maiori ex parte ex morboso corporis apparatu: ob id sane prohibito naturali ef- D fluxu ex cutis dẽsitate ob ambientis frigus facta, maiorem fieri putrefactionem contingit, & grauius venenum, & hac ratione periculosiores febres quam æstiuis temporibus: in quibus ipsa aeris conditio, licet quodammodo prębeat mali principium, nihilominus tamen meatus reddit potentiores, quibus facile quod putrescit exhalat, & naturales ac præternaturales effluxus promte spirant. Itaque hæc febris maligna hoc sumit ex caussis popularium morborum, tãquam potissimam & peculiarem sui caussam.

Malignæ febris secunda caussa.

Secundum caussarum genus, à quo etiam febris maligna caussaliter dependet, caussas quidem morborum pestilentium & venenosorum in se complectitur, quas ad vnguem in precedenti capite exposui- E mus. Quapropter hac in parte solum studui docere, quid habeat commune febris maligna cum his caussis febrium pestilentium, vt eo cognito, facile medendi rationem, indicatione sumpta à caussa, adinuenire possimus.

Febris maligna in quibus caussis conueniat cum pestilẽte.

Habet igitur maligna hæc febris secundam sui caussam mutuatam à prædictis pestilentium morborum caussis, qua profecto cum illis fit communis, ac maligna euadit & contagiosa. Fit sane ex aere viriato & inquinamento aliquo corrupto ab his inferioribus accepto, aut suscepta exspiratione corporum hac febre maligna laborantium: quo fit, vt citius corripiantur hi qui habitant prope paludes, cœnosa, aut stagnata loca, fętida, aut spurcitia aliqua conspurcata, obscura, conclusa, & male perflata. Nã in his omnibus vitiata qualitate aer affectus corpus ingrediens, has febres malignas citra dubitationem concitat. Quas pari lege concitare habet aer vehementer in qualitatibus manifestis mutatus, ita vt etiam substantia eius leuiter mutetur, non quidem ex toto ac vehementer: nam sic vere pestilentem constitutionem efficit, sed solum quantum sat sit vt celeriter agat, & acrius, ac vehementius, & malignius, quã sola aeris manifesta alteratio efficere nata sit. Quo tempore nec ex toto fiunt affectus vere pestilentes, quia aeris corruptio corporis substantiam subuertere nequit: neque solum fiunt febres & morbi populares: quia quid peculiarius obtinet aer præter primas qualitates, quo profundior, sordidior & contagiosa euadit putredo, quod etiam occultum appellamus, redolens naturam substantiæ aeris leuiter mutatæ.

Malignæ febres quibus temporibus ĩ diuersis mundi regionibus apparuerint.

B Ex qua sane mutatione malignas has & pestilentibus finitimas fieri febres mihi est compertum. Quã etiam aeris secũdum leuem substantiæ mutationem censeo in prima morbi euasione præstitisse huius febris principium, anno videlicet 1528. apud Gallos & Italiæ prouincias quasdam, sicut apud nos quoque & maiorem totius orbis partem anno 1557. à catarrho quodam omnibus vno & eodem tempore communi ortum duxit. Quod profecto neque ad aeris intemperiem solum (*etiamsi citra ipsam fieri non posset*) neque ad substratum corporis apparatum, sed ad caussam quandam ex comparato modo substantiæ in aere obortam, nec sensui manifestam, sed à manifestis qualitatibus ex peculiari aliquo sydcrum aspectu proficiscentibus, referendum esse censeo: siquidem vno & eodem tempore in regionibus diuersam naturam & temperiem sortitis, maiorem hominum partem hæc semipestilens constitutio apprehendit: à qua etiam maior hominum pars euadit.

[illegible] maligna cõmune [illegible] cum pestilenti caussam habet aerem leuiter vitiatum.

Itaque febris maligna aerem vitiatum tãquam caussam habet communem cum pestilenti constitutione. Ex quo sane obtinet, perniciosam esse, contagiosam, & grauissimis accidentibus comitatam, *vt dictum est*, principium sumit, & illi est tanquam motiua caussa, aeris vitium, vltra qualitatum naturam, idq; desumptum aut ex terreno quodam inquinamento, aut ex vehementi aeris mutatione cœlitus transmissa, eo quo dictum est modo.

Malignæ febris tertia caussa, morbosus corporis apparatus.

Sese iã offert tertia & potissima huius febris caussa, quæ in nobis est, & ab inferioribus oritur, nimirum morbosus corporis apparatus ex his, quibus corpus alitur, perperam ex indebita eorum institutione & prauo vitæ instituto cõmparatus: qui sane præter hoc, quod mali ipsius caussa existit, & materiam substernit putrefactioni sordidæ aptam, habet id quoque peculiare, vt iuxta eius varietatem varie possit eiusdem febris naturam variare, quoad morbi & symptomatum rationem, ita vt miram eius varietatem mirari millies subinde contingat, et doctissimos etiam Medicos fallere, nam raro aut nusquam eisdem accidentibus & conditionibus insignita apparet huiusmodi febris, sed pro varietate corporei apparatus, & aliarum rerum, quæ corpus humanum mutare habent, variari ipsam subinde contingit.

Maligna febris cur mille modis varies.

In quo sane sensu dictum est ab Hippocrat. differre naturam à natura, corpus à corpore, & alimentum ab alimento, mutat enim corpus senile humorum naturam & temperiem, & natura etiam biliosa, pituitosa, ac melancholica, diuersum generat in corpore apparatum: sic sexus consimilem infert in apparatum differentiam, pari ratione alimenta, quæ mille modis varia esse contingit, diuersum quoque efficiunt apparatum. Nam diuersa sorte diuites & pauperes eis vtuntur, diuersa etiam naturales & agrestes homines, ac vrbani; item qui vitam agunt sedentariam & otiosam, & hi qui laboribus sunt dediti: & sic ex diuersa hominũ sorte, & ex alimenti diuersitate, ex diuerso etiã viuendi more, diuersissimus etiã in corpore succrescit morbosus apparatus: quo fit, vt vulgares

&

& inexperti Medici existiment, non posse esse certā legem dignoscendi, neque curandi huiusmodi febrē. Cui caussæ succrescit etiam ex his inferioribus alteratis, quæ frequenter aerem inficit, & spurcissima qualitate fœdat, veluti frequens adhæsus, ac consortium cum his, qui febre hac sunt correpti. Lacus item & paludes stagnantium aquarum, cloacarum, sentinarumve colluuies, à cuius vapore aer corrumpitur. Publica quoque fames, quam vt vitent, pessimis alimentis vesci coguntur homines, vnde morbi ex putredinæ multi suboriuntur. Sic cadauerum multorum fœtor, & locustæ mari, aut aquis iniectæ, putrido vapore excitato, simile damnum solent inferre. Idem potest graueolentia ex oleribus, aut arboribus, præsertim quæ succo abundant viscido, vt brassica, nux, & ficus, putrefactis excitata. Nec non cannabi, aut lino, & corijs, quæ pigrioribus aquis macerantur. Nónnunquam vapor exitialis in visceribus terræ latitans, dum erumpit, & per terræ meatus aerem inficit. Quibus caussis accedunt plures aliæ, quas prima huius libri parte retulimus, à quibus aer ita afficitur, vt inspiratus morbosum apparatum prorumpere in morbosam conditionem cogat. Cæterum morbosus apparatus, qui in nobis plerumque viget, susceptiua existit caussa horum malorum, quæ nobis ab aere communicantur. Quem apparatum constat Galen. depinxisse, *lib. 1. de different. febr. cap. 6.* per hæc verba: *Interdum enim efficitur febris* (loquebatur de pestilenti) *propter humores in corpore aptos in putredinem, quoties animal breuem aliquam occasionem ab aere circumfluente susceperit.* Et paulo inferius subdit: *Est autem initium pestilentis febris, eo quod humores corporis sint ex prauo victu in putrefactionem parati.* Quo fit, vt merito Galen. loco citato dixerit, *facilè aeris occasione huiusmodi corpora in pestilentes febres incidere.* Quod Galeni dictum de his malignis febribus esse intelligendum censeo, non de verè pestilentibus. Nā hæ nec morbosum apparatum prærequirunt, nec ex leui aeris mutatione principium suscipiant. Quamobrem sententiam illam trāsferendam esse ad febres malignas arbitror.

Apparatus morbosus ex quibus cōtrahatur.

At morbosum hunc apparatum, quem tanquam caussam præuidere conuenit, in duos partiri mihi iure optimo est visum. Primus sanè contrahitur ex indebito vitæ instituto, quo corpora paruis succis putredini paratis plena redduntur. Quorum natura procul dubio duplex est: aut enim à natura talia existūt, vt *allia, cæpæ, nasturcium, porri, brassicæ, vrticæ*, & quæcunque alia huius sunt conditionis. Aut natura quidem optima sunt, sed ob quosdam putredinis modos, æquale prædictis, aut maius aliquando vitiū contrahunt: quæ alimenta cum in fame aliqui in cibum sumunt, consimilem efficere apparatum est compertum: *Nonnulli*, inquit Galenus, *à putridis, ac pestiferis febribus interierunt: Nonnulli autem pustulas instar scabiei, ac lepra in corpore contraxerunt.* Cui simile damnum, aut fortasse grauius, accidit ijs, qui post longissimam inediam intrepide in vbertatem sese ingerunt. Quæ omnia præter putredinis apparatum, etiam caussam præstant, nimirum obstructionem plurium meatuum. Eundem prorsus apparatum contrahunt, qui in vita ociosa, multis epulis, ebrietatibus, & Venere otiantur: à quibus non solum apparatus contrahitur, verum vires sua spontè plurimum labuntur: quo fit, vt non solum habeant laborandi apparatum, verum & careant resistentia, ac virium robore, quo possint morbosum apparatum frænare, & externis caussis resistere. Quapropter leui quadam aeris mutatione facilè labuntur. *Secundus* huic affectioni apparatus natiuus est, & ex insitis corpori conditionibus constat, veluti pororum totius corporis certa dispositio *(quam superius diximus)* aut temperies. Qui sanè apparatus nusquam deficiente primo, qui

Apparatus morbosus duplex.

1. Contractus aliūde.

2. Natiuus.

A putredinem concipiat, poterit malignæ febri principium per se præstare: bene tamen dum prædicto apparatui coniungitur, nam eo tempore promptius laborantes corripiūtur. At is natiuus apparatus potius viam sternit verè pestilentibus febribus, quam malignis, quæ familiarem, & propriam præterequirunt materiam, in qua subijciantur.

B Hoc tamen omittendum hac in parte non est, nimirum materiam substrati huius apparatus præcipuam semper sanguinem esse: quod sanè habet febris hæc maligna tanquam proprium, & peculiare, fortassis, quia sanguinis natura, dum humores alios putridos sibi habet comites, etiamsi ipse non protinus putrescat, promptius effeuescit, & præ ebullitione ocyssimè in cutem erumpit. Quod licet in omnibus contingat ob maiorem analogiam, quam huius mali natura cum sanguine obtinet, nihilominus tamen alicuius humoris semper dominium in hac febre præpollet: illius nempe, cuius maior pars erat in morboso apparatu. Et ob id sanè contingit mira huius febris varietas: nam alia absunt accidentia, dum bilis aliqua species prædominatur, & alia rursus pro ratione cuiusque speciei. Item longè diuersa, ac sæpè contraria, dum præest cum sanguine pituita, ac denique alia, dum melancholia: nam humorum quisque pro sui natura, & cōditione varia habet efficere symptomata. Quæ proculdubio similiter variantur, ex locis vbi humores putrescunt, & ex locis à quibus oriūtur, & ad quæ perueniunt, *vt sequenti cap. latius docebo.* Itaque maligna hæc febris, & ex aere aliquod principium nanciscitur, quale nuper diximus, & ex corporum morbido apparatu, citra quem vsquam fieri nequit, quin in pestilentem veram degeneret. At is corporum apparatus morbo materiam præstat, & caussa potissima est varietatis ipsius. Nam cum corpus à corpore, *(vt Hippocr. lib. de flatibus asserit)* natura à natura, alimentum ab alimento differat, hinc sanè fit, multum etiam interesse vnius, & alterius humores: nam ex consequenti varius apparatus, & varius etiam morbus quoad accidentia, & casus fit, licet in omnibus eiusdem sit naturæ, & rationis. Quod profectò expendisse plurimum decet, nam hinc pēdet vniuersa ferè medendi ratio, & felix curationis euētus. Ex cuius rei ignorantia cum omnes eisdem medicamentis, & vna, & eadem via curentur, fit, vt multi, qui sanitati possent restitui, misere intereant.

Malignæ febris morbosus apparatus, præcipuè sanguinis est.

Malignæ febris varietas vnde.

Maligna febris sine corporis morboso apparatu fieri nequit, quin in veram pestilentē degeneret.

De signis febris malignæ.

Nihil profectò difficiliùs in omnibus, quæ circa huiusmodi febrem versantur, nihil grauius, aut vtilius excogitari potest, quam exactè eandē mox prima die cognoscere, & ab alijs sui generis distinguere: quod etiam omnibus alijs morbis commune est: cæterum difficilius, & vtilius longè in hoc est, à principio eundem cognouisse, antequam quid inconsideratè, aut fiat, aut prætermittatur. Quod iudicio nostro periculosius est in hoc affectu, quam in quouis alio: & ob id maxima diligentia curandum est, vt statim primo morbi accessu integram eius naturā habeamus. Cuius mali tanta profectò est pernicies, & inconstantia, vt non sat fit eum à principio cognouisse, ni etiam, quæ deinceps procedente morbo ventura sunt, ad amussim cognouerimus. Quæ vbi apparent, aut delitescunt, multa sanè confundunt, (præter præsagium) aut ex toto renuunt. Quapropter partiri placuit hunc tractatum in duo signorū genera. Quorum primum diagnostica omnia continebit, ea nimirum, quæ & affectus naturam, & varietatem cōmonstrant, & ab alijs sibi simillimis seiungunt. Secūdum vero ea complectetur, quæ aliquod in hoc morbo vēturum præsagire doceant. Vt ab vtrisque sumpta indicatione, curatio felici euentu separari possit.

Pri-

Signa diagnostica malignæ febris. Pathognomonicum signum, si uc proprium nullum.

Primum igitur genus ea signa complectitur, quæ diagnostica nuncupantur, circa quæ addubitare solet Medici (*& fortasse in excusationem suæ ignorantiæ sumunt*) an aliqua sint, quæ *propria huic affectui, & pathognomonica* possint appellari: nam cum frequenter decipiantur in hoc affectu, signis simulantibus aliud morborum genus, existimant, nullum esse proprium, & pathognomonicum signum, ignorantes præter signa, quæ partis affectæ naturam sequuntur, nullum esse alicui morbo peculiare, & pathognomonicum signum, dum solum, & citra aliorum signorum complexum, & considerationem expenditur. Nam si quis consideret signa, quæ peculiari quadam ratione in pleuritide appellantur pathognomonica, dum vnum quodque per se solum consideratur, nullum per se tale potest nuncupari. *Primò*, non tussis sicca, nam communis etiam est iecori inflammato; neque respiratio crebra, nam anhelosis etiam conuenit; neque febris, nam comes it etiam alijs viscerum inflammationibus; neque pulsus, nam quæuis membranosa pars inflammata persimilem refert: nec punginuus lateris dolor, nam talis proprius est quibuslibet membraneis in flammatis. Itaq; si verè pathognomonicum aliquod signum quis exquirat, reperiet facilè, nullum per se posse esse alicui morbo proprium, quod etiam multis alijs commune non sit. Quamobrem quomodo omnes alij affectus pathognomonica habent signa, *iuxta communem Hippoc. & Galen. conceptum*, eodē prorsus, & febris hæc maligna signa obtinet pathognomonica, quibus ipsa cognoscitur, & alijs sibi similibus manifestè distinguitur.

Maligna febris habet signa pathognomonica, quæ duobus modis fiunt.

Fiunt igitur in hac febre signa duobus modis pathognomonica. *Primò*, vbi plurima simul, semper, & eodem modo idem portendunt, vt quinque illa celebratissima signa pleuritidem monstrantia, quorum nullum per se sumptum valet pleuritidem certo monstrare, & ei pathognomonicum esse, omnia tamen simul iuncta semper, certo & infallibiliter. Pari prorsus ratione in febre maligna nullum signum est propriè, & peculiariter pathognomonicum (*præterquam maculæ illæ rubescentes, quædam apparent, nullam præstant, aut leuem ad curationem notitiam, si à principio affectus cognitus non fuit*) plura tamen simul iuncta, veluti euidenti quadam demonstratione (*nedum coniectura veritati propinqua*) huiusmodi febrem primis diebus commonstrant. Quamobrem non est tantum neque semper vnico signo innitendum (*licet dum solum apparuerit, id boni nobis præstare possit, quod dubios nos reddet, ac quodammodo cautos, ne nimia securitate deinceps fallacissima huius morbi natura decipiamur*) sed omnia conferre, & in vnum colligere oportet, ac animo expendere, an omnia idem malum portendant, aut plura. Quæ profectò dum hac lege considerantur, pathognomonica nobis fient, & certo occultam morbi malitiam monstrabunt. *Secundò* vero modo pathognomonica fient nobis signa ex peculiari aliqua conditione, quam per se vnumquodque signum fert, qua proculdubio videtur à se ipso differre, dum in alio morbo apparet: nam capitis dolor, nausea, vomitus, caloris modus, & cætera signa, licet alijs affectionibus coniunguntur, nihilominus tamen dum febribus malignis accidunt, pathognomonica fiunt, ex peculiari quadam, & maligna conditione, quam ex morbi huius malignitate acquirunt, qua proculdubio differunt à seipsis, dum in alijs morbis apparent. Nam qui in huius affectus curatione vsum, & peritiam habent, facilè eisdem signis hac maligna conditione insignitis, huiusmodi malignam febrem ab alijs diuersis, aut simillimis febribus (*licet eadem signa obtineant*) distinguere valent, nulla profectò alia ratione, quam peculiari illa conditione, quæ ferè verbis exprimi nequit. Nam reperitur nescio quid latentis energiæ, & malignitatis in quouis signo, quod licet verbis non possit monstrari, animus tamen concipit malignum, & diuersum esse, ita vt præter sui naturam, timorem, & dubitationem non paruam inferant. Quæ omnia signa quamuis alijs morbis communia, cum hoc tamen veluti digito malignam febrem nobis commonstrant; & singulari efficacia certos nos reddunt.

Signū 1. à modo caloris.

Est igitur primum signum ab his, quæ substantialiter inhærent desumptum, caloris febrilis ratio, & modus, cuius fortasse ignorantia vulgares Medici in cognitione huius febris frequentius decipiuntur. Nā sæpius mitis, & parum à naturali mutatus conspicitur, ita vt confidenter Medici proferant, & male, ægrum postmodum conualiturum: deinceps tamen procedente morbo, præter omnem exspectationem misere, & frustra luunt, quæ in principijs præuidere non valuerunt, mala. Cæterum ne excusationē ignorantiæ deinceps quærant, febris naturam expendant, non minus per simulatam hanc lenitatem, & mansuetudinem morbi malitiam, & venenum patefacere, quam per quoduis aliud ex præcipuis signis. Quis enim non mirabitur, & dubitandi, ac pertimescendi occasionem non accipiet, febrem primo accessu leuissimam si conspexerit, grauissimis accidentibus (*longè diuersis à talis febris natura*) comitatam? longè enim dissidentà mitissima febre nausea, vomitus, capitis dolor, vigilia, inquietudo, & penè innumerabilia, quæ sua pię natura maius malum portendunt, quā calor ille febrilis promittere videatur. Nam licet (*vt Hippocr. 1. prognosticor. refert*) mitissimæ febres quæ 30 die, aut citius firmantur, id proculdubio est, dum signis firmatæ veniunt securissimis. Alioquin vero, quo mitior apparuerit, dum signis adiungitur grauissimis, perniciosior est, *vt facilè ex Hippocr. & Galen. probari potest*. Solet etiam hæc febris contrario prorsus huic modo apparere: nimirum intensum grauissimumque calorem à principio producens, nec non & grauia quoque accidentia. Ex quibus haud difficile est, morbum à principio nouisse. Proficiscitur tamen huius differentiæ ratio vna è tribus caussis. Quarum *Prima* est morbi venenositas, & pestilens conditio, quæ citra maximam putrefactionem, ac per consequens calorem molestissima illa concitat accidentia: ita vt quo hæc grauiora fuerint, & febrilis calor remissior, & aspectu mitior, eò morbus perniciosior est. Nam signum præstat potius venenosæ contagionis, quam putredinis: eò quod maligna febris cum prædominetur cordi, ob sympathiam, potius in eadē parte viget calor, quam in externis: quinimo hæc est potissima caussa inter alias, propter quam in hac febre interiora caleant, & exteriora sæpè frigeant, vt à vera lipyria distinguatur. Apparet etiam tranquillitas hæc primis diebus in hac febre, eò quod venenosa qualitas maior est malitia, quam copia: & ob id donec primis diebus aliquid operetur, à quo deinceps augmentum sæuitiamve suscepteт, mitis apparet. Quod etiam fieri solet ob retrocessum spirituum ad viscera, quæ maius sanè solent pati in hac febre dispēdium, & damnum. *Secunda* vero caussa est humorū, qui putrescunt crassities, à quibus non ingens flamma, quæ partes externas incendisse conspiciatur, insurgit: sed internas vehementissimo calore exurat, more febris lipyriæ. *Cæterum* huic caussæ adiungitur etiam venenositas, cum hoc, quod humores sunt maiori ex parte biliosi, crassiores tamen adustione, aut crassæ pituitæ miscella, à quibus grauissima accidentia concitari contingit, præsertim implacabilem sitim, citra maximam caloris manifestationem. Quā sanè febris conditionem non minus pertimescere oportet, etiamsi mitis appareat, quam eam, quæ maiorem habet pestilentis contagij copiam.

Calor mitissimus.

Calor intensus.

Mitis calor, & intensus ex quib. caus sis fiat.

Quamobrem duas febrium species mites à principio apparere necessum est, *vnam* non nisi vehemen-

Mitiū febrium ma

tem,

lignarum duę species. tem, ob tertiam nimirum rationem, videlicet, quia maior est putredinis in ea ratio à morboso apparatu prodiens, quam in alijs duabus: & ob id in hac protinus calor elucescit, quia caussas habet proximas, à quibus oriri possit, nimirum maiorem putredinem, aut humorem, qui putrescit, biliosum, tenuem, & acrem, à quo facilè flamma excitatur ingens: *in alijs verò* maios est venenositatis ratio, quam putredinis, omnes tamen babent calorem (*quamuis pusillum*) si quis diutius tactu perstet, acrem, & maiorem putredinem præ se ferentem, quam caloris copia monstrare posset, etiamsi primo accessu mitis appareat.

Signũ 2. à lęsis actionibus. Secundum etiam signum est *à læsis actionibus* demandatum, nam cum pernicies malignarum febrium cordi, vt cętera venena, potissimum insidietur, & partibus omnibus præcipuis, pulsus protinus fit, (*vt à vitali incipiam*) frequens, paruus, debilis, & diuersus, licet magis elucescant hæ differentiæ, præsertim diuersitas, prope maculatum exitum.

1. Ab actione vitali. Quæ sanè differentiæ sunt omnibus ex hoc morbo affectis communes, quas subesse necessum est, ob maximum vitalis roboris laborem ex maligna qualitate, & oppressione à copia, quam præesse necessum esse diximus. Cæterum aliæ frequenter repetiuntur pulsus differentiæ, pro téporum varietate, aut morbi diuersa condinone ludétes, nam connaturalis, aut parum ab eo diuersus in principio apparere solet, ex inæquali nimirum cordis affectu, *vt ex Galen. lib. 4. de præsag. ex pulsi. cap. 4. colligere quis facilè poterit.* Quod frequentissimè in hac febre specie contingit, quo fit, vt frequentius adhuc vulgares Medici decipiantur, sed monent profectò eo tempore nos inquietudo, & anxietas, inordinati sudores, frigidi, & intercepti, monet nos etiam à nullis præsidijs leuamen: Ex quibus rationabile est colligere, naturalem pulsus imaginem ex inæqualitate cótrariarum caussarum proficisci, à quibus necessario molesta illa accidentia prodire est compertum. Quamobrem conijciet facilè Medicus, si diligenter sem tractauerit, minimè conuenire pulsum naturalem cũ grauissimis accidentibus, & ob id febris malignitatem conijcere tenetur. Solet etiam in primo morbi accessu pulsus apparere formicans similis, paruissimus nimirum, & frequentissimus, quod ex maligna copia grauante fieri suspicandum est: fit etiam plurimum varius, & aliquando totercadens, transactis primis diebus, nimirum dum maculæ prorumpunt. Ostendit enim pugnam, & naturæ conatum, ac sæpè impotentiam, qua nequit ordinatè, & integrè suum munus perficere. Quæ sanè accidentia longè sunt diuersa ab ijs, quæ ex sola humorum copia suboriri solent, nisi malitia, aut venenositas illi etiam accederet. Quod planè conspicitur post maculanum apparitionem: qui licet aliquantulum manifestior luper sit, cum hoc tamen eadem inæqualitate perseuerat, maximum profectò huius febris indicium. Nam plenitudo sola eam tãtum inæqualitatem parere nata est, quæ inter magnitudinem, & paruitatem reperitur, maligna vero plenitudo, qualis ea est, quæ in hac febre reperitur, omnem inæqualitatem, & ordinis perturbationem. Quæ omnia maximum indicium afferunt, vitale robur plurimum laborare: vt etiam palã ostendunt animi defectio, & syncopis, anxietas, & iactatio, quæ plurimum pati cor à venenosa contagione, & plurimum agere in propulsanda aliena, & inimica materia commonstrant. Fefellit vel peritissimos Medicos frequenter febris huius malignitas, dũ pulsus vehementes, & citra præternaturalem aliquãdo differentiam affectos percipiunt, in eadem sæpissimè inesse: nam sæpè bona hæc spes, quæ meliorem pollicetur, subito in inopinatam mortem degenerat, multis adhuc alijs signis secundum naturam existentibus: ob id non minus ostendit huius febris naturã hæc pulsuum simulata bonitas, (*dum alia signa à principio eius malignitatem attestantur*) quam si inæquales, & varij extitissent: Ratio est, quia primum humoris venenosi accessum robusta cordis natura renuit, & se ab eo expedit, ex quo pulsus cordis actiones placidissimæ admodum apparent. Cæterum à secundo accessu laxata, & defatigata primo succumbit: nã crescit veneni malitia, & propius cordi accedit, & subito ipsum aggreditur, ac superat, deuincitque. Quo factum est, vt minimè fit fidẽdum sublequationi, quę præter naturam fit, *vt refert Hippoc. lib. 1. prædic.* perniciosa, si citra signa leuia facta fuerint, quinimo certius, & occultum venenum deinceps suspicari oportebit, ac prouidere cautè, ne postmodum subueniant, quæ diximus, mala.

2. Ab actione animali. Ex respiratione quoque conijcere hoc malũ oportet, nam respiratio frigida si in principio apparuerit, venenosæ qualitatis semper soboles est. Ita & frenda ob putredinem cordi vicinam (*quod necessarium est in hac febre præesse*) idem malum portendit, sæpissimè vero difficiles respirationes, quæ febris remissione non cohærent, ex quibus etiam animalem facultatem lædi, aut interiora vri est coniectandum, ac ob id febrem hanc esse malignam, siquidem citra vitium instrumentorum respirationi seruientium ipsa subuertitur.

Sunt etiam, quibus cor aliquãdo tremit, & pulsus etiam tremuli fiunt, partim onere, dum in principio hæc signa apparent: partim malitia, si procedente morbo superuenerint.

Nec vero sola virtus vitalis in hac febre signum præstat, sed etiam naturalis, atque animalis, vnde iactatio totius corporis, ac inquietudo, & oris ventriculi dolor, (*quem lib. 1. prædictionum his verbis damnauerat tanquam malignum Hippocr. Oris ventriculi dolor, cum præcordio distento, & capitis dolor, malignum*) ac totius corporis etiam grauitas, lassitudo, respirandi difficultas, impotentia vigilãdi, nisi fortè calor dissoluens humores, mittat vapores acres, & calidos ad cerebrum, vnde vigiliæ, & delirium: cui succedit aliquando obliuio, & insolentia. Quæ omnia subesse deterrimam qualitatem ostendunt, siquidem potuerunt breui tempore vires tantum prosternere. Quorum sanè Hippoc. *lib. 1. prædictionum* latè meminit, & nos etiam seorsum recordabimur.

3. Ab actione naturali. Pendent igitur ab actione naturali signa hæc. Sitis aliquando magna (*consulto sitim ad naturalem potentiam reduco, nam hic non loquor de appetitu, præsertim dum prope ventriculum putrescit humor*) quæ potibus medicatis ad tempus leuatur, quę sanè superat caloris febrilis copiam, & modum: quo fit, vt malitiam arguere liceat ex disparitate caloris, à quo sitim prodiri est compertum, ac sitis quæ symptoma eius est.

Sitis. Aliquando vero non est adeo intensa, dum aut longè à ventre humores putrescunt, aut ipsi frigidam, & crassam naturam sortiuntur, aut maior putrefactio prope cor viget; quo tempore licet linguæ siccitas validissima sit, cum hoc tamen potius respiratione refrigeratur leuatúrque laborans quam potu, quin imo potu plerumque læditur: ex quo etiam morbi malitiam conijcere oportet: siquidem potus, qui in subsidium sitis porrigitur, non solum nihil prodest, verum sæpè fluctuationem, & anxietatem parit: quia tario potius in aliena, & maligna qualitate sita est, quam in exurente calore; cum hoc tamen lingua redditur arida, & scabra, & sitis plerumque nullus est sensus, quod euidentissimum malignitatis est signum dixerat Hippoc. *lib. de Coacis prænotionibus*, per hæc verba: *In acuto morbo sitis præter rationem soluta, malũ.* Itaque & sitire, & siti carere, dum vtrumque modũ febris exsuperat, eiusdem certissimum est signum, nam plurimum sitire febre apparente remissa, certũ est malignitatis indicium, sicut non sitire lingua existente sicca.

A qui-

Cibi fastidium.

A quibus etiam caussis (*in laborantibus quos huc vsque vidi*) prodit in superata bile quoddam cibi fastidium, & eò maius, quo humores putrescentes propriores ventriculo fuerint. Quod signum videtur Hippocr. retulisse, loquens de constitutione quadam pestilenti, in qua huiusmodi maculæ per cutem erumpebant. Nam inquit: *Papulæ paruæ, & non pro dignitate rationis excretionis morborum, & statim rursus euanescentes:* & paulo superius hæc refert: *Cum autem multa, & varia fierent indicationis impeditio ex morbis maximum etiam, ac pessimum signum perpetuo comitabatur, quod plerique omnes cibos fastidirent:* ex qua constat, esse veluti inseparabile ab his febribus cibi fastidium. Quod sanè procedit non solum ex febrili calore, sed ex maligno etiam, qui vires sentien- B tes illius partis veluti prosternit, & deijcit: ac sæpè eò affectionis venenositas deuenit, vt si comedere laborantes conentur, protinus nausea, ac vomitu frequentissimis infestentur: partim ex alimento commotis venenosis humoribus, ac irritata facultate: partim vero, quia ipsi sua sponte etiam citra cibi sumptionem commoueantur, ac ventrem frequenti irritamento lacessant, moueantque ad nauseam, & vomitum. Ob id profecto fastidium, aut abominatio cibi, nausea, ac vomitus certissima sunt in hac febre venenositatis indicia. Nam quis id non conijciet, si ventriculum hoc pati conspiciat, nullo in parte ipsa affectu præexistente? Conijectabile enim est, à vasis maio- C ribus, quæ propè ventriculum sunt, & in quibus maligna putredo illa viget, veneficos halitus eleuari, qui dum os ventriculi attingunt, fastidium, & abominationem cibi, dum ipsius corpus, nauseam, & vomitum gignunt.

Excrementa fœtidissima.

Non minus excrementa, quæ è corpore prodeunt, eandem malignam febrem attestantur, nam cuiuscuius conditionis sint, fœtidissima sunt omnia. Atque licet hoc commune sit omnibus ex putredine ortis affectibus, nihilominus tamen huic febri coniectura quadam certa cognoscitur esse peculiare: nam admiratione dignum est, leui existenti febricula, excrementa iam esse maleolida, quod fieri vsquam nequit, nisi simul cum putredinis caussis aliud quid perniciosius iungatur, quod veluti concaussa sit maioris, & sordi- D dioris putredinis. A quibus simul iunctis adbuc in principio maior in excrementis, quã in communi putredine, apparet fœtor; & ob id coniectabile est, febrem esse de genere malignarum, præsertim si fœtori aliquod aliud vitium in excrementis iungatur, quale est, excrementum esse liquidum, viride, liuidum, spumosum, aut pingue. Quæ omnia frequentissimè in his excretionibus conspiciuntur, ac etiam summã humorum malitiam attestantur, & per consequens huius febris naturam designant.

Vrina laudabilis.

Vrina vero licet in morbis venosi generis certissimam possit præstare notam, in febre tamen maligna incertum præstat signum, ad futurum aliquid præmonstrandum, etiamsi ad morbi naturam designan- E dam (*quod nunc quærimus*) certissimam præstet notam: præsertim si quis expendat, quibus conditionibus insignita in hoc affectu soleat apparere. Nam aliquando simillimam sanorum vrinis sese ostendit, & primis diebus talis perseuerat. Quod sanè signum, dum alijs ex his, quæ mox retulimus, adiungitur, indubitanter malignæ febris naturam redolet, quæ clã & Medico, & laboranti insidiantur, donec signi fiducia secutos turpius inopinato vehementi malo decipiat. Ratio proculdubio est, quia venenosa qualitas & interior est, & paulatim, ac citra manifestam humorum perturbationem agit: quo fit, vt minimè in principijs eius opera elucescant, quia maior est venenositas, quæ clam operatur, quam putredo, quæ vrinã immutat; postea tamen dum maximam materię partem obsederit, vrina turbatur, insequens turbationé, A quam humores perpetiuntur, nam hæc est ratio potissima, propter quam in huiusmodi febribus vrina primo accessu naturalis appareat. Sed quis non pertimescet, & suspicabitur, in morbo esse grauius aliquod malum, aut venenum latitans, si cum signis alijs suaptè natura perniciosis, vrina sola præstiterit laudabilis? Quamobrem iure optimo ex signo hoc alijs adiuncto licebit etiam febrem malignam conijcere.

Tenuis.

Apparet præterea vrina sæpissimè tenuis, & cruda, nullum continens sedimentum, aut illud excrementi potius naturam referens, quam veri sedimenti: quod etiam depravatum huius febris morem ostẽdere habet. Nam licet vrinam crudam propriam esse principijs morborum, vnanimi Medicorum con- B sensu constet, tam esse tenuem, & aquosam, & omnino à natura alienam, adhuc incipiente morbo, & cũ leui febricula, quæ primo accessu paruam, ac debilẽ ostendit putredinem, rationi consonum non est; ex quo conijcere oportet, latitans esse aliquod vitium, cuius ratione vrina mingitur cruda, potius ex impotentia facultatum (*quas incipiente affectu tam esse languidas vi morbi solius, nisi pestilens aliqua conditio simul accederet, cuius vi facultates laberentur, ac vrina excerneretur cruda, credibile non est*) quàm ex maxima humorum putredine; & ob id facta simul aliorum signorum collatione, vrina hæc febrem esse malignã ostendit.

Crassa. Turbida.

Frequentius tamen in hoc affectu vrina apparet crassa, turbida, ac intensioris caloris, & crassũ, C rubrum, ac conturbatum, diffusumque habens sedimentum: quæ profecto vrina, quia grauissimis iungitur symptomatis, certissima est febris malignæ nota: arguit enim maximam putrefactionem, efferuescentiam, ac conturbationem humorum, maximam etiã facultatis naturalis, aut impotentiam, aut defatigationem, à deterrima qualitate subortam: siquidem separare crassum à tenui, & humores continere, ac conficere nequit: quod nulli esse dubium suspicor, huius febris esse certissimum signum. Præterea talẽ esse, & subito coctam apparere, perniciosam, & malignam esse refert Hippocr. *lib. de Coacis prænotionibus,* per hæc verba: *Vrina quæ repentè citra rationem paulatim coquuntur, malæ sunt: & in summa quæ ci-* D *tra rationem matura est, in morbo acuto mala est.* Qua sententia constat, malignum esse morbum, & maius aliquod malum minari. Itaque & vrina naturalis (*quia reconditam morbi perniciem, & clam, ac sensim operantem ostendit,*) & tenuis, quæ facultatum naturalium iacturam, ac dispendium, adhuc primo mali accessu demonstrat,

Rubea. Conturbata.

& rubea, crassa, conturbata, quę & summam humorum putredinem, ac agitationem, & maximum facultatum languorem simul ostẽdit: & vltimo ea, quæ æruginosum, aut quid diuersi coloris in superficie habet (*quas nobis frequenter in hoc affectu conspicere contigit*) perniciosa, & maligna quoque est, cuius etiam per hæc verba meminit Hippoc. *lib. de Coacis prænotionibus: Mala est etiam valde ru-* E *bicunda ex his florulentiam æruginosam continens.* Quę omnes citra vllam dubitationem febris malignæ naturam subesse ostendunt, sicut & plures aliæ, quas loco nuper citato longissima oratione commemorat Hippocr.

Vrinæ deprauatus odor.

Quibus etiam tanquam certissimũ signum accedit vrinæ deprauatus odor, qui indubitanter soboles est sordidæ, & malignæ putredinis, siquidem raro talis odor in reliquis febribus putridis reperitur: quapropter hæc omnia, & omnium vicissitudines, & mutationes in vrina considerare oportet, vt mox à principio huius febris naturam monstrare possit.

Sudor.

Ex genere excrementorum sudor quoque est, qui non minus huius morbi naturam ostendere valet, quam quoduis aliud signum, non quidem quatenus sudor est, nisi fœtor etiam ei adiunctus sit; sed quatenus variè, inutiliter, & inordinatè, ac sæpè cũ maiori

damno

damno prorumpit: nam quis non existimabit, sudores frequentes, paruos, minutos, & inutiles, principio morbi prosilientes, potius naturæ, & humorum vitio, quam vtiliter, & ex naturæ lege fieri? Quod damnauerat Hippoc. *lib. de Coacis prænotionibus*, & tanquam malignum protulit, dicens: *Exsudantes, recalescentes, malum. Qui insuper insudant in febre, malignè habent*: quibus constat huiusmodi sudores malignam patefacere morbi conditionem: nam ex pugna illa, quam natura cum indomito humore mouet, vt prædictos sudores concitet, plurimum superest dissipata, lassataque & corpus deinceps grauius, & molestius morbum tolerat. Quod non solum ex pugna contigisset, nisi humorum conditio tam esset venefica, & à natura aliena, vt facultas succumbat, & humores ipsi sæpius deinceps corpus irruant, ac superent. Vnde artificiosa coniectura colligitur, has febres, in quibus prædicti sudores apparent, esse de pestilentium sorte: in quibus raro sudores vtiles esse comperimus, quãtumuis alijs febribus proficui existant. Ratio est, quia in omnibus alijs vacuationibus natura excrementum, vt pellat, ab omnibus alijs succis secernit, & separat: at in sudoribus medio feruore, qui necessarius est ad materiæ sudandæ attenuationem, omnes agitantur, & miscentur, ac subinde non infecta venefica labe inficiuntur, & turbantur: quo fit, vt quamuis septima appareat 11. aut 14. deinceps laborans, & intensius febricitet, & deterius se habeat, & vrinæ deteriores, & turbidiores excernantur.

Horripilatio frequens.

Huic simile est aliud signum, quod frequẽtius malignis febribus comes it, nimirum frequens, & inordinata horripilatio, etiam adhuc vigente febre, quin imo frequentius dum magis viget: quo sæpè decipiũtur imperiti, credentes esse *horrificam febrem*, ignorãtes halitus, qui ex feruore, & putredine eleuantur tam esse acres, mordaces, & à nostra natura alienos, vt ex toto sensibilium partium natura renuat, auerseturq;, ac tanquam venenum expellere conetur, quo sanè conatu huiusmodi accidens suboritur: quod in alijs febribus putridis raro contingit. Ratio proculdubio est, halitus à putredine elatos plus peccare intensione caloris, quam malitia, etiamsi à putredine suboriantur: in maligna vero febre plus malitia, & venenositate, quam caloris copia, & ob id mihi non est dubiũ, quin huiusmodi accidens certissimum sit malignę febris indicium.

Maculæ rubescentes pathognomonicum malignę febris signum.

Ad ea etiam, quæ excernuntur, notissimum aliud, & infallibile, ac proprius pathognomonicum signũ proculdubio reducitur, nimirum, maculæ rubescentes, quæ per cutem erumpunt; nam sic omnino, quid quid in cute efflorescit, modo carnem in tumorem non eleuet, sed morsibus pulicum sit per simile, quod Hispano sermone *Tabardillo* nuncupatur: est quidé pessimum, & certum huius febris signum, quod licet non primo morbi accessu appareat, crudo tamen existente prorumpit. Quippe pars est, & conditio, qua morbi huius natura integratur, citra quã nullus morbus est hic morbus, namque non est, vt multi falso autumant, symptomatica vacuatio, quæ potest esse, & non esse in hoc, & in alijs morbis: sed verè morbi pathognomonicum signum, & proprium illi quarto modo, & naturæ actio, qua nititur expellere nõ morbosum apparatum (*quia tunc symptoma esset*) sed veneficum seminarium: quo fit, vt interim dum id nititur, pulsus sint inæquales, ac parui, postea vero expulsis maculis meliores. Denique sicut rationale animali additum constituit hominem, ita veneficum contagium cuiuis febrium additum constituit hanc febrem, & eius specialissimam speciem: quippe est veluti forma, & integrum naturæ huius mali complementum. Mirari sanè paulo magis decet has excretiones, quantumcunque exiguas, & crebro tentatas, quas Hippocr. ac Galen. tanquam perniciosas damnant: nam in hac tanta creditur esse humorum malignitas, vt corporis vires ante debitum tempus ad expulsionem accingantur, nequeant tamen præ debilitate, quod conantur, perficere.

Maculę liuea tria demonstrant.

Quapropter tria sanè huiusmodi maculæ demonstrant, nempe *humorum sæuitiam, incendium, & feruorem*, non quidem ex calore, qui concoquat, sed ex eo, qui ebullitionem, & agitationem tantum moliatur. Demonstrant etiam deterrimam qualitatem putredini adiunctam, quia vires coguntur ante tempus vacuationem posterius futuram inutiliter tentare. Tertio docet exiguas virium opes, quæ nec resistere insultibus huius mali, nec inceptum opus perficere valẽt. Quæ omnia proculdubio malignam subesse febrem commonstrant, eoque maligniorem, quo maculæ deterioris fuerint conditionis: nam licet erumpentes analogiam contagionis ad sanguinem monstrent, nihilominus tamen tanto sunt deteriores, quanto perniciosi alterius putridi humoris consortium, ac prædominium signauerint: liuidæ enim, pallidæ, ac nigricantes frequenter conspiciuntur, nunc ante septimum, nunc post apparentes: quæ omnia latius exponere est in animo paulo inferius.

Maculæ plerunque in dorso, raro in pectore apparent.

Expendere tamen circa hoc signum oportet, plerumque huiusmodi maculas prope dorsum apparere potius, quam in thorace, etiamsi cordis primaria sit affectio: ratio quidem est, quia ductus arteriæ aortæ, & venæ cauæ dorso adhærent, à quibus facilè in dorsum prosilit damnum quoduis in corde, & eisdem vasculis inhærens.

Sanguinis è naribus stilla.

Sanguinis è naribus stilla (*præterquam quod Hippocrat. deterrimum esse signum in morbis acutis commonstrat*) proculdubio huius morbi naturam quodãmodo docet, præsertim si in principijs erumpat, ac etiãsi in maiori quantitate prosiliat: sæpè enim in hoc affectu docuit experientia, non solum stillam, verum & maiores sanguinis eruptiones in principijs factas, deterrimam morbi conditionem præsagisse: eadem proculdubio designat, ac maculæ per cutem erũpentes, ob easdem rationes. Quapropter (*licet sanguinis stilla certum non sit huius febris indicium*) vereri tamẽ oportet, dum huiusmodi eruptiones apparent, ne affectus aliquid veneni occultum obtineat, aut in malignum degeneret, ac id auxilijs præcauere, antequam sæuius prorumpat.

Inquietudo laborãtis.

Animalis quoque facultas tam solet à principio persentire huius deprauatæ conditionis contagium, vt certo eiusdem malignæ febris præsaga sit. Nã primo conspicimus huiusmodi laborantes inquietos esse, & molestè decubitum ferre, eosque omnis generis lassitudine defatigatos: cum hoc tamen quid peculiarius sentiant, minimè exprimere valent: quod profecto signum, euidẽtissima est huius venenosę febris nota. Ratio sanè est; quia cum maligna caussa citra manifestam qualitatem operetur, sentiunt quidem laborantes molestiam, rationem tamen, licet mente constet (*quia nondum à principio putredo inualuit neque febris*) reddere nequeunt.

Syncipitis grauis dolor.

Accidit quoque hac febre affectis syncipitis grauis, & molestissimus dolor ob ascendentes halitus, qui cum ex maligna eleuentur putredine, etiã à morbi principio (*quod in alijs febribus putridis raro accidit*) vehementer affligit, ita vt mœstos esse huiusmodi laborantes contingat, ac sæpè vocem fugientes ob eam, quam maligni illi halitus protinus inferunt imbecillitatem. Cui signo si quis aliud ex prædictis adiungat, & exactè consideret, facilè in notitiam huius defectus deueniet: Sapiunt quidem hi dolores venenosam conditionem, & ob id Hippocr. *lib. prædictionum, & lib. de Coacis prænotionibus*, lethale refert esse signum, quod ex propria natura capitis dolor obtinere nequit, nisi ex venenosa caussa principium nanciscatur: inquit enim idem auctor locis citatis: *Capitis dolores fortes, & continui cum febre, siquidem lethalium*

signo-

signorum quid accesserit, perniciosi valdè sunt: dixit vero secundo loco: *Capitis dolor pertinax cum febre acuta, & alio signo maligno, lethale est.* Ex quo constat, huius febris esse certum indicium, siquidem semper illi adiungitur aliquod signum malignum, quibus facilè monstretur febris natura.

Vigiliæ, & insomnia.

Item patiuntur qui hac febre correpti sunt vigilias, & insomnia propter easdem caussas: quæ profectò alijs febribus putridis accidere solent, crescente, aut vigente solum. Vnde coniectabile est, non posse hæc accidentia in principijs adesse, nisi mala qualitas occulta, & venenosa illis principium præstet. *Præterea,* si aliquando somno corripiuntur, turbulentus est mille imaginibus, in quo etiam laborantes adhuc primis diebus delira loquuntur, & postquam ab eo excitantur, deterius se habent, nam intensius febricitant, sitiunt, corpore dolent, & confringuntur. Quæ proculdubio demonstrant venenosam subesse qualitatem, longè diuersam à communi putredine.

Deliria.

Alij item primis diebus somno corripiuntur, & excitati delirant, donec caliginosior ille, & crassior halitus spirituum animalium non euanescat. Quod profectò in his *(præterquam quod affectus malignam naturam monstrat)* grauioris mali solet esse signum.

Manus tremula.

Plerisque primo die manus tremunt, nulla alia sanè caussa, quam venenosa qualitate à putredine diuersa, quæ caput irruit. Nam in his, quibus sola putredo caussa existit, minimè possunt huiusmodi accidentia intra tres, aut quatuor primos dies apparere, ni illis aliud malignius adiungatur, quod caussam ante tempus præstare possit, & primo morbi accessu robustissimas animalis potentiæ vires deijcere.

Tristitia insolens, iactatio, inquietudo, impotentia.

Præter hæc omnia reperitur in omnibus ferè hac febre affectis insolens tristitia, totius corporis inquietudo, iactatio, & vniuersalis quædam impotentia, quæ nullis vsquam morbis incipientibus accidere visa est: Quapropter dum hæc conspiciuntur, etiamsi febris mitis primo accessu appareat, tanquam venenosus iudicandus est affectus, & eò magis, quò febris remissior fuerit.

Obseruatio.

Velim tamen in hac re monitum lectorem, ne intelligat in quouis laborante necessum esse, simul signa hæc omnia apparere, sed sufficere sæpè vnũ, duo, aut plura, prout magis viget in laborantis corpore vna, aut altera huius affectus caussa, aut facultas læditur magis hæc, quam illa, aut membrum illi subseruiens: nam ab his tribus caussarum generibus mira hæc signorum varietas proficiscitur.

De signis prognosticis.

Fallacissima huius morbi conditio hoc habet proprium, & peculiare inter alios omnes corporis humani affectus, nimirum quod signa omnia *(quæuis ea sint)* nec semper possint bonum portendere, etiamsi optima sint, nec malum, etiamsi mala. Quapropter incertum est in maligna hac febre præsagiũ omne: nam & pulsus, & vrina, & sudores, & alui excrementa, siue immodicè fluant, siue supprimantur, & alia denique vtcunque eueniant, vtrique euentui, felici nimirum, aut infelici, inordinatè accidere solent: ita vt non minus visum sit, & sudoribus, & bonis vrinis, & optimo pulsu, ac alui fluxibus homines perire, quam eisdem signis perniciem indicantibus sanos fieri. Quamobrem considerandum est, quid habeat vnumquodque proprium, & peculiare ad præsagiendam salutem, quidve ad mortem. Cuius rei gratia præmittere oportet, vt præsagire certò possimus salutem, vni signorum fidendum non esse, etiamsi suaptè natura eam designet, modo pulsus, modo vrina, modo quoduis ex alijs sit, dum cætera omnia perniciosa existunt. Neque rursus sat est vnum signum salubre esse, cæteris veluti nihil monstrantibus, nec bo-

Præsagiũ in malignis incertum.

Signorum vni fidendum non est.

num, nec malum: nam suspectum est, ad prædicendam salutem, nisi alia simul idem attestentur. Præterea neque solum sufficit ad certum salutis præsagium plura ex malis signis delitescere, cæteris adhuc perstantibus, quin potius hæc contingere perniciosum sæpè est: docet namque naturam illa ex parte esse subuersam, potius quam morbum debellare: nam morbi cuiuslibet ratio vnica est, ob id vbi semel alicui natura dominetur, ni malignus fuerit, in omnibus victrix euader, quod vbi non consequitur, lethale est signum, quia arguit occultum morbi venenum.

Malignæ febris præsagium, si morb' adstrictus.

Primum igitur signum, ex quo aliquid ad prædicendum venari possumus est, morbum eo esse adstrictũ, & conclusum, vt nihil notatu dignum laborans excernat. Quod quidem signum bifidum esse potest, hac lege: dum enim incipiente, aut crescente morbo nihil excernitur, naturam adhuc vincere *(siquidem non irritatur à morbi malitia ante debitum tempus)* & separaturam coniectabile est, præsertim si nulla subest nota decubitus humorum ad caput, ventrem, aut aliam ex præcipuis partibus. Verum vigente morbo nihil excerni, sed signa in aliquo membrorum principalium deteriora apparere, signum est, aut morbum diutius duraturum, aut dubiam admodum præstaturum salutis spem: namque sperandum est, materiam, quam plurium dierum spatio natura deuincere non potuit, aliquod grauius damnum in eodem membro effecturam, vt passim de phrenitide, & lethargo post vndecimam, aut decimam quartam diem cõtingentibus conspicitur, quas difficulter, aut nusquam deuincere vllis remedijs possumus.

Malignæ febris præsagium ex sudore.

Nec ob id credendum est, omnem in hoc affectu vacuationem, licet cum signis fiat coctionis, aut alijs optimis conditionibus, salubrem prorsus futuram: nam sudor etiamsi requisitis accidat conditionibus, & adhuc in die decretorio, raro solet ex toto hunc affectum iudicare, quinimo primo die ex sudore febris remittitur, cæterum corpus deinceps, & accidentia grauius se habent, postea vero aduenientibus alijs sudoribus, licet sint in diebus criticis, succumbit facultas, & in medio sudoris deficit laborans. Ratio quidem potissima est, quia venenosa illa qualitas tam est immersa toti materiæ, vt etiamsi per sudorem tenuior pars exsoluatur, *(quod nequit fieri in venenosis humoribus citra facultatum dispendium, & laborem)* manente tamen crassiori, efficacius prosternantur potentiæ, ac facilius succumbant: quamobrem solis sudoribus fidendum non est, sed si à primo sudore, aut saltem à secundo laborans ex toto non euaserit, corpus pharmaco purgare oportet, vt quod crassum, & venenosum à sudore superest, trahenti pharmaco excernatur. Obseruatione etiam compertum est, longè vtilius esse, si frequentibus sudoribus æger à principio corripiatur *(dum modo ex sudore non se deterius habeat)* namque signum est, naturam paulatim materiam attenuare, & per sudorem excernere. Nec est idem inconueniens, ac in sudoribus criticis, nam venenosa qualitas in interuallo inter vnum, & alterum sudorem fixius materiæ adhæret, & grauius efficit malum. Cui sanè damno locus non datur frequentibus sudoribus. Nec ob id credendum est, in hac febre nusquam prodesse criticos sudores, nam quo minus venenosæ qualitatis obtinuerit febris, eo magis prodesse poterunt, vt in omnibus alijs febribus, quæ ex humorum putredine concitantur. Expẽdisse quoque in hac re oportet, quod qua ratione in augmento sudores multi, *vt dictum est,* sunt laudabiles, eadẽ in statu sunt perniciosi, & frequenter eisdem laborãtes moriuntur: nam arguunt nullam, aut quàm minimam præcessisse humorum elaborationem, & facultatis esse maximum dispendium, & similiter solidarum partium, citra quæ profectò status nequit optimum efficere iudicium, quapropter laudabilior est

eo tempore subita vacuatio, præsertim si reliquis tem poribus motibus fuerit adstrictus, qua verò lege sudo res habeant morbos finire, dictum est lib. nostro *de indicatione auxiliorum.*

Malignę febris præ sagium ex alui fluxu re. Accidit sæpissimè huic morbo alui fluxus, diuersis tamen morbi temporibus, & diuersa omnino proute niens ratione: nam quod nulli morborum vsquam contingere visum est, huic soli euenire frequentissi mè conspicitur, nimirum in principio affectus salu briter aluum fluere: quod etiam aliquando esse letha le signum, obseruatione constat. Rursus præmissa suf ficienti coctione, visum est alui fluxum laborantem perdere, nonnunquam vero liberare. Quam sanè va rietatem diuturnam obseruationem commonstrasse viris in hac re peritis compertum proculdubio est. B Ex quibus constat, quam sit difficile ex alui fluxibus quicquam certum, & fidum posse proferre: quamo brem oportet prius varietatis rationem exquirere (*quod maximi ad curationem esse momenti censeo*) de inceps modum, quo certum possimus proferre in hac re præsagium. Est sanè caussa rationi admodum consona, proculdubio diuerso longè modo se habe re morbum, in quo plus viget venenosa, & deterri ma qualitas, quam humorum putredo, ac se habet is, in quo pestilentis conditionis minus est, cæterum pu tredinis, & morbosi apparatus magis: nam morbus, in quo venenosa qualitas pollet, quo magis à princi pio per alui fluxum prolabitur materia, securior est, C Ratio sanè euidentissimè constat, nimirum quia ma teria, cui venenosa qualitas inest, subijciturque (*ante quam, aut vniuersos fœdet humores, aut facultates labe factet, aut radicitus cor, aut quoduis aliud membrum princeps apprehendat*) ab eadem irritata natura proti nus excernitur, & quò magis euacuatur, eò citiùs, quod superest, à natura euincitur: quo fit, vt prædi ctis malis nullus sit locus. Neque obest, naturam non concoxisse, & ob id inutilem esse in principio vacua tionem, nam venefica qualitas, licet alijs medijs cor rigatur, nusquam tamen, aut rarò per coctionem: & ob id sanitati restitutos ijs vacuationibus in huius morbi principio factis, plures frequenter cõspicimus. At cum ex humorum putredine maiori ex parte mor bus oriatur, deterius se habent hi, quibus aluus à prin D cipio soluitur: Ratio quidem est, quia aut grauatam, aut irritatam vitio humorum commonstrat naturã, ita vt præ turbatione, distractione, inquietudine, & adbuc copia deinceps speretur commisso negotio nõ sufficturam: nam quæ plurimum ad putredinem mo uentur, magna egent coctione, quæ ob prædictas cau sas humori non conceditur, & ob id auctores docẽt, malum ex huiusmodi vacuationibus prædicere: se cus res se habet, vbi putredinis parum adiungitur: nã etiamsi vacuationibus in principio factis turbetur natura, cum hoc tamen sufficit coctioni illi, quam in parua putredine obitura est. Prætereà ex his rationi bus constat, signis coctionis adbuc apparentibus, & morbo prope statum, aut in ipso existente, alui fluxũ E sæpè futurum perniciosum: nam cum venenosa quã litas toti materiæ (*cuius per aluum nihil est purgatum*) immersa est, & præ temporis mota præcipuis mem bris communicata, fit facilè, vt etiamsi putridus hu mor quodammodo coquatur, atque excernatur, ex qualitate venenosa fixius impressa, & operante, quæ coctioni non obsequitur, laborans pereat, etiamsi a luus fluat: quod frequenti est experimento confirma tum. Ratio potissima est, quia huius febris venenosi tas coctos, & incoctos hnmores apprehendit, & ob id multi cum signis coctionis manifestis, & perfectis commoriuntur: sicut constat plures euasisse, in qui bus minus erat venenosæ qualitatis, & humoris pu tridi magis, quos cum superasset natura, & nihil vene nosum occultum superesset, vtiliter potuit, ac tuto ex cernere: quibus sanè rationibus fit manifesta prædi

cta varietatis ratio. Cæterum bonum, aut malum ex alui fluxu quouis tempore accidat, prædicere certo poterimus, in medium adductis alijs venenositatis maioris putredinisue signis, *quorum abundè superius meminimus*, & collatione facta, facilè erit præsagium salutis, aut mortis proferre, eo modo, quo dictum est, adhibito in considerationem, quod in his, in quibus putredo viget, febris est intensior, pulsus maior, & ve hementior, & qui, facilè dilatatur; contrario vero modo, vbi venenositas pollet.

Malignę febris præ sagium ex vrina. Vrina quoque suam etiam futurorum notam præ stare habet, namque si crassa, rubea, spissa, ac turbi da perseuerat, neque vllis auxilijs mutatur, grauis est, & periculo plena: quæ verò subitò calorem, & sub stantiam mutat, non minus est periculosa: decubitũ enim humorum ad aliquod membrum princeps cõ monstrat. Sic tenuis, & quæ subitò plurimum turba tur, maximum feruorem, & periculum monstrat: sed deterius est tardius turbari; indicat enim vehemen tiam venenosi contagij, magnum fecisse apparatum clàm, & lentè: sic fœtida graue etiam malum signifi cat, ac ea, quæ circulum habeat variegatum, aut alte rius coloris: & vtcunque sit, subita vrinarum muta tio, siue ad bonum, siue ad malum, vbi cætera non consentiunt, verenda est. Item sedimentum simile sanne, licet sublime sit, aut aggregatum, periculosum est: & qualecunque sit, si apparet, & delitescit. Item vrinæ substantia tenuis, aut crassior, & minuta eius quantitas, præsertim prope statum, grauẽ impendere periculum monstrat: cui etiam adiungitur tanquam summè perniciosa vrinæ suppressio, quam *lib. 1. prædictionum prope finem* damnauerat Hippocr. Verùm deterius in hac febre est, nimirum, quòd his, quæ di ximus, contraria non semper neque tutò bonum si gnificare possunt: quamobrem alia signa conferre oportet, & ex omnibus simul collatis iudicium eli cere.

Malignę febris præ sagium ex pulsu. Pulsus verò æqualitatem, & tenorem seruans, licet febrem maximam repræsentet, spei semper salutis ali quid præstet, sicut contrarium inordinatus, inæqua lis, & contractus, præsertim si à principio debilis ap pareat: damnauerat enim Hippocrat. imbecillitates principio factas, citra manifestam vacuationem, di xit enim *lib. de Coacis prænotionibus: Qui præter ratio nem, nulla existente vasorum euacuatione, impotentes fiunt, malum; non æquè malum, si crescente morbo id ac cidat*, ex turbatione enim & naturæ motu ad propel lendas maculas prodit, sed deterior prope statũ, mor bus enim ostendit supra vires victoriam.

Ex tremo re lingua. Tremula item lingua, & manus tremulæ, tãquam maximi mali præsagium damnantur ab Hippocrat. *lib. 1. prædiction.* Inquit enim: *Lingua tremula signum est mentis non firmæ*, qua sanè parte multa adducit Hippoc. signa, quæ maximi momenti sunt ad præsa gitionem in hoc affectu.

Ex deli rio. Perseuerans quoque delirium perniciosum est: nã febrem hanc degenerare in veram phrenitidem mõ strat, quantumuis leue videatur.

Ex macu lis, quæ in cute appa rent. Ex maculis quoque multa licet diligenti Medico, & nosse, & prædicere, facta prius coniectura ex tem pore apparitionis, & copia, & ex colore macularum. Contingit enim frequenter, tertio, aut quarto die ma culas apparere, quod grauioris mali solet esse signũ. Nam ostendit maximam esse sæuitiam, & veneno sitatem humorum, quæ antequam coctionem natu ra aggrediatur, eam ad expulsionem lacessit. Cæte rum frequentius septima die prorumpere solẽt; nam omnibus anteactis diebus conatur natura, vt ex lege habet, coctione humores frænare, quod cum perfice re nequeat, in vacuationem illam minutam prorum pit, nitens id, quod ex feruore tenuius, & fortasse de terius est expellere. Nam id etiam conatur, dum can dem expulsionem tentat primis diebus, malitia hu

motis,

motis, tenuitate, aut pondere ante statutum tempus A irritata.

Macula morbillorum, & variolarũ quid differant à maculis pestilentialib.

Quò fit, vt constet differentia non leuis inter morbillos, & variolas, ac huiusmodi maculas: nam duæ primæ vacuationes signa proculdubio sunt indicij, & vt signum, & vt caussa salutem commonstrant: nam & vacuationes sunt quantitati, & qualitati caussæ affectus respondentes, & debito tempore factæ, ac ob id statim vt prorumpunt, subsidet febris, & mitescit. Cæterum maculæ in hac febre apparentes, vt signum, & vt caussa deterrimæ sunt. *Primò*, quia efferuescentiam monstrant, irritamentum, & impotentiã ipsius facultatis. *Secundò*, quia huiusmodi excretio nõ correspondet copiæ, nec naturæ morbosi apparatus: quo fit, vt nisi protinus aluus erumpat, perniciosissimum sit *(quod in variolis malignitatis erit signum, & ob id summè perniciosum)* ratio est, quia vacuatio illa non satisfacit naturæ, & morboso apparatui, & ob id mille in locis damnatur ab Hippocr. & Gal. Quæ omnia, & omnium caussas, & nosse, & distinguere facilè erit, si quis diligenter accidentium naturam intueatur, nam humorum acrimoniam ostendunt angor, exsolutio, anxietas, & viscerosa lassitudo, vrina tenuis, cæterum colore intensa: copiam vero, pulsus varietas ex magnitudine, & paruitate constans, oppressio, lassitudo grauatiua, & vrina rubea, densa, ac confusa. Venenositatem quidem ostendit animalis potentia ab omni læsione immunis, vitalis vero omni vitio affecta, crebris intermissionibus intercepta. Quibus parum in principio affectus cessantibus, malus licet formidare periculum, signum sanè, deuictã naturam à pugna desistere. Quamobrem haud immerito, & mox apparentibus maculis, grauius licet periculum pronunciare: si verò postea apparuerint, non minus damnum ostendunt, licet diuersa ratione, nam maculæ quæ nona, aut vndecima die apparent, humorum indicant crassitiem, quam vbi obsederit venenositas, difficillimè proculdubio *(cui aperi necessaria est diuturnior temporis mora)* euincere vllis ingenijs poterimus: neque natura breui tẽpore *(quod prærequirit morbus acutus)* superare, & expellere poterit: cutis etiam densitatem monstrant *(modo ex propria corporis constitutione, modo ex hyberno frigore sit)* quod in his affectibus, in quibus maiori opus est ventilatione, grauius est periculum: neque ob id credendum est, periculo vacare, si septima die, aut prope ipsam apparuerint, sed alia signa salubria illis adiungere oportet. Docet quidem Fracastorius: *deterius esse, si plures appareant maculæ, ac salubrius, si quam paucissimæ.* Quod sanè nec temere esse repudiandum, aut admittendum censeo: nam licet eius, quod venenosum est, vtilius sit, copiosiorem fieri vacuationem, cũ hoc tamen timorosum est, tantam subesse venenosæ caussæ copiam, quod necessum sit, magnam, & citatiorem fieri vacuationem: periculum enim est, ne tãto malo succumbat facultas. *Præterea* licet ex macularum paucitate minus venenosæ materiæ inesse, eàque esse benigniorem liceat colligere: tamen minutas prauorum humorum vacuationes, multis modis damnauerant Hippocr. & Galen. & ob id suspicor, eas esse in hoc morbo aduersus Fracastorium damnandas. Verum cum hoc alia signa licet considerare, ex quorum omnium collatione, dum omnia, aut plura simul malum attestantur, id licet prædicere, secus vero si bonum. Verum quod ex macularum coloribus certissima coniectura licet prædicere, constat: quia hoc signo facilè venabimur, ad quem ex humoribus babeat analogiam venenosa illa qualitas, & pro ratione conditionis humorum licebit bonum, aut malum prædicere, & ob id, quæ in purpureum rubescunt, minus sunt periculosæ; grauiores, quæ alium quemuis colorem sortiuntur; grauissimæ tamen quæ nigræ, aut liuidæ sunt, inter quas omnes, quæ magis cutem eleuant, minus sunt periculosæ, sicut graue est mox ab exitu delitescere, aut lentè prorumpere, aut sanguinem veluti concretum representare.

Est quoque non mediocris periculi signum, quædam signa ex malis cessare, quædam fixa persistere, aut crescere, argumento est naturam ea parte, qua accidentia cessant, deuictam esse, & postmodum omni no casuram, præsertim cum accidentia, quæ supersunt, alicuius membri præcipui sunt.

Malignæ febris præsagium ex colore sanguinis extracti.

Malum quoque signum est, & timore plenum, dũ sanguis vena scissa extrahitur, nullum præsefert vitiũ: nam euidens est argumentum, affectum habere plus venenosæ qualitatis, quam putredinis; aut putredinẽ B esse prope cor sitam, præterquam quod facultatem plurimum prosternit, laudabilem sanguinem in mortis extrahere.

Ex remedijs non à principio adhibitis.

Experientia, & longissima obseruatione confirmatum est, non solum caussam, sed signum esse periculosissimum, remedia in hac febre à principio non fuisse adhibita. Nam præterquam quod Hippoc. consulat remedia esse in acutis morbis eadem die adhibenda, tardare enim in talibus, malum est, rei natura docet in his longè grauius esse, quia venenosa, & contagiosa qualitas sese magis non solum in humoribus, verum & in solidis corporis particulis insinuat, inseritque. Ex quo deinceps difficillimum est, malo resistere, & laborantes sanitati restituere.

Ex surditate laboranti superueniente.

C Quibus sanè signis aliud adiungitur, cui maximè fidere solent Medici, nimirum surditas laboranti superueniens: quam esse *lib. 2. de Coacis prænotionibus* dixit Hippocr. *fluxus sanguinis narium certum indicium, aut abscessus iuxta aures, aut fortasse alterius maioris mali*: Cum hoc tamen *lib. 2. popul. par. 3.* loquẽs de huiusmodi febre, tanquam certum salutis præsagium *surditatem* laudat, cæterum iudicio nostro, ob id dictum esse censeo, quia surditas cum præstatura est optimum signum, post alia accidentia sequitur, fortassis quia ea in surditatem degenerant, quod minus malum est: verum dum præcedit surditas, necessum est deinceps subsequi, quæ ex mente Hippoc. reputus mala, & longè grauiora, vt Galen. ex profes-

Surditas in malignis superueniẽs certum salutis præsagium.

D so docet *lib. 3. vulgar.* in historia Hermocratis, & in historia Philistis, & alijs plerisque illius loci historijs. Sicut plures alios enumerat ægrotos, qui surdi facti euaserunt, vt eodem lib. facilè quis videre poterit, in historia virginis, quæ decumbebat in sacra via in Abderis, & in historia Eropiti. Quapropter de surditate hac lege iudicandum esse censeo.

Alia signa.

Quibus sanè signis plura alia possem adiungere, sicut sunt difficultas respirationis (quæ quo difficilior apparet, eo grauius malum portendit) delirium tamen perseuerans, inquietudo, anxietas, angor, exsolutio, quæ licet idem videantur portendere, nonnihil differre constat. Somni etiam profunditas, & maxima malorum signorum perseuerantia, & à nullis auxilijs leuamen, & alia multa, ni hæc sufficere quæ potiora sunt, existimassem, & ob id breuitati consulens huius capitis hic facio finem.

E

De recta febrium malignarum curatione.

CVm id cuius gratia dicta sunt superiora omnia, curatio sit, paulo diligentius eam expendisse oportebit, præsertim cum præ huius febris nouitate nõ minus hæsitent, aut ignorẽt medicorum plures, quid certo agendum sit: quam circa eiusdem febris curationem, apud Italos Medicos dubitatum fuit, ab anno 1505. vsque in 1558. nam cum difficile sit vbique reperire virum aliquem doctum, & vsu probatum, qui cæteros doceat, quid in hac febre tanquam in nouo affectu fieri conueniat, & ob id sanè *(cum hoc morbus populariter ad tempus, & per diuersas regiones, & partes*

Errores in malignę curatione commissi unde.

partes grassetur) plures perijsse ex ignoratiooe constat. Auget quoque ignorantiam mira eius varietas, & mutabilis conditio, nam cum non semper ex eadē morbosi apparatus sorte proueniat, neque eadem omnino signa, ac easdem conditiones præ se ferat, ob id sanè decepti vulgares medici, & consilio destituti, quo nam modo curandi rationem variari oporteat, & quid semper, & eodem modo obseruandum sit, omnino ignoraotes, in turpes inciderunt errores. Placuit igitur vtilioris, & clarioris doctrinæ gratia, vniuersum hoc caput in tres potissimas partes diuidere:
1. quarum prima, *quid aduersus morbosum apparatum iam morbo iam suscepto, agendum sit*, docet, ea sanè certitudine, quæ ex ratione, & artis principijs, ac diuturna, & diligenti obseruatione haberi potest. Secunda,
2. *quid peculiarius prærequirat venenosa, & maligna huius morbi conditio*. Tertia verò & vltima docebit,
3. *qua arte certius, & securius compescere, ac mitigare variā, & monstruosam accidentium huius febris naturam possimus*, quæ proculdubio plus mali, ac maius periculū minari sæpius solent, quam morbus ipse: ao frequentissimè eum intendere habent. Quæ profectò si quis diligenter, & citra liuorem examinet, inueniet facilè multa, quæ sine dubitatione suspicor multis etiam esse profutura.

Vict⁹ maligna laborantium, tum forma, tum quantitate, tū qualitate, mediocris sit & quare.

Ante tamen, quam harum partium expositionem aggrediar, qua victus conditione vtendum sit, paucis absoluam. Porro in hac febre ea victus ratio seruanda est, quatenus ad copiam pertinet, quæ nec omnino multa sit, oec nimis parca: illud quidem, ne morboso apparatui plus materiæ succrescat, præterquam quod venenosa qualitas in maiorem materię copiam extensa plus damni citra dubitationem efficiet: hoc vero quia affectio suaptè natura attemperatione, quæ alimenti copia fit, corrigi gaudet: nam cum ex corruptione, & deterrima qualitate constet, ob id cibis mitescere, & attemperare eam decet. Quamobrem mediam omnino victus rationem in quantitate, & substantia asseruare oportebit, idque ferè toto morbi tēpore: nam etiamsi in morborum principio vberiùs sit agendum, vt æger sufficiat, in hoc tamen affectu paulo inferius esse subsistendum, consulit ratio dicta: ac licet in statu, & in accidentium vehementia decretum sit ab Hippocrat. à cibo abstinendum esse, cum hoc tamen eadem est vtendum medioc rītate, quæ attemperationi, & mixtioni venenosæ substantiæ sufficiat *(licet plurimum dare, aut quantum venenosus humor ad sui temperationem exposcit, interdicat morbosus apparatus, in copia maiori situs)* siquidem ab eisdem vt plurimum omnia accidentia prodire compertum est, mediocritas enim omni extremorum damno subuenit, & fortasse omnia compescit. Qualitas vero victus, oec plurimum humecta sit, ne fomitem putredini præstet: nec plurimum sicca, vt possit attemperamentum, & extinctionem venenoso spiritui præstare. Quamobrem vsu, & ratione constat, *pullorum, aut gallinarum iura*, & *carnes* plurimum prodesse. Verum quia vetitum est in pestilentibus febribus iurulentis plurimum vti, decretum est à plerisque Medicorum, eis addere *acetosi alicuius succi* nonnihil, qualis *agresta* est, aut *limonum, arantiorum*, aut *aceti parum*. Quod si elixæ carnes tædium pepererint, *pullis gallinarum*, aut *perdicum assis*, aut *saxatilibus piscibus* cum *succo acetoso* aliquo, aut *sale conditis*, vti aliquando poterimus, dummodo iuris aliquid non desit, quod & attemperamenti, & alimenti gratia plurimi faciunt Medicorum doctiores, præsertim si coquatur *lactucis, scariolis, borraginis*, aut *oxalide*.

Fastidio, & inappetentię quomodo occurrēdū.

Cæterum quia plerumque hac febre affecti implacabili fastidio premuntur, primò sumere oportet, aut *oxalidem* ipsam cum *modico saccharo*, aut *lactucam cum aceto*, aut *arantiorum acidorum*, aut *dulcium carnes*, nec non & *malorum punicorum grana*, præsertim A *acida cum modico saccharo*. Ex quorum succo parari solent sallamenta gustui gratissima ad appetitum cōparandum: sed longè grauiora, & vtiliora fiunt ex *oxalide* trita, & dissoluta modico *aceto*, & *saccharo*, prętérquam quod *limonum succus*, & *arantiorum* id quoque præstare potest. Quod si cibi inappetentia, aut abominatio id iure postulauerit, ad alterius sortis cibaria transire consulit rei necessitas: ob id *pane loto ex amygdalarum lacte*, aut *aqua chalybeata ex auro*, cum *modico saccharo*, & *agresta succo*, aut alio *acido* vtendum est. Item præbere oportet *sorbilia oua*, & *saxatiles pisces* cum *succo limonum*, *olera elixa*, & alia huius sortis, fugientes quæ tenuiora sunt, ne facilè in putredinem degenerent, & quæ crassa, ne cruda supersint. B Quorum omnium sanè, exceptis carnibus, aliquo vti in cœna æquum esse constat, dum id in minori exhibeatur copia.

Potus.

Potus vero multi à Medicis probantur; cæterum vtiliores parantur ex aqua cum *radicibus scorcioneræ*, & *modico cinnamomo feruefacta*, aut leuiter decocta, additis guttulis aliquibus *aceti*, aut *acetosi alicuius succi*, aut *iniecta mica panis leniter torrefacta*. Prodest quoque ex *hordeo*, & *modico saccharo* cocta: sed quæ mihi & gustui gratior, & affectui multis modis vtilior vsu, & ratione comprobata est, conficitur ex *nitidissima aqua sępius chalybeata frusto aliquo auri*, quam tanquam maximum præsidium semper magnifecimus.

Aqua auro chalybeata in potu maligna febri laborantibus vtilissima.

Vinum fugiendum.

À vino quidem abstinendum omnino esse, nemo sanæ mentis addubitabit, nisi gratia alicuius accidentis, C veluti subitus est virtutis casus, atq; id cum præmeditatione, ita vt vinum sit & ὀλιγόφορον, & maximè dilutum: nam sæpissimè fallit hæc affectio sub specie imbecillitatis, quæ profectò ex malitia humoris, aut veneni feritate prodit potius, quam ex frigida distempere spirituum, aut solidæ substantiæ defectu, quæ in declinatiooe subesse solēt potius, quam morbo incipiente, aut vigente.

Somnus.

De somno expendendum est, grauissimum esse, mox à cibo, aut incipiente, crescenteve accessione, sicut à potu tempestiuè exhibito, hoc est, inclināte quodammodo caloris feruore, aut in maiori accessionis inclinatione semper proficuum. At duio venenum præualuerit, plurimum dormire noo decet, oe fiat re- D trocessus veneni ad interna.

Animi perturbationes inimicissimę.

In animi vero perturbationibus sciendum est, eas esse huic affectioni inimicissimas, ob idque vitandas, & bona spe laboraores alendos: hilarique animo timorem, ac tristitiam distrahere oporter: quod suspicor in hac re esse magni momenti.

Prima curationis indicatio ab apparatu morboso sūpta.

QVatenus verò ad primum curationis membrū pertinet, constat ex huios febris natura *(quam superius satis superque expositā esse censeo)* primam potissimamque morbosi apparatus rationē sanguinem esse: idque constat ex analogia inter venenosam E huius febris conditionem, & sanguinem ipsum, vt apertissimè ex maculis semper erumpentibus rubris constare arbitror. Itaque licet non semper sanguis morboso apparatui vniuersam materiā præstet, *(sed aliquando pituita, nonnunquam melancholia, & sępius flaua bilis, ac iudicio nostro sępissimè omnes simul, sicut simul omnes putrescunt in putredinis loco, ex concepta simul in altero putredine, quę ob insolitam malitiam protinus alijs fit communis)* semper tamen ipse venenoso spiritui materiam substernit, ac primo ab incepta putredine efferuescit, ita vt siue pituita, siue bilis flaua aut atra putrescant, semper sanguis in hac febre illis comes it: quamobrem ad rectam medendi rationem inspicere conuenit, & sanguinem, & humorem, qui putredinem excipit. Ob id quidē in humoribus morbosum apparatum præstantibus quatuor præ oculis semper habere oportet. *Primum* humoris naturam,

In humorib⁹ morbosum ap

paratum praestantibus quae consideranda.

Malignae febris curatio a missione sanguinis non a seligente purgatione auspicanda, nisi adsint cruditates ventriculi.

secundum quantitatem, *tertium* conceptam qualitatem, putredinem, aut vitium quoduis, *quartum* vero motum, seu impetum, quo humor solet moueri, & in aliquod membrum irruere. Circa primum expendisse oportet, cum humor, cui primo venenosa qualitas inhaeret, sanguis sit (*licet non semper primò putrescat*) huic primo succurrendum esse, antequam, aut tota sanguinis copia venenosa qualitate corripiatur, aut putredinem subeat: nam etiamsi humoris peccantis, & putrescentis natura plurimum sit biliosa, atque manifestissimis signis, & accidentibus cognita, cum hoc tamen posthabita eius indicatione, sanguini primò prouidendum est, in recta medendi ratione à sanguinis detractione, minimè vero à seligente purgatione (*quam alijs acutis febribus concedere non est abs re, vt in libro nostro de communi, & peculiari praesidiorum indicatione abundè diffinitum est*) ne cõmotione, & efferuescentia facta, vi trahentis medicamenti in vniuersam sanguinis massam penitus sese inserat, ac insinuet in omnem eiusdem copiam venenosa illa qualitas: cum hoc tamen vbi compertum fuerit plurimum subesse crudi alimenti in ventriculo & primis venis, non dubitarem *cassia*, aut *manna*, aut *syrupo ex nouem infusionibus* primam regionem primò expurgare, praesertim si medicus prima die accersitus fuerit. Verum si temporis angustia id non permiserit, aut laborans optimè se gesserit in victus ratione, ex qua certum sit, non superesse quid crudum in primis venis, mox à *clystere* sanguinem extrahere oportebit, indicatione sumpta (*vt ad pensum redeam*) ab humore, cui primò maligna qualitas inest: atqui cum is sanguis sit, compertum est, ipsum protinus detrahendum esse: tum propter adductas à me rationes: tum verò vt putredini caeterorum humorũ prouideamus, quod nullo alio auxilio commodius fieri potest, quam sanguine misso, vt constanti auctorum omnium assertione manifestum sit.

Sanguinẽ mittere in maligna febre an expediat.

Cuius auxilij gratia dubitare primò oportet, *an expediat, & quando, ac si tempus opportunum fuerit, aut maculae iam apparuerint, quid agendum, quove substituto vtendum sit.* Circa primum asserimus citra vllam dubitationem, idque multis rationibus, sanguinem in hac febre mittendum esse: tum quia febris de genere est putridarum, cui nullum aliud auxilium vtilius adinuenit Galen. siquidem omnibus putridis sanguinem esse mittendum protulit: tum vero, quia morbus maiorem occasionis partem ex putredine ab apparatu morboso orta originem traxit, cui & ventilationis, & vacuationis gratia proficuam, quinimo necessariam esse sanguinis detractionem, vnanimi consensu viri omnes docti fatentur: tum vltimò, quia cõtagioni substrata primò materia sanguis est, quem minuere, antequam ex toto vitium susceperit, prophylacticum, & curatiuum dici quodammodo potest: si quidem minus veneni superest sanguine misso, ac per consequens ferè sola communis putredo citra veneni contagium, à qua faciliùs sese expedit natura: quo factum est, rationi esse consonum, & perpetua obseruatione verum, eos, qui sanguinis missionem neglexerunt, spurcissima putredine, & venenosa, quae nullis vsquam remedijs cedere voluit, miserè perijsse, quia & vniuersus sanguis, & omnis eiusdem massa veneni contagio eo conspurcata est, vt omnia, quamuis maxima, & rationi consona, contemnat praesidia. Quibus rationibus, & alijs adhuc in verè pestilentibus febribus à doctissimis medicorum adductis, quas breuitatis studio praetermitto, tanquam firmum, & stabile praeceptum censeo, sanguinem esse citra dubitationem mittendum, ex altero, aut vtroque brachio vena basilica scissa: nisi in foeminis apparentibus, aut deficientibus menstruis, quo tempore tutissimum est consilium ex vena tali interna copiosiùs sanguinem mittere. Mouet praeterea secunda dubitatio, *quando* *id fieri oporteat.* Quod sanè auxilium mox à primo die vtilius est fiat: quinimo necessarium: nam praeterquam, quod putredini est etiam proficuum plenitudinem deponere, ne vltra pergat, quò citius sanguinis copia minuitur, eo minus venenosa euadit morbosa caussa, quae superest. Nam si sanguis vniuersus venenosam semel corruptelam susceperit, quò plus eius deinceps extrahitur, eò grauior, & periculosior euadit affectio: quia ocyssimè vires labuntur, tum sanguine misso, tum maiori, & sordidiori omnium humorum putredine. Ex quo sanè promulgatum fuit in Hispania primo huius morbi accessu apud plerosque Medicorum, in eius curatione non esse sanguinẽ mittendum, ex eo sumpta occasione, quia misso sanguine deterius se habebant laborantes. Quod suspicor accidisse, quia eum negligenter à principio laborantes tractassent, nullum sanguinem mittentes, decepti febris apparente paruitate, deinceps tamen crescentibus putredine, & febre, sanguinem mittentes, dum vniuersus erat veneno affectus, in grauissima mala, & mortem deduxerunt laborantes. Ob id quidem necessum est statim à primo die sanguinem detrahere, vt deposito onere, & diminuto apparatu, minor sit materia, cui contagium inhaereat, & robustior euadat natura ad debellandum: nam deinceps totũ negotium illi est citra turbationem magni alicuius auxilij committendum: quod proculdubio solet esse felicissimi euentus potissima caussa.

Sanguinẽ ĩ maligna mittere quãdo vtilius.

Sanguis semel, aut bis mittẽdus in maligna.

Nec desistendum protinus est à sanguinis missione, semel, aut bis sanguine misso, donec sufficiens quantitas extrahatur, etiamsi prima sanguinis extractione laudabilis conspiciatur, & ruber: nam si vires constiterint, secundo, & tertio, & sępè quarto venam scindere oportet, donec aliquid eius, quod in minera putredinis continetur, extrahi conspiciamus, antequam illud reliquum sanguinem cõspurcet, & vitiet. Verum licet hoc firmum, & stabile sit, quatenus ad morbi rationem, & apparatum attinet, maximam infert haesitationem id, quod secundo loco dubitauimus, nimirum, si tempus principij negligenter, aut voluntariè praeterierit, nullo sanguine misso, quo subsidio eius loco vtendum sit, praesertim maculis iam apparentibus: cum succrescit alia consideratio, videlicet dum corpus imbecille admodum est, modo sit ex morbi malitia, modo ex alia quauis caussa, (*dummodo ex plenitudine non sit, nam ea existente, nulli dubium est, quin sanguinem protinus mittere oporteat*) quid agendum sit, cum in his sanguinis detractione vti tutò non datur. Iuxta primam dubitationem non desunt, qui refractorio, & peruicaci animo nitantur defendere, maculis apparentibus non licere amplius sãguinem detrahere vena scissa, etiamsi plenitudo subsit, ne retrocessus fiat materiae illius venenosae ad interna viscera, & cor, credentes semper, quo natura vergit, esse ducendum: quasi illud fuisset verum iudicium, ac cutis conueniens regio, crassis, & crudis humoribus expurgandis: & rursus quantitas macularũ sufficiens euacuatio pro humoris peccantis quantitate: & item principium tempus idoneum ad crisim perficiendam, ac denique expulsio illa opus naturae rectè operantis.

Sãguinis missione neglecta ĩ maligna febre, quo subsidio eius loco maculis apparentibus vtendum.

Atque praeter haec omnia (*dimitto etiam penè innumera Hippocratis, & Galeni loca, quibus diminutam uacuationem, & damnant, & suppleri iubent*) tantum abest, vt retrocessus fiat macularum vena scissa, quod nullo auxilio promptius, neque securius possent plures ad cutem trahi, quam deposita, quae naturam grauat plenitudine, nam deinceps, *vt apud Galen. fertur*, potentior euadit supra residuum. Ratio in promptu est, nam si huiusmodi expulsio naturae est actio, quò quantitas fuerit minor, & natura robustior, eò feliciùs excernet: quo fit, vt id, quod irritata prae copia nõ valuit pellere, deonerata promptissimè excernat,

Re-

Retrocessus namque tantum fiet interioribus partibus humore conueniente destitutis, & depauperatis; sed plenitudine adhuc deposita sufficiens quantitas superent, ita vt vasa neque appetitu, neque indigentia, quod semel tanquam inutile transmiserunt, amplius trahere conentur. Praeterquam quod plus mali efficiet plenitudo existens, quam retrocessus macularum, quia existente in corpore plenitudine: ratio profecto est, quia maior venenositas subijcietur plenitudine existente, quam ea erit, quae cum maculis retrocedet. Quamobrem suspicor tribus potissimis rationibus, apparentibus maculis, si plenitudo subsit, sanguinem esse mittendum: *Prima*, quia natura minimè poterit per cutem copiosam materiam, vt laboranti prosit, expellere, saltem in principio morbi. *Secunda*, quia vniuersus istius affectus apparatus existit in venis maioribus, quae prope cor sunt: quo fit, vt rationi sit consonum, etiam per maiora vasa, quam ea sunt, quae in cutem tendunt, copiam deponere, antequam permittamus diu naturam frustra conari, quod speramus minimè suffecturam: *Tertia* verò & vltima, quia, *vt dictum est*, quo maior fuerit humoris copia, cui selem inferat, & insinuet venenosa qualitas, eo grauius est periculum, maius inquam, quàm retrocessus macularum efficere potest. Quibus rationibus constat, turpè esse ob incertum periculum, simulare, ac differre, quae postea irreparabilis mali caussam sunt praestatura. Quo tempore expurganti pharmaco non vteris, quia tunc profecto verius fiet retrocessus macularum, & impeditur naturae actio, quo grauissima solent succrescere mala, vt inferius constabit. Caeterum (*vt vltimo quaesito respondeamus*) si aut plenitudo mediocriter sit deposita, licet non ex toto, aut laborantis corpus imbecille admodum fuerit, mihi non est dubium, quin sanguinis missio maximum sit allatura periculum. Ratio est, quia viribus infirmioribus factis, minus sufficit natura amplius ad cutem pellere, neque, quod superest, coctione, aut euacuatione alia deuincere: quamobrem tentandum est alijs auxilijs sanguinis detractionem supplere.

Malignę curationi conuenit, maculis apparentibus sanguinem ex vena mittere, si adsit plenitudo.

Secus si plenitudo fuerit deposita.

Nullum sanè aliud auxilium ex his, quae adhuc ars adinuenit, aut excogitare poterit, huic vsui praestantius, & commodius proficuum fore sperandum est, quam cucurbitas cum scarificatione: quarum efficaciam, & praestantiam in hoc affectu non satis cognitam, neque laudatam esse censeo: Quarum vsus multiplex profecto est: nam sanguinem minuunt, citra virium, & spirituum sensibilem iacturam: calorem à partibus internis, vbi feruidus est, euocant: spiritus veneficosà corde in extimas partes alliciunt, humores (*vt paulo inferiùs docebo*) ad se à quacunque corporis parte trahunt, denique omnem ferè in hoc affectu scopum quodammodo videntur complere. Quapropter dum vires prima sanguinis missione labuntur, & necessum est, vlterius sanguinem extrahere, eisdem tuto vti liceat, nam & sanguinem minuunt, & à corde distrahunt, & virium robur conseruant. Ob id etiam in his, qui exsoluuntur sanguine misso, & imbecilles sunt ob quamcunque caussam, maximam fiduciam praestat sanguinem per cucurbitas extrahere: ratio quidem est, quia veritati consonum videtur, in his esse sanguinem tenuiorem, qui promptiùs, & faciliùs veneni contagium susceptat. Quem proculdubio nullo auxilio tutiùs, & citiùs extrahere poterimus, quam cucurbitis, quibus datum est, tenuiores corporum substantias trahere. Itaque idoneum tempus adhibendi hoc praesidium est, dum sanguine misso laborans anxius, inquietus, ac defatigatus adhuc superest, impotens vlteriorem venae sectionem tolerare. Item in imbecillioribus, in quibus vires nullam aliam permittunt sanguinis detractionem, quippe plenitudinis reliquias ad extima euocat, & viscera

Cucurbitula scarificata in maligna febre praestātia laus & necessitas.

Quando adhibēdę, & quibus

A attemperat ea ratione, maximè si reiteratas scarificaueris. Praeterea in his, in quibus maior est venenositatis copia, quam humoris: nam miro quodam modo venenosam illam qualitatem trahere sunt natae; quas quidem diu (*dum scarificare confert*) in parte detinere non placet: nam concrescit extrahendus sanguis, & difficilis à cucurbitis deinceps fugitur. Praestant etiam in foeminis, quae pepererunt, & probè purgatae non sunt, aut quibus menses non prodeunt de more, vbi suris adhibitae multum sanguinis extrahunt. Quas etiam in viris, & in se ipso in pestilenti quadam febre expertus est summa cum vtilitate Galen. plurimo subinde sanguine extracto, cuius verba

B sunt haec (*lib. de cucurb. scarificatione, cap. 20.* & lib. in scripto *praesagium experimento confirmatum.*) *Et sanè dum pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multosque perdidisset, neque etiam morbus attigisset, secunda morbi die, remissione febris facta, crus scarificaui, duasque ferè sanguinis libras detraxi: hacque de caussa periculum vitaui. Plerique igitur etiam alij hoc praesidio vsi superstites euasere, erant enim plenitudinis signa: illique praecipuè saluabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant.* Qua quidem sententia euidenter constat, in ea pestilentis febris constitutione, cui plenitudo praestat apparatum, plurimum sanguinis esse educendum, adhuc etiam per scarificationem crurium. Ratio potissima est, quia per easdem, & pluri-

C mum quoque extrahitur, & quod venenosum est à corde distrahitur, ac quod non euacuatur, longissimo dissidet à corde interuallo: quod non contingit cucurbitis adhibitis prope cor: nam maior venenati sanguinis copia prope id viscus subsistit, & mox ipsum iterum apprehendit, quod nequit efficere sanguis, qui ad crura delabitur, & ob id magnifeci semper crurum scarificationes, quia esse vtilissimas obseruatione compertum habui. Nec displicet eorum sententia, qui sanguinem primo ex talo copiosè fundunt, nam eadem militat ratio, quam profecto sanguinis detractionem foeminis esse proficuam (citra mensium considerationem) experientia docuit: abū-

D dant enim ex lege naturae in partibus prope vterum plurimo sanguine, neque ob id credendum est, viris incommodare, praesertim cum maxima fuerit, & plenitudo, & venenositas, quarum ratione necessum sit, & plurimum sanguinis extrahere, & quod superest plurimum à corde distrahere.

Malignę febri quare prosit larga sanguinis missio, vel ex cucurbitulis ī suris scarificatis, vel ex vena tali.

Extrahimus etiam sanguinem vacuandi, & distrahendi gratia ex haemorrhoidibus per hirudines, praesertim in his corporibus, in quibus melancholiae redundantiae signa subsunt: nam talia parcissimas exposcunt sanguinis detractiones, & ob id, dum opus fuerit vltra progredi in sanguinis detractione, commodissimè ex haemorrhoidibus extrahitur; nam ab eis, & viscera, & interiora vasa omnia faciliùs euacuantur, ac ventilantur: faeculentus sanguis, qualis in

E his corporibus redundare solet, euacuatur: & virus etiam ipsius mali hirudinum suctu ocyssimè ad eam partem allicitur, & ob id earum vsum summopere in hac febre laudo.

Hirudinū vsus vtilis in maligna febre.

Dum vero sanguinis copia sufficienter deponitur, alijs humoribus, qui morbosum etiam substernunt apparatum, & iam putrescunt, prouidendum esse cōsulit medendi ratio: nam hos, dum putredo inuadit, necessum est quantitate, quae obstruat, peccare, & qualitate maligna, & à natura aliena affici: partim ex putredine oborta, partim vero ex venenosa contagione. Quapropter duplex erit, sumpta ab his, quae diximus, indicatione, medendi ratio: *Vna*, quae putredini obsistat, & humorem coctioni aptum reddat: *Altera* vero, quae quantitati prouideat, purgante pharmaco sufficienti quantitate, & opportuno tempore exhibito. Circa primum diligenter à principio curandum est, ne putredo vltra pergat, sanguine, *vt dictum*

De alijs humorib. qui morbosum apparatum efficiunt.

Humores malignæ febris quo modo sera pijs præparandi.

est, misso, & exhibitis medicamentis, quæ humorum A vitium respiciant: Contrahitur namque id in humoribus ex duplici caussa, ex contagio nimirum (*cuius paulo inferius latius meminero*) & ex feruore ab immodico calore oborto: ex quo contingit, eorum partes ex putredine separari, ac dissolui; ob idque medicamenta, quæ huic putredini contrarientur, primo morbi accessu sunt adhibenda, qualia sunt calida plurima, quibus in hac febre vti nusquam datur, nisi dominante pituita, & cum frigidorum mixtione, & frigida, ac sicca etiam, quæ feruorem exstinguant, calorem compescant, acrimoniam retundant, & dissolutionem humorum, ac spirituum inhibeant, veluti syrupus *borraginis, portulacæ, cichorij, de succo granatorum, acetosus simpl. de succo acetosæ, de acetositate ci-* B *tri, de succo limonum, de agresta, vinum etiam punicorum cum santalis albis, & rubeis* confectum, quibus addere oportet maiorem copiam, quam solemus aquæ, aut decocti alicuius, veluti *scorcioneræ, scordij, pentaphylli, aut hordei*; nam ex maiori aquæ copia diluiores fiunt, permeantque citius ad maiora vasa, antea nimirum, quam incalescant, & alterentur. Verum si per signum aliquod compertum fuerit, in ventriculo, aut prope ipsum esse, aut ad ipsum confluere partem aliquam humorum peccantium, eosdem syrupos adhiberi oportet, citra alicuius liquoris permixtionem, quibus frequenter mane & interdiu vti oportet.

Apozemata humores maligna febris præparantia, & calorē exstinguentia.

Præterea mox à primis sanguinis missionibus, apo C zematibus, quæ eundem præstent vsum, & euidētius ebullitionem humorum exstinguāt, vti est necessum, quæ non ex decoctis; nam gustui esse ingratiora, experientia compertum habeo, sed ex stilatitijs aquis confecta vtiliora esse, diuturna obseruatione probauimus, ex aquis nimirum *acetosæ, buglossæ, borraginis, cichorij, scordij, scorcioneræ, & plantaginis*, aut ex *leni hordei decocto*, vel ex *aqua lapideo mortario percolata*, additis quidem *syrupo rosaceo*, aut aliquo ex supradictis, præsertim ex *acidioribus*, ita vt dilutissima fiat potio, ex *duodecim* nimirum *partibus aquæ*, & *vna serapij* alicuius: additis pulueribus *diamargaritonis frigidi*, *pondere ℥. ß. aut de gemmis sine speciebus, aut margaritarum præparatarum, aut lapidis bezoar appellati, aut* D *cornu vnicornis, aut addita confectione de hyacintho*, quibus frequenter (dummodo non sit mox à pastu) vti oportebit: nam potissima coctionis ratio est, (*vt nos lib. de auxiliorum indic. cap. de præp. humorum abundè exposuimus*) correctio humorum peccantium per cōtrarias qualitates eis, quibus calor præter naturam vtitur ad putrefactionem efficiendam; itaque feruore ex febrili calore exstincto, facilè natiuus calor coctionem aggreditur, & perficit: denique & potibus refrigeratis, & victu, apozematibus, syrupis, clysteribus; & vltimo, aere omni arte refrigerato corporis calorē, & feruorem exstinguere oportebit.

Decoctū.

Verum si decocto aliquo vti placuerit in his, qui gustui non indulgent, & robustiores sunt, incredibili quadam effica- E cia vtilissimum esse censeo decoctum, q. ℞. *hordei integri à recrementis mundati p. 2. cichorij m. 1. florū borraginis, & buglossæ, ana p. ß. pimpinellæ, & scabiosæ, ana m. 1. seminis acetosæ, & citri, anā ℨ. 2.* contundantur omnia præter hordeum, & coquantur *in lib. 6. aquæ*, vsque ad consumptionem tertiæ partis, colentur cum leui expressione, & colaturæ adde *sacchari albissimi ℥. 3. succi granatorum acrium, aut limonum ℥. 3.* & vsui serua, ac frigidam præbe. Quibus sanè præsidijs, donec purgationis instet tempus, procedendum proculdubio est, cauentes tamen, ne aut ventriculi coctionem interturbent, aut ventrem plurimum soluat, aut solutum citatiorem reddant.

De purgatione.

His quidem præmissis, humorum quantitati purgationi prouidendū est. Atqui cum multiplicem soleat natura in hac febre vacuationem tentare, per A aluum nimirum vtramque, per vrinam, & sudorem, videndum sanè est, an omnes liceat Medico excitare, & quo tempore, & quibus medicamentis.

Purgatio legaliter instituenda.

In quo opere sciendum prius est, quid liceat considerare ad purgationem legaliter instituendam. Videtur enim melius posse purgationem instituere habito respectu quantitatis, qualitatis, aut putredinis humorum. Quippe quantitatem quauis die, si expedit, eadem minues: verum si qualitate peccant, attemperans prius, si vero putredine, coctis, nisi maxima præsit vrgentia.

Sudores an mouendi.

Vrina an mouendæ.

Cuius rei gratia expendisse etiam decet, licet vtiliter sudores mouere frequenter natura soleat, cum hoc tamen non licere Medico eosdem in huiusmodi febribus excitare, sicut neque vrinas, am- B bo enim exoptant medicamenta, quæ maiorem possunt humorum feruorem, & ebullitionem concitare, maiusque incendium: ob idque prædictas vacuationes vtcunque mouere, nefas profecto est, iuuare tamen, dum eas natura conatur, & tentat, vtile est, & necessarium. Quapropter sufficienter deposita plenitudine, obstructione, & cruditate (*nam aliter id tentare perniciosissimum sæpè fuit*) etiamsi morbus sit in augmento, si æger sudare inceperit, præsertim maculis iam apparentibus, ac natura munus inceptum nequeunte perficere, porrigenda eo tempore sunt, quæ modicè sudores mouere nata esse censemus, veluti *decoctum fœniculi, & laccæ, caricarum, cum radicibus scorcioneræ, aut buglossæ, aut foliorum scordij, & trifo-* C *lij odorati*: item *aqua buglossæ leniter calida*, *aut florū papaueris erratici*, *& alia, quæ citra magnum calorem id munus præstare possunt*.

Malignæ febris iudicia nunquam faciunt ad salutem.

Pari quoq; ratione ad mouendas vrinas idoneum aliquid alijs medicamentis ab exstincto febris feruore miscere oportebit, veluti decoctum *quatuor seminum maiorum, cum radicula aliqua diuretica, aut cichorij*: curandum namq; perpetuo est in hac febre, maiorem humoris partem à principio minuere, nam pestilentes, & malignæ febres ex propria natura natæ sunt, iudicium nunquam efficere ad salutem, quia venenosa qualitas coctione non corrigitur, & ob id præcedentibus signis optimæ coctionis, suspectum est in his affectibus, & dubium, bonum iudicium exspectare, namque euacuatio salutē D factura in vigore exspectanda non est in pestilenti affectu: quamobrem securior est ea morbi solutio, quæ paulatim, & sensim fit, quam quę necessariò pugnam prærequirit, ex qua nusquam victrix euasit natura. Qua potissimum ratione conuenit, in quamcunque natura partem vergat, si regio conueniens fuerit, ei opem ferre: sæpissimè enim in ventrem superiorem irruit nausea, & vomitibus frequenter excitatis, quo tēpore leuiusculis vomitorijs conari necessum est, aliquid eorum, quæ nocent, expellere.

Purgatio quo tempore ī maligna exerceri dēat.

Verum quod in his humoribus exercendis maius infert dubium, iudicio nostro est, *quando, & quo pharmaco corpus expurgandum sit*. In qua quidem re consulto prætereo dubia pleraque, quæ in pestilentibus E febribus, & in alijs putridis moueri solent de tempore, & efficacia purgantium medicamentorum. Plures enim sunt ex auctoribus, qui consulunt, à principio id fieri vehementibus medicamentis, alij debilibus, tam in his, quam in solis putridis: alij sanè id omnino renuunt. Verum cum febris maligna sit vtriusque vitij particeps, ideo medio quodammodo incedendum est, ad id nimirum extremum vergentes, ad quod altera morbi pars declinauerit, ad venenositatem videlicet, aut putredinem. Quamobrem dū prēest magis venenositas, quam putredo, mihi non est dubium, quin ante septimum expurganti aliquo leui sit vtendum; At ante sanguinis detractionem, cruditatibus existentibus in primis venis: sin aliter, detracto sufficienti sanguine, sexta die purgare oportebit, dummodo maculis apparere incipientibus non sit: crimen profecto supplicio dignum arbitror id ten-

tentare, præter id, quod nullus auctorum ne dubitauit quidem, nedum fecerit, quia actus ille tantopere naturæ expeditus, & proficuus præpedietur: quinimo iuuanda semper est huiuscemodi naturæ actio, nedū contratianda, quod purgantia efficiunt. Quippe hæc vacuationis sors symptomatica non est, sed proficua, *vt antea probatum est*, & naturæ intéra. Quod si quis vsu probauerit aliquando huiusmodi purgationem profuisse, id vel ex accidenti factum licebit conijcere, vel credere longè melius successurum fuisse, si non præstitum fuisset medicamentum: his enim, quæ præter rationem eueniunt, non oportet credere. Verum si maculæ nondum apparere cœperint, tunc quidem purgare erit necessum; quod latius disputatum reperies *lib. de recto præsid. vsu, consil. de purgatione*. Purgans autem medicamentum ex lenioribus esse necessum est, veluti *cassia, manna, syrupus ex infusionibus*: ant si crudorum succorum redundantiam in venis cognouerimus, mirabile fit in hac febre præsidium ex expressione *agarici*, & syrupo ex *infusionibus*, etiā si obseruatione sit frequenter confirmatum, in *agrestibus*, ac *ruralibus hominibus rhabarbari*, aut *agarici infuso* posse vti: quo purgandi genere minimè in vrbanis, & delicationibus, ac his, qui non habent laboriosum admodum viuendi genus, aut dum morbus prope septimum est, vel feruorem iam contrahere inceperit, vti minimè citra maximum discrimē datur. Verum si morbus præualet magis putredine, quam venenosa qualitate, eisdem purgationem fieri necessum est: cæterum prima, secunda, & interdum tertia die ad summum; nam purgantia medicamenta etsi eo tempore cruditatum in primis venis existentium gratia adhibentur, cum hoc etiam nonnihil putridi humoris extrahitur; quod quidem raro esse agēdum censeo, præsertim dum humores efferuescere incipiunt. Quo purgandi genere consultius est à principio morbi vti, quam dum cruditates venas maiores subingressæ leui pharmaco cedere nequeunt: Nam purgatio ipsa, & corpus, & coctionem, & naturam turbat, & ob id prudentiores Medici, aut omnino renuunt à principio purgationem, aut leuibus moliuntur; aut si necessitas plurimum vrget ante humorum efferuescentiam eam efficiunt. Quod si occasio in principio non subsit, differendam omnino censent, optima medendi ratione ducti. Nam probatum mihi obseruatione fidissima habeo, vtilius longè esse hoc, quam medicamento intempestiuè exhibito, maiorem efficere humorum ebullitionem.

Purgās in maligna febre quale esse oporteat.

Verum dubitabit aliquis, & merito, *quanam ratione fieri possit, medicamenta hæc tam leuia venenosa contagione affectos humores purgare posse*. Cui dubitationi dicimus, huiusmodi humoribus sat esse, principium motus leui aliquo pharmaco præstare: Nam ipsimet postmodum malitia, acrimonia, & mordacitate naturam excitant, vt nacta à leui pharmaco principium, validissimas deinceps in hac febre purgationes efficere soleat: eo quidem maiores, quo venenosior est materia, ita vt facilè in dysenteriam humores prorumpant: qua profecto ratione censeo, hæc leuia medicamenta sufficere ad huiusmodi purgationes, quæ ante septimum fiunt. Itaque curandum est omni arte, vt ante septimam diem, & sanguinem, & reliquos humores minuamus; verum si vtrique vacuationi locus non sit ob Medici, aut laborantis incuriam, sanguinem copiosè fundere conueniet, & purgationem, donec morbus subsistat, differre. Sexta autem die transacta, prædictis auxilijs, & eis, quæ mox referam, frequenter vti conuenit, donec accidentia mitescant, malignitas frænetur, & putredo subsideat.

Medicamenta leuia qua ratione veneno obsistāt, et humores purgant.

Purgari tamen nusquam decet post septimam diē, nisi decimaquarta transacta, aut febris feruore remisso, aut vrgenti peculiari aliquo accidenti, quod id exposcere videatur, vt ventriculi, aut intestinorum anxietas, dolorve; alioquin verò minimè, licet in alijs febribus, quæ non sunt venenosæ naturæ, cum nauseabundam, & humore onustam naturam sentimus, vtilissimum sit pharmaco vti purganti. At pituitosis humoribus inundantibus raro ante decimam septimā est necessum. Quibus sanè temporibus fugiendum omnino tanquam à veneno est, à vehementibus medicamentis, vtpote iterum efficientibus feruere humores, caloremque denuo accendentibus: quamobrem obseruatione probatum est à Medicorum doctissimis, solo *rhabarbari infuso* cum syrupo ex *infusionibus*, aut *agarico*, & eodem *syrupo, manna*, aut *cassia*, cum eisdem *rhabarbaro*, aut *agarico*, purgandom esse, præterquam in ruralibus, & agrestibus hominibus, in quibus non erit abs re, inclinante morbo aliquod ex electuarijs purgantibus, iuxta ideam humoris peccantis pondere duarum, aut trium drachmarū eum prædicto syrupo admiscere, nisi ex peculiari affectu laborans aliud poposcerit: Nam ex immodica, & intempestiua seligentium medicamentorum exhibitione, seuiora accidentia, & maiora mala succrescere frequenter visa sunt.

Purgare post 7. diē nisi 14. transacto laborātes maligna nunquam licet.

Quid aduersus malam qualitatem agendum sit.

ALtera autem curandi ratio (*quam à principio cognita semel morbi malitia, instituere simul cū alijs præsidijs oportet*) versatur circa contagiosa seminaria, & conceptam humorum venenositatem. Nā cum is morbus ex maligna, & putredinosa natura simul constet, vtriusque naturæ etiam auxilijs vti ad inuicem oportet, quinimò miscere vtraque decet, vt & putredini, & venenosæ qualitati simul obsistant.

Cæterum febrium malignarum remedia per indicationem inueniri ad vnguem minimè possunt, quia indicatio à cognita rei natura sumitur, at incognita est (*vt omnibus patere arbitror*) natura pestilentium morborum, & aliorum, qui in tota substantia sunt positi, quibus non succurrunt auxilia euidentibus qualitatibus prædicta, sed quæ aut Occulta quadam natura, aut Vniuersa substantia, qua sui generis malis opitulantur, sunt munita: Quare in his, in quibus indicatio locum non habet, ars duo alia excogitauit instrumenta, quorum beneficio, vt perceptione eius, quod iuuat, aut lædit, incommodis opem ferre possimus: *Obseruationem* inquam & *Analogismum*.

Artis medicæ īstrumēta duo. 1. Obseruatio. 2. Analogismus.

Obseruatio, seu experiētia est, memoria eius, quod sæpius, & eodem modo accidere visum est: Analogismus vero est comparatio, & perceptio caussarum iuuantium per similitudines. Atqui cum febris hæc de genere sit pestilentium, de numero quoque erit venenatorum, quæ assumpta, & ictibus parata perpetuo in corpore multiplicantur, & per se, & spontè augentur, donec interficiant, vel finiantur: & ob id eisdem omnino auxilijs in huiusmodi febribus vtendum est, ac in venenosis ipsis affectibus: Ex quo sequitur in hac febre, quatenus ad malam qualitatem pertinet, solis alexipharmacis, & his medicamentis, quæ veneno obsistunt, agendum esse: quod cum multi Neotericorum expendissent, dubitarunt, an in huiusmodi febribus necessum esset sanguinem mittere, aut expurganti medicamento vti: sed qua ratione in hac febre vtrumque fieri oporteat, abundè esse dictū censeo. Superest nunc docere, qua lege, quibusve conditionibus alexipharmaca hac febre affectis administrare deceat, quod quibusdam præceptis monstrare aggredior.

Malignæ febris malæ qualitati sola alexipharmaca obsistunt.

Sit igitur I. præceptum, *mox à principio alexipharmaca esse, aut alijs miscenda, aut per se sola exhibenda: Nam cum maligna contagio, neque purgatione, neq;* san-

Alexipharmaca qua lege

maligna laboranti bus adhibenda, vt prosint.

sanguinis detractione, aut quouis alio ex auxilijs, quę putredini obsistunt, quiescat, frangeturque, fit sanè, quò negligentiùs, & morosius hæc adhibentur, eò contagiosa seminaria magis sese in residuum materiæ inferant, insinuentque, & ob id displicuit profectò semper quorũdam Medicorum negligentia, qui, donec maculæ appareãt, aut saltem transactis primis diebus, alexipharmaca adhibere negligunt, non sine magno laborantium discrimine: Nam quò citiùs venefica vis infringitur, eò securiùs cætera præsidia adhibentur.

II. Præceptum est, *à principio sola esse exhibenda, ac quò humor maiorem concipit putredinem, eò magis alijs esse admiscenda, nisi veneficam qualitatem in reliquis putredine obortis prædominari cognouerimus, quémadmodum in his febribus, quæ lethales omnino existunt, in quibus prope statum cocta etiam materia venenum præualet, ac lethales efficit vacuationes, & perniciosum iudicium.*

III. Præceptum est, *quoduis alexipharmacum non esse cuiuis corpori, febri, aut affectus tempori indistinctè exhibendum, sed cuique pro veneni, humoris, febris, aut corporis natura, suum inesse proprium, & peculiare alexipharmacum* (censeo enim quòd plura nobis feliciùs successissent, si hæc diligentius expendissemus) *nam multis frigida vices alexipharmacis præstant, alijs calida, plerisque sicca, plurimis acida, & sic alijs alia, iuxta rationem modi operationis veneni, aut subiecti humoris, aut corporis laborantis, nam & hæc omnia, & plura alia expendisse oportet.*

IV. Præceptum est, *eius naturæ necessario fore alexipharmaca, quæ simul habeant manifestas qualitates, putredini, & humoris conditioni contrarias; nam, vt dictum est, ex vtroque vitio constat huiusmodi affectus, putredinoso nimirum, & venenoso, aut maligno.*

V. Præceptum est, *vt liberaliùs suam gratiã huiusmodi alexipharmaca nostris corporibus impertiantur, frequentiùs porrigenda esse, aut cum ipsis alimentis commiscenda, quæ cum auidiùs amplectatur natura, eò vberiùs, & citiùs eorum beneficio fruitur, licet inter vnam & aliam cibi exhibitionem, eorum quoq; aliquid sit porrigendum, vt & in venis, & in ventre, ac vbique sit, quod veneficæ qualitati obsistat.*

VI. Præceptum est, *plurimũ aberrare, qui hęc pharmaca largioribus potibus admiscent:* (licet necessum sit, aliquando potibus quoq; eorum aliquid admiscere, videlicet dum intranea, & recondita est contagiosa qualitas) *satius enim est, diutius in ventriculo immorari; nam ibidem actuata multis membrorum principalium prouident, ad omnia virtute transmissa: præterquam, quod putredini, quæ sicciora solidiora ve sunt, & in pulueris formam redacta, magis obsistunt.*

Alexipharmacum malignæ febri proficuũ duplex.

His exactè pensatis, censemus, alexipharmacum huic generi proficuum, genere esse duplex: Vnum quod pugnat aduersus veneni effectum: Aliud quidem, quod aduersus ipsum venenum. In primo sanè genere (*cum venenum hoc sordidiorem, & intraneam reddat putredinem, in qua partes adinuicem separantur, & spiritus, & substantia ipsa plurimum dissipantur; &, vt rectiùs loquar, omnis partium, & humorum natura dissoluitur*) ea medicamenta proficua sunt, & alexipharmacum agunt, quæ natura sunt sicca, & quodammodo firmantia, & continentia mixtum, ne dissoluatur, veluti *terra sigillata, bolus Armenus, pulnis corallorum, cornu cerui, & monocerotis, sapphyrus, hyacinthus, smaragdus, os cordis cerui, gemmæ præparata, electuarium de gemmis, lapis bezoar*, & denique omnia, quæ consimilem habent virtutem: hęc namque, præterquam, quod veneni etiam vires frangunt, quodammodo comprimunt, ne vltra ad cætera membra pergat: eadem præcipuè spiritus firmant, roborant, & partium dissolutioni compressione quadam obsistunt, atque etiam putredini siccitate sua mirificè opponuntur. Quamobrem in omnibus corporibus, ac in quauis humorum natura omnibus alijs alexipharmacis à principio miscenda esse consulo: præpeditur enim veneni commigratio ad vlteriores partes, & humores, & tandem firmiores fiunt, ita vt difficilius putredini cedant: quo fit, vt remedijs detur locus, antequam malum fiat irreparabile.

1. Alexipharmacũ aduersus veneni effectũ purgans.

2. Alexipharmacũ aduersus venenũ ipsum purgans.

In secundo autem genere existunt, quæ spiritum venenosum exstinguunt, educunt, frangunt, vel ex occulta proprietate, & antipathia pellunt: nam cum venenosa qualitas tam sit à primarum qualitatum natura aliena, non potest, nisi ab his, quæ extinguunt, aut vrunt, reprimi, & compesci.

Alexipharmaca calida cautè adhibẽda.

Multa sanè apud varios auctores, quæ vrunt, & spiritus veneficos dissipant, & consumunt, conficiũtur: veluti *theriaca, Mithridatium, angelica herba sic appellata, & radix eius puluere exhibita, aut aqua decocta, & potui data, electuarium de gemmis cum speciebus, dictamnum, bistorta, cassia lignea, cinnamomum, scordiũ, chamædrys, pentaphyllon, scabiosa, carduus benedictus, gentiana, aristolochia*, & huius census alia multa, quæ consultò prætereo, ne quis fortè inconsideratè eis vtatur, quæ paulo maiorem diligentiam requirunt, quã tyrones deceat: nam & ea, quæ mox diximus, maxima cum cautione administranda sunt, tempore nimirum frigidiori, aut nihil æstuante, ætate potius declinante, quam vigente, temperatura frigidiori, prædominante pituita, aut febre existente remissa, cæterum maligniori: nam in alijs proculdubio cum calida suapte natura sint, calorem accendent, febrem augebunt, ac ebullitionem, & agiliores reddent humores, vt promptius in principaliora membra irruant. Quamobrem cautè eisdem vtendum esse consulo, quibus semper admiscere conuenit aquam *cucurbitæ acetosæ, succum limonum, aut acetum ipsum*, aut, qđ vtilius est, miscere eadem oportebit *syrupo de succo limonum* cum modica *aqua auro chalybeata*, aut alijs potionibus frigidis, quas superiùs diximus.

Alexipharmacis quę miscenda.

Quæ vero venenosam qualitatem refrangunt, & exstinguunt, plura profectò apud auctores reperiuntur, frigida sanè sunt omnia, & actu, & potentia sicca esse conuenit, quibus non semper vti tuto datur, licet tutius sit in hac febre refrigerare, etiamsi sit extra debitum tempus, & alijs febribus concessum, præsertim tempore æstuanti in iuuenili ætate, ac æstuanti febre; nam in alijs febribus tantum frigida administramus caloris exstinguendi gratia: in hac vero, & ob hanc caussam, & ob venenosam contagionẽ, quę omnem aliarum rerum indicationem superat: cum hoc tamen, quia huic affectui protinus succrescunt vires imbecillæ, quæ frigidæ occursum, & copiam citra euidens periculum perferre nequeunt, & quia aliquando obstructionem maiorem efficere solent: ob id quidem eisdem vti oportebit, aut saltem nũquam posthabitis viribus, quæ tamen licet imbecilles sint, quia id contrahunt ex veneni natura, cui frigida opponuntur, non ob id ex toto ea renuunt, sed sensim, & paulatim esse adhibenda consulunt, & eò liberaliùs, quò vires fuerint validiores.

Alexipharmaca frigida qua cautione adhibenda.

Frigida autem in hunc vsum parari possunt, ea nempe, quæ superius putredini obsistere diximus, quibus addere oportet alia, quæ cum hoc venenosam qualitatem refrangant: veluti est *mica panis succo limonum, arantiorum, agrestæ, acetosæ, aut aceto madefacta, manè ingesta:* idem præstant *acetosæ folia* aceto madefacta, eadem hora deuorata: *pulpa item viridium thamarindorum saccharo condita*, quæ nuper ad nos ex Lusitanorum India asportantur, incredibili efficacia putredini, & venenositati obsistens. Præstant quoque eandem gratiam *frigidi pulueres*, quos paulo antea retuleram, cum prædictis *aquis*, aut *syrupis frigidis* commixti, aut *pastillorum forma exhibiti:* prosunt & *conserua omnes frigidæ* cum potu, aut puluere aliquo ex supradictis. Denique cognita materia,

Alexipharmaca frigida quomodo parentur.

Tamarindi veneno obsistũt.

cuius

Frigidæ potus sæpè contagium extinguit.

cuius sufficientem copiam diximus, facilè profectò erit varia effingere apozemata, aut refrigerantia auxilia, quæ in maiori copia sunt administranda, vt non solum qualitate, sed copia quoque extinguere venenosam qualitatem possint: sæpè enim frigidæ potus, dum corpus id tolerare potest, *(nam vires plurimum cauere oportet)* sufficienter huiusmodi contagium extinguunt.

Epithemata in venenosis affectibus cauenda.

Cauendum proculdubio in huiusmodi febre est ab epithematibus, quæ extra apponuntur, namque nulla artis lege, nulla ve ratione in venenosis affectibus adhiberi possunt, & ob id tanquam à pernicioso veneno ab eisdem fugiendum est; nam tantum abest, vt refrigerantibus extra adhibitis in hac febre vti sit concessum, quod tertia huius secundi generis medicamentorum, aut auxilij species solum doceat ad externas, & distantissimas à corde partes venenosum spiritum distrahere, ac euocare. Quamobrem præter euacuationem materiæ, quam omnibus modis mox à principio esse moliendam docuimus, omni arte huiusmodi venenosos spiritus ad extimas partes extrahere oportet.

Spirit⁹ venenosi ad extimas partesqualiter trahendi.

Quem vsum præstant vniuersales totius corporis *frictiones*, præsertim pectoris, & dorsi, nam plenitudine vtcunque deposita facilè, adapertis cutis meatibus euocantur ad eas partes vitiosi sanguinis, & aliorum humorum halitus, ac spiritus.

Frictiones.

Moliri autem huiusmodi frictiones linteis aliquibus asperis ante cibum oportet, quibus etiam ab internis ad exteriora exiens, & pestilens euocatur calor.

Inunctio.

Quam gratiam quoque præstat corporis inunctio, quæ fit *oleo, & aqua, & modico nitri*, aut *oleo amygdalarum amararum* (quo Baptista Montanus vti iubet loco *oleo sabini*, quod Aetius consuluerat) admixta aqua, & facta coctione vsque ad consumptionem aquæ, & addito modico *nitri*, vt attemperando adaperias cutim, & cieas sudorem: Vngitur etiam corpus plerisque *oleis*, aut *decoctis calidis*, veluti est *oleum à Matthiolo* huic vsui celebratum, ac decoctum ex *dictamno, chamæpityos, scrofulariæ, & scordij, aut angelica*.

Olea cautè adhibenda, & quibus, et quādo.

Quæ licet non displiceant *(nam proficua fuisse constat, & rationalia sunt)* cum hoc tamen cautè sunt adhibenda, nimirum corpore vtroque modo satis vacuato in febris remissione, diætim mane ante exacerbationem, corpore, ac tempore non plurimum æstuantibus: nam prosunt hæc præcipuè in fœminis, & corporibus, quæ aut pituitæ aliquid obtinent, aut suaptè natura non sunt admodum biliosa, & calida. Atque ea etiam administrare possumus frigidis temporibus, in quibus rationi consonum est, cutim quodammodo esse densiorem, & humores crassiores: in quo sanè corporis apparatu leniè prorumpunt maculæ.

Oleū Matthioli venenosis affectib. mirè proficuum.

Hunc sanè vsum primò oleum Matthioli præstat, præterquam quod incredibili quadam efficacia experientia est compertum, venenosis omnibus affectibus esse maximè proficuum, præsertim pestilentibus, dum pulsibus extrinsecus apparentibus illinitur, nempe temporum, manuum, ac pedum, quin etiam extimæ cordis parti ad sinistram mammillam repetita, interpositis tribus horis illinitione: cuius descriptionem reperies *lib. 6. eiusdem auctoris super Dioscoridem*, inter antidota eiusdem Matthioli, & *lib. 2. capite de scorpio, & in 4. cap. de Aconito*.

Cucurbitæ vsus ī maligna febre magnoperè prodest.

Interim tamen dum corpus his omnibus tractatur, cucurbitas paruas, sed plures, aut pluries adhibere oportet: quod si maxima fuerit imbecillitas, & venenositas citra scarificationem, aut cum leuissima; sin autem & sanguinis vitiosi aliquid superesse cognouerimus cum scarificatione. In quo sanè vsu, & indicatione consultissimum, eas scarificare, quæ in dorso è regione cordis affiguntur: quod sanè inuentum tanti sæpè esse momenti vsus demonstrauit, vt anxietates, & pulsus inæqualitatem, ac alia læuissima accidentia ab eis protinus subsidere visum sit. Itaque distractio omnis, & venenosum halitum, & feruidum calorem *(res quidē in hoc affectu vtilissima)* à corde, & præcipuis mēbris diuertit, separat, ac per cutem his ingenijs rarefactā euacuat. Quamobrem donec veneni accidentia quodammodo mitescere, ac supersedere videantur, ab eis desistendum non est.

Medicamenta analoga febri malignę per antipathiam resistētia duplicia.

Quarta, & vltima species medicamentorum, quæ venenosæ qualitati opponuntur, eorum sanè est, quæ per antipathiam venenosum omne repellunt, & restingunt, & vltimo cor, & viscera omnia roborant, & spiritus ob id à venenosa contagione expurgant. Sunt autem hæc in duplici differentia, nam quædam nullam habent analogiam ad aliquem ex corporis humoribus (*licet nulli disconueniant*) sed tantum ex propria natura venenis opponuntur: Quædam præterquam quod per antipathiam operantur, analoga etiam sunt alicui humorum, aut tam sunt ex natura mixtionis temperata, vt cum omnibus analogiam habeant.

Gemmarum vires contra venena fabulosæ minimè sunt.

Sunt autem primi generis multa, veluti *gemmarū*, & *lapidum* plures: non enim superstitiosum, nec fabulosum censeo, quod de gemmis plerique referunt: nam præterquam, quod omnia aduersantur effectui veneni, *vt superius dictum est*; quia sicca sunt, & quodammodo adstringenti constant substantia, exhilarant etiam, & peculiari antipathia veneno maximè resistunt, & viscera roborant. Sic *granatus, carbunculi species*, aeri venenato maximè resistit, & cordi est amicus; sicut *smaragdus* cerebro; *sapphyrus* hepati; *corallus* vētriculo; *hyacinthus*, præter id, quod bezoar (hoc est, antidotus) esse putatur, lætitiam quoque conciliare dicitur; *topazium* theriacæ præfert Serapio; *agathes* similiter aduersus pestem valere creditur, & *margaritæ omnes*. Ea porro in annulis gestantur, aut pectori apponuntur è regione cordis, vel ore continentur, ac suguntur, vel quod vtilius est, cibarijs admiscētur in tenuissimum puluerem redacta. Ad idem vsui paratur cornu *monocerotis*, nam recentiores ferè omnes maximè cardiacum esse testantur, & quibuscunque venenis resistere affirmant; sic & *cornu cerui*, & *officula cordis eius: radix* quoque *pimpinellæ*. Mirandum etiam est, quod nonnulli volunt *hydrargyrum* pectori appensum genuino, & latenti odio cætera venena fugare.

Arsenicū cur venenis resistat.

Simile est, quod de *Arsenico* fertur, nā è directo cordis, aut sub sinistra ala gestatum omne pestilens contagium fugat: cuius rationem esse vult Theodosius *epist. 2.* quod cor sensim veneno assuetum minus ab aere venenato offenditur. Ego autem suspicor, maximam habere vim in trahendo, quod sibi est simile, & ob id veneficos spiritus promptissimè allicere, nec permittere cordi inesse, neque ipsum inficere.

Bezoar. Quid præstet.

Quibus omnibus adiungitur *lapis* nuper ex Lusitanorum India apportatus, qui *bezoar* ab effectu appellatur, quibus singulis vicibus gr. 4. aut 5. porrigere oportet *aqua*, aut *syrupo*, aut *iusculo* aliquo excepta. Quibus sanè alexipharmacis (*multis alijs, quæ silentio prætermitto, ne tyrones plus iusto licentiosi facti, ad ea, quæ maiorem requirunt vsum, & diligentiam, manum primo accessu porrigant*) accedunt plurima secundi generis, quibusdam humoribus analoga, velut calidis, & æstuantibus febribus electuarium ex *tribus generibus santalorum, diamargariton frigidum, trochisci de spodio, de camphora, de terra sigillata, de baccis oxyacāthæ*: frigidis vero *theriaca, Mithridatium, diarrhodon, Alchermes*, & alia huius sortis.

Medicamenta calidis, et frigidis humorib⁹ analoga, omnibus humorib⁹ cōmunia.

Cæterum reperiuntur plura alia medicamēta omnibus humoribus communia, velut est *electuariū de gemmis sine speciebus*, miram in hac febre habēs efficaciā; cuius etiā ordinis est confectio illa nō satis laudata, quæ à *hyacintho* meruit appellationem: nā in ea nihil desiderari videtur eorū, quæ pesti aduersantur, seu latentes, seu manifestas qualitates requiras, præterquam quod egregiè temperata est: ex quo profectò

suscipiat, analogam omnibus humoribus fieri. Verũ quia illius descriptio vulgo non habetur, à nobis subijcitur, vtcunque emendatior, vt hodierno vsui vtilior fiat.

Confectio de hyacintho.

Recipe *hyacinthorum electorum* ℥. ß. *boli Armeni aqua rosacea loti, terræ sigillatæ, dictamni, tormentillæ, carlinę, been albi, & rubei, spicę nardi, ana* ʒ. 2. *nucleorum nucis iuglandis minimè rancidorum, & trochiscorum de camphora, ana* ʒ. 1. & ß. *granorum tinctorum, croci, gentianę, myrrhę, rosarum rubearum, omnium santalorum, seminis iuniperi, rasurę eboris, & cornu cerui vsti ana* ʒ. 1. *ossa de corde cerui, num.* 2. *seminis citri mundati, acetosę, bombacis, & portulacę, ana* ʒ. ß. *sapphyrorum, smaragdorum, margeritarum, & serici crudi, ana* ℈. 2. *seminis rutę, & santonici, ana* ℈. 1. *ambrę grisię* ℈. 4. *panniculorum auri, & argenti, ana num.* 12. *cum syrupo de acetositate citri* fiat confectio liquida, seu in forma opiatæ. Non multum differt ab hac compositione electuarium *de bolo Armenico*, cuius descriptionem hic adscribere placuit. Recipit quidem *boli Armeni purissime loti aqua rosacea* ℥. ß. *radicis tormentillę, & angelicę, ana* ʒ. 2. *coralli rubei, rasurę eboris, cornu cerui, & rosarum rubearum, ana* ʒ. 1. & ß. *seminis melonum, acetosę, citri excorticati, iuniperi, & bombacis mundati, ana* ʒ. 1. *seminis anisi, fœniculi, cinnamomi, xyloaloes, aut santali citrini, & macereos, ana* ʒ. ß. fiat puluis, qui vsui seruetur. Nonnulli simpliciorem faciunt, hoc modo: ℞. *boli Armeni* ℥. ß *radicis tormentillę* ʒ. 2. *angelicę* ʒ. 1. *sacchari ad pondus omnium*, fiat puluis, ex his pulueribus finguntur trochisci, sacchari dissoluto aqua *buglossę, vel acetosę, vel scabiosę infusionis gummi tragacanthi exceptis*, aut *pulueris* ʒ. 1. vel dimidia sumitur ex iure *pulli*, *aut aquis* supradictis. Cæterum quia confectiones ex bolo Armeno maximè ab omnibus probantur, ob id sanè placet aliam scribere, quam multis fore proficuam censeo.

Electuarium de bolo Armeno.

Puluis.

Confectio ex bolo armeno.

Recipit quidem *boli Armeni purissimi* ʒ. 1. & ß. *coralli rubei* ʒ. 1. *radicis angelicę, tormentillę, & foliorum dictamni Cretensis ana* ℈. ß. *margaritarum* ℈. 1. *zedoarię* ℈. 2. *macis* ℈. 1. *conseruę oxalidis* ℈. 2. *sacchari albissimi dissoluti aqua, vel decoctione scabiosę, aut buglossę, & scordij*, quantum sit satis, fingantur tabellæ ponderis ʒ. 2. Quibus sanè antidotis vti multis modis medendi ratio consulit, exhibitis nimirum bis, terve, aut quater 24. horarum spatio, in minori tamen dosi, quàm ipsa ex lege habent.

De symptomatum correctione.

Humoris maligni impetus.

Symptomata malignę febris grauissima.

TErtia, & vltima curandi ratio, quæ maximum, & frequentissimum facessit in hac febre negotium, versatur circa maligni humoris impetum, & motum ad aliquod membrorum, cuius maxima proculdubio habenda prouidentia est: nam sæpissimè euenit, humoris malitia frænata, laborantes perire potius ex vitio membri alicuius, quam ex vi ipsius febris, cui proximo auxilia adhibentur. Hinc sanè fit, sitim, vigiliam, cibi fastidium, aut oris vẽtriculi morsus, animi deliquium, phrenitidem, & grauissima alia accidentia, quæ ex participatione venenosi humoris suboriuntur, magis prosternere vires, ac laborantes perdere, quam præcipua affectus ratio. Ob id sanè leuioribus accidentibus, & quibusuis sedula diligentia subueniendum est, vt malum in eadem parte firmatum eradicari possit. Docuit in hoc affectu quotidiana experientia, ex neglecta vigilia, aut leui capitis dolore delirium, ac sæpè phrenitidem suboriri; ex siti gutturis exulcerationes, aut conuulsiones; ex cibi fastidio, oris ventriculi morsus; ex nausea leui, irreparabilem singultum. Quamobrem nihil est in hoc affectu contemnendum, sed etiamsi primo accessu symptoma aliquod leue appareat, tanquam maioris mali præsagium prouidendum est, ne vltra pergat, Qua-

A mobrem duplicem oportet huius maligni humoris considerare motum: *Vnum* ad interiora, tanquam ad principia, & officinam sanguinis, caloris, & spirituum, quæ propriam venenosæ huic febri substernũt materiam, quia maiorem cum his obtinet sympathiam, & ob id intus reconditur in vasis maioribus, ac prope cor ipsum putredinosa materia, quia protinus confugit ad eas partes venenosa qualitas. *Alterum* vero ad peculiare aliquod membrum, idq; multis rationibus: aut quia imbecille est, aut quia excrementis scatet, aut spiritibus abundat, aut situm habet ad recipiẽdum idoneum, aut quia venenosa qualitas tam est efficax, & maligna, vt etiamsi bis omni-

Humoris maligni motus duplex.

1. Ad interiora.

2. Ad peculiare aliquod membrum.

B bus viuis membra careant, cum hoc tamen ipsa apprehendat: nam licet in vnico resideat loco putredinis minera, ex feruore tamen, quem mox contrahit, sese expandit halitus quidam ad alia viscera, vbi consimilem infert affectum, ac nonnunquam humoris ipsius peccantis, quod tenue est, & subtilius, simul cũ halitibus in membrum susceptioni paratum promptissimè irruit, quorum omnium symptomata recensere, ac singula mitigandi rationem docere in animo est.

Ventriculus curocyssimè cõtagium suscepter.

Ventriculo maligna febre laborantium qualiter prospiciẽdũ.

Inter membra, quæ ocyssimè huius venenosæ febris contagium suscipiant, ventriculus sanè est, qui mox nausea corripitur, cibi fastidio, dolore, ac procedente morbo singultu, idque priusquam aliud mem-

C brum, fortassis, quia raro excrementis caret, quibus promptissimè suscipitur veneni mala qualitas. Quamobrem, *vt superius diximus*, curandum primo est, eius excrementa leui aliquo pharmaco deponere, vel clystere paulo acutiori: tum vt sanguinis missioni locus supersit: tum ne morboso apparatui proprijs excrementis materiam suppeditet: tum vero vt topicis auxilijs, si quando opus fuerit, locus sitbsit. Quod si id opus non fuerit *(aut iam factum)* curandum omni ingenio est, venenosos illos halitus, aut humores eadẽ labe fœdatos, aut diuertere, aut corrigere, aut exstinguere. Quapropter ab alui subductione *(nausea, fastidio, dolore, aut vomitibus existentibus)* oportebit ventrem bis die ante cibum perfricare, donec rubescat,

D vt quid vitiosum ad partes externas alliciatur, aut inũgere *oleo illo mirabili* ex descriptione *Matthioli*, aut *oleo de seminibus cucurbitę, & melonis, addito modico nardino*: sed quod frequenti vsu probauimus, sanè est, halitus, aut humoris malitiam, aut feruida aqua discutere, & retundere, aut acidis, & frigidis apozematibus exstinguere, & frænare, quem vsum præstat succus *agrestę cum sacchavo, & aqua portulacę*, aut *panis mica eodem succo, aut oxalidis imbuta, mali granati acidi quoque, succus limonum cum saccharo, & aqua scorcionerę, aut portulacę frigidissima*, item parum *aceti* dilutissimi cum *aqua cucurbitę, aut acetosę*. Quod si humoris acris, & erodentis aliquid præesse ibidem nobis fuerit compertum, leuissimis medicamentis,

E aut alimentis, & iusculis rem agere oportebit: veluti est *alica, ptisana, amylum, mucilagines seminis cotoniorum, & psyllij cum saccharo, & modico aceto confectę*: quibus etiam admiscere oportet ex *alexipharmacis* aliquid, quo veneni mala qualitas retundatur, corrigaturve: atque eisdem per interualla vti oportet, interim dum purgationi datur locus. Cauendum tamen in hac re est, ab his, quæ vulgariter exterius apponuntur, nisi aut ingens dolor, angor, aut animi defectio adeo premat, quòd nos cogat ad aliquod leue, & vtile præsidium peruenire, veluti est *mica panis leuiter tosta, succo granatorum, aut agrestę, cum modico vino imbuta, irrorata ve puluere diarrhodonis, aut coralli, & cinnamomi*. Verum si æstus præualuerit, non displicebit *oleo rosaceo* completo, cum modico *oleo absynthite*, & *vino*, ventrem inungere. Quod si adeo accidentia perstiterint, & compertum fuerit ventriculum calidis gaudere, aut in eodem esse viscidi, & crassi humo-

Cautio de epithematis ventriculo non admouendis.

ris aliquid, aut sufficienti calore natiuo carere, adhibere tuto possumus parum *theriacæ aqua scordij* dilutæ, veluti si calidus supra modum fuerit venter, & humores, qui ibidem morantur, confectionem ex *santalis*, aut aliud ex his, quæ frigida esse alexipharmaca antea diximus, præbere oportet, & pari pensum singultu res fieri debet: præterquam quod in eo, dũ plurimum laborans defatigatus labitur, deuenire ad opiata non erit abs re. Cæterum in primis mihi est cõpertum prodesse plurimum, syrupum præbere ex *succo portulacæ*, aut ex *papauere*, aut *emulsionem quatuor seminum frigidorum maiorum*. Verum his prætermissis, non erit præter rationem *Philonij gr.* 10. cum saccharo rosaceo commixta præbere, idque dum vitæ periculum impendet, si res differatur, alioquin minimè, aut cautè. Quod si ventriculi accidentia, quæ retulimus, non plurimum vrgeant, nec plurimum eis innitendum est, nec omnino negligenda sunt. Sed interim dum maioribus prouidemus, illorum nonnihil concedendum esse consulit curandi ratio.

Nauseę, & vomitui qualiter occurrendum.

Verum si ob spirituum exsolutionem, & frequentem oris ventriculi dolorem, nauseam, vomitum, aut singultum animo deficiat laborans, *iusculis roborantibus*, qualia superius diximus, *modico vino, odoramentis, aere frigido, & ex aqua aliqua odorata irrorato*, alexipharmacis pretiusionibus adhibitis, res agenda est: nam interim dum affectui prouidemur, virium quoque habenda cura est, & eo magis, quo in hoc affectu viribus nobis magis est opus, & ipsæ ob morbi malitiam, & frequenti exsolutione periclitantur.

Cordis accidentia ꝗ maligna febre quę remedia desideręt. Epithemata reprobanda. Sacculus. Inunctio Chimicę instillationis.

At in hoc affectu frequentius quam quoduis aliud membrum cor mille accidentibus premitur, cui subuenire non audent Medici, credentes, nullum aliud esse auxilium huic vsui proficuum, præter epithemata frigida. Mihi tamen in hac re nõ est dubium, quin calidus feruentissimus, & venenosus ille cordis affectus, nulla lege externus refrigerantia exposcat, ob mille inconuenientia, quæ nulli esse ignota censeo: neque rursus calida, ne intensius furat, & efferuescat in eo affectu materia. Cæterum dum cor pati plurimũ cognouerimus, excogitare oportet, ne vires labantur, auxilia, quæ illi citra damnum sint proficua, qualia facilè apud peritissimos artifices reperiuntur, quæ venenis resistunt, & spiritus roborant, ac firmant: quem vsum præstat *constructus ex serica aliqua tela sacculus*, qui molliter factus cõtineat, *specierum cordialium temperatarum* ℥. 1. *seminis citri, acetosæ, florum buglossæ, borraginis, rubearum rosarum, anà* ℥. ß. *camphoræ* ℈. 1. *santalorum rubeorum* ʒ. 1. quibus subtiliter puluerizatis addi potest pulueris *radicis angelicæ, bistortæ, foliorum scordij, anà* ʒ. ß. Licet etiam regionem cordis iungere instillatione chymica arte ex theriaca hac lege extracta: excipe *electuarij de hyacintho, & theriacæ, anà* ʒ. 1. *dissoluatur in succo scordij, pimpinellæ, scabiosæ, & acetosæ, extracto quidem cum aqua rosacea*, ea quantitate, quæ libram compleat, quibus adde *pulueris cinnamomi* ʒ. 1. *santalorum omnium* ℥. 1. *pulueris diambrę, diamoschi, anà* ʒ. ß. *diamargaritonis frigidi, electuarij de gemmis sine speciebus, anà* ʒ. 1. misceantur omnia cum ℥. 6. *succi pomorum dulcium* redolẽtium, & in alembicum immissa stillentur per balneum Mariæ, cuius efficaciam proculdubio semper magnifeci:

Matthioli oleũ quid pręstet.

nam præter id, quod neque calorem neque feruorem intendit, incredibili quadam efficacia cordi opitulatur; quod beneficium etiam præstat prædictum *Mattheoli oleum* cordi adhibitum.

Dysenterię in maligna ortę quomodo occurrendum Lienterię quomodo.

Delabitur sæpissimè humor in hac fallacissima febre ad intestina, citatque aluum ipsam, aliquando excitata dysenteria, cui protinus omni arte subueniendum est, leui purgatione ex rhabarbaro facta. Cæterum frænata prius prædictis syrupis, apozematibus materia, & exstincta quoque venenosa humoris qualitate alexipharmacis. Verum si leuitas intestinorum aliquando acciderit, prouidendum est protinus, ne vltra pergat, idque non adstringentibus medicamentis, sed alexipharmacis: nam coniectabile est, materiæ vitium expultricem ventris facultatem ante debitum tempus irritare, quamobrem oportebit alimenta tenuioris, & facilioris substantiæ porrigere, vt nullo negotio, & breui tempore eadem natura cõficiat: neque ob id supersedendum est à syrupis, & his, quæ malam qualitatem humoris retundunt. Cæterũ apozematibus vti oportebit rarius, frequentiùs verò pulueribus alexipharmacis.

Diarrhęę quomodo.

At si diarrhœam excitauerit humur, cautius est procedendum, *vt latius dictum est libro nostro de præsidiorum indicatione*, quamobrem huius rei præcepta subticeo.

Sitis, & linguę scabrities malignę accidens quomodo mitiganda.

Sitis vero, & linguæ scabrities mitigandæ quidem sunt, vt quæ sua sponte affectum ipsum intendere sint nata: & ob id tanquam peculiare febris remedium compescendas esse consulit Galenus *lib. 6. pop. par. 3. text. 29.* inquit namque Hippoc. *Siti carentem os claudere, tacere, ventum cum potu frigido inducere*: qua parte Galenus hæc refert verba: *Hoc scripsit Hippocr. ex iis vnum, quę totam febrium curandarum rationem in mentem reuocare queant*: & subdit paulo inferius: *Hęc sunt verò, prima quidem motibus opposita, laborantis corporis quies, secunda omnia reliqua, ex quibus calorem febrilem comitantia magis mitescant, & non exasperentur, inter quę vnum est ipsum à siti defendere.* Per quæ autem sitim prohibent, adiecit, *clausum os habere, ac tacere, auramque frigidam cum potu introducere.* Qua sanè sententia includit duo potissima, quibus sitis in his febribus, de quibus loquimur, suboritur: humiditatis nimirum inopiam, & feruidum calorem: inopia enim humiditatis quodammodo resarcitur otiantibus oris instrumentis, nam eò plus humectat id, quod ex natura ad os defluit, quò instrumenta magis quiescunt. Exurens vero calor ex frigido aere inspirato, & potibus mitescit, ac attemperatur, & ob id summã mitigationis huius accidentis his duobus capitibus sitam esse censeo: quorum aliud nimirum quies, & otium, vocalium instrumentorum sitim interdicit, & remoratur: aliud vero eandem exstinguit frigidis aquæ apozematum potibus. Oris item extersionibus sitim non minus compescimus, illis quidem, vt sordes aridæ, & siccæ, ac excalfactæ sitim intendentes, abstergantur abluanturque: his vero, vt propria humectatione difficilius natiua oris humiditas resoluatur, ac ore frigidiori facto frigidiore quoque aere per respirationem attracto, potiatur laborans. Humectabitur porro syncipite irrigato *oleo frigido*, aut *rosaceo*, aut *decocto aliquo frigidarum herbarum ex alto delabenti, oxyrrhodino linteo quoque imposito*. Edat etiam laborans *frigida cibaria*, & *olera*: vtatur *tragacantho in oui crudi albumine dissoluto*, & cum *semine cucumeris contrito*, ex qua fiat pilula, quæ ore detenta paulatim deglutiatur, vtatur quoque ramentis *cucumeris, citruli, melonum, & cucurbitulę, & folijs lactucę, plantaginis, & scariolę super linguam positis, ac frequenter aqua frigidissima ablutis*, vtatur quoque *ablutionibus*, & *gargarismatibus*, quibus parum *aceti* sit admixtum, aut *vini rubri*: ex aqua item *hordei cum syrupo rosaceo, & modico aceto*: item *lacte amygdalarum dulcium*, aut *ptisana dilutiori*, vel *caprillo lacte*. Extergere item linguæ scabritiem cum *spongia*, postquam *syrupo violaceo, aut mucilagine cidoniorum, vel posca* maduerit. Itẽ madefacere, & humectare linguam oportet mucilagine *seminis cidoniorum, aut psyllij extracta aqua rosacea, & modico aceto*, ac postmodum extersorio aliquo instrumento ex auro, aut argento, aut cannarum trũco confecto, linguam molliter abradere oportet. Sitim quoque summopere exstinguit, somnum conciliare, licet in malignis febribus id sanè non sit, quinimo sæpissimè intensiorem efficit, & ob id alijs ingenijs

nijs vtendum esse censeo,& ore semper aliquid continendum.

Dolores malignæ febri superuenientes à quibus caussis fiant; & quibus auxilijs mitigādi.

Non minus solet in hoc affectu Dolor facessere negotium,quam quoduis aliud accidens, cui tāquam maioris mali præludio ocyssimè subueniendum est. Conqueruntur frequenter hac febre laborantes de dolore dorsi, renum, & totius corporis, sed præcipuè capitis,ac præsertim partis eius anterioris: quos omnes censeo excitare vnicam,& eandem caussam. Nā in affectus principio mihi non est dubium,quin vitiosa illa plenitudo, quæ morbosum substernit apparatum,id efficiat. Cæterum in ea vtcunque deposita,rationabile est, putridum, & malignum halitum eadē accidentia concitare, præsertim capitis dolorem, qui tam est mordax,acris, & nostræ naturæ inimicus, vt quascunque attingat partes,alteret,ac prauè afficiat: B & ob id prætermissis alijs caussis, quæ frequenter in alijs febribus eadem, aut diuersa soleant concitare symptomata, harum tantum *(quas potissimas in his doloribus esse censeo)* meminisse hac in parte decreui. Sic,cuiusuis partis dolor sit, siue capitis, siue renum, aut totius corporis, incipiente affectu nullum aliud licet adhibere præsidium,præter id,quod copiam illā, siue morbosum apparatum deponat, sanguine nimirum misso,aut medicamento,vt par est,exhibito: atque interim oportet bona spe ægtum alere, ne ex importunis querimonijs corpore existente pleno,aut impuro, aliquo ex anodynis auxilijs vti cogamur: præterquam quod mollibus clysteribus oportet corpus temperare,& vtcunque vacuare. Cæterum si deposi- C ta plenitudine ex his accidentibus aliquod supererit, suspicandum est,acres,caliginosos,ac fuliginosos halitus caussam his omnibus malis præstare: licet coniectandum quoque sit, aliquid humoris peccantis eisdem commisceri: quamobrem medendi ratio consulit,& reuellendum primo esse,& repellendum *(præsertim à partibus, quæ in id consenserint)* & discutiendum,ac vltimo mingandum.

Capitis dolori quib. prouidendum.

Sic capitis dolore affecto post depositam plenitudinem, & victum optimè institutum *(nam eius indebita ratio huic malo frequenter fomentum præstare solet)* prouidendum est crurū frictionibus, ligaturis, ac frequentibus cucurbitulis à suris vsque ad ceruicem affixis: sæpè citra scarificationem,aliquando cum ipsa,in suris,præsertim dolo- D re incipiente, dum suspicamur nondum aliquid esse in cerebro receptum,nam si quid iam est,partes prope caput ipsum scarificandæ sunt: item præcauere oportet,caput ne amplius susceptet,oxyrrhodino ex *oleo rosaceo*,& *quarta aceti parte* confecto. Quo à principio doloris *(si corporis dispositio permiserit)* tēdum esse censeo, potius quam dum aut plus quam par est, caput susceptauit, aut imbecilli facto, nihil prodesse possit. A quo non displicebit ad anodyna peruenire, ea nimirum, quæ ex narcoticis leuia sunt *(nam ad ea, quæ aut caput laxant,aut mollia,& calorifica sunt, incipientibus ve febribus, sola doloris ratione, peruenire non decet: disponunt hæc profecto caput, vt amplius suscepiet, quinimo vt trahat: & ob id cauendum est à calorificis auxilijs, donec affectus conditio,& tempus ea expostulent)* quem vsum pręstat vnguentum *populeon* temporibus,& foraminibus nasi illitum. Item *syrupus papaueris* mensuræ ℥. 1. cum modica *aqua buglossæ*. Quibus vt necessitas postulauerit repetitis,aut dolor subsidebit,aut in alium affectum, qui peculiarem requirat diligentiam, degenerabit, *vt paulo inferius docebo*.

Dolori totus corporis quibus resistatur Renū dolori quib.

At totum corpus si doluerit,præter vniuersales vacuationes nullum aliud auxilium admittit pręter vniuersales totius frictiones, vt attractis, ac resolutis per cutem halitibus,dolorosam,ac molestam illam lassitudinem mitigemus. Cæterum subueniendum est renibus non externis *(ex rosaceo, aut quouis alio)* inunctionibus, sed refrigerantibus, & mollibus clysteribus,quale ex decocto *hordei,& sacharo, oleo rosaceo,* A *& vitellis ouorum* conficitur, à quo dormire studendum est: item alimentis temperatis,ac frigidis,veluti *panis lacte amygdalarum dulcium*,& cætera, quæ eundem vsum superius præstare diximus.

Vigiliam si inducat maligna febris quibus ingenijs somnum conciliare oporteat.

Ab his coloribus diu perseuerantibus,atque etiam ex ratione malignitatis febris,mox Vigilia (*grauissimum alioquin malum,& maiorum accidentium præludium*) suboritur,cui protinus subueniendum est:nam præterquam quod vires plurimum dissipat, humores ad caput quoque allicit; quod quidem solet esse delirij,ac sæpè phrenitidis, & signum, & caussa. Atque cum id fiat ex calore feruenti, ac halitibus acribus, & mordacibus,sicut ex oppressione, vel dolore capitis,vel alia iactationis,& inquietudinis caussa,quę spiritus supra modum attenuans,& varie dispergens,vi- B gilarum caussa existat, necessum profecto est eis prouidere,distractis vaporibus,& refrigerato feruore: illud quidem diuersionibus factis per frictionem, & cucurbitas suris,& natibus affixas,ac per ligaturas extremarum partium. Vtendum tamen cautè est crurium lauacris: neque vnquam nisi maximè præmunito corpore sunt adhibenda: euacuato ipso nimirum, & ante macularum appatitionem, ac in conclaui calido,& ab omnibus externis iniurijs præmunito, aut densa existente cute, aut humore raptum ad aliquod membrum ex superioribus, & præcipuis minante. Feruorem autem exstinguunt aquæ frigidæ,aut apozemarum vsus,præsertim prope horam somni. Quod si hæc sufficere non videantur,quatuor alijs ingenijs C somnus conciliandus est: *Primò* quidem modulationibus,& distractionibus rem agere oportebit,fontanellis arte factis, & aquarum fluentium lento susurro,musica,& grata aliqua cantilena. Item conuenit aliquando ipsum laborantem fatigare, vt fatigatus requiescat. Cæterum in hoc affectu nullum aliud exercitium efficere conuenit, quam laborantem cogere apertis oculis stare,quemadmodum consulit Hippocr. *lib. 6. popul. par. 4. tex. 16. Somnus* (inquit) *stabilis rectorum mutatio*. Quamobrem oportebit brachia eo tempore fricare,ac illis iubere ardentem candelā manibus tenere, donec defatigati dormire quodammodo cupiant, nam plerumque vetita appetuntur intensiùs. Tertiò vero somnum conciliare oporte- D bit his medicamentis, aut alimentis, quæ frigidiores vapores ad cerebrum transmittant,quemadmodum *amygdalatum* frequenter efficere solet.

Somnus quibus medicamētis cōcilietur

Item paramus conditum, q. ℞. *sacchari rosacei, violacei, & borraginis, anā ℥. ß. pulueris papaueris albi, & fœniculi, anā* ʒ. 3. fiat conditum cum *auri laminis quatuor, & modico sacharo*, eodem modo in ouo *sorbili* ℈. ß. *seminis papaueris nigri* adijcere possumus. Exhibemus etiam eclegmatis ex *papauere cochlearia tria, aut quatuor* in remissione febris, præsertim si diu ore contineantur: Præstat eundem vsum porro hæc somnifera, q. ℞. *decoctionis lactucæ, & portulacæ vehementer expressæ* ℥. 2. *syrupi de papauere* ℥. 1. misce, detur *quatuor saltem horis à cœna*: si vires sint alioquin imbe- E cillæ, additis *pulueribus diamargaritonis frigidi gr.* 10. Quem etiam vsum præstat capitis irrigatio ex *oleis violaceo, nenupharino, cucurbitæ, & papaueris cum succis lactucæ, intybi, solani, vmbilici Veneris*. Cui auxilio mox sequitur quartum, & vltimum ingenium, quo somnus conciliatur, detentis nimirum,& veluti sopitis in cerebro spiritibus animalibus quo minus possint ad sensus instrumenta libere adire, quod perficitur rebus frigidis exterius adhibitis: veluti est inunctio ex *vnguento populeo* naribus,& fronte illitis. Præstat eundem vsum *spongia frigida madefacta decocto*, q. ℞. *foliorum hyoscyami, & mandragoræ, & foliorum papaueris albi, anā m. 1. succi lactucæ* ℥. 4. quo auxilio cum vti voles, tepidum naribus, & fronti apponito, quod si necessitas vrgeat, dissoluere *opij gr.* 10. prædicto decocto est necessum.

Verum

Maligna febre laboranti, si laboret delirio, ac phrenitide, quomodo subueniendum.

Verum si his omnibus exhibitis adhuc vigilia perstiterit, præsertim si manuum, aut pedum leuis tremor apparuerit, aut à somno, si fortè dormierit, turbatus excitetur, aut inter dormiendum loquatur, vereri oportet, ne laborans in delirium, aut phrenitidem incidat: & protinus antequam veniat, prouidendum est omni arte, nam facilè exsiccatum excalfactumve caput præ vigilia, & susceptat, & ab inferioribus trahit. Quapropter mox frictionibus, ligaturis, ac frequentibus cucurbitulis longè distrahere halitus oportebit, & tandem caput *oxyrrhodino* præueniendum est, antequam humoris aliquid suscepter. Quod si delirare inceperit, & his, quæ diximus, non quieuerit, cucurbitulas suris affigere oportebit, easque scarificare, & plurimum sanguinis extrahere. Atque si ne hæc B quoque profuerint, sed vigilia, perturbatio, ac deliriū adhuc præualuerint, prope ceruicem cucurbitæ sunt apponendæ, ac etiam scarificandæ, & vltimò brachijs ipsis, nimirum in eorum parte superiori: quas sanè partes scarificare, obseruatione compertum habeo maximi esse momenti in hoc malo, ob venarū, quæ capiti inseruntur, naturalem ductum. Verum si his omnibus factis delirium adhuc non quieuerit, cōiectandum est, aliquid iam esse in capite receptum, ac fortasse firmatum, cui non sufficiunt reuulsiones neque repellentia: sed constat necessum adhuc esse, ad ea auxilia, quæ à capite ipso euacuant, deuenire: quamobrem si in veram phrenitidem malum degeneret, C oportebit, vena frontis, aut nasi incisa, quod caput receperit euacuare, & mox idem per auxilia, quæ insensibiliter euacuant, tentare: ob idque addere *oxyrrhodino* aliquid discussorium oportet, veluti est *oleum chamæmeli*, & tantum eius adijcere necessum erit, quantum accidens hoc alijs auxilijs nō quiescere fuerit compertum, donec solo vtamur *chamæmelino* cū *modico aceto*. Deinceps verò ad ea, quæ actuali calore atque natiuo persimili resolutionem moliri possunt, deueniendum est: quem vsum præstant *arietis pulmones* feruentes naturali calore: quos à caloris remissione decoquere oportet *in aqua, adiectis floribus chamæmeli*, & sępius capiti apponere, aut *columbarum pullos* per dorsum apertos, item *canum catulos* eidem parti, D & eodem modo per dorsum scissos apponere expedit, donec affectio quodammodo subsideat, ac quò magis quieuerit, eò rariùs, & minùs his vti cōueniet, ne caput ex calore externo maiorem contrahat feruorem, & magis subinde ad se humores alliciat.

Qualiter subueniendum, si somnolentus fiat, & lethargo laboret.

Solet non minus negotium facessere in hac febre importunus, & intempestiuus somnus, quàm vigilia ipsa, ac rursus idem, aut grauius malum minari, & euocare; nam cum morbosus apparatus ex aliqua pituitæ, aut humorum crudorum, vel crassorum copia concitatur, dum incalescunt, & feruorem concipiūt humores, à se protinus transmittunt halitus crassos, densos, & caliginosos, quibus caput somno grauari necessum est, ac sæpè, quod ex humoribus aquosius E est, in cerebrum etiam irruit, & ex prædictis vaporibus tanta sæpè frigidi, & crassi humoris copia in cerebro congeritur, vt promptissimè laborans in profundum somnum, & lethargum irruat. Quamobrem mox à principio capiti prouidendum est, distractis halitibus, & humoribus, eisdem omnino auxilijs, quæ vtilia phrenitidi antea diximus, dummodo frequentius adhibeantur, vt omni arte facultates animales excitentur, auulsis nimirum digitorum, pedum, ac manuum pilis, aut ligatis digitis, aut contortis, ita vt dormire minimè permittatur. Præstat quidem maximum beneficium in hoc affectu, vt probatissimo vsu compertum est, cucurbitulam cum scarificatione occipitio affigere, ea parte, qua cutis capillata desinit: deinceps eadem *oxyrrhodina* capiti sunt admouenda, admixtis à principio, quæ modicè discutiendi vires obtineant, veluti *oleum chamæmeli*, A & ea omnia, quæ in phrenitide esse resolutioni proficua diximus.

Hirudinū vsus in somnolentia, & lethargo.

Quod si neque cucurbitulis, neque frictionibus, neque sanguine misso, aut ligaturis affectio quieuerit (*neque olfactus ex acerrimi acidi modicè calfacti, & feruefacti ℥. 3. cum ℈. 1. castorij*) obseruatione mihi, & Medicorum doctissimis probatum est, & rationi cōsonum, hirudines hæmorrhoidibus affigere (*sicuti in phrenitide incipiente par est*) & tantum sanguinis extrahere, quantum facultatem ferre compertum fuerit, præsertim si laborans hæmorrhoides sua spontè habuerit, aut febrilis apparatus crassus, melancholicus, aut pituitosus fuerit: nam huiusmodi humores citiùs, & tutiùs per eas venas, quam per alias, vel sua spō B tè (*nedum hirudinum fultu*) excernere assueuit natura. Quod sanè auxilium tanti est momenti, vt non solum, quæ diximus, præstet bona, sed difficulter in hac febre respirantibus mirè opituletur. Et ob id placuit semper his omnibus exposcentibus hoc vti pręsidio. Quod si adhuc malum perstiterit, necessum est ad sternutamenta, & alia præsidia, quæ huic affectui proficua passim apud auctores reperiuntur, peruenire. Noctu tamen, quæ somnum vehementer arcēt, non sunt adhibenda.

Parotides malignæ febri superuenientes quibus auxilijs curanda.

Dum caput in hac febre maligna à principio plurimum patitur, & ipsum ex propria natura validū, ac firmum est, contingit frequenter (*transmissa humorū ea copia, quæ præstatura erat prædictis affectibus mate* C *riam*) parotides fieri aliquando non minus lethales, quam quoduis aliud malum: aliquando verò salutares, præsertim dum eo statu supersunt vires, quo possint vacuationem aliquam ferre, vel materiam aliunde transmittere, aut insensibiliter discutere, vel suppurare, & diu huic operi sufficere. Verum dum, aut solū huius febris solutionem, aut, *vt rectiùs loquar*, mutationem tētauerit natura citra integram perfectionē, aut tantum parotides creuerint, quod laborans suffocatione periclitetur, citra id, quod possit aliquod auxilium ex magnis tolerare, maius subinde licebit periculum timere. Quamobrem prouidēdum est primo, vt quam crebertimè parotides in auxiliū properent: quod sanè officium non solum est exsequendum, sed D tētare simul materiæ discussionem oportet, ne si plus humoris, quam par sit, ad partem trahatur, laborans forte suffocatione periclitetur. Quibus equidem apparentibus (*permittentibus tamen viribus*) sanguinem ex cephalica eiusdem brachij mittere pro virium robore oportebit; sin aliter, cucurbitulas cum scarificatione eidem brachio affigere, aut scapulis ea parte, qua malum viget; & mox ea auxilia sunt adhibēda, quæ citra maximam attractionem discutiendi vires obtineant, veluti *oleum chamæmelinum calidū*, & frequenter adhibitum, lana, aut panno exceptum: quod si profuerit, innitendum est, donec ex toto parotides euanescant: sin aliter, emplastro vtendum est, vulgo *maturatiuo* nuncupato, quod cum *vitellis ouorum*, E *chamæmeli oleo, & de semine lini, ac croco* pistare oportet: quo sanè & discuti, quod ad id habile est, & suppurari reliquum facilè solet: in his vero, quæ velociter augmentum susceptant, non oportet attractorijs pharmacis vti, sed ea auxilia esse adhibenda consulit Galen. *lib. 3. pharmac. lo. cap. de parotidibus*, quæ mitigandi dolores, ac leniendi vires obtineant: sicut in alijs, nimirum quæ lentè prorumpunt, & pestilentes sunt, & attractorijs vti, & cucurbitis eadem parte affixis. Quod si compertum fuerit, aut tantum crescere, aut venenosæ esse naturæ, vt laborans suffocatione periclitetur, antequam aut discussioni, aut suppurationi sufficiat natura, consultissimum est, *candenti auro*, aut *leni aliquo ferro* eas vnico foramine aperire, vt veneni vis, aut immodica humorum copia facilius expiret: quo sanè auxilio plurimos veluti deploratos sanitati fuisse restitutos compertum est.

Emplastrum maturatiuū.

CAPVT III.

De Morbillis, & Variolis.

Cutaneorum affectuum duplex natura.

Est quidem eorum omnium, quæ in cute apparent, duplex natura: *Vna* quidem eorum, quæ febrem antecedunt, & prius per cutem erumpunt, ac mox febris ſequitur, quod tãquam perniciosum ſymptoma damnauerunt auctores omnes: nam credibile eſt, excretionem illam ſymptomaticam eſſe, & natura irritata factam: ſiquidem humores illi ita ſunt pernicioſi, vel copioſi, vt eos ante tempus natura expellere cogatur; cui ſi febris ſubſequatur, pernicioſam eſſe, & ex malignissimo humore ortam coniectabile eſt.

2\. *Altera* vero horum conditio eſt, cum natura, per criſim vincens, & ſuperans, humorem illum malignum ad cutem mittit, febre antecedente: cuius conditionem benigniorem eſſe cenſemus, vt frequentiſſimè in variolis, & morbillis accidere cõſpicimus.

Variolæ, & morbilli ſunt excretiones criticæ.

Nam tranſacta tertia, quarta, & interdum quinta, aut ſeptima die ipſius febris, quibus natura aggreſſa eſt humoris illius coctionem, perſentiens eius vitium, ac præcauens principalia membra, ad cutem, dum robuſta eſt, ipſum pellit, modicè peracta coctione: qua facta, cutis maculatur, & febris ſubſiſtit, & quieſcit, quia expellitur vniuerſus humor, antequam ſubeat putredinem maiorem: nam ſi intenſius putreſcat, certũ eſt ante perfectam coctionem tuto nuſquam expelli. Verum inter ea, quæ ad cutem pelli aſſolent, duo ſũt, quæ huic capiti propria exiſtunt, Morbillus nimirum & Variola. Quarum ſanè excretionum natura eſt, vt ex copioſo, & vitioſo ſanguine ſolo, vel alicui alteri humori adiuncto, variolæ proficiſcantur, quæ ebpulentiores ſunt, & craſſiores cutis eminentiæ: Vel ex pauciori, cæterum tenuiori, feruidiori, ac biliosiori ſanguine: quo fit, vt *rubicundiores* fiant in cute maculæ, longè tamen prædictis minores, quas *morbillos* iure optimo appellamus.

Variolæ & morbilli quid differant.

Itaque variolæ arguunt maiorem copiam craſſioris humoris, morbilli minorem, ſed ob humoris agilitatem non minorem malignam, maximè ſi iterum retrocedant; nam aliter facilè reſoluuntur: vtraque tamen critica eſt naturæ actio. In his autem humoribus expellendis natura mouet genus quoddam febrium huic ſolum morbi generi proprium, & familiare. Quod ſanè medium quoddam tenet inter febres ſimpliciter putridas, & malignas, ac peſtilentes: quippe, *vt dictum eſt*, ſunt quædam febrium genera, quæ in ſola humorum putredine citra aliquod aliud peculiare vitium cõſiſtere ſcimus: ſunt etiam alia, in quibus venenoſa, & maligna præpollet natura magis, quàm putredo ipſa, inter quas medium hoc genus conſtituitur, in quo humorum putredo reperitur, non tamen adeo intenſa, & grandis, ac in ſimpliciter putridis, & forſan mitioris conditionis: Item adeſt maligna, & contagioſa natura, longè tamen inferior ea, quę in peſtilentibus reperitur, & multis numeris ab omni alia malignitate diuerſa. Cuius ſanè febris naturam vt callere poſſis, ſcito, febrem hanc triplici eſſe inſignitam conditione, nimirum,

1 de genere continentium, & cum leui putredine, ac peculiari, & ſibi propria malignitatis ſorte.

Variolarum, & morbillorum febres de genere continentium ſunt. Quid differant à communiter continentibus.

Circa *primum* ſciendum eſt, optima ratione conſtare, *eſſe continentem*, quia potiſſimam omnium quæ in cute apparent materiam ſanguinem eſſe, inficiabitur nemo, vt qui antequam degeneret in alios humores, nacto ex efferueſcentia, & leui putrefactione *(ex maligno calore potius quam ex defectu natiui contracta)* principium in prædictas maculas prorumpit. Quo fit, vt differat ab his, quæ communiter continentes ſunt; quia illæ carent putredine *(niſi velint in aliam naturam mutari)* hæc vero ſemper aliquid putredinis habet admixtum, licet id pauciſſimum ſit, & à cauſſis prodeat longè diuerſis à communi putredine. Quo etiam fit, vt à verè, & propriè putridis differre videatur, quia illæ calorem contrahunt præter naturam, & ingentem putredinem ex prohibita ventilatione, & ob id magna fit putredo, ac longè grauior, & maior in malignis febribus, in quibus plurium calorum præter naturam vis, & efficacia adiungitur, & cohæret, ab eadẽ cauſſa, & à contagio extrinſecus accedente: in hac vero

2 Sunt leuiter putridæ.

Quid à verè putridis differant.

leuiſſima eſt a principio putredo, ac ſimpliciſſima, & quæ leui negotio compeſcitur, quia a proprio, & interno calore proficiſcitur, qui viuatus à principio generationis permanſit: *(vt mox ſum expoſiturus)* cuius corruptio ſi, poſtquam incepit a modo recedere, & à naturæ beneficio, & correctione deuiare, diu in corpore vagari permittatur, ingentis corruptionis, ac ſæpè mortis eſt cauſſa. Quo tandem fit, vt cum natura eam perſentit effrænem, humoreſque in feruorem agitantem prorſus leui correctione facta pellit eoſdẽ ad cutem, vt ſimul pellat cum ipſis venenoſitatem illam, & calorem feruidum ſibi impreſſum. Quibus iã conſtare arbitror, de continentium eſſe genere, & ab eis differre, putredinemque ſortiri, & à putridis etiam mille modis diſſidere. *Eſt etiam maligna hæc febris*, non quidem malignitate peſtilenti, vt in aliis malignis, & peſtilentibus dictum eſt, ſed ſolum ſibi propria, & peculiari, ac nulli alteri febrium ſorte cõmuni.

Sunt malignæ peculiari malignitate.

Quippe in aliis malignitas prodit à cauſſis externis, non naturalibus appellatis, & cauſſaliter accidentibus per contactum, aut contagium, aut per propriã ſubſtantiam operantibus: at malignitas huius febris à natiuis intrinſeciſque cauſſis contractis à principio generationis, nimirum, à ſemine, & ſanguine menſtruo: non quidem, *vt Barbari ſunt arbitrati*, ex relicta in poris materia menſtruali: inſinuarunt quidem cauſſam huius rei, cæterum non perfecerunt.

Variolarum, & morbillorum cauſſa interna qua.

Cuius doctrinæ gratia expendendum eſt, in calore noſtro natiuo à primæua ſui conſtitutione manere aliquid caloris, non omnino genuini, & familiaris, ſed diſſimilis, & vitioſi: qualis naturæ eſt, qui ex ſanguine mẽſtruo prodit, veluti character ibidem impreſſus: qui occaſionẽ arrepta ex leui, & externa cauſſa ipſum excitante, & augente ob diſſimilitudinem aggreditur infirmare innatum: ſed hic efficacior, & potentior factus, in feruorem, & putredinem humores agit, quorum quód putridum eſt, ſimul cum ipſo calore, quem ſuperat, aut ſeparat innatus, & robuſtior factus, pellit in morbillos, & variolas. Quippe cum is calor modeſtius ſe geſſiſſet, & veluti connaturalis exſtitiſſet, nunquam naturalem, qui copioſior, & potentior eſt, excitauit ad pugnam, & eius expulſionem: cum verò extranei opera agere nititur, tum ipſum excitat, & breui tempore ſimul cum humoribus, quos alterauerat, extinguitur, & pellitur, reliquum vero tempus latitare; & quieſcere à natura permittitur.

Semina paternorum, ac hereditariorum morborum.

Quod vt facilius intelligas, ſcito, non aliter, quam in quibuſdã corporibus remanet paternorum morborum ex ſemine, & ſanguine menſtruo principium, & veſtigium *(ita vt qui patiebantur impetigenes, articularem morbum, vel luem Gallicam, filiis eandem præſtiterunt ob prædictorum principiorum corruptelam relictam in calore innato, apto ſubinde ad generandos conſimiles humores, & morbos in filiis)* ita prorſus cõſentaneum videtur, quod licet fœtus fiant, & alantur ex puriori ſanguinis, & ſeminis parte, aliquid etiam, quod non ita purum eſt, ſed vitioſum, & menſtruale ſimul admiſcetur, cuius ratione calidum innatum, quod toti corpori genito commune efficitur, non ſit omni ex parte familiare, & ſimile, vtile, & beneficum, licet ſit naturale, hoc eſt, à principiis generationis contractum. Cuius ratione dum feruidus, & vegetior efficitur calor ille vitioſus ex aliqua interna, vel externa occaſione validior factus in feruorem agit ſanguinem, ac febrem ex ipſo concitat, in quibuſdam citius, in aliis tar-

tardius, prout occasio, aut dispositio corporis, ætatis, A naturæ, & virtutis ferunt: ita vt rarissimum fit, quem quam ab hoc genere febris euadere in vitæ discursu *(licet possibile sit ob puritatem principiorum)* maximè vero in pueritia, vbi calor faciliori caussa feruidus efficitur, & veluti de potentia ad actum reducitur. Qui bus diligenter animaduersis, facilè cuius erit nosse differentiam, quæ versatur inter hunc calorem febris morbillorum, & variolarum, & inter reliquos tam putridarum febrium, quam pestilentium, & malignarum, etiamsi is calor feruidus, & malignus, quòd à na nuis principijs hæc omnia nanciscatur. Quare vero cum hæc mala qualitas adeo sit perniciosa, tot annis innocua, & quieta maneat in corpore, commota vero quauis occasione hominem mille modis perdat, B non est ita facilè inuentu. In qua re sciendum est, calorem illum, cum à principio sit innato admixtus, ab eo regulari, & compesci, donec adueniente occasione validior factus, natiuo posthabito humores aggressus ipsos in feruorem agens vitiat, & sese in ipsos insinuans, conspurcat, & malignitate incredibili perdit, adeo vt nisi citò à corpore pellantur, aut pulsi eua nescant, vel suppurentur, intus, & extra corpus perdant. Cum verò nulla subsit occasio, quæ aut hunc calorem excitet simili contactu, *vt accidit pueris, qui contagionem variolarum ab alijs pueris affectis susciperunt*, aut natiuum imminuat, quo ille vitiosus præualere possit, *vt contingit ijs, qui frigori, calori ve sese præter modum exponunt, vel satietate infirmantur*, multo C tempore côtingit in corpore citra euidens damnum latitare, licet nonnunquam principium existat multorum morborum, alimenta vitians, & prauè humores disponens, quo alij morbi succrescunt, morbilli vero & variolæ, non nisi dum feruorem sanguinis, & aliorum humorum concitant, quo facto amplius nô reuertitur, quia iam à natura superatur, & euincitur, tanquam euidens hostis, cum antea occultus extitisset.

Calor febris morbillorum, & variolarum quid differat à calore putridarum pestilentium, & malignarum.

Ex quibus conditionibus facilè eliciuntur duo ma gni momenti, & notatu dignissima: Primum, *quæ sit ratio, propter quam hic morbus salubriter terminetur maculis his apparentibus in cute, in quarto, & ante ipsum, vel saltem ante septimum, & in febre maligna maculārum prouentus non solum non terminet morbum, sed deteriorem reddat, & deinceps longè grauiorem conspiciamus, cum oportuisset etiam ita fieri in morbillis, & variolis, quia longè crudior est morbus in quarto, quàm in maligna febre in septimo.* Cui dubitationi dicimus. Primum, hanc esse differētiam inter has duas febrium species, quod in variolis, & morbillis plerun que febris incipit à summo vigore, & ob id iuxta optimam rationem fit, tutum, & salubre esse iudicium, quod prima, secunda, tertia, aut quarta die succrescit, quod febribus malignis accidere nusquam visum est, quibus omnia tempora conspicua sunt. Item id etiam accidere credimus, quia febris morbillorum, & variolarum proficiscitur à leuissima putredine *(potius ex feruore caloris illius, quam ex plenitudine, vel crassitie materiæ oborta)* quam cessare facit natura mediante coctione ante septimum, eò quòd leuissima sit, & à facillimis caussis orta, & ob id iudiciū est firmum, ac tutum: at in malignis febribus adeo est ingens, & sordida putredo, vt ne decima quarta die, & aliquando vigesima corrigi possit, ne dum in septima: & ob id maculis apparentibus ante id tēpus malum exacerbatur, & deterior efficitur, quia citra coctionem coacta fuit natura expellere.

Variolæ, & morbilli curquam ratio die, vel saltem an te septimum salubriter terminātur, maculæ in maligna non item.

Secundum quod elicitur ex dictis, *ratio profecto est periculi* (quod multis modis sic affectis succrescere assolet) *in eo morbo, qui adeo breuiter cessat expulsis variolis.* In qua dubitatione expendendum est, periculi rationem stare in duobus: nam vel commouit natura vitiatos, & efferuescentes prædicto calore viDE tiatos humores, & non valuit ob sui impotentiam eo rum crassitiem, aut carnis densam compagem protrudere, & tunc vitio maiori facto retrocuntibus humoribus ad cor, vel ad aliud membrum princeps, lethalis efficitur affectio; aut si copiosè, & confertim prorumpant per vniuersum corpus, cum à natura nô possint regulari, vel excitata diuersa maiori, & maligniori febre, interimunt: vel corrupta parte, in quam incumbunt, eam omnino perdunt fœdissima corruptione.

Variolæ & morbilli quas habeant sui periculi rationes.

Sciscitandum tertio est, *quæ sit huius affectionis natiua conditio*, quod præter dicta incommoda ab omnibus perniciosa habeatur. In qua re arbitrandum est, multis rationibus esse pertimescendum: tum ratione febris, quæ præcedit, ac malignam, putredinosam, & feruidam sortitur conditionem, *quemadmodum antea dictum est*: quippe sola, & per se periculo non careret: tum etiam ratione macularum, quæ in cute apparent. Nam morbillos esse deterrimæ conditionis probat Hippocrates *lib. de Coac. prænotion.* dicens: *In quibus febribus maculæ in cute apparent, lethale signum est, nisi in maturationem venerint: at morbilli nunquam maturantur*, ergo *lethalis erit eorum prouentus.* Auget insuper periculi rationem fraudulenta morborum conditio, quippe non raro mox à principio delitescunt, & retrocedunt, non sine magno periculo decubitus in aliquod membrum princeps: quod etiam Hippocrates damnauerat dicens, *periculosos esse tumores apparentes, & subito euanescentes.* Præterea non minus graues sunt variolæ, quia si non maturantur, idem periculum portendunt; si vero in maturitatem deducantur, vereri oportet, ne sordida illa putredo, vel calorem innatum totius corporis extin guat, vel alicuius membri integram corruptionem moliatur. Cum hoc tamen morbilli, quatenus pertinet ad eorum naturam, securiores sunt, si Medicus prudenter retrocessum diligentia caueat: variolæ vero periculi rationem sitam habent in protractione sanguinis detractionis: nam dum prorumpunt copia deposita, securiores sunt ob suppurationem. Sunt item ex his plures, & pauciores mediocribus deteriores: quarum quæ rubicundiores sunt, securiores existunt, flauæ minus, liuidæ, & nigræ deteriores, albicantes vero mediocres sunt inter optimas, & pessimas. Sed omnibus deteriores existunt, quæ apparēt, & delitescunt, item hæc, quibus adiungitur alui fluxio, vomitus, respirandi difficultas, anxietas, animi deliquium, vel aliquod capitis vitium, aut mentis delirimentum. Coniectabile namque est in his omnibus, naturam è venis misisse peccantem humorem, non solum ad partes extimas, verum & ad caput, ad asperam arteriam, pulmonem, ventriculum, intestina, & nonnunquam prope cor. Sed his omnibus adhuc periculosiores existunt, quibus post completum apparitionis tempus febris iterum exacerbatur, & ac cidentia, quæ præfuerant, adhuc perstant, argumentum sanè euidentissimum venenositatis ipsius humoris adhuc intra venas manentis: Nam sicut in optima ensi subita sit mutatio ad salutem, neque aliquod relinquitur accidens, alioquin aut morbum non esse solutum, aut recidiuam futuram ostendit: sic quoque in variolis non rarò accidisse comperimus.

Variol. et morbil. natiua conditio.

Quæ sint alijs securiores, aut deteriores conditionis.

Necessarium, & proficuum est, non solum, vt in reliquis affectibus, sed longè vtilius, & præstantiùs in hac febre futuros morbillos, & variolas præcognoscere: nam breuissimam habent accessionem, & præsentaneum expostulant auxilium: quod si occasio prætererit, eius defectum supplere nusquam vtiliter poteris, aut saltem id difficulter facies. Primò quidē malum ostendit febris primo accessu vehementissima, qualem tempore status esse comperimus: existēte ratione item ob id intensa, quod ensis tempus iam instet. Est itaque incendium tam vehemens, tam acuta, & acris

Variolarum, & morbillorum signa.

aeris caliditas, vt pituitam naturalem adhuc, & omnem cerebri humiditatem liquet, ita vt maiori ex parte hujusmodi febres ex defluxione à capite, vel catarrho, aut tussi principium sortiri videantur: ob id quidem præest semper in pueris tussis, quæ certum est hujus affectionis præludium, præterquam quòd tussis etiam caussa creditur esse exitus humoris à vasis ad cutim, quo fit, vt instrumenta respirationis pati quoque accidat: his etiam addes difficilem respirationem, tum ob adductam à me rationem, tum vero ob ingentem caliditatem, quæ maximum concitat in humoribus feruorem. Adsunt oculorum splendor, & veluti fulgores quidam, quos ex flammea caliditate proficisci certum est. Item sic affecti inuoluntariè lacrymantur, ob idem humiditatum cerebri colliquamen B tum: narium adest pruritus maximus, ob acrem pituitam descendentem, & fuliginosa excrementa, quæ per easdem expurgantur: est in dorso calor ingens, & sensus quidam punctioni persimilis, ob squalorem magnæ venæ per eandem partem perrepentis, in qua maius cauma fieri est credibile. Quibusdam accidit somnus profundus, ob halituosos vapores ex magnitudine febris ad cerebrum concitatos: alij ob acres, & mordaces delirant, multi quidem in epilepticas conuulsiones deciduot omnibus tamen adest in toto corpore calor, rubor, & punctionis quidam sensus per totam cutim, & aliquando apparent maculæ quædam raræ, rubentes, & paruæ, præcipuè iuxta dorsum, & lumbos. Sed maximum, & infallibile signum C est, hæc omnia principio affectus accidisse: nam in reliquis affectionibus contrario modo res se habet. *Circa principia, & fines*, inquit Hippoc. *omnia fiunt imbecilliora, circa statum verò fortiora*, in hac verò febre à principio omnia accidentia vigent, more febrium decrescentium, quæ in principio extremos labores habent: quo solo signo mihi certum est, ab omnibus alijs febribus morbillos, & variolas posse distingui.

Variolarum, & morbillorum auxilia nō procrastinanda.

Variolarum, & morbillorum curatio quatuor officijs constat.

Dictum est superius, maximum facessere negotiū cognitionem occasionis in hac febre, quod censeo illi accidere, eò quòd ex ijs sit, quæ (*vt dictum est*) mox à principio vigent, atque cùm Hippocr. dictum sit: D *Cum morbi inchoant, si quid tibi videtur mouendum, moue*, & huius principium adeo breue sit, necesse est proculdubio statim primo accessu auxiliares manus adhibere, nec procrastinandum est auxilium, etiam si febris adauctior videatur, atq; in accessione esse. Quamobrem quatruplex oportet in hac curatione exsequi officium. *Primum* quidem vacuationem exercet: *Secundum* motum naturæ sequi docet: *Tertium* compescere iubet venenositatem, & malitiam: *Quartum* vero, & vltimum membrorum præcautioni, in quæ natura solet decubitum humoris efficere, intendendum esse præcipit.

I.

Vacuationis.

Purgātia in Variolis rejiciūtur.

Sanguinis missio.

Circa primum officium quod vacuatione completur, necesse est nosse, febrem hanc esse de genere continentium, & ob id tanquam quid in eius curatione præcipuum vacuationem exposcere per sanguinis detractionem: nam expurgans medicamentum in huiusmodi affectionibus nullum, aut quàm rarissimū obtinet vsum, quippe quod innatum sibi habeat à toto corporis circumferentia, & venis minoribus ad internas partes, & vasa maiora humorem retrahere, motus quidem omnino motui naturæ contrarius: qd tanquam summè perniciosum verendum est in his morbis, præterquam quod euocata materia venenosa ad intestina, siue medicamentis purgantibus, siue clysmatis, (*quibus raro quoque, & lenissimis vtendum est in hoc malo*) syncopes, & dysenterias grauissimas oriri conspicimus. Quamobrem primo Medici accessu considerandum sese offert, *quale corpus sit, puerilene, an grandiorem agens ætatem*, in quibus ocyssimè vena scissa sanguinem extrahere oportet, quantū A plenitudini detraheudæ satis esse competentum sit. In pueris vero, & ijs, qui venam iuodi non permittunt,

Scarificatio.

cutim scarificare opus est: primo quidem suras scalpello scindere, quo distantius à corde humorem distrahamus. Mox, si satis non sit, brachia scarificare opus est, vt quod cordi vicinum inhæret commodius extrahatur. Cæterum si sors tulerit, vt puer excarnis sit, aut languidus, vel ex alio morbo conualescens, sat erit ad extima euocare, quod efferbuit, siquidem conjectabile est, nullam adesse plenitudinem, sed solum ex vi caloris feruorem oriri. Quapropter naribus cucurbitulas affigere oportet, & postmodum, si vires

Cucurbitula.

permiserint, scarificare: sin aliter, sat est euocationem frictionibus moliri: Nec procrastinandum est huiusB modi auxilium, etiamsi laborans in summo febris vigore exstiterit. Sed qua sese frequentissimè offert, vt Medicus non nisi transactis primis diebus accersatur, fortasse incipientibus iam per totam cutim, aut aliquam eius partem maculis, considerandum eo tempore est, *an maius facessat negotium plenitudine, quam ipsorum humorum vitium*: Quod si *primum* fuerit, verendum non est, ipsis adhuc incipientibus sanguinē detrahere, idque audacius in pueris, eò quod ad cutim cucurbitulis, & scarificationibus euocamus. Qd si *vitium humoris prævalere* comperiamus, quemadmodum in morbillis semper reperitur, translacta semel prima detrahendi sanguinem occasione, ad se-

Sanguis vtrū mitti debet, aut purgans dari in plenitudine, aut vitio humorum.

cundam indicationem deueniendum est, quę docet C motum naturæ sequi, & ad cutim euocare. Prius tamen considerabis, cruditatemne ventriculi patiatur puer, ex ructibus nidorosis, aut acidis, & ex lacte coagulato per aluum excreto, aut ex viridi excremento: quo tempore licet vulgus pertimescat sanguinem detrahere non ob id licet expurganti vti medicamentō; graue enim est, & periculo plenum, quia facilè cō motus efferuescensque humor ad ventrem euocatus, & syncopis, & mortis caussa existit, sed & grauius cruditate existente sanguinem mittere, & longè grauius differre: quamobrem nec purgare, nec sanguinē detrahere, sed primò cruditatem auferre, quam in pueris, vel leuissimo temporis spatio conteres, subtracto alimento clysmate ex *hydromelite*, aut suppositoD rio iniectis, & ventri appositis, quæ ipsa concoquant, velut est *axungia porcina cum croco, & succo lapathi, ac furfure*, aut *oleum torrefactum cum raphani radice*, aut *emplastrum ex melle, fermento, croco, & succo menthæ*: quippe emplastica hæc medicamenta alijs in partibus suppurationem moliuntur, in puerorum ventriculis, prohibito natiuo effluxu coctionem optimè efficiunt, satius quidem quàm medicamenta, quę vel calfaciunt, vel roborant, & alijs corporibus proficua sunt. Quibus sanè factis, quæ vnius noctis spatio prodesse solent, tutò possumus sanguinem detrahere, nā puerorum venter facillimè ab his cruditatibus sese exonerat, vel leui quodam adhibito auxilio. Considerabis præter hæc, in adultia, an iterum reuertatur feE bris, postquam variolis apparentibus, cessauerit. Quo

Cruditas ventriculi quibus auferatur. Emplastica medic. in puerorum ventriculis coctionem efficiunt.

Febre variolarum reuertente quid agendum.

tempore non est facilè inuentu quid agendum sit; nam videtur longè grauius febrem iterum reuerti, facta semel crisi, ac si sanguinem mittas, calumnia non vacabis, & periculo, si prætermittas, certius est discrimen. In qua re distinguenda est febris, quæ superuenit, occasio, nam si prodierit à variolarum suppuratione (*quod ex ipsarum tumore, dolore, & calore cognosces*) fugiendum omnino est à sanguinis detractione, labentur enim pronnus vires: si vero à noua putredine, & efferuescentia eorum humorum, qui intra corpus facta prima variolarum apparitione remāserunt prodeat, tunc quidem (*quod dignosces si ante completum tempus apparitionis iterum noua febre præueniantur, & paruæ, ac pauca sint variolæ*) audacter, licet plures sint variolæ, sanguinem mittes, quo adhuc longè plures appareant, & facilius suppurentur, vereri enim

opor-

oportet, ne si idem auxiliũ protraxeris, neutrum possit fieri, & laborans subinde citiùs periclitetur.

II.
Excretio quibus artibus ad cutem euocanda.

Itaque siue adultus, siuè puer sit laborans, primò curandum est sanguinem mittere; ac si sufficienter missus fuerit, vel insufficienter, si natura properauerit ad excretionem, eius motum æmulari semper oportet, & omni arte naturam ad cutim euocare oportebit. Primum quidem frictionibus per totum corpus factis, ac cucurbitulis, & tegumentis, ne ex frigore ambientis retrocedat transmissus à natura humor. Qua etiam indicatione considerandum est, quod si plenitudini eo tempore non est satisfactum, scarificatis cucurbitulis defectum supplere opus erit. Sunt etiã inter auxilia pleraque, quæ ad cutim euocant, alimenta nimirum, & medicamenta, quæ virtutem habent calidam, & siccam, quemadmodum antiqui consuluerunt; nam licet alienum videatur à morbi ratione, calido morbo calida adhibere auxilia: cum hoc tamen ea ex vsu comperimus, quia efferuescentiam maiorem concitant in humoribus: quo fit facilè, vt ipsis efferuescentibus in cutim irruant: ob id quidem antiqui censuerunt, decoctum *ficuum, pisces salitos* id posse, & nos syrupis *de lacca*, *& capillorum* Veneris vtimur: cuius rei latius meminimus *lib. nostro in consi. de victus ratione*. Sic enim potui exhibemus decoctum *fœniculi, vel cinnamomi, ac ficuum, & liquiritiæ*. Præstat etiam cutim ante pastum perfricare, incipientibus maculis, & cucurbitulas suris, scapulis, & naribus affigere, vt ocyssimè, quod natura tentat, perficere possit, ac oleo *amygdalarum dulcium cum nitro* **C** illinire; in his maximè qui cutem, & carnem dẽsam habent. Prodest & sudores euocare *aqua florum papaueris erratici, fœniculi, buglossæ, scorcioneræ, radicis pentaphylli, aut chamæmeli*; qua ratione multi consulũt, exhibere *cornu monocerotis*, & alia, quorum vim experiuntur sudores posse mouere. Sic enim cubiculo, & ambiente præmunito, & laborante, vt ferunt, *rubris pannis* cooperto, quo sanguinis feruor per sympathiam ad extima euocetur, sudorem prouocare oportet, his quæ diximus tepidis exhibitis.

III.
Alexipharmacorum in variolis, & morbillis quis vsus.

Cui sanè indicationi, quæ tertia est, non parum cõducet alexipharmacis venenositatem humorum cõpescere; nam cum certum sit, in his affectibus humoris feruorem contrahi, &, vt mea fert opinio, in maio **D** ribus vasis, periculum quidem est ex cordis vicinia ne vitalis facultas veneno humoris periclitetur: alexipharmacis igitur pugnandum est, longè à corde ex membris præcipuis huiusmodi humorem pellere. Quibus exhibendis indicationem præstat pulsus varietas *(præsertim plenitudine deposita)* in termi[n]atio, paruitas, ac inæqualitas, anxietas, & inquietudo maxima, syncopis, aut animi deliquiũ, color faciei, & corporis plumbeus, vel alterius fœdi coloris, & oculi etiã caui: nec non & alia quæ exsolutionem spirituum attestantur. Quapropter confugiendum est eo tempore ad ea, quæ veneni vim reprimere habeant, velut est *theriacæ* vsus, nisi id vetuerit febris vehementia. Præstat maximè in senibus, & fœminis, & ijs qui fri- **E** gidis abundant succis, sicut in alijs *confectio Alchermes cum aqua buglossæ*, & in omnibus *lapis bezoar, electuarium de gemmis, de hyacintho*, & *decoctum scorcioneræ cum cornu monocerotis*, & alijs quæ consimilem habent naturam, alexipharmaci etiam vires habet inunctio, quæ humores euocat ad cutem, quale est *oleum de Matthiolo*, venenosis humoribus ad cutim euocandis proficuum.

IV.
Raucedini, & suffocationi in morbillis ortæ quibꝰ succurrẽdũ.

Verum quia maius facessere negotium in hac affectione comperimus membrum, in quod procumbit venenosa hæc lues, quarta indicatio horum omnium prouidentiam consulit: quemadmodum videre est in raucedine, & suffocatione, quam gignit defluxus à capite. Cui sanè medeberis per ea auxilia, quæ, si corpus satis euacuatum fuerit, primo repellendi vim ha- **A** beant, *vt aqua hordei cum modico rob de moris*, aut *syrupo rosarum*: verum si quid iam fluxisse comperiamus, per ea, quæ obliniendi exasperatum guttur, & facilem expulsionem præstant: qualia sunt medicamẽta, quæ lambendo sumuntur, velut est *syrupus violarum, iniubarum, de prunis damascenis cum saccharo, & de mucilaginibus psyllij, & seminis citoniorum*. Quod si suffocationis periculum insit, distrahere cucurbitulis, vel sanguinis detractione, si corpus permiserit, oportebit.

Oculi vt præcauendi.

Confluunt quoque humores ad oculos ex defluxu, vel ex efferuescentia ipsius humoris maligni, quos præcauere oportet primo decocto *ex aqua rosacea, fœniculi, aut myrti, facto cum fructu rhu coriariorum*, vel cum *myrto*, vel *myrtillis*; ac si aquam *capitũ rosarum* adhibueris, nil nocebis. Quod si repulsio nõ **B** profuerit, concoquentibus, & digerentibus vtendum est, addito prædictis medicamentis *croco*, quæ omnia simul coquere oportet, & excolare, atque pluma, vel penicillo aliquo in oculos instillare: quod si hæc prodesse non videantur, & oculi præ nimia fluxione occludantur, *sanguinem pulli columborum* in oculos conijcere oportet, præsertim scissis venis ipsius columbi, quæ sub alis sunt.

Nares qualiter præcauendæ.

At si ad nares fluxio delabatur, primò quidem pellere oportet oleo citoneorum; ac si prodesse non videatur, omni arte dolorem lenire oportet, atque crustas emollire, ne prohibita respiratione exulcerari contingat: fitque id vel *oleo sesamino*, *amygdalarum dulcium*, *de semine lini*, *cucurbitæ*, *vel melonum*: verum si nares ad exulcerationem deuenerint, vnguentis ex *lythargyro, vel vitello oui*, aut *succo plantaginis* in mortario plumbeo sæpius agitatis, rem agere oportebit.

Os, palatũ & lingua qualiter præcauenda.

Si vero in os, palatum, & linguam, aut gingiuas variolæ, aut morbilli tanto numero prorumpant, quod alicuius partis exulcerationem, vel corruptionem vereamur, *succo granatorum acrium cum aqua plantaginis* repellere curabis. Quod si fluxũ impedire volueris, caliditatem compesces, ne ex nimio calore in corruptionem degenerent: id quod fit *aqua hordei, cum saccharo, vel syrupo rosaceo*. Verum si in vlcus degenerauerit, *aqua aluminosa* vtendum est: si vero in corruptionem vergat aliqua oris pars, *vnguento Aegyptiaco* cum *aqua plantaginis*, aut *hordei* corruptionem compescere oportebit, & rem omnẽ deinceps Chirurgis committere.

Ventriculo qualiter prouidendum.

Si verò vsque ad vẽtriculum malum aliquod peruenerit, ita vt vomat, vel fastidiat cibos, aut animo linquat laborans, eo modo succurrendum, quo dictum est *de feb. accid. & de feb. malig.*

Tumores, & vlcera qualiter tractãda.

Verum si in aliquo membro externo tumorem aliquem, vel vlcus oriri comperiamus, emplastris potius, & medicamentis resiccantibus, & putredinem inbibentibus, veluti in gangrena, & corruptionibus vtendum est; & his etiam, quæ præter id, quod calorem sedent, resiccandi, & expurgandi vlcera vires habeant. Sic enim emplastris contra esthiomenum vtendum est, fugiendumque ab his, quæ suppurandi, & emolliendi potentiam habent, adapertis prius ex variolis aliquibus.

Dysenteriæ qualiter occurratur.

Superest verò adhuc vltimum, & grauius symptoma, nimirum *Dysenteria*, quam non rarò vel ex humorum malitia, vel ex Medicorum nimia diligentia in excitando ventre pueris in hoc morbo accidere comperiamus. Cui malo protinus prouidẽdum, aluo non procurata, etiamsi trium quatuorve dierum spatio nihil puerulus excernat, vel facta prius in humoribus correctione. Quod si acciderit curare huiusmodi affectum, oportet non quidem purgantibus, vt in reliquis dysenterijs efficere solemus; neque rursus pinguosis, ne vlcera amplius sordescant, sed ijs, quæ abstergendi, & generandi carnem vires habeant, & quodammodo reprimendi fluxum ad intestina dilabentem: quæ omnia facilè quis reperiet proposita huiusmodi indicatione in curatione cuiusuis dysenteriæ.

Verum

Variolas an perforare expediat, & quo instrumento.

A Verum quia virulenta materia sæpè in cute congesta, vel febrem auget, aut suppurationem, vel corruptionem alicuius partis minatur, eo quod plures variolæ in vnum coeant, & congregentur, & prohibita in parte illa ventilatione, facillimè pars corrumpitur, coniectandum quidem est, quid agere oporteat: *Primum* quidem, an variolas perforare expediat, vt extracto pure pars in sicciorem habitum vergat: *Secundū*, quæ sint medicamenta, quæ ad exsiccationem adhibere oporteat: *Tertium* vero, quomodo cicatrices emendare, & cutis fœditatem delere sit possibile. Circa primum, tāti sæpè fuit momenti apud peritos Chirurgos cutim non incidere, vt etiam Galeno scriptū sit, in suppuratis tumoribus tentandam esse resolutionem: nam cum tota ratio reductionis partis affectæ B ad pristinum statum (*etiamsi succo aliquo adhuc suppurato abundet*) dependeat ex viribus naturæ, quas in calore naturali, & spiritu sitas esse scimus, & harum substantiatum, quo minus liberè dissipentur, fulcimētum, & tutela cutis sit, ob id nonnisi maxima vrgente necessitate eam findere audebat antiquitas. Quod sanè munus fieri debet in variolis; nam cum vniuersam cutim ambiant, ipsam perforare multis locis per difficile est, ac timorosum: periclitatur quidem dissipatione calor natiuus; Vnde constat, quòd deuicta naturali potentia ex virulentia variolarum, multi citra febrem post integram apparitionem intereant. Quamobrem experimento confirmatum est, eas tantum aperiendas esse aureo aliquo penicillo, quas grandes esse conspicimus, aut plures vno loco cōgregatas; idque non vno die omnes simul, sed quasdam singulis diebus, aut interposito aliquo die. Nos etiam ab apertione, aut ante ipsam, si naturam pigre procedere ad exsiccationem compertum sit, *pulte, farina fabarum, lentium, & sale cum aqua decoctionis lupinorum panno aliquo excepta variolas iungere, & fouere consulimus*. Idem beneficium præstat decoctum *furfuris*, sed cōmodius *aqua salis*, aut *aluminis*. Experimento tamen comperimus, probatissimum esse auxiliū, *sal*, & *butyrum porcinum*, aut *vaccinum* admiscere, & *panno lineo* deuoluere, ac *variolas* omnes iungere.

Variolas quæ siccēt.

Cicatrices quæ emendent.

Verum ne cicatrices deformes fiant, cauendū est, ne manibus laborans, aut aliqua alia re eas scalpat; excedit enim carnem subtus recentem virulentus humor, ex scalpendo ad partem attractus, ob id pinguedine, qua pueri recenter nati cooperiuntur, oblinire partem oportet, & oleo de *vitellis ouorum*, *de semine lini*, *cucurbitarum*, aut *assungia anatis*, vel *seuo* ex renibus *capreolorum*, admixto modico *alumine*, & puluere *aristolochiæ* optimas parabimus cicatrices.

Finis Septimi, et Vltimi Libri de febribus.



INDEX

VBERRIMVS, ET ACCVRATISSIMVS IN QVO OMNES PRAECLARAE, AVREAE, GEMMEAE SENTENTIAE,

ET DOCTISSIMA PRAECEPTA MEDICA, ET EXQVISITISSIMA auxilia in hoc toto Volumine Praxeos contenta in Summa quadam, seu Compendio luculentissimè traduntur.



A

quau-

Calor

Cauterium

Conuul-

D

Dæ-

Dolo-

E

quam

F

Facultates

Habitus

e Ha-

Hecti-

Inter-

Iſchuriæ

L

d Me-

Mœror

O

Pestis

Pul-

Q

R

Renum

San-

Sin-

Spi-

Syn-

Tertiana


Visus

per

quid

FINIS INDICIS.

Laus Deo, Virginique Matri.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

